





THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM
VOL. IV.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS

a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN QUARTUM.



VENETIIS,

Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

L E C T O R I

S. D.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.



Ides hic, benevole Lector, quartum tomum thesauri, qui prodiit post quintum. Editionem ejus longius morati sunt, qui ære describunt antiqua juxta & recentia monumenta, ut oculis subjiciantur lectorum. In hoc tomo principem sibi merito locum vindicat Roma Vetus Famiani Nardini, Viri doctrinæ & ingenii elegantia summe conspicui. Hic novissimus fuit, qui post tot viros doctos, qui a tribus fere seculis in hoc elaborarunt argumento, provinciam istam administravit unus omnium optime & pulcherrime, quamvis non pauca in illo reprehenderit & emendarit Vir celeberrimus Raphael Fabrettus in suis de aquæ ductibus Romanis dissertationibus, quas in hoc ipso habes volumine. In capite primo libri primi Nardinus Cluverii & aliorum argumenta, qui Æneæ adventum in Italiam, & Romam a Romulo conditam censent esse fabulam, & merum poetarum, aut otiosorum hominum commentum, jure damnat, & contra docet, vero similiores esse narrationes eorum, qui communi sententiæ ab antiquissimis scriptoribus quasi per manus nobis traditæ suffragantur. Verum illam iterum impugnavit Vir summus, Samuel Bochardus, in eruditissima ad Segresium epistola, cui tamen rescripsit V. Cl. Theodorus Ryckius, in dissertatione de primis Italiæ colonis, & Æneæ in Italiam adventu, quam adjecit Lucæ Holsteinii castigationibus in Stephanum Byzantium. Quod inter alia ὁ πάνυ Bochardus affert de Vesta, cujus nulla fuerit effigies, sed tantum ignis, eruditissime refellit vir dignitate, ingenio, doctrinæque multiplicis copia in primis præcellens, magnum seculi nostri decus, Ezechiel Spanhemius, in explicatione nummi Smyrnensis de Vestæ cultu & Prytaneis, reconditæ doctrinæ observationibus referta, quæ inserta est tom. 5. hujus thesauri. In lib. III. cap. 4. disputat contra Lipsium Nardinus de discrimine domorum, & insularum, quæ partim vera sunt, partim a vero aliena. Vera sunt, quæ ex Festo post alios notavit, insulas fuisse ædes, quæ non communem cum aliis ædibus habuerint parietem, ut multæ nunc sunt ecclesiæ, & monasteria, & regiæ. Verum est multas insulas Romæ fuisse ante Neronianum incendium. Rationes ejus contra Lipsium, qui existimat domos longe plures fuisse in Urbe ante fatalem illam Romæ combustionem, sunt firmæ & certæ. Sed falsum est, domos dictas tantum esse splendidiores potentium hominum ædes, insulas vero tenuiorum hominum aediculas. Id quidem certum est, domos dici ampla procerum & hominum nobilitate & divitiis præstantium ædificia, sed insulæ quoque, si vocem hanc proprie accipias, ut antiquis reipublicæ temporibus accepta fuit, erant majora ipsis domibus ædificia, ut insula Clodii, insula clarissimi adolescentis Luculli, quarum Tullius meminit. Ædes sane quae aliis non sunt adjectae, & communi cum iis pariete junguntur, sed suis ambiuntur undique muris, quales sunt plerumque regiae, & palatia principum & nobiliorum hominum, majores solent esse domibus aliorum civium contiguis, quamvis & inter eas sint, quæ emineant amplitudine & splendore, nec tamen sunt insulae. Non verius eae, quod magnus Casaubonus ad Suetonium,

P R Æ F A T I O.

Gerardus Voſſius in Etymologico, Gonſalius ad Petronium aliique tradunt, poſt Neronem omnes ædes conducticias, præcipue quæ tenuioribus elocarentur, dictas fuiſse inſulas, & dominos inſularum eſse locatores. quod eſt falſum. Nec enim omnes quatuordecim regiones in illo perierunt incendio, nec omnibus illis ædibus conducticiis pauperiorum potuiſsent præſtrui porticus. Sic enim ſanxerat Nero teſte Suetonio: *Formam ædificiorum urbis novam excogitavit, ut ante inſulas & domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendium arceretur.* Quomodo & quænam ante quaſvis egenorum anguſtas ædiculas poſſunt eſſe porticus? In hanc ſententiam inducti ſunt viri magni multitudine inſularum, quas commemorat Victor, aliique, quæ fuerunt domicilia pauperiorum, quarum ubique major eſt numerus, quam pecunioſorum. Sed ſi rem hanc accuratius expendamus, cognoſcemus inſulam eſſe proprie, ut paulo ante diximus, ſpatioſum ædificium, quod non habeat communem cum aliis parietem: Illis vero plerumque adſitas fuiſſe multas ædes parvas, & mediocres, quæ tenuioribus civibus locabantur, eaſque inſulas æque dictas fuiſſe, quia majoris inſulæ ambitus eas complectebatur. Hinc in gloſſis Philoxeni, *inſula* νῆσος, συνοικία. Eædem: συνοικία *conclavum, conclavia, inſula.* Nimirum συνοκία eſt cohabitatio. Earundum gloſſarum auctor: σύνοικος ὁ ἅμα οἰκῶν *cohabitator*: σινοικῶ *commaneo, cohabito.* Σύνοικοι erant cum aut plures familiæ, vel inquilini habitarent aut in eadem domo, aut in pluribus ædibus ejuſdem inſulæ. Tales ædes dicebantur *conclavatæ*, quia ſub eadem erant clave, hoc eſt, quibus una erat porta, ſed plura loca, quæ incolebantur a diverſis familiis. Inde & *conclavia* exponuntur in gloſſis. Nam *conclave*, ut Donatus ad Terentium ait, eſt *locus, intra quem loca multa & cubicula clauſa ſunt adhærenti triclinio.* Hoc quid aliud eſt quam συνοικία aut in una domo, aut in unius inſulæ pluribus ædiculis, quæ & ipſæ nominabantur inſulæ. Qui in inſulis illis habitabant, dicebantur *inſulares.* Juſtinus XXXII. II. *Antiochus, cum gravi tributo pacis a Romanis victus oneratus eſſet, ſeu inopia pecuniæ compulſus, ſeu avaritia ſollicitatus, qua ſperabat ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis excuſatius ſacrilegia commiſſurus, adhibito exercitu, nocte templum Elymæi Jovis adgreditur. Qua re prodita, concurſu inſularium cum omni militia interficitur.* Sic enim hunc locum pulcherrime reſtituit ὁ πάνυ Iſaacus Voſſius, adſtipulante MS. Bongarſii, cum vulgo legeretur *incolarum*, ut ibi notavi. Iſtud templum fuit inſula, ut erant pleraque templa, uti & poſt Chriſtianorum eccleſiæ & baſilicæ, quæ ab Hieronymo & aliis vocantur quoque inſulæ. Qui vero in ædibus illi templo adpoſitis habitabant æditui, ſacerdotes, & alii ſacrorum miniſtri, qui primario ſacerdoti parebant, dicti ſunt inſulares. In Aſia fuerunt talia templa, circa quæ habitabant plurimi homines, qui erant ſub ditione primi ſacerdotis. Talis fuit Comanorum Sacerdos in Bellonæ templo, quod erat in Cappadocia, de quo Cic. xv. ad fam. ep. 4. *Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, ſi ſacerdos armis, quod facturus putabatur, ſe defenderet.* Huic ſubjecta erant ſex millia hominum, quæ interdum arma capiebant, & injuriam aliorum propulſabant. Appellabantur etiam hi inſularum incolæ *inſularii.* Quæ dixi de inſula & inſularibus, ſeu inſulariis clariſſime confirmat locus Petronii in deſcriptione rixæ inter diverſitorem & eos, qui apud eum diverſitorem erant, Encolpium ceteroſque ortæ. *Vos mehercule*, inquiebat diverſitor, *ne mer-*

cedem cellæ daretis, fugere nocte in publicum voluistis, sed non impune. Jam faxo sciatis non viduæ hanc insulam esse, sed M. Manicii. Dein cum a verbis ad verbera perventum esset, *fit concursus familiæ hospitumque ebriorum frequentia &c. Interim coctores, insulariique mulcant exclusum*. Paullo post: *Procurator insulæ Bargates a cœna excitatus a duobus lecticariis in medium rixæ perfertur: nam erat etiam pedibus æger*. Dein illius insulæ hic procurator ad illos qui Encolpum mulcabant: *O poetarum*, inquit, *disertissime. Tu eras? & non discedunt ocyus nequissimi servi, manusque continent a rixa?* Vides hic insulam M. Manicii, in qua plures ædiculæ, inter quas etiam fuit, quæ diversitori erat elocata. Cum inter cauponem & hospites rixa & pugna incaluisset, concurrunt insularii, hoc est & illi, qui hanc insulam parvam incolebant, quam conduxerat diversitor, & alii, qui in aliis insulis, seu ædibus illius majoris & veræ insulæ Manicii habitabant, opem ferebant, qui dicuntur insularii: Intervenit tandem procurator insulæ, & Encolpum sibi cognitum servavit. Procurator insulæ est, qui Manicii absentis res procurabat in illa insula, & providebat, ne aut mercede dominus insularum defraudaretur Mancinius, aut insulæ ab insulariis corrumperentur, utque tota sarta tecta servaretur. Illos insularios, hoc est, homines viliores degentes in insulis contumelioso nomine vocat servos: *Non discedunt ocyus nequissimi servi?* Qui hic procurator insulæ vocatur, a Pomponio JCto L. XVI. de usu & habitat. *Insularius* appellatur κατ' ἐξοχὴν, quod insulariorum primus esset, & illorum curam gereret, & quasi quoddam in illos inhiberet imperium: *Dominus proprietatis etiam invito usufructuario, vel usuario fundum, vel ædes per saltuarium vel insularium custodire potest*. Sicut saltuarius est, qui præest saltui, sic insularius, qui insulæ præest. Alii ab his insulariis sunt insularum domini, de quibus Sueton. in Julio cap. XLI. *Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit*. Populus hic sunt egeni, qui frumentum publice accipiebant gratuitum. Idem in Tiberio XLVIII. *Publice munificentiam bis omnino exhibuit, proposito millies HS gratuito in trienni tempus: & rursum, quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant*. Insularum domini sunt, qui illas veras insulas urbanas possidebant, ut Clodius, Mancinius, Lucullus, insulares, qui in ædibus minoribus quas quæstus caussa insulæ adstruxerant, quæ & ipsæ insulæ vocantur, degebant.

Quæ in eodem capite disputat Nardinus de lacubus recte se habent. Sciendum autem est, priscis reip. temporibus, cum nondum invaluisset luxus, ex solis lacubus aquam petitam esse in privatos civium usus, & quidem illam solam, quæ ex lacu exuberabat, & ceciderat in humum. Frontinus de aquæ ductibus: *Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur, legeque cautum fuit*, NE. QVIS. PRIVATVS. ALIAM. DVCAT. AQVAM. QVAE. EX. LACV. HVMVM. ACCEDIT. In legis hujus verbis propter concursum duarum syllabarum iisdem litteris excidisse puto *quam*, legendumque: *ne quis privatus aliam ducat aquam, quam quæ ex lacu humum accidit*. Sic enim pro vulgato *accedit* scribendum est, hoc est, quæ ex lacu exundante in humum cadit, cum supra ripam lacus exiisset. Hæc enim verba sunt illius legis, *id est, quæ ex lacu abundavit, eam nos caducam vocamus*. Quia scilicet ex lacu in humum accidebat. Unde vides recte illam dictam esse *caducam*. Posterioribus

temporibus in Urbe multa caſtella erant, quæ nominabantur *dividicula*. Feſtus: *dividicula antiqui dicebant, quæ nunc ſunt caſtella*. Ex his e rivo communem aquam quiſque in ſuum ducebat fundum. Poſtea ex caſtellis varie derivata fuit aqua in privatorum domos. Juriſconſultus caſtellum in Edicto Prætoris L.1. D. de aqua cottidiana, interpretatur receptaculum, quod aquam publicam ſuſcipit. Duplici modo aquæ ducendæ ſervitus imponi poterat, vel ex capite vel ex caſtello. Interdictum Prætoris de aqua quotidiana & æſtiva ad utrumque genus pertinebat. *Caput aquæ illud erat, unde aqua naſcitur. Si ex fonte, fons ipſe, ſi ex flumine vel lacu prima incilia*, ut eſt in eadem lege; *vel principia foſſarum, quibus aqua ex flumine vel ex lacu in primum rivum communem peti ſolet*. Ex capite autem vel etiam ex rivo publico & communi aqua in caſtellum cadebat, ex quo deinceps dividebatur per fiſtulas ſingulis privatis, qui jus aquæ a Principe impetrarant. Non ſemper ex caſtello, ſed etiam ex rivo ducenda concedebatur. Lex eadem: *Permittitur autem aqua ex caſtello*, vel, *ex rivo, vel ex quo alio loco publice ducere*. Nimirum ubi caſtella non erant, ex quibus diſtribueretur, ex rivo duci ſolebat ac dividi. Omnes aquæ publicæ quæ in Urbem ex fontibus influebant in plura caſtella diviſæ per regiones urbis deducebantur atque erogabantur privatis aut publicis uſibus. Inde & privata & publica erant caſtella. Ex iſtis aqua publice operibus dabatur, ex illis privatorum domibus aut hortis. Si caſtella nulla eſſent ex rivo ducebatur. Aqua Claudia Romæ caſtella non habuit, ideoque dividebatur ex rivo. Frontinus lib.II. *Claudia & Anio novus extra Urbem proprio quæque rivo erogabatur, intra Urbem confundebatur*. Paullo ante ſcripſerat, colles Cœlium & Aventinum antea uſos eſſe Marcia & Julia, *ſed poſteaquam Nero Imperator Claudiam opere arcuato aſſumſit, exceptam uſque ad templum Divi Claudii perduxit, ut inde diſtribueretur, priores non ampliatæ, ſed amiſſæ ſunt, nulla enim caſtella adjecit, ſed iiſdem uſus, quorum quamvis mutata aqua, vetus appellatio manſit*. Ubi notandum cum dicit, cum ad Juliam & Marciam adjunxiſſet Claudiam intra Urbem, nulla nova caſtella adjuncta fuiſſe, ſed ex iiſdem caſtellis eam aquam diſtributam fuiſſe, quibus diviſa fuerit Julia & Marcia, ideo illas amiſſas fuiſse, ſolamque Claudiam nomen habuiſſe. Ea extra urbem proprio rivo ducebatur, ut & Anio novus rivo etiam ſuo, intra urbem confundebantur, & per eadem caſtella dividebantur. Hoc autem ex Frontino obſervare licet, aquas illas, quæ in Urbem deducebantur, extra Urbem quidem rivo deductas fuiſſe, intra Urbem vero per caſtella diſtributas. Unico id exemplo probabimus de Marcia: *Marciæ*, inquit, *erogabantur extra Urbem nomine Cæſaris quinariæ*, CCLXIX, *reliquæ quinariæ* MCCCCLXXII, *intra Urbem per regiones* I, III, IV, V, VI, VIII, IX, XIV, *in caſtella* LI. In aliis omnibus hæc eadem perpetuo ſervat, ut caſtella aquis intra Urbem deductis tribuat, extra Urbem fluentibus non tribuat. Ducebatur aut rivo ſubterraneo, aut opere ſupra terram arcuato aut non arcuato, vel ſubſtructionibus rivorum. Ex his omnibus operibus cum erogabatur punctis, ex rivo duci dicebatur. Aliud ergo erat ex caſtellis ducere, quæ intra mœnia Urbis tantum locum habent, ut ex Frontino vidimus. Hoc etiam confirmatur auctoritate Vitruvii, ex lib. VIII. cap.7. ibi tradit aquæ ductus fieri tribus generibus, rivis per canales ſtructiles, aut fiſtulis plumbeis; deinde ſubjungit, *cumque venerit ad mœ-*

nia efficiatur caſtellum, & caſtello conjunctum ad recipiendam aquam triplex immiſſarium. Ubi mœnia vocat urbis ædificia. Non enim per mœnia muri intelligendi ſunt, ne quis erret. Sic paullo poſt caſtellum appellat, quod fit in mœnibus, id eſt, intra Urbem & ædificia Urbis. Sic apud Juſtinum lib.11. Themiſtocles, *patriam municipes eſſe non mœnia*, quod ſequentibus verbis ſic explicat ipſe, *civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam.* Et apud Florum l.4. *Mœnia muro amplexus eſt* Ancus Marcius, ubi vide quæ notavi. Veruntamen Vitruvius ibidem etiam meminit caſtelli extra Urbem faciendi ad caput aquæ, ſi fiſtulis plumbeis ducatur. Non ergo in aliis aquæ ductibus locum habuere caſtella extra Urbem, niſi cum ab ipſo capite fiſtulis plumbeis aqua duceretur. Nam & intra Urbem ex caſtellis per fiſtulas erogari ſolebat aqua. Id ex alio quoque loco Frontini de aquæ ductibus conſtat: *Sollicite ſubinde ductus extra Urbem ſunt circumeundi ad recognoſcenda beneficia. Idem & caſtellis & ſalientibus publicis eſt faciendum, ut ſine intermiſſione diebus noctibuſque aqua fluat.* Hoc non obſcure oſtendit, caſtella intra Urbem eſſe, ut & ſalientes. Nam cum dixiſſet extra Urbem circumeundos eſſe ductus ad recognoſcenda beneficia, paullo poſt in caſtellis & ſalientibus publicis idem faciendum eſſe addit, nimirum intra Urbem. Salientes enim publici intra Urbem ſunt, non extra, ut & caſtella. Fuit ergo caſtellum ad inſtar caſtelli muris munitum, quod aquam publicam ex rivo ſuſcipiebat. Nam ex rivo publico in caſtellum cadebat, ex caſtello per plures fiſtulas caſtello adfixas tam privatis uſibus, quam publicis operibus erogabatur, & dividebatur. Frontinus: *Memineram omnem aquam, quoties ex alto rivo venit, & intra breve ſpatium in caſtellum cadit, non tantum reſpondere modulo ſuo, ſed etiam excipere. Quoties vero ex humiliore, id eſt, ex minore preſſura longius ducatur, ſegnitia ductus modum quoque deperdere.* Hinc autem ut ex rivo, ſive ex caſtello aqua ducebatur, huic vel illi *Calix* æneus indebatur. Is erat modulus aquæ, quæ conceſſa fuerat. Digitos habebat non minus duodecim in longitudine, *lumen* vero, id eſt capacitatem, *calibrum* vulgo dicimus, quanta menſura aquæ impetrata fuerat. Huic calici adplicabatur fiſtula, quæ aquam deducebat in fundum, vel in domum ejus, qui eam beneficio Principis impetrarat. Calix ille moduli, qui conceſſus fuerat, ſignabatur a Procuratore Cæſaris, cujus etiam partes erant videndi, ne fiſtula ſubjiceretur calici majoris luminis, id eſt, ut diximus, capacitatis, quam modulus foret calicis, qui erat conceſſus. Ad lineam illi calices collocabantur ordine, ita ſcilicet, ut alter altero ſuperior vel inferior non poneretur, quia æqualiter omnibus, qui ex communi caſtello ducebant, aqua dividi debebat. Inæqualiter autem diſtribueretur ab inferius & ſuperius ordinatis calicibus. Nam inferior calix plus trahit aquæ, ſuperior minus. Ergo ad lineam omnes poſiti, id eſt, eadem altitudine. Hi igitur duo præcipue modi fuerunt aquæ ducendæ vel ex rivo, vel ex caſtello, per fiſtulas plumbeas, quæ adplicabantur & ſubjiciebantur calici, id eſt modulo, quo aquæ impetratæ modus definiebatur. Aliquando ſine calice fiſtulæ ipſæ rivo, vel caſtello indebantur, quæ fiſtulæ dicebantur ſolutæ. Frontinus lib.II. *In quorundam fiſtulis ne calices quidem poſitæ fuerunt: Hæ fiſtulæ ſolutæ vocantur, & ut aquario libuit, laxantur, vel coartantur.* Præter illos duos modos principales aquæ ducendæ ex rivo vel ex caſtello, alii etiam duo ſunt, unus *aquæ caducæ*, alter *per puncta*. Aqua caduca diceba-

tur duobus modis, aut quæ ex caſtellis effluebat, aut ex manationibus fiſtularum. Effluebat ex caſtellis, quæ abundabat ſupra labra conceptaculi. Antiquitus Romæ nulla alia aqua in privatos uſus convertebatur, niſi quæ ex lacu humum accidiſſet, ut ſuperius ex Frontino docui, hoc eſt, quæ ex lacu, cum abundaſſet, ſupra ripam lacus exiiſſet. Nam & abundare fluvii dicebantur, qui ſupra ripas ſurgentes vicinos agros inundabant. Virgilius:

Incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit.

Eo tempore, cum ex ſolis lacubus abundantibus petebatur aqua, nulla erant caſtella. Poſtea cum caſtella in Urbe facerent, ex illis ſoli lacus & ſalientes publici ducebantur, nulli puncto inde aqua erogabatur, niſi ſi quo ex lacu abundanti effluxiſſet, & humum cecidiſſet, id eſt caduca facta eſſet. *Caduca* erat quoque, quæ effluebat ex manationibus fiſtularum. Ita *manare ſudoribus* dicuntur aquæ, apud Juriſconſultum l.1. π. de aqua quotidiana, quæ ſic in aliquem locum effluunt. Per fiſtulas ſic ſæpe manabant ſudore, aut ex male compaginatis. Utriuſque modi aquæ caducæ beneficia interdum princeps punctis tribuebat. Alius modus fuit *per puncta*. Aquarii hanc in reditu habebant, dum ex convulneratis fiſtulis in tranſitu alicui puncto dabant aquam. Dicebatur *a punctis* olim, qui hoc munus habebat aquarius aquæ puncta privatis tribuere. *Puncta* vocabantur exigui aquæ ducendæ moduli, quales olim punctis diſtribuebantur ex publico. Frontinus libro laudato: *Etiam ille aquoriarum tollendus eſt reditus, quem revocant punctam. Longa ac diverſa ſunt ſpatia, per quæ fiſtulæ tota meant Urbe latentes ſub ſilice. Has comperi per eum, qui appellabatur a punctis, paſſim convulneratis omnibus in tranſitu negotiatoribus præbuiſſe peculiaribus fiſtulis aquam: quo efficiebatur, ut exiguus modus ad uſus publice proveniret.* Quam vocant, inquit, *punctam* id eſt punctionem. Sed pro vulgato *convulneratis omnibus in tranſitu negotiatoribus*, quæ corruptiſſima ſunt, & nullius ſenſus, legendum eſt ſine dubio *paſſim convulneratis foraminibus in tranſitu petitoribus præbuiſſe peculiaribus fiſtulis aquam*. Petitores ſunt, qui ab aquariis in uſum privatum aquam petebant.

Ipſa autem caſtella, de quibus egimus, quæ olim *dividicula* vocabantur, ita cœperunt appellari, poſtquam ad ornatum Urbis majorem inædificata ſunt in modum caſtellorum. Nam & cultum in horum ædificatione affectarunt. Plin. lib.XXXVI. 15. *Agrippa vero in ædilitate ſua advecta Virgine aqua ceteris corrivatis atque emendatis lacus ſeptingentos fecit, præterea ſalientes centum quinque, caſtella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis ſigna trecenta ærea aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo ſpatio.* Frontinus in totum Romæ intra Urbem ad aquas omnes publicas, quæ in Urbem producebantur dividendas caſtella ducenta quadraginta ſeptem numerat. In hæc caſtella dividebantur aquæ publicæ intra Urbem diſtribuendæ per fiſtulas. Heſychius vocem caſtellum, quæ Romana vox eſt, ita explicat: Κάςελλον ὄνομα τόπȣ ἄνω φέροντος καὶ κάτω φέροντος καὶ μερίζοντος ὕδωρ. Locum eſſe dicit, qua aqua ſurſum mittitur, & deorſum, ac dividitur. Mallem tamen legere, ἀναφέροντος καὶ καταφέροντος. Nam Græcis ἀναφέρειν ὕδωρ eſt aquam in altitudinem extollere, καταφέρειν vero eſt deorſum immittere aquam. Quod utrumque præſtabant caſtella per fiſtulas plumbeas appoſitas. Unde vides

quam vere castellis conveniat priscum nomen, *dividiculi* quo olim appellabantur, antequam ornabantur, quia non solum aquam dividebant privatis & publicis usibus, sed etiam ipsa aqua per canales & rivos deducta in plura castella divideretur. Unus enim aquæ ductus, verbi gratia, Virginis aut Anienis in plura castella dividebatur, & ex castellis ipsis in plures salientes spargebatur, & in plures lacus, & in plures domos, tam publicas, quam privatas distribuebatur. Exempli gratia Aqua Virgo Romæ intra Urbem in castella viginti sex dividebatur, auctore Frontino, ex quibus castellis quinariæ fistulæ nomine Cæsaris DXCIX. dividebantur privatis, CCCXXXVIII. usibus publicis. SConsultum vetus apud Frontinum: AQVA. DIVIDATVR. IN. CASTELLA. IN. LACVM. IMMITTATVR. Hinc castella *dividicula*, & lacus *immissaria* dicta sunt. In alio SConsulto cavetur ne punctis liceat aquam nisi ex castello ducere, ne aut rivi, aut fistulæ publicæ frequenter lacerarentur. NE. CVI. PRIVATO. AQVAM. DVCERE. EX. RIVIS. PVBLICIS. LICEAT. VTIQVE. OMNES. II. QVIBVS. AQVAE. DVCENDAE. IVS. ESSET. DATVM. EX. CASTELLIS. DVCERENT. Hoc Senatus consultum dignum visum adnotatione Frontino. Arcadius & Honorius Imperatores item longo post tempore statuebant his verbis: *Quicunque ex aquæ ductu magis, quam ex castellis aquæ usum putaverit derivandum, etiam id, quod prius jure beneficii fuerat consecutus, amittat*. Extra Urbem vero e rivo publico duci licuit, quia castella ibi nulla fiebant, ut ante vidimus, intra Urbem ergo ex solis castellis. Hinc Jurisconsultus ex utroque permissum fuisse dicit ex edicto Prætoris aquam ducere *vel e castello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico*. In leg.1. de aqua quotidiana §.41. Ex rivo extra Urbem, e castellis intra Urbem. Sed in eo, quod modo laudavimus, Senatusconsulto mentio fit castellorum tam extra quam intra Urbem faciendorum: ANIMADVERTERENTQVE. CVRATORES. AQVARVM. QVIBVS. LOCIS. INTRA. EXTRAQVE. VRBEM. APTE. CASTELLA. PRIVATI. FACERE. POSSENT. EX QVIBVS. AQVAM. DVCERE. POSSENT. Q. Aelio Tuberone & P. Fabio Maximo Senatusconsultum illud factum dicitur. Postea ut videtur hoc mutatum fuit. Vitruvius, ut supra notavi, castellum extra Urbem unum tantum esse faciendum ad caput aquæ præcipit, si fistula plumbea ducatur aqua. Rationem etiam ibi addidimus. In aliis aquæ ductibus castellum tantum fieri vult, ubi aqua perducta fuerit ad mœnia. Cum autem Jurisconsultus castellum interpretatur receptaculum, quod aquam publicam suscipit, idem noster Vitruvius receptacula aquæ diversa facit ab ipso castello. Ecce enim castellum unum effici præcipit, ubi aqua venerit ad mœnia, id est intra Urbem perducta fuerit. Hinc castello conjunctum ad recipiendam aquam triplex immissarium esse vult. Et hæc ipsa immissaria receptacula aquæ vocat. Sic enim ait: *Collocenturque in castello tres fistulæ æqualiter divisæ intra receptacula conjuncta, uti cum abundaverit ab externis, in medium receptaculum redundet*. Sed quid est *intra receptacula conjuncta?* Mendosa sunt hæc verba; levissima mutatione lege, *in tria receptacula conjuncta*. Tres fistulæ æqualiter divisæ in tria receptacula seu immissaria derivabant aquam, quæ conjuncta erant castello. Ea ubi per tres fistulas æquabiliter ex castello divisam receperant aquam, ab extremis duobus in medium, ubi abundaverat,

redundabat. In medio illo receptaculo ſive immiſſario fiſtulæ erant poſitæ ad omnes lacus & ſalientes publicos. Ex altero immiſſario, ſeu receptaculo, aqua diſtribuebatur in balneas publicas, quæ vectigal quotannis populo præſtarent; ex tertio immiſſario in domos punctis aquam diſtribui præcipit, ita tamen ne deſit in publico. Hoc recte, & quo declaratur, minimum unum caſtellum efficiendum eſſe, cum in Urbem aqua fuerit perducta cum tribus immiſſariis, ſive receptaculis conjunctis caſtello, ut ex medio receptaculo in lacus & ſalientes publicos aqua per fiſtulas dividatur, ex altero in balneas, ex tertio in domos privatas. In hac ratione Vitruviana caſtellum eſt aquæ conceptaculum, quod aquam ſuſcipit ex rivo publico, & illam immittit in tria illa receptacula, de quibus ait Vitruvius, & ab his receptaculis demum per fiſtulas diſtribuebatur in Urbis loca publica privataque. Frontinus cum caſtella publica privataque nominat, ex quibus aqua erogatur per puncta, ea ſola intelligit, ex quibus aqua in privatas domos & hortos diſtribuebatur, ut contra publica dicebatur, quæ publico tantum uſui ſerviebat. Nam communia ſunt caſtella, ex quibus plures privati in commune ducerent aquam. Senatuſconſultum vetus: QVIBVS. LOCIS. INTRA. EXTRAQVE. VRBEM. APTE. CASTELLA. PRIVATI. FACERE. POSSENT. EX. QVIBVS. AQVAM. DVCERENT. QVAM. EX. CASTELLO. COMMVNI. ACCEPISSENT. Hæc ſunt Caſtella privata. Alia fuerunt publica, quæ tantum in uſus publicos aquam erogabant per fiſtulas appoſitas, quæ & ipſæ publicæ fiſtulæ appellatæ ſunt, ut contra privatæ dictæ, quæ ex privatis caſtellis aquam in privatorum domos ducebant. Ad neutrum genus referenda videntur eſſe iſta caſtella plumbea, de quibus habetur in leg. XVII. D. de actionibus empti, quæ cenſet ædium eſſe JConſultus his verbis: *Caſtella plumbea putealia, id eſt opercula puteorum, epitonia fiſtulis adplumbata, aut quæ terra continentur, quamvis non ſint adfixa, ædium eſſe conſtat.* Quæ ædium ſunt, non poſſunt videri publica, & quæ una cum ædium venditione comprehendi debent. At caſtella, de quibus diximus, publica fuere ædificia, ut ex Plinio conſtat, & quidem cultu magnifica. Illa etiam privata, id eſt, quæ privatis aquam dividebant, & multorum communia fuerunt, in publico erant poſita, nec ædium cujuſquam propria. Quænam igitur ſunt caſtella, quæ ædium eſſe JConſultus cenſet? Ex communi caſtello privati plures aquam ducebant, quæ per fiſtulas plumbeas in ſingulorum domos derivabantur. Ubi intra cujuſque venerat, excipiebatur ibi caſtello aliquo exiguo plumbeo, id eſt, receptaculo ex plumbo facto, ex quo per fiſtulas alias privatas in varios domus uſus diſtribuebatur, ut ad hortos irrigandos illius, cui aquæ ducendæ jus datum fuerat, aut ad lacum aliquem efficiendum, aut ad ſalientem. Hæ ſunt fiſtulæ, quæ cum caſtello ipſo ædium eſſe cenſentur, quaſque emtori acceſſuras dicit Juriſconſultus lege LXXVIII. D. de contrahenda emtione, ut & ipſum caſtellum. Hæ ſunt fiſtulæ, quas cum caſtellis conjunxit lex XLI. D. de leg. *Sed ſi cancelli ſint vel vela, legari poterunt, non tamen fiſtulæ, vel caſtella.* Ita ſunt ædium fiſtulæ & caſtella. Nam, ut dixi, privati, quibus jus aquæ ducendæ conceſſum fuerat ex caſtello communi & publico, eam accipiebant per fiſtulas communi caſtello affixas, & aquam ad domum eorum perducentes, quæ ibi excipiebatur alio caſtello, ac per alias fiſtulas illi caſtello adfixas ad varios uſus ædium diviſam erogabant.

Hæc caſtella ex plumbo facta erant, non autem illa publica, quæ aquas per Urbem dividebant. Tale plumbeum caſtellum eſt, de quo in lege XXXVIII. D. de actionibus emti. *Firmus a Proculo quæſiit, ſi de plumbeo caſtello fiſtulæ ſub terram miſſæ aquam ducerent in ahenum lateribus circumſtructum an hæ ædium eſſent*. Ex quibus liquet caſtellum iſtud plumbeum fuiſſe conceptaculum aquæ privatæ intra ædes concluſum, ex quo per fiſtulas ad diverſas ædium partes aqua deferebatur. Ideo plumbeum vocatur ad differentiam caſtellorum publicorum, quæ non erant ex plumbo. Falluntur Juris interpretes hujus ætatis, qui hæc caſtella non diſcreverunt a publicis, & omnia ex plumbo fuiſſe harum legum auctoritate probant. At cum caſtellum ſine adjectione dicitur, de publico & communi, ex quo plures aquam accipiunt, intelligendum. ut apud Ulpianum in lege II. D. Communia Prædiorum: *De aqua per rotam tollenda ex flumine vel haurienda, vel, ſi quis caſtello ſervitutem impoſuerit, quidam dubitaverunt, ne hæ ſervitutes non eſſent*. Quam legem male interpretatum eſſe maximum Cujacium palam eſt. Primo quod de flumine privato loqui Ulpianum non de publico putat, in quo fallitur. Deinde, quod caſtellum accipit, quo aquæ non perennis, ſed temporariæ haſtus datur. *Ipſo*, inquit, lib. III. Obſerv. c. 18. *jure non ceditur ex caſtello aquæ hauſtus, quia perpetuam cauſſam non habet. Caſtellaria autem aqua, quæ cauſſa ſervitutis eſt, cum manu & organis non naturaliter in caſtellum influat, perpetua, perennis, viva non eſt*. Ex quibus patet eum ignoraſſe quid eſſet caſtellum. De hauſtu aquæ per caſtellum quæ dicit Cujacius, ſunt nauci, & nulla nituntur ratione nullaque auctoritate. Nec locus Vitruvii, quem laudat, hoc decet. Tympanis vel rotis aqua ex fluviis publicis hauriebatur, quæ inde in caſtellum influebat conjunctum & ad hoc factum, id eſt, conceptaculum ad aquam, quæ cadebat ex rotis, excipiendam. Hinc deinde caſtello fiſtulæ vel canales appoſiti eam deducebant in fundos privatorum ad irrigationem agrorum. Hujuſmodi caſtellum intellexit Vitruvius lib. X. cap. 9. de organorum ad aquam hauriendam generibus. *Ita cum rota a calcantibus verſabatur, modioli pleni ad ſummum elati rurſus ad imum revertentes infudent in caſtellum ipſi per ſe, quod extulerunt*. Nec verum eſt, quod vult vir magnus, caſtella tantum ſervire aquæ temporariæ hauriendæ. Quæ probari non poſſe ſatis conſtat ex iis, quæ de caſtellorum uſu ſuperius diſputavimus. Caſtella æque uſum habent in aquis, quæ ex flumine publice hauriuntur, ad eam per fiſtulas aut canales ad quælibet loca deducendam, ac in perennibus, quæ ex rivo vel aquæ ductu publico veniunt. In lege autem modo laudata caſtellum de quolibet publicæ aquæ conceptaculo & dividiculo debet accipi, cui ſervitus imponi non poteſt, ut nec flumini publico ad aquam inde rota hauriendam. De flumine publico conſtat ex lege III. D. de ſervitutibus prædiorum. Ergo & caſtellum in hac lege de publico intelligendum eſt. Nec neceſſe eſt de eo intelligi, in quod cadit aqua ex flumine per rotam hauſta, ſed de eo potius capiendum eſt, ex quo plures privati aquam ducunt, quod commune dicitur in veteri Senatuſconſulto. Caſtella autem plumbea privatorum ſunt propria, ex quibus aquam ſibi commiſſam, & ad ædes ſuas perductam ad varios in domo uſus per fiſtulas diſtribuunt. De his exiſtimo accipienda eſſe verba veteris Senatuſconſulti: ANIMADVERTENTQVE. CVRATORES. AQVARVM. QVIBVS.

P R Æ F A T I O.

LOCIS. INTRA. ET. EXTRA. VRBEM. APTE. CASTELLA. PRIVATA. FACERE. POSSENT. EX. QVIBVS. AQVAM. DVCITENT. QVAM. EX. COMMVNI. CASTELLO. CONCEPISSENT. Vides cum privati plures ex caſtello communi aquam accepiſſent, ea deducitur in privata caſtella, quæ cujuſque propria ſunt. Sic tria genera ſunt caſtellorum, publica, quæ ad publicos uſus aquam dividunt, privata, quæ in privatorum domos eam diſtribuunt, & alia privata, quaſi domeſtica, cuique privato propria. Sed de his ſatis ad illuſtrandum argumentum de aquis & aquæ ductibus Romanorum, de quibus præcipue in his libris agitur. Pag. 1101. & multis aliis locis, Nardinus, ut & Donatus, aliique meminerunt Clivi Publici. ſed nullus fuit Clivus Publicus, ſed Publicius is clivus dicebatur. Quin Donatus ait Publicum ab aliis, ab aliis vero Publicium dici. Sed, mihi crede, nullus fuit Romæ Clivus, qui ſic præ ceteris diceretur, ſed Publicius qui a publiciis ædilibus, ut notarunt jam Viri docti, nomen traxit. *Publicum* invexit C. Sigonius ex corruptis Livii libris. Vide quæ Vir ſummus Joannes Fridericus Gronovius notavit ad Livium.

Recte Nardinus pag. CIϽ CCC XXIII notavit, ut alii dudum, ante fores Palatii lauros binas fuiſſe fixas, & inter illas querceam coronam, ut etiam in nummis Auguſti videre eſt. De his intelligendum exiſtimo Tertullianum in vexato loco in Apologetico c. XXXV: *Unde Caſſii, & Nigri & Albini, unde qui inter duas lauros obſident Cæſarem.* Hæc verba mire torquent interpretes. Sunt qui *diras*, alii qui *divas lauros* corrigunt, & alii de Pertinace intelligunt, alii de Commodo. Ego verba hæc refero ad tumultum militarem, quo Nerva in Palatio, atque ita intra duas lauros obſeſſus fuit a militibus cædem percuſſorum Domitiani poſcentibus. Plinius Panegyrico: *Magnum quidem illud ſeculo dedecus, magnum reipublicæ vulnus impreſſum eſt; Imperator & parens generis humani obſeſſus, captus, incluſus.* Vide Xiphilinum & Aurelium Victorem. Erat etiam in campo Martio locus, qui *inter duas lauros* vocabatur. Nam Valentinianum quidem in campo Martio fuiſſe cæſum Caſſiodorus & Marcellinus teſtantur. Chronicon autem Alexandrinum ſive paſchale inter duas lauros occiſum ait: Τούτῳ τῷ ἔτει ἐσφάγη Ουαλεντιανὸς αὔγουστος ἐν Ῥώμῃ μέσον δύο δαφνῶν. *Hoc anno Valentinianus Romæ inter duas lauros interemtus eſt.* Quin in via Latina & Lavicana eodem nomine fuerunt loca quædam ſic nuncupata. Martyrologium Romanum Baronii ad XI. Auguſti: *Romæ inter duas lauros Natalis S. Tiburtii, martyris, qui ſub judice Fabiano in perſecutione Diocletiani, &c. duci in tertium ab Urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur.* Venerabilis Beda: *Tertio Idus Auguſti Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii martyris*, & quæ ſequuntur. Martius Mileſius Sarazanius ad Damaſi carmen XII. putat legendum eſſe in his locis *ad duas lauras*, quia ſcripſerit Arnobius in lib. 3. Græcos vicos cognominare lauras. Sed quid Grecæ lauræ ad Romanas vias & Urbem? Peſſime quoque locum Tertulliani, quem modo vidimus, interpretatur de Commodo Imperatore, qui ut peſtilentiam vitaret, Lauretum ſeceſſerit, quod frigidior ea regio ſit, ſilviſque e lauro permultis opaca, a qua etiam regioni ſit nomen, ibique obſeſſum eum eſſe a Romanis Cleandrum ad necem poſcentibus. de quibus Herodianus lib. 1. Hiſt. Sed num laurea ſylva, aut laureatum, poteſt dici *duæ lauri*, aut *inter duas lauros?* Verum de illis locis, quibus hoc nomen impoſitum erat, vide

Antonium Bosium in Roma subterranea lib. III. Non pauca, quæ perperam Nardinus aliique in descriptione veteris Romæ describenda tradiderunt, invenies in Viri Nobilissimi & Doctissimi Raphaelis Fabretti tribus dissertationibus de aquis & aquæ ductibus Romanis notata & emendata. Hos vero Nardini commentarios de Vetere Roma ex Italica in linguam transtulit Latinam V. Cl. Jacobus Tollius, qui ex vivis excessit æstate superiore.


Accipis hic etiam animadversiones Viri politissimi Eliæ Boherelli, ad quem tot extant epistolæ Tanaquilli Fabri in secundo Criticarum epistolarum volumine, ad Nardini de Roma vetere commentarium, ad quem exegit omnia Urbis loca, cum illam perlustraret in itinere Italico, & perquam diligenter omnia rimaretur. Has observationes misit in epistola Viro doctissimo, & propter multa ingenii & animi singularia ornamenta mihi carissimo Paulo Baudrio, qui illas pro summa necessitudine, quæ inter nos intercedit, mecum communicavit. Pag. cIↃ c xxx. hujus editionis nostræ & pag. cIↃ ccc xxvi. quæ tradit Nardinus de antiqui horrei muris, & de tribus columnis, quæ sunt prope ædem S. Mariæ Liberatricis, earum frontem cum epistyliis obversam esse foro Romano, & Capitolio, atque carere epistyliis, qua spectant arcum Titi: ea negat Boherellus esse vera, cum e contrario facies illa columnarum nuda & sine epistyliis respiciat Capitolium. Id ait se consideraſse perquam attente plus simplici vice. Pag. cIↃ c LIII. cum scribit Nardinus grandem cloacam, de qua ibi agitur, incipere ab ædicula S. Stephani ad Tiberim, fallitur. Id ipsum tamen repetit Pag. cIↃ CLVI: *Ædem Vestæ*, inquit, *Blondus rotundam esse S. Stephani ædiculam existimat*, *quæ ad Tiberim est*, *non longe a schola Græca remota*, *deceptus forsan ædiculæ istius circulari forma*, *qua & Vestæ ædem fuisse Ovidius testatur* VI. *Fastorum*. Sed & sæpius alibi hujus ædiculæ rotundæ, quam S. Stephani appellat, meminit pag. cIↃ c xcvi. & cIↃ ccxxviii. Sed Nardinum falli testatur Boherellus. Affirmat enim istam ædiculam, quæ sita sit ad ripam Tiberis, e regione ruderum pontis Senatorii, hoc tempore dici *Santa Maria del Sole*. Addit se consuluiſse diversos homines, & detinuiſse illic transeuntes, cum ædem illam contemplaretur, ut ex illis cognosceret nomen illius ædiculæ. Ecclesiam illam rotundam S. Stephani eſse majorem & elegantiorem. Eam eſse in monte Cœlio prope Navicellam, & vineam Matthæorum de qua loquatur Nardinus Pag. cIↃ c. In eundem addit errorem incidiſse quoque auctorem libri Italici, *Roma Ricercata*, pag. 49. quod sibi ait mirum videri. Pag. cIↃ c xciv. disputat de titulo arcus marmorei dedicati Septimio Severo, & ejus matri, ac Caracallæ, in quo maxime suos oculos in se converterit vox LOCI, cui subscriptæ fuerint inter ipsos versus duæ aliæ QVI. INVEHENT. notat etiam eas eſse minoribus litteris, quam cetera illius tituli verba, sculptas, & hoc modo locatas:

HVIVS. LOCI. QVI. INVEHENT. DEVOTI

Pag. cIↃ c LXXVIII. Nardinus differit de arcu quadrifronte prope templum S. Georgii, & ait in singulo latere cavitates esse octo fictitias, &

quatuor veras. Sed ita ſe rem non habere Boherellus teſtatur, ſed hoc vere tantum dici de illo latere quod reſpicit circum maximum, qui nunc *Cerchi* vocetur, itidemque de latere oppoſito. Reliqua cava in aliis illius arcus lateribus, omnia eſſe vera, & ſic comparata, ut ſtatuæ in iis poſſint locari.

Pag. cIↄ cc xliv. ad iſta verba Nardini: *Alterius roſtratæ in Capitolio mentio fit apud Livium*, hæc annotavit Boherellus: Vidi ipſe quoque unam de his columnis inſertam muro Palatii Conſervatorum in Capitolio ad imam ſcalam a ſiniſtra in introitu, cum inſcriptione in ejus baſi, ſed valde mutilam, & imperfectam. Eſt illa columna Duiliana, qua de mecum egit Tanaquillus Faber in epiſtola triceſima ſecunda libri II. epiſtolarum, ubi & mihi commendat aliam inſcriptionem, quæ eodem fere tempore fuit dedicata. Gaſſendus loquitur de utraque in vita Peireſcii ad annum cIↄ dc xvi. Subjicit deinde inſcriptionem, quam accurate cum ipſo lapide contulit. Illam hic vides ut in fracto marmore conſpicitur, tam in exteriore lapide, quam interius, ubi verba tali nota ‡ circumſcripta non ſunt antiquiſſimis illis litteris, quibus cetera inſcriptionis verba, conſignata, ſed aliis minoribus, quæ poſtea ſunt additæ. Vide inferius Ciacconii diſſertationem pag. 1110. Sed hæ notæ novarum litterarum indices ibi non comparent, & pro lineolis, quæ ſingulis verbis hic adduntur, ibi ſunt puncta.



Ad Pag. cIↄ ccc xxxvi. & cIↄ ccc lxxiii. obſervavit Boherellus de Junonis Soſpitæ templo, ſe nondum videre, qua ratione Nardinus Ovi-

dii locum ex II. Faſt. v. 56. explicet de templo Junonis Soſpitæ, quod conditum fuerit in foro Olitorio. Ovidium non loqui niſi de templo Junonis Soſpitæ, quod olim ſitum fuerit prope templum Cybeles, hoc eſt, in monte Palatino, ſed addere, ne veſtigia quidem illius templi ſuperfuiſſe ſuo tempore. Ovidium non dicere Auguſtum aliud illius Deæ templum excitaſſe, quod & recte notarit interpres Ovidii Antonius Conſtantius, Ovidium autem id tantum dicere, Auguſtum providiſſe, ne tale aliquid aliis quoque Deorum templis accideret. Præterea duo illa loca T. Livii, quorum unus legatur lib. XXXII. c. 30. alter lib. XXXIV. c. 53. ſibi adverſari. In primo narrari Conſulem Cornelium in prælio contra Gallos voviſſe templum Junoni Soſpitæ; in altero vero, templum conditum eſſe Junoni Matutæ in foro Olitorio, quod quadriennio ante voviſſet Cornelius Conſul. Sic patere, alterutrum horum locorum eſſe corrigendum. Sigonium in utroque loco legere *Junoni Soſpitæ*. Sed quia conſtet hujus Deæ templum fuiſſe in monte Palatino, non vero conſtet præter hoc aliud ei Deæ fuiſſe templum, quia Rufus & Victor, cum recenſent ædificia undecimæ Regionis, ubi fuerit forum Olitorium, commemorare ſolum templum *Matutæ*, nullam vero facere mentionem templi *Junonis Soſpitæ*, aut *Junonis Matutæ* vero ſimillimum eſſe, nihil vitii hærere in ultimo loco Livii. *Una Junonis Matutæ in foro Olitorio vota locataque quadriennio ante a Cajo Cornelio Coſ. Gallico bello:* Sed vitioſum eſſe primum locum, & legendum: *Conſul principio pugnæ vovit ædem Matutæ Junoni*.

Pag. CIↃ CCC LXXXI *Hic præſertim illius, qui recentiorem Victorem nobis ita pulchre exornavit*, inquit Nardinus. Sed Boherellus vidit lapſum eſſe memoriæ Nardini, & pro *Victorem* ſcribendum *Rufum*. vide pag. IↃ CCC XC.

Pag. CIↃ CCC LXXXVI *Per manus reſte data*. Recte, inquit Boherellus; ſic legitur, in hoc loco Livii, qui eſt in libro XXVII. c. 37. non *veſte data*, ut laudatur ſuperius a Nardino lib. V. c. 5. p. CIↃ CL. Terentius in Adelphis: *Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis*.

Poſt Nardinum habes Octavii Falconerii, Viri generis ſplendore, dignitate & elegantia ingenii præſtantiſſimi, & mihi cum ſupereſſet, conjunctiſſimi, ut nulla unquam dies apud me ſit oblitterata ejus memoriam & deſiderium, duas pereruditas diſſertationes de Pyramide Ceſtii, & latere ex ædificii veteris ruderibus eruto. Quam excipit de magnitudine Romæ veteris diatribe τοῦ πάνυ Iſaaci Voſſii, de quo præſtat tacere, quam pauca dicere, (Cui enim Voſſiani nominis & eruditionis fama ignota eſt, niſi hoſpiti in litterarum ſtudiis?) de antiqua Urbis magnitudine, cujus quamvis paradoxa in hoc argumento mihi non probentur, digniſſima tamen eſt, ut cetera omnia ejus ſcripta, quæ in manibus doctorum verſentur. Sequitur Olai Borrichii, eruditiſſimi Danorum noſtri temporis Viri, qui ante paucos annos deceſſit, relicto ſplendido ſatis collegio, quod ſuis impenſis excitavit in patria, in quo alerentur ſtudioſi præſtantiſſimarum artium, & inſtructiſſima tam editis quam manu exaratis libris bibliotheca, diſputatio de antiqua Urbis facie, quam inprimis, ſi aut ponderoſiorum voluminum Donati & Nardini lectionem, ut ſunt plerique delicatuli, gravantur, aut quæ legerunt apud illos tanquam in parva tabella conſpicere, & admoneri voluerint, commendo legendam, qui Romam ex his terris contendunt, ut quæ

ibi præcipue videnda & cognoſcenda ſibi eſſe norint, ne in Reginam Urbium delati, tanquam in obſcura & ignota ſylva ſine ullo fructu oberrent. Inter ſplendidiſſima Romæ antiquæ opera fuerunt aquæ ductus. Hinc ſubjeci Frontini de aquæ ductibus libellum multis bonis rebus, inprimis Senatuſconſultis & legibus antiquiſſimis refertum, cum Roberi Keuchenii notis, cujus nomen librarii in fronte libri negligenter omiſerunt, ſine quo nec Fabrettus, nec alii, qui de Romanis rebus commentati ſunt, intelligi poſſunt. Tanto vero lubentius Frontinum recudi juſſi, quod in paucorum manibus eſſet extra has oras, & a multis in Italia deſiderari eum acceperim. Vides quam pulchre ſequatur Raphaelis Fabretti Viri Ampliſſimi, qui cum maxime Romam ingenii fama illuſtrat, & de quo plura reſp. litteraria indies ſibi promittit, in primis ineditarum inſcriptionum volumen, cum ejus commentariis, quod expectamus cupidiſſime, tres de aquis & aquæ ductibus Veteris Romæ diſſertationes. Huic annectitur Joannis Chifletii Canonici Tornacenſis de perelegante vetere annulari gemma, in qua Aqua Virgo exprimitur, libellus nec indoctus nec illepidus. His accedunt quædam varii argumenti, ut Lucæ Holſtenii commentarioli in veterem picturam, quæ Nympheum refert; de pila Staſſilari, de milliario aureo: Columna Roſtrata a Petro Ciacconio, alia antiqua inſcriptio quæ L. Scipioni Barbati F. dicata fuerat, illuſtrata ab anonymo, qui tamen eſt Jacobus Sirmondus; Joſephi Caſtalionis de Pacis templo, de Inſcriptione Obeliſci Auguſti, de columna triumphali Imperatoris Antonini, nec non Petri Angeli Bargæi de ædificiorum Urbis Romæ everſoribus, ut & de obeliſco opuſcula, variæ doctrinæ plena, & lectu digniſſima. Fuerunt Viri hi ſuæ quiſque ætatis ingenii & doctrinæ præſtantia in primis clari & illuſtres; Pleraque vero hæc opuſcula non tantum bonitate, ſed & raritate commendantur. In paucorum enim manibus & bibliothecis viſuntur. His omnibus accedunt fragmenta veſtigii Veteris Romæ ex lapidibus Farneſianis eruta & ſtudio Joannis Petri Bellorii edita cum ejus obſervationibus. Ex quibus lux affulget multis obſcuris locis, de ſitu Priſcæ Urbis. Debebat id opuſculum primo loco non modo in hoc, ſed & in præcedente tomo collocari ante Marlianum & Donatum, ſed ſero ad nos pervenit. Hinc ſatius duximus hunc commentarium Bellorii ceteris ſubjungere, quam plane lectorem egregii opuſculi lectione defraudare.

Subjecimus tabulam Topographicam Romæ novæ Falde ſine qua vetus & multa loca in Marliano, Donato, Nardino, & Fabritio difficulter poterant intelligi. In ea tamen omiſsæ privatorum ædes, templa vero, palatia & ædificia publica omnia in illa videbis, ut deſcribuntur in magna & exacte deformata tabula Faldæ duodecim foliorum. Italica nomina in Latinam linguam ſunt verſa. Privatorum ædes nihil faciebant ad noſtrum inſtitutum; ne dicam, numeros quadringentorum ſexaginta quinque ædificiorum, quæ in noſtra ſunt, in grandiore illa mappa difficillime reperiri poſse in tanta turba minorum ædium. In reliquis diligentiſſime illam expreſſimus. Hæc omnia ſequuntur tandem quindecim tabulæ locorum & ædificiorum tam veteris quam novæ Romæ, quæ concinnatæ ſunt ſtudio Livini Cruylii, Presbyteri Gandavenſis, qui ceteros omnes, qui in hoc genere ſuam locarunt operam, anteiit longe. Illas cum noſtris typographis commu-

nicavit Vir Ampliſſimus, Conradus Ruyſch, Urbis Lugdunenſis Batavorum Conſul graviſſimus, qui eas Roma in has terras detulit. Hinc merito illas Viro Illuſtri, cui acceptas referunt, grati animi monumentum dedicarunt. Propter quam cauſſam paullo ante diximus, nos in calce poſuiſſe Veteris Romæ veſtigia, propter eandem etiam illis ſubjunximus veteris Latii elegantiſſimam & ceteris emendatiorem mappam, quam, cum hoc ſcriberemus procemium, ex Italia ſecum apportavit, & mihi miſit Vir Ampliſſimus, & mihi peramicus, Henricus Copeſius, Senator Sylvæducenſis. Vale, lector; & fruere his deliciis.



SCRIPTORES

Qui in quarto tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

F*Amiani Nardini Roma Vetus. Libri* VIII *ex Italica in Latinam linguam translati a Jacobo Tollio.* *pag.*877.

Octavii Falconerii de Pyramide C. *Cestii Epulonis dissertatio.* 1461.

——— *ad Carolum Datum, V. Cl. Epistola de latere ex ædificii Veteris ruderibus eruto, quum paries ad instaurandum Panthei porticum* A. cIↄ c LXI. *dirueretur.* 1483.

Isaaci Vossii de antiqua urbis Romæ magnitudine. 1497.

Olai Borichii de antiqua Urbis Romæ facie dissertatio compendiaria. 1517.

Sextii Julii Frontini de Aquæductibus urbis Romæ commentarius. 1625.

Raphaelis Fabretti, de Aquis & aquæductibus Veteris Romæ dissertationes. 1677.

Joannis Chifletii aqua virgo, fons Romæ celeberrimus, & Prisca Religione Sacer. Opus Ædilitatis M. Agrippæ in vetere annulari Gemma. 1779.

Lucæ Holstenii Commentariolus in veterem picturam Nymphæum referentem. 1797.

Petri Ciacconii in Columnæ Rostratæ inscriptionem a se conjectura suppletam, Explicatio. 1807.

Antiquæ Inscriptionis, qua L. Scipionis Barbati F. expressum est elogium, Explanatio. 1832.

Josephus Castalio de Templo Pacis, atque ex occasione de Jani Gemini Templo, bellique portis. 1843.

Josephi Castalionis J. C. Explicatio ad Inscriptionem Augusti, quæ in basi est Obelisci statuti per S. D. N. Sixtum V. Pont. Opt. Max. ante portam Flaminiam, alias Populi. 1858.

Petri Angeli Bargæi de privatorum publicorumque Ædificiorum urbis Romæ Eversoribus, Epistola. 1867.

——— *Commentarius de Obelisco.* 1893.

Josephi Castalionis de Columna Triumphali Imp. Antonini Commentarius. 1937.

Fragmenta Vestigii Veteris Romæ, ex Lapidibus Farnesianis nunc primum in lucem edita cum notis Jo. Petri Bellorii. 1955.

Livinii Cruylii descriptio faciei variorum locorum, quam prospectum vocant, Urbis Romæ, tam antiquæ quam novæ, in XV. *Tabulis aeri incisa.* †

DE-


NOVISSIMA ET ACCURATISSIMA ROMÆ VETERIS ET NOVÆ TABULA TOPOGRAPHICA DELINEATORE IOANNE BAPTISTA FALDA
ET ORATORIORUM ET CONFRA-
TERNITATUM UT SUIS QUÆQUE
SUNT
INDEX ECCLESIARUM
TISS: DOMINOR.

Deſcriptio faciei variorum locorum,
quam proſpectum vocant,

URBIS ROMÆ

TAM ANTIQUÆ QUAM NOVÆ

Deformatæ ab incomparabili in hac arte viro

LIVINO CRUYLIO

Presbytero Gandavenſi.

Ex Cimeliotheca Illuſtriſſimi & Ampliſſimi Viri

CONRADI RUYSCH

URBIS LUGDUNO-BATAVÆ QUARTUM NUPER COS. EJUSQUE CIVITATIS NOMINE IN SUPREMUM

FOEDERATORUM ORDD. CONSILIUM DELEGATI,

Quas deſcriptiones ſuis ſumtibus ſibi Romæ comparavit
& pro ſua ſingulari benignitate cum Antiquitatum ſtudioſis communicavit

HÆC PRÆCLARA URBIS MONUMENTA

VIRO ILLUSTRISSIMO, A QUO SUNT PROFECTA,

D. D. D. L. M. C.

Ejus clientes

FRANCISCUS HALMA & PETRUS VANDER AA.

TYPOGRAPHI
LECTORI.



Ulti equidem diverſis temporibus exſtiterunt, qui in deſcribenda facie multorum locorum , & iis, quæ ſuperſunt , fragmentis antiquitatum Urbis Romæ artificioſe delineandis & in lucem edendis elaborarunt: Attamen nemini horum conatus iſte felicius ceſſit , quam celeberrimo Livino Crylio , cujus tabellas quindecim , in quibus varia Urbis Romæ loca lineis elegantiſſime deformavit, digniſſimas putavimus, quas cum artis hujus amatoribus communicaremus. Quanta in iis deſcribendis cura , quantumque judicium adhibitum ſit, ex eo quiſque exiſtimare facile poteſt , quod affirmare non vereamur, omnia in iis ad vivum verique ſimilitudinem accurate eſſe expreſſa, & ne minimam quidem rem, feneſtram puta vel caminum, artificis diligentiam effugiſſe. Quare quiſquis paulo attentius tabellas haſce inſpicere voluerit , diſtincte ſatis totius Romæ hodiernæ ſitum, præcipuorumque in ea ædificiorum faciem animo concipere poterit. Hæc cauſa eſt, cur pergratum omnibus Theſauri noſtri emptoribus facturos nos eſſe exiſtimaverimus , ſi præclaras haſce elegantiſſimaſque tabellas loco huic insereremus, ut toti inde operi decus quoddam atque ornamentum accederet. Monendus hic vero es, Lector benevole, tabellas has ita eſſe diſpoſitas , ut conferendæ ſint cum tabula Topographica Urbis Romæ, a Falda deſcripta , quam , licet nonnullis in locis mutatam , hic quoque inſeruimus , quo appareat, verſus quam Urbis partem vel regionem illæ deſcriptiones directæ ſint . Prima ergo tabella exhibet faciem *portæ populi* , quam in modo dicta tabula Topographica numerus 305. deſignat : Unde initio ducto reliquæ deinceps tabellæ , ſervato ordine tabulæ iſtius topographicæ , totum Urbis Romæ ambitum percurrunt , quarum ultima denique Baſilicæ S. Petri faciem interiorem, cum omnibus ejus ornamentis , repræſentat . Singulis hiſce tabellis adjecta eſt brevis quædam locorum ædificiorumque explicatio , qua Lector etiam docetur , ubi copioſius omnium iſtorum ſitus & ratio apud Marlianum , Panvinium , Pancirollum, Fabricium, Donatum , alioſque qui de Roma antiqua & nova egerunt , & tertia vel quarta Theſauri noſtri parte continentur , inveniri queat. Cæterum ſciendum eſt, formas illas, quæ in parte inferiori tabellarum noſtrarum cernuntur, non eſſe a Livino Crylio profectas, additas tamen ideo, ut tabellarum proportioni, ut loquuntur, eo magis conſuleretur, quoniam ſecus ſi factum fuiſſet, latitudinis earum ratio menſuram altitudinis exceſſiſſet. Hæc ſunt, Lector benevole, quæ te monere voluimus. Quod ſi curam eam & operam, quam in hiſce edendis collocavimus, tibi haud ingratam fuiſſe intellexerimus, eventum voto noſtro præclare reſpondiſſe ſcias.

VALE.

Index quo Tabularum numeri ad Cartæ Topographicæ numeros referuntur; quo etiam, ſi quæ occurrant, variorum iſtus operis ſcriptorum loca deſignantur, in quibus de locis, quæ in Tabulis conſpiciuntur, verba fiunt.

TABULA I.

1. Porta populi. Cart. Topogr. num.305. Fabricius pag.404. E Nardin.922. D E &c. 929. E 944. D
2. S. Maria populi. Cart. Topogr. num.305. Nardinus 925. E
3. S. Maria Miraculorum. Cart. Topogr. num.158.
4. S. Maria Montis Sancti. Carta Topogr. num.163.
5. S. Ambroſius. Cart. Topogr. num.5.
6. Pantheon ſive S. Maria della Rotonda. Cart. Topogr. num.177. Donatus pag. 156. B Nardin. 1267. B C Borrichius 1578. F 1579. F 1624. B
7. Capitolium Cart. Topogr. num.100. Donatus 853. B Nardin. 900. D
8. S. Trinitatis in platea S. Trinitatis de Monte. Donatus 840. B Nardin. 923. B
9. Horti Medicæi Cart. Topogr. num.411. Nardin.923. B
10. Fons ſaliens ſupra aream portæ populi infra obeliſcum.
11. Via Babuini qua ab æde S. Athanaſii ad portam populi proſpicitur.


TABULA II.

Exhibet Plateam S. Trinitatis ſive Hiſpanorum.

1. Palatium Legati Hiſpanici. Cart. Topogr. num.339.
2. S. Trinitas in Monte Pincio. Cart. Topogr.329. Donat.840. B Borrich.1525. E
3. Horti Medicæi. Cart. Topogr. 411. Borrich. 1624. A Nardin.923. B
4. S. Maria populi. Cart. Topogr. num.305.
5. Porta populi. Cart. Topogr. num.305. Fabricius 404. E
6. S. Maria Montis. Cart. Topogr. num.163.
7. S. Maria Miraculorum. Cart. Topogr. num.158.
8. S. Jacobus inſanabilium. Cart. Topogr. num.84. Donat.861. C
9. S. Carolus in Curſu, olim Via Flaminia. Cart. Topogr. num. 48. Donat.868. C
10. Pars Horti Vaticani dicti Belvedere. Cart. Topogr. num. 6. Borrichius 1612. B 1611. C Octav. Falconer. 1487. F.
11. Fons Saliens in area *Trinitatis in monte* in regione Campi Martii.
12. Area populi ornata a Papa Alexandro VII.



Prospectus Portæ Flaminiæ et magnæ partis Romæ Vulgo Porta del Popolo





FONS SALIENS SVPRA PORTAM POPVLI INFRA OBELISCVM.


VIA BABVINI QVA AB ÆDE S. ATHANASII AD PORTAM POPVLI PROSPICITVR.



PROSPECTVS PALATII ORATORIS HISPANIARVM ET FORI HISPANICI vulgo *Piazza di Spagna*.



FONS SALIENS IN AREA TRINITATIS IN REGIONE CAMPI MARTII.



AREA POPVLI ORNATA A PONTIF. ALEXANDRO VII.

Pietro Monaco sculp.

PROSPECTUS COLOSSAEI SIVE AMPHITHEATRI TITI IMPER ARCUS CONSTANTINI LOCORUMQ ADIACENTIUM



ALTER PROSPECTUS ARCVS CONSTANTINI



INTERIOR COLOSSAEI FACIES

Monico

Tab. 4

PROSPECTVS BASILICÆ S MARIÆ MAJORIS, RESTAVRATÆ A CLEMENTE DECIMO P M LOCORVMQVE ADIACENTIVM.




FONS IN AREA [illegible] S MARIÆ MAJORIS



FONS IN AREA S IOHANNIS LATERANENSIS, INFRA OBELISCVM.

Tab. 3

Pie. Monaco S. PROSPECTVS PALATII PAPALIS IN MONTE QVIRINALI VVLGO *MONTE CAVALLO*



FONS SALIENS IN AREA PALATII PONTIFICII IN MONTE CABALINO.



TEMPLVM S. VINCENTII ET ATHANASII AD FONTEM TRIVII PATRVM RELIGIOSORVM S. HIERONYMI.

TABULA III.

1. PAlatium Pontificum. Cart. Topogr. num. 437. Donat. 841. C Nardinus. 953. B
2. Palatium Barberinorum. Cart. Topogr. num. 348. Nardin. 953. C Borrich. 1623. B
3. Templum S. Andreæ. Cart. Topogr. num. 6.
4. — S. Sacramenti. Cart. Geogr. num. 236.
5. Porta Viminalis quæ & Pia dicitur. Marlianus 71. B Donatus 537. E F Nardinus. 930. E F
6. Fons ſaliens in area Palatii Pontificii in Monte Caballino.
7. Eccleſia S. Vincentii & Anaſtaſii ad fontem Trevium Patrum Religioſorum S. Hieronymi. Borrich. 1617. E

TABULA IV.

1. S Maria Major. Cart. Topogr. num. 157. Nardin. 955. C Borrich. 1548. C 1623. B
2. Palatium Pontificum. Cart. Topogr. num. 435. Borrich. 1623. B
3. Baſilica Lateranenſis. Cart. Topogr. 435. Donat. 711. C
4. Columna marmorea, olim Templi Pacis ornamentum. Donat. 865. C Nardinus. 1031. A
5. Fons in area Baſilicæ S. Mariæ Majoris.
6. Fons in area S. Johannis Lateranenſis infra obeliſcum.

TABULA V.

1. COloſſeum. Marlian. 147. D Nardin. 1037. C Borrich. 1535. D
2. Arcus Conſtantini. Donat. 681. C 683. A Nardin. 1346. CD
3. Baſilica Lateranenſis. Cart. Topogr. 435. Donat. 711. C
4. Templum Solis. Fabr. 421. E F Nardin. 1035. D
5. Meta Sudans. Pancirol. 338. D Marlian. 147. C Panvin. 289. A Donat. 685. B Nardin. 1042. B C Borrich. 1540. A
6. Interior Coloſſei facies.
7. Alia facies arcus Conſtantini.

TABULA VI.

1. FOrum Romanum, ſive Boarium. Pancirol. 380. E Fabr. 418. B Nardin. 1194. C D
2. Arcus Septimii Severi. Marl. 103. E 119. E Panv. 289. E Donat. 629. A Nardin. 1160. E
3. Templum S. Lucæ & Martinæ. Cart. Topogr. 107. Marlian. 175. C
4. Templum S. Adriani. Tab. Topogr. 267. Donat. 622. A Nardin. 1180. B
5. Templum Antonini & Fauſtinæ, nunc Laurentii. Cart. Topogr. num. 24. Donat. 749. A C Nardin. 1027. D
6. Templum SS. Coſmi & Damiani. Cart. Topogr. num. 60. Pancirol. 355. E Donat. 868. F Nardin. 950. A Borrich. 1538. B
7. Templum Pacis. Donat. 665. C Nardin. 1030. F
8. Templum S. Franciſcæ Romanæ. Cart. Topogr. 75.
9. Arcus Titi. Donat. 666. A Nardin. 1042. E Borrich. 1540. C 1624. B
10. Coloſſeum. Marlian. 147. D
11. Palatium Pontificium. Cart. Topogr. num. 435.
12. S. Maria Major. Cart. Topogr. num. 157. Nardin. 955. C
13. Horti Farneſiani. Donat. 867. E
14. Templum S. Mariæ Liberatricis. Cart. Topogr. num. 155. Nardinus. 864. B F 898. B
15. Templum Romuli & Remi. Cart. Topogr. num. 255. Fabr. 425. B Nardin. 1095. A
16. Eccleſia dedicata S. Lucæ Evangeliſtæ, & S. Martinæ, & S. Mariæ, ubi fuit antiquum templum Martis in Campo Vaccino.
17. Eccleſia S. Mariæ Novæ & S. Franciſcæ Romanæ in Campo Vaccino, in qua officio ſuo funguntur monachi montis Oliveti. Nardin. 897. F

TABULA VII.

1. CApitolium. Donat. 571. E Nardin. 900. D 1224. A B
2. Ara cœli. Cart. Topogr. num. 100. Nardin. 916. E 950. D
3. Statua M. Aurelii.
4. Tropæa Marii. Marl. 151. D Donat. 706. E Borrich. 1545. A
5. Coloſſeum. Marlian. 147. D Nardin. 1037. C
6. Sancta Maria Major. Cart. Topogr. num. 157. Nardin. 955. C
7. Fons in area Sanctorum mutorum infra Capitolium.
8. Fons ſupra aream Capitolii, qui eſt ornamento ſcalis palatii Senatorii Romæ.

Tab. 5

PROSPECTVS FORI ROMANI AEDIFICIORVM ANTIQVORVM RVINIS CELEBERRIMI VVLGO CAMPO VACCINO



TEMPLVM DEDICATVM S. LVCÆ EVANGELISTÆ MARTINÆ ET S. MARIÆ



TEMPLVM S. MARIÆ NOVÆ ET S. FRANCISCÆ ROMANÆ IN *Campo vaccino*


Pie. Monico sculp.

Tab. 7

PROSPECTVS CAPITOLII ROMANI ET TEMPLI ARÆ COELI CONVENTVS FRATRVM MINORVM etc.



FONS IN AREA SANCTORVM MVTORVM CAPITOLINVM.




FONS SVPRA AREAM CAPITOLII QVI EST ORNAMENTO GRADIBVS PALATII SENATORII ROMÆ.

Pietro Monaco sculp.

Tab. 10

PROSPECTVS PALATII FARNESII IN HABITATI AB ORATORE REGIS GALLIÆ LOCORVMQVE ADIACENTIVM.



FONS SALIENS SVPER PLATEAM FARNESIANAM S DVCIS PARMENSIS IN REGIONE ARENVLÆ



FONS SALIENS ET CASTELLVM AQVÆ PAVLÆ AD S PETRI MONTORII SVPRA IANICVLVM.

Petr. Mo... S.

PROSPECTUS PONTIS SIXTI IV LOCORVMQ ADIACENTIVM.



AREA TEMPLVM ET ORATORIVM S. MARIÆ
IN VALLE PARVO DICTVM TEMPLVM NOVVM



FONS SALIENS IN PONTE SIXTI IN CAPITE VIÆ IVLIÆ
IN REGIONE ARENVLÆ.

Tab. 5

PROSPECTVS PONTIS S·MARIÆ OLIM SENATORII VVLGO PONTE ROTTO ET INSVLÆ TIBERINÆ NVNC S·BARTHOLOMÆI MAGNÆQVE PARTIS URBIS ROMÆ





TEMPLVM S·MARIÆ, DICTVM SOLIS

AREA S. MARIÆ TRANSTIBERINÆ, DILATATA
A PONTIF. ALEXANDRO VII

[illegible] Monaco sculp.

TABULA VIII.

1. POns Senatorius. Cart. Topogr. num. 65. Marlian. 182. C Fabr. 453. E
2. Templum Vestæ. Cart. Topogr. num.254. Pancirol. 355. F Nardin. 1156. A B 1157. B Borrich. 1566. C
3. S. Maria Ægyptiaca. Carta Topogr. num.140. Marl 122. E Nardin. 1197. C 1367. C D Borrich. 1594. F
4. Insula S. Bartholomæi. Marlian. 183. B C D E
5. Pons Fabritius. Marlian.185. C Donat.781. D Nardin. 1443. B
6. Pons Cœlius, lege Cœstius. Marlian.185. C Donat. 781. D Nardin. 1444. B
7. Templum S. Petri. Cart. Topogr. num.104. Donat. 839. B 843. C
8. Pons Janiculensis, sive Sixti V. Marl.185. F Donat. Col. 781. F Nardin.1446. A
9. Pantheon. Cart. Topogr. num.117. Donat.756. B Nardin. 1267. B
10. Area S. Mariæ Transtiberinæ dilatata a Papa Alexandro VII.

TABULA IX.

1. POns Janiculensis, sive Sixti V. Marl.185. F Fabr.453. C Donat. 781. F Nardin. 1446. A
2. Xenodochium S. Francisci. Cart. Topogr. num.10. Donat.861. F
3. Templum S. Trinitatis. Cart. Topogr. num.260. Donat.840. B
4. Palatium Farnesianum. Cart. Topogr. num.60. Donat.845. D
5. Castrum S. Angeli, vel Sepulcrum Hadriani. Fabr.463. F Panv.312. E Borrich.1611. F
6. Templum S. Petri. Cart. Topogr. num.104. Donat. 839. B 843. C
7. Palatium Reginæ Suecorum.
8. — Chigium. Cart. Topogr. num.400.
9. Fons saliens in Ponte Sixti in capite viæ Juliæ in regione Regolæ.
10. Area, Ecclesia & Oratorium S. Mariæ Vallicellensis, dicta Ecclesia nova.

TABULA X.

1. PAlatium Farnesianum. Cart. Topogr. num.60. Donat.845. D
2. Templum S. Petri in Janiculo. Cart. Topogr.104. Donat. 839. B 843. C
3. Fons aquæ Paulæ. Donat. 865. D Nardin.1456. A
4. Fons saliens & castellum aquæ Paulæ ad S. Petri Montorii supra Janiculum.
5. Fons saliens supra aream Farnesianam Serenissimi Ducis Parmensis in regione Regolæ.

TABULA XI.

1. PAntheon, vel Maria Rotunda. Cart. Topogr. num. 177. Donatus. 756. B Nardin. 1267. B
2. Forum Piſcatorium, vulgo Piazza Rotunda. Cart. Topogr. num. 177. Marlianus. 122. D Fabric. 418. C Donat. 645. D
3. Capitolium. Donatus. 511. E
4. Ara cœli. Cart. Topogr. num. 100. Nardin. 916. E 950. D
5. Fons ſaliens in area Rotundæ & regione Columnæ.
6. Facies areæ S. Mariæ Minervæ.

TABULA XII.


1. PLatea agonis.
2. Templum S. Agnetis. Cart. Topogr. num. 3. Donat. 521. A Nardin. 1084. C
3. Templum S. Petri in Janiculo. Cart. Topogr. num. 104. Donat. 839. B 843. C
4. Fons aquæ Paulæ. Donat. 865. D
5. Palatium Pamphilium. Cart. Topogr. num. 428. Borrich. 1623. B
6. Fons ſaliens in area Navona ante Palatium Excellentiſſimi Domini Principis Pamphilii.
7. Eccleſia dedicata S. Petro Apoſtolo Montorio ſupra Janiculum patrum Reformatorum S. Franciſci. Nardin. 943. A

TABULA XIII.

1. CAſtellum S. Angeli. Marlian. 191. B Fabr. 463. F Panv. 312. E Nardin. 1424. D Borrich. 1611. F
2. Pars Horti Vaticani dicti Belveder. Cart. Topogr. num. 6. Borrich. 1624. A
3. Palatium Vaticanum. Cart. Topogr. num. 436. Donat. 861. E 868. E Borrich. 1623. B
4. Baſilica S. Petri. Cart. Topogr. num. 217. Donat. 800. B 570. E 865. D
5. Pons Ælius, vulgo Pons S. Angeli. Fabr. 453. B Donat. 782. A Nardin. 1445. E Borrich. 1616. D
6. Latus Baſilicæ Vaticanæ & ejus facies ſplendidiſſima cum pomo cacuminis, ſecundum delineationem Michaelis Angeli Bonarotæ.
7. Archinoſocomium Apoſtolicum S. Spiritus in Saſſia.

TABULA

CONSPECTVS TEMPLI S. MARIÆ VVLGO ROTVNDÆ QVOD OLIM T. JOVIS VLTORIS SIVE PANTHEON M. AGRIPPÆ.



FONS SALIENS IN AREA PANTHEI ET REGIONE COLVMNÆ.




PROSPECTVS AREÆ S. MARIÆ SVPRA MINERVAM.

Tab. 73

PROSPECTVS TEMPLI S. AGNETIS ET OBELISCI PAMPHILII IN FORO AGONALI VVLGO *PIAZZA NAVONA*.



FONS SALIENS IN AREA NAVONÆ, ANTE PALATIVM PRINCIPIS PAMPHILII



TEMPLVM DEDICATVM S. PIETRO APOSTOLO MONTIS AVREI.

Pietro Monaco sculp.


Tab. 13.



Prospectus Castelli Sancti Angeli sive molis Hadriani et Locorum vicinorum




ARCHINOSOCOMIVM APOSTOLICVM S. SPIRITVS.




LATVS BASILICÆ VATICANÆ ET EJVS PROSPECTVS.

Pietro Monaco sculp.



PROSPECTVS
INTERIOR
BASILICÆ
D PETRI
IN VATI-
CANO
LIVINVS CRVYL
GAND ROMÆ FEC
CVM PRIVILE
HOLL: ET
WEST
FRIS

Tab. 10

[illegible] BASILICÆ D. PETRI PORTICVS AB ALEXANDRO VII EXTRVCTÆ PALATII PONTIFICII LOCORVMQVE ADIACENTIVM IN VATICANO



FONTES GEMINI AD LATERA OBELISCI IN AREA ET PORTICIBVS BASILICÆ VATICANÆ.



FONS SALIENS IN MAJORE AVLÆ PALATII VATICANI DICTA *Pulcher[illegible]*.

TABULA XIV.

1. BAsilica, sive Templum S. Petri in Vaticano. Cart. Topogr. num. 217. Donat 800. B 570. E 865. D Borrich. 1614. B
2. Area S. Petri.
3. Palatium Vaticanum. Cart. Topogr. num. 436. Donat. 861. E 868. E Borrich. 1623. B
4. Pars Horti Vaticani, dicti Belvedere. Cart. Topogr. num. 6. Borrich. 1624. A
5. S. Inquisitionis ædes. Cart. Topogr. num. 425.
6. Palatium Cæsium. Cart. Topogr. num. 372. Marlian. 139. A
7. Porta Caballorum levium.
8. Porticus Alexandri VI. a Vaticano usque ad Castellum. Donat. 839. F
9. Fons Saliens duplex ad latera Obelisci in area & porticibus Basilicæ Vaticanæ.
10. Fons Saliens in majore aula Palatii Vaticani, dicta *Pulcher visus*.

TABULA XV.

1. TEmpli S. Petri pars interior cum suis ornamentis.
2. Sepulchrum S. Petri & Pauli. Donat. 850. A
3. Tabernaculum æneum ex tegumento Panthei conflatum.

FINIS.

FAMIANI NARDINI

ROMA VETUS.

LIBRI VIII.

Ex Italica in Latinam Linguam translati

A

JACOBO TOLLIO

cum Figuris.

INDEX CAPITUM.

LIB. PRIMUS.

CAP. I.

De Romæ Conditu. 885.

CAP. II.

De muris urbis Romuleæ. 893.

CAP. III.

De Portis Urbis. 897.

CAP. IV.

De variis mœnium post Romulum prolatationibus. 902.

CAP. V.

De Pomœrio, ejusque prolationibus. 905.

CAP. VI.

De veterum Urbis mœnium Ambitu. 912.

CAP. VII.

Quousque mœnia ab Servio prolata exacte pertigerint. 916.

CAP. VIII.

Mœnia ab Aureliano prolata, & ab aliis instaurata. 919.

CAP. IX.

De Portis. 926.

CAP. X.

Portæ mœnibus ab Aureliano additæ. 939.

LIB. SECUNDUS.

CAP. I.

Prima Urbis divisio a Romulo facta in Tribus & Curias. 945.

CAP. II.

Septem urbis Colles, & Septimontium. 949.

CAP. III.

Primæ quatuor urbis Regiones, Tribus urbanæ dictæ, & vigini septem Sacraria Argeorum. 957.

CAP. IV.

De XIV. *regionibus urbis, in quas eam Augustus distinxit*. 961.

CAP. V.

De XIV. *Regionum descriptoribus*. 964.

LIB. TERIUS.

CAP. I.

Regio prima dicta Capena, secundum aliorum descriptionem. 967.

CAP. II.

Templa, & quidquid porro ad portam Capenam intra vel extra Urbem fuit, usque ad Aquataccio. 971.

CAP. III.

Reliqua ejusdem Regionis ultra Almonem fluvium, & incerti situs. 977.

CAP. IV.

Domus, Insulæ, Lacus, & cetera, quæ in Rufo & Victore leguntur. 985.

CAP. VI.

Planities, quæ inter Cœlium & Exquilinum fuit. 992.

CAP. VII.

Cœlius & Cœliolus, cum rebus aliis incerti omnino situs. 1000.

CAP. VIII.

Regio Tertia, dicta Isis, & Moneta a Rufo; a Victore vero Isis & Serapis. 1010.

CAP. IX.

Planities hujus Regionis. 1012.

CAP. X.

Collis, & cetera incerti omnino situs. 1018.

CAP. XI.

Regio Quarta, via Sacra appellata, seu Templum Pacis. 1024.

CAP. XII.

Via Sacra. 1027.

CAP. XIII.

Domus Neronis, cum ea regionis parte, quæ versus Palatium vergebat. 1039.

CAP. XIV.

Planities tota, quæ inter Turrim Comitum, & Campum Vaccinum interjacet, cui nunc nomen Pantani. 1047.

CAP. XV.

Planities a Turri Comitum ad S. Luciæ in silice, resque incerti situs. 1055.

LIB. QUARTUS.

CAP. I.

Regio Quinta, dicta Esquilina. 1056.

CAP. II.

Pars Esquiliarum, quæ est inter Ecclesiam S. Crucis in Hierosolymis & portam S Laurentii, Mons Oppius appellata. 1062.

CAP. III.

Septimius, & Cispius, & cetera in Esquiliis situs incerti. 1073.

CAP. IV.

Collis Viminalis, aliaque extra urbem, & situs incerti. 1080.

CAP. V.

Regio Sexta, Alta Semita appellata. 1089.

CAP. VI.

Pars Quirinalis, quæ ab angulo suo adusque quatuor fontes extenditur. 1092.

INDEX CAPITUM.

CAP. VII.

Altera pars Collis Hortulorum, resque aliæ situs incerti. 1101.

CAP. VIII.

Regio VII. *cui Viæ Latæ nomen.* 1111.

CAP. IX.

Ædificia Regionis inter Aream Grimanam & Aream Sciarræ. 1113.

CAP. X.

Altera Areæ di Sciarra pars usque sub Capitolium. 1117.

LIB. QUINTUS.

CAP. I.

Regio Octava ab aliis descripta. 1125.

CAP. II.

Situs, Ornamenta, & Magnitudo Fori Romani. 1131.

CAP. III.

Dimidia latitudinis Fori pars, quæ ad ima Palatina fuit. 1135.

CAP. IV.

Altera ejusdem lateris Fori pars. 1144.

CAP. V.

Latus Velabro obversum. 1149.

CAP. VI.

Latus sub Capitolio. 1160.

CAP. VII.

Quænam in Fori area exstiterint. 1168.

CAP. VIII.

Quartum Fori latus versus orientem. 1179.

CAP. IX.

Fora Cæsaris, Augusti, & Trajani, resque ceteræ vicinæ. 1183.

CAP. X.

Velabrum, & vicina. 1190.

CAP. XI.

Diversi in Capitolium ascensus. 1198.

CAP. XII.

Carcer Tullianus. 1208.

CAP. XIII.

Intermontium Capitolii. 1216.

CAP. XIV.

Ubi Arx, Capitolium, & Templum Jovis Capitolini fuerint. 1223.

CAP. XV.

Descriptio Templi. 1229.

CAP. XVI.

Arx, & alia situs incerti. 1239.

LIB. SEXTUS.

CAP. I.

Regio IX. *sive Circus Flaminius.* 1237.

CAP. II.

Ædificia, quæ fuerunt inter Portam Carmentalem & Circum Flaminium.

CAP. III.

Theatrum Pompeii, & quæ huic vicina. 1259.

CAP. IV.

Pantheon Agrippæ cum ædificiis aliis vicinis. 1267.

CAP. V.

Campus Martius: ac primo latus ejus sinistrum. 1272.

CAP. VI.

Campi Martii lat us dexrum. 1279.

CAP. VII.

Res in Campi spatio, vel situs incerti, memorabiles. 1289.

CAP. VIII.

Campus Minor. 1293.

CAP. IX.

De Ædificiis inter Campum Martium & Viam Flaminiam interstitis. 1297.

CAP. X.

Memorabilia inter Viam Flaminiam & Pincium: ceteraque situs incerti. 1307.

CAP. XI.

Regio X. *cui nomen Palatium.* 1313.

CAP. XII.

Ea, quæ primis temporibus in Palatino fuere notabilia. 1315.

CAP. XIII.

Palatium Augustale. 1321.

CAP. XIV.

Templa in Palatino præter vetustissima illa jam ante memorata. 1332.

CAP. XV.

Cetera Palatini montis ædificia. 1340.

LIB. SEPTIMUS.

CAP. I.

Regio XI. 1347.

CAP. II.

Circus Maximus, ejusque Vallis. 1349.

CAP. III.

Reliqua duorum ramorum hujus Regionis sub Aventinum. 1362.

CAP. IV.

Ædificia a Cloaca Maxima ad Forum usque Olitorum. 1367.

INDEX CAPITUM.

CAP. V.

Regio XII. *cui Piscinæ Publicæ nomen, ut ab aliis describitur.* 1374.

CAP. VI.

Ædificia Regionis XII. *quorum aliqua certior notitia est.* 1377.

CAP. VII.

Regio XIII. *Aventinus appellata, sicut ab aliis describitur.* 1382.

CAP. VIII.

Memorabilia in Aventino situs non omnino incerti. 1385

CAP. IX.

Notabilia ejusdem montis situs plane incerti: & de Planitie Testacei. 1393.

CAP. X.

Regio XIV. *& ultima, Transtiberina nominata.* 1402.

CAP. XI.

Transtiberina vetus ab Anco Martio Urbi addita. 1405

CAP. XII.

Insula Tiberina. 1415.

CAP. XIII.

Mons & Campus Vaticanus. 1419.

LIB. OCTAVUS.

CAP. I.

Epilogi a Victore, Auctore Notitiæ, aliisque, regionum Urbis descriptioni subjecti Enarratio. 1429.

CAP. II.

Tiberis. 1436.

CAP. III.

Pontes. 1440.

CAP. IV.

Aquæ. 1446.

CAP. V.

Cloacæ. 1457.

FINIS.

A D
ALEXANDRUM VII.
Pontificem Maximum.

Beatissime Pater,



Am biennium est, quum Sanctitas Tua desiderio quodam teneri visa est opus cognoscendi, quod Famianus Nardinus, vir in persequendis describendisque Æternæ Urbis vestigiis insignis & acuminis, ingenii, & industriæ, de veteris Romæ situ, magnitudine, atque ædificiis conscripserat. Favit mihi tunc temporis fortuna eatenus, ut ipsius Auctoris autographum nanciscerer, Tuæque Sanctitati exhiberem: eademque mihi nunc aspirat, & addit animum ut in publicum illud priscæ antiquitatis studiosorum commodum typis edam & evulgem. Non enim ulla me utilitatis privatæ movit ratio, non cultæ cum ipso Nardino amicitiæ intuitus aut recordatio, quæ mihi nulla cum eo vivo intercessit, verum unum me incitavit juvandi remp. litterariam studium atque desiderium, cui non magnæ modo voluptati, sed & egregiæ utilitati tam doctum & elaboratum opus fore certus sum. Ut autem Sanctitati Tuæ id ipsum inscriberem atque dedicarem, complures me, Pater Beatissime, caussæ impulere. Nam & Tibi præ aliis omnibus donum illud jure merito deberi nemo negaverit, qui veræ Romæ Princeps ac Dominus es: & ego plurimis nominibus Sanctitati Tuæ devinctus obligatusque nemini illud alii absque ingratæ impiæque mentis nota offerre poteram: quamquam non mei hic partus ingenii est, sed alterius, eatenus tamen mei arbitrii, quatenus ab Auctoris heredibus Commentatio hæc Nardini mihi tradita concessaque est, ejusque ea propter nomine inscripta publicatur. Accessit & illa maximi ponderis ac momenti ratio, quod nullum magnificentius aut præstantius Nardino curarum ac vigiliarum reddi posse videbatur hostimentum, quam si labores ejus fulgidum Sanctitatis Tuæ nomen lumen decusque præferrent, eo validius omnium oculos perstricturum, quo Sanctitas Tua cunctis universi orbis Principibus & gloria nominis, & excellentia, sublimitateque dignitatis clarius antecellit. Sed & hic invenio, quapropter Forti fortunæ gratias agam. Nam quum plerique omnes, qui Principibus Regibusve scripta seu sua, seu aliena consecrant, dubitare necesse habeant, placiturusne suus illis labor sit, quod illius pars maxima non intelligant pretium atque præstantiam, mihi tam bona felixque sors obtigit, ut Sanctitas Tua non solum munuscula mea benivole semper accipere dignetur, sed & hoc ipsum Opus maximi quoque faciat dignissimumque publica luce censeat, cui nunc a me commendatur. Quare certa mihi nascitur fiducia, fore, ut hæc Nardini Commentatio (tametsi ea longe infra Sanctitatis Tuæ fastigium demissa, digni Tua Sanctitate muneris nomen sustinere nequit, cui nullum sane aliud par esse videri possit, si ab ipsa Sanctitatis Tuæ virtutum laude discesseris) fore, inquam, ut hoc Nardini scriptum posthumum benignissimo vultu a Sanctitate Tua admittatur; præsertim, quum veteris Romæ effigiem quasi depingendo voluptatem nonnullam Sanctitati Tuæ allatura sit, curasque gravissimas, quas hujus Universi tutela requirit, dum re

creando fesso publicis laboribus animo, loca illa decantata consideras, aliquantulum levatura. Confirmatur autem illa, quam dixi, fiducia mirifice, quum splendidissima illa opera contueor, quibus Sanctitas Tua & hodiernam Romam exornavit, & veteris monumenta injuria temporum, & hostili barbarie corrupta atque labefactata restituit, & redintegravit. Quocunque enim versus oculos dirigo, vel viæ dilatatæ refectæque occurrunt, vel vetera templa instaurata, vel nova de integro constructa, vel areæ exornatæ, & inprimis illa, quæ Principis Apostolorum Basilicam, omnium Urbis ædificiorum magnificentiam infinitis partibus superantem, sumtuosissima Porticu, longissimisque præcellentium altitudine columnarum ordinibus multo quam ante videbatur, reddidit augustiorem. Unde ea me subit cogitatio, Pater Beatissime, fore, ut quum S. T. admiranda veteris Romæ in hoc opere perlustrabit magnitudinis monumenta, eaque cum hodiernæ urbis splendore comparabit, idipsum Sanctitati Tuæ eventurum sit, quod plerisque solet accidere mortalibus; qui, cum alienis in ædibus aut thesauris rarum aliquod ac præclarum artis opus aut naturæ contemplantur, cujusmodi apud ipsos copia est, non moleste hoc ferunt, verum potius gaudere solent eorum sibi domi cimeliorum ubertatem esse atque abundantiam, quæ apud alios raritate sui atque excellentia spectatores in admirationem rapiant, sæpe & invidiosa sint. Adeo ut, si quis utramque Urbem cum veterem tum novam, quod ad politicum statum, inter se conferat, (nam quod ad religionem supra omnem hæc nova cum vetere comparationis gradum eminet) nemo sit, opinor, qui hanc nostram, quæ nunc Orbis Christiani Caput est, vetere illa vel amplitudine vel magnificentia judicet inferiorem; etiam tum quum ea sub Augusto proximeque sequentibus Cæsaribus florentissime enituit, Urbsque Æterna *&* Regina orbis terrarum *audiit: quæ si non modo Complures Barbaros Reges & exteros, sed & ipsum Constantium Imperatorem, ad intuitum sui reddidit attonitos & obstupefactos, certe hæc, postquam sedes & Regia facta est Vicariorum Christi, non minus multos non unius seculi Reges ac Principes Europæ potentissimos in stuporem conjecit, atque perturbavit. Quod si iidem utriusque spectatores hac ætate viverent, qua Roma nostra se ipsam vicit, faterentur sine dubio, Pater Beatissime, Romam olim quidem pulcherrimam fuisse, & post magnificentissime restitutam, at nunc tanto pulchriorem magnificentioremque, quanto Sanctitas Tua omnium omnis ævi Principum animi magnitudinem elegantiamque superavit. Sed hujusce magnitudinis præconium supra vires meas est: sufficiet gloriæ, si hoc adipisci benignitate Sanctitatis Tuæ licuerit, ut devotissimam meam mentem tenui hoc sese alieni laboris munusculo ostentantem probare dignetur, donec ea mihi a fortuna ac tempore facultas suppetat, ut propriis curis atque scriptis satisfacere plenissime meo queam desiderio, omnique ea cum animi submissione ante pedes Sanctitatis Tuæ deponere. Dabam Romæ a. d. Kal. Novembris,* CIↃ IↃCLXVI.

Beatissime Pater,

Sanctitatis Tuæ

Devotissimus & obstrictissimus,

OCTAVIUS FALCONERIUS.

OCTA-


LATIUM
CAMPANIA et SAMNIUM
Una cum adiacentibus Regionib.
addita Rusticarum Tribuum
Divisione ad Titi Livii Tomū. Primum
Ex conatibus Io. Baptæ Canalis Sem. Patav. Alumni.
SCALA
NOTÆ
Colonia
Municipium
Præfectura
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
MARIS ADRIATICI sive SUPERI PARS
MARE INFERUM seu ETRUSCUM als TYRRHENUM
UMBRIÆ PARS
TUSCIÆ seu ETRURIÆ PARS
SABINORUM
MARRUCINI
PELIGNI
FRENTANI
LARINATES
APULIÆ PARS
LATIUM
HERNICI
SAMNITES
CAMPANIA
PICENTINI
LUCANI
HIRPINI
AUSONES
ROMA
Marrubium
Lucus Cutiliensis
Reate
Lucera
PONTIA INSULA
PANDATARIA INSULA
PROCHYTA IN.
CAPREÆ IN
SIRENUSÆ INSULÆ
Pompeii
Puteoli
Atella
Caieta

OCTAVIUS FALCONERIUS
LECTORI S.



SI vetus Urbis æternæ forma & effigies, quemadmodum illa ab antiquis scriptoribus ad vivum veluti depicta descriptaque est, ita etiamnunc e ruderibus agnosci redintegrarique posset, non adeo necessaria eorum diligentia foret, qui in curiosorum & amantium priscæ vetustatis hominum gratiam in indagandis delineandisque urbis Romæ vestigiis, quæ vel temporis injuria deleta, vel recentioribus ædificiis confusa obrutaque sunt, omne suum tempus atque studium impendere. Verum cum ea rerum atque operum humanorum conditio sit, ut juxta Lyricorum Principem *Nos nostraque morti debeamur*, idem Romæ accidit, quod alteri cuidam evenisse civitati in Itinerario Rutilius memorat,

Sola manent interceptis vestigia muris:
Ruderibus latis tecta sepulta jacent.
Non indignemur mortalia corpora solvi:
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Eoque gravior maximæ urbis casus fuit, quo sublimior fortuna: variis enim barbararum gentium incursionibus adeo fœde disjecta, disturbataque fuit, ut vix e superstitibus ruderibus, quæ ejus antiqua facies fuerit, agnosci explicarique possit. Quare quo difficilior, eo laudabilior, utiliorque eorum conatus fuit, ac studium, qui in ea describenda deformandaque, & eruendis priscis urbis monumentis omnem pro viribus operam posuere. Magnum sibi istiusmodi industria, jam duo secula sunt, decus peperunt illustres doctrina viri Fulvius, Boissardus, Blondus, Marlianus, Ligorius: quos omnes forsan eruditi operis gloria Bernardus Oricellarius magnifici Laurentii Medicæi cognatus anteisset, si, quod composuit de Romanis Antiquitatibus, ac præsertim de Urbis Romæ Topographia, memoratum laudatumque eximie Petro Crinito volumen oblivionis, quibus nunc obrutum delitescit, evadere tenebras, eademque elegantissimo sermone Latino exaratæ Historiæ Florentinæ fortuna uti frui potuisset. Quamquam autem singularis magnorum istorum virorum summa cum eruditione conjuncta diligentia fuit, non tamen supervacua illorum existimanda est opera, qui eosdem pressis pedibus consecuti idem tractaverunt argumentum: siquidem hoc tam amplum est, & obscuritate sua, veterumque scriptorum, qui de Rebus Romanis scripsere, dissentientibus sententiis atque opinionibus adeo incertum atque intricatum, ut largissimus unicuique novarum conjecturarum & incomperta aliis cognituque dignissima detegendi campus pateat, si quis ingenii in hac quasi palæstra vires exercere voluerit. Accedit, quod maxima scriptorum pars, qui Romanas indagaverunt Antiquitates, adeo fabulosis, ac inani populi rumori innitentibus scateant opinionibus, ut non minus utilem quis publico navare operam detegendis ipsorum erroribus videatur, quam novis ac certioribus sententiis proponendis. Quare non minorem sibi laudem parvulo peperisse libello Pyrrhus Ligorius videtur, quem *Paradoxa* inscripsit, & in quo errores memoria sua circa Romanas Antiquitates vulgatissimos confutavit, quam ingenti illa voluminum mole, quibus easdem illustravit. Hæ me causæ, quæ neminem non harum rerum studiosum facile commoverint, perpulerunt, ut cum rep. literaria hanc Famiani Nardini de Roma vetere Commentationem communicare decreverim, quæ mihi ab ejusdem heredibus ante annos aliquot liberalissime dono data ita placuit, ut nullus dubitem, quin & rem gratam utilemque facturus sim literatis, & omnium ablaturus suffragia, recte beneque me judicasse, quum eam post tot aliorum curas, quibus hæc materia pertractata est, editione dignissimam existimavi. Aut enim vehementer animi fallor, aut Nardinus accurata sua diligentia tam multa post illos nova & indicta observavit, ac tam multos ingenii sui acrimonia aliorum errores detexit, judiciique solidissimi pondere dissentientium opiniones tam accurate confutavit, validissimisque argumentis sententiam ubique suam tam bene confirmavit, ut facile in partes meas transituri sint, quicunque opus hoc cum aliorum hactenus editis conferre commentariis operæ pretium duxerint. Unus hic tamen obstare videtur Alexander Donatus, S. I. qui, uti tempore postremus, ita rerum varietate, delectusque acrimonia, & eruditionis copia luculentissimum de *Roma Vetere ac Nova* Latino sermone volumen edidit. Ita namque forsan nonnulli existimaturi sunt, quum eandem ferme utriusque operis inscriptionem cognoverint, aut nihil aut perparum novarum observationum afferre Nardinum potuisse. Verum brevi de hac decedent sententia, ubi rem ipsam penitius inspexerint. Nam & elegantior ac distinctior apud Nardinum rerum series, & digestus per regiones ordo est, sic ut singulæ quæque in suum locum situmque revocatæ, certæque ab incertis discretæ sint; &, cum Donatus, non secus ac ceteri, non tam integram ac rite digestam urbis descriptionem tradiderit, quam notabiliora quæque & per consequens notiora persecutus sit; Nardinus contra ea exactissima diligentia minima quæque antiquorum operum vestigia perscrutando per omnes sensim magnitudinis Romanæ partes procedit, nihilque relinquit intactum atque intentatum, aliorumque atque ipsius etiam Donati, cum aberrant, opiniones gravissimis argumentis refellit; ut, quum de *Suburra* agit, item de *Rupe Tarpeja*, de *Septis*, de *Pratis Quintiis*, &c. Neque ullum dubium est, quin si fata longiora Nardino vivendi tempora indulsissent, sic ut ultimam huic operi manum imponere potuisset, omnino nobis illud absolutissimum reliquisset; cum in hoc genere argumenti tempus quotidie multa detegat, quæ antehac latuere. Sed hoc nobis beneficium immatura viri doctissimi mors eripuit, qua ipse anno CIϽ IϽ CLXI. vivis ereptus est: eique assignandum, quod labor hic ordine quidem & ipsa argumenti tractatione absolutus, at non omni ex parte perfectus sit, atque emendatus. Nam & novis validioribusque argumentis opiniones suas asseruisset, & nonnullas, quæ minus verisimiles visæ fuissent, revocasset. Non tamen diffiteor, (& in hoc Te facile mihi assensurum, Lector, existimo) errasse illum in nonnullis, passumque aliquid humani: nihilominus abstinendam mihi ab errorum illorum emendatione manum censui, nec alienum interpolandum laborem, cum quod erra-

ta illa non magni momenti ſint, nec errata dici mereantur, quippe quæ meræ ſint conjecturæ; tum quod ita exiſtimem, eruditis aliorum ſcriptis eam adhibendam reverentiam, quæ clarorum pictorum tabulis tribui ſolet, in quibus artis intelligentes rudes malunt & imperfectos artificum ductus ac lineas agnoſcere, quam novam ac recentem exactiſſimi licet penicilli admittere emendationem. Quare nil mihi in hoc opere aliud permiſi, quam ut verba quædam paucula alicubi immutaverim obſcuriora, quæ ſcriptoris ſententiam infuſcabant; & errores in citandis veterum locis ac teſtimoniis ſeu meliorum codicum inopia, ſeu librarii manum in deſcribendo commodantis incuria commiſſos correxerim. Sed nec ſermonis patrii cultum rudiorem perpolire operæ pretium duxi, quod argumenti indoles ab his ornamentis videretur alienior: tum quod ipſe Auctor magis verborum vim ſpectaſſe viſus ſit, & efficaciam, quam puritatem ſtili, cujus forſitan dedita opera curam neglexerit. Quod ſi vero & ipſi & mihi alicubi non animadverſos deprehenderis errores, hoc unum a Tua, Lector humaniſſime, impetratum velim benignitate, æquitateque, quod jure abs quovis bono viro exigi poteſt, ut non tam peccata publico commodo tempora & curas ſuas impendentium reprehendas, quam labores eorum literatos tibi & publico utiles gratos habeas acceptoſque. Vale.





FAMIANI NARDINI
ROMA VETUS.
LIBER I.

CAP. I.

De Romæ Conditu.

Erta res est, & confessa cunctis veritas, usque & experimentis non minus vulgo nota, quam doctioribus ingenii indagine percepta, omnia, quæ sub cœlo sunt, mutationi esse ac vicissitudini una cum tempore obnoxia. Nam homines, non secus ac animalia cetera, & plantæ, ab ipsis vitæ initiis ad extremam usque senectutem, quamquam iidem videntur, non tamen iidem sunt, eademque semper existunt corporis substantia, ut præ ceteris rebus omnibus in Convivio Platonis Diotima Socratem docuit. Siquidem per continuas perpetuasque particularum exspirationes caro, ossa capilli, humores, & quæ id genus alia, sensim abeunt, novisque accessibus renovantur, redintegranturque. Et hinc formæ, figuræque, & molis, ac staturæ corporis ea, quam dixi, corporis enascitur immutatio. Quantæ vero, qualesque urbibus, ac regnis, variis rerum casibus, temporumque vicissitudinibus, accidant mutationes, neminem fugit. Servata quidem Athenis navi Thesei per aliquot secula pristina forma fuit, refectis & restitutis in depereuntium ætate locum novis, ac recentibus tabulis; sic ut eadem semper videretur, licet non esset eadem: at longe diversa civitatium ratio est: in queis ædes, templa, vias, fora quotidie in aliam verti formam videas. Neque hæc tantum interiora, sed & ipsa, quibus illa continentur, mœnia aliam sæpe faciem induunt, &, prout res fert, protolluntur, aut angustiore ambitu coarctantur. Immo & ipse urbium situs sæpe variat, dum vel colles vallibus æquantur, vel planities molibus attolluntur, vel ardua in proclivia vertuntur, & producta contrahuntur, vel angusta dilatantur, vel quaquaversum extenduntur: atque ita ne vestigia quidem pristinæ faciei relinquuntur.

Assiduæ huic omnium rerum mutationi opem, quantum in se erat, laturi, quibus non casus & eventa modo rerumpubl. sed & priscas regionum, urbium, & ædificiorum species ac formas indagare, & describere curæ fuit, variis temporibus, cum in memoriæ suæ hominum, tum in posterorum commodum, Chronologias, Geographias, Topographias, & quæ porro alia ad Antiquitatis illustrationem pertinere visa sunt, egregio & laudabili instituto composuere: absque quibus historia omnis in tenebris jacet, omni scientiæ lumine destituta.

Quæ vero inter Urbes tam frequentibus ob noxia, objectaque a fortuna fuit mutationibus, quam caput urbium & orbis Roma? Abjectis hæc orta initiis in ingentem brevi excrescens amplitudinem, atque potentiam, in ipso medio felicitatis cursu a Gallis direpta, incensaque, restituitur quidem, sed tam improvido studio, ut *occupatæ magis*, teste Livio, *quam divisæ similis* videretur. Pedetentim tamen ita exornatur, & ad tantum splendorem, atque magnificentiam superbis civium substructionibus attollitur, ut parem non invenerit, præsertim sub Cæsaribus: quorum secundus Augustus *marmoream se relinquere* gloriabatur, *quam lateritiam accepisset*. Sub Nerone vero, in primis post decantatum illud incendium, viarum, fororumque emendata dispositio est: ipsaque in tantum crevit amplitudis, ut hinc Ocriculos, inde mare attigisse perhibeatur; donec a Gothis Vandalisque direpta, fœdataque incendiis, a pristina declinare cœpit majestate, ac tandem magnam partem a Totila deleta aliquamdiu sine cultu jacuit, & sine cultoribus. Post illa rursum habitata, sed ab illa vetere Roma immane quantum distans, sub Exarchis Ravennatibus semper humilis & abjecta; sub tutela & regimine populi, ac Pontificum, istis seculis perquam rudium, rudis & ipsa, ac pauper: sub sequentibus Pontificibus, Avenionem sibi sedem in Gallia deligentibus, tantum non deserta: tandem veluti rejuvenescens benigniore nunc cœli vultu in pristinum resurgit splendorem, atque magnificentiam. Nemini igitur mirum accidere debet, plurimos, ac tantum non innumeros, fuisse maximi ingenii viros, qui singulari cura atque studio in Antiquitates Romanas quippe urbis toto terrarum orbe clarissimæ, mirisque fortunæ procellis ac vicissitudinibus jactatæ, & plurimorum scriptorum lucubrationibus celebratæ, inquisierint, scriptisque illas suis atque commentationibus illustrarint. Quamquam eos ipsa argumenti difficultas a tam nobili cœpto deterrere potuit, iisdem illis, quas diximus, aucta & impedita mutationibus, quarum multiplici vicissitudine ad scribendum fuerant excitati. Varia namque, prout tempora variavere, urbis forma, varia quasi membra, varia magnitudo fuit. Quin & tam diversus a pristino situs, ut ferme plane alius esse videatur. Unde non modo exactam veteris Romæ dare topographiam perdifficile est, quemadmodum multi tentavere: sed & omnem illam tot seculorum varietatem uno quasi obtutu oculis subjicere omnino impossibile est. Sed neque

secundum temporum decursum singulas ejus mutatæ formæ delineationes exhibere non ingentis, & quasi inexsuperabilis laboris est: adeo densæ in multis occurrunt tenebræ, & confusa rerum plurimarum perturbatio: neque solidum explicationis hujusce jaci potest fundamentum, nisi prius certus aliquis inventus, statutusque fuerit urbis natalis; quo indagato, repertoque, quantum singulis seculis fecerit incrementi, dilucidius tradi poterit. Quæ res licet ad historici potius quam Topographi videatur officium pertinere, attamen vix aliquid præclari Topographia effecerit, nisi historiæ innitatur, & hanc veluti fundamentum susceptæ subjecerit, atque præparaverit descriptioni.

Romæ conditæ decus plerique veterum scriptorum Romulo tribuere: quamquam cum e Dionysio Halicarnassæo, tum ex aliis quampluribus, Euandrum Arcadem diu ante Romulum partem urbis, Collem scilicet Palatinum, imperio tenuisse constat. Quin & ab eodem Græcum Ῥώμη nomen urbi inditum fama fert; quæ Latinis *Valentia* est. Nec desunt scriptores Græci, qui eam a *Roma* quadam, (incertum Græca an Trojana; serva, an comite, cognata, an uxore Æneæ) vel a *Romo*, vel *Romulo*, Æneæ, Jovisve, aut Ulyssis, aut Itali filio, diu ante Romulum Albanum conditam dicant. Sunt & qui Capitolinum montem multis ante Æneæ in Italiam adventum annis a Saturno habitatum asseverent, non secus ac a Jano Janiculum. Verum de his, in tanta ac tam densa Antiquitatis nube, atque obscuritate, certi quid ac liquidi pronuntiare omnino anceps fuerit, atque temerarium. Conditam tamen, aut saltem habitatam fuisse ab Euandro, dubitare vix licet: quoniam autem Romulo conditæ Romæ gloria a plerisque vindicata fuit, ab Euandro urbem primum conditam, post desertam, deinde a Romulo restitutam, quæque prius *Palatii* nomen obtinebat, *Romam* ab eodem nuncupatam, vero quammaxime simile est.

Joannes Temporarius *Chronologicarum demonstrationum* lib. 3. & Philippus Cluverius lib. 3. *Italiæ Antiquæ*, quidquid de Romulo, ceterisque Romanorum regibus, ut & de Albanis, ac Ænea in historiis narratur, inter aniles fabulas referunt, multisque ante seculis Romam conditam asserunt; quorum alter ab Euandro eam, non a Romulo nomen accepisse tradit, atque ita sensim absque illa fabularum pompa viribus auctam increvisse. Quod si & mihi inter ceteros sententiam meam promere licet, tametsi veram Romæ originem in tanta vetustatis caligine indagari, & in illa dissentientium diversitate certi aliquid de incertis statui vix posse fateor, fidemve antiquis haberi monumentis, illorum præsertim temporum, quibus maxima bonorum scriptorum penuria erat, & cuncta rudi illa ætate, ab nimium credulis, veritatisque minime curiosis, per manus quasi ad posteros tradebantur, nihilominus historiam urbis (si ea historia, ac non potius traditio appellanda est,) licet ab antiquissimis devolutam temporibus, attamen a tam multis traditam, & a pluribus creditam, probatamque in qua non unius civitatis, sed plurium populorum res gestæ, regumque distincta series exponitur, omnino falsam esse atque fabulosam, vix mihi persuadere possum, præsertim quum nec a temporum ratione, sive Chronologia, discrepet, atque dissentiat. Certe nulla apud Poetas tam absurda fabula est, cujusmodi sunt illæ de Diis, de mutatis hominum vultibus ac formis, & quæ id genus plures sunt, quæ non aliquid trahat de vero, quod fabulis tamquam velo obnuptum sit, & occultatum. Quid? quod & somnia nonnihil diurnæ continent veritatis; tametsi variis visorum erroribus involutæ, corruptæque. Nec parum in hac me opinione Tertullianus, vetus & gravis auctor, confirmat, qui cap. 11. *Apologetici* de Saturno, qui longe Romulo antiquior fuit, differens, dignissima fide testimonia in scriptoribus sese Latinis invenisse testatur. *Si quæras*, inquit, *rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones*, &c.

Quare illis assentiri nequeo, qui Æneæ in Italiam adventum, fœdus cum Aboriginibus, Albæ Longæ ædificationem, & tot regum ad usque Numitorem continuam successionem, quod ad temporum rationem cum veteris Græciæ Olympiadibus conciliatam, certoque ab antiquis Latinis creditam, non secus ac fictas amorum hujus temporis heroicorum narrationes, pro fabulis omnino, ac figmentis habent. Etenim quis rudibus illis Latii populis tam plenam, atque absolutam Troicarum rerum, Æneæque, & Juli, cognitionem impertivit, ut ex his istiusmodi fabulas cuderent? Nolim vero eos adeo libere, & inconsulto mendaciorum argui, ut a Cluverio scriptores Græci solent, & in his præcipue Diocles Peparethius, de quo ita Plutarchus in Romulo: *Hæc fere cum & Fabius referat, & Peparethius Diocles, quam puto de condita Roma primum memoriæ mandasse, suspectam quidem habent fabulam.* Nam, ut Dioclem solum primumque Græcorum, hæc scripsisse concedamus, quem Plutarchus vanitatis arguere videtur, quum ait, *quem puto*, &c. Quid? Dioclemne eam finxisse arbitrabimur, an potius ab aliquo veterum Latinorum, aut ex antiquis accepisse monumentis? Verum Diocle ad tempus omisso, etiamne antiquos illos historiæ scriptores Romanos, Latinosque, unde in proœmio sua se hausisse pleraque Dionysius Halicarnassæus ait, Fabium nempe Pictorem, Catonem, Valerium Antiatem, Licinium Macrum, Calpurnium Pisonem, aliosque, ut affirmat, complures, viros minime obscuros, e Diocle, homine forsan Romanis tunc temporis ignoto, rerum suarum didicisse existimabimus cognitionem, ac historiam, & non ab aliis potius sexcentis gentis suæ scriptoribus, atque monumentis? Quid? vetustiores illi nullos habebant annales, aut fastos, quam illa erat historia Dioclis? Atqui Pontificum Annales, & commentarii, quid aliud, nisi veterem populi R. historiam continebant? quos Quintilianus lib. x. c. 2. *Institut. Orator.* hoc in genere ait esse antiquissimos. Audiamus de iisdem Ciceronem quoque, qui lib. 11. *de Oratore*. *Erat*, inquit, *Historia nihil aliud, quam Annalium confectio, cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ caussa, ab initio rerum Romanarum usq; ad P. Mutium Pont. Max. res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex maxim. afferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi.* Collegium vero illud *Pontificum* una cum Pontifice maximo ab Numa institutum est. Unde consequitur, si non sub ipso Numa, certe haud diu post *Annales* illos confici cœpisse; (quos *ab initio rerum Romanarum* fuisse testatur) &, si quid in historia primarum Romæ rerum a vero aberraverit, non tamen cuncta mendacii ac fabularum arguenda esse. Præter illos, quos diximus, *Annales* alii etiam supererant libri antiquissimi, quod genus *Commentarii Servii Tullii*, *libri lintei*, aliique a Livio citati: quibus cum ceteri usi sunt scriptores, tum & ipse Diocles. Sed & hoc nemo negaverit, multas alias rudi & incomto, uti tunc tempora ferebant, stilo consignatas historias, ac narrationes a proximis ætate scriptoribus Romæ relictas, multaque monumenta alia, per manus posteris tradita, uti passim fieri amat: unde

post illa tam Græci, quam Romani Historiographi commentationum suarum mutuati sunt argumenta. Præterea, si primi illi, qui res gestas scriptis consignavere, aut verbis retulere, credulitate nimia deducti a vero quandoque aberrarunt, perquam difficile est de posterioribus suspicari, omnia illos dedita opera finxisse, & falsa pro veris posteritati tradidisse. Sed accedamus propius, & exploremus veritatem. Unde quæso varias illas de initiis urbis Romæ opiniones Dionysius accepit? Audiamus, quid dicat: *Ad Romanos*, inquit, *transibo, quorum certe non est nec priscus historicus, nec orator: sed eorum quilibet ex antiquis sermonibus asservatis in tabulis sacris sua descripsit*. A quibus porro auctoribus tempus urbis conditæ didicit? en tibi: *Quod ostenditur tum ex rebus aliis multis, tum ex memoriis nomine Censuanis, quas filius a patre accepit: iique homines magni faciunt illas, ut res paternas sacras, descendentibus relinquere: multique homines nobiles sunt ex familiis censoriis, qui eas conservant, in quibus ego quidem invenio*, &c. Et hic tamen Dioclem nusquam citat, quum tam multos in initiis urbis indagandis auctores Græcos, Latinosque, nominet. Itaque de Æneæ in Italiam adventu, postquam omnium Græcorum adduxit testimonia, in hunc modum concludit: *Æneæ Trojanorumque in Italiam adventum & Romani omnes asserunt, & res, quæ in diebus solemnibus, atque in sacrificiis ab iis fiunt, & Sibyllina carmina, & Apollinis Pythii responsa aperte ostendunt: quæ nemo est, qui ut ornatus causa dicta sperneret*, &c. Quod si a Dionysio ad alios transire animus fert, quid de Tito Livio dicemus? qui quidem tam accurati religiosique judicii in distinguendo, seligendoque vero a falso in priscis scriptoribus fuit, ac tam diligens, ut ne contraria quidem iis, quæ probasset, testimonia adferre defugerit, quæ vel minimi ipsi ponderis ac momenti esse viderentur. Quum igitur res Æneæ, Romulique, summo animi candore scripserit, amputat hoc ipso omnem, ut mihi quidem videtur, negandæ his fidei, refutandique quæ traduntur facultatem. Sic & Vellejus Paterculus, scriptor brevis quidem, at eruditus, egregiique judicii, &, si adulationem erga Tiberium exceperis, gravis, & verax, magnum quoque communi omnium sententiæ pondus adfert atque auctoritatem. Nec diversus ab hisce Crispus Sallustius; qui licet in *Catilinaria* de patriæ urbis originibus veluti per viam loquatur, quoniam tamen Romæ initia ad Æneæ posteros, & ad Aborigines refert, ut his assentiamur, qui Græcorum ea commenta censent, prohibet. Quin & Cornelius Tacitus, cui omnes communi consensu gravis, acuti, & summo judicio præditi historici laudem tribuunt, lib. XII. *Annalium*, præter cetera veritatis argumenta, etiam illud addit de sulco a Romulo sub Palatinum montem ad describenda mœnia ducto. Pompejus Trogus diligens antiquitatum plurimarum collector, a Justino in compendium redactus, lib XLIII. historiam Romuli absque ulla hæsitatione recenset. Qui quidem & ætate, & auctoritate, multo Plutarcho superiores, ut de his taceam, quos supra memoravimus, Fabiis, Pisonibus, Catonibus, aliisque vetustioribus, & ætate Romulo propioribus, adeoque majore veritatis lumine instructis, atque illustratis, non ita temere uni Græculo tantum detulisse judicandi sunt, ut illi potius, quam tot aliis majoris fidei popularibus crederent: Cluverioque, ac Temporario, post tot seculorum decursum, & multo majore scriptorum veterum penuria, aperte sibi contradicendi ansam suppeditarent. Videamus tandem, quid ipse Plutarc. in *Romulo* dicat. Postquam illic de Romæ origine multas diversorum opiniones recitasset, in illa tandem vulgari de Romulo sententia acquiescit, non ideo tantum, quod ea Dioclem auctorem haberet, sed quod a plurimis historicis probaretur. *Sed ex iis, quæ probabiliora sunt, & plurimis testibus nituntur, certissima Diocles Peparethius primus Græcis literis illustravit*, &c. Unde liquet, sententiam illam, sive veram, sive falsam, præ ceteris olim admissam fuisse, probatamque: quam qui fabulosam pronuntiat, tanta veterum scriptorum, qui illam potissimum delegerunt, obstante caterva, næ ille mihi nimis inconsulti judicii censuram vix posse effugere videtur.

Quod autem Homerus in XX. Iliados Neptunum inducit mortem Priamo prædicentem, quæ illi in regia urbe immineret; Æneæque, & filiorum, nepotumque in Trojanos imperium, nihil omnino tot Historicorum fidei derogat. Quamvis enim hoc Poetæ dictum Poeticæ possit argui vanitatis, non eo tamen uti opus est argumento: verum Dionysii Halicarnassæi potius accipienda est interpretatio, Æneam Priamo superstitem fore, Trojanisque, sed in Italia, imperaturum ab Homero prædici existimantis. Nec obstat, quod obstare videtur, Homeri illud vaticinium Dictys Cretensis testimonio confirmari, qui Æneam Trojæ restitisse, Antenorem vero in Italiam profectum scribit. Nam quibus in historia nasus est, facile omnes in eo consentiunt, supposititium illum fœtum esse, totamque istam historiam ex Homero desumptam. Et si supposititiis scriptis habenda fides est, certe majorem Dares Phrygius meretur, quam vel Cretensis historicus, vel Poeta Græcus: quorum alter a patria, alter a studiorum genere mendacii possit infamari. Dares autem Æneam Troja profectum, Antenorem vero ibidem restitisse, regnumque obtinuisse, seque Antenori comitem adhæsisse tradit. Sed nimium deflleximus. Sufficiat illa ad confutandum Cluverium Dionysii, quam ex ejus libro I. *Historiarum* attulimus, interpretatio.

Reponeret forsitan, si viveret, Cluverius, exemplo Plutarchi fabulosa hæc esse suspicantis, sibi quoque idem suspicari fas esse. At mihi quidem Plutarchi prius auctoritas cum tot aliorum auctoritatibus expendenda videtur diligentius, quam instituendus delectus, & his omnibus accurate examinatis, tum demum, quæ gravissima videatur, admittenda probandaque. Dein, dicere præstiterit, Plutarchum de fide historiæ Æneæ, Romulique, minime dubitare, quod eam prius probarit, (cum inquit, *sed ex iis, quæ probabiliora sunt, & plurimis testibus nituntur, certissima Diocles*, &c.) sed non omnia vera, uti dixi, credere: quæ tacita confessio est, historiam illam non quidem omni ex parte veram esse; sed neque omnino fictam, atque fabulosam. Et hæc ceterorum quoque Historicorum unanimis sententia est; quippe qui lupam lactantem de femina meretricula accipiendam suspicantur.

Sed, objiciet forsan aliquis, Antiochus Syracusanus apud Dionysium Romam jam ante excidium Trojæ conditam narrat: at improbante tamen Dionysio. Quare multo minus nos id probare convenit, quibus in re incerta verum non cernentibus eam amplecti sententiam convenit, quam plurimi fide dignissimi probavere.

Temporarius Romulum figmentum esse ait Poetarum; sed quorum, non addit: at hos nominasse oportuerat. Nam Roma ante Centonis & Sempronii consulatum Poetas nullos habuit, id est, ante annum V. C. 445. quo primum Livius Andronicus & Ennius in scenam prodiere. Quid? horumne ergo figmentum esse Romulum dicemus? Quid tum vetustioribus faciemus scriptoribus? quid Censuanis memoriis? quid sacris tabulis, quas citat,

quibusque nititur Dionysius? Eane omnia Andronico & Ennio ætate credemus inferiora, sicut ex his errores suos hausisse videri possint? Attamen nec Andronici, nec Ennii aliquam Dionysius habet rationem, & in tanto, quos affert, auctorum numero, illos ne quidem nominat. Quare revertor ad id, quod supra statui, uti non omnia istorum seculorum fidem mereri monumenta, ita maximam partem, aut in universum vera esse existimandum: quas historias ita intueri soleo, ut in commota aqua, aut vitro crystallino convexo, concavove imagines; quæ quamvis confusæ, atque depravatæ, ex parte tamen aliqua vultum exhibent, atque repræsentant lineamenta: aut in somniis occurrentia rerum gestarum simulacra: siquidem varia vulgi ora, per quæ fama volitat, haud secus ea, quæ reddunt, repetuntque, distorquere solent, atque immutare, quam quæ nobis Morpheus somniorum pater noctu quiescentibus facit obversari: cujus rei clarissima nobis apud Diodorum Siculum prioribus decem libris exempla occurrunt, quos ipse ab argumento *fabulares* appellavit, & in quibus multa non solum urbis Romæ initiis, sed & ipso Trojæ excidio, vetustiora exponit. Varro, apud Censorinum *de Die Natali* cap. XXI. exactius de temporibus differens tripliciter illa distinguit. Primum enim ab orbe condito usque ad diluvium *incognitum* nuncupat; neque id temere, ac sine caussa. Nam sacrorum ei librorum aut ratio nulla fuit, aut notitia. Alterum a diluvio ad usque Olympiadas *fabulare* nominat, propter fabulas indiscretim veris immixtas. Tertium a prima Olympiade *Historicum* ipsi dicitur, quod hinc certioris historiæ lux affulserit. Unde concludo, quandoquidem Roma circa Olympiadem septimam, aut etiam paulo ante, condita fertur, historiam illius temporis Romanam in suspicionem fabulæ minime vocandam, quamquam in illis primis historiæ incunabulis aliquid eam habere posse fabularum admistum vero non diffiteor. Admittamus igitur Æneæ in Italiam adventum tamquam verum: res autem ab eo posterisque gestæ utrum ad fidem historiæ scriptæ sint, in medio relinquamus. At illud mihi persuasum est, aut conditam Romam ab Euandro fuisse, aut saltem habitatam: videturque non absimile vero, nomen urbi tum Græcum Ῥώμην fuisse impositum. Ceterum destructam tempore Romuli, aut omnino incultam, vix crediderim, si verum est, quod tradunt, Potitiorum ac Pinariorum familias, quæ per secula aliquot in prisca rep. veteres honores ac privilegia retinuere, de comitatu Euandri fuisse, atque una cum eo sacris Herculis intervenisse, quæ ille in ara maxima faciebat: sacrificiaque ritu Arcadico ab Euandro Victoriæ, Cereri, Neptuno, diisque aliis dicata, atque instituta, usque ad ipsius Dionysii Halicarnassæi, ut ipse testatur, tempora absque ulla durasse immutatione. Facile etiam admiserim, Romam post Euandri mortem, fundatumque Albæ Longæ regnum, cujus pars fuit, desertam, incultamque, & ad pauca tuguria redactam fuisse: Romulum vero deductis eo, qui partes ejus sequebantur, & imperio ipsam Albanorum subtrahendo, sensimque deinceps usque ad Capitolium ampliando, famam nomenque *Conditoris* abstulisse. Et quis quæso nobis certi quid dixerit, utrum a *Romulo Roma*, an a *Roma Romulus* nomen acceperit? quorum illud Temporarius audacter affirmat. Ubera infantibus a lupa admota, & in flumine expositio inter fabulas referantur, cum commodior in propinquo lacu, ut Cluverius vult, Amulio exponendi parvulos fuerit facultas: præsertim cum & aliis scriptoribus ceteris ambiguum *lupæ* nomen de femina potius, quam de bruto animali accipiendum videatur. At dictum, tamen hoc pacto omnes etiam illæ de maximis aliis viris hoc pacto expositis, & divinitus a feris enutritis, traditæ historiæ in fabularum numerum referri possint. Neque video, cur existimemus, rem adeo absurdam esse, aut a veri similitudine abhorrentem, ut ad condendam urbem, quæ Regina universi terrarum orbis, & caput Ecclesiæ Dei delecta fatis esset, admirandorum casuum quædam concurreret varietas, ab summo rerum Arbitrio permissum; utque eadem urbs cujus progressus, & promota gradatim, incrementa semper aliquid traxere de admirabili, atque singulari, initia quoque præ ceteris haberet admirabilia: *reputantes*, ut Plutarchus *in Romulo* ait, *Remp. Romanam sine divino aliquo auspicio, & magno miraculo non fuisse eo potentiæ progressuram*.

Ut expositio infantium credibilis videatur, magni cujusdam Politici facit effatum, neminem mortalium, utut sceleribus omnibus inquinatum, omni omnino virtutis sensu destitutum esse: ideoque a sceleribus, quæ committit, abhorrentem parum sæpe caute aliis ea, at procul ab oculis suis, exsequenda committere. Quibus porro prodigia hæc creditu difficilia videntur, his alteri quorundam non minus antiquorum opinioni habenda fides erit, quam Dionysius extremo libro primo refert: Numitorem scilicet subtractis clanculum a filia nepotibus infantes duos alios in eorum locum substituisse, quos postea Amulius occiderit: atque ita servasse veros, eosque Accæ Laurentiæ Faustuli uxori lactandos tradidisse; unde postea *lupæ* nata fabula sit. Quod si & hæc minus vera videbitur, nec a fabula remota narratio, dandus est Plutarchi suspicionibus locus; statuendumque, vulgus sive adulatione, sive animi devotione, hunc vel vivo, vel defuncto Romulo habuisse honorem, ut regem suum istius fortean Accæ, a qua educatus fertur, quæque ob quæstum, quem corpore faciebat, ab agricolis *lupæ* cognomen meruerat, filium, Regum fingeret Albanorum, Martisque fuisse progeniem; non secus ac de Rege Latino, Nymphaque Marica, diu ante consimilem famam sparserat. Porro quemadmodum ad ignominiam illam, tamquam alumni meretriculæ delendam lactatio veræ adinventa fictaque est lupæ; ita facile fieri potuit, ut Amulius Albanorum Rex ad coercendum, castigandumque rebellantem, & jam tumultuantium caput Romulum, in expeditionem profectus, bello victus, occisusque fuerit: Numitorque, ut regnum recuperaret, cum Romulo pactum inierit; multaque alia istiusmodi evenerint, quorum sublato fabuloso isto Iliæ partu facilior expeditio est.

Utcunque sese res habuerit, non ea tanti momenti est: suffecerit ostendisse, antiquissimam Romanæ urbis memoriam ad Euandri tempora referri, quorum vetusta monumenta prima recensenda erant. Verum quoniam perpauca ex his cognita sunt, neque hic de Romanis Antiquitatibus accurate disputandi commodus occurrit locus, alias de iisdem differemus uberius; ubi nempe de Regionibus urbis agetur, in quibus illæ conspiciebantur.

Interim attingendum tamen, quinque fuisse regni Euandri reliqua monumenta: quorum primum *specus Caci* fuit: alterum *templum* ab ipso *Victoriæ* dedicatum in monte Palatino: tertium *Ara maxima* ab Hercule sibi ipsi structa: quartum *Ara Carmentæ* matris Euandri: quintum *Altare Jovis inventoris*.

CAP. II.

De muris urbis Romuleæ.

ROmulum novæ, seu potius renovatæ ab sese, urbis muros sulco, aratro circum Palatinum montem ducto, designasse, e Livio, Dionysio, Tacito, Plutarcho, Gellio, & Solino, liquido constat. Dionysius autem expresse etiam addit lib. II. *in quadrum* ductos: cui & Solinus assentitur cap. II. & ipse montis situs *quadratus* etiamnunc convenit: nec non Ennii versiculus, qui apud Festum exstat:

Et quis extiterit Romæ regnare quadratæ?

Unus hisce repugnat Plutarchus, qui in Romulo circularem ei figuram assignat: *Fossam hanc eodem, quo cœlum, nomine mundum vocant. Hinc urbes tamquam circulo centrum circumscripsere.* Cui Donatus in *Roma vetere & nova* satis liberaliter assentiri videtur, etymo vocis *Urbs* inductus, quam ab *orbe* ita dictam vult Varro. Quoniam vero paulo ante Plutarchus eam quadratam describit, solvit hunc nodum Donatus, Plutarchum asserens non urbem illic ipsam, sed urbis centrum quadratum dixisse, quod nonnihil in quadrum structum ante templum Apollinis, in quo ea, quæ ad augurium condendæ urbis observata fuerant, asservabantur. Et hoc ipsum in versu Ennii ita accipiendum esse; ac forsan etiam in Dionysio. In Solino vero verborum horumcce expendit sententiam: *Roma incipit a sylva, quæ est in area Apollinis, & ad supercilium scalarum Caci:* quæ non in Palatino, sed in Aventino fuisse dicit; & hinc illam expositionem arripit, *Dictaque est primum Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret posita:* quod æquilibrium, inquit, multo melius in circulari figura apparet, quam in quadrata.

Verum enimvero quod ad Dionysium attinet, nullo pacto sententia ejus interpretatione aliqua a vero sensu detorqueri debet: siquidem duobus locis *Romæ quadratæ* mentionem facit; libro nempe primo, ubi ait, Romulum, priusquam sulcum duceret, ad radicem collis *quadratam* urbis figuram descripsisse: tum dein secundo, ubi, Vestæ templum extra urbem fuisse, quæ *quadrata* dicebatur, & a Romulo muro cincta fuerat, refert. Solinus autem, quum *ad æquilibrium* eam positam dicit, non ponderis æquilibrium, sed figuræ adhibitum vult, quod tam in quadrata, & æquali laterum, quam circulari figura locum obtinet. Ennium quod attinet, quamquam a Festo expositus est, non tamen de structura paucorum palmorum, quæ vix aviculæ sufficeret, nedum regi, loqui existimandus est. At contra Plutarchi verba, (qui tamen auctor longe infra auctoritatem est Dionysii) cum Romulum ait e centro gyrum in orbem duxisse, de qualicunque potius accipienda sunt orbe, seu circuitu, quo civitas inclusa fuit, sive is quadratus esset, sive alterius figuræ; & hic circuitus *orbis* dictus est, uti Varro & Plutarchus volunt, quia isthic sulcus non, ut in campis, uno directoque procedit ductu, sed, prout loci situs fert, inflexus, varias efficit circumferentiæ figuras: quæ hic ob Palatini montis situm quadrangularem, cujusmodi etiamnunc conspicitur, quadrata fuit. Cetera vero Plutarchi verba, *Romulus eum locum, quem quadratam Romam vocant, condendæ urbi deligi volebat*, quis aliter quam de Palatino monte accipiat, quum Remus Aventinum sibi delegisset? Solini porro verbis obscurioribus, ubi de Caci scalis agit, clarior alias, & suo loco opportunior, lux affundetur. Ceterum sive quadrata murorum, sive circularis figura fuerit, parum refert, nec in eo salus posita est reip. literariæ.

A Exactum sulci ducti locum nemo melius Tacito describit: *Igitur*, inquit XII. lib. Ann. *a foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis Aram amplecteretur. Inde certis spatiis interjecti lapides per ima montis Palatini ad Aram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium, forumque Romanum, &c.* cujus descriptionis adminiculo totus murorum ambitus facile cognosci potest. Verum primum conciliandi sunt Plutarchus & Tacitus, qui in primo sulci ducti initio discrepant. Hic enim in foro Boario illum inchoatum vult, quod erat ad
B *S. Anastasiæ*: ille in Comitio, quod fuit inter *S. Mariæ Liberatricis* & *S. Laurentii* ædem *in miranda*: quæ duo ambo in extremo fuere latere montis Palatini boreali. Sed facilis hic compositu dissensus est. Non enim Tacitus in angulo, ad *S. Anastasiæ*, ubi Ara maxima erat, sed priusquam ad eum angulum perveniretur, sulcum inchoatum dicit. Plutarchi vero hæc est sententia, in Comitio fossam factam, cui *mundo* nomen, in quam primitiæ omnium rerum necessariarum, & aliquantum patriæ terræ ab unoquoque jactum: & inde haud procul mox inceptum sulcum. Unde non longe a medio latere utrique horum indicatum sulci
C fuit ductum initium. Quod si enim in medio istius lateris porta facta fuit, ad quam intermittere sulcum, levatoque aratro spatium illud intactum relinquere moris erat, perquam vero simile est, ad hanc aratri sublevationem evitandam initium sulci a spatio destinatæ portæ factum, quæ, uti dixi & mox pluribus probabitur, medium latus occupabat. Id ipsum & Romulus apud Livium expressis verbis dicit, libro primo, ubi de Romanis agit a Sabinis ad hanc usque portam pulsis. Verba Romuli ad Jovem conversi sunt: *Hic in Palatio prima urbis fundamenta jeci*, &c. & confirmat ipsissimis fere verbis Ovidius l. III. Tristium, Eleg. I.

D *——Vetus hæc est porta Palati,*
Hic Stator, hoc primum condita Roma loco est.

Initio ita stabilito, sequamur in Tacito sulci ductum: *Ut magnam Herculis aram complecteretur.* Aram hanc angulum constituisse ad ædem *S. Anastasiæ* certum est, ut alibi ostendetur: estque hæc prima sulci linea. Altera transeundo *per ima montis Palatini ad Aram Consi* (quam Tertullianus libro de spectaculis, cunctis assentientibus, proxime primam Circi maximi metam, atque ita haud procul ultra *S. Anastasiæ*, fuisse dicit) pertendebat *ad Curias veteres*: quæ licet a quibusdam proxime Ar-
E cum Titi constituantur, magis tamen illas proxime angulum fuisse, qui e regione *S. Gregorii* est, verisimile est. Nam, præterquam quod hæc *Ara Consi* ab arcu Titi aliquanto remotior fuit, vix credibile est, quidquid horum intermedium fuit, præsertim in tam accurata loci descriptione, a Tacito silentio fuisse præteritum. Erat autem vicinum huic arcui *Sacellum Larium*, ut videre est apud Solinum cap. secundo; ubi Ancus Martius habitasse dicitur *in summa via sacra, ubi ædes Larium est*. Sacram porro Viam illinc incepisse, aut non procul inde, certo certius est: sic ut pergendo cum
F Tacito *ad Sacellum Larium*, tertia linea describatur ad usque angulum, ubi hic arcus erat. Quarta indicatur his duobus verbis, *Forumque Romanum;* eaque inter *S. Mariæ Liberatricis*, & *S. Laurentii in miranda* ædes in foro finiebat. Non me fugit tamen, aliud quoque *Sacellum Larium* a Varrone inter Velabrum, & Viam novam, memorari: sed hoc sat longe ultra forum erat, adeoque extra muros Romuli, si verum est, paludem olim fuisse, ubi post *via nova*, & *sacellum* fuit.

Pergit Tacitus: *Capitolium non a Romulo, sed a Tito Tatio additum urbi creditur*: & ita a plerisque omnibus creditur. Attamen Marlianus aliter sentit, existimatque, additum urbi a Romulo, priusquam cum Tatio & Sabinis fœdus iceret. Argumenta, quibus innititur, sunt hæc: Portam Carmentalem a Romulo factam sub Capitolio: Capitolium a Livio *Arcem* dictum *Romanam* in bello contra Sabinos: neque usquam ab eodem mentionem fieri montis istius novis mœnibus urbi adjecti, uti facit ceterorum. Quoniam vero illa Historici ipsi obstant verba de Romulo: *Palatinum primum, in quo ipse erat educatus, muniit*: &, *Hic in Palatio prima urbi fundamenta jeci*: argutatur in verbis istis *primum*, & *prima fundamenta*; concluditque, *si prima, ergo alia postmodum jecerat fundamenta*. Verum ego contra liquidissimum Taciti testimonium, & tacitum ceterorum scriptorum consensum, minime necesse arbitror nova alia alicunde invenire mœnia, præter illa prima: idque absque urgente incolarum multitudine, & majus urbis spatium exigente: quæ, si post Sabinorum conjunctionem in triginta curias, ac tres centurias divisa fuit, qui numerus ter mille trecentos homines efficit, multo sane minor ante illam Tatii conjunctionem fuerit, necessario consequitur. Considerentur quæso Romuli vota facientis verba, uti ea Livius refert: *Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monimentum sit posteris, tua præsenti ope servatam urbem esse, voveo*. Occupaverat jam Tatius cum Sabinis Capitolium, & quantum loci est inter hoc & montem Palatinum: nihilominus Romulus *servatam urbem* dicit. Nec cetera ejusdem Historici verba dissentiunt, cum Sabinos ait occupata arce Romanos *ad veterem portam Palatii* persecutos: quæ verba cum porta muros etiam illic adhuc superfuisse indicant. Nec differunt, quæ post paullo sequuntur: *Nec procul jam a porta palatii erat*: (agit de Curtio) unde sequitur, obstantibus muris fugam Romanos ad portam intendisse. Verum Dionysius eandem pugnam libro secundo describens, dicensque, Sabinos Romanos ad urbem usque persecutos, & ad ipsam portam; neque magni laboris opus sibi jam ad urbem capiendam superesse existimantes, ab erumpente valida manu Romanæ juventutis, quæ ad tutelam mœnium relicta fuerat, repulsos, satis aperte ostendit, Sabinos in ea pugna extra civitatem fuisse.

Carmentalem portam a Romulo inter cetera exstructam verum est. Nam si ab Tatio facta fuisset, absque consensu auctoritateque Romuli fieri non potuisset, a quo murorum illa prolatio præcipue dependebat. Neque item negaverim *Asylum* a Romulo in Capitolio conditum, constiturumque, ad quod peregrinis esset tutum refugium: sed hoc minime concesserim, intra muros illud factum civitatis: quin potius vero similius est, extra urbem positum, ubi alienigenarum concursus neque quieti publicæ obstaret, neque securitati. *Arcem* in Capitolino monte ædificatam non abnuo: nam allati e Livio loci abunde arguunt, Arcem tum temporis Capitolinam intra civitatis ambitum non fuisse: verum propugnaculum potius, & munimentum urbis fuisse. Quod si testimoniis opus est, Dionysius sat idoneum suppeditat lib. II. ubi ait: Romulum Sabinorum metu Palatini montis muros turribus muniisse, Aventinum vero, & Capitolinum cum vicinis collibus, fossa, & vallo valido cinxisse, custodiisque eos firmis ad armentorum civiumque tutelam sepsisse. Quod si ab Livio additi Capitolii nulla facta mentio est, haud magni id refert; sufficit id ipsum a Tacito, & Dionysio factum; quorum hic, pace inter Romulum Tatiumque sancita, concordi eos animo regnum moderatos narrat, alterumque ex his Palatinum insedisse, alterum vero Capitolinum montem. Verba Livii, *Palatium primum muniit*; &, *Hic in Palatio prima urbi fundamenta jeci*, satis clara & liquida sunt: illam ad secundum cum Tatio simul prolatorum mœnium ambitum commode referri possunt: hæc pulchre ab Romulo dici potuerunt, quia primum ibi sulcum inchoaverat.

Tandem sive Capitolium ante, sive post Tatium mœnibus cinctum fuit: unde secunda munitio occœperit videndum est, priore jam abunde demonstrata. Una igitur omnium Antiquariorum sententia est, muros urbis a Capitolii latere, quod Tiberi supra forum *Montanara* obversum fuit, recta procedentes Circum maximum sub Aventino, hodie *Cerchi* dictum, amplexos, inde ad arcum deflexisse Constantini, & Amphitheatrum Titi, cui nunc *Coliseo* nomen, unde per viam *Pantani* appellatam semet retorquendo, pertingendoque ad *Macellum Corvorum*, alteram Capitolii extremitatem ascendisse. Sed hi, quantum ego video, plurimum in eo errant, quod & secundum hunc Romæ ambitum *quadratum* statuant. Dionysius certe, ubi templum Vestæ extra Romam Romuli quadratam collocat, semel tantum, idque in solo Palatino, urbem quadrangulari figura conditam, satis clare ac perspicue docet. Neque vero illud populi Romani per additos Sabinos augmentum, quorum numerus Romanorum multitudine sine dubio multo fuit inferior, tantum loci spatium exigebat; neque trium, quatuorve portarum numerus tantæ urbis, si quadrata fuisset, amplitudini respondebat. Quod ut manifeste a vero alienum esse appareat, quomodo, quæso, mœnia illa tam longe versus Tiberim extendere se potuere, si id ipsum flumen tum temporis Velabrum vel pertransivit, vel inundavit? Quid? nonne Tarquinius Priscus represso in alveum, quem nunc obtinet, fluvio, loca illa desiccavit? Ergo a Capitolio ad usque ripas Velabri decurrentes muri proxime *S. Theodori* cum veteribus conjungi potuere; & ab altera parte descendendo ad *S. Martinæ* facillime ad angulum illum deduci, qui *Sanctæ Mariæ Liberatricis* ædem ab æde *Sancti Laurentii in miranda* dispescit.

Nolim vero hic silentio præterire, Dionysium Halicarnasseum referre, præter Capitolium, *Cœlium* quoque, & *Quirinalem*, urbi a Romulo, & Tatio adjunctos. Quod ad *Quirinalem* attinet, habet sibi adstipulantem Dionysius Strabonem; veruntamen certior & potior est mihi Livii, Taciti que auctoritas: nam & immane montis illius spatium rem reddit omnino incredibilem. Attamen Solinus quoque cap. II. Numam *in colle primum Quirinali, deinde propter ædem Vestæ* habitasse tradit, ac si jam Numæ tempore mons hic urbis mœnibus inclusus fuerit. Unde forsan verum esse potest, partem *Quirinalis* extremo Romuli Tatiique regno, (quod & Dionysius indicare videtur,) ab affluente continuo multitudine accolarum occupatam fuisse, infessamque domiciliis: forsitan & *Cœlium*; eaque veluti suburbia partim ab his, partim ab ipso Numa, muro cincta: quum idem expressis verbis dicat, Cœlium montem a Numa mœnibus inclusum fuisse, quibus hactenus caruisset. Sed in his spissæ passim occurrunt tenebræ, & debilia argumenta. Fortassis plus nobis lucis in portarum urbis descriptione affulgebit.

CAP.

CAP. III.

De Portis Urbis.

DE Portis a Romulo urbi additis hæc Plinii verba sunt c. v. l. III. *Urbem tres portas habentem Romulus reliquit; aut, ut plurimas tradentibus credamus, quatuor.* Plura harum nomina in Varrone, Festo, aliisque leguntur, ut, *Mugonia*, *Trigonia*, *Pandana*, *Romana*, *Romanula*, *Libera*, *Carmentalis*, & *Janualis*: plura vero singulas habuisse vulgo creditur; in quibus eruendis dignoscendisque Antiquarii disputant.

Fulvius tres illas *Mugoniam*, *Pandanam*, & *Carmentalem* fuisse opinatur: *Mugoniam* vero eandem, quæ *Trigonia* Verrio appellatur; eamque fuisse *ad radices Palatii, inter forum & ficum Ruminalem*. Hanc autem primam a Romulo positam existimat, inductus in hanc sententiam hisce Ovidii III. El. I. Trist.

Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati.
Hic Stator: hoc primum condita Roma loco est.

At Ovidius de porta illic vetere Palatii agit, neque eam *Trigoniam* nominat. *Pandanam* ita dictam vult, quod panderetur intromittendis mercibus: eamque ad Asylum duxisse. Hanc & *Liberam* dictam, & *Romanulam* putat, &, quod in Varrone lib. IV. de Lingua Lat. legatur; *Ejus vestigia nunc manent tria; quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam*, &c. Saturniæ eam portam, non autem Romæ, fuisse sibi persuadet; in quo & assentientem sibi habet Blondum. *Carmentalis*, quæ sub Capitolio erat, extra controversiam est.

Marlianus *Mugoniam*, *Trigoniam*, & *Romanam* unius esse portæ nomina existimat, eamque haud procul abfuisse ab æde *S. Mariæ Novæ*, auctoritate potissimum permotus Festi, qui, *Romana*, ait, *Porta instituta est a Romulo in infirmo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est*: Templum vero & Clivum Victoriæ proxime dictam ædem fuisse affirmat. Dein *Pandanam*, *Liberam*, & *Romanulam* itidem unam tantum portam fuisse prope Velabrum, ex his Varronis lib. v. de L.L. *Laurentalia ab Acca Laurentia. Hujus sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulchrum Accæ, qui locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula.*

Panvinius Varronem secutus tres illas portas *Mugoniam* fuisse putat, *Romanulam*, & *Janualem*. *Mugionis*, seu *Mugoniam*, sive *Trigoniam* prope Arcum Titi fuisse censet, auctoritati obsecutus Dionysii, qui libro II. refert, Romulum templum Jovi Statori dedicasse ad *Portam* appellatam *Mugionis*, per quam e via sacra ibatur ad Palatium. Secundam, nempe *Romanulam*, seu *Romanam*, post aliquantulum circuitionis itidem haud procul ab arcu Titi collocat: *Janualem* vero non ita longe a Templo Jani in foro.

Donatus quatuor urbi Romuli portas tribuit; quarum *Carmentalem* & *Janualem* sub Capitolium collocat; veruntamen sub duplici hoc nomine unicam tantum fuisse credere videtur, addendo voculam *fortean*. *Mugoniæ* autem situm assignat prope ædem *S. Mariæ Novæ*, e regione Exquiliarum: *Romanulæ* vero e regione Aventini, & circi Maximi.

Orta mihi omnis hæc opinionum diversitas videtur ex eo, quod primam urbem Quadratam, in solo monte Palatino conditam, non ab ea distinxerint, quæ, accedente cum suis ad Romanos Tatio, addito Capitolio ampliata est: adeoque nec utriusque portas. Plures autem una porta in quadrata

A Roma ab Romulo ædificatas fuisse verosimile est: quarum una usum deinde alicujus ex his tribus præbuerit; aliæ cum ipsis destructæ muris fuerint, aut inutiles relictæ. Videamus igitur primum, quid de primis illis sententiendum videatur.

Romanula, (licet autem suo quisque sententiam animi expromat modo,) si ea, ut Varro vult, cujus supra verba attulimus, prope Velabrum fuit; Velabrum autem, ubi nunc *S. Georgii* ædes est, etiamnunc dicta *S. Georgii in Velabro*, ut eadem fuerit, necesse est, atque illa a Livio & Ovidio per antonomasiam *Porta vetus Palatii* appellata: nec ea alibi habere locum potuit, quam ad *S. Theodori*, ubi, cum

B de muris urbis agemus, primam a Romulo descriptam portam ostendemus. Hic autem murorum tractus alium me judice exitum habere nequit; quandoquidem ad sinistram, versus *S. Anastasiæ*, paludes totum occupabant Velabrum: ad dextram vero versus *S. Mariæ Liberatricis* templum in foro lacus Curtius fuit. Sed neque cum Marliano dicere licet, aut asserere, in secundis eam fuisse muris Velabrum versus; quoniam de tribus, quatuorve istius civitatis portis, hæc & Carmentalis situm nimis vicinum sibi habuissent. Tum vero & Varronis verba evidentissime contrarium indicant: *Hujus*, inquit, *sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam,*

C *exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accæ*, &c. *qui uterque locus extra urbem antiquam fuit non longe a porta Romanula.* Via nova namque, quæ inter Velabrum erat, & forum, nec non sepulcrum Accæ, quod in ea via fuit, ut post dicetur, extra quidem antiquam urbem fuere quadratam, non tamen intra secundam. Hoc igitur certum probatumque esto, portam *Romanulam* primæ urbis portam fuisse: dejectisque mox hac parte urbis mœnibus, cum pomœrium ejus proferretur, inutilem restitisse, nomenque veteris portæ Palatii tenuisse, ad ipsam usque Varronis, Ovidii, & Livii ætatem, qui illius tamquam adhuc superstitis faciunt

D mentionem.

Ait porro Varro lib. IV. *Alteram Romanulam, quæ est dicta ab Roma, quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ sacellum.* Quod si hic locus non corruptus est, nec vox *navalia* pro *nova via* mendose in codices irrepsit, (sicut Josephus Scaliger infeliciter emendavit) ut in descriptione regionis octavæ uberius ostendetur, non alia hæc esse navalia suspicandum est, quam illam fluminis partem, quæ proxime *S. Mariæ in Cosmedino* est, e regione istius lateris Palatii. Appellatur ea ripa hodie *Marmorata*, a marmoribus, quæ ibidem ante annos aliquot ex-

E onerari solebant: & primis illis Romæ temporibus facile fieri potuit, ut ibidem naves e mare flumen subeuntes, aut saltem secundo amne e Sabinis delabentes exonerarentur, quæ nunc ad *Ripettam* appellunt: quas verisimile est, cum nondum tot obstarent pontes, intima urbis penetrasse, ibique onus suum deposuisse. Ad hunc veterem appulsum Virgilius in VIII. Æn. alluisse videtur, Æneam e regione Aræ Maximæ appulisse fingens, ubi tum temporis Evander sacra faciebat. Quod ut eo facilius probem, Plutarchi adducam verba, qui, in *Romulo*, habitasse illum dicit, *qua ex Palatio in Circum Maximum itur; juxta quem locum sunt,*

F *quos pulchri littoris gradus vocitant.* At hi gradus ab altera Palatii parte esse non potuere, quæ est ad *S. Anastasiæ*, quoniam nulla alia, quam hæc, montis pars ripæ fluminis objecta est: & *pulchrum* illud *litus* credi possit illa fuisse ripa marmorata, munita postea, ornataque a Tarquinio Prisco, quum Tiberim exsiccatis Velabri paludibus isthuc loci reduxit, ibique exitum cloacæ maximæ fecit, qui & nunc ibidem conspicitur. Sed & etiamnunc

in toto hoc ripæ tractu ingentia veterum substructionum fragmina ex quadrato lapide observantur ad *pontem* usque *quatuor capitum*, quæ si non prisci nominis *pulchri litoris* servant argumenta, saltem monstrant ac retinent indicia: & hi gradus, si non in Palatino fuere, forsan in hoc ipso fuerunt litore, per quos in planitiem ripæ descendebatur. Sic ut, quum Plutarchus Romulum in Palatino monte versus Circum Maximum habitasse dicit, ac proxime *pulchrum* hoc *litus*; penicillo quasi angulum mihi istum delineare videatur, qui supra *S. Anastasiæ* ædem prominet.

Romana, quam Marlianus proximam Amphitheatro Titi credidit, & Fulvius propinquam ficui Ruminali, a *Romanula* diversa non est, si qua Festo fides, qui *institutam* dicit *a Romulo in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est*. Clivus enim Victoriæ non in vicinia Amphitheatri Titi fuit, ut Marliano visum est; verum ad *S. Theodori*, ut postea suo loco clarissime demonstrabitur. Mentio vero graduum, quam illic Festus facit, convenit itidem cum Varronis verbis, qui aperte *gradus Romanulæ* nominat. Ceterum ita existimo, Portam *Romanam*, vel propter suam, vel propter ipsius Romæ, cujus usibus inservierat, parvitatem, a compluribus diminutive *Romanulam* fuisse appellatam; nisi forte diminutivum hoc a voce *Romula* venit, uti Festus innuere videtur, *Romanam*, inquiens, *portam antea Romulam vocitatam ferunt*.

Mugoniæ, sive *Mucionis*, a Varrone in IV. de L. L. mentio fit his verbis: *Præterea intra muros video portas dici, in Palatio Mucionis, mugitu, quod & pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebat; alteram Romulam*, &c. Dionysius lib. II. ait, Romulum templum Jovis Statoris ad portam Mugoniam exstruxisse, unde per viam sacram itur ad Palatium. Solinus autem in Polyhistore Tarquinium Priscum habitasse refert *ad Mugoniam portam, supra summam novam viam*. Hinc Marlianus & Panvinius credidere ad *S. Mariæ Novæ* eam sitam fuisse, templum illic Jovis Statoris, & Clivum Victoriæ fuisse existimantes, unde per viam sacram ad Palatium adscenderetur. At quum vero verius sit, Clivum istum, & templum illud non in summa sacra via, sed prope viam novam fuisse, quæ inter forum & Velabrum fuit, adeoque vicina ædi *S. Theodori*, ut alibi ostendetur, (ubi portæ Romanulæ situm collocavimus) affirmare cogimur, portam *Mugoniam* & *Romanulam* unam eandemque fuisse. Attamen, inquiet aliquis, si una hæc porta fuit binominis, unde a Varrone duæ diversæ statuuntur? Hic mihi necessitatem impositam video aut Varroni fidem derogandi, aut Dionysio & Solino. Veruntamen vix a me impetrare possum, ut Varroni fidem non habeam, qui & Romanus scriptor fuit, & multo his majore pollens auctoritate, atque item tempore antiquior: veroque propius accedit, illos facilius in errorem incidere potuisse, atque in portæ nomine lapsos, quæ ipsorum ætate non amplius existebat, quam Varronem. Ceterum ubi porta Mugonia fuerit, nonnisi duce ego ipsomet Solino indagare cupiam, ut hoc pacto error ipsius eo facilius detegatur. Varro l. I. de vita P. R. citatus a Nonio Marcello tit. *de Doctorum indagine*, tradit, Regem Ancum Martium ad portam Mugoniam ædes suas habuisse. *Ancum Martium*, inquit, *in Palatio ad Portam Mugionis secundum viam sub sinistra*. Solinus cap. II. easdem Anci ædes describens, habitasse eum ait *in summa sacra via, ubi ædes Larium est*. Verum ubi, quæso, hæc summa Sacra via fuit? ultra scilicet ædem *S. Mariæ Novæ*, & Arcum Titi: eratque altera istius viæ extremitas a via nova longissime remota, uti opportuniore loco prohabitur. Ergo ultra *S. Mariæ Novæ* templum, sub Palatini montis angulum, domus Anci Martii fuit, & consequenter porta quoque Mugonia: & pro templo Jovis Statoris sacellum isthic fuit Larium. Quod non solum ex allatis supra Solini verbis liquet; verum etiam ex illis Taciti, quibus præcedenti capite, quum de mœnibus urbis egi, hoc in loco sacellum illud situm fuisse conclusi. Sed in his aliorum me lubens judicio submiserim. Ceterum utrum hæc a Trigonia diversa, an vero eadem fuerit, conjectu mihi perdifficile occurrit. Hoc saltem confirmare ausim, non a vero alienum videri, Romulum duas tresve posuisse in prima sua urbe portas quandoquidem tres quatuorve in secunda, aliquanto illa grandiore, constituit. Statuta igitur una Romanula nempe ad *S. Theodori*; altera Mugonia in summa sacra via, haud procul ea ab æde *S. Mariæ Novæ* abesse potuit. Quod si vero tres numero fuerint, Trigonia sine dubio in altero latere fuit, quod circo obversum erat: sic ut per unam ad fauces exiretur, quæ Cœlium ab Esquilino distinebant: per alteram vero ad illas, quæ inter eundem Cœlium & Aventinum intercedebant; unde præcipuus & largissimus e nova Civitate in Latium exitus erat.

Ceterum hoc mihi unum adhuc dicendum superesse video, *Mugoniam* portam teste Varrone a *mugitu* boum nomen invenisse, quæ illac ad oppidum antiquum Bucitatum exigebatur. At si qua Festo fides, *a Mugio quodam, qui eidem tuendæ præfuit*. *Trigoniæ* nomen vel a figura derivari potuit, vel a triangulari spatio quo a ceteris duabus æqualiter discreta erat, atque divisa.

Dicenda & paucula quædam sunt de *Pandana*. Fulvius & Blondus existimarunt, Saturniæ eam fuisse portam, non autem Romæ. Sed negat hoc Marlianus e Varrone colligi posse, quandoquidem is nomen illam tantum *Saturniæ* obtinuisse ait, & a Romulo in antiqua illa urbe positam. Ubinam igitur eam fuisse dicemus? nam, quod Marlianus in Velabro eam fuisse censuit, a vero diversissimum est, siquidem primi urbis Romuleæ muri eousque non pertingebant: secundi vero portam aliam tam vicinam Carmentali habere non potuerunt. Neque item Velabrum in Capitolio fuit, ubi quondam urbem Saturniam conditam didicimus. Sed nec ad eum montem præter Carmentalem, & Janualem, ut mox videbimus, alteri portæ locus esse potuit. Quare illa mihi, cum nusquam ei locus fuerit, non urbis, sed arcis aliqua Capitolinæ porta fuisse videtur. Capitolium namque & muris fuisse cinctum, & portis suis instructum constat. Quod si autem porta hæc ante Varronis tempora dicta fuit *Saturnia*, id est montis Saturnii, certe una ex illius esse portis debuit: per quam insuper Fulvius Blondusque ad Asylum exitum fuisse asserunt. Quod si verum est, certum vera me dixisse illud argumentum est: quibus & illa Solini e cap. II. adiderim: *Item & montem Capitolinum Saturnium nominarunt; Castelli quoque, quod excitaverant, portam Saturniam appellaverunt, quæ postea Pandana vocata est*. Cui & Nonius accedit cap. I. voce *Pandere*: *Pandere Varro existimat ea causa dici, quod, qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur. Pandere ergo, quasi panem dare: & quod numquam fanum talibus clauderetur. De vita Pop. Romani l. I. Hanc deam Ælius putat esse Cererem: sed, quod, in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum a pane dando pandere, quod est aperire*.

Sed ad ceteras secundi murorum ambitus portas transeamus: quæ tres quatuorve illæ sunt a Romulo relictæ. Quandoquidem autem prima urbis forma quadrata, uti ostendi, non tota immutata

fuit, Porta Mugonia, & Trigonia, sive illæ una eademque, sive duæ fuerint, intactæ restiterunt. Ceteræ in parte urbis prolata Carmentalis & Janualis fuere, quæ in locum Romanulæ successere, relictæ & ipsæ nec destructæ, quum mœnia diruerentur.

Carmentalem ad Capitolini montis ima fuisse versus Tiberim, extra controversiam est, ubi nunc forum *Montanara* est, consentientibus in eo cunctis antiquariis. Nimis enim perspicue a Plutarcho in Camillo describitur, quam ut de eo dubitari queat; ubi Pontium refert Tiberim transnatantem *ad Carmentalem portam contendisse, ut, quid ageretur, per silentium specularetur: nam huic Capitolium maxime e directo incumbit.* Nec minus clare id ipsum Solinus indicat, cap. 11. *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, ubi Carmentale fanum est, a qua Carmentalis portæ nomen est.* Sextus Pompejus docet Jani Templum, & Theatrum Marcelli, ubi hodie *Sabelliorum* Principum palatium est, extra Carmentalem portam fuisse. Publius Victor & ipse eam in regione octava collocat versus Circum Flaminium, qui paulo supra Theatrum Marcelli fuit. Et Livius l. VII. decadis tertiæ idem demonstrat, *Ab æde Apollinis*, inquiens, (quæ inter Circum illum & Forum *Montanara* fuit,) *boves duæ albæ porta Carmentali in urbem deductæ*, &c. & postpaullo, *a porta, Jugario vico*, (qui sub illa Capitolii parte fuit) *in forum venere*. Lubens autem fateor, si muri illi primum a Palatino in Capitolinum directi, postea vero novi muri addito urbi Janiculo Tiberim versus instituti fuere, situm veterem portæ Carmentalis nonnihil immutatum fuisse; at spatium tamen illud exigui fuerit momenti.

Janualem Macrobius lib. 1. Saturnal. ad radices montis Viminalis collocat: quod si verum est, confirmat ea, quæ de parte Quirinalis urbis pomœrio a Tatio comprehensa Dionysius, & Strabo tradunt. Atque ita muris a monte *Bagnanapoli* versus ædem *S. Agathæ* tendentibus porta Janualis in fundo esse potuit, unde montis Viminalis exsurgunt radices. Verum, præterquam quod illa fabulosa de aquis e Jani templo versus illam portam subita eruptione in auxilium Romuli, qui ibi a Sabinis premebatur, exundantibus narratio etiam portæ ipsius fidem elevat, (licet illa ab Ovidio in primo Fastorum, & a Servio in 1. Æneidos affirmetur) tota illa Macrobii assertio a Varrone lib. IV. Janualem portam describente confutatur, & in fumos abit. *Tertia*, inquit, ille, *Janualis dicta a Jano: & ideo ibi positum Jani signum, & ejus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in Annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit*, &c. Fuit enim templum hocce Jani in foro, mutatumque tempore Procopii, uti illud lib. 11. de bellis Goth. describit, in ædiculam æneam. Unde liquet ædiculam illam tum temporis (ut in regione octava fusius ostendam,) non autem aliquam urbis Romæ portam, tempore pacis clusam fuisse: verum primis temporibus Jani templum portam fuisse, & in Insula, cum Servius Tullius Romanæ urbis pomœria proferret, in honorem venerationemque signi a Romulo & Tatio ibidem Jano dedicati relictam, (de quo plura post in regione octava) atque inde nomen accepisse: postea vero sublata illa porta sacellum Jano factum, in quo cultus fuit, ritusque ille a Numa institutus tempore pacis illud cludendi perpetuo deinceps observatus, retentusque. Nisi forte ipse Numa urbem ampliando dilatandoque muros, portam illam ad usque radices montis Viminalis, ut ex Macrobio vidimus, protulerit, & pristinam illam in ædiculam converterit, aut vicino Jano ædiculam exstruxerit: quæ sententia mihi non aliena a vero videtur. Quod ad fabulam attinet erumpentium e Jano aquarum, Varro aliquam veritatis indicinam facit, fontem ejus in quarto exhibens: *Lautolæ*, inquit, *a lavando, quod ibi ad Janum Geminum aquæ calidæ fuerunt*. Quod autem ad situm, si muri sub Capitolio ab æde *S. Mariæ* ad *S. Laurentii in Miranda*, aut non procul ab utraque æde procurrerint, locus ejus portæ non longe ab æde *S. Hadriani* remotus fuerit, necesse est, ubi aquarum illarum Jani templo adversus Sabinos fugientes erumpentium fabulosam exundationem obtigisse verosimile est: ut postea opportunius docebitur.

CAP. IV.

De variis mœnium post Romulum prolatationibus.

Romulo Numa successit, qui, ut civium animos assiduis bellis exasperatos emolliret, majorem religionis & sacrorum, quam proferendæ urbis curam habuit; quamquam Dionysius montem illum Quirinalem veteri urbi adjecisse tradit. Sunt tamen alii, uti dictum, qui ante Numam a Tatio id factum asserant. Nonnulli rursus Servio Tullio idipsum tribuunt: quæ sententiarum varietas me judice ex eo orta, quod urbs sensim increverit, & sub hoc rege mons tamquam suburbium habitari cœptus, sub alio muris postea circumdatus fuerit. Ad hunc modum sub Tatio fortean pars Quirinalis coli cœpta, quam forte postea Numa muris cinxit; neque enim id toti ab eo monti factum verosimile est: reliquum vero quod superfuit facile ab Tullio addi potuit. Qui Numæ successit Tullus Hostilius, montem Cœlium muris circumdedit, & Albanis incolendum tradidit. Ancus Martius Romam usque ultra Aventinum extendit: & inde Tiberi ponte juncto Janiculum ei adjunxit, qui a Latinis incoleretur. Quoniam vero intervallum illud, quod inter istos montes fuit, non adeo magnum loci spatium occupabat, firmandæ urbi fossas addidit, quas *Fossas Quiritium* dictas Livius in primo scribit: Auctor vero de Viris Illustribus in Tarquinio Superbo *Fossas Quiritium* Cloacam Maximam appellatam fuisse refert. Varro a Servio in VIII. Æneid. adductus Aventinum a Romulo Sabinis datum ait: *Varro tamen*, inquit Servius, *in gentes Pop. Rom. Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente fluvio provinciæ suæ appellaverunt Aventinum*. Tarquinius magnificum urbi munimen e lapide quadrato inchoavit. Servius Tullius porro crescente quotidie incolarum multitudine Romam in usque Quirinalem, Viminalem, & Esquilinum extendit, & ubi res poscere visa est, novo muro fossaque & vallo cinxit. Tarquinius dein Superbus stupendo illam aggere ad ortum solis munivit. Post hosce Reges ampliata mutataque a quoquam alio urbis mœnia non legi, usque ad Aureliani tempora, qui in tam ingens ea spatium protulit, ut quinquaginta urbis ambitum millia passuum occupasse Vopiscus auctor sit. Hæc ab Aureliano valido opere exstructa variis deinceps Barbarorum incursionibus disjecta, ac diruta, diversis iterum temporibus a Belisario, Totila, Narsete, summisque Pontificibus instaurata sunt, atque restituta. Atque hæc sunt, quæ de muris urbis Romæ ex antiquis scriptoribus colligere, & sub unum velut conjectum subjicere licuit oculorum.

Existimat Donatus, Janiculum, & quæ trans Tiberim loca, olim extra Romam fuisse; quod, cum exercitum intra urbem habere non liceret, nihilominus sub Comitiorum tempus armati in eum montem milites missi fuerint, qui pro tutela urbis

excubarent, uti Dio tradit lib. xxxv. & Aulus (A) Gellius (sive is Agellius, ut alii volunt, appellandus est, nam de eo non contenderim) cap. xxvii. lib. xvi. asserit Tiberinam insulam olim extra urbem habitam: Idem & de Tiberi arguit, de quo Varro in iv. *Itaque Tiberis amnis, qui ambit campum Martium & urbem*: unde concludit: *si Janiculum ponatur intra urbem, Tiberis non ambiret illam flumine, sed interflueret*. Tandem & Festum adducit, qui Ludii ossa primum in Janiculo condita, post in urbem tralata refert. Nos tamen firmiter nobis persuasimus, Transtiberina loca & Janiculum ingenti murorum ambitu olim urbi fuisse (B) connexa; eo solo muniendi intermisso spatio, quod interfluens ad transitum Tiberis occupabat, qui, cum nullus ripas murus impediret, libere hinc inde pontibus transibatur: ita ut utraque ripa intra mœnia inclusa fuerit. Nec multum obstat appellatio nominis, cujus haud ita magna habenda est ratio: quum & Livium nobis faventem habeamus, qui in primo ait: *Janiculum quoque adjectum*. uti ante dixerat, *Cœlius additur urbi mons*: quem ubi muro cinctum narravit, pergit: *Id non muro solum, sed & ob commoditatem itineris ponte sublicio tum primum in Tiberim facto conjungi urbi placuit*. Ad argumenta illa, quæ obstare videntur, parata (C) responsio est. Aliud est exercitum in urbe habere, aliud partem juventutis armatam in aliquam ejus partem, aut mœnia, ad tutelam urbis mittere. Quamquam & in urbem aliquando admissus exercitus est, ut cum occupatum ab Appio Herdonio Capitolium recuperandum fuit, & cum Galli a Camillo urbe expulsi sunt. Insula porro Tiberina extra Romam fuit, non, quod Roma non ultra Tiberim extenderetur, verum quod veteres muri eam partem Tiberis, in qua insula erat, non includerent, aut complecterentur, uti mox videbimus. De Tiberi, *qui ambit campum Martium & urbem*, si ita rigide verbi etymon hic observandum (D) est, nil tamen obstat, quo minus Transtiberina loca intra urbis mœnia fuisse affirmemus. *Ambire* namque circumire significat: Romam vero etiam absque Transtiberina regione a fluvio circumitam dici non potest. Quod si tandem ossa Ludii in Janiculo extra urbem sepulta dicantur, non tamen in ea montis parte, quæ muro clausa fuit; verum potius extra illam condita fuisse vero propius est, quod is inter septem ceteros Romæ colles numeratus non fuerit, exigua tantum ejus parte mœnibus urbis inclusa. Verum sicut de hisce serram reciprocare contentionis meum non est; ita suo cuique hic frui per me licebit, utique ju- (E) dicio, & animi sententia: atque ego inceptum pergo detexere: non multum etiam de describendo vetere urbis situ, variisque sub Numa, & Tullo, & Anco pomœriis delineandis sollicitus; in quibus alii mentis suæ potius conceptus, quam ipsam secuti sunt veritatem. At in mœnibus a Servio Tullio urbi circumdatis major mihi, & accuratior adhibenda diligentia videtur. Verum ut hic quam cautissime progrediamur, illud primum videndum, decidendumque est, utrum inter Servium Tullium & Aurelianum neminem alium urbis mœnia protulisse certa res sit: in quo ab Antiquariis disputatur. (F)

Equidem ita sentio, pleno ore affirmari posse nullam inter istos duos Principes extitisse mœnium situs mutationem: quamquam ultra pomœrium illud in immensum quantum spatium ædificationem prolatam non negaverim. Afferant licet Marlianus, & Panvinius, ac Fabritius, aliique abs sua parte, mœnia urbis tempore reipublicæ ultra *pontem Sixti* versus Portam Septimianam trans Tiberim pertigisse, quum tamen hujus suæ imaginariæ sententiæ nullum habeant idoneum ex antiquis scriptoribus auctorem, unius mihi, qui his adversatur, Dionysii auctoritas mille instar erit testium; qui lib. iv. de Servio agens, *Hic regum ultimus*, inquit, *urbis circuitum protulit, facta quinque collibus duorum adjectione. Ulterius postea non transiit murus Civitatis, vetantibus, ut dicunt, religionibus, Sed sunt loca circum habitata omnia, multa, & ingentia, & aperta, captuque facilia ab hostibus; & si quisquam hoc intuens civitatis magnitudinem vellet investigare, errare cogeretur, nec signum teneret aliquod, quo ipsa se extendat, vel quo desinat: sic exterius civitati junctum est, & civitatis in infinitum protensæ præ se fert speciem: sed si a muro dimensu quidem difficili ob domos undique sibi junctas, conservantesque pluribus in locis vestigia antiquæ structuræ, metiri velit, ambitu, quo Atheniensium civitas continetur, haud multo apparebit amplior Romæ circuitus*. Vixit, fuitque Romæ Dionysius sub Tiberio: qui non modo fide dignissimus scriptor est, sed & oculis ipse suis ea in re credere potuit. Accedit huic & Strabo, qui Servium ad tutamen urbis Exquilias ei adjunxisse tradit, & montem Viminalem, ne ea loca incursibus hostium opportuna relinqueret, & ut a Capitolio ad usque Quirinalem ducere murum posset. Inde, ne ab altero horum collium latere invasio urbis prona esset, aggerem duxit. Atque de hac urbis munitione Strabo ita loquitur, absque ulla alterius a quoquam facti muri mentione, ac si ea suo etiam tunc ævo sarta tecta perduraret, id est tempore eodem, sub quo vixit, Tiberii.

Mirifice hæc cum alio quodam Dionysii loco lib. iv. conveniunt, ubi ait, Romam præter partem illam, quæ Tiberi prætexebatur, aliamque illam aggere clausam versus portam Exquilinam, super colles, præcisasque rupes, totam firmiter munitam fuisse. Quibuscum illa Plinii consentiunt, quæ de munitionibus urbis lib. iii. cap. v. tradit: *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano. Cetero munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus*. Quare non ultra montes a Servio pomœrio inclusos, & præsertim ultra Capitolium in planitie *montis Sixti*, Romana tum temporis mœnia extensa fuisse videri potest. quod si cui non satis probatum videatur, aliis etiam liquidioribus facile confirmari possit argumentis.


Carmentalem de cetero portam non inutilem plane in urbe restitasse, (quamquam post Aurelianum inutilis fuit) sexcentis e Livio doceri locis queat: verum de temporibus agunt ante Syllæ dictaturam, a quo mœnia ampliata volunt; iis ego non utendum censeo. At Ovidius, Sylla longe tempore posterior, lib. vi. Fastorum Columnæ bellicæ meminit, quæ fuit ad Circum Flaminium. unde ait, (loquitur autem de tempore præsenti) hastam mitti solitam, belli indictricem:

Prospicit a tergo summum brevis area Circum,
Est ubi non parvæ parva Columna notæ.
Hic solet hasta manu belli prænuntia mitti
In regem, & gentes, cum placet arma capi.

Atqui hic ritus nonnisi extra civitatem usurpabatur. Ceterum Varro omnem dubitandi ansam præcidit, qui lib. v. de L. L. Carmentalem inter eas portas quæ ipsius ævo inutiles in urbe restabant, non numerat: quod sine dubio, si muri urbis ultra processissent, facturus fuisse videtur, non secus ac post Aurelianum Aurelius Victor & Rufus fecere. Neque illa alicujus momenti responsio est, potuisse & cum muris portam proferri; quandoquidem illa usque ad Victoris ævum sub Capitolio erat, parsque regionis fori. Addatur his & Festus in *Tauriis*, ubi de ludis *Tauriis* appellatis ita loquitur; *Fiunt in*

Circo Flaminio, ne intra muros evocentur dii inferi. Agit illic Festus de tempore præsenti, ac sui ævi, quod Syllano longe posterius. Accedat iisdem & Dio, qui lib. LV. Octavii porticum circa extrema Augusti extra urbem collocat: *Sed Tiberius initio mensis, quo ipse iniit Consulatum cum Cn. Pisone, senatum coegit in Octavii. Is enim locus erat extra mœnia.* Nec aliter Josephus Hebræus extremo libro VII. de bello Judaico Vespasianum & Titum tradit, priusquam triumphantes Romam ingrederentur, in eadem Octavii porticu a Senatu exceptos fuisse. Hanc autem Vellejus lib. II. & Plinius cap. III. lib. XXXIV. ad circum Flaminium fuisse dicunt. Ergo sat longe ultra *pontem Sixti*, & haud procul a radicibus Capitolii: atque ita nec Augusti ævo, neque Vespasiani mœnia urbis mota, prolataque fuere.

Ab illis, quæ e Varrone, Ovidio, Dionysio, Festo, Plinio, Josepho indicata sunt, temporibus ad Aurelianum usque nulla mihi argumenta occurrunt, quibus aliquid affirmare certo liceat: veruntamen sufficere ea posse existimem, quæ ab auguriis petuntur, murorum prolationem vetantibus: ad quæ præter Dionysium Cicero quoque in iis, quæ Epist. XXXIII. lib. XIII. ad Atticum refert de mentione facta campum Martium mœnibus includendi, irrito licet conatu, alludere videtur. Porro abunde magnum, validumque nullæ in muris factæ mutationis argumentum est, quod de re tam memorabili ne minimum quidem apud quemquam veterum scriptorum vestigium, aut indicium sit, aut ullum omnino verbum. Sed nec vero id simile est. Nam quod Roma extra mœnia latius, quam intra eorum ambitum habitata fuerit, permissumque, ut illa ædificiis subjectis & adstructis absconderentur, plurimisque portis intercideretur, certum mihi indicium est, murorum illam gentium dominam, ingenti amplitudine sua nixam, & imperii magnitudine ab incursionibus tutam securamque, nullam postea habuisse curam: donec triginta sub Gallieno exortis tyrannis, Aurelianum ea subiit cogitatio, prospiciendum urbis securitati, muroque universam cludendam, firmandamque. Atque eccum testem idoneum Vopiscum: *Cum videretur posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus muros urbis Romæ dilatavit*, &c.



CAP. V.

De Pomœrio, ejusque prolationibus.

At si Sylla, inquiet aliquis, aliique pomœrium protulere, quare cum eo non & muros urbis ulterius protenderunt? Ergo hic jam locus est explicandi, quid proprie *Pomœrium* fuerit, & quid in eo proferendo veteres Historici mutatum voluerint.

Vetustissima pomœrii significatio fuisse a Livio lib. primo exponitur: *Pomœrium*, inquit, *verbi vim solam intuentes postmœnium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjunguntur, & extrinsecus puri aliquid pateret soli. Hoc spatium, quod nec habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, Pomœrium Romani appellarunt, & in urbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.* A Festo vocatur etiam *Prosimurium*: *Prosimurium esse ait Antistius in commentario juris Pontificalis Pomœrium, id est, locum proximum muro. Cato: olim quidem omnes auspicabantur extra Aventinum, nunc etiam intra ædificia. Dictum autem Pomœrium, quasi Promœrium*, &c. & paulo post.: *Dictum autem videtur Pomœrium, veluti post mœros, id est, quod esset retro, & intra muros urbis.* Quoniam igitur, cum muri alicujus protollerentur civitatis, ab antiquis Hetruscis simul etiam pomœrium proferri solitum erat, natus inde error Antiquariorum est pervulgatus, ut cum po-

mœrium aliquando ab hoc, vel illo, prolatum legitur, mœnia etiam prolata existimaverint, tradiderintque; quum meo quidem judicio in Romanæ urbis descriptione accuratius agendum, & inter utrumque distinguendum sit: idque pluribus de caussis.

Ac primum quidem Festus in *Prosimurio* aperte dicit, vetustissimum Pomœrium a Romulo initio urbis conditæ Palatini montis circuitu terminatum: (quamquam cum ab ipso Romulo, tum ab ceteris regibus muri aliquoties prolati sunt,) a Servio primum ulterius extensum: *Antiquissimum Romuli Pomœrium Palatini radicibus terminatur. Protulit id Ser. Tullius Rex; item L. Cornelius Sulla*, &c. Quod si vero Festi auctoritas cuiquam levior videtur, eccum & Livium idipsum apertius adhuc l. I. confirmantem, ubi ambitum urbis a Tullo Hostilio, Anco Martio, & Servio Tullio pluribus adjunctis collibus dilatatum refert: verum pomœrium a Servio Tullio solummodo promotum tradit, & a mœnium prolatione distinguit. *Addit*, inquit, *duos colles, Quirinalem, Viminalemque, ac deinceps auget Esquilias; aggere, & fossa, & muro urbem circumdat. Item pomœrium profert.* Ubi vox *item* addita diversitatem cum facti, tum temporis indicat, ostenditque pomœrium posterius, & non una cum mœnibus prolatum, neque nisi tum demum post Romulum: confirmaturque idipsum iis, quæ de significatione vocis *pomœrii* mox subjiciuntur. Unde & ejusdem, quæ sequuntur verba, quæque superius a me allata sunt, *& in urbis incremento, semper quantum mœnia processura erant*, &c. de more Hetrusco, Latino, & Romano, simpliciter accipienda sunt, non autem, ut una cum mœnibus pomœrium quoque prolatum esse censeatur. Accedat his tertius testis Aulus Gellius, qui lib. XIII. cap. XIV. cum & ipse dixisset, *Antiquissimum autem pomœrium, quod a Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur*; qua de caussa Aventinus urbis circuitui inclusus non esset, inquirens, solos prolati pomœrii auctores Tullium, Syllam, & Cæsarem nominat, numeratque.

Secundo, Pomœrium a Sylla, Cæsare Julio, & Octaviano Augusto mutatum fuit; & tamen muros urbis Dionysius ullo umquam tempore eo, quo a Tullio erant positi, loco promotos expresse negat, quod religione id vetaretur; ut proximo a me capite dictum memini: cujus auctoritas in distinguendis a pomœrio muris mihi invicta videtur, & inexpugnabilis. Degebat Dionysius Romæ tempore Augusti, adeoque ab ævo Syllæ Cæsarisque non admodum remotus ignorare non poterat, prolato pomœrio mœnia quoque urbis ab iisdem fuisse promota, atque ita de re sibi visu cognita contrarium asserere. Quod si nec hæc sufficere alicui videbuntur, expendat ea velim accuratius, quæ superius de non prolatis ante Aureliani tempora muris attuli.

Tertio, Vopiscus Aurelianum mœnia amplissimo dilatasse ambitu scribit, immoto immutatoque pomœrio: *Nec tamen addidit pomœrio eo tempore, sed postea.* Ecce hic, quod notandum, disertissimis verbis mœnia extensa leguntur, relicto vetere intra eorum novum ambitum exteriore pomœrio.

Quarto, additus urbi ab Anco Martio fuit Aventinus, murisque inclusus: attamen hunc usque ad Claudii tempora extra pomœrium fuisse auctor est Aulus Gellius, idque cunctis consentientibus. Montem vero illum Romæ inclusum fuisse vel ex Dionysio lib. III. videre est: *Eratque*, ait ille, *in colle Palatino dicto, ubi prima civitatis pars fuit condita, angusta profundaque valle sejunctus: nunc autem Roma utrumque amplectitur.* Et lib. IV. *Et in Aventinum perrexerunt. Is enim unus est e collibus civitate comprehensis*, &c. Quid? tantusne scriptor mendacii insimulandus erit? atqui testem habet gravissimum Livium lib. I. ubi de Anco agit: *Secutusque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant, in hostibus in civitatem accipiendis, Romam traduxit: & cum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque Arcem, Cœlium montem Albani implessent, Aventinum novæ multitudini datum.* Hic mons Aventinus, non secus atque Capitolinus, & Cœlius, urbi additus memoratur: sed clarius etiam postpaullo: *Tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis, quibus, ut jungeretur Palatio Aventinus, ad Murciæ datæ sedes.* ut & antea, ubi non minus liquide de Rege Aventino ait; *Is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanæ urbis.* Nec diversus ab eo Eutropius, lib. primo: *Aventinum*, inquit, *montem Civitati adjecit, & Janiculum.* At clarissime Virgilius in VI.

Septemque una sibi muro circumdabit arces.

Quin nec Strabonis illa lib. V. rem minus aperte docent: *Ancus Martius Cœlium montem, & Aventinum, campumque his interjectum, divulsa hæc a se invicem, & ab antea exstructis, necessitate compulsus adjecit. Nam neque colles ita natura munitos extra mœnia relinquere videbatur commodum, quos hostis facile occupare, ac pro arce iis uti posset*, &c. Tandem & Varro his accedat, qui in IV. *Sunt*, inquit, *& nomina ab tot montibus, quos postea urbs muris comprehendit, e queis Capitolium dictum*, &c. *Aventinum aliquot de causis dicunt*, &c. ubi de singulis differens, Aventinum quoque, suis ab illis notis clarissime distinctum, inter septem urbis colles recenset.

Frivolum & invalidum effugium hoc eorum est, qui, quæ asserui, negant, asserentium, Aventinum suis a ceteris collibus fuisse muris discretum. Præterquam enim quod tot ac tam idonei testes a meis stent partibus, tam singularis, ac tam notabilis novitas nec a Livio, nec ab aliis, silentio præterita fuisset, quin potius peculiariter, dataque opera enarrata. Quod autem Dionysius Aventinum alicubi ab Anco Martio muro circumdatum scribit, minime hoc illos adjuvat, quum eadem plane locutione idem de Cœlio dicat a Tullo Hostilio muro clauso: qua loquendi formula cum hic, tum ille simpliciter civitatis muris inclusi fuisse traduntur. Ut tamen his cumulatius satis fiat; quid? cum statua Junonis Reginæ Veiis ablata Romam, & in Aventino posita a Camillo legitur, etiamne extra Romam illa posita existimabitur? Sed apertius adhuc Livius in VII. decadis tertiæ delatas Romam magna cum pompa binas ejusdem Deæ statuas, & in Aventino collocatas refert: *Ab æde*, inquit, *Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in urbem ductæ: post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur, tum septem & viginti virgines*, &c. *a porta Jugario vico in forum venere: in foro pompa constitit*, &c. *inde vico Tusco, Velabroque per Boarium forum in clivum publicum, atque in ædem Junonis Reginæ perrectum. Ibi duæ hostiæ ab decemviris immolatæ, & simulacra cupressea in ædem illata.* Quare quæso hic porta Carmentalis exprimitur, qua bina hæc simulacra in urbem introducta fuere, taceturque altera illa, per quam ex urbe educta sunt, atque item illa Aventini montis, in cujus clivum fuerunt deportata? Eccum igitur Junonis Reginæ templum intra urbem; atque item clivum Publicum, sive Publicium, qui in Aventino fuit, non aliter memoratum, quam vel vicus Jugarius, vel Forum magnum, vel vicus Thuscus, vel Velabrum, vel Forum Boarium, quæ cuncta intra urbem nota loca, & indubitata. Verum nusquam clarius id liquet, quam in militum post occisam a patre Virginiam Algido Romam redeun-

tium, & in Aventino secessionem facientium facto: de queis Livius in tertio: *Eunt agmine ad urbem, & Aventinum insident*: & post paullo: *Qui armati Aventinum insedissent, belloque averso ab hostibus patriam suam cepissent*. Sequitur autem de militibus, qui in Sabinis erant: *Porta Collina urbem intravere sub signis, mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt*. quæ verba non minus, quam illa Dionysii, perspicua sunt libro XI. idem factum referentis: *Et in Aventinum perrexerunt. Is enim unus est e Collibus in civitate comprehensus sistendo exercitui valde opportunus*. Nec aliter descensus eorum quam egressus ex urbe Livio exprimitur: *In sacrum montem ex Aventino transit, affirmante Duilio non prius quam deseri urbem videant, curam in animos Patrum descensuram*.

Nec est, quod illa Festi e loco supra citato objiciantur: *Nemo tamen Aventinum, cum pomœrium protulit, intra mœnia inclusit*. Nam præterquam quod innumera in contextum Festi menda temporum injuria irrepserint, sic ut vix versus aliquis varia lectione careat, sensus inde non incommodus, nec sententiæ nostræ adversus, elici facile potest, si distinctio, cujus in antiquis manu exaratis libris nulla nota reperitur, non post *protulit*, sed post *intra mœnia* collocetur: sic ut neminem in dilatando, quod intra muros restiterat, pomœrio, Aventinum isti pomœrio inclusisse, intelligi possit. Tandem, si hæc minus arriserit expositio, unius Festi auctoritas tot aliorum multo graviorum scriptorum auctoritati fideique cedat, æquum est.

Contra Donatus alia duo loca producit, alterum Livii in primo quintæ decadis, alterum Valerii Maximi cap. VII. lib. IV. Livii verba sunt: *Censores extra eandem portam Trigeminam in Aventinum porticum silice straverunt*. At ego, quo pacto extra portam Trigeminam porticus versus Aventinum instituta sit, facile demonstrabo, ubi ad illam urbis regionem perventum erit. Valerius autem de Graccho agens, *Mox supervenientibus*, inquit, *armatis ex eo loco pulsus*, (culmine scilicet Aventini) *ut flumen ponte sublicio trajiceret, fugit cum duobus amicis: quorum Pompejus, quo is facilius evaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina aliquamdiu acerrima pugna inhibuit*. Verum hocce dubium situs montis e vestigio solverit. Nam ut inimicorum armatorum multitudinem Gracchus effugeret, nulla ei paratior, commodiorve fugæ ratio erat, quam per cavam viam, quæ duo Aventini fastigia dividebat, occulte per portam, quæ isthic erat, Lavernalem, uti ego existimo, evadendo, & per portam rursus Trigeminam urbem intrando, atque ita ad sublicium semet pontem conferendo: quam fugæ viam aut locorum illi convexitas, aut alius aliquis casus, aut securitatis consideratio subjecit, ut ita in Porta Trigemina insequentes moraretur: quod & accidit. Addo & hoc; quod si pons olim sublicius fuit, ubi postea Æmilius, id est, ubi hodie ad *Ripam* pilæ sunt, (ut postea, cum de pontibus agam, probaturus sum) hoc ipsum solum sufficit ad evincendum, Aventinum extra portam Trigeminam non fuisse: &, utcunque se res habeat, quod ad pontis sublicii situm, hoc sane fatendum erit, si Gracchus, ut ad eum perveniret, porta Trigemina egressus sit, sublicium pontem contra omnium veterum fidem extra muros ac portas urbis fuisse.

Ut tandem finem huic disputationi faciamus, videamus, consideremusque attentius Pomœrii definitionem, prout eam ex Augurum libris veteres recitant. Aulus Gellius lib. XIII. cap. XIV. *Pomœrium quid esset*, ait, *Augures P. R. qui libros de Auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt. Pomœrium est locus intra agrum effatum pone muros regionibus certis terminatus ad captanda auspicia*. Macrobius item in primo Saturnal. c. XXIV. de Grammaticis disserens: *Ita sibi*, inquit, *belli isti homines certos scientiæ fines, & velut quædam pomœria, & effata posuerunt, ultra quæ si quis egredi audeat, prospexisse in ædem deæ, a qua mares absterrentur, existimandus sit*. Hinc colligere licet, relicto quibusdam in urbis locis interiore & exteriore pomœrio intra muros, qui proferendo ab eodem fuerant semoti, accidisse, ut, quod Livius & Dionysius referunt, plurima muris annexa, & adstructa fuerint ædificia; quod sine dubio Romani, utpote religionis observantissimi, minime permisissent, si murorum & pomœrii par semper fuisset ratio. Sed veri pomœrii termini non aliter agnoscebantur, aut observabantur, quam ab Auguribus in auspiciis capiendis, quod in pomœrio fieri sollemne erat, ut Plutarchus in Marcello indicat: *Cum quis*, inquit, *ex optimatibus domum in pomœrio, aut tabernaculum mercede conduxisset, ac in eo pro captandis sederet auspiciis, postmodum firmis nondum signis; si qua illum in urbem caussa retrahebat, primum oportebat relinquere tabernaculum, & alterum suscipere*, &c. Sic & Festus, in *Publici*: *Captabant auguria templo Cœli regionibus designato, quod lituo, qui Quirinal appellatur, designabant in Pomœrio extra urbem*. Item Varro in IV. *Principium, quod est post murum, Pomœrium dictum, ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur*. Quando igitur Ancus Martius Aventinum intra urbis ambitum amplexus muros veteres desub radicibus Palatini & Cœli montis sustulit, & pomœrium hoc pacto universum intra muros in ea valle restitit: necessario isthuc Auguribus conveniundum erat ad captanda pro more auguria: atque ita extra Pomœrium mons Aventinus erat, sed tamen intra mœnia. Notatu hic digna sunt Elidis Grammatici verba in eo, quem attulimus, Gellii loco: *Aventinum antea, sicuti diximus, extra Pomœrium exclusum, post auctore Claudio receptum, & intra Pomœrii fines observatum*. Ubi vocula illa *observatum* novitatem non muri, sed exerciti ibi muneris indicat. Sic & apud Varronem verbum illud, *erat*, cum ait, *Principium, quod erat post murum, pomœrium dictum*, satis superque innuit, totum ipsius ævo pomœrium post murum non fuisse. Sed & Catonis verba apud Festum. *Olim quidem omnes auspicabantur extra Aventinum: nunc etiam intra ædificia*; nil aliud significant, quam pomœrium exterius alicubi in urbe intra muros fuisse.

Terminabatur autem pomœrium multis lapidibus, de quibus hæc Varronis sunt loco supra citato: *Cippi pomœrii stant circum Romam*. Eorum tutela penes Augures erat; uti ex hac liquet inscriptione:

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE. IMP. CAESARE. DIVI.
TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVAE. NEPO
TE. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT.
MAX. TRIB. POT. V. COS. III. PROCOS. TER
MINOS. POMERII. RESTITVENDOS. CVRAVIT.

Horum una pars, (quæ *Pontificalis* dicta, id est Pontificum curæ reservata) proxime muros erat, ut e Festo discimus: *Pontificale pomœrium*, ait ille, *appellabant locum illum, agrumque pone murum; in quo Pontifices sua constituerent auspicia*. Ambitum seu spatium pomœrii proferre solebat, qui fines protulisset imperii. Hinc Seneca de brevitate vitæ cap. XIV. *Idem narrabat*, inquit, &c. *Syllam ultimum Romanorum protulisse pomœrium, quod numquam provinciali, sed Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit*. Ceterum Aventinus hic nobis exemplum præbet, non semper eodem quoquoversum spatio pomœrium prolatum, sed pro lubitu proferentis. Ritus in hoc adhiberi solitos Festus describit; *Cum pomœrium proferretur*, inquiens, *tum*

Augures publicos P. R. hæc verba præire solitos: Dii Tutelares urbis Pomœrium hoc ne minus majusve faxitis, sed iis, quibus terminatum est, regionibus efferatis.

Ceterum quod ad illius prolationes attinet, ex quo primum a Romulo in imis Palatini montis partibus constitutum est, pauca sane dici possunt. Protulerunt id autem Servius Tullius, Sylla, & Cæsar Julius; deinde & Augustus, ut e Festo & Gellio vidimus, ac Tacitus lib. XII. Annal. confirmat. Sed quousque incertum est: multumque in eo falluntur Panvinius, Fabricius, & alii, dum multos ipsi sibi murorum vanos fingunt ambitus. Hoc unum certum est, exclusum fuisse Aventinum, quem Claudius Pomœrio adjecit, ut iidem docent Aulus Gellius & Tacitus: & hic quidem addit, suo etiam ævo visos adhuc terminos istius prolationis indices, idque ipsum in Actis adhuc tum temporis exstitisse publicis: quum tamen muri nulla fuit facta prolatio. Ampliaverunt & Nero, ac Trajanus, atque item Aurelianus pomœrium, teste Vopisco: *Addidit autem Augustus, addidit Trajanus, addidit & Nero*, &c. Nisi forte is ambiguitate nominis Claudii in errorem lapsus est, & pro Claudio Neronem substituit. Formam horum terminorum e Boissardo cognoscere licet, qui tomo tertio Romanarum Antiquitatum unum ex iis delineavit, quem & nos hic exhibemus.



Eadem inscriptio Panvinio quoque memoratur; ut & duæ sequentes:

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS.
C. ASINIVS. C. F. GALLVS
COS.
EX. S. C. TERMIN.

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS
COS.
EX. S. C.
FIN. POMER. TERMIN.

Atque hæc sunt, quæ de vetere Pomœrio Romano veritatis innixa fundamento, aut certe probabiliter, a me dici posse visa sunt; de quo alii nescio quæ sibi somnia finxerunt.

A

CAP. VI.

De veterum urbis mœnium Ambitu.

EXplicato, quid Pomœrium esset, ad muros urbis revertendum est, qui a tempore Servii usque ad Aurelianum loco moti non sunt, ut supra vidimus. Quorum priusquam situm explicemus, ambitus mihi primum enarrandus videtur, ut illum deinde dilucidius exponamus. Describitur is a Plinio lib. III. cap. V. *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus, Censoribusque Vespasianis, anno* V. C. DCCCXXVIII. *pass.* XIIIMCC. *complexa montes se-* B *ptem. Ipsa dividitur in Regiones* XIV. *Compita earum* CCXLV. *ejusdem spatii mensura currente a milliario in Capite Romani Fori statuto ad singulas portas, quæ hodie sunt numero* XXXVII &c *efficit passuum per directum* XXXMDCCLXV. *ad extrema vero tectorum cum Castris Prætoriis ab eodem milliario per vices omnium viarum mensura colligit paulo amplius* LXXM. *passuum*. Quæ cum de censuræ tempore dimensis mœnibus ab ipso dicta sint, nec falli, nec erroris, nec incertæ conjecturæ suspecta cuiquam esse poterunt.

Lipsius de magnitudine Romana cap. II. lib. III C locum hunc Plinii corruptum existimat, eumque ita restituit: *Mœnia ejus collegere ambitu* &c. *passuum* XXIIIMCC. *complexa* &c. *ejusdem spatii mensura currente* (Cluverius malit, *mensura currens*) *a milliario*, &c. *efficit passuum per directum* IIIMDCCLXV. *ad extrema vero tectorum* &c. *mensura colligit amplius* VIIM. *passuum*: quam emendationem Cluverius etiam in Italia Antiqua probat, tueturque.

Argumenta, testimoniaque, quæ huc adducuntur, permulta sunt.

Primum ab Aristide petitur ex Panathenaico, de Athenis agens: *Jam vero magnitudo urbis*, inquit, *& reliquus apparatus fortunæ Atheniensium respon-* D *det; sive ipsum urbis ambitum, qui omnium Græcarum maximus est atque pulcherrimus, consideres, sive mœnia ad mare quondam pertinentia, & itineri diurni longitudinem complexa*. Unde ab illis concluditur: quod si Athenarum mœnia tanta fuere amplitudine, ut unius diei iter occuparent, Romana, a Dionysio Atheniensium muris non angustiora dicta, sine dubio nec ipsa minus, quam diurni itineris spatium implerunt, sive 23. passuum millia.

Alterum Strabo suppeditat, qui in VI. de Syracusis ait: *Olim quinque constabat urbibus, muro contenta* CLXX. *stadia longo*. Quæ stadia viginti duo millia E passuum, & quingentos efficiunt. Syracusas vero Plutarchus cum Athenis, quod ad murorum ambitum, paria facere in Nicia dixit: *Ex quo tempore Syracusas circumvallavit, urbem Athenis haud minorem.* Ergo eadem Athenarum & Romæ fuit magnitudo.

Tertium Thucydidi debetur, qui lib. II. de Athenis ita scribit: *Phalericus murus erat stadiorum* XXXV. *ad ambitum usque urbis, ipsius ambitus pars, quæ custodiebatur*, XLIII. *Nam pars ejus longum murum inter & Phalericum sine custodia erat: longi vero muri ad Piræea usque stadia continebant* XL. *quorum exteriora custodiebantur. Piræei cum Munychia universus ambitus erat* LX. *stadiorum*: quæ stadia omnia F sunt CLXXVIII. faciuntque XXII. millia passuum, & ducentos quinquaginta.

Quartum Dio Chrysostomus exhibet in oratione de Tyrannide, ubi ita de Athenis loquitur: *Quamquam ducentum sit stadiorum ambitus Athenarum, si Piræea una complectaris, & quod muri medium est inter eum, & urbis ambitum*. Quæ ducenta stadia millibus passuum viginti quinque æquivalent.

Quintum ab Olympiodoro sumitur, cujus hæc apud Photium verba sunt: *Romanæ urbis mœnia ab Ammone Geometra mensurata, quo tempore Gothi pri-*

mam

mam invasionem fecere, comprehendebant XXI. *millia-ria*, inter quæ & illa XXIII. Plinii haud adeo magnum discrimen est.

Valida hæc prima specie dixeris, & magni ponderis argumenta: at si accurate excusseris, nimisquam levia, & ad probandam illam Pliniani textus corruptionem imbecilla. Quod si eruditissimus Lipsius Romam, cum illa scriberet, oculis, uti ait, suis usurpasset, revocasset, arbitror, hanc emendationem suam, veritatemque agnovisset. Respondit ei Donatus in Roma sua Vetere & Nova efficacissime: quæ priusquam legissem, in eandem ferme sententiam refutationem meam digesseram. Nil obstat tamen, quo minus relicta magno illi viro integra sua, quam meritus est, laude, eandem & hic promam, ne argumentum, quod tractamus, non omni sui parte sit absolutum. Utar autem, qua licet, libertate, & situm Athenarum, quam urbem Dionysius cum Roma comparavit, quantum potero evidentissime ob oculos ponam.

Id, quod de Athenis tradit Aristides, non modo vocula *quondam* ad vetustiora tempora relatum est, (sicut & Dionysius non modo veluti de Aristidis ætate, sed ut de sua multo recentiore loquitur, qua Athenæ plurimum erant deminutæ) verum etiam duplici vocula *sive* in duo membra divisum est: quorum primo Aristides de ambitu agit civitatis, (quem Dionysius cum Romæ confert circuitu) altero vero de muris, quos, non autem ambitum urbis, ingens illud spatium complecti dicit: uti mox, quum ad objectum Thucydidis locum responsurus sum, clarius exponam.

Sic & Syracusarum a Strabone memorata amplitudo ad vetusta tempora, qualisque *olim* fuerat, non autem qualis Strabonis & Dionysii erat ævo, refertur: quo plurimum de pristina defecerat magnitudine, magisque etiam, ut consequitur, ætate Plutarchi. Quum igitur Plutarchus dicit urbem Athenis haud minorem, si id de suo accipit ævo, multum sane pristinæ magnitudinis Syracusæ amiserant: si de Niciæ tempore, ut tum muris cinctæ fuere, qui æqualis fuit Alcibiadis & Periclis, necdum tum temporis ad eam prolatæ fuisse dicendæ sunt amplitudinem, qua sub rege post illa excelluere Hierone.

Sed in Thucydide, ubi is recte fuerit perpensus, vera Athenarum invenitur magnitudo. Hujus autem verba, uti optime vidit ostenditque Donatus, murum Phalericum, murum longum, Piræeum, & Munychiam ab ambitu urbis distinguunt, quem solum cum ambitu urbis Romæ a Dionysio comparatum diximus: quod nunc & aliorum auctoritatibus confirmandum est. Ptolemæus tabula decima Europæ tam diversas a Piræeo & Munychia Athenas facit, ut has inter urbes numeret referatque mediterraneas: illa vero duo inter loca Græciæ maritima. Nec aliter Strabo inter istius littoris loca Piræa, Atheniensium portum, Munychiam, & Phaleram recenset, veluti ab urbe Athenarum distincta. Sic & Livius sexcentis locis Piræei meminit velut ab Athenis diversi. Ut in primo quartæ decadis: *Præsidium Attali ab Ægina* (insula Atheniensibus minime subjecta) *Romanique a Piræeo intraverant urbem*; & postpaullo loquens de Philippo: *Diviso deinde exercitu Rex cum parte Philoclem Athenas mittit; cum parte ipse Piræeum pergit: ut dum Philocles subeundo muros, & comminanda oppugnatione contineret urbe Athenienses, ipsi Piræeum levi cum præsidio relictum expugnandi facultas esset*. & paulo inferius: *A Piræeo Athenas repente duxit*. Tandem Plinius lib. III. cap. VIII. de Portu Piræei, & Phalera ita loquitur: *Piræeus & Phalera portus* V. *mill. pass. muro recedentibus A-*

A *thenis juncti*. Qui locus si ad illum adjungatur Thucydidis, & ipsum, & ceteros superius allatos, clarissime illustrat. Piræeus & Phalera portus erant quinque millibus passuum ab Athenarum urbe remoti; non secus ac Portus & Ostia Romani fuere portus, sed ab urbe distincta oppida. Athenarum media pars, quæ austro obversa erat, muris carebat: quæ vero septemtrionibus objecta, muris circumdata fuit; & hinc utrimque muri duo protendebantur, quorum alter Phalericus portum, alter Piræeum urbi adjungebat. Phaleram portus teste Thucydide XXXV. erat stadiorum, sive quatuor, aut paulo amplius, millium passuum. Murus Longus, qui

B Piræeum amplectebatur, in quadraginta stadia porrectus, millia passuum quinque continebat. Sic ut, si Nero, ut Suetonius tradit, cogitata perfecisset, duplicemque ad Ostiam usque duxisset murum, quorum alter a porta Trigemina Ostiam, alter a Portuensi in Portum usque procurrisset, tres illas quidem conjunxisset civitates; attamen Romana omne illud complexa spatium fuisse dici nequiisset. Nemo vero liquidius ea, quæ attulimus, quam Strabo probat: *Hunc murum* (nimirum, qui Piræeum & Munychiam cingebat) *attingebant longi muri nunc diruti: qui veruti instar ab urbe quadra-*

C *ginta stadiorum longitudine producti Astu cum Piræeo connectebant. Sed multa ista bella murum dejecerunt, Munychiæ propugnaculum, Piræeumque redegerunt in exiguum vicum*. Solus hic Strabo a Thucydide & Plinio dissentit, qui alterum horum murorum cum Phalera, alterum cum Astu conjunctum tradunt, quod ipsi saxum est. *Astu*, inquit, *saxum est in planitie, undiquaque domiciliis circumdatum: & in eo saxo est templum Jovis Statoris*, &c. Verumtamen idem Strabo ab una istius muri parte Astu collocat, ab altera Phaleram; atque ideo ait: *Post Piræeum Phalerenses sunt. Curia proxime insequente ora*, &c. Sed & Livius de iisdem duobus

D muris lib. I. decadis IV. agens; *Inde*, inquit, *eruptione subita peditum, equitumque inter angustias semiruti muri, quod brachiis duobus Piræeum Athenis jungit*, &c. De quibus duobus brachiis, bellis Philippi Regis Macedonum semirutis, ævo vero Strabonis omnino dejectis, (sequitur enim, *Longi muri dejecti sunt primum a Spartanis: deinde a Romanis, quo tempore Sylla & Piræeum, & Astu ipsum expugnavit.*) Dionysius sane, qui Strabonis æqualis fuit, quæ dixit, ab eo accepisse videri nequit, illorumve ullam habuisse rationem: neque item locutus est Aristides, nisi addita vocula *quondam*: cujus verba superius allata, *mœnia ad mare quondam usque pertinentia & itineris diurni longitudinem complexa*, sat &

E abunde jam clara sunt, ac perspicua.

Ut igitur Athenarum ambitus recte mensuretur, dimidia ejus pars, quæ septemtriones respiciebat, munita muris XLIII. stadiorum erat, teste Strabone, id est quinque millium passuum, & paulo amplius: altera versus meridiem muris non cincta, sed inclusa antiquitus duobus illis, quos supra diximus, muris, quantum verosimili conjectura consequor, altera minor fuit; unde universus ambitus vix decem millium pass. esse potuit, quem Dionysius cum Romanæ urbis confert circuitu.

Ad allata ex Dione vix est, ut quid reponere ne-

F cesse sit: quia non solum restricte ad aliorum ibi loquitur sententiam Piræeum includentium, quem cum longis muris ab urbis ambitu distinguit: verum etiam vocula *quamquam* ordinariam ejus magnitudinem excludit; sic ut contrarium statuere potius videatur.

Sed nec Olympiodori verba quidquam illos juvant; quippe diu ante Ammonem Grammaticum mœnibus ab Aureliano mutatis, prolatisque invastam amplitudinem, idque diu post ævum Plinii.

Immo nec alia desunt argumenta, quibus Plinii locum integrum esse, adeoque nulla indigere emendatione probari luculente possit.

Nil autem absurdius, minusque silentio dissimulandum, mihi occurrit, quam quod Plinium dixisse ibi volunt, æquale a columna milliaria e foro ad omnes portas fuisse IIMDCCLXV passuum spatium. Nam si muri a Servio exstructi ita columnam illam & forum ambissent, ut perfectissima Mathematicorum circumferentia centrum; & si viæ omnes ab eadem columna ita recta linea directæ fuissent, dispositæque accurate, murum versus, ut radii rotarum solent, vel sic tamen fieri nequiret, ut æqualis passuum in iis omnibus fuisset viis numerus. Quanto minus verisimiliter id de sinuosis & distortis illis viis & muris Romanæ urbis affirmari potest, quorum murorum pars aliqua haud procul a foro abfuit, pars vero longissime remota? sic ut tam præclare inventa ab his viarum longitudinis æqualitas locum habere minime queat. Poterat quidem silentio transire quatuor ferme millium passuum spatium a foro usque ad singulas portas, tamquam semidiametrum XXIII. millium ambitus: verum, si quatuor millia pass. a foro fuerunt usque ad portas, & per consequens usque ad ipsa mœnia, Pons Milvius, Prata Quintia, & ultra ea universus mons Janiculus, Romæ mœnibus inclusa fuissent; verum & villa Martialis in Janiculo; & Ovidii ad pontem Milvium prorsus extra urbem fuere. & Hetrusci in Janiculo castrametati, quum urbem obsiderent, in urbe sane castra posuisse videri nequeunt. Et si Sylla teste Appiano lib. II. de bellis civilibus, quum armatus ad urbem accederet, legionem unam ad pontem Milvium collocavit, & alteram propius ad urbis mœnia: si alio item tempore castra ante portas in Campo Martio statui potuere; & Octavius eodem in loco, eodem Appiano lib. III. illud referente, castra sua metatus est, certe Campus Martius extra urbem fuit: quod & Livius in II. docet, & Dionysius in tertio, Strabo l. v. Tacitus III. Histor. Josephus l. VII. de bello Judaico, & Herodianus in vita Severi: præterquam quod ex illis id ipsum liqueat, quod supra de porta Carmentali diximus. De Gallis, quum pugna ad Alliam victores Romam tenderent, Livius in quinto ait: *Inter Romam atque Anienem consedere exploratoribus missis*, &c. Portam Capenam, cui hodie *S. Sebastiani* nomen, intra flumen Almonem nunc *Aquataccio*, fuisse e Statio l. v. Sylv. in initio discimus. Sepulcrum Cestii, ad portam *S. Pauli*, evidens incidium est, portam Trigeminam eo usque non porrectam: Mausoleum Augusti ad *Ripetam*; molemque Hadriani, hodie *castellum S. Angeli*, extra mœnia fuisse, neminem fugit. Septem etiam, quibus imposita Roma, colles quousque pertenderint, notum est: adeo ut tria illa passuum millia septingenti sexaginta quinque a foro usque ad portas, & viginti tria millia pass. universi murorum ambitus mera somnia sint. Quod & e Dionysii verbis liquet, Romam Athenis conferentis. Nam ideo ea comparatio ab illo instituitur, ut Romam, quod ad murorum ambitum, non ultra ordinarium civitatium modum amplam, grandemque fuisse ostendat.

Plinii animus ac sententia secundum Donatum fuit, millia passuum indicare, quæ per omnes viarum lineas ac tractus Roma continebat, tam intra, quam extra mœnium ambitum. Sensus igitur verborum ejus est, universas urbis Romæ vias a columna milliaria usque ad portas, collecto omnium spatio, numerum effecisse XXXMDCCLXV pass. easdem vero per omne id, quo habitabatur, spatium, LXX & amplius habuisse passuum millia. Vocula enim *efficit* regitur a Vocula *ipsa*: unde de universis viis in unum collectis sermo accipiendus est: non autem regitur ab illis, *mensura currente*; quas Cluverius male in *mensura currens* murat. Ceterum reliqua illa, *per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius* LXXM *pass.* apertius multo de millibus pass. ex omnibus viis, quacumque habitabatur, collectis agere videntur, quam ut de eo dubitari jure possit.

CAP. IV.

Quousque mœnia ab Servio prolata exacte pertigerint.

DE exacto eorum ambitu nihil certi dici potest: at verosimiliter indagari, & eorum reperiri non solum situs potest, sed & aliqua vestigia. Verum primum e Dionysio repetendum est, quod e lib. IX. superius attulimus; ubi ait: *Erat tunc Romæ circuitus, quantus Athenarum: unaque ejus pars super colles, rupesque scissas, a natura ipsa sic muniebatur, ut vix indigeret custodiæ. Aliam Tiberis, ut murus tuebatur. Locum tamen habet magis expugnabilem a porta Exquilina ad Collinam: sed manuali opera munitus est. Cingit enim eum fossa in minori latitudine pedum centum & amplius, & profunditatis triginta: supraque fossam murus est junctus interius aggeri lato, atque alto, haud facili convulsu arietibus, neque expugnatu cuniculis. Hæc munitio longa est stadia circiter septem; lata pedes quinquaginta.* Nec dissentit Plinius in IV. ubi de aggere agit Tarquinii Superbi: *Partem illam urbis, quæ in Gabinos prospiciebat, magna operum multitudine cinxit, aggere latam egerendo fossam, ibique magis, quam alibi murum erigendo, crebrisque turribus muniendo. Ab hac enim parte videbatur civitas admodum debilis, cum alibi undecumque valde tuta esset.* Adde his, quæ e Strabone & Plinio superius cap. IV. allata sunt. Accedat & Auctor de viris illustr. qui in Servio Tullio, *Collem*, inquit, *Quirinalem, Viminalem & Exquilias urbi addidit; aggerem, fossasque fecit.*

His præmissis, ad initium mœnium ad ripam Tiberis a septemtrionibus transeamus: quod, si, quæ de porta Carmentali dicta sunt, consideraverimus, excluso foro *Montanara*, Porticuque Octavii, quæ, ut postea ostendam suo loco, inter *S. Nicolai in Carcere*, & *S. Mariæ in Porticu* fuit, non alibi inchoatum videbitur, quam inter *quatuor capitum pontem* & *pontem S. Mariæ* jam dirutum. Quin & a vero non admodum alienum videtur, partem illam prominentem veteris muri e quadratis grandibusque saxis factam, quæ in ripa illa desinit, reliquias mœnium fuisse post Aureliani prolationem superstites.

Inde auctoribus Dionysio, Strabone, & Plinio, tendebant illa ad rupem Tarpejam: quam transcendentia ultra Monasterium *Turris speculorum* pergebant ad scalas Ecclesiæ *Aræ Cœli*: atque inde rursus per loca olim abrupta, nunc autem complanata ruinisque exæquata, descendebant ad *Macellum Corvorum*, ubi Capitolium terminatur. Hic in palatio quodam hæc adhuc veteris monumenti occurit inscriptio:

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE. CAVSA. SENATVS. CONSVLTO
POPVLIQVE. IVSSV. LOCVS. MONVMENTO. QVO
IPSE. POSTEREIQVE. EIVS. INFERRENTVR
PVBLICE. DATVS. EST.

Nec obstat, quod Ant. Augustinus in Dialogis de Numismatibus antiquis, de ejus fide & antiquitate dubitat: quandoquidem locus ille forsan extra urbem fuit, sed & intra urbis mœnia singulari quodam privilegio huic monumento locus concedi po-

tuit, ut in aliis aliquando factum; & ipsum id videtur innuere epitaphium.

A *Macello Corvorum* deinde versus Quirinalem adscendentia pristinam recuperabant celsitatem: unde per tractum, dictum *montem Bagnanapoli*, & angustias hortorum Columnensis Palatii & horti Papalis, ad *quatuor fontes*, Palatium Barberinum, hortosque *B. V. della Vittoria*, ad hortos, seu *villam Mandosiam*, ac tandem ad portam usque Salariam, recta pertendebant. Hic autem angustus ille trames finiebat, incipiebatque apparere planities. Vestigium etiam veteris muri in via conspicitur, quæ inter *ædem D. Susannæ* est, & hortos Barberini, in terra, e lapidibus quadratis. utrum vero mœnium urbis fragmentum illud ac reliquiæ sint, an alterius ædificii, haud liquido dixerim; eaque propter in medio relinquam.

Ab hortis *Mandosiis*, ubi veterem portam Collinam fuisse post dicemus, agger Servii, teste Dionysio, inchoabatur: cujus adhuc vestigia ab Antiquariis post thermas agnoscuntur Diocletianas, & in extrema parte septentrionali hortorum *Perettæ*. Sic ut in hortis Mandosiis angulo facto flexisse se mœnia verisimile sit ad illam viam, quæ nunc a porta Salaria in *viam Piam* transit: inde vero viculum transeuntia ipsis oppositum pone Monasterium & hortum *Certosinorum*, hortosque *Perettæ*, ad portam usque perveniebant *S. Laurentii*.

Ab hac porta usque ad *Majorem* agger idem progressus etiamnunc conspicitur una cum mœnibus hodiernis; & a porta *Majore* ultrorsum versus ædem *S. Crucis in Hierosolymis* pars eorum residua in vineis conspicitur haud procul a muris urbis, quam partem aggeris Tarquinii Superbii fuisse ne dubitandum quidem est. Certe Servius Tullius aggerem illum non duxit, sive fato præventus, sive, quod partem hanc minus, quam illam alteram, planam videns, operæ pretium non putarit. At Tarquinius, ut urbis securitati magis prospectum esset, tum ut magnificentiam animi ostenderet, mœnia altius, quam Servius, extulit. Porro a porta *Majore* usque ad Monasterium *S. Crucis* antiqua mœnia interius multo, quam hodierna, recessisse certissimum argumentum est, quod paulo ultra illam portam mœnia hodierna cum vetere aquæductu Claudio procedere visuntur: sub quo summitates arcuum muratorum etiamnum apparent.

A Monasterio deinde *S. Crucis* mœnia mihi ad portam *S. Joannis* procurrisse videntur: & inde ubi *Marrana* intrat, non ultra hodierna potuisse extendi; quum ad extremum Cœlii marginem elata conspiciantur, ubi in proximo collis fundi sunt. Sed & vetus portæ *S. Joannis* nomen, si ea, ut multi existimant, Cœlimontana veterum est, aliquod indicium præbet, in notabili eam montis Cœlii altitudine exstitisse.

Illinc ad portam usque Latinam, quæ non longe inde remota, multum extra hodierna exisse mœnia animadvertuntur: unde suspicari licet, Servii mœnia interius multo secundum ipsius Cœlii latus pergentia usque eo loci, ubi collis ille proxime accedit ad Aventinum, colliculum illum, quem plurimi existimant Cœliolum fuisse, minime fuisse complexa: inter quem & Cœlium a *S. Sixti* ad usque *S. Cæsarii* ædem mediocris semet planities aperit, quam *Marrana* perlabitur. Et hic quidem non exigua mihi occurrit difficultas. Nam si muri per Cœlium usque ad *S. Sixti* producti fuere, thermas necesse est Antoninianas extra urbem fuisse: & si collis ille vere Cœliolus fuit, ut intra muri ambitum fuerit, consequitur. At si ille Cœliolus minime fuisse existimandus est, ut Panvinio & Ligorio visum, mœnibus olim comprehensus non fuit: alias enim octavus in urbe collis fuisset. Adhæc ædes *S. Joannis* ante portam Latinam, ubi in ahenum bulliens immissum illum Apostolum fuisse vetus per manus tradita fama est, olim sicut & nunc intra urbis fuisset circuitum: & nihilominus extra urbem illam tum fuisse vel sola vocula *ante* apertissime indicat; præterquam quod olim damnatos extra portam ad supplicium duci solemnis mos erat. Tum vero, si quis recte collem hunc consideraverit, duos in eo vertices observabit, inter quos porta Latina est, & illa, quæ ad *S. Sixti* ducit, via: quare per sinistrum ejus verticem pergere mœnia potuere, qui elatior est, & forte Cœliolus; alter vero depressior exclusus esse potuit: atque ita muri portæ Latinæ, qui jam procurrunt, interius recessisse usque ad *S. Cæsarii*. Latina igitur porta, & per consequens Capena etiam, magis introrsum forsitan fuerunt, quam nunc sunt, illa in Cœlio, sive Cœliolo, hæc ad Aventinum. Quod ipsum innumera confirmare monumenta videntur servorum, libertorumque Augusti, Liviæ, Tiberii, Caligulæ, aliorumque imperatorum, quæ Ligorius in Paradoxis ait (si tamen ei hic habenda fides est,) suo tempore in via Appia inventa intra portam *S. Sebastiani*: quæ olim extra urbem fuisse certo certius est. Sed hæc, quæ a me dicta sunt, ita accipi velim, uti suum cuique liberum judicium in re dubia & incerta relinquam.

A Capena porta per abrupta Aventini tendentes muri eodem, quo hodierni, tramite portam pergebant *S. Pauli*: uti per declivia Aventini descendenti facile liquet: intra quam portam dextrorsum secundum montem, versus *munimentum Pauli Tertii*, reflexi, ad *S. Mariæ Aventinæ* flumini tam arcte appropinquabant, ut vix angusta relinqueretur via: atque hic antiqui illi muri a Servio ducti, quod & Dionysius indicat, desinebant. Hoc in judicio, sive opinione mea, eo magis confirmor, quod non ita dudum ibidem arcus vetus conspectus fuerit e coctis lateribus, quem ego ipsissimum finem murorum fuisse suspicor; unde recta via per montem antiqui muri reliquiæ quædam erant ex quadrato lapide. Hinc si usque ad initium, quod ad pontem *S. Mariæ* constitui, dimensio instituatur, veteres credo pontis sublicii pilas in ipsa deprehensum iri spatii medietate. Testaceus, e ruptorum vasculorum fragmentis a figulis aggestus, veteres eo muros non pertigisse certum indicium præbet. Non enim intra muros figulis tantum occupare loci spatium permissum foret: & pyramidale Cestii monumentum muris hodiernis multo recentioribus innexum, veteres muros ab hisce sat longe remotos fuisse abunde arguit. Panvinius, aliique, ut Aventinum pomœrio excludant, mœnia a porta *S. Sebastiani* ad ima Aventini per vallem *S. Sixti*, & Circi Maximi procurrisse opinantur, desiisseque in *Marmorata*: verum quam procul a vero aberrent, nemo non facile animum advertet, qui cuncta accurate consideraverit. Certe & Dionysium & Plinium mendaces esse oportuit, qui per colles, & abruptas præcisasque rupes directa mœnia tradidere. Nec satis mentis suæ fuisse compos Servius videri possit, qui ea per ima montis duxerit. Tum vero & idem Servius, & Tarquinius ratione nulla tam magnificos exstruxisse aggeres, ubi minime necesse erat; adhæc obnoxios illos, & velut stupido montis Aventini imperio subjectos reliquisse. Supersunt porro Transtiberina regio, & Janiculus. Erat ab initio Transtiberina regio solo ponte sublicio e ligno facto urbi conjuncta. Et si Roma, qua Latium respiciebat, non longe secundum Tiberim semet extendebat, certe Transtiberina regio, qua in Hetruscos ibatur, amplius occupare spatium non poterat: sic ut

& hic, & ille murus sibi invicem fuerint opposi- A ti; quandoquidem Roma, teste Dionysio, quia flumini objecta erat, muris destituebatur. Ergo extremus alterius terminus proxime ultimam *Ripæ* stationem fuerit, oportet, ubi hodie *nova* exstructa *porta* est; alter vero Transtiberini semicirculi terminus inter *pontes insulæ* & *S. Mariæ*.

Summam hujus muri partem eo usque pervenisse, quo nunc hodiernus pertingit, ne dubitandum quidem mihi videtur. Montis enim ejus culmen exacte eo loco est, ubi muri sunt: neque verosimile est Ancum Martium, cum Janiculum muro urbi adjungeret, ut ejus provideret securitati, celsiorem ejus partem, super muri caput stantem, B immunitam reliquisse.

Atque hic est veterum urbis mœnium ambitus, hodierno sane minor, & angustior, quippe qui & Campum Martium, & collem hortulorum, & vetus Castrum Prætorium, nec non pratum montis Testacei, Cœliolum, aliaque minoris momenti ac spatii loca complectatur: ut nil de majore Transtiberinæ regionis parte, & in Vaticano civitate Leonina, cui *Burgo* nomen, dicam. Quare si hic, qui longe amplior est, circuitus vix XIV. millia passuum efficit, antiquus ille sane difficulter X. vel XI. implere potuit, quod spatium C ab Athenarum magnitudine non multum discrepat. Quin & si Vespasiani tempore, uti Plinius tradit, XIIIMCC. passuum fuit, ambitu illo, uti Donatus ait, facile etiam particularis ille, quo Capitolium cingebatur, murus comprehensus fuit: sive potius, uti ego existimo, exactæ illi & accuratæ dimensioni spatium etiam illud adnumeratum fuit, quod turrium projectiones de muro in murum, forsan & ædificiorum muris substructorum ambitus occupabant, quæ, ut e Dionysio vidimus, dimensioni accuratiori obstabant, eamque impediebant. Verum dubium omne tollitur, ubi sinuosos veterum mœnium intuemur flexus, qui D licet minori situs circuitu, quod ad mensuram tamen hodiernorum longitudinem atque ambitum æquiparabant.

CAP. VIII.


Mœnia ab Aureliano prolata, & ab aliis instaurata.

QUousque ambitus mœnium ab Aureliano promotorum se extenderit, inter eruditos disputatur. Nam si, ut Vopiscus tradit, E LM. passuum amplexus est, majorem diametrum quam XIVM. habuisse certum est. Quare si æquali ferme distantia forum circumdederit, Marliani probabilis foret sententia, per viam illum Flaminiam ad Primam Portam sese porrexisse: quod spatium mill. pass. circiter octo vel novem conveniens esse semidiameter potuit illorum LM. Confirmat illam, quod in Martyrologio Romano de SS. Abundio & Abundantio legitur; *Quos Diocletianus Imperator* &c. *decimo ab urbe lapide gladio feriri jussit*. Qui lapis decimus, cum mille passus ultra *Primam Portam* remotus fuerit, efficit, ut verosimile sit, F Portam illam extremum illorum mœnium fuisse terminum: quamquam animus meus vix induci potest, ut tam amplum spatium admittat. Blondus, Fluvius, aliique, expediunt sese hoc labyrintho adjuti Pauli Jurisconsulti definitione, qui Romæ nomine suburbia quoque contineri ait: verum civitatis nomine ambitum solum mœnium. At hoc pacto nosmet his, quæ occurrunt, difficultatibus, non extricamus. Vopiscus enim de mœnibus prolatis, & non de Roma simpliciter, sed de urbe Roma loquitur; ut: *Muros urbis Romæ sic ampliavit*, &c.

Quid *Arcus Primæ Portæ* fuerit, Claudianus in Panegyr. in VI. Consulatum Honorii nos docet; ubi adventum Imperatoris in urbem via Flaminia, Narnia & Tiberi transitis describens, ait:

> *Inde salutato libatis Tybride lymphis*
> *Excipiunt arcus, operosaque semina vastis*
> *Molibus, & quidquid tantæ præmittitur urbi.*

Quorum arcuum species multo melius ex illo opere apparet, quod eo loco superest, ubi hodie diversorium conspicitur, cui nomen *Borgbetto*. Agnoscitur enim arcus quadrifrons fuisse, ad exemplum Jani; extatque illic adhuc pars aliqua residua marmoreæ crepidinis: arcus autem e latere exstructi magnitudine, formaque illi plane similes videntur, qui ad *Primam Portam*. Mea fert opinio, utrumque in honorem Augusti erectum, qui singulari cura tutelam viæ Flaminiæ sibi ipse delegit: ceterarum vero diversis e senatu demandavit, ut e Suetonio cap. XXX. in ejus vita, & Dione lib LIII. liquet. Hujus mihi sententiæ auctor est nummi antiqui inscriptio, ab Ericio producti, in cujus aversa parte duo arcus quadrati visuntur, cum hac inscriptione: QUOD VIÆ MUNITÆ SUNT Atque eccum ipsum nummum:



Quin & alterius effigies eadem inscriptione in alio occurrit nummo, qui fortean in ponte Tiberis haud longe ab illo diversorio erectus fuit; cujus ectypum ex eodem Ericio hic repræsentamus.



Arcus hic super pontem cernitur; quamquam Dio lib. LIII. statuarum tantum altaribus impositarum meminit.

Hosce, aut consimiles crediderim istiusmodi arcus Janos fuisse quadrifrontes in compitis factos; ubi vero nunc *Prima Porta* est, Trivium, aut Quadrivium fuisse certum est: quandoquidem ibidem ad dextram viæ Flaminiæ Tiberim versus via Tiberina incipiebat, qua etiamnunc *Fianum* itur, aliaque in loca Tiberi adjacentia. Quin & aliam quoque ad dextram fuisse viam non immerito suspicor; siquidem in declivi montis nobilis illa Liviæ Augustæ villa fuit, dicta *ad Gallinas albas*: quæ præcipua mihi tam pulchri ibidem erecti Jani causa fuisse semper visa est.

Ut autem veram murorum magnitudinem indagemus, ab Aureliano eos ad majorem urbis tutelam & securitatem ampliatos, munitosque, repetendum est, animoque primum subjiciendum, considerandumque, quanta præsidiariorum multitudine, quantaque vi commeatuum, ad istiusmodi tam late extensum defendendum ambitum opus fuerit. Eutropius lib. IX. firmitatis tantum meminit: *Urbem Romam muris firmioribus cinxit*. Attamen ingens illud spatium tam simpliciter silentio

præteriri non debuerat, si in quinquaginta illud passuum millia excurrisset. Sed & Sextus Aurelius non tam ambitus adeo profusi, quam firmitatis meminit: *Ac ne umquam, quæ per Gallienum evenerant, accciderent, muris urbem quam validissimis laxiore ambitu circumsepsit*. Quin & ipse Vopiscus, addita in ejus descriptione vocula *prope*, non solum minorem, sed & incertum passuum numerum, fatetur; ostenditque, se vel ex opinione propria, vel e fallaci vulgi fama hæc protulisse, quæ in rebus unum oculi conjectum effugientibus magnitudinem sæpe non modo ultra verum, sed etiam ultra veri effert similitudinem.

Sed neque fieri potuisse mihi videtur, ut tam spatiosi murorum circuitus nulla etiamnunc in agro Romano superessent vestigia, exstantibus tot aliis operum multo quoque illis vetustiorum. Quod si non sufficit, mathematica doceri id possit conjectura. Nam P. Victor, scriptor istorum temporum fidelissimus, de XIV. urbis agens Regionibus, unius cujusque regionis circuitum accuratissime tradit: qui cuncti, excepto primæ regionis ambitu, qui extra muros fuit, in unum collecti summam efficiunt pedum 210995. qui, juxta regulam a Plinio lib. II. c. XXIII. datam, passus constituunt 42200. Quod si igitur tredecim regionum circuitus, qui singuli seorsim dimensi fuere, & post collectim, necdum XLIII. passuum millia attingunt, quo pacto quæso ad eam amplitudinem accedere omnium potuit ambitus conjunctarum? Quare si Geometrarum regulæ fides, vix, aut parum, quartam ejus summæ partem excedet: sic ut XIII. circiter passuum millia, fortean & pauciora, ingens ille prolatæ urbis ambitus amplexus videatur.

Verumenimvero vix ex alio melius, quam ex illo supra cap. VI. allato Olympiodori loco, verus mœnium ambitus demonstrari potest; qui de dimensione ejus a Geometra sub Honorio facta agit: inter quem & Aurelianum anni admodum CL. effluxere. Neque enim fieri potuit, ut tam brevi temporis intervallo opus tam validum, firmumque vetustate collapsum fuerit; præsertim cum non defuerint egregii diligentesque imperatores, qui fatiscentia, vel diruta mœnia restituerint; nec tanta Roma prima sui a Gothis direptione in muris damna fecerit; quæ secundum Orosium, Paulum Diaconum, aliosque, irruptio mera fuit, & incursio, absque notabili ædificiorum detrimento. Sed & ipsum Honorium mœnia instaurasse, quacunque ea parte convulsa fuerant, ex hac inscriptione discimus, quæ in porta obstructa ad *Portam Majorem* visitur.

S. P. Q. R.
IMP. CAESS. D. D. N. N. INVICTISSIMIS. PRIN
CIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO. VICTORIBVS
ET. TRIVMPHATORIBVS. SEMPER. AVGG.
OB. INSTAVRATOS. VRBIS. AETERNAE. MVROS
PORTAS, ET. TVRRES. EGESTIS. IMMENSIS
RVDERIBVS, EX. SVGGESTIONE. V. C. ET. IN
LVSTRIS. COMITIS. AC. MAGISTRI. VTRIVSQ.
MILITIAE. STILICONIS. AD. PERPETVITATEM
NOMINIS. EORVM. SIMVLACRA. CONSTITVIT.

Fuit & consimilis inscriptio in veteri porta Portuensi, quam una cum ipsis muris Urbanus VIII. anno CIƆIƆCXLIII. dejici jussit, quum Transtiberinam regionem novis sepiret mœnibus: exstatque item alia supra portam S. Laurentii, verum maximam partem picturæ cujusdam margine occupata; partim & scalpro deleta; forte, ubi Stiliconis facta mentio. Huic portæ, ut & *Majori*, simillima quod ad formam est illa muro obstructa, quæ vetus *inter Aggeres* fuisse creditur, ut & Salaria, Pinciana, & Latina: quæ tamen aut ab Honorio, aut ab aliis antiquioris ævi Principibus conditæ fuisse videntur. His, quantum ex operis magnificentia, antiquitatisque argumentis colligere licet, si non vetustiores, certe nec ætate inferiores existimantur illæ *S. Sebastiani*, & *S. Pauli*; sed & iisdem, priusquam renovaretur, perquam similis illa *S. Pancratii*. Unde facile argumentum duci potest, mœnium, quæ nunc inter istas exstant portas, situm veterem, qui sub Honorio & Aureliano fuit, non immutatum. Hoc ita concluso, constitutoque, dimensio ab Ammone Geometra post primam urbis direptionem facta accuratius examinetur. Neque enim dubito, quin ex illa Olympiodori textum depravatum esse, probari, evincique possit.

Portam Flaminiam ad pontem Milvium non pertigisse ex pugna Maxentii cum Constantino liquet. Tradunt enim Eusebius, Zonaras, Nazarius, Historia Tripartita, aliique, Romanos victori Constantino aperuisse portas, eumque omni gratulationis honore excepisse, atque in urbem admisisse. Quin potius eodem illam, quo nunc est, fuisse loco, Procopius lib. I. de Bello Gothico a Donato adductus evidentissime demonstrat: qui pontem Milvium XIV. stadia Roma abesse scribit: illa vero mille passus & septingentos circiter efficiunt, quantum etiamnunc intervallum illud esse creditur. Salariam vero non minore ab eodem fuisse spatio disjunctam ex eodem ejusdem scriptoris libro colligitur, ubi Belisarii ab hoc ponte ad illam portam fugam accurate describit.

Hinc igitur prudenter sane Donatus colligit, Aureliani mœnia non ampliore fuisse ambitu, quam hodierna: quam sententiam, licet eam, priusquam Donatum legissem, animo jam concepissem, vix tamen absque alienæ auctoritatis admittere ac tueri præsidio ausus sum. Ut autem quam exactissima nostra sit disputatio, resque ipsa clarissime ex ea liqueat, revocemus in memoriam, recolligamusque ea, quæ e Vopisco, Sexto Aurelio, & Eutropio attulimus, nimirum securitatis publicæ intuitu novis urbem ab Aureliano mœnibus circumseptam: quibuscum hodierna, quod ad ambitus spatia, comparemus.

Ac primo quidem facile deprehensu est, Aurelianum, tam magnifica & splendida ædificia, quæ in Campo Martio erant, incursibus hostium obnoxia & exposita relinquere noluisse, verum potius mœnibus urbis inclusisse, allectum scilicet *colle Hortulorum*, qui magnam ejus partem amplexus, flexu suo versus Tiberim, ubi nunc *porta Populi* est, introitum urbis coartabat: & fortean multo etiam magis quam nunc, si *porta Populi* tempore Belisarii, ut Procopius refert, in angustiis sita fuit. Atque ita Aurelianus sylvam etiam, quam Augustus pone Mausoleum suum severat, totam mœnibus inclusit, qui ultimus finis fuit sumtuosarum illarum in Campo Martio substructionum, uti suo loco ostendetur. Sed & hoc observari velim, ubi collis ille ad Tiberim procurrit, ita eum ab illo altero, qui ad pontem Milvium tendit, diffindi, ut a *porta Populi* usque ad Pincianam grandis secundum mœnium longitudinem sulcus remaneat. Consideretur ibidem non procul a *porta Populi* flexus ille, ubi desinente muro vetere e lateribus, alter incipit multo antiquior ex opere reticulato, casumque minitans, unde vulgo *murus tortus*, sive incurvus, appellatur. Hunc non inepte Donatus a Procopio innui suspicatur lib. I. ubi ait, inter portam Flaminiam, & aliam minorem, ad manum dextram portæ Pincianæ, partem muri non solum versus terram diruptam, verum etiam, qua media sui parte sursum tendit, ita suspensam, ut, cum ruinam minetur, non tamen decidat, parte ejus foras eminente, parte vero

introrsum reducta: quam cum Belisarius restituere atque instaurare vellet, Romanos intercessisse, compertum sibi affirmantes, S. Petrum, eam mœnium partem sibi curæ fore, pollicitum. Atque ita deterritum Belisarium murum, ut nunc est, reliquisse. Hæ vero muri istius plicæ, atque prominentiæ (quæ visentium omnium excitant stuporem, atque admirationem) quum hac sibi parte Gothi in urbem aditum quæsisse non legantur, eadem esse videntur, quæ & nunc ibi conspiciuntur. Unde, quum ea pars muri jam tempore Belisarii vetusta dicta fuerit, Aureliani illam firmissimi, ut Eutropius & Sextus Aurelius ajunt, muniminis fuisse partem, sat liquide apparet.

Marlianus existimat, reliquias illas esse palatii Pincii Senatoris; verum non alio argumento, quam quod illud in colle isto fuerit: cujus tamen contrarium facile perspicitur. Nam murus ille ætate Belisarii ita concussus erat, ut hodie: contra ea Pincii palatium tam integrum, ut Belisarius illud sibi domicilium delegerit, teste Anastasio *in vita Silverii*: unde, si qua conjecturæ fides, ibi fuisse crediderim, ubi nunc est Cœnobium *S. Trinitatis in montibus*, vel *Horti Medicæi*: cujus situs præaltus, & late conspicuus, & a *muro torto* remotior, colli Hortulorum nomen dare novum potuit: sicut ejus vicinia portæ proximæ appellationem *Pincianæ* contulit: *murus* autem *tortus* vulgatum illud *portæ Populi* nomen conciliasse videri quea. Sed ad urbis mœnia revertendi tempus est.

Secundo, iter portas Salariam & *S. Laurentii* Aurelianus ambitum aggeris a Servio Tullio facti usque in situm, qui nunc est, protulisse deprehenditur: cui consilio vel templorum complures structuræ, aliæve, quæ inter aggerem illum & Castra Prætoria fuere, vel, quod credibilius, majoris securitatis consideratio (quam mœnium cum castris illis conjunctio adferre videbatur) ansam præbuisse verosimile est.

Tertio, inter portam *Majorem* & Monasterium *S. Crucis in Hierosolymis* alicujus forte grandioris ædificii imminens vicinia causa fuit, ut mœnia secundum aquæductum aliquantulum in illum angulum extenderentur, ut in quinta regione fusius exponetur.

Objiciet hic aliquis Amphitheatrum Castrense, cujus pars dimidia pone hortos *S. Crucis* extra mœnia procurrere conspicitur. Verum hoc, certumque, Amphitheatrum illud intra murorum ambitum fuisse: verum ex ipso situ, nonnullisque veteris fundamenti reliquiis liquet, mœnibus proxime Amphitheatrum ad illum celsitudinis tramitem procurrentibus, subitoque flexu ad hodiernum situm revertentibus, festinatione, commoditateque istius in reficiendis post Gothorum irruptionem muris adjumenti, exiguam illam, & vix sensibilem introrsum eorundem factam esse reductionem. Quod ut melius pateat, quæ paulo ultra sunt, considerari aliquando velim attentius. Etenim particulam illic muri videas e lapidibus grandibus, & quadratis, nulla intermissa calce ferruminatis, &, quantum conjectura assequi licet, festinanter veteris muri reliquiis impositis: quam ego partem operis tumultuarii Belisarii esse arbitror, qui partem a Totila, ut ait Procopius, diruti muri nulla interstrata calce properanter refecit: ad cujus sustentationem vicini Amphitheatri beneficio usus esse videtur: postea vero cum muri calce interjecta redintegrarentur, quod illa deproperata sine calce substructio invalidior esset, multo magis Amphitheatri istius subsidio atque sustentaculo muros fuisse superstructos. Quin nec animadversione hic indignum puto, inter Castra

A Prætoria, & dictum illud Amphitheatrum, lapides alicubi in muris quadratos conspici rudi manu lateritio operi insertos: ut & inter portas *S. Joannis*, & *S. Pauli*: qui indicio esse possint, veteres a Servio exstructos muros, quorum saxa illa pars erant, ab hodiernis haud procul absfuisse; & ab Aureliano ibidem aut parum, aut omnino non mutatos, prolatosque fuisse.

Quarto, inter portas *Marranam*, Latinam, & *S. Sebastiani*, ut ex parte ingens ille sinus evitaretur, quem mœnia isthic introrsum inter Cœlium B & Aventinum reducta faciebant, utque omnia, quæ illic intermedia erant, ædificia in tuto collocarentur, ipsa muniendi ratio poscere videbatur, ut Aurelianus colliculo, qui intermedius est, uteretur, & linea recta murum novum duceret, vetere illo multo breviorem. Quod cum dico, ita velim accipi, si verum est, Servium Tullium non ea suum duxisse murum, sed interius: quod uti mihi incompertum est, ita & in medio relinquo.

Quinto, a porta *S. Pauli* ad flumen, relicto Aventino, muro per planitiem via recta ducto, multo minore mœnium tractu illud collis Testacei spatium, porticusque, & cetera ædificia, ob C appellentium ibidem in ripa navium commoda exstructa, magno cum compendio inclusa fuere, munitaque.

Auctorem Panvinius hujusce operis Belisarium fuisse credit. Verum Rufus & Victor, qui portam Trigeminam intra muros fuisse tradunt, nimisquam idonei testes sunt, muros jam tum ultra istam portam prolatos fuisse: præterquam quod porta *S. Pauli* majorem præ se ferat vetustatem, quam ætas permittat Belisarii; qua Procopius lib. II. historiæ Gothicæ, ab illo jam tempore eodem nomine appellata, exisse sese narrat, cum a Belisario D Neapolim mitteretur, ut in urbem a Vitige obsessam, qui recens illuc Constantinopoli appulerant, milites, nec non quidquid in Campania tritici colligi ab ipso posset, introducere, inferreque conaretur.

Sexto, necessitas in Transtiberina regione exigebat, quo mœnia ista cum illis, quæ in altera ripa erant, cojungerentur, atque ita quatuor fluvio immissi pontes intra ipsorum ambitum includerentur, ut tam ab hac, quam ab illa parte, ad portam Septimianam, & ad Portuensem, ab Urbano VIII. postea destructam, in adversa sibi ripa objectas, producerentur.

E Ulterius, quam a me disputatum est, mœnia ab Aureliano ampliata vix credibile est, aut certe non admodum largo incremento; ut ex eorum situ animadvertere est. Adhæc non habuit Roma, quum vel maxime floreret, & ad summum magnitudinis pervenisset fastigium, suburbia extra Servii murum ubique æque late diffusa, ut e villis, pagis, campis, & suburbanis colligere est: verum in nonnullis locis ab ipsis agri muris in libera camporum spatia diffundebantur; in aliis rursus ædificia late spargebantur, suburbiaque a se invicem distincta, ut stellarum solent radii, in diversa procurrebant; ut de via Flaminia in Ammiano legitur, & in Aristi-F de in oratione, quæ urbis laudes continet, de continuatis ad mare usque ædificiis. Et hinc visa est Roma velut e pluribus constare urbibus; quo sensu forte Plinius: *Nisi quod exspatiantia tecta multas addidere urbes*. Sic ut in civitate tam late effusa amplior murorum ambitus fieri nequierit. Quod ad suburbia attinet, non omittendum videtur, dissimulandumve, Aristidem, quum de eorum agit in laudatione Romæ amplitudine, Rhetoris implere partes, & rem supra verum extollere: siquidem *vicus Alexandri* (qui secundum Ammianum in via erat Ostiensi tribus passuum millibus a civitate

Romana remotus, ſatis id manifeſte indicat. Verba Ammiani lib. XVII. ubi de Obeliſco Circi Maximi agit, hæc ſunt: *Defertur in vicum Alexandri tertio lapide ab urbe ſejunctum: unde chamulcis impoſitus, tractuſque lenius per Hoſtienſem portam*, &c. Sic ut ſuburbia viæ Flaminiæ Ocriculos uſque ſemet extendiſſe, nec in Ammiano, nec in quoquam alio ſcriptore inveniam: verum potius ad pontem Milvium ſuburbium fuiſſe a Roma diſtinctum: quo tum temporis exſpatiatum iri ſolitum e Tacito mihi colligere videor, ut & ex ipſo Ammiano, ſicuti alibi commodius indicabitur. Ingentia ſane, & late ſerpentia Roma habuerit licet ſuburbia; non tanta tamen, quanta a vulgo jactantur, quod ad cuncta in miraculum extollenda pronum eſt. Ceterum non totus hodiernus mœnium ambitus Aureliano debetur. Conſtantinus enim, referente id Zoſimo, dirutis Caſtris Prætoriis, & ea muri parte, quæ ab civitate illa disjungebat, tres reliquas, ut ea parte urbs muris clauderetur, reliquit intactas, atque ita urbis ambitum, verum non admodum magno ſpatio, ampliavit. Caſtra illa, muris urbis ſubjecta, non ad *S. Sebaſtiani* portam fuere, verum, ut Panvinius aſſerit, extra Nomentanam, quæ hodie **Pia** appellatur.

Illud igitur ſpatium quadratum, quod inter portam illam, & alteram nunc obſtructam, procurrens hodieque viſitur, acceſſio eſt, a Conſtantino facta, cum Caſtra Prætoria deſtrueret.

Refectos ab Honorio muros urbis, non modo e Claudiano in Conſ. VI. Honorii liquet, ſed & ex inſcriptionibus, de quibus ſupra. Eadem gloria etiam Theodorico Gothorum Regi a Caſſiodoro in Chronico tribuitur: *Atque admirandis*, inquit, *mœnibus deputata per annos ſingulos maxima pecuniæ quantitate ſubvenit*. Ubi tamen animadvertendum eſt, cum de *mœnibus* loquitur Caſſiodorus, non ſolum eum de muris urbis eſſe, ſed & de reliquis ejus ædificiis, ac ſtructuris, accipiendum: ſicut & de Domitiano ſcribit: *His Coſſ. multa mœnia, & celeberrima Romæ facta ſunt: id eſt, Capitolium, Forum Tranſitorium, Divorum Porticus, Iſium, Serapeum*, &c.

Multorum fert opinio, Juſtiniani tempore in bello contra Gothos veterem urbis ambitum a Beliſario intra anguſtius ſpatium contractum fuiſſe. Verum, præterquam quod ipſæ nos portæ contrarium doceant, Procopius, qui, uti dixi, eo in bello Beliſarii comes fuit, ſæpius ab eo redintegratos muros tradit, at numquam contractos: quin potius, ſi accurate omnis perlegatur ejus hiſtoria, ſæpius contrarium affirmare deprehendetur. Multis enim in locis mœnia turribus grandioribus, & amplioribus, & extrorſum inferiore ſui parte procurrentibus adornavit, munivitque validius; quorum procurſuum etiamnunc aliqua viſuntur veſtigia, projectis inferius novis muris, qui prioribus plus ſpatii adderent, atque complecterentur. Quod autem portam Flaminiam anguſto, difficilique ſitu fuiſſe ait, non ideo tamen exiſtimandum eſt, eam ulterius verſus Pontem Milvium ſitam fuiſſe, cum iſtorſum via Flaminia ſenſim magis magiſque dilatetur: verum ut eam in anguſto fuiſſe loco cognoſcamus, ſufficit, inquit Donatus, collem intueri, qui ei imminet, & ad gradus *S. Mariæ Populi* incipit. Forte etiam propior illi colli porta ea fuit; quæ poſtea, ut via eſſet directior, ſive ut eccleſiæ iſti plus ſpatii foret, mutata loco: aut, ſi eodem loci reſtitit, pars collis ob commodum publicum, decoremve deducta in planum ſit, quæ illam antea arctius premebat.

Horum redintegratorum mœnium Totila partem tertiam dejecit, at variis in locis: poſtea vero, cum urbem iterum cepiſſet, pœnitentia ductus, aviditateque gloriæ commotus, reſtituit: cujus ambitus tam longe ab eo, quod habitabatur, diſtabat, ut Diogenes, cui urbis commiſſa cura fuerat, alia rurſus obſidione ſpem fecerit eam ſe frumento ſuſtentaturum, quod ex conſitis in urbe agris colligeretur.

Poſt bella Gothica Narſes iterum iiſdem reſarciendis manum admovit: ac deinceps illos ab aliis quoque, quum res poſceret, inſtauratos, negari vix poſſit. Etenim Pontifices Maximi Hadrianus primus, & Gregorius ſecundus notabiliter mœnia urbis refeciſſe leguntur. Sed neque hi, neque alii, veteribus eos removere veſtigiis atque fundamentis potuerunt, noviſve ſuperædificare, quod poſt Totilam ea pars urbis numquam ut ante culta, habitataque, interiore multo, anguſtioreque muro ambiri debuiſſet.

Sed & ex ipſo ſtatim primo intuitu, quid olim, quid poſtea additum, reſtitutumque fuerit, apparet. Longe enim alia, ac plane diverſa a veteribus ſtructuris, additamentorum recentiorum facies eſt. Nam vetus illa ſubſtructio e lateribus eſt; & recentior facile ducentorum eſſe tantum, aut paulo amplius annorum, reverſoſque Avenione Romam Pontifices auctores habuiſſe videtur: quorum diverſa opera, diſtinctaque temporibus, diverſitate quoque exterioris ſpeciei facile ſemet ipſa produnt. Sic & magna quandoque murorum portio occurrit tota plena majeſtatis, operiſque auguſtioris, quæ turribus inſtructa, alicubi tecto opertis, & capitellis ſæpe marmoreis exornatis, tempora arguunt amplioris potentiæ, majoriſque cultus, quam Beliſarii, Narſetiſve ferebat ætas: unde ego opus illud Honorio, aliive Imperatori lubens adſcripſerim. Sed & quæ dein a Totila, vel Narſete addita fuerunt, facile dignoſcuntur, quum hi Amphitheatri Caſtrenſis ſubſtructuras proxime, quantum fieri potuit, quod ad formam exteriorem, ſecuti ſint, uti ex utrorumque liquet comparatione. Ceterarum partium ſimplicior, & minus vetuſtatem ſapiens ſtructura eorum ſine dubio fuerit, qui poſt illa tempore muros urbis variis temporibus inſtaurarunt.

CAP. IX.

De Portis.

SIcut mœnia, ita & Portæ ſitum varie una cum nomine mutaverunt: unde, cujus hæc vel illæ ambitus, quoque loco fuerint, exacte tradere perquam difficile eſt. Numerus earum e Plinio, ubi de muris agit, liquido conſtat. Ait enim: *Ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero* XXXVII. *ita ut* XII. *ſemel numerentur, prætereanturque ex veteribus ſeptem, quæ eſſe deſierunt*, &c. Hic pro XXXVII. alii XXXIV. legunt; Panvinius autem malit XXIV. Nihilominus ille, quem ipſe edidit, Publius Victor, libro extremo ait, *Portæ triginta ſeptem*. Donato textus Plinii corruptus videtur, ideoque nec ſenſum inveſtigare ejus curæ habuit, nec plures XIV. aut ſummum XVI. fuiſſe portas exiſtimat, in Procopio non plures inveniri affirmans. Verumtamen tantus portarum numerus nemini velim, a vero videatur alienus. Nam cum cuncta undique extra muros arctiſſime habitarentur, ut plures ad faciliorem urbis aditum portæ fierent, ipſa exigebat mutui commercii, atque indigentiæ neceſſitas: & ſi in tam anguſto intervalli ſpatio quatuor, idque maximis impendiis, Tiberis junctus pontibus fuit, quo ex Tranſtiberina regione paratior in urbem tranſitus foret: certe non abſimile vero eſt, pluribus minore multo impenſa portis muros fuiſſe interciſos. Quod vel

inde colligere eſt; quia a porta Salaria, uſque ad portam *S. Laurentii*, vix mille paſſuum intervallo, quatuor hodieque portæ conſpiciuntur, & plurium etiam veſtigia: atque ita in undecim mill. paſſuum facile XXXVII. eſſe portæ potuerunt. E Beliſarii ævo argumentum peti nequit; quod jam tum Roma magna ſui parte jacuerit inculta; adeoque multæ urbis portæ fuerint obſtructæ. Quin & facile accidere potuit, ut in reſtitutis, prolatiſve ab Aureliano muris minor earum numerus fuerit, quo munitior urbs eſſet, ac ſecurior: non urgente exigenteque majorem numerum neceſſitate commercii, quod jam omnia ferme, ſaltem potiora, ædificia muris incluſa eſſent. Adfert pro ſe Donatus, non licuiſſe olim muros interſcindere, quod religionibus Romani impedirentur ductum auſpicato ſulcum interrumpere, atque violare. At ſi ipſi potuere immutari, protollique muri, certe etiam aperiri pluribus potuere locis, expiatis per Augures, quæ vetabant, religionibus.

Eſt tamen in Plinio difficilis quidam, ac plane durus nodus, qui, priuſquam ulterius pergamus, ſolvendus eſt. Ait enim: *Ita ut duoduecim ſemel numerentur*. Numerat primum omnes ſui temporis portas; & mox XII. tantum ſemel numerandas eſſe vult: at qua de cauſſa? Marlianus, agnita hac difficultate, expedire ſe illa exiſtimat, veteribus portis ſingulis bina fuiſſe nomina dicens, quæque illa fuerint, enumerans. Sed quæ illa in tam gravi ſcriptore fuiſſet levitas, dum Romæ portas numerat, viaſque, quæ ad illas ducebant, enarrat, edicere, ſe nullam harum pluſquam uno nomine proferre? Hic ſane nulla plurium nominum ratio, aut enumeratio, locum habere poteſt, ubi de dimenſo mœnium ambitu, viarumque & compitorum numero loquitur, portaſque recenſet Plinius: nec timere poterat, abſque iſtiuſmodi admonitione imaginaturum ſibi lectorem, XII. fuiſſe portas pro XXIV. poſitas. Adde, quod, quæ ipſarum, & quot nomina fuerint, exponere res perquam incerta ſit, ac dubia. Quantopere vero in his Marlianus cæſpitet, poſtea, quum de portarum nominibus agetur, pluribus oſtendam. Inveſtiganda tamen Plinii ſententia eſt. Donatus XII. pro una numerari putat. Atqui ita rem non tam expedit, quam magis etiam impedit atque intricat: ſiquidem duodecim pro una numerari res perquam abſurda eſt: tum longe aliud quid eſt, ſemel tantum duodecim numerare; aliud, nonnisi pro una eaſdem ponere XII. Mihi alia ſubnaſcitur conjectura: quam priuſquam in medium proferam, Livii quidam locus non minus difficilis explanandus eſt. Hic trecentorum Fabiorum adverſus Vejentes expeditionem, & egreſſum ex urbe memorans, *Infelici*, inquit, *via a dextro Jano portæ Carmentalis profecti Cremeram flumen perveniunt*, &c. *Dextrum* hic plerique *Janum* pro Jani templo accipiunt, quod extra illam portam erat, & *dextrum* appellatum reſpectu Janiculi, qui ei ad manum erat ſiniſtram. Verum hic de Janis portæ, non de templo Jani agitur, quod extra portam. Ovidius lib. II. Faſtorum idem dicit:

Carmentis portæ dextro eſt via proxima Jano.

Unde liquet tam ſiniſtrum, quam dextrum, portæ Carmentali fuiſſe Janum. Tum & Janus a templo Jani diverſum quid; ut idem Poeta l. I. Faſt. teſtatur:

Cum tot ſint Jani, cur ſtas ſacratus in uno,
Hic ubi templa foris juncta duobus habes?

Affirmat id ipſum & P. Victor; *Jani*, inquit, *per omnes regiones incruſtati, & ornati ſignis*. Quid autem Jani fuerint, nemo melius Cicerone explicuerit, qui in II. de nat. deorum: *Ex quo*, ait, *tranſitiones perviæ Jani nominantur*. Omnes igitur tranſitus, queis ex uno in alium commeabatur locum, quibuſque duplex, ut Jano, facies erat, introitus ſcilicet, & exitus, *Jani* dicti; inſerviebantque uſui publico compendia viarum ſectantium in foro, alibive, negotiatorum. Hinc in Portis interiores tranſitus, qui in multis tam antiquis, quam hodiernis, etiamnunc tecti, detectique, viſuntur, Jani fuere appellati. Et quia in Carmentali dexter fuit, conſequitur etiam ſiniſtrum in eadem fuiſſe.



Quod iis facile cognitu fuit, qui veterem Portuensem videre portam, quæ anno CIↃ IↃCXLIII ab Urbano octavo destructa fuit, cum eam muri Transtiberinæ regionis partem interius reduci juberet: cujus exterior facies duplicem portam exhibebat, quarum altera obstructa erat; utraque tamen una intermedia utrumque arcum suffulciente columna inter se connexa: supra utramque vero in longitudinem porrecta erat inscriptio, Honorium restitutorum murorum auctorem indicans: cujusmodi & superius aliam habuimus: & nunc iterum una cum istius portæ delineatione exhibemus,

Sic & interior portæ *S. Pauli* pars, in qua majoris vetustatis superest facies, duos item istiusmodi arcus exhibet: nec non interior facies portæ *Majoris* duas quoque habet portas triplici intersititio distinctas, super quas tres in longum porrectæ visuntur inscriptiones, Claudii, Vespasiani, & Titi. Sed & in ejus facie exteriore binæ occurrunt portæ; verum quæ minorem præ se ferant vetustatem, nec ejusdem tamen temporis: namque altera earum inscriptione exornata est Honorii capite præcedente allata. Unde satis valida certaque duci potest conjectura, portarum urbis aliquas duplici fuisse Jano instructas, in usum cummaxime transeuntium vehiculorum, jumentorumque. Aliquas dixi, non omnes: quandoquidem nonnullæ ejusdem, forte & majoris vetustatis, unico tantum Jano præditæ visuntur. Duplicem vero Janum in Carmentali fuisse, ita uti supra dixi, valde verisimile est, & nescio qua ductos superstitione per dextrum potissimum Janum adversus hostes exisse Fabios. De his igitur sentit Plinius, ut ad eum tandem revertamur: monetque se duodecim tantum portas semel numerare, ne quis duplices, qui in illis XII. erant, Janos, pro XXIV. portis inter illas XXXVII a se numerari forsitan existimet.

Est & alia in iisdem Plinii verbis obscuritas, ubi ait: *Prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt*. Maxima namque scriptorum pars de iis hæc accipit portis, quæ aucto urbis spatio intra prolatum pomœrium inutiles restitere. Ego vero de iis intelligam, quæ clausæ fuere, velut superfluæ. Præterquam enim, quod ipsa vis verborum istorum, *quæ esse desierunt*, id ipsum poscere videatur, Varro tres tantum, non autem septem, intra pomœrium portas numerat. Donatus contra ea de XXXVII. numero istas septem, quæ esse desierant, detractas a Plinio existimat. At verus Plinii sensus fuit, (qui mihi nimis perspicuus videtur, quam ut de eo dubitari debeat) præter illas VII. alias etiam adhuc XXXVII. urbis portas fuisse.

Ut veteres urbis portas investigemus, optimum factum erit, ut ad mœnia rursus oculos nostros reflectamus.

Vicina certe Tiberi *Flumentana* fuit, quam sæpius a flumine afflictam Livius tradit, l. v. quartæ decadis. Hæc, (ne cum iis nugas agamus, qui eandem *portam Populi* fuisse opinati sunt) non alibi fuit, quam proxime illud murorum initium, quod ad pontem *S. Mariæ* fuisse asserui: ubi, quamquam ad latus Carmentalis, non tamen superflua fuit; quod per eam, ob Fabiorum interitum *sceleratam* dictam, exire omninosum erat. Tum, quod nec alia in vicinia porta erat, qua in campum Martium exiri commodius posset.

Proxima, & vicina cummaxime, huic erat *Carmentalis*, de qua supra abunde multa dixi, cum de portis Romuli agerem. Hoc unum addendum videtur, Carmentalem, ex quo post primum urbis a Romulo conditæ ambitum, accepto in eam Tatio, spatium urbis promotum est, situm quoque veterem mutare potuisse, sed non admodum notabili prolatione. Quum vero abhinc muri per montem Tarpejum, & prærupta ejus saxa pergerent, non potuit alia usque ad *Macellum Corvorum* constitui porta: nisi forte aliquando, quo commodius de Capitolio in Campum Martium descenderetur, Tarpeja ibi facta fuit, unde per Asylum, quod inferius erat, descendebatur. Verum nec volam hujus, nec vestigium alicubi invenio.

Inter *Macellum Corvorum*, & Columnam Trajanam (quod & Donatus observavit) alia debuit aliqua fuisse ad ima Capitolii, atque radices Quirinalis; quæque in viam latam duceret. Hanc Donatus veterem *Ratumenam* fuisse putat. Verum Plutarchus in Publicola (quod nemini hactenus animadversum) Ratumenam inter illas prius Capitolii portas numerat: *Impetum raptum, atque asportatum* (loquitur illicde Vejente isto auriga, qui ab equis suis Veiis Romam raptus fuit, *usque ad Capitolium; ibi hominem juxta portam dejecerunt, quam Ratumenam nunc vocant*.

Hic rupes montis Quirinalis incipiunt, perguntque usque ad portam Salariam. Quis autem negaverit, in toto hoc tam longo tractu non plures fuisse portas, per quas in campum Martium descenderetur? Attamen situs earum exactus non adeo facile tradi potest. Nam ubi nunc facilis aditus est, forsan olim difficilior fuit, turbatis per ædificiorum ruinas priscis vestigiis. Crediderim nihilominus depressiore illo tractu, qui a Columna Trajana ad Palatium Pontificium, & *quatuor fontes*, extenditur, plures una portas olim fuisse. In Quirinali vero *Salutaris porta* fuit: cui, sicut & parti montis eodem cognomine *Salutaris* insignitæ, testibus Varrone & Festo, *ab æde Salutis, quod ei proxima fuit*, cognomen illud inditum fuit. Templum autem istud in summo Quirinali fuisse Rufus & Victor tradidere. Et quis scit, an non pulcherrimum istud frontispicium, quod in hortis Columnensibus fuit, istius fuerit templi Salutis? Certe Salutis potius, quam Solis, uti postea opportunius docebitur. Hoc quoque tractu *Catulariam* fuisse credo, de qua post paulo agam, ceteris prius, de quibus certius quid affirmari potest, recensitis.

Salaria vetus fuisse *Collina* existimatur, in qua *viam Salariam* desiisse Tacitus l. III. Histor. docet. Verum, quum veteres muri ultra *villam Mandosiam* non pertingerent, uti supra dictum est, Collinam paulo magis interius fuisse necesse est. Sed id paucarum perticarum intervallum est, adeoque nec alicujus fere momenti. Nomen *Collinæ* a colle datum: quæ & *Agonensis* dicta, ut multi volunt, quod sine angulis esset: ut autem mihi videtur, ab antiquo Quirinalis nomine, quem antea *Agonum*, sive *Egonum*, dictum Festus tradit. Quin & *Quirinalis* dicta fuisse quibusdam credita, a facello quodam vicino *Quirini*, vel, ut Festus vult, a *Quirinali monte*. Alii & *Salutarem* appellatam volunt, ejusdem Festi se tuentes auctoritate. Ego vero Salutarem a Collina diversam fuisse puto. Nam primum ille de Via Salaria agit, & porta Collina: tum vero post de porta Salutari, tamquam alia, & ab illa altera diversa.

Huic perquam vicina est *Porta Pia*, quam, (sive illam potius, quæ in veteri muro paulo remotior fuisse videtur) antiquorum *Nomentanam* fuisse, cum via recta Nomentum, hodie *Lamentara*, ducens, tum pons in Aniene Nomentanus abunde evincunt. Eadem, ut e Livio & Victore liquet, *Figulensis* appellata, a figulis forte, qui extra illam suas habebant officinas. Verum quia in Victore etiam *Ficulensis* legitur, ab antiqua *Ficulnea* denominationem accepisse videri possit, qui locus Sabinorum fuit. Sunt & qui nuncupatam eam *Viminalem* velint a monte *Vimininali*, sive *Ara Jovis Viminei*: sed qua id fa-

ciant inducti ratione, non video. Etenim mons A hic inter duas suspensus valles conspicitur, quarum altera sulci instar *villam Perettam* dividit, altera ad *S. Bernardi* desinit, continebatque olim inter Quirinalem & Viminalem thermas Diocletiani inferiores, ut suo ostendetur loco. Quare Nomentanam in Quirinali non fuisse, ne dubitandum quidem est. Quod si vero Ara Jovis Viminei colli nomen dedit, in quo posita erat, non potuit tamen isti portæ dare, quæ extra illum collem fuit. Tandem Strabo Viminalem inter Collinam, & Exquilinam, in medio collocans, multum illam ab hac sejungit; quippe quæ a Collina non nisi unico remota stadio cernatur; ab Exquilina vero plus quinque; adeo- B que magis versus Viminalem sita, quæ erat in ipso meditullio: unde & ad Castra Prætoria exeundum erat necessario, quippe quæ in extremo illo monte erant extra mœnia. Tum vero & in valle, quæ inter Quirinalem & Viminalem exitum dabat, priusquam Aurelianus muros proferret, aut etiam Diocletianus illic Thermas ædificaret, alia etiam porta fuerit, necesse est, cum vallis hæc tam commoda ad exitum muris tota claudi non potuerit. Ad hæc paulo ultra veterem Nomentanam, ubi Castrorum Prætoriorum clivus incipit, clausa quædam ad latus videtur, quæ valli huic exactissime respon- C dens opinionem meam mirifice confirmat. Eant nunc, negentque fidem mereri XXXVII. portarum apud Plinium numerum.

Illa vero, quæ ab altera Castrorum Prætoriorum parte obstructa videtur, utplurimum ea creditur, quam veteres *Inter aggeres* apellarunt: sed perquam levibus, ne dicam nullis, argumentis. Voculæ enim *inter aggeres* satis clare indicant, non eam in medio aggere Servii Tullii fuisse, verum inter hunc & illum Tarquinii Superbi: unde aut illa *S. Laurentii* fuit, aut inter illam & portam *Majorem* alia: quam *Querquetulanam* fuisse Panvinius credit, in Viminali eam monte collocans, D motus hisce Plinii l. XVI. c. X. *Silvarum certe distinguebatur insignibus: Fagutali Jovi etiamnunc, ubi locus fageus fuit porta Querquetulana, colle, in quem vimina petebantur*. Cui Varronem, Victorem, & Rufum addit: quorum primo Sacellum Querquetulanum, reliquis autem duobus silva Fagutalis in Viminali collocatur. Sed hæc porta inter Viminalem est & Exquilias, nec aliter in ipso colle: & ad eam recta tendit illud convexum, quod ad instar canalis *villam Perettam* incurvat. Plinii autem locus, uti Donatus optime observavit, nil infert; quoniam ab initio tantum Romam silvis distinctam dicit, nempe Jove Fagutali, porta Querquetulana, colle Viminali, ceterisque id genus a- E liis. Varro Sacellum illud proxime ad Exquilias collocat: *Huic origini concinunt luci vicini*, &c. Quare Querquetulana vel in Exquiliis fuit, ad montem Cœlium, vel in Cœlio proxime Exquilias, qui & *Querquetulanus* olim dictus fuit, auctore Tacito: prope quem Sacellum hoc fuisse verisimile est: de quo, ut & porta Querquetulana in quinta Regione fusius a me disputabitur. Portam illam obstructam *Sabiusam* fuisse existimaverim: in quo si scopum non attingo, certe haud multum abero; siquidem vel ab hac, vel non procul inde, via Valeria ibatur in Sabinos. Nisi potius Collatina ipsa fuerit, quam omnes illic loci fuisse credidere, ubi nunc *Pinciana* est: sed male: non modo, quia veteres Servii muri eo F non pervenere: verum etiam quia via Collatina, ut ex Frontino colligo, proxime campum dictum Salonium, transibat: ubi magna illa Aquæ virginis est scaturigo; & ubi Collatinam olim fuisse Cluverius demonstrat.

Sequitur illa *S. Laurentii*, in qua mirifice Antiquarii dissentiunt. Fulvius illam *Tiburtinam* esse vult, exstructam, postquam Exquilina in aquæductu illo obstructa fuit. Appellat eam & *Taurinam*, a tauri capite, quod in fastigio arcus visitur: verum cum tale nomen nusquam reperiatur, neque item ædificatam eam post clausam Exquilinam constet, satis mihi fallaci usus videtur conjectura in ea, quam de ingenti veterum portarum habemus numero, certitudine, illiusque, quæ recta hinc Tibur ducebat, viæ. Siquidem Ædes *D. Laurentii*, ad quam recta via ex hac porta pergitur, in via erat Tiburtina; in qua eam a Constantino structam Anastasius in S.Silvestro memorat: *Eodem tempore*, inquit, *Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Laurentio Martyri via Tiburtina in agro Verano super arenarium cryptæ*, &c. Marlianus contra ea hanc aut Exquilinam autumat, aut propius ad Nomentanam sitam fuisse, hisce Livii persuasus, qui in sexto decadis tertiæ de Flacco ait. *Porta Capena cum exercitu ingressus media urbe per Carinas Exquilias contendit. Inde egressus inter Exquilinam Collinamque posuit castra*. Unde colligit, transitum illum Flacci a porta *S. Sebastiani* per Carinas ad illam ducere *S. Laurentii*: & ex ultimis verbis, *inter Exquilinam Collinamque*, exiguum inter illas duas intervallum fuisse argumentatur. At mihi Exquilinam eam non fuisse apertum satis videtur, liquidumque. Primo namque Exquilina Strabonis tempore clausa fuit: hæc autem claudi nequit, quod ea in viam Tiburtinam exiretur. Dein, si ab Exquilina viæ duæ Labicum, & Præneste ducebant, uti Strabo asserit, non ea esse potuit, qua via Tiburtina incipiebat; verum magis versus portam *Majorem*, & huic proxima, sita esse debuit. Campum vero Exquilinum inter portam *S. Laurentii* & portam *Majorem* fuisse, alibi a me docebitur; & in hoc campo fuisse Tiburtinam, atque Exquilinam Strabo indicat. Quare satius est ita existimare, Tiburtinam magis ad sinistram Tibur versus; alteram magis ad dextram, qua Præneste ibatur. Quod & aggeris a Servio exstructi longitudo confirmat, quam Dionysius inter Collinam & Exquilinam in septem stadia porrectam scribit, quod ferme si mille passuum est. Hoc spatium a *villa Mandosia* per viam, quæ sub veteri aggere pone *Carthusianorum cœnobium*, ac *villam Perettam* est, ultra portam sese *S. Laurentii* extendit.

Gabiusam esse ideo Panvinius opinatus est, quia in novo suo P. Victore inter vias *Tiburtinam*, vel *Gabinam*, legitur: & a via ad portam deduxit argumentum. Sed *Gabina via* & *Tiburtina* eadem esse non potuit, si Gabii in media via fuere Prænestina. Strabo Tiburtinam viam cum Valeria conjunctam dicit: & hæc non Gabios ducebat, sed in Sabinos. Quare aut vitium est in Victore, & pro *Gabina*, *Sabina* legendum: vel, ut ego malim, eidem libro fides haberi nequit. Nam quod hæc ejus editio vulgata multo sit auctior, non, ut hanc non integram putem, facit, sed ut illam a descriptore multis lacinus de suo adsutis, vel descriptis e margine glossis auctam existimem. Unde ille commentator, qui inter ceteras vias *Gabinam* non inveniebat, cognominem alteri fuisse opinatus, *Tiburtinæ* illam sed nullo judicio adjunxit.

Tiburtinam igitur satis perspicue ostensam arbitror; nec minus clarum, *Exquilinam* paulo ulterius fuisse. terminumque aggeris Servii Tullii, & sub Tiberio clausam, ob viciniam forte portarum aliarum. Non longe inde, prope *Majorem*, portula quædam hodie obstructa visitur, & intra muros in vineis sulcus viæ animadvertitur, qua illa adibatur. Hinc ego portam *S. Laurentii*, inter utrumque aggerem sitam, veterem esse *inter aggeres* lubens crediderim.

Quæ vero nunc porta *Major* appellatur, a plerisque porta *Nævia* fuisse creditur, e pugnæ argumento, quam ibi decertatam Livius in II. refert: A *Itaque Cos. Valerius, ut eliceret prædatores, edicit suis, postero die frequentes porta Exquilina, quæ aversissima ab hoste erat, expellerent pecus, &c. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabina via occultum obsidere jubet: Sp. Largium cum expedita juventute ad portam Collinam stare, donec hostis prætereat, inde se objicere hosti, ne sit ad flumen reditus. Consulum alter L. Lucretius porta Nævia cum aliquot manipulis militum egressus. Ipse Valerius Cœlio monte delectas cohortes educit: hique primi apparuere hosti.* B *Herminius ubi tumultum sensit, cucurrit ex insidiis, versisque in Lucretium Hetruscis terga cædit; dextra lævaque hinc a porta Collina, illinc a Nævia redditus clamor.* Sed ex hoc loco contrarium manifestissime evincitur. Par enim ferme spatium ad armenta, & insessum ab Herminio locum, a porta Collina & Nævia fuisse videtur, ad quas Largius & Lucretius stabant: ad hos autem e monte Cœlio, quasi de medio loco, tendebat Cos. Valerius. Unde sequitur, Næviam ultra illam *S. Joannis* fuisse: quod postea Panvinio quoque visum magna cum animi mei cognovi voluptate. *Næviam* vero C proximam portæ Latinæ fuisse commodius etiam & opportunius infra ostendam. Interim hoc velim etiam observetur, si Herminius in via Gabina in insidiis delituerit, ad quem recta Consul de monte Cœlio descenderit, viam portamque Gabinam, sive Gabiusam, non fuisse eo loci, ubi nunc illa *S. Laurentii* conspicitur.

Panvinius in ea sententia est, *Majorem* esse veterum portam *Exquilinam*. Verum validis probari possit argumentis, Exquilinam nec hanc fuisse, nec illam jam memoratam *S. Laurentii*. Septem enim stadiorum intervallum, quod Dionysius inter Collinam & Exquilinam intercessisse tradit, quod ad *S. Laurentii* nimis longum est, quod ad D *Majorem* nimis breve. Adhæc in Exquilino campo Tiburtinam & Exquilinam fuisse Strabo refert. Quod si igitur in eo Tiburtina fuit, quam *S. Laurentii* esse dixi, *Major* illic esse non potuit, quod hic campus, ut post videbimus, eousque non pertigerit. Tandem Exquilina ante Tiberium nulli ferme alteri rei, quam educendis ad supplicium damnatis inserviit, qui extra illam portam morti dabantur: quo usu postea obsoleto, ut e Tacito l. II. Annalium patet, velut superflua teste Strabone occlusa est. Erat igitur loco minus frequenti, minusque commodo. At *S. Laurentii* porta semper E propter viam Tiburtinam necessaria fuit, in quam per eam exibatur, & propter illam, quæ e Romæ meditullio ad clivum *S. Luciæ in Silice*, duos montes Exquiliarum Cispium & Oppium dividentem, pergens, in eadem porta desinebat. Neque minus necessaria semper porta *Major* fuit, ad quam e foro via recta ad *S. Clementis*, & *SS. Petri & Marcellini* fuit, estque etiamnunc, *Lavicana* multis dicta, qua Gabios & Præneste commodissime & olim & nunc exitur. Erat igitur *Exquilina* inter hasce duas, eo loco, ubi etiam nunc intervallum illud agnosci potest.

Quænam igitur porta *Major* fuerit, etiamnunc F in obscuro est: portam vero fuisse certissimum est, licet Marlianus, verum nullis argumentis, arcum fuisse triumphalem velit. Ego illam *Gabiusam*, vel *Labicanam*, fuisse crediderim. Nam Gabii primo in ea via fuere, quæ Præneste ducebat: unde vel via Gabina vetus, ulterius postea extensa, Prænestina dicta fuit; quam & nunc ab ea porta incipere videmus: aut & hæc & illa in principio sui fuere vicinissimæ. Hic & magnificus ille Tarquinii Superbi agger fuit, ut supra vidimus, & postea fusius etiam dicetur: quem in ea urbis fuisse parte, quæ Gabios respiceret, Dionysius docet: quod mihi argumento est, aut hanc *Gabinam* veterum esse, aut certe ab ea non admodum longe remotam. Sed nec minus valida sunt argumenta, ut *Labicana* existimetur. Duas ait Strabo vias, Prænestinam, & Labicanam, e porta Exquilina processisse. At Labicanam singularem sibi portam habuisse certum est e Plinii l. XXXVI. c. V. Gabios autem in via Prænestina fuisse Dionysius ait lib. IV. Sequitur igitur, *Labicanam* proxime Exquilinam fuisse: quæ cum obturaretur, per hanc eadem commoditate in illas duas vias exitum patuisse; sicut nunc etiam Prænestina hinc inchoatur. Ita clausa fuit Exquilina, forte quod longo usu cognitum esset, commodiorem e Labicana Labicum & Præneste exitum esse. Quin & accidere potuit, ut illa clausa hæc Exquilinæ nomine a pluribus appellata sit: quum Frontinus de Aniene novo libro primo dicat: *Rectus vero ductus secundum spem veterem veniens intra portam Esquilinam*, &c. En, quanta olim vicinia portarum fuerit: quæ, ut exacti de iis quidquam animo concipere nequeamus, efficit.

Eam, quæ hodie *S. Joannis* dicitur, olim *Cœlimontanam* fuisse perquam probabiliter asseritur. Hanc & *Asinariam* multi putant, per quam Procopius lib. I. scribit Belisarium Neapoli venientem urbem intrasse. Meminit & Anastasius in S. Silverio: *Veni ad portam Asinariam*, inquit, *juxta Lateranos, & civitatem tibi trado*, &c. Unde & *Asinariam* dictam Fulvii opinio est, quod per eam intrarent e Neapolitano Regno ad urbem venientes asinarii. Verum quod ad Procopium via tum temporis Neapoli venientibus maxime trita atque usurpata erat Appia; & post Appiam Latina. Sed & idem Procopius refert, Belisarium, relicta Appia ad sinistram, venisse via Latina. Portæ *Asinariæ* magnum argumentum est *via Asinaria*, de qua Festus, collocans eam inter Ardeatinam & Latinam: *Retricibus*, (vel ut alii libri habent *Retrice cum*) *Cato in ea, quam scribit, oratione*, &c. *significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum & tertium, qua inrigantur horti infra viam Ardeatinam & Asinariam, usque ad Latinam:* quæ cum iis, quæ ex Procopio citavi, conveniunt. At verba nimisquam manifesta sunt, & clara Anastasii, *juxta Lateranos*, &c. explicabuntur igitur verba Festi, quæ nunc videntur turbare, suo loco: interim illa Anastasii *juxta Lateranos* quam strictissime accipienda censeo: neque portam *S. Joannis* esse portam Asinariam, sed hanc minorem illam, quæ paulo ulterius obstructa conspicitur, ubi urbis muri dispari a toto reliquo mœnium ambitu facie arcuati sunt, & instar Palatii fenestras habent: sic ut veteris palatii Lateranensis esse possint reliquiæ. Ostendetur & postea, ubi via Asinaria desierit: porta vero depressa, & occulta fuit, maximeque apta proditioni, quam Isauri ibi machinati sunt.

Post hanc & alia clausa atque obturata invenitur, ad quam *Marrana* Romam influit. Credita hæc *Metrodii* fuisse vetus porta, quam S. Gregorius l. IX epist. LXIX. *Metronis* appellat. Alii Gabiusam esse volunt: verum *Metronis* illam fuisse non alienum est a veri similitudine, quum Gregorius eam non longe a via Latina & via Appia collocet. *Ascensis* inquit, *caballis per Metronis portam exeuntes, ut eos in Latinam, vel Appiam viam sequerentur*. Sed quod plures illic invicem vicinæ portæ fuerint, nil de iis certi statui, decernique potest.

Hinc ad portam *Latinam* pervenitur, cujus *via Latina* silicibus strata, & S. Joannis Apostoli sacel-

lum, evidens sunt argumentum. Fauno, Panvinioque eadem & *Ferentina* creditur, cujus Plutarchus in Romulo mentionem facit: *Expiationibus civitatem purgavit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam observari tradunt*: sortitaque nomen a *Ferentino* Latinorum castello, quod in ea via fuit. Sed litandum veritati est. Indebantur portis nomina vel a proximis, vel a celebratis maxime, & frequentioribus locis. Ferentinum vero castellum exigui, aut nullius potius nominis erat, Romaque multo remotius, quam vel Anagnia, vel Compitum, vel Roboraria, quæ in via Latina fuere. Mea fert opinio portam *Ferentinam* illam *S. Joannis* esse, aut aliam vicinam, nomenque nactam ab celebri illo nemore, seu templo *Ferentini*, quo, teste Livio, ut & Dionysio, generalis totius Latii populorum conventus erat: in cujus aquis Turnus Herdonius dolo Tarquinii Superbi submersus est. Hoc autem templum, aquasque prope *Antrum Ferratum*, & *Marinum* fuisse, præclare Cluverius docet, multisque probat argumentis. Eadem & *Piacularis* appellata, a *piaculis*, quæ ibi teste Festo fiebant. Liquet hoc clarissime ex allatis Plutarchi verbis, *Expiationibus* &c. *quas adhuc Ferentinam ad portam observari tradunt*. Neque tamen ideo negaverim plura portæ *Latinæ* fuisse nomina earum, quæ in hoc tractu fuisse memorantur, ut *Næviæ*, *Raudusculæ*, vel aliud aliquod: & *Latinæ* nomen prius viæ proprium fuisse, uti de Salaria supra dictum. Sed hæc ut incerta, ita suæ relinquenda sunt obscuritati tenebrarum.

In spatioso hoc murorum sinu multæ olim portæ fuere, & inter ceteras *Nævia*: quandoquidem præter Livium Victor quoque ejus meminit, de Piscina Publica agens, quæ in regione octava erat, fuisse illic vicum dicens portæ *Raudusculanæ*, & alterum portæ *Næviæ*. Utraque a Panvinio inter Capenam & Ostiensem collocata est, quod in Varrone l. IV. de L. L. post trium foliorum defectum fragmentum hoc superfit: *Religionem Porcius designat, cum de Ennio scribens, dicit, eum coluisse Tutilinæ loca, sequitur porta Nævia, quod in nemoribus Næviis, &c. Deinde porta Rodusculа, quod ærata fuit, &c. Hinc porta Lavernalis ab ara Lavernæ, quod ibi ara ejus Deæ*. Unde Panvinius colligit, has tres ultimas circuitus Romanæ urbis ab eo latere portas fuisse. Verum si *Nævia* & *Raudusculа* in regione Piscinæ fuerunt, quæ illic ad radices Aventini desinebat, ultra eas radices neutram harum portarum fuisse certum est. Quod Varronem attinet, si ille in fragmento isto ultimas istius lateris portas memorat, ubi, quæso, Capena & Trigemina fuere? Equidem existimo, cum Varro de portis scriberet, duas earum fecisse classes, sicut & postea fecit Procopius: & a præcipuis, maximeque claris initio facto, in minorum descriptione desiisse; quarum e numero tres supra dictæ fuere: atque ideo quinque illic portas fuisse concludo, ad radices nempe Cœlii & Aventini, *Latinam*, *Asinariam*, *Næviam*, *Capenam* & *Rodusculam*: nisi forte plura uni portæ tributa fuerint nomina; quod mihi perquam verosimile videtur. *Rodusculæ* etymon Valerius Maximus l. V. cap. VI. melius quam Varro explicat: *Genutio Cippo Prætori Paludato portam egredienti novi & inauditi generis prodigium incidit: Namque in capite ejus subito veluti cornua emerserunt: Responsumque est, eum regem fore, si in urbem revertisset. Quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum sibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus præferatur. Cujus testandę rei gratia capitis effigies ærea portę, qua excesserat, inclusa est: dictaque Raudusculana, quod olim rauda æra dicebantur*.

A Portam *S. Sebastiani* veterem illam famigeratissimam *Capenam* esse indubium est. Probant hoc via inde initium ducens Appia, & Almon fluvius, qui extra portam illam visitur. Nomen illi vel ab oppido Capena, quod Italus prope Albam condidit, ut Solinus tradit; vel a templo & nemore Camœnarum a Numa ibidem posito, de quo inter ceteros loquitur Asconius Pædianus. Dicta & *Appia* a via Appia. Fulvius eam esse *Fontinalem* censet, ut & veterem *Triumphalem*, de qua postea latius.

In reliqua Aventini parte usque ad Trigeminam uni tantum locus est, quoniam præruptus loci situs aliam in ea parte portam nullam fuisse persuadet, nisi in magna illa convexitate, quæ B prope portam *S. Pauli* Aventinum in duos colles dividit. Hic erit locus secundum Varronis ordinem ultimæ ex ejus tribus portis, nempe *Lavernali*: & ad hanc portam initium esse potuit viæ Laurentinæ, de qua Plinius junior agit Epist. XVII. lib. II. *Aditur non una via: nam*, &c. *& Laurentina, & Hostiensis eodem ferunt*. Loquitur autem de villa isthic sua suburbana.

Trigeminæ, ultimæ ab hac Tiberis parte, sat accurate descriptus est situs, ubi de muris urbis sermo fuit. Nomen illi a tribus Horatiis obvenisse, C communis omnium sententia est. Verum quo pacto ab Horatiis denominata esse potuerit, non video, quum Horatiorum tempore necdum exstructa fuerit, imo nec mœnia urbis ultra Palatinum & Capitolinum montes prolata. Cœlius enim post adjunctos eversa patria Albanos urbi additus est. Veteres equidem structuras, atque ædificia complura nomen sæpe habuisse comperio, cujus origo nulla possit divinatione conjici. Hæc vero, non autem Portuensis, vetus porta *Navalis* fuit, de qua Festus; *Navalis, ait, porta, item navalis regio, videtur utraque ab Navalium vicinia appel-* D *lata fuisse*. Nisi forte *Navalis* & *Lavernalis* eadem est. Navalia namque non, ut nunc, in Transtiberina ripa fuere, sed in altera, quæ Aventino subjecta; uti suo loco probaturus sum. Quare quidam nimisquam audacter portam Navalem vanum esse recentiorum somnium scribit. Situs Trigeminæ accuratus a Frontino in primo de Aquæductibus describitur: *Ductus Aquæ Appiæ habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminam*: cujus aquæductus Fulvius & Marlianus suo etiam tempore vestigia ruinarum in proximis vineis superfuisse testantur: quas vineas alias esse nullas arbitror, quam quæ E inter *scholam Græcam* sunt, & montem Aventinum: in quarum una Fulvius cavernas exstare antiquarum salinarum refert: unde portam hanc in extremis angustiis fuisse colligitur, aperteque Fulvius pronuntiat, ad quas Tiberis ab Aventino discedens vineis spatium relinquit sub ædem *S. Mariæ Aventinæ*.

Hic transito flumine in altera ripa porta *Nova* reperitur, & paulo ulterius, una cum vestigiis mœnium A. CIↃIↃXLIII dirutorum, veteris portæ *Portuensis* situs animadvertitur, uti eam Procopius appellat; quæ quodnam ante Claudii Traja- F nique tempora, a quibus ædificatus portus est, nomen habuerit, ignorare me lubens confiteor. Nam *Navalem* aliam fuisse supra a me ostensum: licet aliqui hanc eam fuisse existimarint. Ligorio vero minime assentiri queo, qui idem semper *Portuensis* nomen ei adhæsisse putat; quum ante Claudium portus omnino nullus fuerit. Forsan aliquod earum portarum nomen habuit, quæ a me, quod incertus earum situs sit, extremo capite memorabuntur.

Portam *S. Pancratii* plerique omnes *Aureliam*

fuisse opinati sunt, a *via Aurelia* ducto argumento, quæ isthic incipiebat. Verum quod Procopius Aureliam alio loco sitam refert, Panvinius eam *janiculensem* appellatam mavult.

Ultima jam dicenda restat *Settignana*, sive, ut Blondus hanc vocem explicat, *subtus Janum*. Verum *Septimiana* illa dicenda est, ut e Spartiano in Septimio Severo liquet: *Opera ejus*, inquit, *publica exstant Septizonium, & Thermæ Septimianæ in Transtiberina regione ad portam sui nominis*. Quamquam vera porta *Septimiana* in muris vetustioribus fuit prope *S. Bartholomæi* insulam. Blondus hanc esse *Fontinalem* veterem existimat, ob aquarum scaturientium antiquissimos ductus ac siphones, ipsius illic tempore repertos. Verum fortasse hi veterum thermarum Septimianarum fuere, qui licet aliquantum a primo situ portæ remoti, nihilominus ad illam tetendisse videntur: seu potius, quod verisimilius, balneorum quorundam aliorum fuerunt, ut postea, cum regio urbis ultima tractabitur, dicetur. In eadem, qua Blondus, sententia fuerunt & Panvinius, & Marlianus; quod e Livio in v. quartæ decadis dicente, *Ædiles*, &c. *Porticum* &c. *alteram ad Fontinalem ad Martis Aram, qua in campos iter esset*, &c. ea in Campos Vaticanos exiri solitum pateat, ubi Ara Martis esse potuit; quum & Cicero ad Att. scribat, *Campum Vaticanum fieri quasi Martium*. Hos campos Panvinius *Campos fornacum* esse putat, ex his Plinii l. xxxv, c. xii.; ubi de patina Vitellii agit prægrandi; *cui faciendæ fornax in campis exædificata erat*. Sed his facile responderi queat, Ciceronem non *factum esse Campum Vaticanum, quasi Martium*, dicere, sed *fieri*: quod incœptum successu caruit: campos autem, in quibus patina Vitellii conflata, diversos fuisse ab his campis, in quibus tantum lateres & tegulæ coquebantur. Nam subtiliora e creta opera, ut nunc, ita & olim alibi fiebant; sicut e Testaceo videre est: illa vero his adhuc pulchriora, e terra Samia, e qua patina illa fuisse ficta videtur, locum præstantiorem, commodioremque exigebant. Fulvius contra Capenam esse *Fontinalem* olim dictam censet, ab aquarum copia, de qua Cicero in literis ad Fratrem: *Romæ, & maxime Appia, ad Martis, mira proluvies. Crassipedis ambulatio oblata, horti; tabernæ plurimæ: magna vis aquæ, usque ad Piscinam Publicam*. Hinc Juvenali *Madida Capena* dicta: quam Martialis ita describit: *Capena grandi porta, qua pluit gutta*. Campos autem illos Panvinius trium esse Horatiorum putat. Sed Capena *madida stillans*que dicta, uti recte a Marliano observatum, quod aquæductus super illam transiens, ut e Frontino constat, & alicubi rimas agens, assidue stillantibus eam guttis madefaceret. Et hæc quoque est Scholiastæ veteris Juvenalis interpretatio: *Capenam madidam ideo, quia supra eam ductus est, quem nunc appellant arcum stillantem*. Sic & Tacitus in primo: *Est autem porta Capena, quam super erat aquæductus, qui arcus stillans vocabatur*. Unde Martinellus in Roma sacra argute concludit, arcum, cujus in actis Martyrum frequens fit mentio, *Arcusque stellæ*, vel *stillæ*, appellatur, hujus fuisse aquæductus. Cicero vero in viam Appiam, utpote depressiorem, multas aquas corrivatas fuisse innuit: tum & extra portam illam non ara, sed templum Martis fuit celeberrimum; & in campum trium Horatiorum, qui remotissimus, & ad Albam Longam fuit, porticus a Livio memorata dirigi non potuit. Ceterum, quum *Campus* absolute ita ponitur, semper de Campo Martio accipi solet, in qua Ara Martis fuit: qui quod in duos divideretur, majorem & minorem, plurari numero *campi* de hoc potius, quam de aliis accipiendi sunt. Quis autem neget, Livium hunc-

A ce ea voce designasse, atque eapropter *Fontinalem* eam portam fuisse, qua ad Campum Martium exibatur? eandem dubitationem, sed obiter tantum, Denatum protulisse video. Ego vero vix ea de re dubitem, non modo verbis ad id statuendum e Livio l. x. decad. tertiæ a Donato citatis inductus: *Comitiis confectis, ut traditum antiquitus est, censores in Campo ad Aram Martis sellis curulibus consederunt*: verum etiam lege antiqua Numæ, quam Festus in voce *Opima* aducit: *Secunda spolia in Martis Aram in Campo Solitaurilia utra voluerit, cæspito*, &c. vel, ut a Fulvio restituitur, *Indu Martis asam endo campo Suovetaurilia*, &c. Ergo

B in Campum Martium per portam iter fuit *Fontinalem*, ad quam eapropter exstructa porticus; nomenque ei inditum ab *fonte* aliquo, qui ad portam illam forte fuit: vel a festo, quod extra illam in honorem Deæ *fontium* celebratum. Sed de his infra latius, de Campo Martio.

Supersunt & aliæ portæ; quæ ubi fuerint, nemo hactenus conjectura assecutus est. Ex his *Sanqualis* est, ita dicta ab avicula ejus nominis, ut Festus vult. Donatus nomen eam vel ab *Anco* Martio Rege, vel a Deo *Sanco*, accepisse putat, adeoque domui Anci pervicinam fuisse, in extrema sa-

C cra via, vel ad sacellum Sanci in septima regione.

Libitinensi nomen a dea *Libitina* inditum. Hanc Donatus *Exquilinam* fuisse credit, extra quam damnati ad supplicium ducti, uti supra dictum: & cadavera pauperum vetustis temporibus abjici solita: atque eapropter hic in vicinia templum fuisse Libitinæ. Verum, quod hæc dea funeribus præerat, omnique funebri apparatui ac instrumento, nihil illi cum ea porta commune fuisse existimaverim.

Metiæ Plautus in Casinaria meminit: *Illum ædepol videre ardentem te extra portam Metiam credo ecastor velle*. Unde Panvinius eandem Exquilinam esse conjicit: verum Cleostrata illa Plauti non

D ita inops erat: tum & extra alias portas mortuorum cadavera exurere, magis quam extra hanc, familiare erat, ubi illa tantum in Puticolas abjiciebantur. Liquet hoc clarius ex eodem Plauto in Pseudolo sc. iii.

Extra portam Metiam currendum est prius.
Lanios inde accersam duos cum tintinnabulis.

Mutia quoque inter has obscuriores a Marliano numeratur, nescio quo auctore, nisi forte eadem hæc quæ *Metia*, vel *Mucionis*.

Catulariam Panvinius ac Donatus *Nomentanam* fuisse censent, ex his Ovidii in iv. Fastorum:

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem
E *Obstitit in media candida turba via.*
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Adde quæ apud Festum: *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longe ab eo ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur*. Non sequitur hinc tamen, Ovidio Nomento redeunti flaminem occurrisse ad hanc portam; quum ipse aliud quæsisse viæ compendium ad ædes suas, Romæ jam proximus, videri possit; quæ sub Capitolio fuere, ut ipse l. i. Trist. el. iii. docet:

F —— *& aduc Capitolia cernens,*
Quæ nostro frustra juncta fuere lari.

Non erat res magni momenti, ut Aniene transito dextrorsum de via in Campum Martium deflecteret, atque ita porta Catularia e planitie, quæ sub *colle hortulorum* est, urbem ingrederetur. Hoc si ita factum supposuerimus, sententia verborum veteris Suetonii in Augusto interpretis, quæ paradoxa & æquivoca semper existimata est, plana jam videbitur, & omnino aperta: *Porta triumphalis media fuisse videtur inter portam Flumentanam & Catulariam.*

Erat Flumentana ad Tiberim sub Capitolio: existimetur Catularia ad Campum Martium sub Quirinali fuisse; ita sequitur Triumphalem inter has mediam fuisse; ut post dicetur.

Minutia ita dicta est ab istius Dei sacello. Sic enim Festus: *Minucia porta appellata est, eo quod proxima esset sacello Minucii*: & Paulus Festi abbreviator: *Minucia porta Romæ est dicta ab ara Minucii, quem Deum putabant*.

Frumentariæ Varo meminit in III. de Re Rust. c. II: *Nam quod extra urbem est ædificium, nihilo magis ideo est villa, quam eorum ædificia, qui habitant extra portam Frumentariam, aut in Æmylianis*. Nisi forte hic locus corruptus est: siquidem in quibusdam libris *Flumentanam* legitur.

Fenestralem, seu *Fenestrellam*, multi portam urbis non fuisse credidere. Ego aliter sentio; quandoquidem hujus Ovidius VI. Fastorum ita meminit:

Unde Fenestralis nomina porta tenet.

Sed & clarius Plutarchus in Problematibus hoc docet: *Quid est, quod portam unam fenestram appellant? apud quam fortunæ thalamus, qui dicitur, positus est*, &c. Non igitur quisquam eam portam urbis Romuleæ fuisse dicat: nam sub Servio demum ultimum super septem colles prolati muri sunt: & hæc in iis porta fuit; neque a Varrone inter inutiles intra pomœrium numerata. Veritas responsionum Plutarchi ad hoc problema in eo consistit, quod Servius fortunam sibi ab ea fenestra advenisse professus, e qua Tanaquil ad populum verba faciens Tarquinii mortem dissimulaverat, in aliqua novarum, quas post in prolatione mœnium ædificavit, portarum Fortunæ posuerit simulacrum, sive in pictura, sive e marmore, quæ ipsi per fenestram intraret: hunc autem thalamum fortunæ dictum. Hinc fabula orta, fortunam noctu in amplexus regis isse per illam fenestram: & inde portæ isti nomen *Fenestrali*, sive *Fenestrellæ*: quam vel in Viminali, vel in Quirinali fuisse suspicor; vel potius in Exquilino: hi enim tres colles urbi ab eo Rege additi sunt.

Stercoraria inter urbis portas numeranda non est, quum claustri clivi Capitolini porta fuerit, ut postea dicetur.

CAP. X.

Portæ mœnibus ab Aureliano additæ.

IN ea urbis parte, quam Aurelianus protulit, aut novas aliquas esse factas credo, (quidquid alii negent,) aut veteres loco motas. Procopius libro I. belli Gothici XIV. suo tempore fuisse tradit, præter aliquas etiam minores. Unde concludi potest, Aurelianum, quo firmior urbis esset munitio, in novo suo, quem instituebat, ambitu portarum, quæ prius fuerant, deminuisse numerum.

Cinxit Aurelianus, uti vidimus, Campmu Martium: cujus muros juxta Tiberim eo in tractu, qui a Transtiberina regione non defendebatur, a *ponte* nempe *Sixti* usque ad pontem, cujus etiamnunc pilæ ad *S. Spiritus* supersunt, portam aliquam habuisse vix credibile est.

Ad hunc vero pontem necessitas portam postulavit: cui Marlianus nomen dedit *Triumphalis*: plurésque in hoc ei assentiuntur, illam fuisse existimantes, qua triumphantes intrarint urbem. Probant hoc egregie e S. Hieronymo de viris illustribus, apud quem D. Petrus in Vaticano sepultus dicitur *juxta jam Triumphalem*. Hanc & *Re-*

A *galem* dictam Caii scriproris antiqui, qui sub Severo vixit, verba evincunt, ab Eusebio lib. II. Hist. Eccl. allata: *Ego habeo*, inquit, *tropæa Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via Regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Ostiensi, invenies tropæa defixa, quibus ex utraque parte statutis Romana communitur ecclesia*. Quoniam vero portæ Triumphalis Tacitus, Suetonius, Josephus Judæus, aliique meminere, quorum temporibus mœnia ad illum usque pontem necdum fuere prolata; Panvinins, ut eam tueatur, imaginatur sibi, murum a mole Hadriani usque ad portam *Angelicam* ad Campi Martii tutelam fuisse factum: & inde alium

B usque ad *Xenodochium S. Spiritus*, & pontem Triumphalem, exclusa *S. Petri Basilica*, & magna *Burgi* parte, tetendisse: sic ut duo isti pontes muris portisque clausi fuerint; quarum portarum altera ad pontem Triumphalem & ipsa *Triumphalis* dicta fuerit, altera ad pontem Ælium *Aurelia* appellata. Quæ muniendi ratio quanti facienda sit, aliorum permiserim judicio: verumtamen hoc lubens quæsierim, cur illa pars Campi Martii muro clausa fuerit, altera vero versus pontem Milvium neglecta; unde tamen non minus urbi erat, quam ab ista, periculi? Illac vero Sulla bis cum exerci-

C tu intravit: intravit & Octavius, intravit & Antonius Primus liberrime, qui dux partium Vespasianarum fuit; ut ex Appiano & Tacito discimus. Opinionem hanc suam Panvinius istis tueri conatur Procopii l. I. quæ ita vertit: *Hadriani Romanorum quondam Imperatoris sepulcrum extra portam Aureliam exstat, & ad lapidis jactum a mœnibus procul exstructum, spectatu procul dubio dignum. Pario namque lapide &c. sepulcrum id prisci homines illi, cum velut moles & arcis in speciem urbi impositum videretur, brachiis duobus a mœnibus ipsis ad sepulcrum id usque porrectis, inædificatisque, complexi sic sunt, ut murorum sit perinde pars quædam effectum. Appa-*

D *ret namque altissimæ turri persimile, & ea e regione imminet portæ*. Et postpaullo: *Siquidem ea ex parte haudquaquam murus flumine subterlabente poterat oppugnari*. At mihi quidem satis perspicue dici videtur, a muris Aureliani duo brachia fuisse ducta, (necessario per Flumen, adeoque per pontem Ælium,) eaque molem Hadriani cum urbe conjunctam; sic ut arx quædam permunita, validaque videretur urbi annexa. Nam quod illic *duo brachia* legantur (non semicirculus, ut Panvinii sententia exigit) a mœnibus urbis ad usque ipsam molem extensa fuisse: hæc autem extra portam, idque ad lapidis jactum: neque tamen ulla fiat alterius quam

E Triumphalis pontis mentio, non Ælii, non ipsius fluminis; necessario mihi videtur conjunctio illius molis cum urbe instituta per pontem, cujus latera altiora, & conspectum fluminis impedientia speciem quoque pontis auferebant. Sed nil obscuritatis restare potest, modo hæc, *flumine subterlabente*, ad animum revocentur. Donatus vocem Græcam παραρρέοντος *præterlabente* interpretatur: sed ipsius sententiæ ratio magis postulat, ut *subterlabente* præferamus. Et ut illud *præterlabente* magis placeat, non id duobus pontis muris, sed alteri laterali derogare videbitur. Tum & ex his sequentibus Procopii verbis: *Sepulcrum id prisci homines*

F &c. colligo, molis illam cum urbe conjunctionem per muros, tempore Belisarii jam vetustam habitam: adeoque, si Aurelianus in illa spatiosissima urbis munitione molem hanc in tutelam urbis muris suis non inclusit, aliquem fuisse ex Imperatoribus Christianis: siquidem Gentilibus ea res religioni fuisset. Quare Honorius is forsan fuerit, in grandi illa mœnium instauratione: aut, qui post illum, Artemius in bello, quod cum Gothis gessit; seu quis alius istorum temporum Imperator. Sed ut ad

portam nostram revertamur, tempus est. Faciamus, ultra pontem Triumphalem olim portam & muros fuisse: quid inde sequitur? Differit hic Donatus pererudite, ostenditque, veteres, cum triumphaturi essent, in Campo Martio primum ad tempus substitisse, ibidemque in æde Bellonæ habito senatu, postea triumphantes urbem ingressos: Atque ita Vespasianum & Titum a Senatu prius in porticu Octavii exceptos, qui ad Circum erat Flaminium, tum demum triumphasse. Hinc consequi, ut per aliquam portam huic templo & porticui, adeoque & portæ Carmentali, dictæ sceleratæ, vicinam, ingressi fuerint, quæ vetus fuerit *Triumphalis*. Sed & hic aliqua occurrit difficultas. Nam si Campus Martius extra civitatem fuit, quomodo ultra Campum Martium cum pons hic, tum ultra pontem ipsa via, ipseque campus nomen habere potuit Triumphalis? Fulvius cum nonnullis aliis celebrem illam Capenam Triumphalem fuisse existimat, unde via Appia, viarum Regina, ceteris augustior, magisque frequentata, primaque silicibus strata, incipiebat. Sed his idem, quod supra, de ponte, via, & campo *triumphali* opponi dubium potest.

Ego libere, quid sentiam, aperiam. Omnes mihi partem veri videntur tenuisse. Vetustissimis namque temporibus Capenam triumphalem fuisse non nego: extra quam celeberrimum illud Templum Martis fuit, ubi antiquitus senatus dari legatis hostium solitus: queis urbem intrare licitum non erat; si fides Fulvio habenda est, de hoc templo dicenti: *In quo dabatur olim senatus legatis hostium, qui intra urbem non admittebantur*: & verosimiliter illis quoque, qui triumphaturi essent. Cujus rei non exiguum argumentum est, quod illic Victor aliquem e senaculis fuisse tradat. Ex hoc templo, sive, ut alii volunt, e templo Honoris, turmæ equitum Romanorum, olivis capita innexorum, in speciem triumphi adornata pompa donorum, quæ meruerant, militarium, Eidibus quotannis Juliis, per loca urbis celeberrima ad Capitolium tendebant, in memoriam ingentis olim de Latinis reportatæ auxilio Castorum victoriæ: ut est apud Dionysium lib. VI. Auctorem de Viris Illustr. Plinium, Suetonium & alios. Atqui hæc pompa imago erat pompæ triumphalis, ducebaturque a porta Triumphali in urbem. Indicium ejus certissimum puto arcus illos veteres esse, quorum Juvenalis Sat. III. meminit, ad portam Capenam:

Substitit ad veteres arcus, portamque Capenam.

Quippe qui olim primis temporibus extra vias triumphales non erigebantur. Postea vero, quum Campus Martius frequentari, ornarique cœpit, ibidemque in æde Bellonæ, aut Circo Flaminio, Consulibus triumphum petentibus, legatisque hostium senatus dari solitus est, cum Donato certo credo Portam Triumphalem unam ex his fuisse, per quas in Campum Martium exitus erat, haud procul a circo Flaminio remotam. Unde facile mihi persuaderi patiar, non Flumentanam illam fuisse, ut ipse existimat, verum potius illam, quæ ad *Macellum Corvorum* fuit, a multis, sed male, *Ratumena* habita, ut supra ostendimus. Nomen *viæ latæ*, quæ ante illam erat, indicio esse videtur, latiorem eam quam ceteras fuisse: & qui in ea via fuere arcus, videntur convenire. Ex hac porta brevis in viam sacram transitus erat: & inde inter Palatinum & Cœlium, per Circum Maximum, per Velabrum, & per Forum ascensus in Capitolium. Nec aliud verba sonant veteris Suetonii interpretis in Augusto: *Porta triumphalis media fuisse videtur inter portam Flumentanam & Catulariam.* Potuitque ea, ut viæ latæ & amplæ opposita, latior & ipsa fuisse, quam ceteræ; quum per eam curru triumphali ab elephantis tracto Pompejus & Alexander Severus intraverint, testibus Plinio lib. VIII, c. II, & Lampridio in vita Alexandri; qui quaternos currui adjunctos fuisse elephantos tradit: quamquam Alexandrum in curru portam non intrasse narrat, verum tantum peditem Capitolio descendisse: *Cum ingenti*, inquit, *gloria & comitante Senatu, Equestri ordine, atque omni populo, circumfusisque mulieribus, & infantibus, maxime militum conjugibus, pedes Palatium conscendit, cum retro currus Triumphalis a quatuor elephantis traheretur.* Veruntamen non eodem illum curru urbem ingressum nemo sanæ mentis negaverit. De Pompejo subnectit Plinius: *Procilius negat potuisse Pompeii triumpho junctos ingredi portam.* Et Plutarchus in vita ejus, *Conatus*, ait, *in curru quatuor elephantis ducto triumphum ducere, &c. in angustiore tamen porta prohibitus equis usus est.* Sed hoc non obstat, quominus tempore Alexandri porta illa dilatata fuerit. Nil tamen affirmo: sufficiantque hæc aliorum acutioribus eliciendis conjecturis. Tandem postquam Aurelianus muros secundum Tiberim ducendo portarum aliquam, quæ sub Capitolio erant, ad pontem Triumphalem transtulit, non alterius ad transitum usus fuit, quam Triumphalis: & hinc præter ipsam portam ponti etiam, & viæ, & campo *Triumphali* nomen obtigisse dicerem, nisi jam ante Aurelianum *viæ Triumphalis* exstaret mentio, ut ex hac liquet inscriptione, quam Panvinius muris ædis *S. Pauli Tiburtini* insertam refert.

C. POPILLIO. C. F. QVIR. CARO. PEDONI. COS. VIIVIRO. EPVLON. SODALI HADRIANALI. LEGATO. IMP. CAESARIS. ANTONINI. AVG. PII. PROPR GERMANIAE. SVPER. ET. EXERCITVS. IN. EA. TENDENTIS. CVRATOR. OPER. PVBLICOR. PRAEF. AERAR. SATVRN. CVRATORI. VIAR. AVRELIAE. VETERIS. ET. NOVAE. CORNELIAE. ET. TRIVMPHALIS. LEGATO. LEG. X. FRETENSIS. A. CVIVS. CVRA. SE. EXCVSAVIT. PRAETORI. TRIBVNO. PLEBIS. Q. DIVI. HADRIANI. AVG. IN. OMNIBVS. HONORIBVS. CANDIDATO. IMPERATOR.
TR. LATICLAVIO. LEG. III. CYRENAICAE. DONATO. DONIS. MILITARIBVS. A. DIVO. HADRIANO. OB. IVDAICAM. EXPEDITIONEM. XVIRO. STLITIBVS. IVDICANDIS. PATRONO. MVNICIPI. CVRATORI. MAXIMI. EXEMPLI.

SENATVS. P. Q. TIBVRS.

OPTIME. DE. REPVBLICA. MERITO.

Fortean, quod a Circo Flaminio triumphi inciperent, (ubi Donatus non sine ratione ab ducibus triumphaturis dona militaria, & coronas militibus distribui solitas arbitratur, & ubi Lucullus itidem triumphaturus pompa hactenus non visa circum circa magnam armorum hostilium, & regiarum machinarum copiam disposuit, ut est apud Plutarchum) via aliqua inter Circum Flaminium, & viam latam fuit, quæ ante Aurelianum *via Triumphalis* dicta sit. Sed hanc, ut mihi incognitam, suæ ego relinquo obscuritati.

Fuisse hic & aliam, cui *Aureliæ* nomen, e Procopio, oculato teste, l. 1. supra citato, vidimus: quæ sine dubio pone *D. Petri Montorii* ædem fuit, hodie *S. Pancratii dicta*, Procopio vero *Pancratiana*; ubi veterem viam Aureliam incepisse certo constat. Marlianus portam *pontis Hadriani*, & non *Aureliam*, sed *Æliam* appellatam censet: quam quis *Aurelianam* dictam suspicari possit, utpote ab eo Imperatore ceteris adjectam; cujus postea vocis pars truncata, variatave sit ab errante vel Historico, vel descriptore librario. Verum pontem illum non alium, quam ad molem Hadriani transitum habuisse, tantum non certo affirmari potest: omnemque tollit dubitationem instrumentum donationis a Carolo M. D. Petro factæ, allatum a Francisco Maria Torrigios in Historia imaginis B. V. quæ est in Ecclesia Monachorum *S. Sixti*, & *Dominici de monte Bagnanapoli*, *Aureliam portam* illam esse *S. Spiritus* confirmans: *Constituimus etiam in ipsa supradicta Ecclesia in circuitu ipsius totum prædium, ubi sita esse videtur, integrum cum terminis a primo latere porticu majore pergente juxta Vaticanum usque ad S. Agathæ, quæ dicitur in laudario, venientem ad murum civitatis Leoninæ usque in ipsa Ecclesia S. Salvatoris, videlicet de ipsa munitione quatuor turres; a secundo latere monumentum, qui stat supra sepulchrum Marci fratris Aurelii. A tertio latere forma Trajana usque in porta Aurelia. Et a quarto latere descendente de prædicto monumento usque ad alveum fluminis, locum, qui dicitur septemventus*, &c. Ubi per monumentum illud Marci fratris Aurelii præter ipsam portam *via* quoque *Aurelia* confirmatur, quæ etiamnunc recta per *Burgum S. Petri* vadit, & inde pergere necesse habuit, ut cum altera illa *S. Pancratii* conjungeretur. *Aurelia* igitur *porta Triumphalis* fuit, in qua initum *viæ Aureliæ*. Est, qui non viam Aureliam, sed aliam quandam a porta *S. Pancratii* inchoasse scribat, quæ paulopost cum Aurelia conjungebatur: quæ opinio, licet ei cum Caroli M. instrumento conveniat, non tamen cum vetere cœmeterio concordat, quod illic loci fuit, ubi nunc ecclesia est *S. Pancratii*, extra portam *S. Calepodii* dictam, ubi DD. Sixtus Papa, & Julius Senator sepulti: quos *in via Aurelia* conditos, acta Martyrum testantur. Sed, quod maxime urget, via Aurelia jam Ciceronis ævo exstitit; qui Philipp. XII, *Tres*, inquit, *viæ sunt ad Mutinam*, &c. *Tres ergo, ut dixi, viæ, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia*. Quod si igitur hæc a M. Aurelio Imperatore, fratreque ejus, nomen accepit, seu quod refecerint eam, ut fieri potuit, seu quod in ea monumentum habuerint, quo pacto Cicero id tot ante eos natos annis divinare potuerit, non video. Nodus hic inscriptione illa supra memorata C. Popillii solvitur, in qua duplicis *viæ Auliæ* mentio fit, *veteris* & *novæ*. Vetus indubie alibi fuit; certoque ideo affirmari potest, a porta eam *S. Pancratii* versus mari duxisse. Altera *nova* appellata de M. Aurelii sepulcro, ab eodem Aurelio facta videtur, aut certe ab ejus fratre Aurelio, aliove istius familiæ, quæ a porta triumphali, quæ erat ad *S. Spiritus*, incipiens, rectaque ad mare per-

A gens, necessario cum illa vetere conjungi, unirique debuit. Hæc in initio etiam *Regalis* dicta fuit, uti supra monui: quod nomen forte ab Imp. M. Aurelio habuit, auctore ejus, vel etiam ampliatore. Æquum igitur fuit, ut porta dein super eum pontem ab Aureliano in novis ejus mœnibus facta *Aurelia* appellaretur; *triumphalis* autem a *via triumphali*, quæ illic incipiebat: quamquam tum nec via Aurelia a ponte Ælio, ac mole Hadriani incepit; nec porta Aurelia supra illum pontem fuit. Verum præterquam quod & pons Ælius solus ad Hadriani molem aditum dederit, ad quam nullus alius fuit, quan- B tum e Procopio colligere est; idem ille Historicus de porta Aurelia loquens eandem supra pontem *S. Spiritus* collocat. *Viam Triumphalem* appellatam post Aurelianum eam fuisse, quæ ad *montem Marium* duceret ex Inscriptione discimus, quam & Gruterus in opere Inscriptionum habet, & in ultimæ regionis descriptione a me adferetur.

Per eandem fluminis ripam ad *Ripettam* itur, ubi olim, uti & nunc, navium appulsus fuit, secundo flumine Romam descendentium. Hic autem navalia fuisse, quorum e regione Quintii prata Vati- C cana fuerunt, contra aliorum sententiam alibi probaturus sum. Hoc in loco, quod ibi onera navium deponi solerent, portulam aliquam fuisse verosimile est: verum quo nomine, difficile mihi conjectu est. Nam *navalem*, quæ diu ante instaurata ab Aureliano mœnia exstitit, jam supra sub Aventino fuisse exposui.

De *Flaminia* tantum a me dictum est, quum de muris urbis differerem, ut vix mihi quidquam amplius dicendum restet. Alteri illam, nempe Flaminiæ, successisse dici non potest: verum potius muris mutatis, pro multis aliis, quæ antea in Quirinali erant, hanc esse substitutam; quam, quod in D via Flaminia esset, inde quoque nomen habuisse, necesse est. Parum refert, uti dixi, quod eam situ prærupto Procopius fuisse tradat: sive locus illic aliqua sui parte præruptus, sive postea in planum deductus existimetur. Hodie *porta Populi* vocatur, a *populis*, ut nonnemo vult, quæ retro Mausoleum fuere, ut Fulvius affirmat, vel, ut alii, & in his Donatus, a Basilica *B. V. Populi*, quæ ibi in proximo a populo Romano exstructa est.


Portulam quandam inter hanc & Pincianam Procopius refert, cujus hodie nulla apparent indicia; quamquam una in privatum hortorum Medicæorum usum ibidem facta fuit.

E *Pinciana* ferme ab omnibus vetus Collatina fuisse creditur: verum, uti dixi, situs ipse facile demonstrat, muros, in quibus Collatina fuit, longe illic interius recessisse, nec eadem linea perrexisse. Ut rem compendifaciam; illa in Exquilino fuit, hæc in Pincio.

De ceteris maxime antiquis, vel in primo suo situ relictis, vel paulo ulterius prolatis, nil amplius, quam supra attuli, notatu dignum occurrit.

Superest ultima *Ostiensis* a S. Paulo dicta. Hanc unanimiter omnes *Trigeminam* fuisse putant. Sed F quam vere, ipsi viderint: præsertim cum in Trigeminæ locum in novo urbis ambitu *Lavernalis* successerit, remanente illa sine usu, ut Victor & Rufus docent. Unde ego *Ostiensem* ab utraque diversam, nomineque distinctam fuisse existimem.

Atque ita XIV. portæ (de quibus in primo belli Gothici Procopius: *Habet autem circumjectus urbi murus portas* XIV. *portulasque alias quasdam*:) hæ fuisse dicendæ sunt: *Aurelia*, sive *Triumphalis*, *Flaminia*, *Pinciana*, *Salaria*, *Nomentana*, *Tiburtina*, *Præne-*


M ESQVILINVS
M QVIRINALIS
III
IV
VII
IX
M IANICVLVM
P M S

Prænestina, *Cœlimontana*, *Latina*, *Capena*, *Ostiensis*, *Portuensis*, sive *Pancratiana*, & *Septimiana*: quæ omnes, vel tantumnon omnes, variis in locis Procopio nominantur. Inter portulas facile fuisse videri poterunt, primum illa, quæ a Procopio inter Flaminiam & Pintianam collocatur; dein *Viminalis*, & *Sabiusa*, quæ hodie obturatæ conspiciuntur: ut & quæ in muris item obstructa videtur inter portas *S. Laurentii* & *Majorem*: tum *Asinariæ*, nec non illa *Matronis*, per quam *Marrana* urbem intrat; tum illa *Pontis Ælii*; & quam ad *Ripettam* fuisse asseruimus. Octo hæ numero sunt, vel Procopio nominatæ, vel obstructæ, atque etiamnunc animadversæ in mœnibus: cunctæ vero, his ad priores XIV. additis, numerum efficiunt portarum XXII.

Quæ ut clarius appareant, sequens tabella inspiciatur: in qua primum mœnia ab Aureliano prolata delineata sunt: tum punctulis indicata vetera Servii Tullii, quæ non modo ad Augusti usque tempora duravere, (quippe quorum Dionysius Halicarnasseus faciat mentionem,) sed & ad ipsius ævum Aureliani, qui ea ampliavit: ac tandem secundi ambitus portæ omnes: primi vero maxime certe exhibentur, aut certe indicantur. Atque hæc de mœnibus, portisque urbis Romæ dicta sufficiant.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Prima urbis divisio a Romulo facta in Tribus & Curias.



Expositis ad hunc modum vetustis urbis mœnium circuitibus, interiora quoque ejus perlustranda sunt ædificia, eorumque locus ac situs dignoscendi. Sed in tanto eorum numero, & in tantis ac tam densis obscuritatis nubibus, filio sane Ariadnæo opus fuerit, ne quovis momento, & ad singulos ferme passus cæspitemus, vanaque nobis somnia fingamus. Ut igitur tutius, clarius, & expeditius procedamus, ordo quidam investigandus est, servandusque divisionis: quæ, ne in ambiguis hæreamus, labamurque vocibus, multiplex sit necesse est. Quare a divisionibus disputationem hanc ordiemur, quibus olim Roma distincta fuit, ut earum aliqua certa nobis institutæ viæ dux sit.

Primus, qui urbem in partes divisit, Romulus fuit, qui ante bellum cum Sabinis gestum, uti Dionysius vult, ut autem Livius, Plutarchus, & Varro, post fœdus jam cum Tatio ictum, in tres eam tribus divisit Ramnensem, Titiensem, & Lucerum: earumque singulas in denas curias: sic ut earum in universum fuerint XXX. Livius hic a ceteris diversus, ex his XXX. curiis tres equitum centurias lectas esse tradit: atque his, non autem tribubus illa nomina imposita. Verum diversas hasce sententias facile ego conciliari posse puto. Vera dixisse Livius existimatur: Tres illæ centuriæ mihi indicare cummaxime videntur, denas illas curias tertiam totius fuisse partem civitatis; ex his autem centuriæ singulæ delectæ sunt: sic ut ante centurias tres illæ tribus fuerint, quæ primæ ac præcipuæ fuere partes, in quas populus Rom. divisus est: quarum nomina deinde cum centuriis communicata fuisse verosimile est. Nam qui e tribu Ramnensi delecti sunt equites, & ipsos Ramnenses dictos fuisse crediderim. Sed audiamus ipsum Livium, qui lib. X. *Quemadmodum*, inquit, *ad quatuor Augurum numerum, nisi morte duorum, id redigi collegium potuerit, non invenio, cum inter Augures constet imparem numerum debere esse, ut tres antiquæ tribus Ramnenses, Titienses, Luceres, suum quæque Augurem habebant, aut, si pluribus, sit opus, pari inter se numero Sacerdotes multiplicent, sicut multiplicati sunt, cum ad quatuor quinque adjecti novem numerum, ut terni in singulis essent, expleverunt*. En hic, quod verisimile diximus, verum esse ipse Livius declarat, cogitque, ut tres illa Celerum centurias ex his tribubus delectas fuisse credamus. Dilucidius autem, multoque exactius Dionysius hoc ipsum exponit, qui centurias hasce non solum e tribubus, sed & e singulis curiis denos equites lectos referens, omne omnino dubium, omnemque tollit suspicionem.

De tribus hisce nominibus variæ olim veterum fuere opiniones. Plurimi *Ramnenses* a Romulo nominis accepisse derivationem putant, *Titienses* a Tito Tatio dictos, ut Ennius apud Varronem lib. IV. de L. L. vult: *Lucerum* etymon Livius incertum refert. Plutarchus in Romulo, & Asconius in II. Verrinam, a *luco* derivant, sive nemore Asyli, ad quod allecti a Romulo proposita immunitate vicini confluebant. Junius a Varrone allatus a *Lucumonibus* illud deducit: Festus a *Lucero* Ardeatium rege, qui Romulo contra Tatium suppetias tulit. At Volumnius apud eundem Varronem, multo mea quidem sententia verisimilius, cuncta hæc tria nomina Hetrusca, & ignotæ esse significationis asserit. Facile enim fieri potuit, ut Romulus in dividenda urbe Hetruscorum, vel Sabinorum, vel etiam Latinorum, vicinarum gentium, secutus fuerit exemplum. Notatu hic mihi digna visa, quæ Festus habet lib. XVIII. *Rituales Hetruscorum libri, in quibus præscriptum est, quo ritu condantur urbes, ædes sacrentur: qua sanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ describantur*. Adde his illa Servii in X. Æneidos: *Mantua tres habuit tribus, quæ in quaternas curias dividebantur, & singulis singuli Lucumones imperabant; quos tota in Tuscia duodecim fuisse manifestum est, ex quibus unus omnibus præerat*.

Duplicavit illas crescente populi multitudine Tarquinius Priscus, cum ab augure Navio novas instituere proiberetur; & hinc tam Ramnenses, quam Titienses, & Luceres, *primi* & *secundi* dicti, ut est apud Festum l. XIX. Livius autem l. I. non curias, verum centurias tantum duplicatas narrat.

Dubium hic occurrit, & non exigui sane momenti, utrum in illa tribuum divisione miles a populo discretus fuerit; an vero universus in tres partes populus distinctus sit: vel, an cum populo ipse etiam primæ illius civitatis situs ita divisus fuerit. De solis militibus divisionem illam accipiendam esse ex eorum ducibus apparet, qui *tribuni* appellati, quod munus totum erat militare: contra de universo po-

pulo interpretandam, ex curiarum numero colligitur, quæ tribuum partes fuere. His autem non tribuni, sed sacerdotes præfecti fuerunt. Attamen non adeo absurdum videtur, civilibus rebus præfectos ducatum quoque gessisse militum. Nam & Reges ipsi, & , qui Regibus successere, Consules, remp. tam pace quam bello administravere. Tandem tribus distinguendo quoque situi civitatis inserviisse valdequam vero simile est; quum Ramnenses Palatinum incoluisse & Cœlium, Titienses Capitolium & Quirinalem, Luceres autem convalles, & planitiem inter montes insedisse affirmentur. Quod uti sub Tarquinio Prisco verum esse potuit, cum tribus duplicarentur: ita sub Romulo, quum tres tantum urbis portæ essent, a vero remotum est; quum Ramnenses non nisi Palatinum tenere potuerunt, Titienses autem Capitolium, Luceres vero nonnisi intermediam inter hosce duos colles planitiem: si tamen divisim eos habitasse verum est. E Varronis verbis, *Ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus*, &c. conjectura duci queat, quamque tribum non modo in urbe, sed & in agro, suam sibi habuisse attributam portionem. Sed ea de re nil ausim certi affirmare.

Nil autem tribubus hisce commune est cum iis, quas Servius Tullius postea instituit. Quare quum Livius Servium auctorem tribuum facit, non abit a vero: loquitur enim de secundis tribubus; de quibus postpaulo nonnulla dicentur.

Triginta curiarum unaquæque suum a Romulo sibi accepit sacerdotem, *Curionem* appellatum, cumque sacerdote templum, & in templo unum, plurave numina, seu dæmones singulares, quibus sacra facerent: ut est apud Dionysium in secundo. Hinc hujus ævi scriptores curias illas Christianorum Parœciis comparare solent: quæ tamen comparatio si accuratius examinetur, non undiquaque convenit. Nam Parœciæ nostræ in gremio suam sibi habent ecclesiam: at veterum curiæ, seu templa (ita enim promiscue appellantur) extra curias suas in quadam Palatini collis parte conjunctim exstructæ fuere, aut saltem invicem sibi vicinæ, ubi *curias veteres* fuisse e Tacito ostendi. Quare mihi cum synagogis Hebræorum potius, quam nostris conferri posse parœciis videntur. Et ut illæ, ita forsan & hæ curiæ unum fuere ædificium in triginta sacella, sive aulas distinctum. Triginta namque distincta inter se templa, eaque ampla, & accurrentis ad sacra faciunda populi capacia, nimisquam grande in eo monte spatium occupassent. Id ipsum & Dionysium indicare velle puto, cujus eaproter verba eo lubentius adferam: *Sacra sua Romulus cuique curiæ partitus est, assignatis in singulas diis & dæmonibus, quos perpetuo colerent; sumtusque in hæc attribuit ex ærario publico: quæ quotiens celebrarentur, aderant curiæ suis vicibus, epulumque diebus festis præbebatur curialibus, id est, iis qui erant ejusdem curiæ, in aula cuique curiæ propria.*

Quod nomen curiæ ipsi templo datum fuerit, non abludit a nostra loquendi consuetudine. Nam & nos *Parœciæ* nomen non parti tantum urbis, sed ipsi quoque templo parœciali tribuere solemus: &, si Romulus suos cuique curiæ dæmonas, seu deos attribuit, unde denominarentur, non aliter & nostris accedit Parœciis, quibus suus cuique assignatur tutelaris divus, unde & nomen mutuantur. Hinc forsan & ulteriori conjecturæ locus sit, colligique queat, sicut præcipua illa Græca templorum vocabula *Ecclesia* & *Synagoge* convocationem, congregationemque populi in unum ad cultum dei significant, nomen illud *Curiæ*, sive ut antiqui dixere, *coiriæ*, prisco Latinorum, vel Hetruscorum idio-

A mate similem populi conventum, collectionemve significasse: præsertim, cum & locus, in quem senatus convocari solitus, *Curiæ* appellationem habuerit: quod forsitan utraque hæc ad conveniundum delecta loca fuerint, licet in diversum usum atque finem. Videtur idipsum & Varro inuere, licet hoc expressis verbis non dicat: *Curiæ*, inquit, *duorum generum: nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres, & ubi senatus humanas, ut Curia Hostilia*. Nec dissentit, seu potius convenit, Festus: *Curia locus est*, inquiens, *ubi tantum ratio sacrorum gerebatur. Curiæ etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis populi*
B *Rom. quid geritur; quales sunt, in quas Romulus populum distribuit, numero triginta, ut in sua quisque curia sacra publica faceret, feriasque observaret*. Nec deterrere nos ab hac sententia debent, quæ sequuntur: *Hisque Curiis singulis nomina Curium, aut Curentium, seu Curicentium virginum imposita esse dicuntur, quas virgines olim Romani de Sabinis rapuerunt*. Nam si error fuit, uti Varro & Dionysius asserunt, & nos postea videbimus, affirmare, nomina curiarum eadem fuisse ac Sabinarum, sequitur & hoc falsum esse, *Curiæ* etymon a *Curibus* Sabinarum derivatum, quæ illarum patria fuit. Tandem & illud mihi Tertulliani c. XXXIX. Apolo-
C get. egregie huc quadrare videtur, ubi de conventibus Christianorum in ecclesiis suis agens, *Cum probi*, ait, *cum boni coeunt, cum pii, cum justi congregantur, non est factio dicenda, sed curia*. Ceterum non tribus solum, sed & curias singulas, tribuum partes, vicos inter se distinctos habuisse, facile ex Auctore de viris illustr. divinari, conjicive potest. Hic enim in Curio Dentato: *Ob hæc merita domus ei apud Tiphatam, & agri jugera quingenta publice data*. Quam *Tiphatam* unam e XXX curiis fuisse, mox videbimus. Unde & apud A. Gellium l. XVIII. c. VII. ubi multa verba explicans, quæ
D varias locorum & hominum haberent significationes pro eo, quod illic legitur, *Tribus quoque, & decurias, dici, & pro loco, & pro jure, & pro hominibus*, non absurde quis, *Tribus quoque, & curias*, legat: ut ita duplex illa populi divisio explicetur, a qua Comitia tributa & curiata celebrabantur. Non enim decuriæ tantæ fuerunt, tantive momenti, ut & hæ sua sibi loca propria assignata habuerint.

Ex his peculiaribus Curiarum nominibus quatuor a Festo in *Novæ Curiæ* adferuntur: *Itaque Foriensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ, res divinæ fiunt in veteribus Curiis*, &c. Meminit & alterius in
E *Tifata iliceta; Romæ autem Tifata curia*: sic & alterius postpaulo: *Titiensis tribus a prænomine Tatii Regis appellata videtur. Titia quoque curia ab eodem rege est dicta. Saucia* etiam, sive *Faucia*, a Livio l. IX memoratur: *Dictator*, inquit, *Papirius C. Junium Bubulcum magistrum equitum dixit; atque ei legem Curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Sauciæ curiæ fuit principium*, &c. Sed & *Curiæ Calabræ* mentio occurit: verum hanc unam de triginta fuisse, affirmari nequit, quia in Capitolio fuit, & alterius usus. Quare exceptis septem illis reliquarum Curiarum ignota nomina sunt. *Foriensis* autem, & *Vallensis* a situ loci
F nomen habuere: *Tifata* ab ilicibus: atque ita meridiana luce clarius est, nomina Curiis non a Sabinis virginibus fuisse imposita. Quod & Dionysius in secundo ex Varrone, & Plutarchus in Romulo negant: *Eas quidem*, inquit hic, *perhibent a Sabinis mulieribus nomen traxisse: sed hoc mendacium esse deprebendo. Nam multis earum a locis nomina imposita sunt*.

Quod autem & Varro & Tacitus *veteres* appellaverint *curias*, indicio manifesto est, fuisse & *novas*. Harum ita meminit Festus: *Novæ curiæ proxime*

compitum Fabricii ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum & sacra in partes triginta distribuerat, ut in iis sacra curarent: quæ cum ex veteribus in novas evocarentur, quatuor curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curiis, &c. Atque ita, cum Roma in immensum crevisset, veteres curiæ quatuor istis supra dictis sufficere debuerunt, cum reliquis ampliore loco prospectum esset.

Porro ubi hoc *Compitum Fabricii* fuerit, nec in veterum quoquam legitur, nec a recentiorum aliquo verisimili conjectura indagari potuit. Equidem, quum in Publio Victore, & Sexto Rufo legatur, vicum Fabricium in regione prima, porta Capena dicta, fuisse, quumque vici principium compitum esse sciatur, in eadem curias illas novas regione, atque in ejus vici principio fuisse, crediderim. Suspicionem meam ipsa etiam loci utrarumque situs convenientia confirmat. Nam cum veteres curiæ a Romulo proxime muros primæ urbis, portamque exstructæ fuerint inter ortum solis, & meridiem, novæ aptiore loco, & convenientiore, ædificari non potuere, quam ad muros ea in parte urbis prolatos, id est, ad portam Capenam, inter orientem item & meridiem.

Divisio hæc xxx. curiarum, quamquam non exacte, ad usque Augusti tempora duravit. Colligitur hoc e festo Fornacalium, quod *stultorum ferias* appellavere: quo cum quisque in sua deberet curia sacra facere, multique, cujus essent curiæ, non reminiscerentur, supplebant hoc, Quirino in Quirinalibus sacrificantes, quæ his proxima. Hinc Ovidius in Fastis:

Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit: nec sacra stata facit.
Inque foro multa circumpendente tabella
Signatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia, nescit.
Sed facit extremo sacra relicta die.

Idem dicit & Festus in *Quirinalia*: verum contextus ejus adeo corruptus est, ut absque Scaligeri & aliorum emendatione intelligi vix possit: *Idem stultorum feriæ appellantur, quod quidam, qui suorum Fornacalium sacra Romæ ignoraverant, eo potissimum rem divinam faciunt*. Hæc mihi latius exsequenda visa sunt; non quod ego veterum curiarum situm in hodierna Roma, distinctionemque, indagaturum me mihi sumam; quæ plane inanis opera esset; verum quod in veterum urbis partium enarratione principium ejus divisionum minime mihi videatur negligendum.

CAP. II.

Septem urbis Colles, & Septimontium.

Vetus collis Palatinus, quæ prima basis & quasi fundamentum urbis fuit, ita sex ceteris cinctus est, ut, quum sensim ab Regibus usque ad Servium Tullium ampliaretur, omnes ædificiis occupati, & urbis mœnibus comprehensi sint. Unde & Roma *Septicollis* dicta est, *septemque collium urbis* per periphrasin appellata. Quin nec a Daniele alio indicio denotatur, quam *urbis septem collibus insidentis* appellatione. Horum situs, quippe partium urbis maxime notabilium, a recentibus scriptoribus diligentissime investigatus, & expositus, nobis quoque in describenda urbe inprimis observandus videtur, ut ex his diputationi nostræ plenius lumen affulgeat.

A *Palatinum* montem, in quo nil nunc observatu dignum exceptis *hortis Farnesianis* occurrit, superius, cum de primis urbis Romuleæ mœnibus actum, descripsi, suisque terminis seu limitibus inclusi: potestque hodieque oculis clarissime, distincteque usurpari; sic ut in eo delineando opera mihi nulla amplius ponenda videatur. Addendum tantum ceterorum puto observationibus, non negligendam esse considerationem, quanto editior locus sit, in quo Arcus Titi, Porta *hortorum Farnesianorum*, & Ecclesia *S. Mariæ Liberatricis* sita conspiciuntur, quam ille, in quo ædes *D. Laurentii in Miranda*, *SS. Cosmi & Damiani*, & reliquiæ veteris templi Pacis illis oppositæ, sed perquam depressæ, & magnam partem terra obrutæ, videntur.
B Siquidem illa loci altitudinis diversitas satis aperte indicare mihi videtur, dorsum collis istius inter *S. Mariæ Liberatricis*, & Arcum Titi procurrisse: inter ædem vero *S. Laurentii in Miranda*, & *S. Mariæ Novæ*, radices ejusdem lateris semet extendisse necessario: unde postea verum fori, viæque sacræ situm colligemus. Cacumen hujus collis inæquale in plures distinguebatur vertices, quorum Varro lib. IV. duos memorat: *Huic Germalum & Velias conjunxerunt: & in hac regione sacriportus est; & in ea sic scriptum, Germalensis quinticepsos apud ædem Romuli, Veliensis sexticepsos in Velia apud ædem Deum Penatium*, &c. Iidem & nunc illic agnoscuntur: de quibus postea pluribus suo loco.
C Quod ad veriverbium nominis *Palatii*, in eo disputant scriptores, non modo recentiores, sed & antiqui. Festus ab ovium *balatu*, vel *palatu*, id est, in iis errantium vagatione, deducit: Varro a *Pallantibus*, qui cum Euandro venere; vel a *Palatio*, qui locus in agro Reatino; vel a *Palatia* uxore Regis Latini: alii a *Pallante* filio Hyperborei: alii aliunde: quæ cum omnia etiam apud veteres incerta sint, immorari iis diutius vix operæ pretium existimem.
D *Capitolinus*, qui primus urbi crescenti a Romulo additus fuit, & in quo nunc Populus Romanus curiam suam habet, sive ædem publicam, ovali forma a foro *Montanara* ad *Macellum Corvorum* porrigitur, habetque ab altero latere *campum Vaccinum*, ab altero vero planitiem Romæ hodiernæ. Duo in eo fastigia cernuntur, in quorum altero templum est *Aræ Cœli*: alterum quasi desertum vocatur *mons Caprinus*. Utrumque eo, quod hodie est, amplius fuisse & spatiosius, certum est, quandoquidem ab omni parte laceratum conspicitur: præterea vetus Capitolium quadratis undique lapidibus substructos habuisse muros, turres, & portas indubium est.
E De his substructionibus ita Livius in sexto: *Capitolium quoque saxo quadrato substructum est, opus vel in hac magnificentia urbis conspiciendum*. De turribus Cicero in tertia Catilinaria: *Complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas*. De portis abunde multa a me dicta sunt libro primo, cum de portis urbis agerem. Et hæc monimenta rupem illam tantum non inexpugnabilem præstabant. Sic Tacitus lib. III. Histor. *Munitissimam Capitolii arcem, & ne magnis quidem exercitibus expugnabilem*, dicit.
F Quod autem extra arcem Capitolinam multa essent templa & ædificia, qua in planum descendebatur, muros illos non omnino a summo ejus fastigio ad infimas radices desiisse verissimile est, verum ad certam altitudinem ascensum e planitie fuisse faciliorem, ac leniter acclivem, ædificiis utrimque occupatum: unde deinceps muri ex quadrato lapide conspicui ad summum collis culmen assurgerent. Solum saxum Tarpejum, quod versus forum *Montanara* fuit, rupes erat asperitate loci mu-

nita satis, nec indiga substructionum: ut e Livio colligitur l. v. ubi de Cominio inquit: *Qua proximum fuit a ripa, per praeruptum, eoque neglectum hostium custodiae, saxum in Capitolium evadit*. Apud Senecam vero Rhetorem controv. III. lib. I. Arellius Fuscus accuratissime rupem illam describit: *Stat moles abscissa in profundum frequentibus exasperata saxis, quae aut elidant corpus, aut de integro gravius impellant. Inhorrent scopulis enascentibus latera, & immensae altitudinis tristis adspectus*. Stupore digna res, tantam & ejusmodi rupem hodie in gratissimum collem transiisse; deque his saxis non nisi particulam quandam exiguam existere superstitem, ad *forum Consolationis*, terrae, quae culturam admittat. *Tantum longa potest aevi mutare potestas*: tantum potuere frequentes urbis direptiones, seu potius pernicio sae inter Romanos & Robertum Guiscardum dissensiones tempore Gregorii VII. quo structurae Capitolii solo aequatae, omnisque illa pars civitatis, quae inter hunc montem & S. *Joannis Lateranensis* aedem est intermedia, omnino diruta fuit, ac destructa. Atque haec de monte Capitolino praelibasse sufficiat.

Nomen Capitolino primum fuit *Saturnio* a civitate *Saturnia*, quae juxta Varronem in eo sita fuit. Postea *Tarpeii* nomen accepit a *Tarpeja* virgine, quae a Sabinis occisa, ibidem sepulta a Livio & Dionysio memoratur. Tandem quum Tarquinii Prisci aetate caput illic in fundamentis templi, quod Jovi destinabatur, humanum inventum esset, *Capitolium* dictum fuit. Addit Arnobius lib. I. contra gentes, *caput* illud *Toli* cujusdam fuisse, atque hinc appellatum *Capitolium*.

Caelius, ab altero latere situs montis Palatini, in editissima sui parte Basilicam habens S. *Joannis Lateranensis*, urbi a Romulo additus fuit secundum Dionysium; at juxta Livium a Tullo Hostilio; ut autem Strabo vult, ab Anco Martio; ut rursus Tacitus, a Tarquinio Prisco. Forma ei oblonga, & angusta, ab Amphitheatro Flavio, seu Titi, cui nunc *Coliseo* nomen, ad septentrionale latus versus ortum solis per viam, quae ab aede S. *Clementis*, & S. *Petri*, ac *Marcellini* ad portam *Majorem* ducit, sinuoso fluxu proserpens, inter S. *Joannis*, & S. *Crucis in Hierosolymis* finitur. Versus occidentem vero solem una cum ipsis civitatis muris usque eo, ubi *Marrana* urbem intrat, pergens, cum hoc ipso rivulo sensim ad Aventinum procedit, donec ad *S. Gregorii* e regione Palatini deficiat. Ea porro pars Exquiliarum, in qua monasterium est S. *Crucis in Hierosolymis*, magis ad Caelium, quam ad Exquilinum collem pertinere videtur: verum Amphitheatrum Castrense, quod regioni Exquiliarum adsignatur, contrarium evincit. Fieri autem facile potuit, ut, cum Tullus Caelium muris cingeret, ne illos nimium protenderet, partem illam extra urbem reliquerit: Servius autem eandem postea una cum Exquiliis moenibus incluserit: unde non tam Caelii montis, quam Exquilini, postea pars esse existimata sit.

Praeter Caelium *Caelioli* quoque mentio fit a scriptoribus, de quo ita Varro: *Principes de Caelianeis, qui a suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Caeliolus*. & Cicero in orat. de Harusp. resp. *L. Pisonem quis nescit his ipsis temporibus maximum & sanctissimum Dianae Sacellum in Caeliolo sustulisse*? Sic & Sext. Rufus & Victor in secunda regione *Caeliolum* nominant. Creditur autem fuisse is, qui inter Aventinum & Caelium exsurgit: supra quem & Porta Latina est. Verum negat hoc Panvinius, Caeliolum esse dictum afferens illam, quae est inter S. *Clementis* aedem & Amphitheatrum Titi, planitiem. Ligorius autem locum adducit Varronis, qui inter Caeliolum & Exquilias Tabernulam collocat, Caeliolumque non fuisse collem dicit, sed locum ita appellatum. Verba Varronis sunt: *In eum locum, qui vocatur Caeliolus*. Ego vero in Varrone hoc inveni, Tabernulam ad Caeliolum fuisse, & per eam ad Exquilias transiri solitum. Contra Caeliolum collem fuisse, si non omnino, certe ex parte a Caelio distinctum Martialis nos docet l. XII. epigr. XVIII:

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Caelius, & minor fatigat.

Locum porro planum non fuisse vel ex ipso Varrone colligo: *Hi post Caelii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum*, &c. & postpaullo ad differentiam eorum, qui in planum deducti erant; *Principes de Caelianis, qui a suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Caeliolus*. Unde conjectura duci possit, si suspecti in ipsa urbis penetralia deducti fuere, & in planum, quod erat inter Capitolium & Palatium, hosce non suspectos in locum deductos fuisse minus editum, quam ipse erat Caelius, magisque a muris portisque urbis remotum. Veruntamen Caeliolum collem fuisse illum praeruptum, abscissum, munitum, & muris proximum, in quo porta Latina est, multo etiam minus mihi videtur verosimile. Quod si mihi ex facie, qualis hodie est, istius collis conjecturam facere licitum, Fabioque Pictori, qui Argiletum usque ad Caelium, inter Circum Maximum, & Aventinum, extendit, habenda fides est, Caeliolum illius cornu sinistrum appellatum existimem, quod e regione est Palatini & Aventini; & in quo aedes est S. *Gregorii*. Hoc cornu, quod reliquo monte depressius est, magisque ulterius procurrit, satis large ab eo divisum est tam clivo Scauri intermedio ad S. *Gregorium*, quam declivitate, qua ab ecclesia *Navicellae* ad S. *Sixti* itur: quae duae viarum cavitates angulum illum ab ipso monte velut peninsulam dispescunt, & adnectunt. Sed hae conjecturae tantum sunt invalidae, & incertae: tum vero & Fabius ille Pictor auctor supposititius nil meretur fidei: sic ut certum Caelioli situm ignorare me lubens fatear.

Caelio monti nomen a *Caelio* datum, sive, ut Festus mavult, a *Caele Vibenna* Duce Hetrusco, qui eum incoluit, nemo dubitat: quo vero tempore, incertum. Varro ad antiquissima usque Romuli tempora rem refert, Caelium istum Romulo suppetias latum venisse in bello adversus Sabinos: verum Tacitus lib. IV. Annal. eundem Caelium in auxilium Tarquinii Prisci advenisse memorat, montemque antea a quercuum copia *Querquetulanum* fuisse appellatum, ac tandem *Augustum*, propter Tiberii imaginem, quae, cum mons ille incendio absumeretur, in aedibus Junii Senatoris illaesa intactaque superfuerat: vel, ut Suetonius refert, ob Tiberii liberalitatem, qui aedium igne consumtarum dominos pecunia adjuverat. Et haec sunt, quae de Caelio monte dici a me potuere.

Aventinus inter Palatium, Caelium, & Tiberim situs, inque editiore sui parte ecclesiam *S. Sabinae* habens, late conspicuam, quartus urbi collis ab Anco Martio additus fuit. Ingentis ille ambitus est, longitudine ejus a *S. Maria in Cosmedino*, quae & *Schola Graeca* appellatur, proxime *Marmoratam*, incipiente, & inter ortum solis ac meridiem ad ipsa urbis moenia desinente, quorum unum latus Circo Maximo imminet & Thermis Antoninianis, alterum ripae fluminis & monti Testaceo. Diffinditur sulco transversim intercurrente, qui a porta S. *Pauli* incipiens ad principium *hortorum Circensium*

terminatur; sic ut collis hic in duos divisus merito dici possit: quorum alterum *Remuriæ* nomen obtinuisse in tertiadecima regione dicetur. Hac via ingentem illum, quem Ammianus describit, obeliscum in circum devectum crediderim, nam alia aliqua omnino impossibile fuit. Ait autem illum tertio ab urbe lapide in vicum dictum Alexandri flumine subvectum, inde porro terra in urbem inductum fuisse per portam S. *Pauli*: *Inde*, inquit, *camulcis impositus, actusque lenius per Ostiensem portam, piscinamque publicam, Circo illatus est Maximo*.

Nomen ejus Varro ab *avibus* vel ab *adventu hominum* derivat, qui ad celebre Dianæ delubrum concurrere soliti: vel ab *advectu*, quod eo per paludes, quibus circumdabatur, naviculis homines adveherentur: vel ab *Aventino* rege Albanorum, ibidem sepulto: cui opinioni Dionysius, Livius, Festus, aliique, cum maxime favent. Idem Varro loco a me ex Servio libro superiore adducto, nomen ei ab *Avente* Sabinorum fluvio inditum scribit.

Utrum *Quirinalis*, quintus Romæ collis (in cujus editissimo fastigio *Palatium* nunc effulget *Pontificium*) a Tatio, an vero a Numa, Serviove urbi additus fuerit, ultra, quam supra feci, investigare operæ pretium non puto. Species ejus oblonga est, & ad instar cubiti inflexa: ortus a Columna Trajana, ubi clivus est, qui *mons Bagnanapoli* appellatur, versus occidentem, ut supra dixi, per *hortos Columnenses* sese extendens usque ad *Palatium Pontificis Maximi* planitiei urbis superimminet, veterique Campo Martio, dehinc versus septemtriones & *Palatium Barberinum*, ac *Monasterium S. Susannæ* reflexus, *villam Mandosiam* attingit, ac dehinc ad portam pergens Salariam obvium sibi habet *collem Hortulorum*. Alterum ejus latus a *monte Bagnanapoli* usque ad S. *Caii*, & S. *Bernardi*, semper juxta Viminalem procedit velut ex opposito, quicum ad S. *Bernardi* videtur conjungi; facile tamen divisio, quæ olim fuit, ibidem observari potest, quippe quæ nimis adhuc evidens sit, & conspicua. Via namque a *quatuor fontibus* ad S. *Mariam Majorem* ducens, quæ haud procul a *quatuor fontibus* depressior, mox rursus attollitur, manifestum ejus indicium præbet, quod ante complanationem Pauli V. prærupta declivitate sua multo etiam erat notabilius. Deinde, qui pone S. *Caii* hodieque nonnullas portas aggestu terræ semisepultas ad animum revocarit, ipsamque S. *Bernardi* ecclesiam depressiorem observarit, sic ut non modo ad eam descendendum sit, verum ex ipsa ædificii nimis plani symmetria deprehendi statim possit, pavimentum ejus vetus multo olim fuisse humilius: contra ea qui solum cum in *hortis Barberinis*, tum in *Monasterio S. Susannæ*, & ultra ferme usque ad *Portam Piam*, mœniumque flexum multo editiora esse consideraverit, non poterit non fateri, Quirinalem collem *Foro*, quod nunc dicitur *Terminorum*, seu *Thermarum* potius, superimminuisse: hoc autem aggestionibus expletum fuisse ex planitie templi S. *Mariæ Angelorum*, quæ pars veterum Thermarum Diocletiani est, facillime animadvertitur; quippe cujus non modo pavimentum ipsa area sit depressius, sed & ipsæ majorum columnarum bases terra jam obrutæ conspiciantur. Tum & Nicolaus Menghinius sculptor jam defunctus in area illa se fodiendo offendisse mihi testatus est veterem viam silicibus stratam ultra XII. palmos sub ea, quæ nunc calcatur, planitie depressam. Unde colligi possit, Diocletianum Thermas suas in ea struxisse valle, quæ inter Quirinalem Viminalemque hodie expleta est, atque complanata.

Plusculi in eo monte vertices erant, qui diversis fuere collium nominibus distincti. Ex his *Salutaris*, *Mutialis*, & *Latialis* quatuor, quinque, & sex a Varrone insigniti nominibus referuntur: *Dictos enim*, ait, *colles plures apparet in Argeorum sacrificiis, in quibus sic scriptum est. Collis Salutaris quarticepsos. Ædem Quirino. Collis Salutaris quarticepsos adversum est. Pilæ Honoris (pila Navis) Ædem Salutis. Colis Mutialis quinticepsos apud ædem Dii Fidii in delubro, ubi æditumus habere solet. Collis Latiaris sexticepsos in vico Mustellario summo apud Turaculum, ædificium solum est.* Quorum diversorum culminum aliqua hodieque vestigia animadverti possunt, quamquam id in maximis illis, quas mons hic ædificando subiit, mutationibus difficile est. Nihilominus quum naturale sit, ut montes minuantur, deprimanturque suo pondere (gravia enim natura deorsum tendunt) valles contra hoc ipso assurgant, atque attollantur, non videtur sane vero proximum, collium quædam fastigia nunc, quam olim fuere, sublimiora esse. Quare quum, ut paulo supra dixi, loci situs inter Ecclesiam D. *Virginis Victricis*, & Portam Salariam multum assurgat, unum illic aliquod montis Quirinalis verticem fuisse ipsi nobis oculi facile persuaserint. Aliud in *hortis* apparet *Barberinis*, multum tam viæ publicæ, quam vicinis ædificiis superexstans. Tum vero pars illa *hortorum Pontificalium*, quam Urbanus iis octavus addidit, multo tum temporis erat quam nunc eminentior. Neque vero non recordor, quantum depressa, deductaque in planum fuerit, expleta egesta inde terra valle satis grandi, quæ ad latus ipsorum hortorum erat. Hujus vero altitudinis atque eminentiæ pars adhuc in *hortis* restat *Bandinis*, qui nunc dominos agnoscunt & venerantur Jesuitas, a Pontificalibus via intercedente publica divisi. Hæc vero via a Pio quarto complanata fuit, ut non minus æquali planitie, quam rectitudine foret conspicua. Quartum verticem nemo non ignorat in *hortis Columnensibus* fuisse e regione *Palatii Papalis*, cui imperitabat; unde & mandato Urbani Octavi in planum deductus est. Conspicitur adhæc & alius in summo *monte Bagnanapoli*, supra *hortos Aldobrandinos*, multo vicinis undiquaque locis eminentior: tandem in extremo illo monte ultra viam, quæ ad S. *Mariæ Majoris* ducit, solum iterum altius assurgit, ubi Ecclesia & Cœnobium est *Monachorum S. Dominici*. Inter hæc fastigia, quæ mihi satis superque notabilia videntur, tres illos ultimos indicare Varroni memoratos colles non admodum difficile puto. Collis *Salutaris* habebat, ut idem scriptor ait, vicina templa Quirini & Salutis. Quirini vero templum proxime ad *palatium Papale* inter *Monasterium S. Mariæ Magdalenæ*, & *Collegium S. Andreæ* Jesuitarum, fuisse confessa res est. Unde Collem *Salutarem* in proximo, & quidem in angulo *hortorum Columnensium* fuisse valde mihi fit verisimile. Quod si vero ceteri duo colles ordine suo a Varrone memorati sunt, facile fieri potuit, ut *Mutialis* supra *hortos* fuerit *Aldobrandinos*; *Latialis* vero, ubi nunc *Monasterium* est S. *Dominici*. De ceteris nil certi est. *Agonium* tamen unum ex hisce viciniorem portæ Salariæ, quæ & *Agonalis* dicta, fuisse crediderim: nisi forte *Agonii* nomen toti datum fuerit monti Quirinali.

Quirinalis, consentientibus hic Varrone & Festo, a *Curitibus* denominationem habuit, qui Curibus Sabinorum una cum Tatio in urbem commigrarunt, & in hoc monte sedes suas collocarunt. Fuere tamen alii, ut idem Festus refert, qui nomen id a templo *Quirini* monti huic obvenisse dicerent: quibuscum & Ovidius & Plutarchus faciunt. Nomen vetustius & priscum *Agonalis*, sive *Agonis*. vel *Egoni* fuit, testibus Tacito & Festo. Verum quum Varro dicit, quia *Agones* dicebant montes,

innuere videtur velle, omnibus illud olim collibus commune nomen fuisse. A Dionysio lib. II. *Collinus* appellatur, forte a vicina porta *Collina*, vel a sex *collibus*, qui in ejus summitate cernebantur.

Viminalis quem a Servio Tullio urbi additum nemo dubitat, quique nihil hodie animadversione dignum habet, celebratumve, nisi ecclesiam S. *Laurentii in Panisperna*, & ipse in longitudinem exporrigitur angustiorem; incipiensque e regione ecclesiæ *B. V. Montium* ab occasu solis juxta Quirinalem usque ad S. *Mariæ Angelorum* tendit, ubi eum vallis istius, de qua paulo supra, repletio cum Quirinali conjunxit, & confudit. Restitit tamen, uti dixi, inter Thermas Diocletiani & civitatis mœnia divisionis aliquod vestigium. Ab ortu solis parallelo tractu cum Exquilino procedit: inter quos duos colles a S. *Laurentio in Fonte* ad S. *Pudentianæ*, via, olim vicus Patricius appellata, divisionem quandam facit, quæ separatio dein intermedia *villa Peretta* usque ad ipsa mœnia, & portam nunc obstructam, continuantur.

Viminalis auctore Varrone vel ab altaribus, quæ illic erant Jovis *Viminei*, vel a *viminum* multitudine atque abundantia, nomen accepit, quibus olim forte inumbrabatur. Probatur hoc etiam e Plinio, apud quem: *Colles, in quem vimina petebantur*: & e Juvenale: *Dictumque petunt a vimine collem*.

Ultimus septem collium *Exquilinus* fuit, ceteris multo amplior, & hac etiam ætate permultis & eximiis templis exornatus: inter quæ *Basilicæ S. Mariæ Majoris*, & S. *Crucis in Hierosolymis* effulgent. Longe ille lateque excurrens, incurvo tamen subinde tractu, qua sit figura describi nequit. Sicut de Viminali dixi, uterque hic mons a *villa Peretta* usque ad S. *Laurentii in Fonte*, & hodiernam Suburram pari passu procedit; & ubi Viminalis finitur, hic ad occidentem reflexus tendit versus Quirinalem: deinde sub S. *Petri in vincula* regyrans ad meridiem ab amphitheatro Titi ultra illud versus ortum solis se convertit e regione Cœlii: donec tandem inter S. *Joannis* & S. *Crucis in Hierosolymis* ad meridiem revertens in muris urbis desinit, quibus extrinsecus ambitur.

Habuit & hic mons plura fastigia; unde in duas præcipue partes distingui solebat. Sic Varro: *Esquiliæ duo montes habiti, quod pars Cispius mons suo antiquo nomine, & nunc etiam in sacris appellatur. In sacris Argeorum scriptum est sic. Oppius mons princeps lucum Esquilinum, lucum Fagutalem sinistra, quæ sub mœrum est. Oppius mons biceps simplex. Oppius mons terticepsos lucum Esquilinum, dexterior via in Tabernola est. Oppius mons quadricepsos lucum Esquilinum, via dexterior in figlinis est. Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium. Exquilinus sexticepsos. Cispius mons septicepsos apud ædem Junonis Lucinæ, ubi Æditumus habere solet.* Præcipui duo fuere montes Oppius & Cispius, de quibus præclare Donatus differit prælucente Festo, cujus hæc sunt verba: *Oppius appellatus est ab Opita Oppio Tusculano, qui cum præsidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Vejos oppugnaret, consederat in Carinis, & ibi castra habuerat. Similiter Cispius a Lævo Cispio Anagnino, qui ejusdem rei caussa eam partem Esquiliarum, quæ jacet, ad vicum Patritium versus, in qua regione est ædes Mephitis, tuitus est.* Unde Donatus recte concludit, Oppium ea parte fuisse, quæ a S. *Petri in vincula* e regione Cœlii tendit ad S. *Matthæi*, sub qua erant carinæ: quod negari non potest, quum inter hunc & Cœlium *Tabernola* fuerit. Cispius supra vicum Patritium fuit ea parte, qua nunc est ædes S. *Mariæ Majoris*: ad quam fuit templum Junonis Lucinæ. Uterque etiamnunc distinguitur: nam a clivo S. *Luciæ in silicibus*, quem olim *Clivum*

A *Orbium* fuisse dicemus, usque ad portam S. *Laurentii*, divisio hæc, quamquam hodie non continua, attamen attente consideranti per arcum Gallieni, & vineam *Monachorum S. Eusebii* pergere, satis liquido videtur. Cetera Exquilini fastigia minora facile etiam agnoscuntur, si quis modo tantillum animum adverterit. In via namque recta inter S. *Mariæ Majoris* & S. *Crucis in Hierosolymis* basilicas quatuor vertices distinctissimi deprehenduntur. In uno horum ecclesia est S. *Crucis*; desinitque ad *hortos Cardinalis* quondam *Cornari*: duo alii non longe inde, inter eosdem hortos & S. *Bibianæ*, in vineis istis conspiciuntur, sed valde complanati. In
B quarto jam dicto Cispio ecclesia exsurgit S. *Mariæ Majoris*: & ultra hanc aliquanto in *villa Peretta* quintus apparet: qui forsan *collis Septimius* fuit, quippe ordine omnium ultimus. Ceterorum duorum, quæ interius sunt, fastigiorum vestigia satis conspicua hodieque inter S. *Petri in vincula* & viam quæ recta a S. *Mariæ Majoris* æde ad S. *Joannis Lateranensis* ducit, cernuntur; quamquam humana industria multa inæqualia æquantur, exstantiaque in vineis deducuntur, & ipsa temporis vetustate concavi vallium sinus sensim explentur, & depressa inter colles loca attolluntur, complananturque.

C Nominis etyma varia a Varrone aliisque adducuntur. Primum ab *excubiis*, a Romulo illic actis, quod Tatio male fideret, Alterum *ab eo, quod excultæ a Rege Tullio essent*; & in hanc etymologiam propensior est Varro; *Huic*, inquiens, *origini magis concinunt luci vicini*, &c. Alii a *quisquiliis* nomen derivarunt, id est, ramusculis illis, quos illic aucupes spargebant. At cur non ab *Esculis*, præsertim quum *Esquiliæ* per *s*, & non per *x*, a plurimis scribantur? Quid? resne magni operis videtur, ut, quemadmodum lucus *Fagutalis* a *fagis*, *Querquetulanus* a *quercubus*, *Viminalis* collis a *viminibus* appellationem traxere, ita & *Esquilinus* ab
D *esculis* nomen acceperit? Verum in re tam remotæ a nobis vetustatis non procul a temeritate absuerit, verum a verosimili petere, & pro re certa incertam venditare. Situm porro formamque septem collium rudi Minerva delineatam, superiore libro extremo, quum urbis mœnia oculis subjecimus, ab his distinctam exhibuimus.

Superest, ut & de festo *septimontio* nonnihil dicamus, quod ab hisce septem collibus suam traxit originem, menseque Decembri Romæ celebratum fuit. Institutum id teste Plutarcho Probl. LXIX. quum ultimus urbi collis adderetur. De eo ita Varro l. III. de L. L. *Dies septimontium nominatus ab his septem montibus, in queis sita urbs est,*
E *feriæ non populi, sed montanorum modo, ut paganalibus, qui sunt alicujus pagi*. Accuratius autem a Festo exponitur, qui tamen non supra singulos illos montes sacra facta dicit: *Septimontium dies appellatur mense Decembri, qui dicitur in fastis Agonalibus, quod eo die in septem montibus fiunt sacrificia, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Germalo, Cælio, Oppio, Cispio*. Idem &, auctore Antistio, aliquanto inferius repetit. *Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriæ Palatio, cui sacrificium, quod fit, Palatual dicitur; Veliæ, cui etiam sacrificium; Fagutali, Suburæ, Germalo, Oppio, Cœlio monti, Cispio monti*. Præter Palatium, Velia, & Germalus partes ejusdem erant Palatii;
F Fagutalis, & Oppius, ac Cispius Exquilini: Suburra, quamquam variæ, ubi eæ fuerint, doctorum sunt opiniones, tamen in planitie fuisse creditur. Sic ut septem illa sacrificia in tribus solum montibus de illis septem peracta tradantur, nimirum Palatino, Cœlio, & Exquiliis: cujus rei ratio nobis incomperta est.

CAP. III.

Primæ quatuor urbis Regiones, Tribus urbanæ dictæ, & viginti septem Sacraria Argeorum.

SErvius Tullius aucta stabilitaque Roma super septem, quos diximus, collibus, divisit urbem in quatuor regiones, *Suburanam*, *Esquilinam*, *Collinam*, & *Palatinam*: de quibus fuse Varo agit in IV. de L. L.

Suburanæ pars potior erat mons Cœlius, ut est apud eundem Varronem: *In Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons*, &c. ut & planities Cœlio adjacentes Carinæ & Suburra.

Esquilina tota in monte, ut idem ait, consistebat Esquilino.

Collina super Quirinalem & Viminalem extendebatur.

Palatina tandem monte Palatino terminabatur.

Verum si quatuor his regionibus tota comprehensa fuit civitas, cui quæso adscripti fuere regioni *Capitolinus* mons, & *Aventinus*? an vero hi partium urbis numero accensendi non sunt? Ut autem demus Aventinum a Servio exclusum fuisse, quippe qui extra pomœrium erat, quid? Capitolium quoque extra urbem fuisse dicemus? atqui duo isti montes ædificiis ac civibus ceteris multo fuere celebriores. Et tamen nec a Varrone, nec ab aliis, alicui istarum adscriptos fuisse regionum, comperimus. Sic enim Varro, cum prius de duobus istis egisset montibus, pergit: *Reliqua urbis loca olim discreta, ut Argeorum Sacraria, in septem & viginti partes urbis sunt disposita: Argeos dictos, prout a Principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam, & in Saturnia subsederunt, e queis prima est scripta regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina.* Ubi prima illa verba: *Reliqua urbis loca* &c. clarissime indicant, a XXVII. Argeorum sacrariis, & per consequens a quatuor urbis regionibus, in quas Sacraria illa a Servio distributa sunt, Aventinum, Capitoliumque fuisse exclusa.

Hic de XXVII. illis Sacrariis differendi opportunus locus est, quæ urbem in XXVII. partes divisere. E Varrone audivimus loca fuisse, ubi Herculis comites nonnulli sepulti fuerunt, qui in civitate Saturnia habitarunt. Loca hæc a Numa consecrata Livius refert lib. I. ubi Romanos decimo sexto & septimo Martii sacra fecisse Ovidius l. III. Fastorum canit. Quorum cum tum pars maxima extra urbem fuerit, perquam verisimile est, Servium postea, ut ea cuncta mœnibus urbis includeret, ultra Viminalem & Esquilinum muros extendisse. Verba Varronis, *ut Argeorum Sacraria in septem & viginti partes urbis sunt disposita*, meo quidem judicio id significare videntur, viginti septem urbis partes eorum Sacrariorum nomine fuisse distinctas, sic ut unaquæque eorum suum sibi haberet Sacrarium.

Verum videamus, quæ ratio esse potuerit, cur Numa nullum eorum vel in Capitolio collocarit, vel in Aventino. Non enim satisfacit, quod a quibusdam affertur, civitatem Saturniam in Capitolio fuisse, ideoque sepulcra egregiorum istorum hominum extra Capitolium fuisse; quum parvula illa civitas secundum Varronem, Festum, & alios, in radicibus tantum fuerit sita Capitolii. Verum potius, cum Numa, ut Livius ait, Maritum & efferatum bellis populum ad Deorum vellet cultum adducere, suffecit ei, ut in Capitolio asylum esset, ad quod qui recurrerent, lubentes pro rebus suis sacra facerent; & arx, in qua ab Auguribus augu-

A ria captarentur. In Aventino Jovis Elicii aram posuit, quæ præ ceteris maxime terribilis religio erat: cujus & vim auxit fabulosa Pici Faunique specu. Sic & extra portam Capenam lucum & antrum Egeriæ Camœnis consecravit, Fideique Sacrarium instituit: per cetera vero loca Romæ circumjecta Argeorum sparsit Sacraria.

Sed revertamur ad regiones. Appellatæ sunt illæ a Servio *tribus* primis illis a Romulo institutis tribubus antiquatis, populoque in sex classes diviso. Quum vero civitas & civium numero, & agri amplitudine, qui habitabatur, continuo cresceret, atque augeretur, quod tribus illæ quatuor non

B sufficere videbantur, agrum quoque in tribus divisit, atque ita urbanis quatuor tribus quoque rusticas adjecit, quæ solæ in initio, teste Dionysio, fuere XXVII. & cum urbanis numerum XXXI. expleverunt, ut est apud Livium lib. II. a Sigonio emendatum. Rusticas a Servio additas XV. tantum fuisse verisimilius est, conjunctasque cum urbanis effecisse XIX. usque ad annum V. C. CCLVIII. quo additis duabus aliis factæ sunt XXI. Verum de hac sententiarum diversitate, quum ea res non tam urbem, quam agrum P. R. spectet, nunc non est disputandi locus: sufficiet hic subjunxisse, cre-

C scente cum tempore rusticarum tribuum numero factas tandem XXXI. easque cum quatuor urbanis numerum XXXV. explevisse, ut l. XIX. Epitomæ Livianæ legitur. In urbanis ii solum censebantur qui in urbe habitarent: in rusticis, qui partem vitæ maximam in villis ac prædiis transigerent: verum brevi accidit, ut his, qui prædium aliquod haberent, rusticis adscriptis tribubus, urbanæ iis tantum cederent, qui nil extra urbem haberent possessionum: sic ut urbanis adscriptum esse tribubus nonnihil traheret de contemptu, atque ignominia; quemadmodum Plinius l. XVIII. cap. III. testatur. Unde & post bellum Punicum primum

D libertinos in urbanas translatos esse, relictasque illa XXXI. rusticas ingenuis, auctor est Epitomator Livii lib. XX. & innuitur ab Asconio in Milonianam.

Sed hic rursus prius dubium occurrit, majorique impetu. Nam si populus omnis in tribus relatus est, cum qui in urbe, tum qui in agris morabatur, in quas transcripti tribus fuerint Capitolii & Aventini incolæ? si in rusticas, in quas? Prima harum, ut est apud Varronem, *Romilia* dicta fuit: *quod sub Roma sit*. Sed Festus eam ita appellatam ait, *ab Romulo, quod in agro ab eo capto de Vejentibus populis ea tribus censebatur*: eratque eapropter

E in Transtiberina regione; fortean in *Lemonia*, *a pago Lemonio*, eodem Festo auctore, *sic appellata, qui est a porta Capena via Latina*: a qua Capitolium quammaxime remotum est. *Pupiniam* Festus dictam tradit *ab agro Pupinio, qui in Latio cis Tiberim ad mare vergens, haud longe ab urbe erat*. Ceteras ab urbe longius remotas fuisse existimandum est, atque ita consequenter impossibile, ut duorum collium urbis incolæ alicui fuerint rusticæ tribui adscripti. Nihilominus in aliquam illos tribum relatos fuisse certum est.

Dicam ego libere, quod sentio, permittam-

F que aliis, eandem ea de re opinandi libertatem. Si ad exemplum religionum Numæ tribus urbanæ a Servio divisæ fuere, non video ullam rationem idoneam, cur Sacraria Argeorum magis quam Jovis Elicii ara, sedesque præcipua Augurum iis comprehendi debuerint: eaque propter, cum Varro dicat, *in Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons*, potuit & Aventinus in eadem fuisse regione pars minus principalis. Cum dicat, *quartæ regionis Palatium*, potuit & Capitolium quartæ istius regionis itidem pars fuisse: quos duos mon-

tes Varro inter IV. tribus non recenſuit, quia, antequam de XXVII. Sacrariis loqueretur, de illis egerat. Statuamus igitur regionem, ſeu tribum Palatinam, Palatium & Capitolium complexam; Suburanam Cœlium & Aventinum; Collinam Quirinalem & Viminalem; ac tandem Exquilinam Exquilias. Qui aliter ſentit, per me ſuo licet fruatur arbitrio.

At major in Transtiberina regione in tribum referenda ſupereſt difficultas: quæ quomodo urbanis addita fuerit tribubus, non video; & annumeratam ruſticis non auſim affirmare. Forteaſſe illa *Romiliæ* aſſignata fuerit, quæ proxima quatuor urbanis a *Roma* nomen accepit, adeoque recte ſub Roma juxta etymon fuiſſe exiſtimanda eſt; qualis illa regio, quæ ſolo flumine a Roma dividebatur, &, quidquid Janiculi mœnibus comprehenſum non fuerat, urbi quaſi colla alligabat, uti Donatus ſcribit. Feſtum ſupra dicentem audivimus, totum illum agrum, quem Romulus de Vejentibus ceperat, hujus fuiſſe tribus: iſtius autem agri partem fuiſſe Transtiberinam regionem extra controverſiam eſt, quod ante Romuli quoque & Romæ tempora tota illa fluminis ripa, quæ Tuſcos reſpicit, in poteſtate Vejentium fuerit. Ager hic, ut in veteribus Veiis dixi, illa pars erat, cujus limes inſtar ſemicirculi Romam ſex ſeptemve millium paſſuum ſpatio circumibat: nempe a *Magliana* uſque ad *hoſpitium Valcæ* ad primam portam. Quod autem Panvinius & Cluverius illud hic innui volunt agri, quod inter Romam & mare eſt, non video cum Dionyſii id verbis convenire, qui eum agrum non ad mare, ſed ad Tiberim eſſe dicit; tum vero res indubia eſt, Romanos ante Anci Martii regnum numquam imperii limites ad ipſum uſque mare extendiſſe Hic eſt *campus* ille Plinio *Vaticanus* dictus, ut ſupra habuimus: quare Transtiberinam regionem campo illo Vaticano, tribuque Romilia comprenſam fuiſſe, certo mihi videor poſſe affirmare. Rurſus, licet in tribus urbanas transſcribi ignominioſum fuerit, in quibus ii numerabantur, qui nulla extra urbem poſſiderent prædia, incolis Transtiberinæ tamen regionis magno honori eſſe non potuit, quod uni ruſticarum tribui forent adſcripti.

Porro quum pars aliqua urbis, quæ habitabatur, ædificia etiam extra muros protenderet, quibus ea quæſo tribubus attribuebatur, ruſticis, an urbanis? Eadem hic eſt, quæ ſupra, difficultas; quam nullo alio niſi veriſimilitudinis ſolvam adjumento, paucisque dicam, ædificia poſt Servium ſenſim urbis muris adſtructa illi fuiſſe tribui urbanæ aſſignata, quæ illis quam proxima eſſet: ſic ut tandem omnia ſuburbia primarum illarum quatuor tribuum fuerint appendices; quandoquidem murorum aut nulla hac in re, aut perexigua habebatur ratio, ſeu diſcretio. Et ſic etiam Transtiberina forſitan uni de quatuor adhæſit; cum perabſurdum videatur, reliquis ſuburbiis urbanæ alicui tribui ſingulis attributis, Transtiberinam regionem, quæ muris incluſa fuit, inter ruſticas fuiſſe accenſitam.

His ita præſuppoſitis, præmiſſiſque, facilis erit limitum cujuſque illarum tribuum deſcriptio. *Exquilina* eoſdem terminos habuit, quibus ipſum montem ſuperius circumſcripſi: nimirum forinſecus a ſeptemtrionibus ad ortum ſolis mœnibus urbis ambiebatur, quæ a caſtris prætoriis, ſive porta clauſa, quæ illis ad latus, ad uſque ædem S. *Crucis in Hieroſolymis* procurrunt. Interius ab eadem porta obſtructa per *villam Perettam* ad *S. Pudentianæ*, inde ad S. *Laurentii in fonte*, tum reflectendo ſe per hodiernam Suburram ad *Pantanos*, item ad Amphi-

A theatrum Titi, & ad *S. Clementis*, nec non ad SS. *Petri & Marcellini*, atque inde juxta *S. Crucis in Hieroſolymis* rurſus ad muros urbis revertebatur. *Collina* huic contermina, ſat longo tractu ab eadem porta obſtructa eodem itinere uſque ad *S. Laurentii in Fonte* pergens, & inde ad Suburram hodiernam, & *Pantanos*, regyrabat poſtea ad Columnam Trajanam: unde deinceps ſemper muros ſupra Quirinalem ſequens, ad portam ſupra dictam obturatam deſinebat. *Palatina* a Columna Trajana ſub radicibus Capitolii ad *Pantanos* tendens, & inde inter *hortos Piorum*, & Amphitheatrum Titi, ac poſt inter Palatinum & Cœlium ſub *S. Gregorii* ad B Circum Maximum perveniens, ſub Aventinum ad dextram flexa Tiberim attingebat, ubi nunc *Marmorata* eſt, eumque ſecuta uſque ad muros, qui ad *forum Montanara* incipiebant, cum iiſdem Capitolium tranſcendebat, indeque delapſa ad Trajanam, unde inceperat, columnam finiebat. Quare non ita mirum videri queat, ſi & illam Aventini in ſe partem comprehendiſſe exiſtimetur, quæ Circo Maximo, Tiberique, & Prato collis Teſtacei imminens, a reliqua parte a me diviſa fuiſſe dicta eſt, interveniente via, quæ inter Circum Maximum erat, & portam Oſtienſem, & eſt hodieque. C *Suburrana* tandem ab Amphitheatro Titi inter Exquilias & Cœlium ad SS. *Petri & Marcellini* pergens, & inde inter S. *Crucis* & *S. Joannis* ad mœnia perveniens, una cum iiſdem Cœlium & Aventinum aſcendebat, & inde uſque ad Tiberim, ſive portam Trigeminam; tum vero ſecundum Tiberim ad *Marmoratam* perveniens, leviter ſe verſus radices flectebat Aventini, ubi vallem Circi Maximi tranſiens ad *S. Gregorii* ſemet extendebat, atque inde ab Amphitheatro Titi, ſeu potius ſupra Aventinum; mœniaque mox uſque ad portam *S. Pauli* ſecuta, per viam quæ collem dividit, porrigebatur uſque ad Circum, & D *S. Gregorii*. Quod ſi vero accuratiore cura ſuburbia etiam illis adjungere voluerimus, quæ inter portam *S. Joannis* & Tiberim habitabantur, Suburranæ Transtiberina quoque regio: & campus Martius Palatinæ; *Hortulorum* vero *Collis* cum omni illa parte, quæ extra urbem inter portam Pincianam & obſtructam, Collinæ: ac tandem quidquid foris inter obſtructam eandem portam, & *S. Joannis* fuit, Exquilinæ accenſendum erit.

Supereſt nodus multo adhuc difficilior, quomodo primæ tribui nomen *Suburranæ* dari potuerit, cum *Suburra*, quæ inter Exquilinam & Collinam E fuit, ab ea fuerit remotiſſima. Advertit hic & Panvinii animum, qui eapropter l. I. de rep. Romana *Suburram* veterem in planitie eſſe credidit, quæ inter Palatinum & Cœlium erat, per quam ab arcu Conſtantini itur ad *S. Gregorii*. Donatus contra pluribus probare conatur Suburram veterem ab hodierna non fuiſſe diverſam: cujus rationes alio loco opportuniore accurate expendemus. Exiſtimat autem Donatus Suburram inter Viminalem, Quirinalem, & Exquilinum incepiſſe in Suburra hodierna, & per *Pantanos* cum Cœlio fuiſſe conjunctam: verum id mihi impoſſibile videtur; quod F inter *Pantanos* & Cœlium Palatinus & Exquilinus tam arcte interjecti ſint, ut eorum radices, ubi nunc Eccleſia eſt S. *Mariæ Novæ* & ruinæ Templi Pacis, hodieque viciniſſimæ ſibi ſint. Si igitur limes illic Exquilinæ & Palatinæ tribuum fuerit, fieri nequit, ut ibidem Suburranam hodiernam cum Cœlio conjungendi locus ſupererit. Verum in Cœlimontanæ regionis deſcriptione commodior de vero Suburræ veteris ſitu differendi locus erit. Interim non a ratione alienum erit credere, veros quatuor urbanarum tribuum limites illos fuiſſe,

aut

aut certe non multum a veteris diversos, quibus easdem nunc circumscripsimus.

CAP. IV.

De XIV. *regionibus urbis, in quas eam Augustus distinxit.*

Augustus tandem, cum videret urbem in eam excrevisse amplitudinem, ut eidem quatuor, in quas distinguebatur, regiones minime sufficerent, cum singulæ vastæ urbis spatium occuparent, in quatuordecim eam novas & æquales divisit regiones. Verba Suetonii sunt: *Spatium urbis in regiones quatuordecim, vicosque supra mille divisit*. Quicum consentit Plinius l. XXX. c. L. *Ipsa* (loquitur autem de Roma) *dividitur in regiones quatuordecim: compita earum* CCLXV. Hæ vero a duobus scriptoribus antiquis perquam accurate descriptæ sunt, nimirum P. Victore, & Sexto Rufo, viris Consularibus; nec in alium credo finem, quam ut Præfectis facilior & exactior earum notitia esset in decidendis curatorum cujusque regionis & vicomagistrorum de jurisdictione motis inter se controversiis: quibus e recentioribus ob præclaram, quæ ab ipsius provenit ingenio, & industria, accessionem merito suo maximo Panvinius annumerandus est.

Inter Augustum & Victorem ac Rufum, quorum hic ætate vixit Valentiniani, alter autem absque controversia post Constantinum, anni intercessere plus minus CD. quare utrum regiones illæ eodem semper statu duraverint, dubitare forsan aliquis possit, longi illius temporis intervalli consideratione permotus. Verum quod nullus existat auctor, non solum, qui easdem mutatas dicat, verum qui vel suspicionem ejus rei moveat, easdem fuisse existimandum est. Sed & Tacitus l. XV. Annal. ubi Neronis incendium commemorat, & nonnullarum ex iis mentionem facit, cum cura illum legentibus, remque ipsam considerantibus, nil in illis mutatum satis clare indicat. Ceterum ut omnia, quæ de regionibus urbis hic disputabuntur, plus lucis accipiant, in superiore, qua mœnia & portæ delineatæ sunt, tabella punctulis eas singulas inter se distinxi.

Major primis veteris Ecclesiæ temporibus occurrit obscuritas, quibus regiones a Pontificibus Notariis & Diaconis divisæ sunt. De Clemente primo refert Anastasius: *Septem notarios instituit, quibus regiones divisit, ut gesta Martyrum*, &c. ubi de XIV. veteribus urbis regionibus inter Notarios distributis facile conjectu est, singulos binis illarum Notarios ob exiguum, qui tunc Romæ erat, numerum attributos. Possit tamen fieri, ut plures ille singulis paucioresque assignaverit, pro incolentium eas Christianorum majore, minoreve frequentia. De Euaristo idem scribit Anastasius, septem illum Diaconos instituisse: quibus Fabianus, qui anno Chr. vixit CCXXXVIII. XIV. urbis regiones divisit. *Regiones*, inquit, *urbanas septem diaconibus divisit; septem quoque subdiaconos creavit, qui septem notariis imminerent*, &c. Regiones istæ, quamquam notariorum & diaconorum septenarius tantum numerus fuit, eædem apud Christianos atque Gentiles fuisse videntur, nec minori, quam ante, numero. Remotum igitur a vero est, quod Ciacconius in vita Hygini scribit: *Ad promovendam religionem Christi, prædicationem, baptismum, & Eucharistiam administrandam, septem primum diaconi septem regionibus præfecti, quæ solæ ex quatuordecim ab incendio Neronis salvæ & incolumes evaserunt, attestante Tacito, qui ait: In regiones quatuordecim*

A *Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ; septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera & semiusta*. Nam Tacitus hic non septem habitatas restitisse dicit, sed quatuor tantum intactas, tres omnino destructas, septem autem semiustas & laceras: nec post illud incendium Roma habitari desiit: verum contra ea referente Tacito pulchrior resurrexit. Præterea Anastasius Clementem non septem, sed quatuordecim regiones inter septem notarios distribuisse dicit: tum vero post aliquot secula, cum Romanum non crevisset, sed decrevisset imperium, & urbs ipsa condita Constantinopoli magna incolarum multitudine B esset spoliata, Victor non septem, quæ incendio superfuere, regiones, verum omnes veteres descripsit XIV. Verum quidem est, apud Christianos septem tantum fuisse numeratas: &, quum Anastasius in vita Caii similiter eas divisas scribit, ut, *Hic regiones divisit Diaconibus*; & in secundo Concilio Romano act. II. de S. Silvestro legitur, *Fecit septem regiones, & diaconibus divisit*, existimandum, veteres XIV. regiones a diversis olim Pontificibus varie nunc Notariis, nunc Diaconis divisas, id est, limites earum variatos; & nunc huic, nunc illi, majorem, minoremve urbis partem attributam, prout quæque regio pro variis temporibus varia C Christianorum affluebat multitudine: donec cessantibus persecutionibus ad septem eas perpetuas reduxit regiones. In Vita Simplicii, qui circa A. Chr. CCCCLXIV floruit, Anastasius ita scribit: *Hic constituit ad S. Petrum Apostolum, & ad S. Paulum Apostolum, & ad S. Laurentium Martyrem hebdomadas, ut Presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & baptismum. Regionem* III. *ad S. Laurentium, Regionem primam ad S. Paulum, Regionem* VI. *&* VII. *ad S. Petrum, &c. Sed hebdomadarii isti pro quatuor regionibus constituti cum septem essent, quod alias tres regiones Heruli occuparent, qui Catholicæ Ecclesiæ minime* D *communicarent, utpote qui secta essent hæretici Arriani*. Hic omnino de VII. tantum regionibus fit mentio, quas nulla veterum XIV. habita ratione a S. Silvestro plane novas institutas fuisse: ac ab illis diversas, mihi non fit verisimile: nam & conatus ille vanus, & Christianis, qui eas incolebant, fuisset incommodissimus. Propius vero est, binas ex his cum tempore fuisse conjunctas situ aut ordine proximas, & has a S. Silvestro statuto perpetuo singulis Diaconis attributas septenarium ita numerum absolvisse.

Quænam autem istæ septem vere fuerint, non est qui exponat; & est res sanequam investigatu difficilis. Tentemus tamen pedetentim vadum. Ac E primum quidem ex Anastasii verbis nonnulla nobis lux affulget. Nam si primæ regioni *D. Pauli* Ecclesia a S. Simplicio attributa fuit, prima regio Gentilis, quæ maxima sui parte extra portam S. *Sebastiani* fuit, illi quammaxime vicina erat: propior tamen tertiadecima Aventini; quam primæ conjunctam fuisse verisimile est. Confirmat hanc conjecturam ipse Anastasius, qui satis aperte in Eugenio dicit; *Eugenius natione Romanus de regione prima Aventiniense*. Quicum conveniunt, quæ Epist. XIX. lib. XII. S. Gregorii leguntur: *Præcipimus, ut hortum quondam Feliciani presbyteri positum in regione prima ante gradus S. Sabinæ excu-* F *satione postposita*, &c. Reliqua porro Anastasii in Simplicio verba, *Regionem tertiam ad S. Laurentium*, &c. non minus liquide demonstrant tertiæ (quæ apud Gentiles illa Isidis & Serapidis fuit, ad *S. Petri in vincula*, & *S. Martini de montibus* ab altera parte, ab altera vero ad *SS. Petri & Marcellini* omne illud spatium complectens Exquiliarum, qua ad *S. Clementis*, Amphitheatrum Titi, & Suburram patebat hodiernam,) conjunctam quintam fuisse, contiguam reliquam

Exquiliarum partem cum Viminali continentem: A quandoquidem nulla alia S. *Laurentii* regioni nisi quinta vicina erat. Confirmatur hoc ipsum a S. Gregorio epist. LVIII. lib. II. in qua *domus Merulana*, ubi nunc Ædes est S. *Matthæi*, cuique regio quinta contingua erat, *tertiæ regionis* esse dicitur: *Quia igitur ecclesiam positam juxta domum Merulanam regione tertia* &c. Quintæ vero tertiam Gentilium fuisse conjunctam Anastasius in Hadriano indicat, Ecclesiam *S. Clementis* dicens in ruinis tertiæ regionis, fuisse: *Titulum vero beati Clementis, quod etiam casurum erat, & in ruinis positum regionis tertiæ*: quæ Ecclesia ad limitem est secundæ, verum sub tertia regione, circa quam illius esse B poterant ruinæ. Liquidius tamen idem Anastasius in Stephano tertio: *Restauravit Basilicam S. Laurentii super S. Clementem regione tertia*. Æque levi opera & quarta invenitur, modo verba illa S. Gregorii Epist. V. lib. II animum advertantur: *Quatenus domum positam in hac urbe regione quarta, juxta locum, qui appellatur ad Gallinas albas*: qui locus a Rufo & Victore in regione sexta memoratur, dicta *alta semita*, in Quirinali sita, quartæ contermina ad templum Pacis, quæ a *Pantanis* ad hodiernam porrigebatur Suburram. Quænam duæ istæ, quæ ab Anastasio in Simplicio vicinæ Ecclesiæ *S. Petri* dicuntur, sexta nempe & septima, C fuerint, satis manifestum est: quum nulla pars urbis *S. Petri* Basilicæ vel propior, vel commodior sit, excepta Transtiberina regione, quam planities illa, quæ in duas olim divisa fuit regiones, nimirum septimam Viæ Latæ, & nonam Circi Flaminii: quas conjunctas unius septimæ nomen retinuisse credibile est: sextæ vero nomen, cum sexta veterum quartæ conjuncta fuerit Christianorum, quartædecimæ datum, quæ Transtiberina fuit, in qua ædes est *D. Petri*. Huic alia adjungi regio non potuit, quod Tiberi flumine nimium a reliquis discreta, tum & amplitudine sua ceteris multo ma- D jor, sola uni notario ac diacono sufficere videretur. Supersunt porro duæ Christianorum, secunda & quinta: Gentilium vero quinque, secunda, octava, decima, undecima, & duodecima: quarum secundam Christianorum octavam fuisse Gentilium Anastasius ostendit, quum in Zacharia diaconatum *S. Georgii* in Velabro, qui locus in octava urbis regione fuit, secundæ Christianorum tribuit: *In venarabili diaconia ejus nominis* (n. *S. Georgii*) *sita in hac Romana civitate, regione secunda ad velum aureum*. Sic & in Anastasio dicit: *Hic fecit basilicam, quæ dicitur Crescentiana in regione secunda in via Mamertina in urbe Roma*; quam viam E prope carcerem, appellatum *Mamertini*, sub Capitolio in regione fori fuisse tantum non certum est; & cum octava regione versus Tiberim undecimam Circi Maximi, aut saltem partem ejus oblongam & angustam secundum flumen sitam, conjunctam fuisse existimare perquam rationi conveniens est. Quin & non absurdum fuerit opinari, dictam eam secundam, quia sub Aventino colle cum prima conjungebatur. Nec obstat, quod in Actis S. Martinæ ecclesia illa in regione sexta fuisse dicatur, siquidem *via Mamertina*, & diaconia *S. Georgii ad velum aureum*, (quas Anastasius in secunda regione collo- F cat) & idem Anastasius, in Simplicio regionem sextam vicinam asserens *S. Petri*, satis evincunt, Actorum S. Martinæ contextum ibidem corruptum esse, & pro I. vitiose V. positum, quod facile fieri potuit: sic ut pro II. librarius VI. substituerit. Quinta tandem nulla alia esse potuit, quam decima dicta *Palatina*, vel secunda appellata *Cœlimontana*, vel duodecima, cui a *Piscina publica* nomen fuit. Bibliothecarius in Anastasio II. nomen illi dat *Thauma caput Tauri*: *Anastasius*, inquiens, *natione Romanus, ex patre Petro, de regione quinta Thauma caput Tauri*. De quo & in Alexandro ante dixerat *Natione Romanus, ex patre Alexandro de regione Caput Tauri*. Horum nominum cum hoc, tum illud, regionem nobis decimam indicat; quandoquidem *Thauma*, id est, *miraculum*, de nulla re alia verius dici potuit, quam de palatio Augustali, quæ maximam illius regionis partem occupabat: *caput* autem *Tauri* vel pars quædam fuit montis Palatini, olim *Capita Bubula* dicta, vel pars aliqua foro Boario imminens, quæ ab æneo tauro forte denominationem accepit. Decimæ secundam Cœlimontanam additam fuisse necessario sequitur, & fortean etiam duodecimam, quæ breve complexa spatium illi subjacebat: nisi hæc potius primæ regioni Portæ Capenæ, atque Aventini, assignata fuit. Et hæc sunt, quæ conjectura mihi assequi licuit.

Præter has septem multi quoque vici, locique, ut erudite Martinellus in Roma Sacra observavit, laxiore significatu *regiones* appellati sunt. Quare quum in Anastasio aliisque numerus adscriptus non est, de septem illis in diaconos dispertitis haud temere accipiendæ sunt. Verum sane est, hodiernas XIV. regiones nulla ex parte nec cum antiquis XIV. regionibus, nec cum septem illis Christianorum, quidquam habere commune, quippe & nomine & situ diversissimas: quæ divisio tum credo instituta est, quum Romani repudiato Pontificum imperio seculari, priscam revocavere dignitatem consularem, sive, ut alii volunt, senatoriam.

CAP. V.

De XIV. *Regionum descriptoribus*.

Romanas antiquitates tutius, certiusque indagari non posse putem, quam ad illam facem, quam XIV. veteres regiones, &, qui illas descripsere, præferunt, scriptores. Quare, quum illas absolverimus, de his quoque agere non modo æquum, operique, quod præ manibus est, conveniens, sed & necessarium esse existimo. Scriptores autem, qui de iis commentati sunt, hodieque exstant, hi sunt:

Publius Victor, qui illarum catalogum conscripsit. Hic & manuscriptus, & typis exaratus, magna semper apud eruditos, quorum manibus terebatur, fuit existimatione. Edidit autem postea exemplum ejus aliud antiquius, & multo auctius, Panvinius in commentario de Rep. Rom. idque se ab Antonio Augustino nactum ibidem dicit.

Alius & haud multum dissimilis Sexti Rufi catalogus ab eodem Panvinio in eodem opere editus fuit: quem illi Victoris subjunctum fuisse ait, veruntamen non integrum, deficientibus tribus ultimis regionibus, & parte undecimæ; ejusdem Antonii Augustini donum.

In Notitia Imperii dignitatum utriusque imperii duo alii item ejusdem argumenti catalogi exstant; quorum alter XIV. regiones urbis Romæ, alter regiones Constantinopoleos exhibet.

In Capitolio, in *area Dominorum Conservatorum* antiquissima basis marmorea exstat statuæ Hadriani Imperatoris, a vicomagistris earum regionum ipsi positæ, cujus lateribus inscripta vicomagistrorum & vicorum nomina sunt quinque regionum. Et hæc sunt maxime illustria antiquitatis monumenta, quorum prælucente subsidio insigniter queamus adjuvari.

Fuerunt & recentiores, qui regiones urbis descripsere: quorum primus fuit, quantum indagare potui, Pomponius Lætus. Verum quia illius ætate

Romanæ Antiquitatis in densis adhuc jacebant tenebris, perparum nos ejus adjuvit descriptio, quippe non satis stabili subnixa fundamento.

Onuphrius Panvinius proximo seculo, quidquid Victor & Rufus de illis scripserant, conjungens, & quidquid ex aliis colligere poterat auctoribus, his addens, peramplum earum regionum indicem composuit, cumque illis Victoris & Rufi commentario suo de rep. Rom. inseruit, singularem insuper de iisdem commentarium pollicitus, quem an postea absolverit, haud certo dixerim. Quin potius præmatura nimis & damnosa reip. literariæ eruditissimi viri morte hunc nobis fortunam invidisse crediderim, qui undequadragesimo ætatis anno vivis ereptus præclarissimorum ingenii atque doctrinæ ætate maturiore, magisque exercitata producendorum fructuum maximam cunctis spem fecerat, in ipso adhuc ætatis flore editis tam multis ac tam eximiis singularis eruditionis monumentis.

Paulus Merula parte secunda Italiæ suæ, ubi Romam describit, Regiones item Panvinii exhibet; additis passim iis, quæ multa ipsi atque erudita lectio suppeditaverat.

Jam meæ partes erant de iisdem regionibus uberius differendi, & quid alii in iis describendis præstiterint enarrandi: verum nonnulla prius præmittenda visa sunt, tam quæ de scriptoribus earum antiquis, quam de ipso hoc argumento a me observata sunt.

Duæ Victoris exstant editiones, uti dixi; altera vetustissima, & a cunctis absque ulla hæsitatione admissa, receptaque, qui & fidem faciunt plurimæ post inventæ inscriptiones antiquæ illi consonæ: altera auctior, & a Panvinio primum publicata. Harum aut prima multis locis mutila est & circumcisa; aut secunda supposititia est & adulterina: non quod ea tota falsa sit, sed assutorum potest, seu potius debet esse suspecta additamentorum, adeoque non bona fide descripta. Ut antiqua illa tot locis mutila sit fueritve, fieri vix potest: quare meo judicio certius tutiusque sit alteram malæ fidei habere suspectam, & illam existimare adulteratam ab homine non inerudito, sed qui ingenio suo nimium tribuens persuadere se aliis posse credidit, ut fœtum suum pro alieno atque genuino admitterent: quique pro commentatore ac descriptore contextus alieni correctorem egit. Quorum hominum ita proterve publicæ credulitati illudentium utinam parcior steriliorque seges fuisset. Forsan & librarius in margine adscriptas ab erudito aliquo in usus proprios annotatiunculas in contextum recepit, admisitque tamquam scriptoris genuinas. Jubet autem ratio, securiusque multo est, ut textum veterem minus auctum & amplificatum pro vero atque genuino agnoscamus. Quæ priore libro de via Gabinia dixi, tum & additamenta cum Rufo nimis accurate convenientia, aut conciliata, nec non variæ lectiones sæpe nimis frigide explicatæ, argumenta mihi nimisquam idonea videntur fœtus supposititii, augentque mirifice hanc nostram suspicionem, quam forte in sequentibus revelata magis evidenter veritate non inanem esse probabimus.

Jam vero quid de vetere illa dicendum, & an hæc quoque tota legitima sit, videamus. Occurrunt sane frequentes in ea ab historicis petitæ expositiones, diversæque a scopo scriptorum, qui seriem illam regionum ad illarum confecere distinctionem. Ut, exempli gratia, Areæ Vulcani, Regione IV. subjicitur: *In qua per biduum sanguine pluit*. & post villam publicam regione IX. *in qua primum census P. R. actus est*. Uti hæc, & alia id genus plura, glossemata & additamenta esse, ab hoc illove assuta, non negaverim; ita nec consuetudinem Criticorum sequi asperner, qui, ubi aut in sensu, aut in elocutione aliquid incongruum, auctoreve indignum occurrit, censoria id notant virgula: ubi vero nullum certum aut manifestum corrupti loci indicium est, ne omnem nulla de caussa libris fidem derogent, omnemque veteris ævi notitiam offuscent ac obnubilent, de iisdem quoque dubitare non præsumunt.

Rufi textus, qui pars ejusdem manuscripti est ab Antonio Augustino Panvinio donati, adeoque ejusdem librarii, qui & Victorem descripsit, nec ipse a suspicione integer liberve sit, necesse est: id est, ut auctior sit vetere ipsius Rufi editione, quæ non exstat: unde & ejus auctoritate non temere, verum caute circumspecteque utendum existimo.

Descriptionem vero illam, quæ Notitia Imperii exhibetur, ab vetusto aliquo auctore conscriptam nullus dubito: verum cum in descriptione Constantinopolitanarum regionum situs etiam & limites exactissima diligentia notatos videam; Romanas autem exiliter, & quasi cursim tractatas: tum vero multis etiam in locis manifestos, & Victori Rufoque repugnantes errores animadvertam, Græculum aliquem rerum Romanarum satis imperitum illius auctorem agnosco: in cujus sententiam nonnisi testudineis pedibus eundum sit.

Alia Basis Capitolinæ ratio est, quæ nec supposititia, nec corrupta existimari potest: quum nimis manifesta vetustatis integritatisque præ se ferat argumenta. Quæ utinam vel plures contineret regiones: vel nos earum, quæ hic deficiunt, tam certa & tam incorrupta haberemus documenta!

Ut igitur lectori plenissime satisfiat, priusquam sententiam animi mei de singulis expromam, deque iis differere incipiam, utrumque prius cum Victoris, tum Rufi textum apponam, tum & quid in Notitia habeatur Imperii, & in Capitolina Basi: nec eorum quidquam, quæ recentiores addidere, omittam, excepto, ne frustra nimiumque prolixus sim, Pomponio Læto.

A scriptoribus ad ipsum considerandum propero argumentum. Utrum vero regiones situ locorum diverso distinctæ fuerint, an vero secundum varia tribunalia, mihi omni omnino carere videtur difficultate. Præterquam enim quod Tacitus easdem situ distinctas refert; ipsa illa accurata diligentia, qua cujusque illarum circuitus mensura a Victore & Rufo affertur, omnem plane tollit dubitandi causam. Unaquæque regio, ut est apud Suetonium, in suos primo divisa fuit vicos, quos ille transisse miliarium dicit. Singuli porro vici suas habebant ædiculas, uti parœciæ solent nostri ævi. Censura Vespasiani, qui integro circiter seculo Augusto posterior fuit, in compita teste Plinio divisæ fuerunt, quorum numerum ait fuisse CCLXV. Sed hæc sibi invicem non obstant. Nam præter quam quod vicorum multitudo, a Suetonio tradita, hyperbolica esse, & ultra verum exire videri queat, non absurdum sit existimare compita circiter quartam vicorum partem absolvisse; ita tamen ut non quodvis trivium aut quadrivium inter compita numeretur, verum ea tantum compita existimentur, quæ Janum quadrifrontem cum signis Larum habuerint. Unde non a verisimilitudine Gelenii discedit conjectura, pro *compita earum*, *compita larum*, restituentis. In his compitis vicomagistri ex more ludos compitalitios prætextati edebant, ut in or. contra Pisonem Asconius refert. Quod autem a Victore & Rufo tantus vicorum numerus non recenseatur, non adeo mirum videri debet, quum facile fieri potuerit, ut post aliquantum temporum decursum sensim vicomagistrorum

A cessaverit in vicis aliquibus creatio; uti ex enumeratione vicomagistrorum quinque regionum, qui in Basi Capitolina memorantur, colligere est: tribuendumque id solemni humanarum rerum, hominumque inconstantiæ, qua cum tempore omnium rerum bonarum usus atque consuetudo negligi solet, & omitti: sic ut post quatuor secula, præcipue vero, postquam Constantinus Imp. Roma Constantinopolin commigravit, magna familiarum Romanarum parte comitante, plurimi vicorum minus frequentes restiterint: unde & factum, ut in creandis vico magistris plures se uni aggregaverint de vicinia. Quin & cum vetustatis injuria ædiculæ multorum vicorum collapsæ essent, occasionem
B suppeditavere humanæ inconstantiæ plures sensim diversasque usurpandi divisiones, novaque vicis nomina imponendi. Hinc mirum nemini accidere debet, quod Panvinius præter memoratos a Victore & Festo vicos sæpe alios ab aliis memoratos investigarit, atque exhibuerit.

Credo ego multa rerum nomina a scriptoribus antiquis regionum prodita nomina vicorum fuisse, ut *Pila Tiburtina*, *Fons Scipionum*, *Arbor Sancta Apollo Cœlispex*, & sexcenta id genus alia, quæ illic leguntur, cum interea mille alia fontium, pilarum, arborum, statuarum, &c. nomina ibidem taceantur. Sic & in urbe hodieque vici appellationem ab rebus accepere similibus, ut *Pasquinus*, *Pes marmoreus*, *Puteus Cornicum*, *Annata*, *Ulmus* &c. Sic & Suetonius vicum nominat *ad capita bubula*; & Livius l. XXXI. c. II. *simulacra luporum*. Nec aliter nunc palatia multis dedere locis nomina, ut *Cæsarini*, *Matthæi*, *Rotunda*, *S. Jesu*, *S. Luciæ clavium*, &c. Quare cum in Victore & Rufo legitur, *Domus Q. Catuli*, *Domus Laterani*, *Domus Vectiliana*, *Templum Pacis*, *Ædes Apollinis* &c. non illa tamquam domus ædesve notabiliores, sed & velut vicorum nomina consideranda sunt, quorum forsan nonnulla jam tum nulla amplius exstabant, nihilominus ipsi vico nomen præbentia: sicut nos hodie *Arcum Camiglianum* appellamus, & *Puteum album*, & *Campum Carleum*, licet illa nusquam amplius appareant. Hic vero nobis usu veniat, quod de Piscina publica ait Festus: *Piscinæ publicæ hodieque nomen manet, ipsa non exstat*. & quod idem de horreis dicit Semproniis: *Sempronia horrea, qui locus dicitur, in eo fuerunt lege Gracchi ad custodiam frumenti publici*.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Regio prima dicta Capena, secundum aliorum descriptionem.



Egio hæc prima ultra portam S Sebastiani erat, unde &
D nomen accepit: vel partim intra eandem portam, partem vero majorem extra illam. En tibi eam a Rufo ex- [illegible]

Regio Prima, Porta Capena.

Vicus Honoris & Virtutis.
—— *Fortunæ obsequentis.*
—— *Sulpici citerioris.*
—— *Drusianus.*
—— *Suplici ulterioris.*
—— *Pulverarius.*
—— *Trium ararum.*
—— *Fabricii.*
Ædes Martis.
—— *Minervæ.*
—— *Tempestatis.*
—— *Mercurii.*
—— *Apollinis.*
Area Mercurii cum ara.
—— *Spei.*
—— *Galliæ.*
—— *Isidis.*
—— *Pinaria.*
—— *Carsuræ.*
Lacus Promethei.
—— *Sanctus.*
—— *Vespasiani.*
—— *Sudans.*
—— *Torquati.*
—— *Publicus.*
—— *Bivius.*
—— *Spei.*
—— *Gratiæ.*
—— *Mamertini.*
—— *Salutaris.*
—— LXXI *sine nomine.*
Balienum Torquati.
—— *Vetti Bolani.*
—— *Abascantiani.*
—— *Mamertini.*
—— *Mettiani.*
—— *Antiochiani.*
Thermæ Commodianæ.
—— *Severianæ.*
Arcus Drusianus.
—— *Veri Augusti.*
—— *Bifrons.*
Mutatorium Cæsaris.
Almo fluvius.
Ara Isidis.
E *Templum Serapidis.*
—— *Fortunæ viatorum.*
Vici IX.
Ædiculæ X.
Vicomagistri XXXVI.
Curatores II
Denunciatores II.
Insulæ IIIIMCCL.
Domus CXXI.
Balineæ privateæ LXXXII.
Pistrina XII.
Regio in anbitu continet
Pedes XIIIMCCCXXIII.

F Eadem in Publio Victore, secundum exemplar vetustius & vulgatius, ita describitur.

Regio Prima, Porta Capena.

Vicus & ædes Camœnarum.
—— *Drusiani.*

—— *Sulpici ulterioris.*
—— *Fortunæ obſequentis.*
—— *Sulpici citerioris.*
—— *Pulverarius.*
—— *Honoris & Virtutis.*
—— *Trium ararum.*
—— *Fabrici.*
Ædes Martis.
—— *Minervæ.*
—— *Tempeſtatis.*
Area Apollinis.
—— *Spei.*
—— *Thalli, ſive Galli, ſive Galliæ.*
—— *Pinaria.*
—— *Carſuræ.*
Lacus Promethei.
—— *Veſpaſiani, alias Vipſani.*
Balineum Vetti Bolani.
—— *Torquati.*
—— *Mamertini.*
—— *Abaſcantiani.*
—— *Antiochiani.*
Thermæ Severianæ.
—— *Commodianæ.*
Arcus Druſi.
—— *Divi Veri Parthici.*
—— *Trajani.*
Mutatorium Cæſaris.
Almo fluvius.
Vici IX.
Ædiculæ X.
Vicomagiſtri XXXVI.
Curatores II.
Denuntiatores.
Inſulæ IIIMCCL.
Domus CXXI.
Horrea XIV.
Balineæ privatæ LXXXII.
Lacus LXXXII.
Piſtrina XX.
Regio in ambitu continet
Pedes XIIMCLCXXII.

In Victore poſteriore Panvinii hæc præterea reperiuntur:

Area Iſidis Ælianæ.
Balineum Mettiani Secundiani.
Arcus Bifrons.
Ara Mercurii.
Ara Iſidis.
Templum Iſidis.
—— *Serapidis.*
—— *Fortunæ Viatorum.*
Et in ambitu regionis habet
Pedes XIIIMCCXXIII.
alias XIIMCCXXII.

Quæ forte Victori addita, ut ei cum Rufo omnino conveniret.

In Notitia Imperii utriuſque dignitatum ita deſcripta invenitur.

REGIO I.

Porta Capena continet Ædem Honoris & Virtutis, Camœnas, & Lacum Promethei, Balneum Torquati, & Veſpaſiani; Thermas Severianas, & Commodianas: Aream Apollinis, & Galli; Vicum Vitrarium, Aream Panariam, Mutatorium Cæſaris, Balneum Bolani, & Mamertini, Aream Carſuræ, Balneum Abaſcanti, & Antiochiani, Ædem Martis, & Minervæ, & Tempeſtatis, Flumen Almonis, Arcum D. Veri Parthici, & D. Trajani, & Druſi. Vici X. *Ædiculæ* X. *Vicomagiſtri* XLVIII. *Curatores* II. *Inſulæ tria millia* CCL. *Horrea* XIII. *Balnea* LXXXVI. *Lacus* LXXXIII. *Piſtrina* XX. *Continet pedes* XIIMCCXIX.

In Baſi Capitolina novem vici in hac regione recenſentur cùm quatuor vicomagiſtrorum nominibus per ſingulos vicos. Nos brevitatis gratia vicomagiſtrorum, qui hic nullius uſus, omiſſis nominibus vicos tantum annotabimus.

Vico Camœnarum.
—— *Druſiano.*
—— *Sulpici ulterioris.*
—— —— *citerioris.*
—— *Fortunæ obſequentis.*
—— *Pulverario.*
—— *Honoris & Virtutis.*
—— *Trium ararum.*
—— *Fabrici.*

Panvinius in regionibus ſuis præter ea, quæ hic exhibita, multa alia e veteribus ſcriptoribus, aut inſcriptionibus collecta adjungit: non quod ea omnia ætate Victoris & Feſti extiterint, utque ita deficientia ſuppleantur: verum quod tamen aliquando in hac vel illa regione fuerint, & ſi non in vetere ac ſuo proprio ambitu, ſaltem in proximo & vicino: ut ſic perfecta & abſoluta detur earum rerum omnium notitia, quæ in vetere unquam Roma fuerint. Cujus ego premens veſtigia ſubnectam illis eadem libertate, quidquid a me ad argumenti noſtri adferri poterit illuſtrationem.

Lucus Cuperius Hoſtiliani.
—— *Egeriæ.*
—— *Camœnarum.*
Templum Martis Extramuranei ad portam.
Ædes Martis, cui adjungit *Quirini.*
Ædicula Fortunæ obſequentis.
—— *Honoris.*
—— *Virtutis.*
—— *Rediculi.*
—— *Herculis.*
Lapis Manalis.
Circus Antonini Caracallæ cum Obeliſco.
Senaculum ad Portam Capenam.
Campus Rediculi.
Hori Terentiani.
Tabernæ Cædiciæ.
Sepulcra.
Corneliorum Scipionum.
Attiliorum Calatinorum.
Serviliorum.
Cæciliorum.
Horatiorum, &c.

Ego Panvinium ſecutus, eadem, uti dixi, qua ille uſus, libertate cum in hac, tum in ceteris regionibus a me obſervata ſubjiciam:

Compitum Fabricii.
Curiæ novæ.
Simulacra Luporum.
Pagus Camœnarum.
Sylva & Domus Nævii.
Sepulcrum Priſcillæ.
Ambulatio & Horti Craſſipedis.
Via Recta, vel Tecta.
Lavacrum Elagabali.
Retrices.
Fons Egeriæ, & Specus.
Sepulcrum Horatiæ.
Ædes Fortunæ muliebris.
Foſſæ Civiliæ.
Sepulchrum Theſſali Medici.
Horti Torquatian.
Decem Gemelli.
Aqua Mercurii.
Sepulchrum Baſilii.

Exacti hujus regionis limites vix ac difficulter indicari possunt, cum illic hodie nil nisi vineæ & prata cernantur. Verumtamen, qui restat, situs aliquam nobis præbere lucem queat. A porta S. *Sebastiani*, seu potius S. *Cæsarii* inchoando terminari videri possit ultra S. *Sebastiani*, ubi Circus iste est, quia ibi collis ille desinit, aliusque *Capitis bubuli* incipit: quod ad latera vero inclusus eodem colle videtur perrexisse, exclusa hinc parte *vallis Caffarellæ*, quæ olim hortis occupabatur, ut nunc pratis: inde planitie, quæ est versus S. *Pauli*, uti postea, ubi de rebus singularibus agetur, ulterius demonstrabimus.

CAP. II.

Templa, & quidquid porro ad portam Capenam intra vel extra urbem fuit, usque ad Aquataccio.

SItum & ambitum cujusque regionis adjutis eo, quod descripti nobis præferunt auctores, lumine, si non exacte, saltem quamproxime vero describere difficile forsitan non sit: verum ea cuncta, quæ ipsi adferunt, plenissime illustrare, impossibile existimo, quum eorum nec in veterum libris, nec in lapidibus, aliisve monumentis, aliqua, vel minima quandoque occurrat mentio. Sed nec fieri posse puto, ut tot veterum ædificiorum indicentur vestigia, situsve, tam in hac, quam in ceteris regionibus; quippe quæ cum tempore in vineas, prata, & hortos fuerint immutata. Quare cum nil certi de iis promitti possit, conjecturis, nonnumquam etiam perquam levibus, contentos nos esse oportebit. Statueram vero in initio, quo dilucidius singula constarent, ordinem mihi ab auctoribus nostris præscriptum servare, singulaque suis notare ac distinguere numeris: sed usu ipso vidi didicique, non posse perspicue sæpe de una absque alia differi, verum potius conjunctim de quibusdam agendum esse, quæ tamen in Victore & Rufo a se invicem longissime essent disjuncta. Quare satius mihi visum situm locorum, occasionemque sequi disputationis; supplentibus, quidquid ad faciliorem eorum faceret intellectum, distinctionemque, adscriptis margini notulis.

Vicus Fabricii in Rufo & Victore legitur: si vero Compita partes fuere vicorum, *Compitum* quoque *Fabricii* hic fuisse, si non certo affirmari, certe verisimiliter asseri potest, ut cap. primo hujus libri illud collocavi. Unde & *Curias novas* hic ad Portam Capenam fuisse intra mœnia nullus dubito.

Nobilissimum hujus regionis ædificium celebre illud fuit *templum Martis* extra muros; cujus magnam partem precibus S. Stephani Papæ, illuc, ut diis gentium sacra faceret, sub Valeriano adducti, corruisse, in ejus actis legimus: quam ab eodem Imperatore instauratam fuisse, pietas ejus, & fervor erga Deos suos, facile mihi persuaserit. Erat hoc non admodum procul a porta, & in ipso quasi ejus conspectu, uti ex Ovidio in Fastorum sexto discimus:

Lux eadem Marti festa est, quam prospicit ipsa
Appositum rectæ (al. tectæ) *Porta Capena viæ*.

Servius in I. Æneid. in via illud Appia collocat: *Duo*, inquiens, *ejus templa in urbe; unum Quirini intra urbem, quasi custodis, & tranquilli; alterum in via Appia extra urbem prope portam* &c.

Verum, præterquam quod & Ovidius in *via* illud *tecta*, vel *recta* situm velit, Livius quoque in alia illi, quam Appia via, locum assignare videtur lib. x. ubi de Cn. & Q. Ogulniis Ædilibus Curulibus ait: *Semitam saxo quadrato a Capena porta ad*

A *Martis ædem straverunt*: quæ semita ab Appia tam celebri via, & ab Appio Claudio censores ante annos xv. eodem Livio referente, munita, diversa videtur, præsertim quum hæc silicibus, semita vero illa saxis quadratis strata legatur. Certe via regia, amplissima, & viarum regina, semita dici non potuit, quæ angusta, & a via publica secreta, dimidia quasi platea est. Unde Martialis l. VII. ep. LX.

Et modo quæ fuerat semita, facta via est.

Sed ex ipso viæ Appiæ situ res dilucide explicari potest. Pocedit illa tam intra urbem inter ædem S. *Cæsarii*, & portam S. *Sebastiani*, quam extra illam inter portam & *Aquatuccia* instar angustæ vallis inter B duos arctos colliculos coarctata, qui ipsi a lateribus: in horum altero, sive ad sinistram is fuerit, sive ad dexteram, Templum exsurgere Martis debuit, quod, quia viæ Appiæ superimminebat, eidem ad latus fuisse dici potuit & vicinum; quum viciniores ipsi essent radices collis, in quibus eminebat: atque ita ad templum semita ducere debuit a via Appia diversa; *recta* inde dicta, quod ita ad lineam directa fuerit, ut porta Appia & Templum mutuo paterent prospectui, ut est apud Ovidium: vel *tecta*, ab eleganti aliqua porticu, qua semita illa tegebatur. Quod si autem Porta Capena ante Au- C relianum interius magis fuit, quam nunc est, quis scit, an non in summo Cœliolo, uti creditur, templum illud fuerit, in quo tam ingentia veteris alicujus structuræ nunc cernuntur fundamenta: Aurelianus vero illuc usque mœnia protulerit, ut hunc collem muris urbis includeret, ne tam nobile ac magnificum templum hostium injuriæ relinqueret obnoxium? Fortean & partem illam mœnium velut jam cœlesti tutelæ commissam Numinis hoc pacto inexpugnabilem se effecturum Imperator ille sibi persuasit. Sed hæc conjectura, seu vera, seu falsa, non admodum magni momenti est, nec illi multum patrocinaturus sum. Illud certioris fidei D est, Templum Martis extra portam hodiernam in illo fuisse colle, uti supra dixi. In vertice vero collis fuisse ex Actis S. Sixti constat, ut recte Martinellus observavit, qui cum sociis *ante templum in clivo Martis* capite plexus est. Clivi hujus duæ meminerunt inscriptiones apud Gruterum p. 152. quarum alterius fragmentum n. 6. exhibetur.

CLIVVM. MARTIS. PER. PVBLICA. . . . .
IN. PLANICIEM. REDEGERVNT.
S. P. Q. R.

Altera n. 7. hodie in *palatio Marchionis Nari* publicata, in vinea, quæ nunc *D. Tiberii Nari* est, inventa fuit proxime extra portam S. *Sebastiani* ad manum dextram exeuntibus:

E

SENATVS
POPVLVSQVE
ROMANVS
CLIVOM
MARTIS
PECVNIA PVBLICA
IN PLANITIAM
REDIGENDVM
CVRAVIT.

Unde colligi potest, extra illam portam, neque procul ab illa vinea templum Martis in ipso fuisse clivi vertice.

Existimat Fulvius, habetque sibi assentientem Panvinium, duo Martis extra portam Capenam F fuisse templa, quorum alterum ab illa quatuor M. passuum remotum fuerit, alterum vero portæ contiguum, cui Panvinius *Quirini* appellationem tribuit. Sed e quo veterum scriptorum hoc acceperint templum, necdum invenire potui. Certe Victor & Rufus unius tantum in hac regione templi Martis meminere; & de duobus a Servio supra

memoratis alterum Quirini intra urbem esse dicitur; nec utrum ad portam hanc fuerit, aut in hac regione, exprimitur. Tum vero de quo illud templo Martis accipiendum erit? utrum de aliquo templorum Quirini, vel sacrario Saliorum, quod in Palatino fuit, cujusque nomen Marti dedicatum; an vero de quo alio templo, incertum omnino mihi est, nec operæ pretium videtur alienæ hariolationis agere interpretem.

Fortean Panvinio scrupulum movit, quod in Festo & Victore *Ædes Martis* legatur, & non *templum*, quum hæc olim inter *ædem* & *templum* differentia fuerit, quod *templa* dicerentur augurio consecrata, quod in fundamentis eorum jaciendis captabatur: *Ædes* autem sine augurio, similive sollemnium rituum observatione exstruerentur. Quare præter illam duobus hisce scriptoribus recensitam *ædem Martis*, *templum Martis extramurani* huic adsignavit regioni. Verum quamvis hæc nominum differentia vetustissimis exacte fuerit observata temporibus, illud tamen constat, ab antiquis ea confusa postea fuisse vocabula, & promiscue *templa* & *ædes* ædificia sacra, deorum dedicata cultui, appellata. Quare & nos in posterum promiscue his usuros semel hic prædixisse sufficiet.

Arma in templo Martis a militibus, qui salvi domum rediissent, aut eorum saltem necessariis, suspendi solita, Propertius innuere videtur, elegia extrema tertia lib. IV; ubi ita Arethusa:

Armaque cum tulero portæ vicinæ Capenæ,
Subscribam salvo grata pulla viro.

Signum Martis in via Appia Livius lib. II. decad. III, agnoscit: ut & Julius Obsequens, quicap. XXXI: *Signum Martis Appia via ad simulacra luporum sudasse*, refert. Verum non hinc consequitur, ibidem cum signo templum quoque fuisse. Nam signa sæpe, & statuæ Dorum, sine templis tam in publicis, quam privatis locis poni, dedicarique solebant.

Simulacra vero *luporum*, quorum ibi fit mentio, loci alicujus in via Appia denominationem fuisse nimisquam perspicuum est, a veteri aliqua luporum sculptura, picturave derivatam: qui locus quis, aut ubi fuerit, nullo alio prælucente lumine conjectu difficile est.

Prope Martis templum *Lapis* fuit, *Manalis* dictus, qui nimia continuaque cœli siccitate sollemni religionis pompa per urbem deferri solitus; ut ita ab Jove pluvia impetraretur. Nec deerat umquam, uti observatum Gentiles jactitant, bonus optatusque eventus. Ita enim Festus in *Manalem*, & Nonius in *Trullum*.

Nec procul abfuit *Aqua Mercurii*, qua Mercatores, a. d. Eid. Majas, postquam Deo illi in templo sacra fecissent, urnas implebant, eaque domum in tabernas asportata, intincta lauru se, mercesque suas aspergebant; teste Ovidio V. Fastor.

Templa tibi posuere Patres spectantia Circum;
Idibus ex illo est hæc tibi festa dies.
Te, quicunque suas profitentur vendere merces,
Ture dato tribuas ut sibi lucra, rogant.
Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & urna
Purus suffusa, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda,
Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.
Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit, &c.

In Rufo legas: *Area Mercurii cum ara*. Forsitan hæc area aquam illam habuit: cui ab ara illa nomen, sicut & religio inde nata mercatorum. Sed

A & *ædes Mercurii* in hac regione a Rufo ac Victore recensetur: quod an ad hanc aquam fuerit, alibive, incertum. Vix tamen credibile est, eandem ibi tempore Ovidii fuisse, cum nullam ejus faciat mentionem, satis alias prolixe ritum aspersginis illius aquæ describens; sacraque a mercatoribus alio in templo, ut hac aqua rite fruerentur, facta memorans.

Ubi autem ædes illa præcise fuerit, haud liquido dixerim. Saltem non longe a porta abfuisse constat. Faunus asserit, ætate sua ad portam S. *Sebastiani* vestigia Castelli aquarum extitisse, unde aquæductus procedebat: & hic Aquam fuisse Mercurii B opinatur. Verum quod illud castellum ibidem amplius non exstet, certa inde peti conjectura non potest. Forsitan id unum ex iis fuerit, quod Aquæ Appiæ de majori ductu in privatos usus derivatæ inserviit.

Paulo extra portam *sepulcrum* fuit *Horatiæ* sororis trigeminorum fratrum, qui cum Curiatiis depugnavere. Livius in primo: *Princeps Horatius ibat tergemina spolia præ se gerens; cui soror virgo, quæ desponsata uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit* (est ante locum illum, quo postea porta Capena, quæ tunc sane nulla fuit, posita) C *cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Movit feroci juveni animum comploratio sororis in victoria sua, tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio simul verbis increpitans transfigit puellam: Abi hinc*, &c. & mox: *Horatiæ sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato*. Nec it hac in narratione Dionysius in diversa. Porro Horatiorum sepulcra, quæ Panvinius in hac regione collocat, in agro Albano fuisse constat, in quo pugnatum est. Livius: *Sepulcra exstant, quo quisque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Albam; tria Albana* D *Romam versus, sed distantia locis, & ut pugnatum est*. Quare in agro Romano sepulcra eorum collocare supervacaneum puto.

Plurima ad portam Capenam templa fuisse intra mœnia nonnulli ex epist. I. lib. IV. Ciceronis ad Att. colligunt; *Cum venissem*, inquit, *ad portam Capenam, gradus templorum ab infinita plebe completi erant*, &c. Sed ambiguus horum verborum sensus est. Nam tam extra mœnia effusam ad portam plebem in gradibus templorum considentem offendisse Cicero videri potest, quam in ipsa urbe, postquam portam introisset.

Sed extra, an intra mœnia templa illa fuerint, E parum refert: at, quænam illa fuerint, potius inquirendum. Duo illic fuere celeberrima, quorum alterum Honori, alterum Virtuti sacrum fuit, illud autem dedicatum a Marcello bello Gallico. Ita enim Livius l. VII. decad. III: *Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant: in quibus quod cum bello Gallico ad Clastidium Ædem Honori ac Virtuti vovisset, dedicatio ejus a Pontificibus impediebatur, quod negarent, unam cellam duobus recte dedicari: quia si de cœlo tacta aut prodigium aliquod in eo factum esset, difficilis procuratio foret, quod utri deo divina res fieret, sciri non posset. Neque enim duobus,* F *nisi certis deis, una hostia fieri. Ita addita Virtutis ædes approperato opere*. Hæc postea a Marcello filio dedicata fuit, ut est apud eundem Livium l. IX. ejusdem decadis. Eadem tradunt & Valerius Maximus claro operis initio, & Lactantius l. I. c. XX. Divin. Instit. Non igitur solius illic ædes Virtutis exstructa fuit, ut nonnemo male opinatur, verum priori duabus deabus istis destinatæ, & mox soli Honori dedicatæ, altera Virtutis addita est; quod & Symmachus epist. XIV. lib. I. testatur: *Bene*, inquit, *ac sapienter majores nostri, ut sunt alia ætatis illius, ædes*

Honori atque Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti, quod ante vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis. Unde liquet, utramque ædem conjunctim positam fuisse. In Rufo & Victore item legitur; *Vicus Honoris & Virtutis*: quem ab utraque æde illa, quibus proximus erat, nomen accepisse, nemini dubium esse potest. Marlianus in ea est opinione, utramque ædem illam in urbe intra mœnia fuisse: neque enim conveniens esse, ut tam præclarorum numinum templa extra urbem forent. Verum cum Dionysius in descriptione pompæ Transvectionis Equitum in honorem Castorum Eidibus Juliis duci solitæ, incepisse eam referat ab æde Martis extra urbem: Livius autem & Valerius Maximus eandem ab æde Honoris & Virtutis inchoari solitam tradant: jure inde colligi posse videtur, ædem illam extra urbem fuisse; quandoquidem pompa illa equitum speciem quandam intrantis urbem præ se ferebat triumphi. Exornata vero utraque hæc ædes a Marcello nepote statuis & inscriptione, ut ex Asconio discimus in Pisonem: *Idem cum statuas sibi, ac patri, itemque avo poneret in monumentis avi sui, ad Honoris & Virtutis decorem subscripsit: Hi sunt Marcelli novies Coss. Avus quinquies, Pater semel, Filius ter.* Instauravit ædes eas Vespasianus Imp. pictoribus in iis exornandis usus Cornelio Pino, & Attico Prisco, ut est apud Plin. extremo cap. x. lib. xxxv.

Hic & *Tempestatis ædes* a Metello erecta fuit, quam, cum ad Corsicam subjugandam profectus esset, vovit, ingenti jactatus tempestate, cum summo universi exercitus periculo. Sic Ovidius lib. vi. Fastor.

Te quoque Tempestas meritam delubra fatemur,
Cum pene est Corsis obruta classis aquis.

In ea vero hac in regione collocanda Rufus & Victor consentiunt, adnotantes hic, *Ædes Tempestatis*.

Multi quoque ad Portam Capenam *ædem & lucum Camœnarum* fuisse existimant, a Fulvio Nobiliore dedicata, diversa ab æde & luco earundem, a Numa aliquanto inde longius positis. Ego vero, Fulvium hic novum ædificasse Camœnarum templum in eadem regione, eademque via Appia, ubi vetus illud erat Numæ; vel etiam hoc instaurasse, atque jam collapsum restituisse, quibus probari certis possit argumentis, non video. Contra ex illa superius adducta Symmachi epistola unam tantum ædem fuisse Camœnarum sacro Egeriæ fonti vicinam, colligere mihi posse videor. Ille namque statim, postquam de Honoris ac Virtutis æde locutus esset, subjicit: *Sed enim propter eas Camœnarum religio sacro fonti advertitur; quia iter ad capessendos magistratus sæpe literis promovetur.*

Sunt & plures hic memoratæ a Rufo & Victore *Ædes*, ut *Minervæ*, *Mercurii*, *Apollinis*, *Isidis*, & *Spei*; de quibus, cum nil certi habeam, plura dicere supersedeo.

Quod hic Thermæ Severianæ ab auctoribus nostris memorentur, indicium atque argumentum satis validum est, hac in regione illas a Severo exstructas, non autem in Transtiberina, ut Blondus aliique credidere, porta & Jano Septimiano forte persuasi, de quibus, ut & de Thermis Spartianus in Severo ita loquitur: *Opera publica præcipua ejus exstant Septizonium, & Thermæ Severianæ: ejus denique etiam januæ in Transtiberina regione ad portam sui nominis, quarum forma intercidens statim usum publicum invidit.* Hic vero, Thermas illas in Transtiberina fuisse, verbum nullum est, quod arguat. E sequentibus autem satis patet, libenter illum in via Appia ædificasse ambitione quadam impulsum,

A ut Spartianus scribit, ut ex Africa advenientibus opera a se facta spectaculo essent: *Cum Septizonium faceret, nil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus opus suum occurreret.*

Fuere ibidem & *Commodianæ*: quarum quidem Lampridius in Commodo, & Cassiodorus in Chronico, in Consulatu Marcelli & Æliani, meminerunt, non tamen, ubi fuerint, indicant. Quod si & *Vicus Sulpitius* in eadem fuit regione, fuisse & *Lavacrum Elagabali* certum est: de quo Lampridius: *Et Lavacrum in Vico Sulpitio, quod Antoninus Severi filius cœperat*, &c.

B *Ambulationem Crassipedis*, quam aquæ autumnalis eluvio una cum plurimis hortis & tabernis disjecerat, Cicero ad Q. Fr. l. iii. epist. vii. in via Appia fuisse docet: *Romæ, & maxime Appia, ad Martis, mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata: horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ usque ad piscinam publicam.* Unde colligi possit, Ambulationem Crassipedis e viridibus, aut areis, aut simpliciter complanata, aggestave terra fuisse, quæ tam facile ab aqua ablata sit; nisi Columella l. i. c. vi. de re Rust. Ambulationes inter membra, seu partes villarum numeret. Quod si vero ædificii pars C fuit, certe haud adeo firmam, aut admodum magnam fuisse, ipsa Ciceronis verba arguere videntur: qui illam ad templum Martis sitam fuisse indicat. Fit & apud eundem mentio *Hortorum Crassipedis*. l. i. epist. ix. ad Famil. in quibus hanc etiam fuisse ambulationem, facile mihil persuaderi patiar: *Nam cum mihi*, inquit, *condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis*.

Senaculi, seu *Senatuli* meminit Victor in fine; in quo cum Festo consentit, qui quatuor Romæ fuisse senacula docet: quorum alterum ad *portam Capenam* collocat, tertium *circa ædem Bellonæ in Circo Flaminio*. Secundum hoc, uti veri dictat si- D militudo, prope templum Martis fuit, aut certe non longe ab eo remotum, forte & conjunctum, ut tertium Ædi Bellonæ; in quibus ædibus olim senatus dari solitus fuit triumphum petentibus, quum iis antea cum exercitu urbem intrare non liceret. Sic Seneca l. v. de Benef. c. xv. *Qui ne triumphaturi quidem introire urbem injussu senatus deberetis, quibusque exercitus victores reducentibus curia extra muros præberetur*: item legatis hostium, quos urbem intrare nolens senatus extra urbem admittere solebat. Hinc postea ædibus illis, quo vel commodior audiendi locus esset, vel plenior consessus majesta- E tis, adstructa illis atria conjecerim habendo senatui; eaque hæc fuisse, de quibus nunc agitur, senacula.

Arcus Drusi a Suetonio quoque, in Claudio c. i. memoratur; ubi de Druso agens, *Præterea*, inquit, *senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipsi, posterisque ejus*. Exstat hujus arcus effigies in numismate antiquo Claudii ab Ericio publicato.

Lacus Vespasiani in Rufo legitur. Forte fons aliquis hic fuit a Vespasiano hac in regione ædificatus. In Victore duplici nomine conspicitur, *Vespasiani, alias Vipsani*. Unde Merula non solum *lacum*, F sed & *porticum Vipsanii*, Agrippæ scilicet, ad portam Capenam fuisse conjicit; quam Martialis pluviam dicit: *Capena grandi porta qua pluit gutta*: Juvenalis vero, uti supra vidimus, *madidam*. Clare id sibi liquere putat ex his ejusdem Martialis l. iv. epigr. xviii:

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roscida templa subibat,
Decidit hyberno prægravis unda gelu.

Quum

Quum vero pergens ait, eandem porticum centum columnas habuisse, idque non minus ex alio liquere epigrammate Martialis, quod est XIX. lib. III.

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant pictæ qua platanona feræ.

mirifice hallucinatur: quum nemus hoc e platanis a Victore in regione huic nostræ vicina montis Aventini recenseatur: porticus autem illa celebris Vipsanii in Campo Martio fuerit, ut in regione nona ostendemus; ubi de his omnibus uberius disputabitur. Interim quod ad lacum hunc attinet, sive balineum, Vespasianum puto fontem hic aliquem exstruxisse: præsertim quum Vespasianus multa urbis loca instauraverit, atque exornaverit, & nominatim in hac regione ædes illas duas Honoris & Virtutis, teste Plinio l. XXXV. c. X. In actis Martyrum sæpe invenias eosdem a Tyrannis *pro tribunali* interrogatos *in via Appia in Palatio Vespasiani*. Quare præter fontem, aut balneum, aliud quoque illic fuisse a Vespasiano ædificium additum verisimile est, quod vulgus postea seculis posterioribus ad barbariem vergentibus *Palatium* appellaverit: ut illi solitum alibi docebimus.

CAP. III.

Reliqua ejusdem Regionis ultra Almonem fluvium, & incerti situs.

Dixi superius, extra portam *S. Sebastiani*, qua ad Almonem pergitur, duas Aventini & Cœlioli collium extremitates viæ imminere. Ultra istum rivulum alius collis incipit, sed leniter acclivis, qui inter *S. Sebastiani* ædem, & *Caput bubulum* desinit. Inter hosce tres colles, qua fluvius Almo, hodie *Aquataccio*, latiore spatio fruitur, magna planities est, quæ ad viam Ostiensem, & inde ad ripam Tiberis se exporrigens, & a porta *S. Pauli* ultra ejusdem Apostoli Basilicam excurrens, non tam vallem, quam spatia camporum aperta re & nomine nobis repræsentat. Ad sinistram alia se rursus planities aperit, quæ tota collibus cincta, & quadringentos admodum passus lata, secundum viam Appiam ultra mille passus in longitudinem procurrens, in pulcherrima, planaque & admirabili valle terminatur, cui nomen est *Caffarellæ*: ex qua Almo fluvius proxime viam Latinam exsilit, in prima scaturigine *Aqua Sancta* appellatus, quod, metallica cum sit, pecudum scabiei pellendæ sit utilissima: quæ isthuc eapropter sæpissime aguntur. Hic ego olim stagnum aliquod accipiendis animalibus, vel etiam hominibus fuisse puto: & hoc a Rufo *lacum sanctum* appellatum, quod nomen hodie in *aqua sancta* mutatum sit: nisi potius *lacus* ille *salutaris* fuit, Victori simul & Rufo memoratus. Rivus hic per longitudinem vallis illius decurrens, aliis sensim affluentibus aquis augetur, quæ in ea planitie, natura humidissima, ubique exsurgunt: inde ad sinistram inflexus viam Appiam transit, & mox Ostiensem: & non procul ab hac in Tiberim defluit. Hoc in fluvio in via Appia quotanis Cybeles imago a Gallis sacerdotibus lavari solebat. Unde in primo de bello Pharf. Lucanus:

Et lotam parvo revocant Almone Cybellem.

Crediturque a nonnullis olim *Aqua Accia*, sive *Attidis* dicta fuisse, qui adolescens a Cybele adamatus fuit; sed hæc etymologia nimis longe accersita est. Alii minus subtiles *Aquataccii* nomen ab aquarum illic stagnantium taciturnitate derivant, quæ ibidem ad molendini usus retentæ, & turbidæ restagnant nec vivo flumine decurrentes solitos rivulis susurros edunt.

A Hæc ego fusius enarranda censui, non tam ut illius fluvii cursus planior esset atque evidentior; sed ut *lucum*, ac *specum*, *fontemque Egeriæ* & *Camœnarum* exactius ob oculos ponerem, quæ hic olim fuisse ex Livio constat. Verba ejus libro primo sunt hæc: *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua: quo quia se persæpe Numa sine arbitris velut ad congressum deæ inferebat, Camœnis eum lucum sacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge sua Egeria essent; & soli Fidei solemne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi jussit, manuque dextra ad digitos usque involuta rem divinam facere, significantes* B *Fidem tutandam, sedemque ejus etiam in dextris sacratam esse*. Liquet ad hæc locum eundem, seu specum, quo Numa solus itare consueverat, remotiorem ab urbe fuisse: siquidem sacerdotes eo curru vehebantur, ut fidei sacra facerent. Verba vero, *ad id Sacrarium*, suspicionem movere queant templum, quod a Numa Fidei exstructum Dionysius in secundo scribit, sacrarium illud fuisse in eo luco: quamquam ego alibi fuisse verisimilius arbitror, sive in Palatino, sive in Capitolino. Sed hac de re liberam cuique existimationem relinquo: cum, quid conjici possit, indicasse sufficiat. C Refert de Numa Plutarchus in ejus vita, solitum eum a prima adolescentia usum urbis, atque frequentiam hominum fugere, in loca se abdita & sola recipientem, quæ plerumque Dis sacra habebantur: & hinc natam famam, opinionemque hominum, cum Egeria illum nympha consuesse. Specum porro istiusmodi, lucumque in valle fuisse, in quam extra portam Capenam descenderetur, Juvenalis sat. III. docet, qua amici sui Umbricii discessum ex urbe Cumas enarrat, cui ipse usque ad hanc Egeriæ vallem deductionis officium præstitit.

Sed dum tota domus rheda componitur una,
D *Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:*
Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat sylva Camœnis.
In vallem Egeriæ descendimus, & speluncas, &c.

En tibi a porta Capena descensum in vallem Egeriæ, quæ nulla alia esse potest, quam magna illa vallis *Caffarellæ*: in qua, quamvis undique e solo aquæ scaturiant, nulla tamen specus, aut fons ei conspicuus assignari potest, nisi sub vetustissima æde *S. Urbani*, quæ non longe a *S. Sebastiani* in E colle posita valli imminet. Hinc fons in altum exiliente & copiosa vena scaturiens, tametsi muro magnoque fornice clausa, per muri tamen dehiscentis rimas, unde nunc prorumpit, cavernas habere intus deprehenditur: agnoscunturque ornamenta illa, quæ Juvenalis eadem Satyra sua ætate jam veterem specus faciem mutavisse refert.

In vallem Egeriæ descendimus, & speluncas.
Dissimiles veris: quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet umbras
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?

Hodie *fons Caffarellæ* appellatur, habetque vicinum nemus populorum, unde lucus Camœnis a F Numa consecratus, fonsque & templum, ac sacrarium Fidei Livio memoratum sine dubio non procul abfuit. Hunc lucum sua ætate Judæis elocatum dolet poeta. Plutarchus autem in Numa prata fonte undique irrigua describens hodiernum ejus situm faciemque vivis veluti coloribus depingere videtur: *Præterea*, inquit, *opus esse Camœnis locum eum, & quæ circum locum prata sunt, sacrare, quo frequenter ad locum congressum veniant; fontem vero, qui locum rigat, sacrum virginibus Vestalibus constitue-*

re, quo inde aquam quotidie sumentes inundent, atque aspergant templi aditum.

Collis ille *S. Urbani*, qui ei imminet, multas habet veterum Sacellorum & ædificiorum reliquias; in quorum aliquo ædes *D. Sebastiani* exstructa videtur: legiturque in Passione S. Ceciliæ a Bosio allata, & in Actis S. Sophiæ, quæ manuscripta in Æde S. *Ceciliæ* asservantur, pagum ad viam Appiam fuisse tribus mill. passuum ab urbe distantem, in quo templa aliquot & altaria fuerint, Jovi, Saturno, Junoni, Veneri, & Dianæ sacrata: his autem propinquum fuisse locum, cui nomen fuerit *Trucidatorum*, quem occisorum fuisse Christianorum Bosius existimat. Hunc non alibi quam hic fuisse Martinellus credit, in Roma sua Investigata; & quantum ego judico, perquam recte. Describitur idem & in Actis S. Nemesiani his verbis: *Illum etiam securi percuti jusserunt in loco illo, qui est inter duas vias Appiam & Latinam, non longe ab urbe Roma.* Addo ego, Dionysium libro II. tradere, omnem agrum Romanum a Numa in pagos divisum; cuique vero pago suum præfectum magistratum fuisse. Horum vero aliquem, & forsan primum, maximumque, ab eo Sacro Egeriæ & Camœnarum numeri attributum, quis queat negare? Nam portam Capenam, cui antea *Camœnarum* portæ nomen fuisse Asconius docet, (cui & vetus interpres Juvenalis ad Sat. III. accedit, *ad Portam Capenam, id est, ad Camœnas*, explicans) a pago Camœnarum nomen illud mutuatum verosimile sane est, ad quem per illam portam exibatur: qui pagus dein frequentius habitatus, multisque auctus ædificiis, cum ceteris, qui extra illam portam ad viam Appiam fuere, in unum coaluit, Augustoque tandem dignus visus est, qui prima XIV. urbis regionum comprehenderetur.

Sed ut ad Camœnarum templum revertamur, statuam in ea æde Actii Poetæ fuisse ex Plinii lib. XXIV. cap. V. discimus: *Notatum*, inquit ille, *ab auctoribus, & L. Actium Poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset.* Hanc autem non in illa æde Numæ, sed in altera illa, quam Fulvius Nobilior ad ipsam Portam Musis dedicasse dicitur, positam fuisse nonnulli putant. Ego, quum nulla hic occurrat alia auctoritas affirmantium scriptorum, aliud a Fulvio Musis delubrum, Nemusve, Musis dedicatum novum, quum vetus restituisse videri possit, uniuscujusque arbitrio liberam hujusce rei existimationem relinquo.

Inter omnia hujus Pagi ædificia infinitis partibus excellit, notabilissimumque est, quod de Circo superest reliquum, inter ædem *S. Sebastiani*, & *Caput bubulum*, loco depressiore situm. Affirmat alicubi Fulvius Ursinus, sua ætate indicia etiamnum metarum exstitisse: nec multi anni sunt, cum in medio circo Obeliscus illic confractus jacuit, quem Papa Innocentius X. in foro *Navona* erexit, & splendidissimo fonte exornavit. Hunc Circum Caracallæ fuisse unanimis omnium sententia est, idque e solis numismatibus ejusdem Imperatoris a Fulvio citatis probatur: *ut in ejus*, inquit, *numismatibus tali forma conspicitur*. Exhibet unum ex his Ericius in dissertationibus; atque item Angelonius de Cæsaribus. Est, qui dicat, numismatis illius Circum Circi esse Maximi effigiem: verum recte observavit Angelonius, Circum Maximum Obeliscum majorem in medio spinæ habuisse: hunc autem eum habere in parte extrema; interque spinam & carceres amplius illi spatium esse. Dicitur hic in usum Prætorianorum exstructus, ut in eo se exercerent; quorum illic castra fuisse credidere; sed ingenti errore, uti Panvinius ostendit, & nos alibi docebimus. Adducit pro se Angelonius, fieri potuisse, ut Caracalla occasione Thermarum, aliorumque operum publicorum a se & patre illic factorum, adductus, castra in eam regionem e colle Viminali transtulerit: Diocletianus autem eadem propter suas a se exstructas Thermas in pristinam sedem reduxerit, auctoritate in hanc sententiam adductus Ligorii, qui numisma se vidisse dicit Caracallæ, cum castris in parte aversa: sed hujus inniti fidei perquam periculosum est. Ego ejus fuerim opinionis, Circum propter ludos illic aliquando fieri solitos exstructum fuisse; dein *Mutatorium Cæsaris* appellatum: vix enim mihi persuadere possum, tam præclarum ac notabile opus, atque structuram adeo conspicuam, tam a Victore, quam a Rufo, silentio fuisse prætermissam.

In hac quoque via Appia *Fanum Dei Rediculi* a Romanis ædificatum fuisse ad secundum ab urbe lapidem, ibique Hannibalem castra metatum, indeque tempestatibus revocatum, legimus. Puto ego illud in eo fuisse colliculo, qui cis ædem *S. Sebastiani* mœnibus urbis subjectus est. Ita Festus in sexto: *Rediculi Fanum extra portam Capenam Cornificius ait fuisse: qui Rediculus propterea appellatus est, quia accedens ad urbem Hannibal ex eo loco redierit quibusdam visis perterritus.*

Meminit porro *Fani Herculis, Campique Horatiorum* in via Appia Martialis lib. V. epigr. XCIII.

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiumque Martis Almo qua lavit ferrum;
Horatiorum qua viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum, &c.

Fanum hoc forsan *Ædicula Herculis* est a Panvinio hic recensita: qui epitheton *pusilli* templo potius quam statuæ Herculis adaptavit. *Campus Horatiorum* ille, in quo Horatii Curiatios vicere, ad flumen Almonem, portamque Capenam, non fuit, uti supra vidimus: adeoque Horatiorum Campus hic alius aliquis sit, necesse est; de quo nil habeo dicere. Plinius lib. X. c. XLIII. funus corvo cuidam factum commemorans, addit & hoc singulare; Campum, in quo templum fuit, ad dextram viæ Appiæ fuisse: *Funusque innumeris aliti celebratum exsequiis: constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum usque, qui constructus dextra viæ Appiæ ad secundum lapidem in Campo Rediculi appellato fuit.*

Balnei Abascantiani mentio expressa nulla exstat: verum si conjecturæ nonnihil dandum videbitur, *Abascantianum* cognomen more prisco a familia derivatum est Abascantia, significatque aliquem illius familiæ ab alio adoptatum, vel alia de causa isto cognomine designatum. In Notitia vero *Balneum Abascanti* positum est. Abascantii Liberti Augusti, Æditui que templi Neptuni in Circo Flaminio vetus meminit inscriptio, quam regione nona exhibiturus sum. Interim, ut propiora attingam, Statius lib. V. Sylvarum Abascantium quendam laudat, qui summa erga defunctam uxorem Priscillam pietate nobile ei monumentum via Appia ad flumen Almonem fecit.

Est locus ante urbem, qua primum nascitur ingens
Appia, quaque Italo genitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos jam non reminiscitur amnes.
Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta
Ardoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro.

Quum vero persæpe sepulchra in hortis, aliisque possessionibus propriis, facta fuerint, haud adeo absurdum fuerit conjicere, eundem Abascantium, aut alium aliquem ejus successorem, (fortean illum, ad quem Verus & Antoninus rescriptum

misere, *L. Libertus C. ser. pign. dato manum*) sive Abascantianum illum, ab alio adoptatum, Balneum aliquod publicum, vel insigne privatum, ibidem exstruxisse.

Addit hic Panvinius *Tabernas Cæditias*, de quibus ita Festus: *Cæditiæ Tabernæ in Appia a domini nomine sunt vocatæ*. Verum an hæ prope urbem fuerint, haud liquido dixerim.

Quod de *Balneo Antiochiani* dicam, nil habeo; nisi quod *Antiochianus* aliquis a Lampridio in Elagabalo dicatur Præfectus Prætorio fuisse illius Imperatoris: & a Guidone Pancirolo alius quidam adnotetur, ad quem rescriptum exstat Diocletiani, *L. secundus creditor C. de pignor.*

Balneum Vettii Bolani, istius forsan *Vettii* fuit *Bolani*, ut Pancirolus observat, cujus apud Tacitum mentio fit lib. XV. Annal. & in vita Agricolæ, Tribuni primum, dein Præfecti sub Nerone.

Aliud illud *Mamertini*, forte istius fuit *Mamertini*, qui sub Trajano Præfectus urbis S. Clementem in Chersonnesum Tauricam relegavit, ut in Actis istius Pontificis habetur: vel illius, qui, referente Ammiano, lib. XXI. & l. XXVI. sub Juliano Apostata Comes Largitionum fuit, & postea Consul: sub Valentiniano vero Præfectus Prætorio Italiæ & Africæ, atque Illyrici: cujus & Panegyricus eidem Juliano dictus inter veteres exstat Panegyricos.

Vicus trium ararum in Notitia *Vicus vitrarius* nominari videtur: quod ibi vel fornax fuerit vitraria: vel taberna, in qua vasa vitrea venderentur. Sed magis illis crediderim duobus descriptoribus, quibus & basis accedit Capitolina, quam Notitiæ Imperii, quæ hac in voce facile corrupta esse potest.

Lacui, & *Balineo Torquati*, quorum Victor & Rufus fecere mentionem, adjungi & *horti Torquati* poterunt: & prope hos locus *decem Gemelli* appellatus, a pictura forsan, vel sculptura aliqua. Fuisse hortos eos extra portam Capenam, ubi vetus Anio & Aquæ Augustæ ramus Viæ Appiæ jungebantur, Frontinus refert in primo de Aquæductibus. *Jungitur ei*, (loquitur de via Appia) *ad Anienem veterem in confinio hortorum Torquatianorum, Augustæ ramus milliaria in supplementum ejus addito cognomento decem Gemellorum*; & postpaullo: *Ejus ductus usque ad Gemellos*; & mox: *ad Gemellos intra spem veterem, ubi jungitur cum ramo Augustæ*. Sed de his postea, quum de aquis agemus, fusius differetur.

Ut hæc *vallis* olim *Egeriæ*, nunc *Caffarellæ* dicta, explanatius describatur, explicandum quoque videtur, quid *Retrices* fuerint: de quibus Festus l. XVIII. *Retrices, cum*, id est, *Retrices, retricum* (vel, ut alii habent codices, *Retricibus*) *ut ait Cato in ea, quam scribit, cum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum & tertium, qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam, atque Asinariam usque ad Latinam*. In his verbis apparent monstra. Viam namque Ardeatinam ad dextram viæ Appiæ fuisse constat, inter hanc & Ostiensem: Latina vero ab altero Appiæ latere fuit, nempe sinistro: sic ut Appia inter hasce media proxime hortos a Festo memoratos transierit, & eam, qua illi irrigabantur, aquam. Unde igitur factum, ut & Cato, & Festus, *Asinariæ*, & non Appiæ multo illa celebrioris, notiorisque, mentionem fecerint? Adhæc portam Asinariam superius ad *S. Joannis Lateranensis* fuisse diximus: unde viam Asinariam processisse qui negari queat, non video. Quomodo igitur ea inter Latinam & Ardeatinam esse umquam potuit, inter quas sola Appia fuit? Hunc nodum non aliter solvi posse censeo, quam locis iisdem accurate consideratis præsupponendo, faciendoque, Catonem & Festum non de viis agere, quæ recta linea sibi invicem adjunctæ procurrunt, verum quæ vel in initio, vel in fine se contingunt. Quod ut ad oculum demonstremus, sciendum, in conspectu portulæ, quam Asinariam esse diximus, sub vetere Lateranensi palatio vallem occurrere angustam, sed longiorem, quæ inter eminentias semper ferme plana ad via Latinam pertingit, eamque transiens eodem loci, unde Latina descendit, atque iterum assurgit, prata tandem intret *Caffarellæ*. Hinc forte loca pascua in Cœlium montem semet extenderunt, & via ac porta, ab asinis solis usurpatæ, dictæ fuerunt *Asinariæ*. Ceterum viam Ardeatinam multi intra urbem incepisse credunt, & ante ædem *S. Balbinæ* per portam quandam Aventini inter Ostiensem & Capenam exitum habuisse, in errorem hunc verbis male intellectis inducti Anastasii, qui D. Marcum Papam ecclesiam illius Divæ construxisse refert in *via Ardeatina*. Verum non animadverterunt illi, ecclesiam illam, una cum cœmeterio suo, in qua D. Marcus postea sepultus est, ab eodem Anastasio dici extra urbem fuisse: quod & cœmeterium, quod illic fuit, adstruere videtur. Ecclesia igitur S. *Balbinæ*, a S. Marco in via Ardeatina ædificata, diversa fuit ab ea, quæ nunc intra mœnia est. *Viæ* porro *Ardeatinæ* multa Martyrum Acta meminere, in quibus Cœmeterium S. *Calixti* (ubi hodie ecclesia S. *Sebastiani* est) nunc in via Ardeatina, nunc in Appia fuisse legitur: quod mihi certum indicium videtur, viam Ardeatinam non procul a S. *Sebastiani* ab Appia fuisse separatam, sicut hodieque ab illa alia quædam discedit, quæ a S. *Sebastiani* ad S. *Pauli* ducit: quem viæ ramum verisimile est intersecantem viam Appiam, pergentem inde a sinistris ad Pagum, qui isthic erat, sub. S. *Urbani* æde intrasse in magnam illam vallem; indeque forte ulterius vallem totam permeantem in commodum viatorum in ipsam viam Latinam pertendisse. His ita statutis, Ardeatinam viam ad S. *Sebastiani* ab Appia divertisse, inter secundum & tertium veterem lapidem, existimandum est, eo, quo Festus dicit, modo: Hortos vero ab aqua illa irrigatos non potuisse alibi esse, quam in planitie *Caffarellæ* ad viam Appiam, & initium viæ Ardeatinæ illi subjectæ: in cujus extremitate ad ima colliculorum, qui in summitate vallis inter Latinam & *Caput Bubulum* conspiciuntur, Aqua fluvii Almonis (forsan & aliæ nonnullæ scaturigines) ibidem tum collecta (sicut & hodieque e valle eadem, multo nunc quam olim elatius & expletius habente solum, profluit) marginibusque inclusa, irrigandis hortis illic existentibus inserviebat, dicta eapropter *inter lapidem esse secundum & tertium, supra viam Ardeatinam*. Hinc & *infra viam Ardeatinam* irrigati dicuntur horti vallis illius, qui fuere sub initium viæ Ardeatinæ, & sub viam Asinariam: subjungiturque *usque ad Latinam*: quia vallis minor lateralis, per quam via Asinaria transibat, (cujus situs hodieque plane conspicuus est) & ipsa hortos habere debuit, fruique aquæ istius irrigationibus, donec ab intersecante via Latina impediretur, finireturque.

Hac viarum dispositione iter quoque Belisarii, Neapoli Romam proficiscentis, illustratur; qui via Latina venisse dicitur, & per portam Asinariam urbem ingressus. E via namque Latina in Asinariam digressus erat; & hæc, per vallem istam minorem tectior, aptissima erat militibus, subito & ex improviso ad urbem accedere volentibus. Unde & per eandem portam Asinariam Isauri proditores Totilam in urbem introduxerunt. Quo autem hæc omnia liquidius intelligantur, tabulam hasce vias omnes complectentem legentium oculis subjicere visum fuit.



Quod ſi nonnihil ab urbe, & ab illo ambitu, ſeu gyro, diſcedere voluerimus, qui regionem hanc procul dubio extra portam Næviam complexus eſt, *ſylva* nobis & *domus Nævii* in oculos incurret, in qua nequam & perditi homines hærere, morarique ſolitos Feſtus docet: *Næviam ſylvam vocitatam extra urbem ad milliarium quartum, quod Nævii cujuſdam ibi domus fuiſſet: a quo nemora Nævia appellata etiam fuiſſe Verr ius ait, quam opprobrii loco ab antiquis objici ſolere, quod in ea morari adſueſſent perditi, & nequam homines, teſtis eſt Cato*, &c. E

Extra urbem quoque in via Latina ad quartum lapidem ſignum *Fortunæ muliebris* fuit, de qua Feſtus in ſexto: *Item via Latina ad milliarium* IIII. *ſignum Fortunæ muliebris nefas eſt attingi, niſi ab ea, quæ ſemel nupſit*. Præter illud *ædem* quoque ibidem *Fortunæ muliebris* fuiſſe Valerius Max. teſtatur l. v. c. III. *Fortunæ etiam muliebris ſimulacrum, quod eſt via Latina ad quartum milliarium, eo tempore cum æde ſua conſecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternæ preces repulerunt, non ſemel, ſed bis locutum conſtitit his pene verbis: rite me matronæ vidiſtis, rite dedicaſtis*. Qua de re plura Livius lib. II. Dionyſius l. VIII. & Plutarchus in Coriolano. F

Unde colligere poſſumus, non procul ab hoc loco Coriolanum caſtra metatum, quum Volſcos ad urbem occupandam duceret. Quin & aperte id ipſum Auctor de Viris Illuſtr. tradit in Coriolano: *Ibi templum Fortunæ muliebri conſtitutum eſt*: poteſtque eapropter hic ſubjici, *Foſſas Cluilias*, ſeu *Clœlias*, in quarum vicinia caſtra ſua Coriolanus ſtatuerat, paulo ulterius eadem via fuiſſe, de quibus ita Livius lib. II. *& ad foſſas Cluilias quinque ab urbe paſſuum millibus caſtris poſitis populatur inde agrum Romanum*, &c. Sic & Plutarchus in Coriolano: *Et ad Clœlias foſſas quadringentis ab urbe ſtadiis caſtra locavit*, &c. Ulterius aliquanto, nempe ad octavum milliarium, *Ædicula Herculis* fuit a Domitiano exſtructa, cujus ſtatua vultum illius repræſentabat Imperatoris. Ita Martialis epigrammate ſcribit LXV. & duobus ſequentibus lib. IX.

Sepulcra, ſeu monumenta, extra portam Capenam innumera fuere. Plurium Cicero meminit l. I. Tuſc. Qu. *An tu*, inquit, *egreſſus porta Capena cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum ſepulcra vides, miſeros putas illos?* Quorum quamquam multa nunc agnoſcuntur veſtigia, nullum tamen integrum oculis ſubjici poteſt, animove conſiderari, niſi illud Cæciliæ Metelli Cretici filiæ, uxoris Craſſi, cui nunc *Capiti Bubulo* nomen eſt; quod magnificentiſſime e quadrato lapide Tiburtino conſtructum forma rotunda in eximiam altitudinem exſurgit. Inſcriptum illi:

CAECILIAE. Q. CRETICI. F.
METELLAE. CRASSI.

Facile animadverſu eſt, poſteriore illud ævo in arcem commutatum, additis ejus culmini loricis, & caſtello cum eccleſia domibuſque, eidem ad la-

tus adstructo; cujus ambitus hodieque exstat, patente per medium transitu, & insculptis portæ insignibus Cajetanorum cum capite bubulo; unde etiam hoc, quod nunc obtinet, illi nomen. Exstructum forsan castellum illud infelicibus illis temporibus, queis familiis nobilium Romanorum in factiones divisis loca urbi proxima in tutelam partium muniri solita. Sic in vita Paschalis II. legitur, Corsorum familiam Ecclesiam occupasse S. *Pauli*, &c, quod illi adjunctum, castellum; indeque latrociniis atque excursibus infesta Romana habuisse suburbia. Ulterius aliquanto sepulcrum Q. Cæcilii fuit, in quod Pomponii Attici, nepotis ejus, illatos cineres fuisse Nepos in ejus vita refert.

Fuit & eadem via *Basili sepulcrum*, latrociniis infame. Sic Asconius in Milonianam: *Via Appia est prope urbem monumentum Basili: qui locus latrociniis fuit perquam... is.* (forte, *infamis*) item Cicero lib. VII. epist. IX. ad Att. *Quas L. Quintius familiaris meus quum ferret, ad bustum Basili vulneratus, & despoliatus est.* *Sepulcri* quoque *Thessali* cujusdam medici valdequam arrogantis Plinius meminit l. IX. cap. I. *Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentia, ingenioque, æstimari vel uno argumento abunde potest, cum monumento suo (quod est Appia via) jatronicen se inscripserit.*

Eadem etiam via *prædium* quoddam *Symmachus* habuit, non admodum amplum, sed egregiis ædibus exornatum. Sic enim ipse l. II. epist. LXXIX. *Suburbanum*, inquit, *prædium, quod viæ Appiæ adjacet, incolebam; cum mihi literas tuas in hoc missus exhibuit. Nostri rura, quæ loquimur, ubi magnas ædes in angustiis finibus collocavi.*

CAP. IV.

Domus, Insulæ, Lacus, & cetera, quæ in Rufo & Victore leguntur.

Domus in hac prima regione a Victore & Rufo memorantur CXXI. Insulæ IIIIMCCL. quæ numeri nimium insignis, sibique proportione minime respondens diversitas cupidinem mihi movit indangandi, explicandique, quid olim *domus*, *insulæ*que fuerint: unde & ceteris, quæ in sequentibus occurrent regionibus, plus affulgebit lucis. Festus lib. IX. *insulas* appellatas dicit illas domos, ædesve, quæ ab aliis distinctæ forent situ, locove publico, vel privato interveniente, ad insularum instar, quas mare vel flumen aliquod, undique circumfluit. Hinc Lipsius lib. XV. Annal. Taciti, ubi scriptor ille præscriptum ab Nerone, post incendium illud Romæ memorabile, ædificandi modum esse, atque rationem, tradit, jussumque, ut ædes *non communione parietum, sed propriis quæque muris ambirentur*, multo majorem Romæ postea insularum quam domuum fuisse numerum argumentatur; quod illas ita suis muris a se invicem distinctas *insulas* dicendas esse arbitretur, non autem *domus*: ante vero plures domus fuisse, quam insulas: idque libris linteis probat, in queis de incendio quodam hæc leguntur: *Insulæ duæ absumtæ solo tenus, & ædes quinque: ambustæ quatuor.* Verum, præterquam quod non omnes regiones Neronis principatu incendio deletæ, adeoque nec ad præscriptam methodum instauratæ sint; nec non, quod & ante illud incendium frequens insularum & domorum passim fiat mentio in Cicerone, Vitruvio, Suetonio, Tacito, & ceteris scriptoribus Romanis, unde diversa illas ædificiorum genera fuisse liquet, hoc scire pervelim, quomodo eas in Victore ac Rufo Lipsius accipiat. Domos enim conjunctas bis ab iis numeratas, semel inter insulas, tum dein inter domos, minime existimandum puto: nam duæ tresve istiusmodi domus conjunctæ, licet suis innixæ muris, non communibus, insulam & ipsæ faciebant, non secus ac singulæ ab aliis disjunctæ. Unde numerus contra exactam computandi urbis ædificia rationem perturbatus, confususque potius, quam accurate descriptus videretur, contra ipsorum scriptorum scopum atque institutum. An vero silentio præterisse dicendi sunt eas, quæ pluribus domibus constabant, insulas? Quod ego sane nullus affirmaverim: nam & hæ revera insulæ fuere, multoque verius, quam illæ singulares, magisque conspicuæ, ac notabiles. Adde, quod hoc modo ædificia inter se contigua maximam partem insulis singularum ædium minora esse debuerint, minusque insignia; contra quam cuncti veteres volunt, & inprimis Victor & Rufus; quibus domus multo majoris fuisse dignitatis ædificia traduntur, quam insulæ. Tum vero, minime credibile mihi accidit, imperium hoc, sive edictum Neronis (tanti sumptus, atque tam incommodum omni populo, damnosumque, depereunte singulis tanto situs ædium spatio; tum vero & visu deforme, præsertim in urbe infinita incolentium frequentia celeberrima) extremis quoque labentis imperii temporibus, exacte adeo observatum fuisse, ut conjunctarum domuum plus non esset MDCCLXXX. insulæ vero numerum absolverent IIIIMDCLXII. Suetonius hic a Tacito diversus c. XVI. in Nerone, *Formam*, ait, *ædificiorum urbis novam excogitavit, & , ut ante insulas ac domus porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur, easque sumtu suo exstruxit.* Ubi, præterquam quod tam domus, quam insulæ reædificatæ memorentur, perquam durum, imo & absurdum sit, fingere sibi porticus singulis insulis, e singulis domibus constantibus, interrupta semper serie adstructas.

Aliorum sententia est, *insulas* veteribus appellatas ædes, seu ædificia minora, *domus* autem majora, ac splendidiora, sic ut ea inter illas differentia fuerit, quæ nunc est inter privatorum tenuiorum ædes, & procerum, vel ditiorum palatia. Et hæc opinio propius mihi ad verum accedere videtur, magisque cum Rufi & Victoris mente convenire. Confirmatur ea his Suetonii c. XXXVIII. idem Neronis incendium commemorantis: *Tunc præter immensum numerum insularum*, (& ecce tantam hic copiam, seu numerum insularum jam ante incendium) *domus priscorum ducum arserunt hostilibus adhuc spoliis adornatæ*, (en tibi ædificia insulis magis conspicua, & splendidiora) *deorum ædes, & quidquid visendum, atque memorabile ex antiquitate duraverat.* Hic illa *præter immensum numerum insularum*, distinctionem aperte præ se ferunt ab iis, *quicquid visendum atque memorabile* &c. quibus & domus, & ædes deorum comprehenduntur.

Equidem & hoc amplius animadvertendum existimo, vestibula ante veterum domos fuisse, ut e Varrone liquet lib. VI. de L. L. & Servio in VI. Æneidos: quod spatium fuit inter viam publicam, & ipsum ædificium: unde sequitur, domos veterum non statim ipsas prospexisse vias, verum prominentibus utrimque cornibus mediam partem introrsus reductam habuisse, quod spatium inter portam ædium, & viam publicam, vestibulum occupavit. Exstat hujusce consuetudinis hodieque exemplum in *Palatio Columnensium*, ut & *domo Marganorum*, ac nonnullis aliis vetustioribus: & supersunt plurium etiam passim vestigia. Domunculæ

plebejæ vestibulum olim habere non potuerunt; quod id majorum semper domorum proprium fuerit; ut est apud Gellium l. XVI. cap. V. *Qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante januam relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset.* Id ipsum iisdem ferme verbis Macrobius tradit l. VI. Saturnal. c. VIII. Quare, etiamsi ædificia insularia tempore Neronis incepisse concesserimus, unde post *insulæ* nomen ad maximam privatorum ædificiorum partem fluxerit, quum tamen domorum deinde nomen paucis tantum tributum fuisse videamus, paucas illas ceteris multo augustiores, majoreque splendore ac magnificentia conspicuas fuisse, non sine ratione afferere posse videor.

Adhæc & illud animum advertendum puto, post incendium illud Neronianum non omnem quamvis exiguam domunculam ad insulæ formam fuisse iisdem spatii angustiis instauratam: id enim & urbem magis deformem reddidisset adspectu, & minus capacem ædificiorum. Non tamen negaverim, insulas multo potuisse fieri ampliores; unde & pluribus una familiis inservierit. Quod cum ex aliis etiam scriptoribus colligere est, tum præsertim e Juvenale sat. III. & e Martiale l. V. epigr. penultimo; apertius autem ex Ulpiano *l. solutum. §. solutam ff. pignor. act.* Sic ut facile fieri potuerit, ut domus pluribus habitatæ familiis *insulæ* dictæ fuerint, quippe quæ plures intra se domos non annexas sibi invicem, sed accumulatas haberent; quæ vero uni essent propriæ familiæ, adeoque illis alteris nobiliores, *domorum* nomen retinuerint: *Plane in eam duntaxat summam invecta mea & illata tenebuntur, in qua cœnaculum conduxi: non enim credibile est, hoc convenisse, ut ad universam pensionem insulæ frivola mea teneantur*, ut adductæ paulo ante legi Ulpianus subjungit: item *in l. Qui insulam ff. locati*, Alfenus ita loquitur: *Qui insulam* XXX. *conduxerat, singula cœnacula ita locaverat, ut* LX. *ex omnibus colligerentur*, &c. *Insulam Feliculæ*, quæ sola in omnibus Victoris ac Rufi regionibus nominatur, non alia ratione notabilem fuisse, quam cœnaculorum multitudine, postea suo ostendam loco. Credibile igitur est, privata illa ædificia olim quidem extrinsecus ampla & sublimia fuisse, illamque substructionis æqualitatem perquam decoram & magnificam oculis occurrisse: verum intrinsecus in complura minuta cœnacula, variasque familias divisa, valde incommoda fuisse, plenaque confusionis, atque molestiarum. Contra ea inæqualitas illa domuum, quæ nunc est, inter eminentia ditiorum & depressiora tenuiorum ædificia, extrinsecus plus spatii, & intrinsecus plus laxitatis, aliorumque exhibet commodorum. Sic ut *insula* instar alicujus magni fuerit ædificii, plures domunculas distinctim conjunctas quatuor muris undique ambientis, visumque fallentis. Non secus ac in bibliothecis solet, ubi si quis tenuiores libellos inter grandiores conspici velut horum dedignatus dehonestamentum, plures uno volumine compingi jubeat, majore quidem faciat æqualitatis lenocinio, sed ingenti commodioris usus detrimento, qui minora solet volumina comitari. Sed in his satis superque desudatum: quorum cuique liberum esto judicium, sive meam, sive Lipsianam sequi maluerit opinionem. Quinam *lacus* ille fuerint LXXXIII. minoris operæ est exponere. Solebant enim veteres omne aquæ perpetuæ receptaculum *lacum* appellare. Ita Varro lib. IV. & Ulpianus *l. unica ff. ut in flumine publico*, &c. nec de solis magnis id accipiebant receptaculis, verum & de quovis fonte, in quo labrum aliquod foret, quod aquam reciperet, contineretque. Sic Suetonius cap. XVIII. in Galba, *lacum* appellat, ubi jumenta adaquabantur: *Decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto.* Ad horum similitudinem *lacus* quoque dicti, in quos uvæ pressæ mustum emittebant. Martialis lib. I. epigr. XII.

Presserat hic madidos nobilis uva lacus.

& Tibullus l. I. el. I.

Præbeat ex pleno pinguia musta lacu.

apertius autem Varro lib. I. de Re rust. cap. LIV. & Columella lib. XII. cap. XXIX. Hos autem lacus LXXXIII. fontes fuisse, ita adornatos, ut receptacula seu labra haberent aquam ad usum populi continentia, diversos ab illis, qui exilientes tantum preberent aquas, ex hisce Plinii probari posit lib. XXXVI. cap. XV. *Agrippa in ædilitate sua adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis, atque emendatis, lacus* DCC. *fecit, præterea salientes* CV. *castella* CXXX. Nec dissentit Frontinus lib. II. de Aquæductibus. Præbent hujusce rei luculentum argumentum complures e plumbo tubuli, qui quotidie e terra eruuntur, non plane rotundi, sed in summo acutiores, in quibus aeris erat spiraculum: sic ut initio minime pleni aquam altius, quam ipsi forent lacus, ducerent: donec Agrippa præter lacus etiam fontes aquæ fecit salientis, quibus tubulorum omni ex parte æqualiter rotundorum usus magis convenit, cujusmodi & nunc ad fontes solent adhiberi.

Quid *areæ* fuerint, quales hic *Apollinis*, *Spei*, *Galli*, &c. referuntur, non abs re erit exponere. Præcipua ejus vocis significatio apud Varronem extat l. IV. *Ubi frumenta secta terantur, & arescant, areæ: propter harum similitudinem loca in urbe pura areæ.* Hinc JCtus *l. 24. ff. de verbor. sign.* ait: *Locus vero sine ædificio in urbe area.* Sic ut *areæ* sint, quæ vulgo fora appellantur. Joannes Savaro in notis ad Apollinarem Sidonium discrimen hoc inter *aream* & *vestibulum* esse dicit, quod *area* spatium sit ante ædes deorum, *vestibulum* vero ante domos privatorum. Quod si verum foret, non legeremus sane in Rufo & Victore, *area Galli*, *area Carsuræ*, *area Candidi*, &c. Nec aliter in Gellio l. IV. c. V. & l. XIII. c. XXII. legitur & *area fori*; lib. XX. c. I. *area Palatina* lib. II. c. X. sic & in Suetonio in Calig. cap. XXXIV. invenitur *area Capitolina*. Differentia, quæ inter illa fuit, melius me judice ex inscriptione vetere dignosci poterit, quam Wolffgangus Lazius lib. III. c. II. Commentarior. de Rep. Rom. publici juris fecit:

AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. N. FVFIDIO. N. F. PVLLIO. DVVMVIR. P. RVTILIO. CN. MANLIO. COS. OPERVM. LEX. II. LEX. PARIETI. FACIVNDO. IN. AREA. QVAE. EST. ANTE. AEDEM. SERAPIS. TRANS. VIAM. QVI. REDEMERIT. PRAEDES. DATO. PRAEDIAQVE. SVBSIGNATO. DVVMVIRUM. ARBITRATV. &c.

Area igitur ultra viam publicam extendebatur, & plures in illam viæ desinebant, sicut & nunc solet in fora publica. Contra *vestibulum*, ut supra ostendi, illud tantum spatium erat, quod inter viam & ipsam domum intercedebat, ab eadem tribus inclusum, terminatumque lateribus; forte aliquando & omnibus. Quoniam vero templa nulla, aut rarissima, ita erant ædificata, ut tribus illud, quod ante ipsa erat, spatium lateribus ambirent, ideo *areæ* ante templa fuisse, non autem *vestibula* dicuntur.

Quod si vero spatiosa loca vacua *areæ* fuere, quid, inquiet aliquis, discriminis inter *areas* & *fora* fuit? Facilis ad hæc responsio est. *Forum* spatium, seu locus erat negotiis destinatus, sive judicialibus, sive mercatoriis, aliisve, ut a Festo exponitur, in *forum*. *Areæ* igitur loca vacua fuere nullis dicata negotiis, aut judiciis, aut exercitiis aliis; sed *loca*, ut Varro ea vocat, *pura*: Cujusmodi hodieque plura visuntur inutilia, nullique alii rei, nisi ornamento inservientia templorum, palatiorumve.

Horrea frumentorum fuisse conditoria neminem fugit. Fuisse & aliarum rerum publica receptacula liquet ex *l.* 8. *C. de pignor. act. Cum igitur asseveres in horreis pignora deposita: consequens est, secundum jus perpetuum pignoribus debitori pereuntibus; si tamen in horreis, quibus & alii solebant publice uti, depositæ sint*, &c. Idem & ex Paulo constat *l. nam salutem §. effracturæ ff. de offic. præfect. vigil.* nec non e Labeone *l. cum in plures §. locantur ff. locat.* Horrea hæc ab Alexandro Imperatore facta Lampridius in ejus vita refert: *Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona hi, qui privatas custodias non haberent.*

XXXVI. *Vicomagistri* qui fuerint, Suetonius in Augusto docet: *Spatia*, inquit, *urbis in regiones, vicosque divisit: instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur. His magistri e plebe cujusque viciniæ electi*, &c. Quorum quum hic XXXVI. numerentur in vicis IX. certum est cuique vico quaternos præfectos fuisse. Horum fuit *ludos* celebrare *compitalitios*, ut ex Asconio in Pisonianam discimus: *Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant, prætextati.* habuere & lictores. ita Dio lib. LV. *Præpositique fuerunt vicis homines plebeii, qui vocabantur curatores; concessumque illis fuit, ut magistrali veste, & duobus lictoribus uterentur*. De duobus Curatoribus Capitolinus in Marco: *Dedit*, inquit, *curatoribus regionum ac viarum potestatem, ut vel punirent, vel ad Præfectum urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent:* Unde patet, etiam antea eos aliquam in vicis habuisse juris potestatem. De XIV. curatoribus hæc Lampridii in Severo verba sunt: *Fecit curatores XIV. sed consulares viros, quos audire negotia urbana cum præfecto urbi jussit: ita ut omnes, aut magna pars adessent, cum acta fierent.* Sed hi a XXIV. curatoribus ordinariis diversi fuere *Denuntiatores*, cuique istorum Curatorum inservientes. Forsan non dissimiles iis fuere mandatariis, qui hodiernis congregationibus apparent.

CAP. V.

Regio Secunda, dicta Cœlimontana.

SEquitur secunda regio, quæ intra mœnia prima a dextris erat, *Cœlimontana* appellata, quod tota ferme Cœlio monte contineretur. Hæc a Sexto Rufo ita describitur:

Regio Cœlimontium.

Templum Bacchi.
—— Fauni.
—— Divi Claudii.
Campus Martialis.
—— Fontinarum.
Macellum magnum.
Lupariæ.
Antrum Cyclopis.
Castra Peregrina.
Caput Africæ.
Arbor Sancta.
Domus Vitelliana.
—— Philippi.
Regia Tulli cum templo.
Mansiones Albanæ.
Mica Aurea.
Armamentarium.
Cœliolum.
Spolium Samarium.
Ludus Matutinus.
—— Gallicus.
Campus Cœlimontanus.
Thermæ publicæ.
Domus Parthorum Laterani.
Cobortes V. Vigilum.
Subura.
Vici VIII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Domus CXXIII.
Horrea XXIII.
Pistrina XXII.
Lacus fund. XI. *sine nomine.*
Balineæ privatæ XXII.
Regio in circuitu continet
Pedes XIIIMCC.

Descriptio P. Victoris hæc est:

Regio Secunda Cœlimontana.

Templum Claudii.
Macellum Magnum.
Campus Martialis.
Lupariæ in Subura.
Antrum Cyclopis.
Castra Peregrina.
Caput Africæ.
Arbor Sancta.
Domus Vectiliana, alias Vitelliana.
Regia Tulli Hostilii.
Templum, quod in curiam redegit ordine ab se aucto patribus minorum gentium.
Mansiones Albanæ.
Mica aurea.
Armamentarium.
Spolium Samarium.
Ludus Matutinus.
—— Gallicus.
Cobortes V. Vigilum.
Vici XII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIIM.
Domus CXXXIII.
Balineæ privatæ XX.
Pistrina XII.

Regio in ambitu continet
Pedes XIIMCC.

Recentior Victor plura habet, sed e Rufo, ut arbitror, extracta. Ea sunt

Templum Bacchi.
—— *Fauni.*
Domus Philippi.
Cœliolum.
Campus Cœlimontanus.
Domus Laterani.
Thermæ publicæ.
Vici memorantur XIII.
Vicomagistri XXIV.
Insulæ IIIIMCXVI. *alias* IIIM.
Domus CCXXXIII.
Horrea XXIV.
Balineæ privatæ LXXX.
Lacus LXV.
Pistrina XXIIII.
Ambitus pedem XIIIMCC. *alias* XIIMCC.

In Notitia Imperii Regio hæc ita disponitur:

REGIO II.

Cœlimontium continet Templum Claudii, Macellum Magnum, Luparios, Antrum Cyclopis, Cohortes vigilum, Castra peregrina, Caput Africæ, Arborem Sanctam, Domum Philippi, & Vectilianam, Ludum matutinum & Gallicum, Spoliarium Samarium, Armamentarium, Micam Auream, Vici VII. *Ædiculæ* VII. *Vicomagistri* XLVIII. *Curatores* II. *Insulæ tria millia* DC. *Domus* CXXIV. *Horrea* XIIII. *Balnea* XXXII. *Lacus* XLII. *Pistrina* XII. *continet pedes* XIIMCC.

In Panvinio hæc amplius invenias:

Mons Cœlius, alias Querquetulanus, alias Augustus.
Ceroliensis.
Luci duo.
Templum deæ Carnæ.
Ædiculæ VIII.
Dianæ in Cœliolo.
Minervæ Captæ.
Fortunæ Barbatæ.
Iseum Metellianum.
Minervium.
Statua equestris M. Antonini Imperatoris.
Domus septem Parthorum.
Cæsaris Dictatoris.
Ti. Claudii Centimali.
Junii Senatoris.
Stellæ Poetæ.
Ti. Claudii Clypti hymnologi.
Tetricorum.
Turris Mamilia.

Addo ego:

Tabernola.
Clivus Scauri.
Domus Veri.
Templum Jovis reducis.
Domus Symmachi Urbis Præfecti.
Domus Cyriacæ.

Quousque limites hujus se regionis extenderint, si non exactissime, certe proxime verum, mox edisseram. Interim ne velut in tenebris tentando minus liquido de iis disputem, majoris evidentiæ gratia nonnihil luminis præmittam. Fuit illa vel conjuncta, vel saltem vicina primæ: &, quamquam incertum est, utrum collis Portæ Latinæ olim Cœliolus fuerit, nihilominus, quoniam vetustissima urbis mœnia in ea fuere parte, Latina porta vel in ea regione fuit, vel ei vicinissima. Ab hac limitem illius regionis secundum muros ad *S. Joannis* portam, & aliquanto etiam ulterius pertendisse necessario sequitur, ubi intra urbis ambitum Cœlius cum colle *S. Crucis in Hierosolymis* confinis regionem hanc a quinta dividebat. Alterum ejus latus boreale quod attinet, via, quæ a *Porta majore* recta ducit ad SS. *Petri* & *Marcellini*, & *S. Clementis*, credita fortasse vetus Labicana, ab tertia illam regione separabat; sicut & hodieque colles illos duos disjungit. Verum quicquid in planitie illa fuit, ad hanc regionem pertinuit: siquidem veterem illic Suburam fuisse reperiemus. Non tamen versus Amphitheatrum Titi ultra, aut saltem non multum ultra *S. Clementis* procurrebat, cum caput Suburæ, quod isthic fuit, & Ceroliensis, nec non ipsum illud Amphitheatrum partes tertiæ fuerint regionis. Unde viam illam, qua nunc in Cœlium ad *Navicellam* itur, eandem esse verisimile est, qua olim per Tabernolam ascendebatur in Cœlium. Finiebatur illa planitie regionis tertiæ, & tramitem Cœlii secuta sub ædes SS. *Joannis* & *Pauli* in rupes illas flectebatur: sicut ad angulum ejus accedens rursus ad sinistram regyret versus S. *Gregorii*. Hic omne illud spatium, quod inter Cœlium & Palatinum montem fuit intermedium, quartæ regionis fuit; ut e flexu nimis angusto colligo, quem absque hoc ipsa ibi fecisset. Ab æde porro *S. Gregorii* ad mœnia usque Cœlimontana regio una cum ipso monte proxime portam Latinam progressa fuit: planitiem enim a piscina publica fuisse occupatam extra controversiam est.

CAP. VI.

Planities, quæ inter Cœlium & Exquilinum fuit.

Priusquam montem Cœlium escendamus, præcipui hujus regionis limites in ipsa planitie describendi videntur. In Rufo habuimus, *Subura*, & *Lupariæ*: & in Victore *Lupariæ in Subura*. Quare quin Subura vetus hac in regione fuerit, ne dubitandum quidem est: de qua licet nonnulla superius cap. IV. dixerim, hic tamen de ea fusius differendi, verumque exacte indagandi, opportunior, & omnino suus locus est. In suburana tribu Cœlium montem partem præcipuam occupasse Varro docet: rursus regionis Cœlimontii pars fuit vicus *Subura* appellatus juxta Festum & Victorem: quam si quis Suburam hodiernam esse contendit, non modo, ut Suburanam tribum a *S. Joannis Lateranensis*, & *S. Gregorii* æde ad *S. Luciæ in silicibus* transferre norit, necesse est, verum etiam Cœlimontanam regionem usque ad *D. Virginis in montibus*, atque etiam ulterius extendere. Quod fieri non posse res ipsa docet: ac primum, quod ad Suburanam tribum attinet, quoniam, uti de quatuor tribubus urbanis agens superius attigi, Palatina, & Exquilina cum radicibus utriusque istorum collium quammaxime sibi vicinis, ubi Templum Pacis est, & *Horti Pii*, inter se conjunctæ & conterminæ aditum, seu transitum negabant: sic ut, nisi quis sibi meatum quendam fingere voluerit subterraneum, numquam de Cœlio ad Pantanos, & inde in Suburam hodiernam transitus esse potuerit. Deinde, quatuordecim urbis regionum tertia, Isidis dicta & Serapidis, quartaque Templi Pacis plane conjunctæ majore adhuc illam evidentia

tia ultra Amphitheatrum Titi removebant. Regio hæc secunda de Cœlio monte in planitiem descendens contermina erat regioni Isidis & Serapidis, quæ supra Exquiliarum partem ab æde S. *Matthæi in Merulana* usque ad S. *Petri in vincula* e regione se illi objiciebat, & Amphitheatrum Titi complexa Cœlimontanam ultra illud redigebat. Eidem illi & cum quarta templi Pacis regione limites, quæ partem Palatii occupans, & Amphitheatrum Titi tantum non adradens, metam sudantem eidem Amphitheatro vicinissimam complectebatur, ut & arcum Titi. Qua igitur via, aut quo tramite, quæso, vel ponte, Cœlimontana ad Suburam pergere, & extendere se potuerit hodiernam, neque animo ego, neque cogitatione ulla capere me posse lubens confiteor.

Nihilominus asserere id conatur Donatus, doctisque & subtilibus sententiam suam tueri argumentis: quorum duo hæc præcipua sunt.

Prius a S. Gregorio petitum est, qui in tertio Dialogorum cap. xxx. ait: *Arrianorum ecclesia in regione urbis illa, quæ Subura dicitur, cum clausa usque ante triennium remansisset, placuit, ut in fide Catholica dedicari debuisset, quod factum est*, &c. & epist. xix. lib. iii. *Quia ergo ecclesia S. Agathæ sita in Subura, quæ spelunca aliquando fuit pravitatis hæreticæ, ad Catholicæ fidei culturam deo propitiante reducta est*, &c. Hæc autem S. Agathæ ecclesia in ea parte Quirinalis est, quæ Viminali sub *hortis Aldobrandinis* objacet.

Alterum epigrammate nono lib. x. nititur Martialis, ubi de domo Plinii junioris agens ait:

Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ,
Udi vertice lubricum theatri.

De hoc vero Orpheo, qui in excelso fonte ad theatri imaginem effricto pictus sculptusve fuit differens, in clivo illum S. *Luciæ in Silice* fuisse conjicit, olim *in Orphea* appellata: ecclesiamque S. *Laurentii in fonte*, qui inde haud procul abest, egregie huic fonti convenire existimat, quem Martialis in Subura collocavit.

Hinc Suburam veterem ab illo clivo S. *Luciæ in Silice* ad *Pantanos* extendit: inde ad Amphitheatrum Titi, ad forum Cæsaris, ad S. *Agathæ* in Quirinali, & consequenter etiam in partem non exiguam Viminalis.

Verum, præterquam quod his argumentis contraria superius a me allata non refelluntur, solvunturve, tam largum, quod ei tribuit, spatium nimis vastum est. Nam primo quidem quatuor fuere tribus urbanæ. Harum Exquilinam Varro Exquilias occupasse dicit: Collinam Quirinalem & Viminalem: Palatinæ pars præcipua fuit Palatium; sicut Suburanæ mons fuit Cœlius. Quomodo igitur fieri potuit, ut Subura partem occupaverit Exquilinæ, ubi nunc ædes S. *Luciæ in Silice* est; partemque Collinæ satis magnam, partem item collis Viminalis, atque etiam Quirinalis sinu quasi suo complexa, nomen tribus Suburanæ monti Cœlio a se disjunctissimo, remotissimoque dederit? Adhæc Subura vicus tantum simplex regionis Cœlimontanæ fuit, adeoque singulis ex illis xiv. regionibus, in quas Augustus urbem divisit, minor & contractior. At hoc pacto Subura totam regionem quartam templi Pacis velut absorpsisset; magnam item partem quintæ, quæ fuit Exquilina; partem etiam sextæ, quæ est *Alta semita*; partemque tertiæ Isidis & Serapidis: & sola Cœlimontana, in qua a Rufo & Victore ea collocatur, longe ab illa remota fuisset. Non invenietur ullus e vicis aliis, qui vel tertiam hujus amplitudinis partem occupaverit, nedum totam. Quis autem um-

A quam in quoquam veterum legit, quisve audacter affirmare ausit, Carinas, Ceroliensem, templum Pacis, Forum Nervæ, Forum Cæsaris, & sexcenta ædificia alia, quæ in illo tam amplo fuere spatio, diversisque in regionibus, ad Suburam pertinuisse? Sane rationem ego nullam idoneam excogitare possum, quæ viros duos tam diligentes quatuordecim urbis regionum descriptores movere potuerit, ut eam in secunda regione collocarint, ad quam non pertinuit, nulla quartæ facta mentione, cujus non extremum occupavit marginem, sed ipsum, ut ita loquar, sinum, imo universum veluti corpus. Tandem & hoc animadvertere vi-
B sum; si ea, ut a Rufo & Victore collocatur, corpus in secunda regione habuit, & caput in tertia, quæ in circuitu fuit Amphitheatri Titi, cetera sua membra ultra ipsum caput posita habere debuit: quod nemo, nisi qui monstrum quoddam nobis parturire voluerit, affirmet.

Ædem S. *Agathæ* in Quirinali illam esse, de qua D. Gregorius scribit, neminem statuere video: quæ cum & ipsa sit a Subura hodierna locorum intervallo disjunctissima, non modo id asserere velle vanum ac temerarium est, sed & suspicari. Martinellus in Roma sua sacra plusquam
C quadringentas numerat ecclesias, quarum nulla jam existat amplius, aut priscum nomen obtineat. Unde facile fieri potest, ut una ex his S. *Agathæ* in Subura sit; ut non necesse sit, aliam huc e Quirinali advocare. Sed quid impedit, quo minus aperte verum videamus? Idem Anastasius in prolixa illa donariorum recitatione, quæ Leo III. in ecclesias Romanas contulit, sæpius *Diaconiam S. Agathæ* absque ulla alia additione recenset; sæpius item *Monasterium* ponit, aut *Basilicam S. Agathæ supra Suburam*: aliquando etiam alia *oratoria S. Agathæ* nominat, sive ecclesias, ad hunc modum: *Et in diaconia S. Agathæ fecit ve-*
D *stem de stauraci*, &c. & postpaulo: *& in Monasterio S. Agathæ Martyris supra Suburam fecit vestem rubram*: item: *Immo & in diaconia S. Agathæ similiter fecit coronam ex argento*: & paucis post versibus: *Et in Monasterio B. Agathæ Martyris, quod ponitur supra Suburram, similiter fecit*, &c. mox: *Et in Monasterio S. Agathæ, quod ponitur in Monasterio apud Africi canistrum*, &c. iterum: *Simulque & in oratorio S. Agathæ, quod ponitur Tempuli, fecit canistrum similiter*: & paulo rursus inferius: *Immo vero & sarta tecta Basilicæ beatæ Agathæ Martyris, sitæ super Suburam, quæ præ nimia vetustate jam emarcuerant*, &c. mox iterum:
E *Porro in diaconia S. Agathæ Martyris fecit ipse sanctissimus Pontifex vestem*, &c. & in Gregorio IV. *Sed & in Monasterio S. Agathæ Martyris, quæ ponitur super Suburam, fecit vestem*, &c. Sane in Anastasio nomina *diaconiæ*, titulorum, *Monasteriorum*, *Oratoriorum* &c. accuratissime distincta animadvertuntur. Atqui quod monasterium fuit, non potuit simul esse diaconia; quod ad monachos officium, septem diaconorum proprium, nihil attineret. Tum vero diaconissarum monasteria, quæ priscis temporibus in ecclesia fuerunt, decretis Concilii secundi Aurelianensis A. DXXXIII. id est, CCLXIII.
F annis ante Leonem III. ab Ecclesia Latina prohibita fuere. Sic ut operam mihi ludere videantur, qui veterem S. *Agathæ Diaconiam*, quam illam esse, quæ nunc in Quirinali est, nemo negaverit, eandem esse, atque monasterium S. *Agathæ* in Subura, asserere conantur.

Ut & aliud adferam argumentum, quod veri similitudinem eorum, quæ dixi, confirmet, S. Gregorius, qui Indictione xii. in adducta epistola xix. lib. iii. Ecclesiæ S. *Agathæ* in Subura consecrationem reliquiis illuc S. Agathæ & S. Sebastiani im-

portatis factam, (quæ Ecclesia Arianorum fuerat) commemoravit, anno ferme uno ante, epist. LVIII. lib. II. indictione XI. Petro subdiacono Campaniæ scripsit, animo se consecrationem agitare ecclesiæ cujusdam Arriana antea hæresi contaminatæ, eodemque reliquias inferre velle S. Severini: *Quia igitur Ecclesiam positam juxta domum Merulanam regione tertia, quam superstitio Arriana diu detinuit, in honorem Sancti Severini cupimus consecrare, experientia tua reliquias Beati Severini summopere debita cum reverentia transmittat*, &c. Quam tamen Ecclesiam S. Severino consecraverit, minime constat: duas autem Arianas ecclesias uno eodemque ab ipso tempore fuisse consecratas minime vero simile est, neque quisquam, nisi audacius aliquanto, quam par est, affirmaverit. Nam Anastasius illud, velut rem singularem annotat, S. Gregorium Ecclesiam S. *Agathæ* consecrasse. Non igitur a vero diversum videtur, remotumve, eandem ecclesiam, quam S. *Severino* dedicare destinaverat, aliarum postea majoris dignitatis reliquiarum respectu, & occasione, aliquave alia de causa, S. Agathæ ab eo consecratam: quæ juxta domum Merulanam posita, id est prope S. *Matthæi* ædem *in Merulana*, recte *super Suburram* dici potuit, ut postea clarius ostendam.

Ansam mihi huic æquivocationi, disputationique dedisse videtur inscriptio operis Musivi antiqua, quæ in tribunali *Diaconiæ S. Agathæ* (teste oculari Baronio in notis ad Martyrologium Rom. a. d. v. Febr.) legebatur: FL. RICIMER V. I. MAGISTER VTRIVSQVE MILITIAE PATRICIVS ET EXCONS. ORD. PRO VOTO SVO ADORNAVIT. Verum unde quis Ricimerem Arianum fuisse arguat? Sidonius in Panegyrico, quem Anthemio dicit, Suevum eum fuisse prædicat: Sueviam vero cum ceteris Occidentis regionibus Valentiniano & Gratiano, Catholicis Principibus, attributam & subjectam, Catholicam fuisse opinandum est. Adhæc Ricimer plurium imperatorum Præfectus militiæ fuit, & sub Valentiniano III. in locum suffectus Aetii: gener præterea Anthemii Imperatoris maximam Italiæ partem rexit. Quare multo probabilius Catholicum eum fuisse existimare possumus, tametsi moribus barbarus, crudelis perfidusque fuit: sic ut, ecclesiam ab ipso exornatam Arianam fuisse, inde minime probari queat. Sed faciamus eam fuisse Arianam: Non tamen ea sola, vel unica fuit, nec illa *S. Agathæ* in Suburra. Vidimus jam ante, Herulorum tempore, quo Roma vere Arianismo infecta fuit, Catholicos de septem urbis regionibus quatuor tantum tenuisse, nempe primam, tertiam, sextam, & septimam; reliquas autem, & præcipue quartam, in qua *S. Agathæ Diaconia* fuit, omnino fuisse Arianas: & tamen ea, quam S. Gregorius aperuit, purgavitque, non illic fuit, sed *juxta domum Merulanam*. Faciamus & Ricimerem fuisse Arianum; S. Gregorius, cum ecclesiam illam purgaret, ut omnem veterem Arianismi speciem tolleret, eamque veluti renovaret, Musivo illam opere exornavit, ac picturis. Id enim e literis Hadriani Papæ cognitum, ubi ad Carolum M. de imaginibus agit. Erat autem istorum temporum mos pervulgatus, Ecclesiarum tribunalia opere exornare Musivo. Quod si igitur, qui ante nos proxime vixerunt, opus Musivum, & inscriptionem multo S. Gregorio antiquiorem in tribunali *Diaconiæ S. Agathæ* videre, non illa *S. Agathæ* ædes in Suburra fuit ab isto Pontifice Maximo renovata. Tum, quod eam a spurcitie liberare voluerint Ariana spirituali, & invisibili, eamque rursus visibili cohonestare pulchritudine & splendore; in præcipua au-

A tem, & maxime conspicua, ejus parte memoriam hominis heretici redintegratam cupierit ac reviviscentem omnium oculis ostentare, minime mihi inter se convenire videtur, verum omni potius verisimilitudini repugnare.

Orphea Martialis in Suburra hodierna fuisse, colligere velle e solis *S. Luciæ in Orfea* & *S. Laurentii in Fonte* nominibus, nimis mihi invalida videtur conjectura. Dein *S. Luciæ in Orfea* legitur *in Orthea*, quod nec Donatus negat; quo nomine locus sive ædificium cum intercolumniis denotatur, quale fuit Septizonium, quod ei vicinum fuit, ut postea videbimus. Quin &, si vera lectio est *in Orfea*, & aliqua inde statua Orphei illic fuisse colligitur, B in thermis illam Trajani fuisse, Titive, quæ istuc porrigebantur, minime mirum censeri debet. Tantus porro fontium Romæ numerus erat, ut a quo *S. Laurentii in fonte* ædes denominata fuerit, difficile conjectu sit. Et sicut *fontis* cujusdam in domo Stellæ in Suburra sitæ Martialis meminit lib. XII. epigr. III.

Vel, si malueris, prima gradiere Suburra,
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates,
Clarus Hyantheæ Stella potator aquæ.
C *Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,*
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.

ita & alium in ædibus Plinii fuisse dicere est, prope Suburram in Exquiliis, una cum Orphei statua. Non ideo tamen, ac tam levi de caussa, adeo præter omnem rationem, mutandus Suburræ situs est, atque magnitudo. Sed ut veritas magis eluceat, *S. Laurentii* ædes *in fonte* non inde nomen accepit, sed a fonte devoto, qui ibidem hodieque existit: in quo sanctus ille diaconus Lucillum, & alios in carcerem conjectos, baptismatis aqua tinxit: de quo plura Martinellus in Roma sacra c. VI. & libro singulari de eadem illa ecclesia. D Parum me movet, quod Notitia Imperii Suburram in quarta collocet regione, quum mihi Rufi & Victoris contrarium asserentium sufficiat auctoritas: quippe in qua notitia templum quoque Jovis Statoris contra illorum amborum fidem, & manifestissimam veritatem, eidem assignatur regioni. Adhæc tota illa descriptio nulla in re, aut perraro, a Victore abit in diversum, nisi ubi a veritate discedit, & in apertum labitur errorem.

Suburram veterem Panvinius inter Palatinum & Cœlium collocat, eo in spatio, quod a *S. Gregorii* æde usque ad Arcum extenditur Constantini: a E quo non possum non dissentire, quum illa Varronis & Festi intueor. Varronis verba sunt lib. IV. *A pago potius Sucusano dictam puto Sucusam; nunc scribitur tertia litera B. non C. Pagus Sucusanus, quod succurrit carinis.* Festi vero: *Suburanam tribum antea Sucusanam per C. appellabant ex nomine regionis: nam partem imam illam quoque tradunt fuisse Sucusam dictam. Verrius autem ait, se miratum esse, cur non a nomine pagi Sucusani, in quo milites exercebantur.* & paulo post: *Suburam Verrius alio libro a pago Sucusano dictam ait. Hoc vero maxime probat eorum auctoritate, qui ajunt ita appellatam, & regionem urbis & tribum, a stativo præsido, quod solitum sit succur-* F *rere Exquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabinis; indicioque esse, quod ea tribus per C literam, non per B scribitur.* Seu vera igitur, seu falsa hæc fuerit etymologia, quæ ab his adfertur, sufficerit nobis, *Sucusanum pagum*, unde nominis illius origo, proximum ei fuisse: hinc enim concludimus pagum Sucusanum in Exquiliis, quibus contra Gabinos succurrebat, antequam illas Servius muro complecteretur, urbique adjungeret, non amplius pagum postea fuisse, sed vicum; ideoque & a Rufo inter re-

gionis Exquilinæ vicos numerari. Hæc autem regio numquam ad Arcum usque pergit Constantini, neque ad Amphitheatrum Titi, nec ad *S. Clementis*; quod ea pars urbis in regione esset Isidis ac Serapidis: neque item extendebatur ad *SS. Petri* & *Marcellini* ædem: quia eousque, aut paulo etiam ulterius, Isidis & Serapidis regio exporrigebatur. Vicus igitur Sucusanus, qui in Exquilina fuit, erat inter ædem *SS. Petri* & *Marcellini*, & *portam Majorem*, ea via, quæ Labicana fuisse creditur; & per consequens Subura, cui inde nomen, quod ei conjuncta esset, inter *SS. Petri* & *Marcellini* ædem fuit, & Amphitheatrum Titi. Liquet hoc e Festo: *A stativo præsidio, quod solitum est succurrere Esquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabinis.* Nam perabsurde præsidium hoc istius pagi, quod auxilio Exquiliarum destinatum erat contra Gabinos, inter Palatinum & Cœlium dispositum fuisset, longe ab Esquiliis remotum, eaque urbis parte, quæ Gabios respiciebat. Contra ea locus inter *SS. Petri* & *Marcellini* ædem, *portam*que *Majorem* commodissimus erat, aptissimusque tutandis Exquiliis tum temporis nec dum mœnibus urbis inclusis, contra vim incursumque Gabinorum; cui ob viciniam ita expositæ erant, objectæque, ut, postquam jam muris comprehensæ fuere, præclarum illum ac magnificum ibidem in tutelam ejus aggerem exstruere Tarquinius necesse habuerit

Accedat huc & Juvenalis auctoritas, qui de Tiberino pisce Sat. v. ita scribit;

Aut glacie aspersus maculis Tiberinus, & ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.

Facile namque piscis ille per cloacam maximam, canalesque majores, qui in eam derivabantur, sub Suburam usque penetrare poterat inter Cœlium & Exquilias: sed quod inter Palatinum & Cœlium subire potuerit, via nulla commoda aptave inveniri potest, quæ id nobis persuadeat. Ceterum domus Plinii junioris, (quæ ut ipse testatur, in Exquiliis fuit; *Alloquitur Musam*, inquit de Martiali, *ut domum meam in Esquiliis quærat*: &, ut Martialis locus supra allatus indicat, Suburæ vicina) omnino locum inter Cœlium & Palatinum excludit, quo Exquiliæ minime pervenerunt.

Nec juvat, quod Varro *Suburam* dicat appellatam, *quod sub muro terreo Carinarum*: quia, ut postea docebimus, atque ipse Varro indicat, *cum Cœlio conjunctæ Carinæ*; *sed inter eas, quem locum Ceroliensem appellatum apparet*: & postpaullo: *Ceroliensis a Carinarum junctu dictus Carinæ*; nomen Carinarum etiam Cerolienſi commune fuit: qui locus olim fuit, ubi nunc est Amphitheatrum Titi: ad quod cum caput Suburæ pertingeret, facile pagus Sucusanus Carinis suppetias ferre potuit; nisi forte Subura veterum Carinarum pars fuit, priusquam nomen id obtineret: de quo postea latius.

Panvinius tandem verbis hisce Junii a Varrone allatis persuasus: *Subura Junius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe, cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur*: sub Palatio, vetere Romuli civitate, Suburam sitam fuisse credidit. Verum vetus Romuli urbs, sub qua Subura fuit, & pagus Sucusanus ad Exquiliarum tutelam, priusquam illæ a Servio muris includerentur, jam supra Cœlium extendebatur, eousque vel a Romulo, vel a Tullo Hostilio diu ante porrecta: unde Cœlius non ita, ut Exquiliæ, a Gabinis infestabatur. Quare murus terreus in Cœlio potius quam in Palatino fuisse videtur. Vicus enim Sucusanus pagus dici non potuisset, si inter duos montes a tempore Romuli, aut Tulli, communi muro inclusus fuisset: siquidem mediam urbis ita occupasset partem; cum contra ea Exquiliæ hostibus expositæ alio indigerent pago, alioque præsidio, quod vim hostium arceret, propelleretque.

Adhuc non parum Plutarchi convenire verba videntur, qui in Problematibus de capite equi Marti oblato differens, *De capite vero*, inquit, *inter se decertant alii de sacra via descendentes, alii de Suburra adversus eos impetum facientes*, &c. Unde liquet partem hinc, partem inde, ex oppositis sibi viis decertaturos occurrisse. Id ipsum clarius adhuc a Festo enarratur lib. xvi. *October equus appellatur, quia in Campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti bigarum victricum dexterior: de cujus capite non levis contentio solebat esse inter Suburanenses & Sacravienses, ut hi in Regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam figerent.* Unde facile divinari potest, sicut Regia, cujus parieti caput equi affigi solebat, in sacra via fuit, ita & turrim Mamiliam in Subura fuisse. Quæriturne aliud adhuc firmius argumentum? Ecclesia, *SS. Petri* & *Marcellini de Subura* in Baronio legitur ad annum DCCXCV. num. XXIX. & in libro Anniversariorum Sanctissimi Salvatoris Lateranensis Martinellus corrupte *de Secura* legi refert. Et erit adhuc quisquam, qui eam diversam a *SS. Petri* & *Marcellini* æde dicat, quæ etiamnunc ad *S. Joannis Lateranensis* durat? sed quo quæso singulari indicio? aut quare? ideone, ut inter sexcentas absurditates *S. Agathæ* ædes in *monte Bagnanapoli* non esse diversa probetur a *S. Agathæ* in Subura veteri ecclesia: quæ nec in ipsa hodierna Subura est, & adhæc ab Anastasio diversa ab illa esse indicatur.

Tandem non adeo mirum accidere cuiquam debet, nobilem adeo vicum veterem locum mutasse, & in alium tam remotum nomen transtulisse, ubi innumeras illas calamitates & incursiones, quibuscum Roma postea conflictata est, consideraverit; præsertim vero, ubi ad animum revocarit, tempore Gregorii VII. quum Roberti Guiscardi exercitus urbem ad suppetias illi ferendas intravit, quidquid inter Capitolium & Lateranensem basilicam interjectum fuit ædificiorum, id omne dirutum destructumque fuisse, coactosque veteris Suburæ incolas in alteram Exquiliarum convallem refugere, novo huic suo receptaculo destructæ Suburæ imposuisse nomen. Sic & quidam *Burgi vicus* & olim, & nunc *Saxei* nomen obtinuit, quod ibi Saxones habitarint: & vicus olim Tuscus id nominis a Tuscis sortitus est habitatoribus, qui de monte Cœlio, quem prius incolebant, in eam fuere planitiem traducti.

In Subura *Lupariæ* fuerunt, sive lupanaria: quod præter Rufum & Victorem, qui eas hic collocant, sexcentis possit veterum poetarum probari testimoniis; inprimis Horatii Epodon carm. v. itemque ejus scholiastæ veteris, Propertii Eleg. VII. lib. IV. Martialis pluribus locis, &c.

Erat *Subura* una e cultissimis & celeberrimis urbis partibus. Unde Juvenalis Sat. III. Umbricium ita loquentem inducit: *Ego vel Prochytam præpono Suburræ*. Quare, uti in locis amœnis & frequentibus solet, meretricum illic magna fuit copia.

Erat ibidem rerum quoque venalium assiduus mercatus, seu *forum*. Liquet hoc e Martiali l. VII. epigr. XXX. & l. X. epigr. XCII. Unde huc sub crepusculum vespertinum res furto ablatæ venum deferri solitæ; uti nos Acron & Pophyrius Horatii Scholiastæ docent ad Sat. VIII. l. I.

Meminit *tabernæ flagellorum* in capite istius vici Martialis l. II. epigr. XVII. ut & tonstricis:

Tonstrix Suburæ faucibus sedet primis.
Cruenta pendent qua flagella tortorum.

In Subura *Cæsaris* aliquando *domus* fuit, teste Suetonio cap. XLVI. *Habitavit primo in Subura modicis ædibus*.

Tota igitur illa planities inter Cœlium & Exquilinum a SS. *Petri* & *Marcellini* æde usque ad Amphitheatrum Titi *Suburà* appellata fuit, regioni secundæ Cœlimontanæ attributa: ita tamen, ut extremitas ejus ad Amphitheatrum ad regionem Isidis & Serapidis pertinuerit, uti postea dicetur. Quare Sextus Rufus *Suburæ* illic *caput* recenset, cui consona illa Victoris, *Caput Suburæ*.

Quod ad *Caput Africæ* attinet, uti in Rufo & Victore legitur, corruptum ego utriusque textum hic existimo, emendandumque, *Caput Africi*, nempe vici *Africi*: quem Varro in Exquiliis collocat, ut in quinta regione ostensurus sum. Adjuvat hic me Anastasius, qui in Leone III. *Et in Monasterio*, inquit, *Sanctæ Agatæ, quod ponitur in Monasterio apud Africi*, &c. cujus plenus sensus est, *apud Caput Africi*. Unde vicus hic non longe a S. *Matthæi* abesse potuit *in Merulana*. Addit & aliquantum lucis Constitutio Paschalis II. *quanto Lateranensis*, ubi inter cetera loca *Parœciæ S. Joannis Lateranensis* confinia etiam hoc legitur: *Supra ecclesiam SS. Marcellini & Petri, usque ad ecclesiam S. Bartholomæi de capite Merulanei*.

Verum etiam nonnihil de *Tabernola* dicendi tempus est, quæ in hac regione fuit. Et hanc scriptores aliqui amplam fuisse regionem credidere, quæ a S. *Eusebii* ecclesia ad S. *Joannis Lateranensis* procurrerit: quum revera nil aliud quam vicus fuerit ceteris magnitudine non dispar. Nec alius illius opinionis fundus, quam Varronis verba. quæ si recte expendantur, locique divisim sparsi inter se connectantur, conferanturque, facile quid *Tabernola* fuerit, indicabunt. Varro namque inter Suburranæ regionis Sacraria etiam hoc adfert: *Ceroliensis quarticepsos circa Minervium: qua in Cœlium montem itur, in Tabernola est*: deinde inter ea, quæ in Exquiliis fuere, refert: *Oppius mons* (pars Exquiliarum) *terticepsos lucum Esquilinum, dexterior via in Tabernola est*. Unde colligitur, si via, qua e Ceroliensi in Cœlium ascendebatur, in Tabernola fuit; altera vero, qua ex eodem Ceroliensi in Esquilias ad lucum Esquilinum ibatur, itidem in Tabernola fuit, necessario consequi, illam unam viam fuisse, vel vicum, vel compitum, vel angiportum inter Ceroliensem & primas Suburræ fauces, cujus unum caput in Cœlium duxerit, alterum in Exquilias. Ascensus ille in Cœlium facile in hodierno clivo agnoscitur, quo ab Amphitheatro Titi in Ecclesiam *Navicellæ* itur, ut & ad S. *Stephani in Rotundo*, & loca alia. Ad sinistram clivum alterum fuisse credibile est, qui in Esquilias ducebat: concludendumque Tabernolam in planitie illa inter Amphitheatrum Titi, & Ecclesiam S. *Clementis*, Suburæ caput, incidisse, ubi Martialis flagella ad cædendos servos venalia fuisse ait. Et quis negabit, quæso, Tabernolam ab hisce tabernulis olim suum esse nomen mutuatam? Sed nec ego negarim verum esse, in principio illam Suburæ partem regionis potius tertiæ quam secundæ fuisse: verum ubi clivum montis Cœlii attingebat, necessario secundæ esse debuit. Quod ut clarius liqueat, nonnihil illius in descripta regionis quartæ forma delineaturus sum.

A Varro etiam *Minervii* illic mentionem facit. *Ceroliensis quarticepsos circa Minervium*, quod nil aliud nisi Minervæ Sacellum esse potuit: fuitque eodem indice ad Ceroliensem versus montem Cœlium. Describitur hoc egregie ab Ovidio lib. III. Fastor.

Cœlius ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via est,
Parva licet videas Capitæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio causa est: capitale vocamus
Ingenium solers: ingeniosa Dea est.

En tibi *Minervæ Capitæ* ædiculam, i. e. ingeniosæ, B in amœno Cœlii montis descensu extremo: quam eandem esse ac *Minervium* Varronis nullus dubito, licet ea Panvinius veluti diversa distinguat.

C A P. VII.

Cœlius & Cœliolus, cum rebus aliis incerti omnino situs.

TOta reliqua regionis pars in Cœlio est & Cœ- C liolo. Mons ipse in longitudinem porrectus & angustus, ubi Palatinum respicit, per leniter acclivem clivum in duas partes dividitur. Clivus autem hic vetustis etiam temporibus illic fuit, *Scauri clivus* appellatus, ut e lib. VII. epist. XIII. S Gregorii discimus: *Abbatem Monasterii S. Andreæ Apostoli positi in hac urbe in Clivo Scauri*. Ecclesia ab eodem divo in domo paterna exædificata etiamnunc exstat conjuncta ædi S. *Gregorii* ad illius clivi latus. Unde hic & situm domus vetustæ Aniciorum familiæ, unde Pontifex ille oriundus fuit, cognoscere licet.

D Ubi nunc *Ecclesia SS. Joannis* & *Pauli* est, *Curiam* olim fuisse *Hostiliam* secundam, ab Hostilio traductis in urbem Albanis exstructam, Blondus opinatur; cui & alii assentiuntur: at quo auctore, quove indicio, juxta me nescire fateor cum ignarissimis. Acta vero illorum Martyrum domum illic eorum fuisse testantur, in qua ex mandato impii Apostatæ Juliani Imperatoris interemti sunt. Prope Ecclesiam illam pulchrum antiqui operis fragmentum visitur, arcusque ex lapide Tiburtino, quibus turris postea inædificata est. Verum ex his antiquitatis tam tenuibus & obscuris reliquiis nil certi erui, quodve olim ædificium fuerit, colligi E potest.

Mansiones Albanas Rufo, Victorique memoratas, Antiquarii illic fuisse existimant, ubi nunc *Ecclesia Navicellæ* est, & antea S. *Mariæ in Dominica*: sed nullam adferunt, qua nitantur, rationem. Ceterum cognomen illud *in Dominica*, quod Ecclesiæ illi adhæsit, multi derivare conantur a S. *Cyriaca* matrona, ob significationis affinitatem, quasi *in Kyriaca*. Domum namque illius in eo monte fuisse Acta S. Laurentii perhibent: cui & nonnihil ponderis addit, quod ecclesia illa sedes quondam Cardinalis Archidiaconi fuerit, sicut olim Archidiaconi S. Laurentii. Contra ea Panvinius castra illic militum F fuisse peregrinorum credit, a Rufo & Victore recensita; duabus persuasus inscriptionibus in area illius templi inventis, quas hic subjicere visum:

I.

VOTIS X. ANNALIB. FELICITER.

PRO. SALVTE. ET. REDITV. D. N. IMP. CAESARIS
- - - - - - - - - - PIO. FELICI
INVICTO. AVG. DOMITIVS. BASSVS. 7. PR. AGENS
VICE. PRINCIPIS. PEREGRINORVM. TEMPLVM. IOVIS. REDVCIS. C. P. ROMANI
CVLTV. DE. SVO. ORNAVIT.

VOTIS XX. ANNALIB. FELICITER.

COCCEIVS
PATRVINVS
PRINC.
PEREGRI
NORVM.

Quæ, quamvis eo translatæ fuisse videri queant, quum tamen duæ sint, satis validum indicium facere videntur, erectionis suæ locum, adeoque *castra peregrina*, aut isthic loci fuisse, aut saltem in proximo: ubi etiam *Jovis Reducis* templum fuisse prior docet inscriptio, idque a Domitio Basso exornatum, a Peregrinis vero constructum; qui numen illud ibidem colere solebant, & felicem in patriam reditum rogitare. Quare, ubi revera *Mansiones Albanæ* fuerint, incertum est. Interim tamen animum advertendum est, quod erudite Donatus observavit, *Mansiones* illas non esse antiqua domicilia Albanorum, quæ ipsis Tullus attribuit, cum eos Alba longa in eum montem traduceret, qui vix totus tantæ multitudini sufficere potuit: verum stativa militum illorum, qui ordinarium in monte Albano præsidium agitantes, per partes nonnunquam Romam solebant evocari.

Castra, de quibus paulo ante, *Peregrina* eorum fuisse militum censentur, qui de classe Misenatium erant, ab Augusto ad Misenum disposita promontorium: sicut in Transtiberina regione altera erant castra classiariorum Ravennatium. Verum Misenatium castra Victor in regione tertia collocat: dein cur Peregrini, & non Misenenses appellati, sicut Ravennates Transtiberinæ regionis, & Misenates tertiæ; Prætoriani, Albani, & ceteri? aut cur bina Misenatium castra? Succurritur hic a Victore novello, ubi vox *vetera* in tertia additur regione: sicut & in Rufo quoque numerus additus II. ac si Misenatium bina in urbe castra fuissent, vetera in Exquiliis, & nova cum *Peregrinorum* nomine in Cœlio: quæ res mihi manifestum figmenti videtur argumentum. Peregrinos autem milites in auxilium Romanorum stipendio conductos Castra Romæ habuisse, perquam verosimile est. Ita Suetonius in Caligula c. LVIII. & Flavius Josephus lib. XIX. Antiq. Jud. militum meminere Germanorum, qui ordinarii corporis istius Imperatoris fuerint custodes. Ut nil de militibus Illyricis dicam, vel Germanis, qui, quum Galba interimeretur, casu tunc Romæ erant: ut Tacitus tradit lib. I. Histor. Quid? nonne circa ultima Imperii tempora, quum Constantinus milites Prætorianos abrogasset, Imperiale Palatium ab septem Armenorum Scholis custoditum fuit? Consulatur de his Suidas in σχολάρια. Sic & Pancirollus auctore Dione l. LV. Augustum in urbe custodiam equitum Batavorum habuisse probat; quibus, aliisve militibus peregrinis, si non Augustus certa in Cœlio castra attribuit, certe aliquis id fecit successorum: adeo ut statuendum videatur, vel custodiis corporis Cæsarei peregrinis, vel militibus aliis exterarum gentium, qui, dum huc illuc transferrentur exercitus, in urbem veniebant, sua aliquando castra fuisse assignata. In his Chonodomarius Germanorum Rex a Juliano Apostata captus diem suum obiit, teste Ammiano l. XVI. *Ductus ad Comitatum Imperatoris, missusque exinde Romam, in Castris Peregrinis, quæ in monte sunt Cœlio, morbo veterni consumtus est.*

Ecclesiam S. Stephani rotundam, quam ei a Simplicio I. dedicatam Anastasius refert, permulti *templum Fauni* fuisse opinati sunt; se nescio quibus argumentis, sive conjecturis. Blondus sua ætate ecclesiam splendidissimam fuisse scribit crustis marmoris obductam, opereque Musivo ita exornatam, ut una de pulcherrimis urbis haberetur ecclesiis. Serlius lib. II. Architecturæ Ichnographiam ejus exhibuit; unde admirabile fuisse apparet ædificium. Nicolaus V. quum eam instauraret, ac restitueret, primam ejus amplitudinem coartavit, ut Fulvius, aliique prodidere; quod & ex ultimo murorum ejus ambitu liquet, in quibus
B passim insertæ muris columnæ conspiciuntur. Donatus non *Fauni* illud, verum *Claudii* fuisse *templum* existimat; quandoquidem non Rufus modo & Victor illud hic commemorant, sed & Suetonius in Vespasiano c. IX. refert, eum de integro fecisse *Templum Pacis foro proximum. Denique Claudii in Cœlio monte cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum,* &c. Tum & magnifica ejus structura, ut opus illud Agrippinæ aut Vespasiani credamus, facile persuaserit. Attamen Frontini verba lib. I. de Aquæduct. a Donato pro se allata, contrarium innuere videntur: ii directi (loquitur autem de arcubus Aquæductus Nero-
C niani) per Cœlium montem juxta templum D. Claudii terminantur: quorum reliquiæ, quæ supersunt, ultra ecclesiam *S. Stephani* pergunt usque ad ædem *SS. Joannis & Pauli*, in cujus Cœnobii vinea Faunus sua ætate veteris ædificii rudera superfuisse testatur, & in his castellum aquarum: quare & templum illic Claudii in proximo fuisse videtur, quippe cum in illius vicinia multa adhuc visantur veterum structurarum rudera. Quid igitur? dicemusne *S. Stephani* ecclesiam olim templum Fauni fuisse? verum tam magnificam ædem, operisque Corinthiaci, rustico Deo fuisse dicatam vix credibile est. At cur non Baccho po-
D tius? aut cur non Thermæ fuerunt publicæ, aut Armamentarium, aut Macellum, ut mox dicturus sum? Thermæ vero istæ, primæ forte absque auctoris nomine publicatæ, multoque saltem vetustiores nobilibus illis Agrippæ, Neronis, & Titi aliorumque thermis, sine dubio non tam spatiosæ amplæque fuerunt, quam ceteræ istæ; tum vero & forma templi *S. Stephani* non discrepat, si illud, uti volunt aliqui, coartatum fuit. Nam & in ambitu pro Sacellis caldaria, & tepidaria habere potuit complura, Thermarum magnitudini usuique convenientia. Sed & Armamentarium esse
E potuit, cujusmodi Isidorus l. I. de differentiis, recondendis armamentis navium exstructa fuisse docet: cui forma illa ædificii sphærica, seu rotunda, atque ita disposita, maximopere videtur convenisse. Atque hæc, non tam quid illud ædificium rotundum olim fuerit, quam quid non fuerit, ostendendi gratia, a me dicta æqui bonique velim consuli.

Ulterius aliquanto in latere collis septentrionali *ecclesia Sanctorum quatuor coronatorum* semet offert, ab Honorio primo constructa, post autem sub Gregorio VII. ab Imperatore Friderico II. anno MV. destructa, ac paulo post iterum a Paschali II. restituta. Blondus
F eam putat ruderibus Castrorum Peregrinorum superædificatam fuisse, sed absque ullis argumentis: ea vero ad *Ecclesiam Navicellæ* fuisse supra vidimus. Forte Antiquarii vetustiores aliquod eorum castrorum vestigium ibidem repererunt: quo adjumento beneficioque fortunæ ac temporis nos destituimur: vel antiquæ alicui fidem habuere traditioni. Ne-

que enim castra illic peregrina esse potuisse negaverim, vel etiam mansiones Albanas: & castrorum quidem mentio facta peregrinorum in illis duobus est lapidibus, quos supra descripsimus, iique hinc, utpote e vicinia, illuc translati esse potuerunt. Verum cum hujusmodi multa a veteribus Antiquariis nullo suffulta testimonio, vel argumento, producantur, nec fidem ipsis in hisce rebus habere possum, nec omnino eandem derogare.

Inter *S. Stephani ædem* & *Xenodochium S. Joannis Lateranensis* ædicula religiosissima est *S. Mariæ Imperatricis*. Appellatur ea in antiquis libris ritualibus *S. Gregorii in Martio*, a vicino, ut creditur, canali aquæ Martiæ. Verum appellatio masculina *in Martio* aquæ Martiæ non conveniens, multo autem magis, quod non aquæ Martiæ, sed Claudiæ canalis sit, assentiri vetant. Equidem ita existimo, *in Martio* dictam ob Campum Martium, seu Martialem, quem Victor & Rufus hic recensent, & in Cœlio fuisse indubium est. Præstabat hic usum Campi Martii, ad Equiria in honorem Martis celebranda, si quando Tiberis planitiem inundando altiora requirere jubebat loca. Sic Ovidius lib. II. Fastor.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cœlius excipiet pulverulentus equos.

Item Paulus abbreviator Festi: *Martialis Campus in Cœlio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, siquando aquæ Tiberis campum Martium occupassent*. Nec habet Cœlius situm magis spatiosum, aut planiorem, quam inter *S. Joannis* & dictam ædiculam. Si quid certius afferendum videtur de hujus campi nomine, en tibi Anastasium, qui hæc in Leone III. suggerit: *Macronam vero ipsius Lateranensis Patriarchii, quæ extenditur a campo, & ultra imagines Apostolorum, quæ præ nimia vetustate ruitura erant, a fundamentis* &c. Idem in Paschale I. dissensionem referens, quæ inter eum & Theodorum fuit, qui partem Lateranensis Patriarchii occupaverat interiorem, hæc subjicit; *Paschalis exteriorem partem tenuit, & basilicam domus Juliæ, quæ super campum respicit*. Hanc vero basilicam atrium aliquod, aut aliud ædificium Palatii Lateranensis fuisse, partis nempe illius, quæ a Julio Pontifice aut exstructa, aut restituta, auctoris nomen adoptavit, præter varia Anastasii loca Donatus lib. IV. cap. III. ostendit. Eundem campum postea Lateranensem dictum e bulla Paschalis II. colligi potest; *Quanto Lateranensis Ecclesia*: ubi legitur: *& a porta Monasterii SS. Quatuor Coronatorum descendente per clivum in via majore & exinde per stratam ex utraque parte usque ad Campum Lateranensem*

Campus Cœlimontanus, cujus Rufus meminit, ubi omnino fuerit, aut cujus usus, haud liquido dixerim. Nomen illud *Cœlimontani* generale, absque ulla alia nota, qua a Martiali distinguatur, tum, quod in Victore solus memoretur Campus Martialis, suspicionem mihi movet, unum eundemque illum fuisse; descriptoremque Rufi inepto illum ardore adjecisse, cum neglectum eum putaret: idemque postea in recentiore factum Victore. Sed quod hæc suspicio tantum sit leviuscula, nil amplius addo, quod affirmantis aliquid videatur esse sententiæ.

Domus Laterani, Plautii nempe illius Laterani, qui unus de præcipuis fuit conjurationis in Neronem auctoribus, constanterque mortem oppetiit, uti fuse Tacitus in XV. Annali enarrat, sedes postea Pontificum fuit S. Silvestro Papæ a Constantino donata, postquam ibi in proximo *ecclesiam S. Joannis* ædificasset, quæ *Basilica Constantini* nominata fuit.

A De *domo* hac *Laterani* jussu Neronis obsessa Juvenalis etiam sat. X. loquitur:

—— jussuque Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Quod epitheton, *egregias*, indicium est, ætate quoque Juvenalis splendidas illas & valde conspicuas ædes fuisse: unde & a Nerone fisco addictas, & ab Imperatoribus deinceps possessas usque ad Constantinum non vane a plerisque omnibus asseritur: Cumque ibi tabula ænea reperta B sit, qua Senatus Romanus Vespasiano imperium commendat, ac in manus tradit, quæ nostra memoria in Capitolium translata est, eandem ibi velut in domo Imperatoria affixam fuisse indubium est. Fuerunt & in muris seu parietibus antiquis, ibidem repertæ duæ regulæ ex ære sesquipalmum circiter longæ, largæ vero paulo plusquam duos digitos: quæ hodieque in sacrario affixæ conspiciuntur cum his inscriptionibus perantiquis:

SEXTI LATERANI.

C In alia vero quadam paulo breviore & angustiore:

TORQUATI ET LATERANI

Palatium, seu *domum* hanc *Laterani* prospectum præcipuum in Campum Martialem olim habuisse ex Anastasii verbis paulo supra allatis facile perspicitur: ita autem ea fuit inter Ecclesiæ Sacrarium, & muros civitatis, ut Panvinius docet in commentario de VII. Ecclesiis: cujus situs arcus etiam ac fenestræ indicio sunt, quæ in ea parte muri sunt, ut alibi dixisse memini. Diversum igitur Palatium fuit a Patriarchio alio Lateranensi, quod avorum nostrorum ætate exstitit, ubi Six- D tus V. hoc, quod nunc est, palatium ædificavit. Prius illud enim destructum est, vel quum Totila partem murorum urbis dirueret, vel quum Belisarius eos restitueret: qui forsan, ut illos tutiores redderet, & a proditione Silverii securiores, Palatium Lateranense solo æquavit. Fors & aliquo incendio, quo Lateranense palatium postea correptum fuerit, vel in ingenti illa urbis destructione, quæ illi sub Gregorio VII. & Imperatore Friderico II. ea in parte accidit, periit; quum Normannorum pugnis, & ab exercitu Guiscardi omne illud urbis spatium, quod inter Capitolium E & Lateranensem Basilicam interjacet, pessum daretur. Alterum constructum fuit a Gregorio IV. ut ego arbitror: quandoquidem Anastasius duo illum Pontificibus palatia ædificasse refert: vel a Nicolao I. quem idem scriptor perpulchram ibidem domum exstruxisse tradit. Auxit illud Innocentius II. aliquot atriis: restituit & ampliavit Clemens III. idemque præstitit Gregorius IX. Potuit & Palatium fuisse, quod Hadrianus V. inchoasse, perfecisse autem Nicolaus III. legitur, ad Laterani latus: cujus nobis ichonographiam Martinellus in primo suo Tropæo Crucis exhibuit. Quod si autem vetus ibi fuit palatium Lateranorum, F ante tot ipsius ampliationes, & adauctus, quomodo Imperiale fuerit ædificium non video. Sed hæc, ut incerta, accuratiori aliorum indagationi eruenda relinquo.

Pulchrum illud *Baptisterium*, cui *S. Joannis in fonte* nomen, in quo (licet Ariani falso alia prodiderint) Constantinus Imperator aqua Salutari a S. Silvestro tinctus est, atrium ipsius fuisse Imperatoris creditur: sed nec atrium, nec balneum istius palatii privatum fuit, (quamquam forma ædificii ab hoc non abhorret:) siquidem Anastasius in S. Silvestro

expressissimis verbis Baptisterium illic a Constantino exstructum dicit, cujus formam, quam & hodieque habet, fuse describit, columnarumque ex porphyrite mentionem facit, quæ ibidem & nunc visuntur. Quare & Baptisterium, & Ecclesiam extra Palatium ædificata, quod inter Baptisterium illud & mœnia urbis fuit, tam certum mihi videtur, quam quod certissimum.

Domum Parthorum, cujus a Rufo fit mentio, obsidibus habitatam putem, qui ab Regibus suis Romam mitti soliti fuere, pignora fidei. Sic & in XII. regione legitur, *septem domus Parthorum*. Domus hæ forte sumtibus ipsorum suppeditatæ imperatorum; non secus ac pecunia publica domum Antiochi Regis filio ædificatam prodidit Asconius in Pisonianam: *Tradunt & Antiochi Regis filio obsidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in Annali, quæ postea dicitur Lucii Poetæ fuisse*. Quoniam vero, ut e Tacito discimus, Parthorum reges filios suos Romam obsides mittere soliti fuere, magnificam iis, & regibus dignam domum fuisse præbitam verosimile est. Verum an non potius librarius, qui Rufum descripsit, hic erraverit, dubito: qui forte, cum in Sexti Aurelii Epitome legisset, Severum domus aliquas Parthis & Laterano dono dedisse, hic *Laterani* satis inepte addidit: de quo plura in regione XII.

Hic in vicinia domus fuit, ubi Marcus Aurelius Imp. educatus est. Capitolinus: *Educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri juxta ædes Laterani*. Et fortean pulcherrima illa statua equestris ex ære ejusdem Imperatoris, quæ non longe a *S. Joannis Lateranensis* æde inventa fuit ad *Scalam Sanctam*, atque a Pontifice M. Paulo III. in Capitolium translata, ibidem in ejus honorem posita fuit.

Ædiculam Dianæ in Cœliolo a Pisone destructam Cicero prodit in Or. pro Arusp. resp. *Pisonem quis nescit his ipsis temporibus maximum & sanctissimum Dianæ Sacellum in Cœliolo sustulisse?* Marlianus, aliique, eam fuisse opinantur, ubi nunc Sacellum *S. Joannis* est, appellatum *ante portam Latinam*. Verum Donatus e Cicerone in ipso colle eam fuisse colligit, qui aliquanto illic elatius assurgit; non autem in Latina, ante portam, ubi hodie Sacellum illud situm est. Sed hæc ita accipienda sunt, ac si isthic Cœliolus fuerit. Supersunt & alia nonnulla, verum situs plane incerti ignotique, ut

Templum Deæ *Carnæ*, vel *Carmæ*, a Bruto ei in Cœlio erectum, pulsis urbe Tarquiniis. ita Macrobius l. I. Saturn. c. XII. Præerat illa, ut idem docet Macrobius, partibus hominis vitalibus: aut, ut Ovidius lib. V. Fastor. tradit, curæ custodiæque portarum.

Ludus Matutinus, & *Gallicus*, Scholæ erant exercitii militaris, vel literarii, ubi quasi per jocum, & lusum, ad veram pugnam exercendo sese præparabant. Festus in *Scholæ: at etiam ludus appellatur, in quibus minime luditur: ne tristi aliquo nomine fugiant pueri suo fungi munere*. Cassiodorus epist. XXIII. lib. V. *Ostentant juvenes nostri bellis, quod in gymnasio didicere virtutis. Schola Martia mutat examina pugnaturus ludo, qui se exercere consuerit in otio*. Fuerunt & *Gladiatorum Ludi*, ubi artem addiscebant gladiatoriam. Probat hoc Pancirollus ex Herodiano, l. VIII. *Apertis gladiatorum ludis*, &c. & e Valerio Maximo lib. II. cap. I. *Ex ludo C. Aurelii Mauri doctoribus gladiatorum accersitis*, &c. nec non ex A. Gellio l. XII. c. III. *Accepimus ferum quendam in ludo Cæsaris gladiatorem*, &c. quibus & Florus addi possit in hist. Rom. compendio l. III. c. XX. *Spartacus & Oenomatus effracto Lentuli ludo cum tri-*

A *ginta & amplius ejusdem sortis viris eruperunt*, &c. Non tamen omnem ludum scholam fuisse gladiatoriam existimem: quum & Romanam juventutem, præter illa libera Campi Martii spatia, sub magistris suis in scholis pugillatum, & cetera militaria exercitia addidicisse verosimile sit. Producit autem Panvinius quatuor inscriptiones, in quibus mentio fit Procuratorum & Medicorum amborum hic memoratorum ludorum Matutini & Gallici: unde plures hisce publicos præfectos præfuisse colligitur.

B *Antrum Cyclopis* forsan vicus aliquis hujus regionis fuit, cui ab aliqua pictura, vel sculptura nomen id obvenerit, publice ibidem exposita; in qua Cyclops cum antro suo exhibitus, ut ab Homero in Odyssea describitur. Addit Panvinius, ubi antrum Cyclopis fuit, *vicum* etiam *Cyclopis* fuisse, hac adductus in eam sententiam inscriptione:

CVRTILIVS. HERMEROS.
FECIT. SIBI. ET.
CVRTILIAE. ATTHIDI.
C CONIVGI. SVAE. CARISSIMAE.
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
SVIS. POSTERISQVE. EORVM.
MAGISTER. VICI. AB CYCLOPIS.
REGION. PRI. FABER. ARGENTARIVS.


Verum verba illa *Magister vici ad Cyclopis* non indicant vicum dictum esse Cyclopis: at hoc inde erui possit, ab antro Cyclopis vicum inchoatum cujus Curtilius magister fuit: tum & antrum Cyclopis in confiniis regionis primæ fuisse, cujus ille vicus fuit, adeoque in parte illa secundæ, D quæ portæ Capenæ proxima fuit. Ex eadem inscriptione nonnihil lucis affulget, qua, deficiente incolarum numero, vel alia aliqua de causa, vicos sensim antiqua perdidisse nomina cognoscimus, & hinc forsitan vicomagistros non unius singularis vici, sed plurium conjunctorum creari solitos: nam verba illa, *Magister vici ab Cyclopis*, nil aliud significare videntur, quam, magister vici, & quidquid ei cis antrum Cyclopis fuit additum.

Isium Metellinum, quod Sacellum Isidis, aut templum ejus deæ, ab aliquo Metellorum constructum arbitror, & egregia *Tetricorum domus*, E *duoque luci* a Panvinio recensiti, e Trebellio petita omnia in Tetrico Juniore: *Tetricorum domus hodieque exstat in monte Cœlio inter duos lucos contra Isium Metellinum pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est utrique prætextam tribuens Senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam civicam picturatam de Musivo*.

Macellum quid fuerit, abunde notum est, hoc uno ab hodiernis diversum, quod in iis, ut e Plauto liquet, promiscue carnes & pisces prostarent. Duo vero Romæ fuere Macella, unum hic, alterum in Exquiliis. Non quod his duobus tantum locis carnes, piscesque venderentur; sed quod illa F duo tantum *Macella* appellarentur. Alias merces illæ ubique venales erant, & majore forsan alibi, quam in hisce, copia: sive ea loca fora appellata sint, sive emporia, sive quo alio nomine insignita. Saltem *Macella* dicta, in quibus carnes, pisces, olera, & similia edulia venum dabantur, uti nunc ad *Rotundæ* solet, in *Panico*, & ceteris id genus locis. Etymon vero vocis alibi loco opportuniore explicabo.

Notabile hic est epitheton *magnum*; sine dubio huic additum ad differentiam *Macelli Liviani*, quod magnitudine superavit. Quamquam alias vix cre-

dibile videtur, Liviam Augustam Macellum ad alterius fecisse similitudinem, quod illud nec operis magnificentia, nec spatii magnitudine antecederet: nisi hoc postea exstructum dicere voluerimus, aut saltem ampliatum. Inter Neronis Numismata unum ab Ericio, aliisque, publicatum est, in cujus aversa parte magnificentissimum ædificium rotundum, & columnis undique fultum conspicitur, addita inscriptione MAC. AVGVSTI: cujus & nos hic ectypum subjecimus.



Interpretatur hoc Ericius, *Macellum Augusti*: verum Augustinus & Angelonius, quod nusquam Macellum a Nerone ædificatum legatur, *magna Augusti* explicant, magnam Neronis domum eo significari existimantes. Videndum igitur, quid verius. Mihi sane transitus potius mercatorius, rerumque venalium, quam domus, aut palatium videtur; quod genus ædificii convexum olim fuisse, tholoque contectum ex Varrone, apud Nonium in *Sulcus*, tit. *de impropriis*, colligio: *Et Pater Divum trisulcum fulmen igni fervido actutum mittat in tholum Macelli*. Præterea vox *Magna Augusti* nimisquam dura hic, & inconveniens est. Nam domus illa, quamquam vastissimæ laxitatis, non *magna* olim per antonomasiam, sed *aurea* appellata fuit. Sic Suetonius, præterquam quod in Nerone eam ita vocavit, id ipsum in Othone repetit, cap. VII. *Nec quidquam prius pro potestate subscripsit, quam quingenties sestertium ad peragendam auream domum*. Tum hic MAC. legitur, non MAG. Neque vero ea ætate litera C vicem G supplebat, ut apud priscos. Quare mihi non adeo absurdum videtur, Neronem sublato foro cupedinis, quod revera Macellum fuit, ut alibi docebimus, quo aureæ domui vestibulum adjungeret, atque illius tamen sarciret detrimentum, Macellum hoc in Cœlio ampliasse, atque exornasse; licet nulla ejus facti apud veteres exstet mentio. Pluribus enim id ædificiis accidisse neminem fugit, ut eorum sileatur exstructio. Statuam, quæ in medio, Neronis esse non negaverim: at Colossum fuisse, a vero mihi alienum videtur, qui plusquam centum pedes altitudine præter ipsam basin exsuperans sub concamerato lacunari poni nequiit, cui alius adhuc superimpositus esset tholus. Verosimilius mihi videtur, Macellum illud hodiernam S. *Stephani* ædem rotundam esse, quam, disjectis vel temporis injuria, vel violentis Barbarorum manibus columnis, Pontifex aliquis in speciem depressiorem, at parum diversam restituerit. Sed hæ conjecturæ sunt, acutiores forsitan alias excitaturæ aliorum.

Spolium Samarium locus spoliorum fuit de hostibus, vel proscriptis civibus captorum; vel ædificium aliquod de devictæ gentis alicujus spoliis, seu manubiis, factum. In Notitia *Spoliarium* legitur, quod idem est. Sic Plinius in Panegyrico: *Quam juvat cernere ærarium silens, & quietum, & quale ante delatores erat. Nunc templum illud non spoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum.* Exponit Pancirollus locum fuisse, in quo spoliarentur, occiderenturque, sive torquerentur damnati: uti de Commodo tradit Lampridius: *Patriæ parricida, gla-* A *diator in spoliario lanietur. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur.* Verum quis adeo corrupto sit judicio, ut Saturni templum, ubi ærarium fuit, aliquando carnificinam fuisse censeat, uti Plinius ait? atqui, licet non illud templum, alia tamen carnificinis inserviisse spoliaria, e Seneca Rhetore colligi possit, cujus lib. X. contr. IV. hæc sunt verba: *Volo mehercules nosse illum specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium*, &c. Agit autem illic de homine, qui tenellos infantes debilitabat, ut in ipsius commodum eo lucrosius mendicarent. Ceterum quid sibi vox *Samarium* velit, excogitare nequeo. Neque B enim de civitate *Samaria* accipi potest, quæ non a Romanis, sed ab Hircano Judæorum rege, teste Josepho in Ant. Jud. diruta est. Pancirollus a *Samara*, quod ulmi semen est apud Plinium & Columellam, derivat, ac si seminum istius arboris conditorium fuerit; vocesque & res distinctas fuisse credit *Spoliarium*, & *Samarium*, itaque legendum. Qua de re, ut obscura, mihique incomperta, nihil liquere pronuntio.

De *Domo Vectiliana* hæc apud Lampridium leguntur in Commodo: *De Palatio ipse ad Cœlium montem in Vectilianas ædes migravit, negans se in* C *palatio posse dormire*. & apud Capitolinum in Pertinace: *Ad palatium ergo Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est, petenti signum*, &c.

Mica aurea puellæ Græcæ nomen fuit, de qua Plutarchus l. de claris mulieribus. Idem nomen & ursæ Valentiniani fuit, de qua Ammianus lib. XXIX. cujus hic effigiem fuisse Pancirollus existimat, ac de ea hunc locum esse accipiendum. Mihi potius Cœnaculum id fuisse videtur, de quo Martialis l. II. epigr. LIX. cujus inscriptio, *de Cœnatione Micæ*:

D *Mica vocor. Quid sim, cernis: cœnatio parva.*
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.
Frange toros; pete vina; rosas cape; & ungere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Erat ea quidem parvum cœnaculum; verum quam pulchre exornatum fuerit, vox *aurea* satis superque indicat. Non possum hic Donato assentiri, existimanti, Martialem de Cœnaculo aliquo loqui a Domitiano in palatio exstructo: nam nec Poeta hoc indicat, neque parvitas ejus hoc persuadet. Præterea quod ex ea tholum Cæsareum prospici E potuisse ait, a palatio illud manifeste excludit, facitque, ut verosimilius arbitrer, idem fuisse ædificium, quod a Victore & Rufo in Cœlio collocatur, unde prospectus palatii patebat. Quod si & in illa Cœlii parte fuisse pronuntiaverim, quæ Palatio proxima, fortasse a vero non aberraverim, certe non extra oleas.

Domus Claudii Centimali illa fuit, quam Cicero l. III. de Off. & Val. Maximus l. VIII. cap. II. augurum jussu dirutam referunt, quod capiendis obstaret auguriis: ipsum judicio damnatum, coactumque pretium ejus Calpurnio Lanario restitue- F re, cui eam, cognito demolitionem ejus jam decretam, vendiderat.

In *Junii Senatoris domo* sola Tiberii statua ab incendio intacta fuisse, toto deflagrante Cœlio, a Tacito memoratur, l. IV. Annal.

De *Mamurræ domo* hæc scribit Pli. l. XXXVI. c. VI. *Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Corn. Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Rom. præfectum fabrum C. Cæsaris in Gallia*. & paulo post: *Namque adjecit idem Nepos, cum primum totis ædibus nullam nisi*

nisi e marmore columnam habuisse, omnes solidas e Carystio, aut Lunensi.

Domus Symmachi ipse Symmachus mentionem fecit l. VII. epist. XVIII. *Proxime de Formiano sinu regressus in Larem Cœlium, domo jam diu te abesse comperi.*

Domum Philippi, quæ in Rufo notatur, forte Philippi Imperatoris fuit, quam & in tertia regione ædificasse, prope thermas, vulgo creditur.

Arborem Sanctam Lancirollus aliquam ex arboribus huic vel illi numini dicatis opinatur, & pro templo cultui divino sacratam, ut veteres soliti, teste Plinio l. XII, c. I.

Templum Quietis hac in regione fuisse, ubi nunc ædes *SS. Petri & Marcellini* est, Faunus existimat: in quo mirifice labitur. Livius enim lib. IV. Templum Quietis in Labicana quidem via fuisse refert, sed longe extra urbem. Verum tamen est, extra portam Majorem in via, cui nomen *Valmontone*, altero ab urbe lapide, celebrem istorum duorum Martyrum fuisse ecclesiam in nobili illo cœmeterio, in Actis Martyrum *inter duas laurus* appellato, a Constantino ædificatam, ubi eorum cadavera fuerunt; hic autem in vicinia templum illud Quietis fuisse non negaverim.

Quinque cohortes vigilum, quæ hic recensentur, excubiæ nocturnæ fuerunt, ab Augusto institutæ, ut incendiis obsisterent, quæ quam frequentia Romæ fuerint, plusquam hodie, vix sine stupore legimus: neque causam ego divinare possum, nisi forte ædium camini alia olim, ac nunc, forma ædificati fuere. Tum nec in templis tunc temporis perpetuum fuit, uti nunc, lampadum lumen. De illis ita Suetonius in Augusto c. XXX: *Adversusque incendia excubias nocturnas vigiliasque commentus est.* Fusius Dio l. LV: *Quia hoc tempore multa erant urbis loca igne vastata, libertos in septem divisos locis ad ea curanda elegit, præposuitque illis equitem: quos & si brevi id munus manere decreverat, tamen experentia doctus id officium utilissimum & pernecessarium prosequi jussit: & hoc etiam tempore sunt hæ nocturnæ excubiæ, non tamen ex libertis, sed etiam ex aliis, habentque in civitate muros, & stipendium de publico recipiunt.* Appianus lib. V. de bellis Civil. idem refert, hoc uno in diversum abiens, quod illas ante triumviratum institutas dicit. Exactius a Paulo JCto describuntur, *leg. 3. ff. de off. Præfecti vigilum: Septem cohortes*, inquit, *opportunis locis constituit, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueretur, præpositis iis Tribunis, & super omnes spectabili viro præposito, qui Præfectus vigilum appellatur. Cognoscit Præfectus vigilum de incendiariis & effractoribus, furibus, raptoribus, & acceptatoribus; nisi siquæ tam atrox atque facinorosa persona sit, ut Præfecto urbis remittatur. Et quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignem adhibuerunt, aut severa interlocutione comminatus fastium castigationes remittit*, &c. Muri, quos, ut Dio ait, in urbe tenebant, mœnia Romana fuerunt, ad quæ etiam ante Augustum eundem in finem aliquos habitare solitos lege prima dicitur, titulo jam citato: *Apud vetustiores incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, etiam nocturni dicti sunt. Interveniebant nonnumquam & ædiles, & tribuni pl. Erat autem familia publica circa portas & muros disposita, unde, si opus esset, vocabatur. Fuerant & privatæ familiæ, quæ incendia vel mercede, vel gratia exstinguerent. Deinde Divus Augustus*, &c.

Regionum, in quas cohortes vigilum divisas vidimus, & hæc quoque secunda fuit, in qua Victor *quinque* cohortes numerat: in regione vero quinta *septem*; in sexta *tres*; in septima rursus *septem*: in octava *sex*; in duodecima *tres*; ac tandem in quartadecima iterum *septem*: sic ut universus cohortium numerus XXXVIII. fuerit; aucto, post illas primas septem ab Augusto institutas, in illam multitudinem ætate Victoris earum numero, necessitate sine dubio idipsum exigente. Interim observandum puto, septem illas regiones, in quibus excubiæ hæ agebantur, mœnia urbis in propinquo habuisse.

Ceterum Lipsius in III. Histor. Taciti vigiles eosdem esse censet, quos *Sparteolos* Scholiastes appellat Juvenalis sat. XIV. ubi Poeta:

Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet attonitus pro
Electro, signisque suis.

Ubi Scholiastes: *Per translationem disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohors in tutelam urbis cum hamis, & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis*: vel, ut Lipsius corrigit, *vicibus*. Verum melius forte *vicinis*; quæ vox divisionem in septem regiones denotat, quarum unaquæque ad alteri proximæ de septem ferendas suppetias opportuna fuit.

CAP. VIII.

Regio Tertia, dicta Isis, & Moneta a Rufo; a Victore vero Isis & Serapis.

Conjuncta regio hæc fuit Cœlimontanæ, in ea sita Exquiliarum parte, quæ latus australe respicit. Descriptio ejus apud Rufum hæc est:

Regio Isis, & Moneta.

Amphitheatrum Flavi.
Ludus Magnus.
—— *Mamertinus.*
—— *Dacius.*
Tribus gratiæ æreæ.
Domus Brytiana.
Summum Choragium.
Prætura Præsentissima.
Thermæ Titi Cæsaris.
—— *Trajani Augusti.*
Lymphæum Claudii Augusti.
Lacus Pastoris.
Schola Quæstorum.
—— *Galli.*
Porticus Liviæ.
Templum Concordiæ.
Castra Misenatium II.
Caput Suburæ.
Vici VIII.
Vicus Albus.
—— *Fortunæ vicinæ.*
—— *Angiportus.*
Vicus Bassianus.
—— *Structorum.*
—— *Asellus.*
—— *Lanarius.*
—— *Primigenius.*
Ædiculæ VIII.
Bonæ Spei.
Serapidis.
Sangi Fidoni.
Minervæ.
Isidis.
Veneris.
Æsculapii.
Volcani.

Vicomagistri XXIV.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIMDCCCVII.
Domus CLX.
Horrea XIX.
Balineæ privatæ XXC.
Lacus XXV *sine nomine*.
Pistrinæ XXIII.
Regio continet
Pedes XIIMCCCCL.

Publius Victor ad hunc eam modum describit:

Regior Tertia Isis & Serapis.

Amphitheatrum, quod capit loca LXXXVIIM.
Ludus Magnus.
—— *Dacicus*.
Domus Bryttiana.
Samium Choragium.
Prætura præsentissima.
Thermæ Titi Cæs. Aug.
—— *Trajani Cæs. Aug.*
Lacus Pastoris.
Schola Quæstorum.
—— *Capulatorum*.
Porticus Livia.
Castra Misenatium.
Suburæ caput.
Vici VIII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXIV.
Curatores II.
Denuntiatores totidem.
Insulæ IIMCCLVII.
Domus CLX.
Horrea XVIII.
Balineæ privatæ LXXX.
Lacus LXV.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet
Pedes XIIMCCCL.

In altero exemplari hæc addita leguntur:

Titulo *Isis* & *Serapis* adjectum *Moneta*.

Loca Amphitheatri LXXVIIM. alias LXXXVIIM.
Ludus Mamertinus.
Choragium pro *Samium* dicitur *Summum*.
Schola Capulatorum.
Porticui Liviæ additum,
cum templo Concordiæ Virilis.
Castra Misenatium vetera.
Domus Pompejani.
Insulæ dicuntur IIMDCCCVI.
Horrea XXIX. alias XVIII.
Pistrina XXIII. alias XII.

In Notitia dignitatum Imperii habetur:

REGIO III.

Isis & Serapis continet Monetam, Amphitheatrum, quod capit loca octoginta septem millia, Ludum Matutinum & Dacicum, Domum Britti, Præsentissimum Choragium, Lacum Pastoris, Scholam Quæstorum & Capulatorum, Thermas Trajanas & Titianas, Porticum Livii, Castra Misenatium, Vici XII, *Ædicula* XII, *Magistri* XLIX. *Curatores duo. Insulæ duo millia septingentæ quinquaginta septem. Domus sexaginta, Horrea* XIIII. *Balnea octoginta. Lacus* LXV. *Pistrina* XVI. *Continet pedes duodecim millia trecentos quinquaginta*.

Panvinius his adjungit:

Carinæ.
Vicomagistros dicit XXXII.
Caput Sacræ viæ.
Lucus Cuperius, Schola Capulatorum.
Templum Isidis & Serapidis Monetæ.
Templum Concordiæ Virilis cum delubro.
Porticus Claudii Martialis.
Balnea privata dicit LXX.
Nymphæum Ti. Cæs. Aug.
Domus Aurea Neronis cum Porticu.
Titi Cesaris cum atrio, in quo fuit Laocoontis statua
Insulas dicit fuisse IIMDCCCVII.

Addo ego:

Ceroliensis, & Forum Vespasiani.
Domus Plinii Junioris.
—— *Stellæ Poetæ*.
Nympheum Marci.
Domus Merulana.
Templum Æsculapii.
Domus Pedonis.
Septizonium.
Petra Scelerata.
Domus Pauli.

Ambitus hujus regionis magna ex parte Cœlimontanæ conterminus, ab colle scilicet *S. Crucis* usque ad prærupta Cœlii, que sub vinea sunt SS. *Joannis* & *Pauli*, jam supra expositus est. Hinc dextrorsum flectens incluso Amphitheatro Titi, & exclusa meta sudante, hortisque S. *Mariæ Novæ*, & *Piis*, quæ quartæ fuere regionis, pertigit procul dubio ad radices usque Exquiliarum, quibuscum a S. *Andreæ in Portugallo* usque ad hodiernam Suburam, & clivum S. *Luciæ in silice*, & S. *Martini in montibus*, secedens, quidquid antiquorum ædificiorum inter istas Ecclesias fuit, complectebatur, ut mox probabitur. Hoc in fastigio ad ortum tendens, excluso arcu S. *Viti*, sed ædem S. *Matthæi in Merulana* complexus, recta finitum ibat in angulo septentrionali Cœlii: cujus certa satis argumenta sunt horti Mæcenatis, qui ad *S. Martini in montibus* & ædem *S. Viti in Macello* pertingebant: quæ duo loca quintæ regioni attribuuntur. inde & ad *S. Matthæi in Merulana*, quæ ecclesia hujus regionis est.

CAP. IX.

Planities hujus Regionis.

Descriptionem hujus regionis commodius auspicari me posse vix puto quam a principio Suburræ, cujus hac in regione caput fuit, uti pars reliqua in secunda. Caput illud, quantum ejus exæquatum fuit, non alibi fuit, quam trans Amphitheatrum Titi ad S. *Clementis*; quamquam locus ipse exacte indicari nequit: &, ut de Tabernola dixi, planitiem ejus ad tertiam pertinuisse regionem, ita & haud procul clivo Cœlii illud fuisse existimem, qui Amphitheatro vicinus est.

Domum hic quoque fuisse *Stellæ Poetæ*, Martiali ac Statio laudati, sane quam probabile est; quippe quæ in prima Suburra fuit, ut e Martiali superius ostendi.

Panvinius *Carinas* hic fuisse putat: at scriptores alii omnem ferme hanc regionem *Carinas* fuisse credunt. Quare, tametsi me quidem judice Carinæ maximam partem alibi fuere, quid tamen *Carinæ* fuerint, hic exponendum puto. Blondus, Fulvius, Marlianus, aliique plures collocant, extenduntque Carinas per Australem Exquiliarum partem, quæ inter S. *Martini de montibus* & SS. *Petri ac Marcellini* ædes sita Cœlium spectat, hodiernæ Suburrę imminens,& Amphitheatrum Titi,ac ędem S. *Clementis*: quorum opinio nulla re alia nititur, quam similitudine istius, qua inversam navis carinam refert; unde vico datum nomen existimant: idque absque ulla auctoritate, testimoniove veterum, aut hac animadversione, pleraque montium fastigia speciem illam obtinere. Contra Servius in VIII. Æneidos longe diversum quid afferere videtur: *Carinæ sunt*, inquit, *ædificia facta in carinarum modum, quæ erant intra templum Telluris*. Verum quæcunque ratio nominis fuerit, & quidquid dicat Servius, cui æquivocatio his in rebus solita permittatur, ut illa ejus ædificia *Carinæ* appellata fuerint, hoc sane verum, certumque est, *Carinas* a Varrone & aliis ita nuncupatas vicum fuisse: neque item in angusto Exquiliarum vertice; quum Victor & Rufus Carinas unanimiter in regione quarta recenseant, quæ in planitie fuit, Exquiliæ vero in quinta tantum, & hac tertia fuerint. Præterquam quod Livius lib. VI decad. III. ubi de Flacco ita loquitur, *Porta Capena cum exercitu Romam ingressus media urbe per Carinas Esquilias contendit*, manifeste eas non in Esquiliis, sed ante Exquilias fuisse indicet. Verum nemo illas mihi melius quam Virgilius, descripsit l. VIII. Æn. unde & nominis etymon agnoscitur. Describit illic Poeta Æneam & Euandrum Palatium ascendentes, & inde armenta in subjecta planitie pascentia despectantes:

Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant
Romano foro, & lautis mugire carinis,

Planities enim illa valles continebat Palatino subjectas inter septentriones & orientem solem: quæ postea occupatæ a cultoribus, mœnibusque urbis inclusæ, nomen fori & Carinarum obtinuerunt: *Carinæ* autem forte dictæ sunt, quod convexitates illæ inter vicinos sibi colles Cœlium, Esquilinum, Capitolinum, & Palatinum carinarum habuerint speciem: sic ut, cum Romulus Esquilias urbi adderet, qui has convalles incolebant, ab iis, qui collium illorum vertices occupaverant, in Carinis habitare dicti fuerint: quod nomen in initio laxiori loci spatio tributum, quum id sensim contraheretur, (uti fieri amat, ut diversæ unius regionis partes aliunde sæpe aliud sibi nomen acquirant) tandem uni soli vico adhæsit; de quo in sequenti regione fusius disputabimus. Sic & pars quædam Carinarum singulare sibi *Ceroliensis* nomen accepit, ut e Varrone lib. IV. discimus: *Cum Cœlio conjunctæ Carinæ; sed inter eos, quem locum Ceroliensem appellatum apparet.* Et mox: *Ceroliensis a Carinarum junctu dictus Carinæ: postea Cerionia; quod hinc oritur caput Sacræ viæ*. Sed hæc, quæ disseruimus, inter inania, si ita videbitur, numerentur: hoc tamen constabit, Carinas montem S. *Petri* non escendisse: & hoc est, quod in hac regione nobis confirmandum est.

Cum *Ceroliensis* pars Carinarum fuerit, ut cum his conjungatur, quæ in quarta fuere regione, necesse est, ut omnem planitiem Amphitheatri occupaverit, usque ad principium quartæ regionis ab una parte, nempe ad hortos usque S. *Mariæ Novæ*, & *hortos Pios*; ab altera vero usque ad S. *Clementis*, ubi Subura cum Tabernola incipiebat.

In Ceroliensi *Amphitheatrum Flavium* conspicitur. vulgo *il Coliseo*: cujus operis magnificentiam describere necesse non est, quum nulla manus tantum in hominum animis excitare stuporem describendo valeat, quantum oculi incutiunt intuendo. Auctor ejus Vespasianus fuit, teste Suetonio in ejus vita cap. IX: *item Amphitheatrum urbe media, ut destinasse compererat Augustum*. Dedicavit autem Titus, ut idem scriptor tradit: *Amphitheatro dedicato, Thermisque celeriter exstructis munus edidit apparatissimum, largissimumque*. Ceterum quod Martialis opus esse Domitiani dicit, adulationi id ejus assignandum est. *Coliseo* vero vulgo dicitur corrupte pro *Colossæum* a Colosso, qui ante illud fuit. Fuere Antiquarii nonnulli, qui Romanis a Theodorico concessum dicant, ut saxis decidentibus ad resarciendos urbis muros uti liceret, de quo Cassiodorus lib. III. epist. XLIX: nec animum adverterunt, epistolam illam non Romano populo ac magistratui, sed Catanensi scriptam fuisse.

Ubi hoc Amphitheatrum est, non exigua ante pars domus Neronis fuit, nimirum ejus *stagnum*; ut Martialis epigr. II. indicat:

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Describitur hoc a Suetonio in Nerone c. XXXI. *Stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem*. Unde libere conjicere licet, stagnum illud una cum ædificiis, quibus cingebatur, non modo spatium omne Amphitheatri occupasse, sed & quidquid planitiei fuit inter illud & Esquilias, ac partem Cœlii septentrionalem. Ceteras vero omnes palatii partes, ob ingentem ejus vastitatem in plures regiones porrecti, describere hic impossibile est; quare suo singulas loco, ac tempore, tractabimus.

Antequam stagnum, domusque aurea hic loci fuit, mercatus seu forum rerum venalium ab aliquibus fuisse asseritur, sed nullo alio argumento, quam quod magna illarum rerum venalium copia in summa Sacra via fuisse legatur. Contra ea est, qui his adversetur, quod forum illud ad montem Testaceum fuerit. Sed huic parata & facilis responsio suppetit. Nam, licet ad montem Testaceum variarum mercium forum fuerit, ob commodam illarum e navibus istuc appellentibus expositionem, non hoc impedit, quo minus & aliud præcipue in media urbe fuerit rerum vilioris pretii, & maximam partem eduliorum. Certi quidem nihil affirmari potest: veruntamen si quis conjecturæ locus, ita existimem; quum Romæ olim necdum adeo magnæ, aut frequentis mercatus in foro singulis nonis diebus celebrari solitus sit, unde & *nundinarum* nomen, posteaquam illa in tantam crevit magnitudinem, ut forum ne solis quidem litibus sufficeret, necesse fuisse, ut nundinæ in alium transferrentur locum, vel etiam plura; mutatumque noni diei mercatum in continuum. Quis autem locus huic rei aptior fuerit, quam qui a Suetonio *media* urbe fuisse dicitur, quique duabus viis celeberrimis & frequentissimis urbis, Suburra, & Sacra, terminaretur, non video. Colligo hoc ex Ovidio, aliisque, qui pomorum ceterarumque rerum illic in capite Sacræ viæ venalium meminere: nec non consessus frequentis istuc ventitantis populi: quæ fori, seu mercatus alicujus indicia sunt, isthic incipientis quum non in via, eaque satis angusta, concursus ille & consessus populi commodum obtinere locum potuerit, verum in foro, sive area. Hi vero, qui reum venalium & frequentiæ populi in capite Suburræ meminerunt, id ipsum indicare mihi videntur, atque innuere, tam hujus, quam illius viæ extremitates communis cujusdam

commercii participasse. Sed hæc mera a verosimili petita conjectura est. Nihilominus animadvertendum est, ante Amphitheatrum, in extrema Sacra via extra omnem controversiam aream fuisse, cujus amplitudinem residuum metæ sudantis, quod illic hodieque conspicitur, aliquomodo patefacit; quæ quum fons fuerit, non potuit non in media fuisse areæ amplitudine. Quare quantum inter illam & Amphitheatrum interest spatii, tantum quoque inter eandem & Sacram viam fuisse verisimile est; &, si ea area, forumve fuit, sine dubio illic res variæ venum expositæ fuerunt. Apud Symmachum lib. x. epist. LXXXVIII. nominari video *Forum Vespasiani*. Verum quodnam ab eo Imperatore factum forum fuit? aut quæ area in urbe forum ejus appellari potuit? Certe mea quidem sententia non alia, quam de qua nunc agimus, ad cujus latus Vespasianus ingens illud Amphitheatrum exstruxit. Verba Symmachi sunt hæc: *Et cum ad Forum Vespasiani tam ego, quam vir spectabilis Vicarius perurgente populo fuissemus ingressi, ut quietem utriusque partis multitudini suaderemus*, &c.

Choragium in Rufo *Summum* legitur, in Victore *Samium*. Verum in Victore vitium esse Panvinius ex inscriptione docet, in qua *Summi* legitur. Ea hæc:

HERCVLI. ET. SILVANO. EX. VOTO.
TROPHIMIANVS.
AVG. LIB.
PRO. SVMMI. CHORAGI.
CVM. CHIA. CONIVGE.

Puto ego tabernam fuisse, in qua tabulæ, machinæ, & pegmata in usum Amphitheatri conficiebantur: vel locum, in quo recondebantur. De machinis his agit Apollodorus Architectus in epistola, qua Hadriano Imperatori de schemate sibi misso templi Veneris & Romæ, ab eodem Imp. ædificari cœpti, respondet: *Sublime illud & concavum fieri oportere, ut ex loco superiori in Sacram usque viam insignior prospectus esset, & magis conspicuus. Concavus ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi; & item ex occulto in theatrum duci possent*. Ita Dio in Hadriano: ubi per Theatrum non aliud ullum, quam Amphitheatrum hoc intelligi potest. Idemque Dio alibi etiam eodem modo loquitur. Nec alio allusit Martialis epigr. II.

Hic ubi sidereus propius videt astra Colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via.

Quæ pegmata nemo melius, quam Seneca, describit, epist. LXXXVIII: *Machinatores*, inquit, *qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacita in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates, aut debiscentibus, quæ cohærebant, aut quæ distabant, sua sponte cohærentibus, aut his, quæ eminebant paulatim in se residentibus*. Addit Asconius in Or. pro Cornelio, solitas tauris in Amphitheatro humanas objici imagines, ut hodieque charta solet, aut tela fœno expleta; *Effigies hominum ex fœno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur*. Hujusmodi autem effigies fortean in Choragio ad Amphitheatrum præparabantur, vendebanturve. Epitheton *summum* forte additum, quod majori cæteris Amphitheatro inserviebat ad nobiliora, & maxime stupenda spectacula. Situm quod attinet, quamquam de eo nil adest certi, attamen in vicina Amphitheatri planitie fuisse probabile est.

Lacus Pastoris non inepte dici possit fons fuisse, ut plurimi alii, cum labro receptrice ac retentrice aquarum perpetuo. Nomen ipsi *Pastoris* fortean a

A sculptura, picturave, pastorem exhibente, adhæsit. Sic & hodieque fontibus plurima id genus simulacra seria ac jocosa ornamenti gratia addi solent ea, qua exsiliunt, parte; nisi forte id nominis ab aliqua familia accepit Romana, cui hoc cognomen fuerit. Fit hujus mentio præter Victorem & Rufum in Actis quoque SS. Eusebii & Sociorum: *Qui vero ducti ad petram sceleratam juxta Amphitheatrum ad Lacum Pastoris, ibidem decollati sunt*. Qui quum in tertia regione fuerit, necesse est, ut inter Amphitheatrum & radices montis S. *Petri in vincula* fuerit; cum ab altera parte inter Amphitheatrum & Arcum Constantini alius fons fuerit,
B cui *Metæ sudanti* nomen. Quin & suspicari aliquis possit, duo illa ingentia labra marmorea, quæ in area Farnesiorum pulcherrimos duos fontes exornant, hujus aliquando lacus fuisse. Constans enim & pervulgata fama est, alterum horum ex area illuc S. *Marci* sub Paulo III. translatum, mutatumque alio minore, quod ibidem adhuc visitur: idemque antea a Paulo II. isthuc delatum ex Amphitheatri area proxima in manuscripto legitur istius temporis diario. Prope hunc fontem, seu lacum, *Petra scelerata* fuit, ad quam Christiani occisi, aut flagellati, aut saltem capitis damnati a præcone proclamati, uti in Actis S. Pontiani habetur: quod
C indicium certissimum est, aream illic fuisse celebrem, in qua Christiani tum temporis lacerari soliti. Fortean petra hæc in formam basis efficta fuit, ut præco illi insistens commodius videri, & audiri posset. Haud dissimilis illa fuit, in qua subhastationes fiebant. Id enim significare mihi videntur illa Ciceronis in Orat. pro Quintio: *Cum quis cum suis pœnæ hastæ subjicitur, atque in saxo venditatur præconis voce*. ut & illa, in Pisonem: *Præterquam duos de lapide emtos tribunos*. id est, quasi sub hasta emtos propter mercedem, quæ illis promissa erat; uti hæc Pedianus ibi explicat. Clariora sunt adhuc illa Plauti in Bacchid. act. sc. VII.
D

O stulte, stulte, nescis nunc venire te;
Atque in eo ipso adstas lapide, ubi præco prædicat.

Unde & colligi potest, in eodem saxo & servum venalem, & præconem vendentem constitisse. Ad hunc modum complures quoque maleficos in pœnam delictorum vendi solitos Columella indicat, l. III. cap. III: *Vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat: sed ego plurimorum opinioni dissentiens pretiosum vinitorem in primis esse censeo*. Utrum vero illa noxiorum
E venditio pœnalis in petra illa scelerata fieri solita sit qui locus puniendis damnatis jam destinatus erat, an vero in alio saxo, lapideve, ubi servi, aut bona quævis alia, sub hasta vendebantur, quoque emtores concurrere consueverant, libero inquirentium arbitrio dijudicandum relinquo.

Busta Gallica olim dicta nonnulli ad ima montis e regione hortorum Piorum, ubi ædicula S. *Andreæ in Portugallo* est, sita fuisse opinati sunt, verum nulla subnixi auctoritate, vel indicio, nisi alicujus & exiguæ nominis convenientiæ. Alias situs haud multum diversus esse potuit, ut e Livio liquet lib. II. decadis tertiæ: *Media urbe, qua nunc Busta Gal-*
F *lica sunt, & postera die citra Gabios cecidit Gallorum legiones*. Verba namque hæc pugnam illam non longe a Capitolio ad Amphitheatrum accidisse indicant. Nihil tamen certi affirmo, quod argumentum hoc invalidum, & non magni ponderis videatur. Quare suo quisque per me licet fruatur judicio.

Porticus Liviæ ibi fuisse creditur, ubi antea domus Cæsaris fuit; ac postea Julia ingentes ædes exstruxit, quas Augustus demolitus est, reposuit-

que ibidem porticum, quam de uxoris nomine Liviam appellavit. Ovidius lib. VI. Fastor.

Disce tamen veniens ætas, ubi Livia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuere domus.

Hanc a Nerone dirutam ferunt, quo latius domum suam auream extenderet: sed a Domitiano restitutam. Plinius lib. XIV. cap. I. magnæ cujusdam vitis meminit, quæ illam ætate sua obumbrabat. Addidit illis Livia templum Concordiæ: ac tandem Vespasianus illic, uti ajunt, templum ædificavit Pacis. Quod si verum est, non video, quomodo porticus illa ætate Plinii, non avunculi modo, sed & nepotis, exstare potuerit. Extitisse autem aliquet ex epist. hujus quinta lib. I. in qua illius fit mentio. Tum nec Domitianus illam restituere potuit, nisi templum Pacis illi loco a patre inædificatum demolitus sit. Tandem Rufus & Victor eam in tertia recensent regione, quum templum Pacis in quarta fuerit, cui & nomen impertivit. Atque hæ quoque rationes a Donato adversus eos allatæ sunt, qui nescio quid sibi somniorum de ingenti illa Liviæ domo finxere. Ovidius Augustum domus istius ab ipso dirutæ heredem nominat:

Totque suas heres perdere Cæsar opes.

Non autem revera domus Pontificiæ Augustus heres fuit, verum una cum Pontificatu Maximo post obitum Lepidi usus illius fructusque ad eum pervenit. Heres quidem fuit domus Vedii Pollionis, qui, uti Dio refert lib. LIV. Augusto reliquit *magnam hereditatis partem, & Pausilypum villam inter Neapolim & Puteolos jacentem; jussitque, ut is populo aliquod splendidum opus faceret. Ejus operis causa faciendi verbo, re autem, ne quod Vedii in urbe restaret monumentum, ædes Pollionis funditus evertit Augustus, porticuque ibi circumducta non Pollionis, sed Liviæ nomen inscripsit.* Atque hæc ipsissima veritas est, a Lipsio primum lib. I. Annal. Taciti detecta, & post a Donato admissa, probataque. Dedicationem ejus Dio memorat lib. LVI.

Ingens hæc domus, & postea porticus, quoniam in tertia regione fuit, absque dubio in declivitate Esquiliarum fuit inter ædem S. *Andreæ in Portugallo*, & hodiernam Suburram, in confinio regionis quartæ. Nam templum Concordiæ huic vicinum in quarta fuit. Locum exacte demonstrare velle, operam ludere est. Quod si ea a Nerone diruta, vel saltem aureæ domui conjuncta, aut si revera porticus Claudia fuit, (cujus Martialis l. X, epigr. XX. ita meminit,

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars Aulæ deficientis erat)

ideo appellata *Claudia*, quod eam Nero, *Claudius* & ipse dictus, post incendium restituerit, (ut nonnullis visum est) dicendum cum iisdem foret, retro templum Pacis illam fuisse. Verum ego magis illis assentior, qui porticum Claudiam a Livia diversam statuunt: quod hæc ab omnibus semper *Livia* appelletur, & nomen illud Claudii Neroni hic aliquomodo duriuscule tribuatur: eaque propter verum ejus situm indicare nequeo.

Verum faciamus, porticum Claudiam a Livia diversam; non tamen Panvinio accedere possum, hac illam in regione collocante, idque absque ulla probabili conjectura.

Duæ hic *Isidis & Serapidis ædiculæ* a Rufo & Victore memorantur, a quibus diis regioni huic nomen: verum illæ duorum vicorum fuere communes. Quare non ab his potius ædiculis, verum a templo aliquo Isidi & Serapidi dedicato, uti & Panvinius credidit, & hic recensuit, regionem ita appellatam arbitror. Neque vero inanis hæc conjectura videri possit, hac in regione, in magna illa Proscriptione, templum ab Augusto & Antonio diis istis exstructum fuisse, de quo Dio l. XLVII: *Decreverunt templum Serapidi, deæque Isidi*, &c. & cum Augustus deinde urbem in regiones divideret, huic ab illo templo, opere scilicet suo, Isidis & Serapidis nomen datum. Quod si mea hæc conjectura vera est, (neque enim certi quidquam affirmo) verisimilis quoque Fulvii sententia videri possit, in emporio illud fuisse; quum Vitruvius l. I. c. VII. scribat, tempIa collocanda *Mercurio in Foro, Isidi & Serapidi in Emporio*, &c. quæ tacita Augusti quædam reprehensio fuisset, si illud alio ille loco, quam in emporio posuisset. Non tamen Fulvio eapropter assentiri possum, fuisse illud in hortis S. *Mariæ Novæ*, ubi duo tribunalia sibi conjuncta visuntur. Nam meta sudans, unde quarta regio incipiebat, satis aperte, hanc tertiam eousque non pertigisse, indicat.

Tandem Rufus & Notitia indicium faciunt, templum ac statuam *Monetæ* hac in regione exstitisse: quæ quum & ipsa regioni nomen suum impertiverit, celebri illa loco, adeoque non admodum procul ab Amphitheatro, fuisse verisimile est.

CAP. X.

Collis, & cetera incerti omnino situs.

Via illa, qua retro templum Pacis ad *S. Petri in vincula* itur, a plerisque omnibus Antiquariis vicus esse sceleratus existimatur, in quo Tullia, Tarquinii Superbi uxor, carpentum super cadaver patris egit, clivo conjunctus, qui *Urbius* vel *Virbius* fuisse creditur. Magna me tamen subit admiratio quo pacto, cum per clivum Urbium ad regiam eatur Servii Tullii, quæ secundum Victorem & Rufum, indiciaque alia, non in tertia, sed in quinta regione fuit, hæc opinio concipi, aliisve probari potuerit. Ubi vero clivus ille, vicusque fuerit, opportuniore a me loco indicabitur.

Ad *S. Petri in vincula*, circum ipsam ædem, & cœnobium, hortumque, Thermas Titi fuisse, insignia antiquitatis, quæ illic visuntur, vestigia, fabricis rotundis thermarum speciem repræsentantia, indicio sunt manifestissimo. Accedit & Suetonii testimonium dicentis in Tito c. VII: *Amphitheatro dedicato, Thermisque juxta celeriter exstructis*. Vocula enim *juxta* loci vicinitatem satis abunde arguit. Thermarum quoque argumentum præbebat patrum nostrum memoria ante ecclesiam illam conspicuum labrum marmoreum, quod Ferdinandus Cardinalis Mediceus in collem Pincium in hortos suos transtulit: absque omni dubio Thermarum olim usibus inserviens. Fuere tamen, qui crediderint *Trajani* hasce *Thermas* fuisse, cum Symmachum Papam Ecclesiam *S. Martini in montibus*, (quæ *S. Petri in vincula* vicinissima est) in ruderibus Thermarum Trajani posuisse legatur; quibus & hæc ibidem inventa suffragatur inscriptio:

IVLIVS. FELIX. CAMPANIANVS.
V. C. PRAEFECTVS. VRB. AD. AV-
GENDAM. THERMARVM. TRAIANA-
RVM. GRATIAM. CONLOCAVIT.

Alii rursus Thermas illas aliquanto inferius fuisse malunt, contra quam de æde *S. Petri in vincula*

legitur. Alii, Trajanum Thermas Titi restituisse, non autem novas fecisse, contra Victoris & Rufi auctoritatem, asserunt, qui tamen utrasque sejungunt. Ego Trajanum Thermas Titi ampliasse putem, additis novis ad majorem illarum splendorem commoditatemque ædificiis: atque hinc Thermas illas *Trajanas* appellatas; quandoquidem a veri abest similitudine novas a Trajano in tanta vicinia Thermas exstructas. Sic & in Vaticano *Palatium Sixti* ea pars dicitur, quam Sixtus V. veteri palatio addidit. Quum vero ad *S. Martini in montibus*, ætate Leonis X. duæ fuerint Antinoi, pueri ab Hadriano tantopere adamati, inventæ statuæ in loco, cui *Hadrianello* nomen, quæ nunc in *Belvedere* positæ visuntur; indicium illud non invalidum mihi videtur, additam & aliquam, licet haud magnam, Thermis illis ab Hadriano partem, quæ illius nomen retinuerit. Porro in Thermis Trajani *templum* a Diocletiano *Æsculapio* exstructum, in Actis S. Severi legitur, & Sociorum.

Major multo a quibusdam movetur difficultas in pulcherrima *Laocoontis statua* cum duobus filiis a serpentibus circumdati, quæ eadem Leonis X. ætate ad *S. Luciæ in silice*, & *septem Atria*, inventa, & inde in *Belvedere* translata fuit. Hæc enim procul omni dubio eadem est, de qua Plinius agit lib. XXXVI. cap. V. *Sicut in Laocoonte, qui est in Titi domo, opus omnibus & picturæ & statuariæ artis anteferendum, ex uno lapide eum & liberos, draconum mirabiles nexus, de consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus, & Athenodorus Rhodii*. Quæ si in domum Titi ad *septem Atria*, & *S. Petri in vincula* fuit, ubi inventa est, (& aliunde isthuc translatum fuisse ipsa incredibile facit difficultas) domus hic, non Thermæ Titi fuerunt. Sed hic nodus solutu perfacilis est. Potuerunt enim Thermæ istius Cæsaris pervenisse ad *S. Petri in vincula*; Trajanus autem illas extendisse usque ad *S. Martini in montibus*, & ad sinistram, ubi *S. Luciæ in silice* ædes est, & *septem Atria*, intactum reliquisse peramplum palatium, non autem Titi domum, quæ angusta fuit, uti a Suetonio in ejus vita cap. II. describitur. *Natus est Kalendis Januariis insigni anno Cajana nece prope Septizonium, sordidis ædibus, cubiculo vero perparvo & obscuro: nam manet adhuc, & ostenditur*. Hanc vero domum a Tito Thermis conjunctam fuisse perquam verosimile est.

Sed hic aliud e Suetonio dubium occurrit: nempe, quam domum Titus ad thermas suas habuerit, novamne a se exstructam, an paternam? novam dici vix potest; quoniam tam brevi imperii tempore Thermas quidem festinato opere fecisse, at non domum aliquam novam legitur, qua quoque non indiguit, cum Palatium teneret Augustale, domum Laterani, pluresque alias: si paternam, certe non illam, in qua Domitianus natus, quæ, referente Suetonio, regione urbis sexta ad malum Punicum fuit: quam postea in templum gentis Flaviæ convertit: nam illa, in qua Titus ipse natus est, etiam post Domitianum superfuit. Ergo alia quædam fuerit, necesse est. Quum vero Vespasianus mediocres tantum fortunas habuerit, & tenacior in sumtibus faciendis, luxusque fuerit inimicus, domos tam multas possidere nequiit; unde probabile fit, eandem Titum domum ad Thermas suas habuisse, in qua natus fuit: augeturque hæc suspicio, addidisse eum paternis ædificia publica, easque statuis fortean & structuris aliis exornasse, licet cubiculum, in quo natus erat, intactum reliquerit. Hoc ita statuto, *Septizonium*, cujus Suetonius meminit, in vicinia fuit; uti & Donatus existimat; unde & in vita Gregorii IX. inquit ille, legitur: *Pontifex creatus prope Septizonium*

A *in diaconia S. Luciæ in septisolio*: quam & *in Orphea*, sive *in Orthea*, & *in Silice* etiam appellatam nullus dubitat. Veruntamen *S. Luciæ* templum *in septisolio* diaconiam fuisse sub Palatino positam, ad alterum Severi Septizonium, Martinus Polonus, Blondus, Lætus, & Panvinius scribunt; & ab Anastasio refertur sub nomine *diaconiæ S. Luciæ in septodio, in septasolis, in septem viis*, diversa ab illa altera *in Orphea*, vel *in Orthea* nuncupata: & in illa, non autem in hac, Gregorius IX. creatus Pontifex dicitur. Nihilominus vox Græca *Orthea*, *atria* vel cubicula significans, non abludit Septizonio: unde & illam nomen Septizonii obtinuisse, dici possit. Porro Septizonium hoc situ erat ædificatum commodissimo, in fastigio, quod recta totum vicum Patricium prospiciebat, eidemque rursus a fronte adspectabatur. Nec est, quod aliqui objiciant, Septizonium e regione *S. Gregorii* sub Palatino fuisse; aliudque ad Thermas Antoninianas: nam, præterquam quæ de ambobus postea suis dicentur locis, illud, quod sub Palatino fuit, indubie Septimii Severi opus fuit, ante quem Septizonium aliud fuisse ex allato superius Suetonii loco clarissime patet: quod nomen & hic corrupte, vitioseque proximis adaptari potuit cisternis, quæ nunquam speciem ullam Septizonii habuerunt, majoreque sunt numero.

Quæ namque nunc *septem Atria* dicuntur, novem admiranda aquarum sunt receptacula, quæ sine dubio Thermis inservierunt Titi proximis, vel ante has Neronis hortis irrigandis: vel potius celebre illud *Nymphæum* fuerunt a Marco Aurelio ædificatum, de quo Ammianus l. XV. *Cum plebs excita calore, quo consuevit, vini causando inopiam ad Septizonium convenisset, celebrem locum, ubi operis ambitiosi Nymphæum Marcus condidit Imperator*, &c. Verum de Nymphæis in regione quinta uberius disputabimus, & huic etiam aliquanto plus lucis fœnerabimur.

Sed ut ad ædem *S. Petri in vincula* redeamus, extendit se eousque ante Thermas Titi domus aurea Neronis: sive, ut rectius loquamur, non tam domus ipsa, quam *horti* ejus. Sic Martialis eodem epigr. II. superius allato:

Hic ubi miramur velocia munera Thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Agrum, non *domum* vocat: quam vocem Suetonius explicat: *Rura insuper arvis, atque vinetis, & pascuis, sylvisque varia, cum multitudine omnis generis, pecudum & ferarum*. Cujus rei veritas ex ipso situs intuitu multo etiam melius cognoscitur. Omnem namque planitiem, quæ inter Palatinum & Esquilinum interjacet, porticibus Nero occupaverat, ut de monte in montem prolato palatio in plano deambulare posset. Verum Palatino subjecta planities aliquanto depressior est illa, quæ est ad *S. Petri in vincula*; ubi Palatium desinebat. Illud autem spatium, quod non adeo magnum inter hosce Neronis & hortos Mæcenatis, quos itidem domui aureæ adjunxerat, intercedebat, viridibus occupabatur. Sic Tacitus l. XV. Annal. quum ingens illud incendium non ante cessasse refert, *quin & Palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur*, non a seipso diffidet, quando postpaullo ait: *Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus*. Siquidem incendium cessasse nequit sub Esquiliis, & totam hausisse domum, si ea fastigium quoque ejus collis occupasset.

Thermæ Philippi ea fuisse rudera censentur, quæ ad Ecclesiam *S. Matthæi in Merulana* visuntur. Sed nil ea de re certi: solæ conjecturæ ex forma & situ loci, reliquiarumque petitæ proponuntur: quas

vetus inscriptio ibidem reperta, & a Panvinio allata videtur confirmare:

L. RVBRIVS. GETA. CVR. P. CCCXXII.
D. N. PHILIPPI. AVG. THERM.

Unde & verisimile putatur, cum Philippus ædes suas in regione habuerit secunda, eas in Suburra fuisse Thermis suis vicina. Ad has thermas per eum forte Tabernolæ ramum adscendebatur, qui in Esquilias ducebat: de quo Varro: *Oppius mons terticepsos, lucum Esquilinum dexterior via in Tabernola est*. Quare neque procul ab his Thermis lucus abfuisse Esquilinus potest.

In proximo *domus Merulana* fuit, de qua S. Gregorius l. XI. epist. LVIII: *Ecclesiam positam juxta domum Merulanam regione tertia*, &c. quæ vel illic loci fuit, ubi nunc Ecclesia *S. Matthæi* est in *Merulana* nuncupata: vel saltem in vicina. Et hic quorundam Antiquariorum error observandus est, qui *Merulanam* non domus alicujus, sed ingentis fuisse regionis appellationem opinati sunt, corruptamque e voce *Mariana*. *Merularum* vero familia Romana antiqua, & Consularis fuit: meminitquæ Varro *Cornelii Merulæ* lib. III. de re Rustica.

Quid *Prætura præsentissima* fuerit, ignoratur; at, si quis in obscuris conjecturæ locus est, sententiam de ea meam in medium proferam. Vox *Præturæ* hic non munus denotat Prætorium, sed ædificium Prætorum proprium. Nec epitheton *præsentissima* adeo mirum videri debet, aut singulare; quum *prætura* a *præ esse* dicta sit apud Ciceronem: & *præsens* alias dicatur, *quod præ est*; & *præsentissimum, quod maxime præest*. Unde sequitur, *Præturam præsentissimam* ædificium aliquod fuisse usibus Prætoris Maximi, qui urbanus fuit, destinatum. Non hic ego loci Prætorem jus dixisse affirmo, quum judicia in foris & basilicis exercita nemo nesciat; sed hoc tamen non ignoro, Regis sacrificuli, & Prætoris urbani fuisse, singulis mensibus ferias publicas indicere; illius menstruas, juxta Varronem l. v. hujus autem compitales, ut est apud Macrobium lib. I. Saturnal. c. IV. Illum in Capitolio id fecisse idem Varro tradit: hic ubi ferias indixerit, ignoratur; neque tamen difficilis, aut ardua conjectura est, loco id elatiore Esquiliarum factum, qui planitiei illi Amphitheatri immmineret, cui *foro Vespasiani* nomen; quæque media urbe erat, & emporium rerum venalium. Huic autem editiori loco nomen datum *Præturæ præsentissimæ*. Forte ibidem & Album fuit, in quo Prætor urbanus in initio magistratus sui edictum proponere solebat, secundum quod eo anno jus dicturus esset: & secundum quod a Prætore quoque peregrino jus dici solebat, qui aliud edictum nullum proponebat; uti erudite ab Hottomanno docetur Comment. de Rom. Magistratibus. Album vero illud e gypso muro inducto factum Suidas referet in voce λεύκωμα. Tandem, quod & maxime probabile videtur, quum ultimis imperii R. temporibus omnis Prætoris urbani potestas ac jurisdictio ad sola spectacula reducta esset, cetera omni ejus auctoritate in Præfectos Prætorio translata; ut praclare Jos. Scaliger in epistolis ostendit; solaque Prætorum cura esset, ut e diversis Symmachi liquet epistolis, feras e longinquis procurare regionibus in usum Amphitheatri, equosque ad ludos Circenses; *Prætura præsentissima* ad majus Amphitheatrum ille locus esse potuit, in quo Prætor cum ædilibus & quæstoribus de spectaculis deliberabat: vel ubi tempora, loci, modi, ceteraque ad spectacula ludosque pertinentia, indicebantur: aut ubi de iisdem, deque eorum præparationibus, ac celebrationibus natæ lites desceptabantur. In Notitia legitur *Præsentissimum Choragium*:

A ubi aut distincte legendum *Præsentissimum*, *Choragium*; ita ut duæ voces sint interpunctim divisæ: vel errori id assignandum, & exiguæ rerum Romanarum cognitioni ipsius Notitiæ scriptoris.

Blondus, maximaque Antiquariorum pars, *Curiam veterem* sub *S. Petri in vincula* collocant; nullo alio argumento, quam quod in Notariorum notulis, qui seculis vixere aliquot præcedentibus, loca illi vicina *ad Curiam veterem* appellentur: suaque id adhuc ætate factum Blondus testatur. At hanc in Palatino fuisse certissimum est, ut e Tacito ostensum. Unde vel error is fuit seculorum istorum barbariei facile condonandus; vel *Prætura præsentissima* & ipsa *Curia* dicta fuit, ad exemplum *Calabræ*, quæ minori Pontifici, & Regi sacrificulo, in Capitolio ad indicendos dies, & ferias menstruas inserviebat.

B

Ludi magni nomen in duabus occurrit a Panvinio allatis inscriptionibus: in quibus procuratoris & medici istius ludi mentio fit: verum ubi ille fuerit, investigatu difficile est, cum tota ferme regio tertia incolis ac ædificiis vacua sit. Nomen *ludi* quod attinet, de eo in præcedente regione ubertim disputatum est. Manifesti vero erroris redarguenda Notitia est, in qua *matutinus* pro *magnus* legitur, qui ludus in secunda jam recensitus est regione.

C

Sed nec vestigia *Scholarum Quæstorum*, *Capulatorum*, & *Galli*, in vineis indagari queunt: ubi omnia rudera solo æquata sunt, aut dissipata. Ut autem quid *scholæ* fuerint, cognoscatur, duas olim ejusdem vocis significationes fuisse reperio. Prima, & maxime propria, quæque & hodie maxime viget, ac recepta est, locum denotabat, in quo ars aliqua publice docebatur. Sic Festus lib. XIX. *Scholæ dictæ sunt, non ab otio, ac vacatione, sed quod ceteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debent*. Quicum consentit Cassiodorus loco jam adducto de ludis, atque item epist. XXI. lib. IX. *Doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut scholarum Magistris deputata summa videatur imminui*. Plinius Cæcilius epist. III. lib. III. *Jam circumspiciendus Rhetor Latinus, cujus scholæ severitas, pudor, in primis castitas constet*. Et Martialis l. I. epigr. CXX;

D

Versus scribere me parum Severos,
Nec quos perlegat in schola Magister,
Corneli quereris, &c.

Sic & lib. II. epigr. LXIV. de Tacito agens, qui, utrum tutorem ageret, dubitabat, an caussidicum:

E

Si schola damnatur, si litibus omnia fervent,
Ipse potest fieri Marsya Caussidicus.

Quintilianus autem passim *scholarum Rhetorum* facit mentionem. Altera vocis illius significatio est, qua ordo aliquis, sive turma, sive corpus militare aliquod, indicatur, ab aliis turmis, aut similibus distinctum ordinibus. Ita Vegetius lib. II. c. XXI. *In orbem quendam per diversas cohortes, & diversas scholas promoveantur*, &c. & lex prima *C. de privileg. scholar. lib.* XII. quo sensu & accipiendæ XI. scholæ militum, de quibus Justinianus Imp. *lege ultima C. de locato* agit: *Milites autem nos appellamus eos, tam qui sub excelsis magistris militum tolerare noscuntur militiam, quam qui in undecim devotissimis scholis taxati sunt, nec non eos, qui sub diversis optionibus fœderatorum nomine sunt decorati*. Neque solum de militibus, sed & de domesticis usurpari hæc vox solita fuit, ut liquet e lege prima *Cod. de Annon. Civ. lib.* IV. lege unica *C. de Comit. & Trib. scholar. lib.* XII.

F

S. Gregorius lib. VII. epist. XVII. de scholis loquens A Notariorum, & Subdiaconorum: item Corippus l. IV. de laudibus Justini Minoris:

Protinus officiis summam tutantibus aulam
Ordinibus propriis, & prisco more notatis
Per scholas, turmasque vocans.

Nec aliter forsan accipiendæ multæ in Rufo & Victore *Scholæ, ut Quæstorum, Capulatorum, Scutariorum domesticorum*, & similes: quæ domus fuere, aut loca corporibus, seu ordinibus istis, destinata. Præ ceteris autem *Scholas Quæstorum*, & *Capulatorum* Panvinius ædificia fuisse censet, ubi oleum B annuum, aut menstruum, quod populo ab Imperatoribus donari solebat, dimetiri illi, & distribuere in populum solebant: & vel unum fuisse atrium, ubi Capulatores illud metiebantur, & Quæstores eorum, qui acciperent, habebant rationem: aut si duo fuerint, saltem conjuncta illa fuisse. Verum ego in horreis oleum distribui solitum puto, in quibus & asservabatur. Quod rationem autem Quæstorum attinet, certum est, priusquam illud divideretur, tesseram cuique datam, quæ rursus, cum oleum acciperent, exhibenda erat: uti postea fusius exponam, ubi ad *Porticum Minutiam*, divisionemque frumenti pervenero. Erant igitur scholæ C loca, seu atria, in quæ Quæstores & Capulatores stato tempore convenire solebant, uti etiam nunc corpora artificum solent. Has autem scholas in area Emporii fuisse, facile mihi persuaderi patiar. Nomen olim istiusmodi scholis Collegiorum fuit, cujusmodi varia variarum artium ac disciplinarum Numa instituit, ut Plutarchus in ejus vita fuse explicat: quæ postea sub Coss. abrogata nono post anno P. Clodius Tribunus pl. restituit.

Castra Misenatium in ipso colle fuisse, sicut illa peregrinorum in Cœlio, perquam verosimile est. D Hic milites classis, quam Augustus ad Misenum collocaverat, tendebant, vel cum inde Romam venirent, uti Donatus vult, vel cum primum legerentur, vel qui in mortuorum aut veteranorum sublegerentur supplementum. Quod in Rufo additur II. & in recentiore Victore *Castra Misenatium vetera* legitur, satis arguit, quam acuto ingenio illi fuerint, qui hunc nobis fœtum supposititium obtrudere voluere: de quo superius abunde multa diximus.

Domum suam in Esquiliis fuisse ipse Plinius epist. ultima, lib. III. indicat, ubi, sicut jam vidimus, de Martialis agit epigrammate: *Alloquitur Musam, ut domum meam in Esquiliis quærat* & Martialis eo- E dem illo epigr. XIX. lib. X. ad eam per Suburram accessum ostendit. Fuit igitur hæc in illa Esquiliarum parte, quæ inter ædem *S. Clementis* & *SS. Petri* & *Marcellini* editior est. Vicina illi fuit *domus* exigua *Pedonis* cujusdam, quam ibidem Martialis describit:

Illic parva tui domus Pedonis,
Celata est aquilæ minore penna.

Ubi addita vocula *tui*, quæ ad Musam refertur, aut Poetam illum fuisse innuit, aut epigrammatum admiratorem Martialis.

In eadem Esquiliarum parte, ad quam per cli- F vum Suburranum adscendebatur, *Pauli* cujusdam *domus* fuit: de qua Martialis l. V. epigr. XXIII:

Mane domi nisi te merui, voluique videre,
Sint mihi, Paule, tuæ longius Esquiliæ,
Sed Tiburtini sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem,
Alta Suburrani vincenda est semita clivi
Et numquam sicco sordida saxa gradu.

Quare si clivus *S. Luciæ in silice* Suburranus ille clivus fuisset, non tanta pilæ Tiburtinæ, id est a *Capite ad ædes*, ut vulgo vocatur, distantia fuisset, ut acrem hanc Martialis merita esset exclamationem.

CAP. XI.

Regio Quarta, via Sacra appellata, seu Templum Pacis.

AD illius Esquiliarum partis ima, ubi Regio Isis & Serapis finiebat, id est, proxime *hortos Pios*, quartæ initium erat, illi conterminæ. Ejus hæc est apud Sext. Rufum descriptio:

Regio Templum Pacis.

Templum Pacis.
—— *Remi.*
—— *Divæ Faustinæ.*
—— *Urbis Romæ & Augusti.*
—— *Veneris.*
—— *Telluris.*
—— *Solis.*
—— *Lunæ.*
—— *Concordiæ in porticu Liviæ.*
Basilica Constantini.
Via Sacra.
Basilica Paulli.
Sacriporticus, alias Sacriportus.
Forum Transitorium cum templo Divi Nervæ.
Balinea Daphnidis.
Volcanale.
Porticus Absidata.
Bucena aurea.
Apollo Sandaliarius.
Horrea Testaria.
Sacellum Strenuæ.
Sororium Tigillum.
Meta Sudans.
Caput Lynco.
Carinæ caput.
Domus Pompeii.
Avita Ciceronum.
Æquimælium.
Area Victoriæ.
Arcus Titi.
Vici VIII.
Vicus Sceleratus.
—— *Eros.*
—— *Veneris.*
—— *Apollinis.*
—— *Trium viarum.*
—— *Anciportus minor.*
—— *Fortunatus minor.*
—— *Sandaliarius.*
Ædiculæ VIII.
Musarum.
Spei.
Mercurii.
Juventutis.
Lucinæ Valerianæ.
Junonis Lucinæ.
Mavortii.
Isidis
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIMDCCLVIII.
Domus CXXXIIX.

Horrea

Horrea XIIX.
Balineæ privatæ LXXV.
Lacus LXXIX.
Pistrina XXIII.
Regio in circuitu continet
Pedes XVIII *millia*.

Illa vero P. Victoris ita se habet:

Regio Quarta Templum Pacis.

Templum Pacis.
—— *Remi*.
—— *Veneris*.
—— *Faustinæ*.
—— *Telluris*.
Via Sacra.
Basilica Constantini.
—— *Pauli Æmilii*.
Sacriportus.
Forum Transitorium.
Balineum Daphnidis.
Porticus absidata.
Area Vulcani cum Vulcanali, ubi lotus a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit.
Buccina aurea, vel buccinum aureum.
Apollo Sandalius.
Horrea Chartarea, vel Testarea.
Tigillum Sororium.
Colossus alias pedes CII *& semis, habens in capite radios* VII. *singuli pedes* XII. *& semis*.
Meta sudans.
Carinæ.
Domus Pompeii.
Avita Ciceronum domus.
Vici VIII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIMDCCLVII.
Domus CXXXVIII.
Horrea VIII.
Balineæ privatæ LXXV.
Lacus LXXVIII.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet.
Pedes XIIIM.

In altero Victore hæc amplius visuntur:

Templum Urbis Romæ.
Templum Solis & Lunæ.
Basilicæ Pauli Æmilii additur *vetus*.
Porticus Liviæ cum templo Concordiæ.
Sacriporticus, alias Sacriptortus.
Ubi in priore dicitur *Horrea Chartarea vel Testarea*, hic legitur, *Horrea Cantharia, vel Testaria, alias Tastaria*.
Altitudo radiorum Colossi hic est pedum XXII.
Sacellum Deæ Strenuæ.
Pro *Carinæ* legitur *Carinæ caput*.
Vicomagistri numerantur XXXII.
Horrea XVIII.
Pistrina XIIII.
Ambitus regionis pedes XIIIIM. alias XIIIM.

In Notitia dign. Imperii ad hunc modum describitur:

REGIO V.

A *Templum Pacis continet porticum absidatam, Aream Vulcani, Aureum Buccinum, Apollinem Sandaliarium, Telluris Templum, Horrea Cartharea, Tigillum Sororium, Colossum altum pedes centum duo semis: habet in capite radia numero septem, singula pedum viginti duorum semis; Metam sudantem, Templum Romæ, & Veneris, Ædem Jovis Statoris, viam Sacram, Basilicam Constantianam, Templum Faustinæ, Basilicam Pauli, Forum Transitorium, Suburram, Balneum Daphnidis. Vici octo, Ædiculæ totidem, Vicomagistri* XLVIII. *Curatores duo, Insulæ* II. *millia septingentę quinquaginta septem, Domus octoginta octo, Horrea decem & octo, Balnea* LXXV. *Lacus* LXXXIII. *Pistrina* XII. *Continet pedes tredecim millia*.

B Addita his a Panvinio:

Ad Corneta.
Vicus Cyprius, post Sceleratus.
Busta Gallica.
Templo Pacis subjicit: *in quo præter cetera ornamenta erant templi Hierosolymorum*.
Templum Veneris Cloacinæ.
—— *Telluris in Carinis cum Armamentario*.
Ædes Jani Curiatii.
—— *Junonis Sororiæ in Carinis*.
—— *Salutis*.
C *Odæum*.
Foro Transitorio addit: *alias Palladium, alias Divi Nervæ cum porticibus*.
Forum Cupedinis.
Secretarium Populi Romani.
Arcus L. Septimii Severi Aug.
—— *Constantini Aug.*
Domus Regis Anci Martii in via Sacra.
Spurii Cassii Viscellini in Carinis, ubi postea templum Telluris fuit.
Domui Pompeii addit: *Post M. Antonii in Carinis*.
D *Domus M. Manilii*.
Domus Philippi in Carinis.
Domus alia C. Cæsaris in Sacra via.
Domus D. Cœlii Balbini Imp.

Paulus Merula easdem regiones parte prima Italiæ suæ describens adjungit:

Domus C. Scipionis Nasicæ.
Domus Pontificis Maximi.

Addo & ego:

E *Regia*.
Dianium.
Ara Orbonæ.
Statua equestris ærea Clœliæ.
Templum Jani quadrifrontis.
—— *Palladis*.
Thermæ Domitii.
Sacellum ante domum Pont. Maximi.
Sacellum Larum.
Domus publica Regis sacrificuli.
—— *Virginum Vestalium*.
Templum Fortunæ Seiæ.
F *Domus, in qua docuit Lenæus libertus Pompeii*.
Clivus Ursi.

Incipiebat olim hæc regio a meta suadente: ac inter Amphitheatrum Titi & *hortos S. Mariæ Novæ* imas Exquilias adradebat; ubi regionis tertiæ terminum fuisse diximus. Inde inter *hortos Pios* & ædem *S. Andreæ in Portugallo* per illius planitiei tramitem usque ad hodiernam pergebat Suburram: hinc autem facto flexu, eandem ambiens plani-

nitiem, primum sub Viminali ad usque *B. M. V. de montibus*, dein sub Quirinali usque ad Arcum Nervæ, atque ulterius adhuc usque ad *S. Mariæ in Campo Carleo* porrigebatur. Inde rursus ad sinistram se retorquens, non procul ab ea via, quæ hodieque illic recta procurrens visitur, aliquantisper per gebat, donec in dextram conversa inter ædes *S. Hadriani* & *S. Laurentii in miranda* in conspectum fori prodiret; ubi subito viam Sacram intrabat; qua mox derelicta ad ædem *S. Mariæ Liberatricis* tendebat: & inde rursus recta linea versus arcum Titi semet extendens ad metam sudantem revertebatur. Probabimus hæc postea argumentis forte non invalidis: majoris autem illustrationis ergo ichnographiam hic totius regionis, si non omnino ad veri fidem exactam, saltem veri minime dissimilem subjecimus.

CAP. XXII.

Via Sacra.

INter nomina, quæ huic regioni a Sex. Rufo tribuuntur, illud quoque *Sacræ viæ* est: quæ mihi præ ceteris hic omnibus delineanda videtur necessario. In forum exisse, quamquam nonnemo negat, tamen certissimum est. Plinius enim lib. XIX. cap. I. Cæsarem & Forum & Sacram viam ab domo usque sua velis intexisse refert. Tacitus quoque in tertio Historiarum Populum omnes fori exitus Vitellio obsepsisse narrans, subdit: *Excepto illo viæ Sacræ*. Sic & Herodianus l. II. ait, Severum per somnum vidisse ingentem equum ornamentis & phaleris imperialibus instructum, qui Pertinacem per mediam viam Sacram veheret, verum ad introitum illum fori excuteret in terram. Ac tandem Appianus l. I. bellor. Civil. Octavium tradit cum multis suorum sequentibus per viam Sacram currendo instar torrentis in forum exundasse. Ubi vero, seu qua parte Fori, via Sacra illud intraverit, facile indagari poterit.

Templum Faustinæ, quæ hodie ædes est *S. Laurentii in miranda*, in Sacra via fuisse Vopiscus in Gallieno prodidit. Anastasius autem ædem *SS. Cosmi & Damiani*, a Felice IV. dedicatum, in Sacra via fuisse affirmat. Trebellius rursus de Salonino agens: *Denique*, inquit, *fuit statua hactenus in pede montis Romulei, hoc est, ante Sacram viam intra templum Faustinæ advecta ad arcum Fabianum*, &c. Prope igitur Faustinæ templum arcus Fabianus fuit, qui ultimus illius viæ limes, quippe in foro, ut etiam in octava regione postea docebitur. Confirmantur hæc egregie illis Ciceronis in Orat. pro Plancio, ubi duas Sacræ viæ extremitates describere volens, *si quando*, ait, *ut fit, jactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, cum ego ad fornicem Fabianum impellor; sed eum, qui in me incurrit, atque incidit*. Sed & a Seneca velut ad vivum dipingitur, tamquam unus de exitibus fori; quum in libello, *in sapientem non cadere injuriam*, de Catone agens ait: *a rostris* (quæ in medio foro fuerunt) *usque ad arcum Fabianum per seditiosæ factionis manus tractus* &c. quo tempore injurias multas, consputationes, & convicia populi pati coactus fuit. Ex his constare jam puto, viam Sacram per arcum Fabianum in ipsum exiisse forum, non procul a *S. Laurentii in miranda*, quod olim templum S. Faustinæ.

Arcum Fabianum Asconius in secundam Verrinam prope *Regiam* fuisse docet: *Fornix*, inquit, *Fabianus arcus est juxta Regiam in via Sacra a Fabio Censore constructus, qui a devitis Allobrogibus denominatus est, ibique scuta ejus posita propterea sunt*. Quid *Regia* fuerit, Festus exponit: *Regia dicta*,

A *vel quod sacrorum causa tamquam in fanum a Pontifice convocati in eam convenirent, aut quod in ea sacra a rege sacrificulo erant solita usurpari*. Convocari autem istuc solitos Pontifices Plinius Cæcilius confirmat epist. II. lib. IV. ubi de Domitiano, *Pontificis*, inquit, *Maximi jure, seu potius immanitate Tyranni, licentia domini, reliquos Pontifices non in Regiam, sed in Albanam villam convocavit*. Mense Octobri in eam caput equi deferebatur in honorem Martis in Campo Martio immolati, ea festinatione, ut sanguis adhuc in focum, qui illic erat, stillare posset. De hoc autem capite magna inter sacravienses & Suburranos erat


B dimicatio, ut supra monitum; unde si illi victores erant, muris Regiæ affigi solebat. ita Festus in *October equus*. Sed & Flaminica in Regia singulis nundinis sacra facere consueverat, ut ex Macrobio discere est, cap. XVI. lib. I. Saturnal. Granium citante Licinianum: *Ait enim nundinas Jovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus nundinis in Regia Jovi arietem soleat immolare*. Dici ergo ea possit supra ædem Faustinæ arcui fuisse Fabiano conjuncta: sic ut Sacra via una cum Arcu Fabiano, & Regia, in foro desierit. Nec abit in diversa Festus in *Sacram viam*: *Itaque*,

C inquit, *ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, Sacra appellanda est a Regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo Sacellum Streniæ, & rursus a Regia usque ad arcem*: unde colligi potest viæ illius vulgo finem existimatum, ubi forum ingrederetur, quod eousque angustiæ ejus durabant, tametsi illa per forum usque ad arcem pertenderet. Nec me movet, quod objici potest, Regiam Numæ ad templum Vestæ fuisse. Verum magna inter utrumque differentia est. Erat enim Regia Numæ juxta templum Vestæ, & Castorum ædem, in parte fori occidentali ad ingressum viæ novæ, qui ab arcu Fabiano remotissimus erat, ut in regione octava

D ostendetur: hæc autem non in foro fuit, sed in viæ Sacræ parte a foro distincta, omnibusque cognitissima. Illa ab Numa nomen tulit, quia regia ejus fuit, ac post in atrium Vestæ cessit. Hæc autem unde suum nomen acceperit, supra e Festo vidimus: nec cultui Vestæ, sed Martis erat dicata ministerio. Sic & Asconius in Milonianam: *Videtur mihi loqui de eo die, quo inter candidatorum Hypsæi, & Milonis manus in via Sacra pugnatum est; multique ex Milonis ex improviso ceciderunt; de cujus cæde & periculo suo, ut puto, loqui eum fecit, & locus pugnæ; nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia*. Quæ pugna si in foro accidisset ad Numæ Regiam, dubium nullum est, quin Asconius, cum in *via Sacra* eam evenisse diceret, aliquid etiam de foro additurus, atque

E indicaturus fuisset. In hac regia *Opem Consivam* cultam esse Festus prodidit, in *Opima*: *Itaque illa quoque cognominatur Consiva; & esse existimatur Terra: ideoque in Regia colitur a P. R. quia omnes opes humano generi Terra tribuat*. In eadem & *Sacrarium* fuisse, & in hoc *hastas Martis* ex A. Gellio discimus l. IV. cap. VI. *Ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nuntiatum esse senatui, in Sacrario in regia hastas Martias movisse*. Quas ego, aut quam potius Martis hastam eandem fuisse puto, quæ olim pro Martis statua in urbe culta fuit. Ita Clemens Alexandrinus in Proptreptico a Varrone scriptum tradit: *Romæ autem antiquitus statuam Martis fuisse hastam, dicit scriptor Varro*. Dilucidius id ipsum Plu-

F tarchus confirmat in Romulo: *Adhæc lanceam in Regia positam Martem vocari*, &c. Forsan & regia hæc templum Martis Quirini fuit, quod Servius intra urbem fuisse ait, ut alibi dictum; *Quirinus* autem vetere Sabinorum lingua *hastatum* significat: atque ideo fortassis equi cauda huc delata, affixaque fuit, quam Marti sacrificari solitum paulo ante vidimus:


M. Viminalis.
M. Quirinalis.
M. Esquilinus.
M. Capitolinus.
Forum Trajani
Forum Nervæ
Carinæ
Suburra
Forum.
Magnum.
Via Sacra
M. Palatinus.
1 Regia.
2 T. Faustinæ.
3 Arcus Fabianus.
4 T. Remi.
5 T. Pacis
6 Sacelli Streniæ
7 T. Veneris et Romæ
8 Domus Anu Marcii
9 Sacellum Larum
10 Colossus.
11 Meta Sudans
12 Arcus Titi
13 Vulcanale.
14 T. Jani Quadrifrontis.
15. Forum Transitorium.
16 T. Palladis
17 T. Telluris
18 Tigillum sororium.
19 Basilica Pauli
20 Græcostasis
21 Senaculum.
22 Basilica Opimia.
23 Ædicula Concordiæ
24. Curia Hostilia
25 Basilica Porcia
26 Lupercal.
27 Arcus Constantini
28 Amphitheatrum
Ichnographia Templi Pacis
S. C.

P M S.

Tum & virgines Saliæ, quibus e publico stipendium, ope Saliorum Martis ministrorum, præsente isthic Pontifice, paludatæ sacra faciebant, apices, non secus atque ipsi Salii, in capite gestantes. Ita Festus in *Salias*. Et hæc de re dubia sufficiant. De hac autem, non de alia regia locutum Plautum existimo, quum voce *Basilicæ* usus est act. III. sc. I. Curculionis, ubi ait; *damnosos maritos sub Basilica quærito*: quandoquidem, ut recte Donato animadversum, cum Plautus hæc scripsit, Basilica Portia & Opimia necdum constructæ erant, uti nec ulla alia: *Basilica* vero & *Regia* voces synonymæ sunt, illa Græca, hæc Romana.

Ea porro viæ Sacræ pars, quæ trans Regiam, & arcum Fabianum, forum pertransibat, alterius regionis fuit: quare nos ea in tempus relicta, & hac insistentes, quæ strictius accepta via Regia dicta est, uno ejus invento capite, quod in forum exibat, alterum quoque huic oppositum investigemus. Diximus supra ad Amphitheatrum Titi *summam viam Sacram* fuisse. Hanc Antiquarii ab templo Pacis usque arcum Titi, & inde recta ad metam sudantem deducunt. Quare ut oppositum alteri caput ejus cognoscamus, accurate illius considerandus situs est.

Templum Pacis, ut e ruderibus ejus liquet, & ea, quam Serlius nobis lib. II. suæ Architecturæ exhibet, ichnographia, proximum fuit ædi *SS. Cosmi, & Damiani*, & *S. Laurentii in miranda*: tum & depressus trium istarum veterum structurarum situs, partem ferme sui dimidiam nunc terra obrutarum, qui veteri situi humiliori soli Amphitheatri respondet, certa satis testimonia sunt, viam Sacram præter *S. Laurentii* & *SS. Cosmi* & *Damiani* recta ad ima tendentem Palatini, quæ ad *S. Mariæ* pertinent, non potuisse illic subsistere, ut non pergeret ulterius, & mox violenter in dextram declinans, acclivi ascensu ad altitudinem arcus Titi assurgeret, ut inde rursus ad metam deflecteret sudantem. Video vero arcus Titi & ædis *S. Mariæ Novæ* vicinitatem, quæ vetera hujus viæ vestigia confuderunt, occasionem suppeditasse eandem inflectendi, attollendique, verum ubi & arcum illum & Ecclesiam recte quis consideraverit, contrarium nobis facile persuaderi patiemur. Neque enim arcus ille decore in flexu viæ istius, ac tantæ acclivitatis termino constructus esset: tum & reliquiæ veteris ædificii, quæ in hortis *S. Mariæ Novæ* conspiciuntur, id ipsum in aliqua via positum fuisse indicant. Qua vero via arcus fuerit, mox videbimus. Interim libere pronuntiabimus, Sacram viam recta tractum illum occupasse, in quo nunc Ecclesia, Cœnobium & horti sunt *S. Mariæ Novæ*: in quorum extremitate caput illius viæ fuit, quæ *summa Sacra via* appellata fuit, &c. qua in Ceroliensem transibatur. Sicut igitur præclaro positu Amphitheatrum a Vespasiano e regione & in prospectu Sacræ viæ ædificatum agnoscimus: ita & e regione eidem oppositum Colossum fuisse mox videbimus; Arcui vero Titi directe respondit, objectaque est hodieque, meta sudans: ac tandem magna illa Neronis domus, quæ Palatinum cum Esquiliis conjunxerat, maximam suam altitudinem, seu fastigium, & præcipuum vestibulum alibi, nisi e regione, ac velut in fronte hujus viæ Sacræ habere potuit.

Nomen illi, uti aliqui Festo indice voluere, *quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum & Tatium: quidam, quod eo itinere utantur Sacerdotes edulium sacrorum conficiendorum causa.* Varro in IV. *Quæ pertinet ad arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare.* Quæ de fœdere inter Romulum & Tatium icto e Festo allata sunt, etiam a Dionysio lib. II. referuntur.

A

Victor & Rufus unanimiter hac in regione *Basilicam Pauli Æmilii* collocant, cujus & alteram regione nona recensent. Hunc Paulum duas fecisse Basilicas, quarum alteram veterem restituerit, alteram novam e fundamentis exstruxerit, Cicero lib. v. epist. XVI. ad Atticum commemorat: *Paulus in medio foro Basilicam jam pene texuit iisdem antiquis columnis. Illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quæris? nil gratius illo monumento, nil gloriosius.* At quam quæso veterem Basilicam Paulus in foro potuit restituere? Donatus Opimiam eam fuisse putat, vel Porciam. Verum Opimia in Comitio fuit, Porcia ad Curiam sub Palatino: & illam Pauli Æmilii medio illo latere fuisse, in quo ædes *S. Hadriani* est, perspicue postea suo ostendetur loco: alterius autem hac in regione constructæ nec vola, nec vestigium apparet. Quid igitur dicemus? Ego in hanc propendeo sententiam, Æmilium antiquis collapsæ Regiæ columnis fecisse novam basilicam, & restituisse Regiam in via sacra, nova & augustiore forma. Et hæc opinio a Ciceronis verbis minime discrepat. Sed in re tam incerta ubi soli conjecturæ locus est, certi nil affirmare ausim.

B

C

Vicinum regiæ *Veneris Cloacinæ signum* fuit: de qua, quod amplior disserendi octava regione erit occasio, hic nil addam. Panvinius hic *templum* ponit Deæ Veneris: quod, nec quo auctore id fecerit, nec quo loco hoc fuerit, indicare me posse lubens profiteor.

At dubitandum nullo modo est, quin *ædes S. Laurentii in miranda templum* olim *Faustinæ* fuerit. Liquet hoc ex inscriptione frontispicii, DIVO ANTONINO ET DIVAE FAVSTINAE S. C. Proximum huic *Remi templum* fuit; quod nunc *SS. Cosmi* & *Damiani* esse & ordo a Victore & Rufo servatus, & situs ipsius vicinitas probant. Tum & Anastasius idem docet in Felice IV; ubi Pontificem illum ait ecclesiam *SS. Cosmo & Damiano erexisse in loco, qui appellatur via Sacra, ubi ædem Remi ac Romuli fuisse ajunt.* Utrum illa solius Remi fuerit, an Remi & Romuli simul, ut plurimorum opinio est, certo non liquet. Victor autem & Rufus in illo consentiunt, unius Remi fuisse: Romulum vero aliud habuisse templum ad forum, regione octava ostendemus. Sed & Fulvius ex antiquo opere musivo, quod ætate adhuc sua in hujus ædis exstitisse refert septo, templum hoc SS. Cosmo & Damiano a Felice IV. ut ex Anastasio vidimus, dedicatum fuisse confirmat. Contra Donatus templum Quirini fuisse existimat, quod Livius extremo libro decimo a Papirio Consule constructum refert; idque quia Livius ibi, *Exornavitque, ait, hostium spoliis, quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum forumque his ornaretur, sed sociis etiam, colonisque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum dividerentur.* Verum *Quirini* cognomen, quod Remo numquam datum, nec uni Romulo proprium, sed ei cum Marte commune est, cujus apud veteres in templorum dedicationibus summa cura fuit, fidem ejus assertioni omnino derogat. Sed nec Livius fori aliquam indicat vicinitatem, cum templum forumque spoliis hisce exornatum tradit: quippe quæ & in vicinas colonias, & urbes sociorum divisa fuerint, atque distributa.

D

E

F

Templum Pacis ubi fuerit, jam lippis & tonsoribus notum est. Communis enim & antiquitus recepta traditio situm ejus absque ulla umquam controversia indicavit. Exstant hujus hodieque tria ingentia fornicum fragmenta ad S. *Mariæ Novæ* cum

hortis Piis conjuncta: ubi insignitæ magnitudinis columnam striatam ipse adhuc vidi, quam postea Paulus V. inde sustulit, & ante basilicam *S. Mariæ Majoris* A. cIↃ IↃCXIV. erexit: quam ego una cum septem aliis, quæ ibidem erant, atrii istius magni Neronis fuisse vel juratus affirmarim, a Vespasiano deinde ad ornatum hujus templi adhibitis, sicut & Tiburtinis ejus lapidibus in construendo usus est Amphitheatro. Recensetur hoc templum ab Ammiano lib. XVI. inter maxime mirabilia Romanæ urbis ædificia, ad quæ Hormisdas Persa præ ceteris obstupuit. Illa vero erant Templum Capitolini Jovis, Amphitheatrum, Thermæ, Pantheon, Templum Veneris & Romæ, Templum hoc Pacis, Theatrum Pompeii, Odeum, Stadium, & Forum Trajani. Nec aliud Plinio visum lib. XXXVI. c. XV. ut & Herodiano lib. I. ubi illud sub Commodo incendio absumtum narrat: *Quod unum scilicet*, inquit, *opus cunctorum tota urbe maximum fuit*, *atque pulcherrimum*. Ichnographiam ejus a Serlio lib. II. Architect. delineatam hic subjicere visum.

Facies ejus anterior in aversa numismatis antiqui parte conspicitur, quod inter cetera Vespasiani numismata Ericius publici juris fecit. Nemo enim, quin illud templi Pacis effigiem repræsentet, dubitat.

Hoc in templo Josephus l. VII. cap. XXXVII. de bello Judaico, Vespasianum præcipua templi Hierosolymitani ab filio Tito diruti spolia reposuisse, memoriæ prodidit, excepta tantum lege, & velis templi purpureis, quæ in Palatio custodiri voluit. Eadem spolia postea a Genserico Vandalorum Rege in Africam asportata, a Belisario vero multis post annis inde ablata, & in pompa sua triumphali Constantinopoli exposita, a Justiniano tandem Hierosolyma remissa, variisque ecclesiis dono data Procopius lib. II. commemorat de bello Vandalico. Remansit autem Romæ Arca fœderis, quæ in *S. Joannis Lateranensis* æde asservatur, neglecta forsan a Barbaris, quod cum e ligno facta esset, nil haberet prædæ opportunum, exceptis, quæ illam contegebant, ut in S. S. est, laminis, quarum ego minutissimas adhuc reliquias sub capitibus quibusdam bullarum superesse animadverti. Multi tamen sunt, qui existiment, hanc veram arcam non esse Hierosolymitanam; ac primum, quod Josephus illam inter cetera a Vespasiano & Tito in triumphi ornamentum ablata spolia non numeret, neque etiam in Titi arcu sculpta exstet: tum quoque, quod arca a Moyse facta lib. II. Machabæor. cap. II. ab Hieremia cum tabernaculo & altari incensi in montem Nebo asportata, legatur, specuque abdita, addito vaticinio, restituram illic ignotam, occultamque, *donec congreget Deus congregationem populi*, *& propitius fiat*, &c. id est, ut complures exponunt commentatores, usque ad judicium universale. Nihilominus, cum arcam illam considero exactissime formæ in lib. Exodi descriptæ convenientem, non possum mihi imaginari eam Romæ in alios usus factam fuisse: nec autem hoc figmentum pronuntiare temere excogitatum. Utrum antiqua illa Mosaica etiam nunc in monte Nebo existat, aliis excutiendum relinquo: onus illud humeris meis prægrave est; sic ut ei ferendo non sim. Sed faciamus illic esse: hoc sane certum est, primum templum a Salomone ad illius arcæ fœderis tutelam constructum fuisse, ut ante fuerat tabernaculum jussu divino factum in deserto. Hinc Propheta Rex cap. VII. lib. II. Regum: *Videtne*, inquit, *quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium*? Eapropter præstantissima templi pars, *Sanctum Sanctorum* appellata, custodiæ ejus dicata fuit, cum cetera in anteriori parte in solum ejus quasi ministerium posita essent. Qua igitur de caussa Zorobabel e Persia redux absque arca, & duabus legis divinæ tabulis, quæ in arca asservari solebant, templum restituerit, aut quid in ejus sacrario sub pretioso velo purpureo collocarit, quod tot aliarum rerum adjumento instrumentoque coleretur, omnino non video. Jam vero in secundo illo templo *Altare incensi* fuisse e Lucæ cap. I. liquet, ubi de S. Zacharia ait: *Apparuit autem illi angelus Domini stans a dextris altaris incensi*. Adhæc, si duæ legis tabulæ a Vespasiano in triumphum ductæ fuerint, & post in Palatio asservatæ, exstitisse illas fatendum est: at ubi tabulæ fuerint, ibidemne arcam fuisse negabimus, in qua illæ recondi solebant? an vero Hieremiam arcam in montem Nebo detulisse, legem autem non eodem asportasse dicemus? Sequetur igitur necessario, ut Zorobabel in novo templo novum altare construxerit incensi, orbatusque tam pretiosis divinæ manus chirographis, ut saltem sententia eorundem in templo coleretur, in qua spiritus & anima omnis consistit scripturæ, legem novis duabus tabulis lapideis insculpi curarit, quæ postea a Romanis in triumphum ducta sit. Sed an huic nulla cista, aut armarium, seu repositorium parari debuit, in quo custodiretur? En igitur arcam redintegratam a Zorobabele ad imaginem prioris: quod cur negetur, nescio. Quin & anulos mihi quatuor observasse visus sum, per quos ligna immitterentur, angulis proximos, non ex auro, ut in libro Exodi legitur, sed ex ære: tum vero nonnihil residui lamellarum abradens deprehendi non ex auro illas, sed ex argento deaurato fuisse: quod minorum sumtuum atque magnificentiæ argumentum est, quibus Zorobabel res omnes restituit: quæ & causa planctus exstitit ætate provectiorum, in communi illa populi lætitia, quum templum jam absolutum dedicaretur. Viderant enim illi prius templum multo splendidius, ac divitiis affluentius, ut est apud Josephum lib. II. cap. III. Antiquitatum. Quod autem idem Josephus nullam arcæ in triumphi descriptione faciat mentionem, non obstat. Tria namque sola refert maximi a Romanis facta, ordineque ultimo in triumpho portata: nimirum candelabrum aureum, mensam auream, & legem: cetera vero absque ullo ordine confertim antea portata: inter quæ & arcam fuisse verosimile est, quæ utpote ex ligno facta, tanti a Romanis, quanti priora illa, habita non fuit. Inter illa confertim exhibita Josephus etiam duas tubas argenteas posuisse animadvertitur, quibus singulis annis quinquagesimis jubilæum indici solitum: quæ & ipsæ in arcu Titi ante candelabrum & mensam sculptæ visuntur. Quod si autem illic arca non videatur, angustiæ id spatii dandum est, quod spoliorum multitudini non sufficiebat. Et sane multum est, de quatuor illis tria ultima ibidem sculpta conspici.

Hoc templi Pacis situ Antiquarii olim domum Cæsaris fuisse affirmant, verum nullo idoneo auctore aut argumento. Cæsar vero in via Sacra non propriam domum habuit, sed publicam, usibus Pontificis Maximi destinatam. Ita Suetonius cap. XLVI. *Habitavit primo in Suburra modicis ædibus, post autem pontificatum maximum in Sacra via, domo publica*. Hanc autem hic non fuisse, quantum conjectura assequi licet, mox dicturus sum.

In Templo Pacis bibliothecam fuisse A. Gellius indicat l. XVI. c. VIII. *Commentarium*, inquit, *de proloquiis Lælii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quæsivimus, eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus*. Erat in eodem ingens quoque Nili statua, e marmore Æthiopico, coloris ferruginei, Basalte dicto, cum sedecim puerulis circa eum

ludentibus Plinius lib. XXXVI. cap. VII. *Invenit eadem Ægyptus, quem vocant Baſaltem ferrei coloris atque duritiæ. Numquam hic major repertus eſt, quam in templo Pacis ab Imp. Veſpaſiano Auguſto dicatus, argumento Nili, ſexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis ejus intelliguntur*. Erat & ibidem inter nobiliſſimas picturas Jalyſi imago, opus Protogenis, cum cane iſto celeberrimo, cujus ſpumam oris cum pictor effingere non poſſet, poſt repetita tandem fruſtra tentamina indignabundus ſpongiam picturæ impegit, qua colores e penicillis abſtergebat, atque ita fortuna induſtriam pictoris artemque admirabili ſimilitudine effictа ſpuma ſupplevit: ut eſt apud eundem Plin. l. XXXV. cap. X.

E regione Regiæ ad alterum arcus Fabiani latus Comitium fuit: quod in forum procurrens una cum arcu illo regione octava exponetur.

Domum regis ſacrificuli in via Sacra fuiſſe ſuperius e Feſto habuimus, quæ publica fuit, & ficti illius regis uſibus dicata, non ſecus atque illa Pontificis Maximi. Facile vero inducar, ut credam vicinas illas inter ſe fuiſſe: ſic & vicinam illis fuiſſe publicam virginum Veſtalium domum, cui poſtea illa regis ſacrificuli ab Auguſto conjuncta fuit, e Dione diſcimus, qui lib. LIV. *cum eſſet*, inquit, *creatus Pontifex Max. neque domum publicam accepit; ſed cum omnino publicam eſſe Pontifici Max. habitationem oporteret, ſuarum ædium partem ipſe publicam eſſe juſſit, ac regis ſacrificuli domum virginibus Veſtalibus dedit, quoniam earum ædibus contigua erat*. Nec ignoro tamen, Donatum hic vocem ἀρχιερεύς, qua ſummus Pontifex ſignificatur, & βασιλεὺς τῶν ἱερῶν pro iiſdem accipere, exiſtimareque Dioni ſummi Pontificis domum Veſtalibus donatam dici: Verum quum Regis ſacrorum dignitatem Romæ ſacerdotalem a Pontificis Maximi dignitate diverſam fuiſſe conſtet, non video, cur eas a Dione confuſas exiſtimare debeamus, præſertim cum duorum tantum verſuum intervallo utriuſque nomen clariſſime diſtinxerit. Dionis enim hæc eſt ſententia, Auguſtum, cum Pontifex Max. factus eſſet, partemque eapropter ſuarum ædium publicam feciſſet, domum regis ſacrificuli contiguis Veſtalibus donaſſe, quia illi Pontificis Maximi domus vicina adhærebat; quod etiamſi non expreſſis verbis dicat, ipſe tamen hoc ſenſu ſuggerit. Atque ita tres iſtæ ſacræ dignitates ſimul quammaxime decore atque commodiſſime habitarunt. Poſſit hinc colligi, cum Pontifex Maximus, Rex ſacrificulus, & virgines Veſtales domus publicas via Sacra habuerint, ea magis de cauſſa nomen hoc illi viæ adhæſiſſe, quam quavis alia. Feſtus opinionem vulgi fuiſſe ait, viam regiam non pertranſiſſe domum regis ſacrificuli, illam nempe, quæ ante Pontificis Maximi erat, & a Cæſare habitata: cujus mihi rei maxime probabilis ratio occurrit, quod alia illic eam via interſecuerit; a qua viæ interruptione, & quod ibi domus publicæ ſacerdotales deſierint, nata opinionum varietas eſt. Viam ſane iſtiuſmodi, quæ viam Sacram interruperit, inter Pacis templum & ædem *SS. Coſmi & Damiani* olim fuiſſe ex ichnographia iſtius templi perſpicitur: ubi præcipua ejus facies, ſeu frontiſpicium, non in viam Sacram proſpexiſſe cernitur, ſed in aliam tranſverſam; unde illam ibidem exſtitiſſe neceſſario ſequitur. Utrum vero illic domus regis ſacrificuli fuerit, nec ne, affirmare, ſeu decidere non auſim: ſufficiat hæc attuliſſe, quo via Sacra lecturis eſſet cognitior.

Ante domum Pontificis Maximi *Sacellum* fuiſſe Plutarchus in Cæſare docet: *Ante Cæſaris domum Sacellum quoddam inſtar tumuli decori, ac venuſti, ex Conſulto Senatus inſtructum prominebat. Hoc in ſomniis demolitum cernens Calpurnia*, &c. ſed & *Scipionem Naſicam* in via Sacra habitaſſe, præbita ei publice domo, Pomponius Juriſconſultus ſcribit *lege ſecunda §. Juris Civ. ff. de origine Juris: C. Scipio Naſica, qui vir optimus a ſenatu appellatus eſt, cui etiam publica domus in Sacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet*.

Templum Veneris, quod Rufo & Victore memoratur, & *Romæ*, quod Rufus ſeorſim recenſet, dubitare nolim, quin duo templa conjuncta fuerint ab Hadriano ambabus iſtis Deabus conſecrata, de quibus ſub unius templi nomine Dio in Hadriano ita ſcribit: *Veneris & Romæ templi deſcriptionem ad eum mittens*, (ad Apollodorum Architectum) *quippe ſignificans, ſine illius opera & miniſterio etiam ingentia ædificia exſtrui poſſe, quærebat an ædificium illud recte ſe haberet. Reſcripſit de templo, ſublime illud & concavum fieri oportere, ut ex loco Superiori in Sacram uſque viam inſignior proſpectus eſſet, & magis conſpicuum. Concavum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi, & item ex occulto in Theatrum duci poſſent*. Quem locum ab Antiquariis male intellectum de templo Veneris a Cæſare olim conſtructo, & ab Hadriano, uti credebant, reſtituto, Donatus abunde oſtendit. De eodem Caſſiodorus in Chronicis: *His coſſ.* (de Pompejano agit & Attiliano) *Templum Romæ & Veneris factum eſt*. Verum Prudentius, non ſecus ac Rufus, duo diſtincta deſcribit l. II. contra Symmachum:

Ac Sacram reſonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ; colitur nam ſanguine & ipſa
More Deæ, nomenque loci ceu numen habetur:
Atque urbis, Veneriſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura deabus.

Nos igitur cum Prudentio duo templa diverſa, ſed conjuncta fuiſſe credimus, adeoque dignum ingenio Hadriani opus fortean & male intellectum, quum alterum cum altero communi pariete uteretur. Hujus ædificii cauſa motum loco ſuo Coloſſum Neronis extrema Sacra via non procul ab Amphitheatro abfuiſſe ſuſpicor: eoque magis, quod ludorum machinæ juxta Apollodori deſcriptionem inde peti, eodemque referri deberent, unde mihi firmiter perſuadeo duo illa ſepta conjuncta, quæ in hortis *S. Mariæ Novæ* adhuc ſuperſunt, nullius alterius ædificii reliquias eſſe, quam templi Veneris & Romæ. Fulvius eas templorum Iſidis & Serapidis eſſe putat reſidua; verum errore, uti dixi, manifeſto, quum illa extra regionem illius nominis exſtiterint. Marlianus exiſtimat templa illa *Solis & Lunæ* fuiſſe: ſed nullo plane idoneo iſtius ſitus indice: ſed nec illa duo templa tantæ celebritatis ædificia fuiſſe conſtat, quantæ illa fuiſſe, eminentiæ iſtæ ingentes, poſt tot ſecula ſuperſtites, hodieque teſtantur. Contra ea templa Veneris & Romæ, inter illa ſex ſeptem ædificia, quæ in urbe ſtuporem Hormiſdæ Perſæ excitavere, ab Ammiano memorata ſupra vidimus. In Rufo legitur *Templum Romæ & Auguſti*, ubi vocula *Auguſti*, abſque ullo bono opportunove ſignificatu, ab ſciolo aliquo Librario hic mihi inſerta, additave videtur, decepto forſitan illis Suetonii in Auguſto cap. XXV. *Templa quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine recepit*: quum non obſervaret, animumve ad ea adverteret, quæ ſequuntur; *Nam in urbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore*.

Meminit *templi* alicujus *Romæ* dedicati ætate Conſtantini Sextus Aurelius libro de Cæſaribus: ubi & *Baſilicæ Conſtantini*, quæ a Victore & Rufo hac in regione collocatur, mentionem faciens, non-

nullum indicium facit, Templum illud forsitan ab Hadriano constructum, ac postea restitutum, aut etiam ampliatum fuisse: nec longe a Basilica remotum. Sed ut ut ea se res habuerit, mihi ipsius attulisse verba scriptoris suffecerit: *Adhæc cuncta*, inquit, *opera, quæ magnifice construxerat, urbis Fanum, atque Basilicam Flavii meritis Patres sacravere*.

Prope idem templum, nempe, ubi nunc *S. Mariæ Novæ* ædes est, Paulus I. ecclesiam honori *SS. Petri & Pauli* consecravit, ut est apud Anastasium. *Hic*, inquit, *fecit noviter Ecclesiam infra hanc civitatem Romanam in via Sacra, juxta Templum Romæ in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, ubi ipsi beatissimi Principes Apostolorum tempore, quo pro Christi nomine martyrio coronati sunt, dum redemtori nostro funderent preces, propria genua flectere visi sunt. In quo loco usque hactenus eorum genua pro testimonio omnis in postremo venturæ generationis in quodam fortissimo silice licet esse noscuntur designata*. Qui silex una cum impressis sanctorum vestigiis hodieque visitur in æde *S. Mariæ Novæ*: unde argumentari licet, illic in vestibulo magnæ domus Neronis, cum ipse de aliqua forte fenestra prospectaret, Simonem Magum a diabolo per aera vectum, & ad preces SS. Petri & Pauli in Sacra via in terram delapsum esse, sicut in Passione S. Petri legitur. Quod autem illic legatur, Magum illum volatu in Theatrum sese contulisse, nil obstat; quum simplicitati illud scriptoris tribuendum sit, qui per theatrum vestibulum intellexit, in quod, velut in theatrum, ingens spectatorum confluxerat multitudo, ut tam mirabili frueretur spectaculo. Confirmat hæc Epiphanius hæresi XXI. ubi ait factum id media urbe. Codices porro quamplurimi Anastasii habent, *juxta templum Romuli*: sed hic manifestus librarii error est, cui *templum Romæ* vitiosum visum: quod & pluribus Anastasii locis accidit. Idem & nonnullis Martyrum Actis evenit & præsertim Passioni S. Pigmenii, in qua *in Clivo viæ Sacræ ad Romuli templum*, correctum est, *ad Romæ Templum*. e quo errore opinio nata est, ecclesiam *SS. Cosmi & Damiani* vetus Romuli fuisse templum.

Solis templum hic in vicinia fuisse, minime negaverim: quandoquidem præter Rufum, qui illud in hac regione juxta Amphitheatrum fuisse indicat, multa etiam Martyrum Acta illius meminere, quippe qui ante illud martyrio affecti sint. Unde, non adeo futilis conjectura sit suspicantium in area illud fuisse, quæ ante Amphitheatrum fuit; nihilominus in latere viæ Sacræ contiguo, & in quo via Sacra desinebat.

In summa Sacra via priscis temporibus Ancus Martius habitavit, quartus Romanorum Rex. Ita Solinus c. I. *Habitavit in summa Sacra via, ubi ædes Larium est*. Et Tacitus in duodecimo Annali, Romulum ad ima Palatini sulcum ducentem *ad Sacellum Larum, forumque Romanum* pervenisse scribit: quod *Sacellum* idem esse, atque memoratam Solino *ædem Larium*, apud me extra controversiam est: quum aliud ad radices Palatini fuisse Sacellum ignoretur, priusquam ab eo latere ad forum perveniretur. Unde consequitur, Ancum Martium a parte Palatini habitasse, non autem ab altera parte versus Esquilias, ubi nempe nunc horti *S. Mariæ Novæ* sunt, & ubi tum postea factum *Sacellum*, seu ædes *Larium* est. *Sacellum* enim nil aliud significat, quam ædiculam; & est diminutivum vocis *Sacrum*, uti Gellius docet lib. VI. cap. II. Est autem omnino verosimile ædem Larium perexiguam fuisse, adeoque facile *Sacellum* dici potuisse: quarum duarum vocum exigua apud veteres scriptores est habita differentia. Hinc male Sacellum illud, seu ædes a quibusdam collocari solet ad ædem *S. Mariæ Liberatricis*, quæ longe a summa Sacra via remota est. Cicero idem illud templum in Palatino collocat lib. II. de Nat. Deor. *Febris enim fanum in Palatio, & ædem Larium consecratam vidimus*. Verum sive in monte, sive ad ima montis, exigui ea differentia momenti est.

In proximo hic *Ara Orbonæ* fuit. Plinius lib. I. cap. VII. *Ideoque etiam publicæ Febris Fanum in Palatio, Orbonæ ad ædem Larium ara, & malæ Fortunæ in Esquiliis*. Culta ea divinis honoribus fuit, *ne orbos faceret*, ut est apud Arnobium lib. IV. contra gentes.

Sic & extrema Sacra via *Sacellum* Deæ *Streniæ* fuit. Rufus eam *Strenuam* appellat: uti & secundus Victor. Verum *Strenia* apud Varronem legitur, cujus supra verba adduximus, *quod hic oritur caput Sacræ viæ ab Streniæ Sacello*. Huic consentit Festus. *Sed etiam a Regis domo ad Sacellum Streniæ*. Ne quis vero vitium hic putet, audiamus & Symmachum lib. X. epist. XXVIII. *Strenarum usus adolevit auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auspices primus accepit*. Qui lucus utrum Tatii ætate eo loco fuerit, ubi postea Sacellum structum fuit, non liquido dixerim. A *strenis* igitur Dea *Strenia dicta, quæ xeniis, seu muneribus Kal. Jan. dandis accipiendisque præesset*, ut est apud D. Augustin. l. IV. de C. D. C XVI. Symmachus epist. XX. lib. X. *Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis streniis dicavit antiquitas*. Sacellum igitur ejus in capite Sacræ viæ fuit in extremis hortis *S. Mariæ Novæ*, seu potius extra illos, in sinistra ejus parte versus Exquilias, e regione ædis Larium; siquidem in eodem latere fuere Regia, & domus Regis sacrificuli, quas Varro similiter viam Sacram terminasse refert.

Hac viæ Sacræ extremitate poma, fructusque ceteri, vendi solebant, ut e compluribus discimus auctoribus; in primis Varrone, qui lib. II. de R. R. & hoc addit, statuam hic, vel picturam auream fuisse: *Hujusce inquam pomaria summa Sacra via, ubi poma veneunt, contra auream imaginem*. ut & ex Ovidio lib. II. de Arte:

Quum bene dives ager, cum rami pondere nutant,
Afferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa;
Illa vel in Sacra sint licet emta via.

Sed & mel ibi præcipue venale fuisse idem Varro docet l. III. de R. R. c. XVI. ubi de apibus agens, *De his*, inquit, *propolim vocant, e quo faciunt ad foramen introitus protectum in alvum, maxime æstate: quamobrem etiam nomine eodem Medici utuntur in emplastris: propter quam etiam carius in Sacra via, quam mel, venit*.

Tandem & ingens ea via *Colossus Solis* fuit: quem Nero erexit in vestibulo domus aureæ. Suetonius cap. XXXI. *Vestibulum ejus fuit, in quo Colossus CXX. pedum staret ejus effigie*. Quæ domus quum vel demolitione, vel incendio postea interiisset, Vespasianus de integro eum in sacra via erexit, ut est apud Dionem lib. LVXI. *Vespasiano VI. & Tito IV. coss. Templum Pacis dedicatum est, & Colossus in Sacra via collocatus*. Ubi utrum aliorsum translatus fuerit, quod templi Pacis obstaret structuræ, an vero eodem loco, quum destructa domo aurea & ipse collapsus esset, collocatus sit, non exprimitur: collapsum tamen, eoque casu corruptum aliqua ex parte e Suetonii verbis in Vespas. cap. XVIII. colligi posse videtur. *Colossi*, inquit, *refectorem insigni congiario magnaque mercede donavit*. In alium tamen a priore locum translatus videtur ex his Martialis.

Hic ubi sidereus propius videt astra Colossus,
Et surgunt media pegmata celsa via,
Invidiosa feri radiabant atria regis.

Ubi non *vestibulum*, sed *atrium* Neronis nominat, quæ pars domus est ab vestibulo diversa, & interior magis; ut alibi docebitur. Hinc igitur liquet e vestibulo eum in atrii situm translatum fuisse. Tandem & ab Hadriano loco motum, quum templum Veneris & Romæ construeret, Spartianus tradit: *Transtulit Colossum stantem atque suspensum per Detrianum Architectum de eo loco, in quo nunc templum urbis est, ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet.* Unde patet, eo ipsum loco, ubi a Vespasiano constitutus erat, aut operis partem, aut aditum, aut prospectum templi impedisse, quod Hadrianus moliebatur. Locus ille fuit in hortis *S. Mariæ Novæ* juxta illa vetusti operis residua vestigia, quod Veneris & Romæ templum fuisse supra judicavimus. Hadrianus autem mihi colossum e Sacra via transtulisse videtur, in cujus jam ante conspiciebatur extremitate, in aream, sive emporium, quod ante Amphitheatrum fuit, forte contra metam sudantem: sic ut non solum e via Sacra posset conspici, sed & ex illa, quæ per arcum Constantini recta ad circum maximum ducebat. Certe nomen *Colossei*, quod a colosso Amphitheatro adhæsit, non longe inde absuisse manifeste arguit.

Fuisse autem e marmore, & non, ut vulgus putat, ex ære, Donatus erudite e Plinio lib. XXXIV. cap. VII. observavit: *Ea statua*, inquit, *indicavit, interisse funditus æris scientiam, cum & Nero largiri aurum argentumque paratus esset, & Zenodorus scientia fingendi, celandique nulli veterum postponeretur*, &c. & paullo post: *Quantoque major in Zenodoro præstantia fuit, tanto magis deprehendi æris obliteratio potest.*

Altitudo ejus a Suetonio dicta est cap. XXXI. fuisse pedum CXX. a Victore CII. a Plinio CX. lib. V. cap. V. a Cassiodoro in Chronico CVII. a Dione Cassio lib. LXVI. c. ut Xiphilinum omittamus, qui in Vespasiano CCCXXIV dicit, in quo errorem agnosco. Sufficit autem in hac scriptorum variatione magnitudinem ejus intra C & CXX pedes fuisse.

Nec minor quod ad effigiem ipsam differentia est. Ac primum quidem Neronis imaginem colossus exhibuit, ut e Suetonio vidimus. A Vespasiano vero restitutus faciem mutavit, accepitque effigiem Solis, ut est apud Plinium loco jam indicato: *Qui dicatus Solis venerationi est damnatis sceleribus illius Principis.* Nihilominus Dio Vespasiani illum ætate Neronis, aut, ut alii dicebant, Titi effigiem habuisse tradit: *Vespasiano* &c. *Colossus Sacra via locatus*, &c. *Imago Neronis erat, vel Titi, ut ab aliis traditum est.* Quod & a Lampridio confirmatur in Commodo, qui expressis verbis ait: *Colossi caput demsit*, (Commodus scilicet) *quod Neronis esset, ac suum imposuit, & titulo more solito subscripsit*: qui & clavam, & leonem ex ære ad pedes addidit, ut eo magis Herculem referret, uti Dio subjungit. Præterea Spartianus in Hadriano affirmat, hunc, non autem Vespasianum, vel Commodum, caput ei Neronis abstulisse: *Et cum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dedicatum fuerat, soli consecrasset.* In qua sententiarum varietate, caput ei a diversis ablatum mutatumque afferentium, Donatus optimum factu putat Plinio, velut oculato testi, fidem habere, ceteros repudians, quippe qui illud habuerint tantum ex auditu. Mihi vero, cum singulorum verba accurate expendo, non discrepantia modo nulla sententiarum, verum contra summus consensus apparet. Ac primum hoc veluti certum indubita-

A tumque statuatur, colossum hunc a Nerone sibi suaque cum effigie, erectum in vestibulo domus suæ, non autem in honorem solis. Nec aliud illa volunt Suetonii: *in quo colossus CXX pedum staret ipsius effigie.* Sed nec aliud tradidit Plinius: *Romam accitus est* (sculptor nempe) *a Nerone, ubi destinatum principis simulacrum colossum fecit CX pedum longitudine*: nec subjungit ille, Vespasianum, cum illum soli dedicaret, caput illi Neronis abstulisse: sed cum antea Nero eo coleretur, ut pro eo Apollo venerationem hanc acciperet, in hujus illum effigiem additis radiis, vel quo alio insigni mutavisse: *qui dicatus Solis venerationi est*

B *damnatis sceleribus illius principis*: quicum mirifice consentiunt illa Dionis: *Colossus Sacra via locatus* &c. *Imago Neronis erat, vel Titi* &c. sed nec Spartianus dissentit, cum Hadrianum translatum Colossum Soli consecrasse scribit, sicut & Vespasianus fecerat, reponendo radios, illæsa intactaque Neronis imagine: *Cum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dedicatum fuerat, soli consecrasset.* Hinc liquet, cum Lampridius Commodum Neronis abstulisse caput dicit, cum Dione illum consentire, neque cuiquam ceterorum adversari.

C In Sacra via *statuam equestrem* ex ære fuisse *Clœliæ* virginis, quæ ex Porsennæ castris aufugiens arrepto equo Tiberim transnaverat, Livius lib. II. Dionysius lib. V. & Servius in VIII. Æn. referunt, in eo discordes, quod Livius *in summa* eam esse *Sacra via* dicat, Dionysius sua ætate non exstitisse eam amplius, sed igne consumtam fuisse tradit, Servius autem multo Dionysio posterior contrarium affirmet: *Quam in via Sacra hodieque conspicimus.* Ut & Seneca in Consol. ad Marciam cap. XVI. *Equestri insidens statuæ, in Sacra via, celeberrimo loco, Clœlia exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus in ea illos urbe sic*

D *ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus.* Forte ætate Dionysii consumta incendio, collapsave, ab alio postea restituta fuit.

Eadem via nonnulli etiam *ex ære* fuerunt *elephantes*. Sic Cassiodorus l. X. epst. XXX. *Relationis*, ait, *vestræ tenore comperimus in via Sacra, quam multis superstitionibus donavit antiquitas, elephantes æneos vicina omnimodis ruina titubare*, &c. Solebant hi cum curribus poni triumphalibus in honorem imperatorum, & imperatricum. Ita Senatusconsulto, a Capitolino in vita Maximinorum allato, Maximo & Balbino iidem decreti: *Maximo, Balbino, & Gordiano statuas*

E *cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus*, &c. & in Gordiano tertio: *His in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset*, &c. & vetustior Capitolino Suetonius cap. XI. in Claudio tradit, imperatorem illum *Aviæ Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum* curasse. Sic & Plinius lib. XXXIV. cap. V. de honore agens pedestrium statuarum, ut & equestrium, & curulium, subjicit: *Serum hoc, & in his nonnisi a divo Augusto sejuges; sicut & elephanti.* Illi vero elephan-

F ti, quos Cassiodorus indicat, forte ad ima clivi fuerunt, qua ad palatium tendebatur.

Clivi Sacræ viæ meminerunt Acta S. Pigmenii: *Cœpit Pigmenius ascendere per clivum viæ Sacræ ante templum Romuli*, &c. (vel *Romæ* potius, ut supra habuimus.) *Ecce Julianus procedens in regiam aulam videns Pigmenium Presbyterum a longe per clivum venientem*, &c. Unde colligi possit, *clivum* hunc dirutis Neronis ædibus fuisse, ubi ex via Sacra ad Palatium ascendebatur; & forte ultra arcum Titi, inter *S. Mariæ Novæ*, & *S. Sebastiani* ædem in *Pallara*

CAP. XIII.

Domus Neronis, cum ea regionis parte, quæ versus Palatinum vergebat.

Colossus nobis tertiam de Neronis domo disserendi ansam suppeditat: cujus descriptio si non exacte tradi, certe magna ex parte e Martialis cognosci potest epigrammate, in quo multarum illius partium situs exhibentur. Nam si Atrium ejus fuit, quo a Vespasiano translatus Colossus est, & ubi postea Hadrianus Templum Veneris & Romæ ædificavit, ubi nempe nunc horti sunt *S. Mariæ Novæ*, magnum ejus domus vestibulum ante atrium inter ecclesiam *S. Mariæ Novæ* & templum Pacis fuerint, necesse est: atque hinc valdequam verisimile est, Neronem intecta illa viæ Sacræ parte, quam Festus omnibus notam dicit, *a Regia ad domum Regis sacrificuli*, ubi scilicet ab alia via versus Carinas tendente intersecabatur, quidquid ejus reliquum fuit occupasse; Vespasianum vero, ut templo Pacis locum faceret, aliud in tam celebri via ædificium nullum demolitum, verum vestibuli parte vel diruta, vel collapsa, usum fuisse. Existimetur igitur vestibulum fuisse, ubi templum Pacis est, cum altero ejusdem amplitudinis spatio versus montem Palatinum, quum vero conveniens sit, prospectum illud in viam Sacram habuisse, eique mediæ respondisse, ubi Colossus ille ingens erectus fuit, e foro per eam conspicuus. Tres illi porticus, de quibus Suetonius, *tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet*, forte tria vestibuli latera occupavere: vel in uno solo latere triplex columnarum ordo fuit, ut e numismate liquet, quod postpaulo afferam. Dictæ autem illæ sunt *milliariæ*, non quod in mille passus porrigerentur, aut mille columnis fulcirentur, sed ob singularem earum longitudinem: quemadmodum alia quædam Aureliani *milliarensis* a Vopisco dicitur: *Milliarensem denique porticum in hortis Sallustii ornavit.*

Ultra Vestibulum *Atrium* erat, quod non, ut vulgo solet, de area domus interiore accipiendum est, (nam hæc olim *impluvia* dicebantur) neque in eo docti homines disputant. Veruntamen, ut quid *atrium* sit, fueritve, apud veteres liquido appareat, nonnulla hic mihi dicenda videntur necessario. Fuisse vero *Atrium* partem domus laquearibus contectam Ausonius in Mosella indicat:

Tendens marmoreum laqueata per atria campum.

In quo servare olim imagines majorum cereas capsulis conditas, Romani solebant, ut est apud Plinium l. XXXV. cap. II. *Aliter apud majores in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui umquam fuerat, populus.* Hæ imagines sola erant capita, veris vestibus ornari, suffulcirique in funeribus solita: armaria vero erant e ligno, quæ claudi solebant. Ita Polybius l. VI. exacta ea depingit descriptione: *Sepulto cadavere, justisque peractis mortui imaginem in insigniori ac celebriori domus parte collocant, eamque ligneo quasi delubro circumdant. Imago autem est simulacrum oris similitudinem affabre, miroque artificio effictam coloribus, pigmentisque adumbratam referens. Has autem imagines festis diebus aperientes egregie exornant. Cum vero ex domesticis quispiam dignitate aliqua præditus defunctus fuerit, eas in funeris pompa efferunt, addito, ut magnitudine quam simillimæ appareant, reliquo corporis trunco. Hi vestibus exornantur, atque hi quidem*

A *curru vehuntur. Fasces autem, & secures, aliaque magistratuum insignia præferuntur, prout quisque honores gradatim in rep. gesserit. Cum vero jam in rostra ventum fuerit, ordine omnes eburneis sellis insident*, &c. His igitur imaginibus conservandis areæ intectæ, sive impluvia, immo nec tectæ porticus convenissent. Vocantur imagines illæ *fumosæ* a Juvenale Sat. VIII.

Fumosos equitum cum dictatore magistros.

Quod verbum indicio nobis est, ignem sæpe in atriis factum: unde tecta ea fuisse liquet. Idipsum multo adhuc manifestius liquet ex Evangeliis DD. Marci, Lucæ, & Joannis in eo concordibus, ubi
B D. Petrus in atrio principis Sacerdotum *sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se*. In eodem frugaliter veteres cœnare soliti. Ita Servius in lib. I. Æn. *Nam, ut ait Cato, & in atrio, & duobus ferculis epulabantur*. Sed & Senatus in atrio Palatii sæpe habitus. Idem Servius in XI. Æn. *In Palatii atrio, quod augurato conditum est, apud majores consulebatur Senatus*. In atrio libertatis bibliotheca fuit, & tabularium publicum, uti suo loco docebimus. In atrio telas texi solitas Asconius tradit in Milonianam: *Deinde omni vi janua expugnata, & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fre-*
C *gerunt, interque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt*. In atrio domus Catilinæ Verrium Flaccum Grammaticam pueros docuisse Suetonius in lib. de Grammaticis memoriæ prodidit: *Transiit*, inquit, *in palatium cum tota schola* &c. *docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat*. Velis ea tecta fuisse Corippus docet l. III.

Clara superpositis ornabant atria velis.

Neque a quoquam *atrium* melius quam ab illo ipso auctore describitur, eodem libro, ubi Avarum legatos a Justino admissos refert. Ac primum ingens
D atrium magnificentissime solio Principis exornatum ostendit.

Atria præclaris extant altissima tectis,
Sole metallorum splendentia, mira paratu,
Et facie plus mira loci, cultuque superba,
Nobilitat medios sedes Augusta peanates, &c.

Tum pavimentum tapetibus instratum:

Mira pavimentis, stratisque tapetibus ampla
Planities, longoque sedilia comta tenore.
Ut lætus Princeps solio consedit eburno, &c.

E Clausum vero janua mox ait:

Verum ut contracto patuerunt intima velo
Ostia, & aurati micuerunt atria tecti,
Cæsareumque caput diademate fulgere sacro
Ter gazis suspexit Avar, ter poplite flexo
Primus adoravit, terræque affixus inhæsit.
Hunc Avares alii simili terrore sequuti
In facies cecidere suas, stratosque tapetas
Fronte terunt, longisque implent spatiosa capillis
Atria & Augustam membris immanibus aulam.

Laxa illa & spatiosa fuisse Seneca quoque indicat epist. LV. ubi duas in Villa Vatiæ speluncas descri-
F bit: *Speluncæ sunt duæ magni operis laxo atrio pares manufactæ*, (sive ut Lipsius corrigit, *laxo atrio pares manufactis*) *quarum altera solem non recipit, altera usque in occidentem torretur*. E quibus locis ac rebus omnibus clarissime constat, atrium omni modo intectam domus partem fuisse. Diversum vero ab impluvio Varro docet lib. IV. ubi varias domus partes nominat, explicatque: *Si relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorsum, quo impluebat*, com-

compluvium, utrumque a pluvia. Tuſcanicum dictum a Tuſceis, poſtquam illorum cavum ædium ſimulare cœperunt. Atrium appellatum ab Atriatibus Tuſceis, &c. Sed melius adhuc junior Plinius l. II. epiſt. XVII. idem exponit, ubi villam ſuam Laurentinam deſcribit: *cujus in prima parte atrium frugi,* (non enim habebat veſtibulum, quia ruri erat) *nec tamen ſordidum; deinde porticus in o literæ ſimilitudinem circumactæ, quibus parvula, ſed feſtiva area includitur,* &c. En hic tibi impluvium ultra atrium: a quo item veſtibulum diverſum fuiſſe Gellius docet l. XVI. cap. V. *Animadverti enim quoſdam haudquaquam indoctos viros opinari, veſtibulum eſſe partem domus primorem, quam vulgus Atrium vocat. Cæcilius Gallus in libro de ſignificatione verborum, quæ ad Jus civile pertinent, ſecundo, Veſtibulum eſſe dicit non in ipſis ædibus, neque partem ædium, ſed locum ante januam domus vacuum,* &c. Quæ omnia a Macrobio lib. VI. Saturn. c. VIII. pleniſſime repetuntur. Columnæ, quæ in atriis a vetuſtis ſcriptoribus frequenter memorantur, trabes, aut laquearia ſuſtinebant, atriaque pro laxis & vacuis conclavibus ſimilia templorum noſtrorum fornicibus efficiebant. Id ex Apulejo diſcimus, ubi atrium regiæ Pſyches deſcribit: *Jam ſcies ab introitu primo Dei cujuſpiam luculentum & amœnum videre te diverſorium. Nam ſumma laquearia citro & ebore curioſe cavata ſubeunt aureæ columnæ,* &c. Quare in ſpeluncis iſtis duabus, quas ſupra Seneca atriis comparavit, fornices ſaxeos columnis fuiſſe frequentibus ſuſtentatos oportuit, quæ, cum illæ excavarentur, ea de cauſa relictæ, nec exciſæ fuere. Feſtus *atrium* partem ædium anteriorem vocat, quo ipſa area cingebatur: *Atrium eſt ædificiis ante ædes continens mediam aream.* Ab Iſidoro vero lib. XV. cap. III. Etymol. conclave majus & ſpatioſum dicitur, quod per porticum trium fornicum adibatur: *Atrium magna ædes eſt, ſive amplior & ſpatioſa domus; & dictum eſt atrium, eo quod addantur ei tres porticus extrinſecus. Aut atrium, quaſi ab igne & ligno atrum dixerunt: atrum enim fit ex fumo.*

Ut tandem ad ipſam domum noſtram revertamur, atrium trans veſtibulum, velut anterior pars domus aureæ, in hortis & parte Eccleſiæ *S. Mariæ Novæ* elatum, (ſupra columnas, uti arbitror, inſignitæ altitudinis, quarum unam fuiſſe forte antea dixi, eam, quæ ante *S. Mariæ Majoris* ædem erecta fuit) & a Palatino in Exquilinum tabulatum exæquatum ſuperiorum conclavium deferens, portam habuit ſplendidiſſimam in viam Sacram proſpicientem: totum fere illud, quod inter Palatinum & Exquilinum montes fuit, ſpatium, quantum ego video, occupans. Fere addidi, quia, cum neceſſarius inter iſtos duos montes populo tranſitus fuerit, ne mutuum intercideretur commercium, in Donati ſententiam pedibus tranſeo, Neronis domum primum nomen *Tranſitoriæ* a tranſitu habuiſſe, per quem e Sacra via ceteriſque vicinis tranſibatur in loca alia ultra domum auream ſita. Vox *radiabant*, quæ in verſu ſuperius allato legitur, aliquod indicium præbet, cognomen ſeu epitheton *Aureæ*, huic domui datum, minime fuiſſe hyperbolicum, ſuprave veritatem, cum multæ ejus partes inauratæ fuerint. Magnifici illi gradus, quibus in Palatini montis aſcendebatur planitiem, in qua regia erant conclavia, utrum e veſtibulo, an vero ex atrio inceperint, haud certo dixerim; ex alterutro tamen aſſurrexiſſe certum eſt. Trans atrium ſtagnum, ædificiaque cetera, (de quibus Suetonius, *Stagnum maris inſtar circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem*) inſtar areæ fuerunt, uti e villa Pliniana ſuperius commemorata colligitur, quam porticibus undique cinctam fuiſſe vidimus. Hujus autem ſtagni intuitus in atrio ambulantibus, ſive de ſuperioribus conclavibus in illud deſpectantibus, ob amœnitatem ſuam ſplendoremque ſingularem haud aliud ſpectaculum præbere potuit, quam vel magica ſolent arte exhibita, vel in ſomnis viſa principum regumque fabuloſa palatia.

Sed ut illa quoque pars domus, quæ hac in regione in Palatino monte fuit, attingatur, concipienda animo atque cogitatione miſerabilis ampliſſimi ſpatii facies eſt, quod dejectis, dirutiſque nobiliſſimis in celeberrima urbis parte ædificiis, ob inſanum luxum voluptatemque unius nequam principis ſolo exæquatis longe lateque porrectum illatam velut ab hoſtibus vaſtitatem præ ſe ferebat: non minori hac in parte Neronis immanitate, quum domum hanc conſtrueret, quam quum urbem ipſam incendio tantumnon aboleret.

Extra viam Sacram prima ſemet oculis offert *Meta Sudans*; qui fons fuit in area, vel emporio, factus Amphitheatri, ſive in hujus ornamantum, ſive in uſum populi. Exhibebat hic ſpeciem metæ Circenſis, e cujus ſummitate exiliens aqua, & inferiora ejus irrigans, nomen illi *Sudantis* acquiſivit. Extat hodieque nonnulla ejus pars, non ſane magna, e lateribus: unde tamen vetus ejus forma facile cognoſci poteſt. In media ejus parte cavitas cernitur, qua aqua in faſtigium aſcendebat. Atque hæ quoque iſtius operis reliquiæ ruinam jam minantur, brevique interituræ ſunt. Exhibetur vero integra hæc meta ſudans in numiſmate antiquo, dialogo IV. Auguſtini, quod hic inſerendum exiſtimavi.

Hic nummus indicare videtur, Metam Sudantem a Tito ad exornandum eo magis Amphitheatrum, ejuſque aream, conſtructam fuiſſe. Attamen jam ante eandem extitiſſe e Seneca liquet epiſt. LVII. ubi ſtrepitum referens, & clamores, quos in ædibus ſuis audiebat, addit: *Eſſedas tranſcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc, qui ad Metam Sudantem tubas experitur, & tibias; nec cantat, ſed exclamat.* Qui locus de alia Meta Sudante intelligi vix poteſt: quod Senecam, utpote hominem de comitatu Principis præcipuum, haud procul a Palatio, habitaſſe veroſimile ſit. Forſan illic Meta Sudans antehac fuit; quæ a Nerone diruta, a Tito reſtituta ſit. Sed hoc in medio relinquemus. Sita vero ea eſt inter Amphitheatrum, Arcum Conſtantini, & *hortos S. Mariæ Novæ*, ea proportione ſitus, ut hinc arcum Conſtantini ſibi e regione oppoſitum habeat, adeoque & viam illam, qua per arcum iſtum olim ad Circum Maximum ibatur, & nunc ad *S.Gregorii* ædem pergitur; inde viam proſpiciat, quæ per Arcum Titi ad *hortos* ducit *Farneſiorum*.

Arcus Titi extat hodieque cum integra inſcriptione ea parte, qua Metam Sudantem reſpicit, & Amphitheatrum: ubi titulus *Divi* poſt mortem ejus arcum hunc erectum, aut ſaltem abſolutum, innuit.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVGVSTO.

Verum Faunus aliam affert inſcriptionem, ſua, ut ait, ætate in proximo repertam, quam præcipuam fuiſſe inſcriptionem apparet; fortean alterius partis, ſeu faciei. In hac *Divi* nomen non legitur: unde & vivo Tito arcum poſitum conjicere eſt.

S. P. Q. R.
IMP. TITO. CAES. DIVI. VESPASIANI. FILIO
VESPASIANO. AVG. PONT. MAX. TR. POT. X.
IMP. XVII. COS. XIII. P. P. PRINCIPI. SVO. QVI
PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQ. ET.
AVSPICIIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT.
ET. VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE
SE. DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBUS. AVT. FRVSTRA
PETITAM. AVT. INTENTATAM. DELEVIT.

Existimemus igitur, vel arcum hunc vivente Tito inchoatum, verum ob breve illius imperii tempus nondum absolutum fuisse: vel, uti Angelonus in Historia Augusta de hoc ipso agens Tito censet, *Divi* titulum, seu cognomen vivis quoque nonnumquam imperatoribus tribui solitum. Unius tantum introitus est, sed perelegantis; in interiore vero sui parte exsculptum habet duabus sculpturis triumphum Titi Cæsaris: quarum altera ipsum in curru triumphali Titum ostentat, altera candelabrum & mensam auream, & duas tubas, queis Jubilæum indici, publicarique solebat, ornamenta quondam templi Hierosolymitani, tum vero Triumphi Cæsarei.

Reliquum viæ, quod ab arcu Titi versus forum vergebat, ut ex præcipua ejus facie, quæ istuc obversa erat, patet, jam describendum videtur: at non commode prius poterit, quam extremitas ejus versus Comitium liquido demonstrata, adeoque ad Volcanale factus quidam quasi saltus fuerit.

Volcanale enim hac in regione tam a Victore, quam a Rufo recensetur. Fuisse id juxta Comitium Festus tradit lib. XVIII. *Statua est Ludii ejus, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est in Janiculo: cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis, Senatus decreto intra urbem relata in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt; superque ea columna cum ipsius effigie posita est.* Addit ille, ædiculam Concordiæ ex ære a Flavio ædili factam, in Comitio fuisse, ut in Regione octava videbimus: quæ & eapropter a Victore & Festo recensetur. Nihilominus eam in Volcanali fuisse Livius lib. IX. tradidit: *C. Flavius Cn. filius &c. ædilis Curulis, &c. Ædem Concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit.* Quod & Festus confirmat. Idem vero Livius aream Vulcani Concordiæ communem facit lib. X. *In area Vulcani & Concordiæ sanguine placuit.* Sic ut (quandoquidem Comitium in foro fuit, ut post ostendetur) Volcanale Comitio contiguum juxta forum fuerit in extrema hac regione, adeoque in ejus limite. Quum vero Festus Volcanale Comitio sublimius fuisse dicat, & Gellius lib. IV. cap. V. id ipsum affirmet: *Statua Romæ in Comitio posita Horatii Coclitis fortissimi de cœlo tacta est, &c. atque ita in area Vulcani sublimiori loco statuendam, &c.* Comitium vero altius foro fuerit, necessario consequitur, Volcanale supra viam Sacram in editiore illo Palatini fastigio fuisse, quod regio quarta complectebatur.

Quid autem *Volcanale* fuerit, e Livio discimus: nimirum area cum altari Vulcano dicata. Quidam & templum illic fuisse dicunt, a Tatio extra primam veterem urbem constructum, verbis ad hoc inducti Vitruvii, qui templa Vulcani & Martis extra urbem condenda judicat: sed an ab initio urbis conditæ ea ratio valuerit, incertum est: attamen vel sic templum a Tatio ædificatum intra muros urbis Romuleæ fuisset, quippe qui Palatini montis ima legentes, teste Tacito, per Sacram viam pergendo angustias illas, supra quas

B Volcanale erat, includebant: nisi quis forte Romulum extra urbem quadratam Vulcano templum fecisse dicat, ut est apud Plutarchum; Tatium vero alterum intra urbis muros struxisse, uti Dionysius lib. II. tradit. Sed utcunque ea se res habuerit, aream in illo fuisse fastigio dubitari nequit: de templo vero nil certi affirmem; quod si illic fuerit, (Dionysius enim lib. II. Romulum & Tatium de rebus urbanis, seu publicis, in templo Vulcani inter se agere solitos, refert, quod erat supra forum; Plutarchus autem Romulum in eo a Senatoribus discerptum fuisse narrat) C aut a plebe dirutum, aut ætate collapsum, nec unquam restitutum fuit. Sic non Tatium auctorem ejus, sed Romulum, ex Plinio conjici possit, cujus mox verba adferemus. Ex hoc templo verba ad populum fieri solita Dionysius in sexto tradit. Forsan autem ille, cum templum nominat, aream innuit, e qua velut e sublimiori loco, priusquam in foro rostra constructa fuere, facile ad populum verba fieri potuerint, sive is in comitium, sive in forum convenisset. In eadem area & *lotus* fuit, quam a Romulo depositam ajebant, uti Varro indicat; e quo Plinius lib. XIV. cap. XLIV. *Verum altera lotos in Vulca-* D *nali, quod Romulus constituit ex victoria de decimis, æquæva urbi intelligitur, ut est auctor Masurius, &c. Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant.* Unde sicut foro Cæsaris, ita & foro magno vicinum fuisse Volcanale, contra eos asseri potest, qui illud una cum Comitio ad arcum Titi collocant. Idem Plinius & *cupressum* ibidem fuisse refert: *Fuit cum ea cupressus æqualis circa suprema Neronis Principis prolapsa, atque neglecta.*

Quod si autem Volcanale & Comitium ita conjuncta fuere, ut templum Concordiæ ambigue in utroque fuisse dictum sit, ut supra vidimus, E quomodo utrumque limitem duarum regionum constituere potuerint, non video. Augustum enim eas viis, viculisque ad id aptis divisisse verisimile est: unde nullam inter Volcanale & Comitium intercessisse viam, vix mihi persuaderi patiar; quam puto a via Sacra e regione *S. Laurentii in Miranda*, aut *SS. Cosmi & Damiani*, ortam versus *S. Mariæ Liberatricis*, & inde per declivia Palatini recta in forum boarium ac Circum perrexisse. Confirmat hanc opinionem meam Asconius in Orat. pro Scauro, ubi de Scauri domo agens; *Demonstrasse*, inquit, *vobis memini, hanc domum in ea palatii parte esse, quæ,* F *cum ab Sacra via discesseris, & per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est.* Hæc via a Sacra discedens ad finistram, & ima Palatini prætervadens, alibi quam hic esse non potuit. Adde, quæ & Dionysius habet l. I. ubi de Lupercali loquens (erat autem hoc in angulo Palatini ad latus *S. Mariæ Liberatricis*) *secus eam viam*, ait, *ostenditur, qua itur ad circum.* Quam sub Lupercali ad ima Palatini ad Circum viam aliam esse, atque illam, quam dixi, vix mente queam concipere.

Nam si Lupercale ad latus Palatini boreale, id

est, ea parte, ubi nunc *S. Mariæ Liberatricis* ædes A est, fuit: certe vicinum quoque fuit Volcanali: & tamen hoc hujus regionis fuit, illud vero decimæ. Quis igitur limes fuit hasce regiones discriminans? Puto equidem aliam hic etiam viam fuisse, quæ quartam a decima regione discriminaverit. Sed quid hic opinatio adfertur, cum certa ejus vestigia hodieque ibidem deprehendantur? Illius nempe, quæ a meta sudante pergit, perrexitque olim sine dubio ad arcum Titi, quæque & ulterius perrexisse necessario debuit, cum præcipua arcus facies Campum Vaccinum respiceret. Hæc autem non nisi secundum muros *hortorum Farnesiorum ad S. Mariæ Liberatricis* ecclesiam vadere potuit; atque inde, Lupercali a Volcanali jam diviso, B (quas tamquam duas duarum regionum extremitates paulo ante exhibuimus) viam intersecans, quæ a Sacra ad Circum ducebat, ibique compitum constituens, in Comitio desinere debuit.

Quod compitum attinet, ne quis illud velut imaginarium rejiciat, certum potest ejus produci argumentum, testimoniumque. Pyrrhus enim Ligorius in Paradoxis suis testatur visas ibi ætate sua Jani quadrifrontis reliquias cum quatuor viis stratis, quæ eundem decussatim pertransibant; ibidemque reperta eodem tempore marmora *fastorum*, C qui nunc *Capitolini* indigitantur, quod in Capitolio asserventur. Hos autem Janos antiquitus in compitis fieri solitos, supra indicavimus: atque utinam tum hi, tum cetera vetustatis monumenta etiamnunc superessent, quæ jam destructa, dirutaque frustra desiderantur, licet ante seculum, aut paulo amplius, adhuc extiterint. Certe his instructi adjumentis non ita velut in tenebris, in investigandis urbis regionibus, hæsitaremus. Sed in hac infelicitate nostra alienis credendum est oculis, & fidei: quæ si in Ligorio non adeo probata est, hic saltem a Panvinio in Fastis confirmatur.

Porro *Sandaliarius Apollo* in Rufo & Victore, D ut & *Vicus Sandaliarius* in solo Rufo legitur. Apollo e Suetonio in Augusto cap. LVII. notus est: *Omnes ordines*, inquit ille, *in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant: item Kal. Januariis strenam in Capitolio etiam absenti: ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragœdum.* Similis cujusdam statuæ ab Augusto Vulcano positæ basis una cum inscriptione a Boissardo publicata est, tomo tertio Antiquitatum pag. LXX. sunt qui in Suetonio Sandaliatum legant: verum eorum sententia e Rufo & Victore refellitur: in quorum altero & *vicus Sandaliarius* est, sicut & E *vicus Tragœdus* pro *Tragœdo Jove*. Posita igitur hæc *Apollinis Sandaliarii* statua est ab Augusto in ornamentum *vici Sandaliarii*, cujus vici mentio quoque fit inscriptione a Panvinio descripta:

GERMANICO. CAESARE COSS.
C. FONTEIO. CAPITONE.
SEIAE. FORTVNAE. AVG.
SACRVM.
SEX. FONTEIVS. Ɔ. L. TROPHIMVS.
CN. POMPEIVS. CN. L. NICEPHORVS.
MAG. VICI.
SANDALIARI. REG. IIII.
ANNI. XVIII. D. D.

Templum, quod hic legitur, *Deæ Sejæ*, nonnihil huic vico fœnerari lucis potest. Construxit id Servius Tullius, & domui suæ aureæ Nero inclusit (hoc uno aliquo modo pius, quod non & destruxerit, quo laxius habitaret) marmoreque candido, & quodammodo pellucido incrustavit, sic ut januis clausis tanta in eo lux esset, quantam specula suppeditare solent. Repertum illud marmor tum temporis fuerat in Cappadocia, nomenque ei datum a splendore *phengitæ*: e quo forsan illa columna superest, quæ in altari majori *S. Mariæ in Porticu* nunc visitur. Plura de eo videsis apud Plinium l. XXXVI. cap. XXII. Fuit hoc templum, ut ex inscriptione liquet, in quarta regione, & in vico Sandaliario. De utroque hic aliquid certi colligi potest. Occupatum supra ab Nerone ad construendam domum suam totum illud hac in regione spatium diximus, quod templum Pacis, atque integros *hortos S. Mariæ Novæ* continebat: & ultra illud, stagnum in regione tertia erat, ab arcu Titi usque ad Esquiliarum devexa trans *hortos Piorum*: quo tractu tres sine dubio viæ fuerunt tantum non parallelæ, Sacra via scilicet in medio, sinistrosum versus Esquilias Carinæ, dextrorsum vero via Arcus Titi. Plures enim tam exiguo spatio fuisse, vix crediderim. Ergo vicus Sandaliarius vel in principio Carinarum fuit, versus *hortos Pios*, vel potius ipsa via arcus Titi: unde *templum Fortunæ Sejæ* haud procul abfuisse potuit. In hoc vico Sandaliario officinas, seu tabernas librarias fuisse Gellius nos docet l. XVIII. cap. IV. *In Sandaliario forte apud librarios fuimus.*

Non procul a via Sacra locum a Varrone *Corneta* appellatum abfuisse, ex ejusdem lib. IV. discimus: *Ad Corneta forum cupedinis a cupedio, quod multi Forum Cupedinis a Cupiditate*: & postpaullo: *Ut inter Sacram viam & Macellum editum Corneta a Corneis, quæ abscissæ loco reliquerunt nomen.* Ubi vero is locus fuerit, non ita constat, utrum versus Palatinum, an Carinas, aut Exquilias. Ex addito *Macello* adjectivo *editum* suspicari licet loco altiore, & qui viæ immineret, fuisse, adeoque in ea Palatini parte, quæ inter Sacram viam est & viam Arcus Titi, quam vicum Sandaliarium appellatum fuisse paulo ante diximus. *Macellum* vero hoc non illud Magnum fuit, neque Livianum, quorum alterum in regione secunda fuit, alterum in quinta; verum uti edulia etiam in Macellis venalia, in aliis quoque foris prostitisse supra monui, ita & in foro Cupedinis venumdata fuere: unde hoc a Varrone *Forum* dici potuit, ab aliis *Macellum*. Sic & a Terentio in Eun. Act. II. Sc. II. Cupedinarii in *Macello* collocantur:

Ad Macellum ubi advenimus,
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii, coqui, &c.

Melius tamen ipse Varro synonymiam hanc inter *Macellum* & *Forum Cupedinis* ostendit lib. rerum Humanar. ubi Numerium Cupem, & Macellum Romanum insignes fuisse latrones refert, iisque in exilium actis, bona eorum publicata, & dirutas ædes eduliis vendundis loca vacua præbuisse; quorum alterum *Macellum* dictum sit, alterum *Forum Cupedinis*. Eidem ergo usui inserviebant *Macellum* in Cœlio, & *Forum Cupedinis* in Palatino: unde mihi sequi videtur, Macellum editum & Forum Cupedinis unum eundem locum, seu aream F fuisse, supra viam Sacram, inter templum Pacis & *hortos Farnesios*: ibidemque in vicinia locum fuisse, cui nomen *Corneta*, a corneis, quæ olim in omni ista parte visebantur montis Palatini: quæ variis casibus, uti solet, & inprimis hujus fori caussa, sensim amisso antiquo nomine, nomen *Cornetæ* solis illis reliquit ædificiis, quæ foro Cupedinis erant contigua.

In eodem clivo viæ Sacræ imminente *Thermas* illas fuisse conjicio, quas a Domitiano constructas

Seneca Rhetor memorat lib. IX. controv. IV. *Et in Domitium nobilissimum virum in consulatu, cum Thermas prospicientes viam Sacram ædificasset*, &c. cum nullus alius illic a me locus deprehendi queat, unde velut ex eminentiore in Sacram viam patuerit prospectus.

Sacriportus etiam *Sacriporticus* Rufo dicitur, quem Victor nuperus, uti solet, hic quoque secutus est. Verum rectius *Sacriportum* legi, uti apud genuinum Victorem est, Varro docet, l. IV. *Quartæ regionis Palatium; huic Germalum & Velias conjunxerunt: & in hac regione Sacriportus est; & in ea sic scriptum, Germalensis quinticepsos apud ædem Romuli. Veliensis sexticepsos in Velia, apud ædem Deum Penatium*. Unde scintilla nobis allucet conjecturæ, Sacriportum Arcum quendam Jani fuisse, aut quod aliud ædificium, in quo duo Argeorum istius tribus scripta legebantur Sacraria. Quare quum Sacriportus in regione quarta fuerit, tribuque Palatina, inter viam Sacram fuisse necesse est & vicum Sandaliarium; ac fortassis ille arcus Jani fuit, quem ad Lupercale, Volcanale, & Comitium repertum fuisse supra memoravi: quod quadrivium cum locus esset celeberrimus & frequentissimus istius collis, non potuit non esse aptissimus, in quo primum Sacraria, deinde & Fasti Consulares æri incisi publice proponerentur.

CAP. XIV.

Planities tota, quæ inter Turrim Comitum, & Campum Vaccinum interjacet, cui nunc nomen Pantani.

De *Carinis*, & quid fuerint, in regione tertia abunde multa a nobis dicta sunt. Harum pars quædam peculiari nomine *Ceroliensis* appellabatur. Huic reliquæ Carinæ contiguæ erant: *Ceroliensis a Carinarum junctu dictus Carinæ*, uti Varro ait. Ubi vero, seu quo exacte loco ille cum Carinis junctus fuerit, non ita liquido constat. A meta sudante ad ima Esquiliarum, quod spatium totum verum hujus regionis latus fuit, in via Arcus Titi fieri id non potuit: non enim Carinæ Palatinum ascendebant: multo minus in via Sacra, quæ semper distincta via a Carinis fuit. Superest igitur, ut inter *hortos Pios* & Esquilias Carinæ inceperint in ea via, quæ ibidem est hodieque; aut saltem in alia non longe dissita. Cetera ejus confinia, quamquam initio perampla, uti dixi, (quippe omnem forsan planitiem complectentia, quæ inter Esquilinum & Capitolinum colles interjacebat, cuique vere Carinarum nomen competebat, sensim aliis, uti dictum, ascitis nominibus peculiaribus) in angustias redacta fuere. Quare nec forum Cæsaris, nec Transitorium in Carinis fuisse leguntur. Non tamen adeo coartatæ fuerunt Carinæ, ut in unam & unicam viam redigerentur: siquidem Carinæ, quæ *Lautæ* dictæ sunt, solæ vicum seorsim absolvebant, ut e Servio accepimus in VIII. Æn. *Lautas autem dixit, aut propter elegantiam ædificiorum; aut propter Augustum, qui natus est in Carinis veteribus, & nutritus in lautis Carinis*. Ego vero Carinas, a Ceroliensi distinctas, aut totas, aut maximam minimum partem vicum eum constituisse puto, cui nunc *Pantanorum* nomen est.

Altera earum extremitas ex aliis Servii verbis in eodem lib. Æn. colligi potest: *Carinæ*, inquit, *sunt ædificia facta in Carinarum modum, quæ erant intra templum Telluris*. unde multi Ecclesiam *S. Salvatoris in Tellure* hoc fuisse templum Telluris putarunt, quam sub æde *D. Petri in vincula* in hodierna Suburra exstitisse volunt, Marlianus autem *S. Pantaleonis*: utpote limitem hac parte Exquiliarum, quam ipsi Carinas fuisse existimavere. Verum si Servius montem illum determinare voluisset, ab ejusdem radicibus non recessisset. Vox illa *intra*, quam Servius adhibet, durior aliquanto mihi videtur, nec adeo intellectu facilis, quum intra templum ædificia esse nequierint. Donatus ea non ædificia fuisse interpretatur, sed ædificiorum veterum delineationes, quæ in memoriam incultæ antiquorum rusticitatis, in Telluris asservatæ fuerint. Verum nimis improprie ac duriter Servius de picturis ac tabulis subjecisset, *quæ*, statim post mentionem de ipsis factam ædificiis. Tum & verbum imperfecti temporis *erant*, indicium aliquod suppeditat, ipsum de picturis non agere, sed de ipsis ædificiis. Ego vero vocem *intra* accuratius considerans non possum mihi imaginari illam a Servio pro *in* positam, quum facilius & dilucidius *in templo*, quam *intra templum* scribere potuerit; verum ita existimo, pro *intra* legendum, emendandumque esse *infra*, facili exiguaque harum literarum commutatione: aut si *intra* retinendum videbitur, explicandum non intra templi parietes, ac si *in templo* dixisset, sed intra loci situm, quem templum tamquam limes ab alia parte discernebat. Et huic quidem expositioni mirifice conveniunt illa Dionysii lib. VIII. ubi de domo Cassii agit: *Is locus extra templum Telluris, in parte quadam ejus, secundum eam viam, qua itur ad Carinas*: ubi templum Telluris in ea via fuisse docet, quæ ad Carinas ducebat, quas eapropter ab altera *templi* parte fuisse necesse est: quo situ illa, quæ de Flacco Livius lib. VI. decad. III. refert, optime procedunt: *Porta Capena*, inquit, *cum exercitu Romam ingressus media urbe per Carinas Esquilias contendit*. Nam Flaccus ea via, quæ inter Palatinum erat & Cœlium, ubi post Amphitheatrum ædificatum fuit, adeoque *media urbe*, Carinas intravit, & e Carinis recta Esquilias ascendit per tractum illum, ubi nunc est *S. Luciæ* ædes *in silice*. En tibi jam Carinas totas, excepto Ceroliensi, in hac regione: unde facile animadverti potest, quam parum exacte Rufus hic *Carinæ Caput* recensuerit, non solum quod ad situm, qui diversus est, sed & quod ad nomen ipsum, quum nusquam apud veterum quemquam *Carinæ* singulari numero exprimantur pro vico urbis. In Victore antiquo *Carinæ* legitur: sicut & in Rufi codicibus integrioribus olim scriptum fuisse arbitror. Verum librarius, aut quis alius, qui Carinas in Esquilino fuisse putavit, quem quarta Regio ascendebat, existimavit se additione ista emendaturum auctorem, quem corrupit; non secus ac Victoris recentioris descriptor in eodem offendit lapide, dum Victorem Rufo studet conciliare.

Via illa, quam nobis superius Dionysius indicavit a templo Telluris pergentem ad Carinas, confinia nobis monstrat, quæ illic Regionem hanc terminavere. Templum namque Faustinæ, & Regia, in queis via Sacra desinebat, in regione quarta fuerunt: Basilica vero Pauli Æmilii, quæ paulo erat illis ulterior, ab iisdem in regione fori numeratur, in qua & forum Cæsaris fuisse legitur, quod retro basilicam Pauli fuisse post ostendemus. Ergo necessario inter illam & regionem hanc via intercessit, duas inter se regiones dispescens: in qua templum Telluris fuisse, mihi tam manifestum videtur, quam quod manifestissimum: siquidem, uti e Dionysio vidimus, ex ea ibatur ad Carinas.

Fuit autem illud in dextra ejus viæ parte euntibus in forum: ædificia namque ad sinistram ad regionem fori pertinebant: cujus templi situm indagare nunc supersedeo, acturus de eo uberius, quum de Foro Nervæ disserendi tempus erit.

Juxta, sive ante idem Templum *ædes Sp. Cassii* fuere jussu populi solo æquatæ, quum ille ob affectati regni suspicionem capitis damnatus est. Sic Livius lib. II. *Diruta publice ædes. Ea est area ante Telluris ædem.* Nec in diversum abit Dionysius loco superius citato.

In Carinis item *domus Pompeii* fuit. Ita Suetonius c. XV. in Tiber. *Statim e Carinis, ac Pompejana domo Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit.* Hanc post Pompeii mortem Antonius possedit, ut e Dione liquet l. XLVIII. Lenæum Pompeii libertum Grammaticam ad Telluris ædem docuisse Suetonius tradit in Illustr. Gramm. *Lenæus Pompeii Magni libertus, &c. docuitque in Carinis ad Telluris ædem, in qua regione Pompejorum domus fuerat.* Unde domus Pompeii vicina fuisse colligitur ædi Telluris: & hæc Carinis. Tandem Gordiani illam fuisse senioris Capitolinus refert: *Ipse Consul ditissimus, ac potentissimus Romæ Pompejanam domum possidens:* qui & rostratam eam fuisse docet. Ita namque postpaullo: *Exstat sylva ejus memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeii, quæ ipsius, & patris ejus, & proavi fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus invasit.* Forsan rostris navium de piratis captarum instructa fuit, quos insigni victoria Pompejus domuerat. Non diu post Gordianum occisum in imperantium ea pervenit potestatem.

Fuit hic & Imp. *Balbini domus*, cujus idem meminit Capitolinus: *Domus Balbini etiamnunc Romæ ostenditur in Carinis, magna, & potens, ab ejus familia huc usque possessa.*

Marcum quoque *Manilium ædes* hic modicas habuisse Cicero in ultimo tradit Paradoxo: *M. Manilius patrum nostrum memoria (ne semper Curios & Luscinios loquamur) pauper tandem fuit? habuit enim ædiculam in Carinis, & fundum in Labicano.*

Rufus hic etiam *Templum Concordiæ* in porticu Liviæ collocat. Verum si templum hoc in porticu, porticus autem in regione tertia fuit, quomodo illud hic in quarta poni possit, non video. Forte non proprie in porticu, sed ad porticum fuit: ita ut tam porticus, quam templum regionum duarum diversarum fuerint inter se limites. In recentiore Victore legas valdequam insubide scriptum, *Porticus Liviæ cum templo Concordiæ:* in quo parum cautum se præstitit, qui victorem cum Rufo conciliare voluit, oblitus scilicet porticum Liviam in tertia regione ab illis recenseri. Et hoc est illud splendidissimum templum, quod Ovidius in VI. Fastor. a Livia Augusta constructum prædicat:

Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Livia, quam charo præstitit illa viro.
Disce tamen veniens ætas, ubi Livia nunc est
Porticus, &c.

In hac ego potius, quam in alia ejusdem nominis æde ab eadem Augusta veluti munus dedicatum censeam decantatum illum sardonychem, cujus Plinius meminit lib. XXXVII. cap. I. qui Polycratis fuisse existimabatur, ab eoque, ut nimios continuæ felicitatis successus dolore aliquo temperaret, in mare projectus, ac rursum in ventre capti piscis inventus, recuperatusque fuerat, uti Herodotus in tertio fuse enarrat. *Sardonychem*, inquit Plinius, *eam gemmam fuisse constat: ostenduntque Romæ, si credimus, in Concordiæ delubro cornu aureo Augustæ dono inclusam, & novissimum prope locum tot prælatis obtinentem*, &c.

Forum Nervæ communis omnium opinio est ad radices Quirinalis fuisse, sub *palatio* quondam *Comitum*, nunc *Grillorum*: ubi ingens antiqui ædificii pars residua visitur pro majore sui portione in *ecclesiam S. Basilio* sacram conversa, & *monasterium Neophytarum*. Quin forum hoc fuerit, dubitare nos non sinit inscriptio hæc vetus, quæ paucis abhinc annis ibidem extabat, a Fauno publicata:

IMP. NERVA. CAESAR. AVG. PONT.
MAX. TRIB. POT. II. IMP. II. PROCOS.

Sunt autem aliquammulti, qui ædificium hoc Palatium Nervæ fuisse existimant, ab eodem Imperatore in foro constructum. Verum unius anni spatio opus illud tam ingens molitum vix verosimile est: multo minus Principem tam provectæ ætatis, ac tam parcum, id fecisse, idque in privatos usus, absque ulla necessitate. Superest adhuc magna pars muri e saxo quadrato, cum multis, & contra Architecturæ elegantiam reductis amfractibus: unde viæ antiquæ illi contiguæ flexus istiusmodi fuisse apparet, quos ipsa sequi ædificii substructio necesse habuit. Interius pars prominet tribus sustentata columnis striatis, grandibus, & perpulchris, cum magnificentissimo epistylio e marmore: unde veterem ædificii conjectare licet splendorem atque magnificentiam. Pausanias tectum ære fuisse indicat; verum Donatus summo cum judicio Pausaniam hic non de Nervæ, verum de Trajani foro interpretandum existimat, ex alio quodam ejusdem Pausaniæ loco Trajani forum ære tectum fuisse docens. Verum sive marmore, sive ligno tectum fuerit, quomodo forum, si area fuerit, tegi potuerit, non video. Forum enim area fuit, ubi vetustissimis temporibus mercatus habebantur, negotia tractabantur, jura a Regibus, Coss. Decemviris, & Prætoribus reddebantur, primo sub dio, deinde in basilicis, quæ post inventæ exstructæque sunt in majus commodum tam judicum, quam litigantium. Verum cum res Romana crevisset, & cum ea litigantium quoque multitudo; quum forum unum juri dicundo non sufficeret, Julius Cæsar & Augustus duo alia addiderunt: quemadmodum & eorum secuti exemplum Domitianus & Trajanus, in quorum singulis basilicas fuisse nullus dubito: quæ quum unica esset in quovis foro, nonnimis magno, nec alii rei dicato, factum est, ut nomina *fori* & *basilicæ* confunderentur: & hinc Basilicæ Nervæ, Trajani, Augusti, Cæsaris, *Fora* appellari consuerunt. Sed ut ad *Forum Nervæ* revertamur, ædificii illius, de quo egimus, pars reliqua sine dubio Basilica fuit: & si forum hoc appellatum fuit *Transitorium*, nomen hoc areæ acceptum referri non debet, ut nonnulli censent: quum omnis area transitui pateat. Verum Basilica *Transitoria* dicta fuit, quippe per quam in aliam transiretur viam. Transitus hic etiamnunc in arcu illo apparet, qui superest; ubi non porta cernitur, sed arcus ad transitum apertus: cui etiam *Arcui Noe*, corrupte pro *Nervæ*, nunc nomen est. Donatus ea in sententia est, fuisse *Transitorium* appellatum a Jano quadrifonte illic posito, cujus fornices semper ad transitum patentes *Transitorii* vocabantur. At templum Jani, quod illic fuit, revera claudi potuit, idque quatuor portis, longe aliter ac Jani, qui in compitis erant, patentibus & apertis semper fornicibus. Templi illius effigies libro secundo Antiq. Rom. Rosini conspicitur, e veteri marmore efficta: quam & nos hic exhibendam putavims.

Claudi vero templum Jani potuisse Martialis quoque testatur l. X. epigr. VIII.

At tu Sancte Pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Forum Palladium, quod Antiquarii credidere Ro-



manum, vel aliud aliquod in Palatino fuisse, ex nomine *S. Andreæ in Pallara*, cujus initiales literæ eædem, non aliud esse, quam hoc Nervæ Panvinius asserit; cujus quamquam non admodum valida sunt argumenta, refutari tamen, rejicique sententia non potest. Domitianum namque Fori hujus conditorem Palladis fuisse devotissimum cultorem, neminem fugit: forum autem hoc ædem habuisse Minervæ manifestissimum indicium est illud antiqui ædificii fragmentum, quod in recta illa via inter *Turrim Comitum* & *Pantanos* hodieque exstat, ac in foro Nervæ fuisse videtur. Residuum illud est ex eleganter sculpto opere cum columnis striatis ordinis Corinthiaci: quod ad templum Palladis pertinuisse vix est ut dubitem. De eo ita Sex. Aurelius in Nerva: *Dedicato foro, quod appellatur Pervium; quo ædes Minervæ eminentior consurgit & magnificentior*. In fastigio ejus sculptura cernitur exstantibus modice figuris, quarum una Pallas ipsa tunicata sine ægide, sed galeata est, & sinistra clypeum gerens: dextra vero, quæ jam diffracta, sine dubio vel gladium habuit, vel hastam. Martialis lib. I. epigr. II. tabernam indicans, in quo is liber suus venalis esset, illo eam ædem loco situque fuisse ostendit, ubi nunc *Pantani* sunt:

Libertum docti Lucensis quære Secundum
Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Hic Donatus acute observans, primum Martialis librum extra urbem in initio imperii Domitiani editum fuisse, quum forum Palladium necdum erat ædificatum, forte necdum inchoatum, Templum vero Pacis longe inde remotum, aut aliud a Martiale innui ædificium censet, aut more poetico ac adulatorio, ipsi familiari, nomen Palladii foro illi tribuisse, quod vixdum erat inchoatum. Distantiam quod attinet, non ea mihi tanta videtur, aut magni momenti. Nam ut hodieque *in Pantanis* retro templum Pacis multæ viæ rectæ sunt ad id forum tendentes, ita & olim aliqua fuisse illic potuit,

D in qua librarius ille degeret. Quod ad tempus autem, non video causam ullam, cur aliud excogitetur ædificium, aut cur Martialis adulationis arguatur a vero alienæ. Est enim secundum hoc epigramma unum de iis, quæ multis post annis ceteris addita sunt. Id enim liquet e sequentibus in quibus plurium librorum mentionem facit:

Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos,
Et comites longæ quæris habere viæ:
Hos eme, quos arctat brevibus membrana libellis, &c.

Solebat autem Martialis quotannis singulos dare libros epigrammatum, quandoque nullum, ut ipse
E l. x. epigr. LXIX. indicat:

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus, &c.

Quin & in initio integro quadrienio, vel quinquennio, nullum edidisse videri possit librum: tum vero quatuor, vel quinque conjunctim: vel saltem editos jam antea post emendando, secundum hoc prioribus epigramma adjecisse, quo & sequentium librorum, uti vidimus, meminit.

Erat in foro transitorio *Jani Quadrifrontis templum* inventi quondam Faleriis, ut e Servio cognoscimus in VII. Æn. *Postea captis Faleriis civitate Tusciæ inventum est simulacrum Jani cum fronti-*
F *bus quatuor, propter quod in foro Transitorio constitutum est illi Sacrarium aliud, quod novimus quatuor portas habere*. Quoniam vero cum Faleriæ caperentur, Forum transitorium ne per insomnium quidem exstabat, (quippe a Domitiano constructum) olim illud Boarium appellatum fuisse nonulli ajunt, in quo Jano templum dedicatum fuit, & inde postea nomine Domitiani in forum novum translatum. Sed unde quæso forum Transitorium *Boarium* umquam fuisse nominatum acceperunt, Janumve Quadrifrontem in aliud transductum forum? Ex unicone Martialis epigrammate, quod est XXVIII. l. x?

Pervius exiguos habitabat ante Penates,
Plurima qua medium Romæ terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis.
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
At tu, Sancte Pater, tanto pro munere gratus
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

At hic ego translationem nullam animadverto, locumve diversum. Nam antiqua ejus primum tenuitas exponitur; quodque pervius fuerit, id est apertus Janus, sive arcus quadrifrons, ut multi alii erant in compitis, per quos transibatur: quodque celeberrima urbis parte fuerit, sicut ea indubie fuit, etiam antequam forum ibi esset transitorium. Novum vero quod fecit lucrum, non translatio innuitur, sed ornamentum melioris ædificii, portis clausi; unde e Jano simplici factum templum: quartæque ejus faciei novum additum forum, sicut tribus reliquis tria alia ante objecta fuere, Romanum nempe a fronte, Cæsaris, & Augusti. Unde a clausura hac templi Poeta voti sumit argumentum, non autem ab ejus translatione:

At tu, Sancte Pater, tanto pro munere gratus
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Et hæc sententia convenit illis Statii lib. III. Sylvar.

Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus & Foro coronat.

Hic sane nil aliud indicatur, quam portas Jano additas, & forum. Liquidius id cognoscitur ex his lib. IV.

Janus agit, quem tu vicina Pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori.

Sed & Servii verba id ipsum afferunt, nimirum eodem ipsius ætate loco Janum fuisse, ubi olim fuerat: *Propter quod in foro Transitorio constitutum est illi Sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere.* Quare si eo tempore Forum Nervæ, Transitorium appellatum necdum extitit, aut Servius, uti solet, ambigua voce usus est, aut dixisse potius accipiendus est, Templum Jani Quadrifrontis eo ædificatum fuisse loco, ubi postea a Domitiano ac Nerva factum fuerit forum Transitorium.

E Martiale porro & situm ipsum conjicere licet, in qua parte fori Jani templum fuerit. Nam si quatuor vultibus totidem fora prospexerit, in eo fuisse latere Transitorii necesse est, quod foro Romano oppositum fuit. Sic ut altera facie Romano foro obversus fuerit, altera illi, in quo situs erat: duabus vero faciebus lateralibus in duo reliqua fora conversus sit. Unde & ornamenta fori Transitorii animadverti possunt quomodo disposita fuerint, saltem per conjecturam. Nam in occidentali ejus latere Janus hic fuit quadrifrons: in adverso orientali basilica, cujus hodieque aliqua supersunt vestigia: in meridionali versus templum Pacis nobile illud templum Palladis, de cujus paulo ante residuis ruderibus nonnihil diximus: in septentrionali vero quid fuerit, ignoratur: forte templum Nervæ, quod Trajanum patri fecisse Plinius junior in Panegyrico indicat: *Nervam lacrymis primum, ut filium decuit, mox templis honorasti, non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerant.*

Forum Nervæ Alexander Severus ornamentis auxit, ut est apud Lampridium: *Statuas Colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, Divis Imperatoribus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem*

A *tinerent.* Ubi Lipsius dubitat, utrum columnæ hæ pro basi fuerint statuarum, an vero sustentandis porticibus. Donatus aut bases eas fuisse censet, aut ad ornatum tantum additas; cui ego subscribens addam & hæc Senecæ epist. LXXXVI. ubi de balneis loquens; *quantum,* inquit, *statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensæ causa?* Huc & columnæ innumeræ faciunt, quibus Livius, Dionysius, Dio, Festus, & sexcenti alii insculptas releges, edicta, orationes &c. tradunt: quas ego ordinarias rotundas, ut solent, fuisse columnas, altas, subtiles, vix adduci possum, ut credam. Fuere illæ, quan-
B tum ego in his video, bases, aut columnæ minus altæ, sic ut inscriptiones, leges, & quæ id genus alia, in his facile legi possent: cujusmodi & columnæ istæ æreæ fuerunt, quibus res gestas suas ante delubrum suum Augustus incidi jussit, ut est apud Dionem lib. LVI. nec alia fuit ex ære basis, cui Servius Tullius leges sacrorum, quæ Dianæ Aventinæ fierent, incidi fecit, quemadmodum Dionysius refert, l. IV. Histor.

In hoc etiam foro Alexander Severus Vetronium Turinum, de comitatu suo, fumo lignis humentibus accensis excitato ad palum deligatum in-
C terimi jussit, quod acceptis muneribus gratiam Principis fallacibus promissis vendidisset, exclamante præcone; *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Non tamen consueti moris fuisse constat, ut in foro tam ornato per carnificem de sceleratis supplicia sumerentur, quum illud singulare quid fuisse videatur ab Augusto illo vere Severo, quo insignitior ejus hominis punitio esset, excogitatum. Non tamen negaverim, quod in hoc potius, quam in alio quopiam foro punitus sit, judicia illic exerceri solita fuisse criminalia.

Videmus igitur ex ante dictis, Regionem hanc Forum Nervæ amplexam e foro majore procurren-
D tem retro *S. Hadriani* ædem ad sinistrum flexisse, atque inde ad *S. Urbani*, *Campumque Carleum*, (quem Martinellus non absurde nomen a *Carolo Leone* accepisse conjicit) sub Quirinali forum hoc ambientem, ad *Turrim Comitum* se tandem cum eodem conjunxisse.

Telluris Templum ante ædem Palladis fuisse S. Gordiani Acta docent; in quibus legas: *Clementianus præcepi ei caput amputari ante Templum in Tellure, corpusque ejus projici ante Palladis ædem in locum supra dictum.* Quibusdam & Acta Crescent. consentiunt; in quibus: *cujus corpus jussit jactare ante clivum Ursi in platea ante templum Palladis.* Unde in Anasta. in
E S. Cornelio: *quem tamen jussit sibi præsentari cum Præfecto urbis in interlude noctu ante templum Palladis,* legendum apparet, *in Tellure,* pro *inter lude.* Quod si vero templum illud ante ædem Palladis fuit, necesse est, ut in foro Nervæ fuerit, ubi nunc ædicula est *S. Mariæ Angelorum*, quæ olim *ad Macellum Martyrum* appellata locum nobis supplicii duorum horum Martyrum patefacit, S. Gordiani, & S. Crescentii. At si minus id placuerit, quum in nemine id scriptorum veterum legatur, forte id in via ea fuit, quæ parti posteriori templi Palladis respondit, id est, retro illas reliquias, quas supra superstites
F adhuc memoravimus; quemadmodum hoc Anastasius solita loquendi simplicitate *ante templum Palladis* fuisse refert. Ædes autem *S. Mariæ Angelorum* inde forte *ad Macellum Martyrum* appellata fuit, quod in vicinia esset templi Telluris, & areæ Cassii, ubi, si non in foro Nervæ, Martyres illi supplicio affecti sunt. Quoniam vero in eadem area, ut habuimus, *Clivus Ursi* desiit, non a vero alienum videtur, eundem a *Monte Magnanapoli* descendentem inter illud jam dictum Palladis templum & *Turrim Comitum* transiisse.

CAP. XV.

Planities a Turri Comitum ad S. Luciæ in ſilice, reſque incerti ſitus.

OPinio mea eſt, &, ut exiſtimo, moxque oſtenſurus ſum, a vero non procul remota, *Vicum Cyprium* ad *Turrim Comitum* incepiſſe, & ſecundum ima Quirinalis ad *B. V. in Montibus* ædem perveniſſe. Nec ignoro tamen, Vicum Cyprium a pleriſque exiſtimatum ad illum fuiſſe clivum, qui trans templum Pacis, & *hortos Pios*, ad *S. Petri in vincula* extenditur. Verum ut hanc ſententiam minus veram eſſe credam, tribus adducor argumentis. Primum eſt, quod Regia Servii Tullii, ad quam per vicum Cyprium primum, dein per Sceleratum adibatur, non fuerit, ut in quinta me regione oſtenſurum ſpero, ad *S. Petri in vincula*, verum ſuper vicum Patritium, non adeo longe ab æde *S. Praxedæ*: ad quam nec breviore, nec commodiore via iri potuit, quam per hodiernam Suburram, tractumque *S. Luciæ in ſilice*. Alterum eſt, quod Varro Cyprium vicum olim ita appellatum dicat a *Cypro*, *quod ibi Sabini cives additi conſederunt, qui a bono omine id appellarunt; nam Cyprum Sabine bonum*. Quod ſi enim Sabini illic primum habitarint, ſive illi Romanis ſub Tito Tatio adjuncti fuerunt, ſeu poſtea cum Numa admiſſi, ut Varro, aliique crediderunt, non potuerunt ſedem collocaſſe ſub Eſquiliis; quippe quæ tempore Tatii & Numæ longe ab urbe Roma diſſitæ fuerint, eidemque poſt ceteros colles omnes demum additæ. Neque vero uſquam legitur Sabinos in planitie, ſeu convalle habitaſſe; verum contra ea in Quirinali una cum Tatio. Ita enim Dionyſius in ſecundo: qui & Numam in eodem colle habitaſſe ſcribit; qui & ipſe e Sabinis. Hæc autem a Varrone allata de vico Cyprio opinio, ſive ea vera fuit, ſive falſa, Varronem alioſque inducere potuit, ut crederent, eundem, quod ad ima Quirinalis olim habitarint Sabini, ab illis nomen ſuum accepiſſe. Tertium eſt, quod Tullia, ita prodente Livio, ute vico Cyprio ad clivum Urbium iret, dextrorſum iter flexerit; quæ, ſi e foro ad *S. Petri in vincula* iviſſet, ad clivum hunc ſe convertere debuiſſet in ſiniſtram. Adde &, quæ de *Tigillo Sororio* Dioniſius lib. III. tradit; *Et eſt in angiportu, qui a Carinis ducit ad vicum Cyprium*: qui angiportus ſi e Carinis ad vicum Cyprium deorſum duxit, non verſus Exquilias directus eſſe potuit, ubi editiſſimum fuiſſe Carinarum locum conſtat. Ergo a Carinarum parte Eſquiliis proxima deorſum verſus *Turrim Comitum* duxit, ubi vicus erat Cyprius, & nunc via eſt contermina *Pantanis* in veterum Carinarum parte omnium depreſſiſſima.

Atque ita angiportus ille, ſeu via, quæ a Carinis ad vicum Cyprium ducebat, ſimulque & *Tigillum Sororium* facile inveniri poteſt. Conterminus namque Carinis vicus erat Cyprius ad *Turrim Comitum*, uti jam probavimus. Neceſſe igitur fuit, ut vicus, qui a Carinis in Cyprium tendebat, quo ab illis diſcederet, triangulum formarit, quale hodieque exactiſſime ab illa via formatur, quæ ab *hortis Piis*, & via recta *Pantanorum*, pergit ad *Turrim Comitum*. Non adeo procul ab hac remota, multumque diverſa fuit via, ſeu angiportus a Dionyſio deſcriptus; qui triangulum conſtituit, & viam intrat *S. Mariæ in montibus*: &, ut hodie aliquantum deſcendit, ita olim multo etiam magis, quum convalles inter colles multo depreſſiores fuere, ruinis ædium poſt expletæ, exæquatæque.

In hac via, ſeu potius illa vetere, quæ ab hac non multum abfuit, *Tigillum Sororium* fuit, quod A Horatius tranſire debuit, cum a cæde ſororis expiaretur. Lignum hoc tranſverſum fuit ſuper illam viam duobus innixum parietibus, ut Dionyſius addit. Feſtus autem duobus aliis ſuffultum tigillis fuiſſe refert; *duo tigilla tertio ſuperjecto*. Verum Feſtus de ætate Horatii loquitur; Dionyſius de ſua, qua tigilla illa vetuſtate corrupta ſubſtitutis in eorum locum muris mutata fuere. Sic Livius lib. I. *Is piacularibus quibuſdam ſacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita ſunt, tranſmiſſo per viam tigillo capite adoperto velut ſub jugum miſit juvenem: id hodie publice quoque ſemper refectum manet. Sororium tigillum vocant*. Dionyſius B in tertio ait, duæ ibidem aræ poſitæ, una Junononi, altera Jano: quarum & Feſtus mentionem facit in *Sororium*: *Conſecratiſque ibi aris Junoni Sororiæ, & Jano Curiatio*. Panvinius hac in regione etiam *ædem Jani Curiatii*, & *ædem Junonis Sororiæ* recenſet; quas autem ipſe *ædes* vocat, nonniſi *aræ* fuerunt, uti e duobus illis ſcriptoribus commodum vidimus.

Turris illi vicina *Comitum* ſpeciem ſatis vetuſti præbet ædificii. Valdequam egregia, pulchra & alta ea noſtra etiam memoria fuit, illi perquam ſimilis, quæ in Quirinali eſt, appellataque *Turris Militiarum*, C opus, ut multi opinati ſunt, ipſius Trajani, in cuſtodiam ac tutelam fori ſui, quod eidem ſubjectum. At a vero longiſſime illi aberrarunt, quum utraque ab Innocentio III. qui nobiliſſima *Comitum* familia oriundus erat, conſtructa ſit. Hæc autem, cum ruinam minaretur, tempore Urbani VIII. diruta eſt.

Ut autem ad vicum Cyprium revertamur, quem non longe a via abfuiſſe diximus, quæ a *Turri Comitum* recta ad Eccleſiam ducit *D. Mariæ in montibus*, ſupereſt, ut in *vicum* ille *Sceleratum* exierit. Dionyſius lib. IV. *vicum Sceleratum* & *Cyprium* pro eodem ponit: ſed hic potius audiendus Varro eſt, D qui lib. IV. *Vicus*, ait, *Cyprius a Cypro, &c. Prope hunc vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore, quod ibi cum jaceret pater occiſus, ſupra eum ut mitteret carpentum mulio, juſſit*. Plus adhuc lucis e Livio affulget, qui factum hoc Tulliæ lib. I. referens, *Cum ſe domum reciperet*, inquit, *perveniſſetque ad ſummum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectente carpentum dextra in Virbium Clivum, ut in collem Eſquiliarum eveheretur, reſtitit pavidus, atque inhibuit frenos, qui jumenta agebat, jacentemque Dominæ Servium trucidatum oſtendit: fœdum, inhumanumque inde traditur ſcelus, monimentoque locus eſt, quem Sceleratum Vicum vocant,* E *quo amens agitantibus furiis ſororiis, ac viri, Tullia per patris corpus egiſſe carpentum fertur*, &c. Quod ſi hic Tullia, quum ad ſummum Cyprium vicum perveniſſet, ut ad Clivum Virbium, vel Urbium pergeret, dextrorſum carpentum flexit, in fine Cyprii vici bivium fuiſſe neceſſe eſt, cujus dextram viam ingreſſa Tullia fuerit, in qua pater ejus jacebat trucidatus, ſuper cujus illa cadaver currum egit: atque hinc via illa dextra, non autem ipſe Cyprius vicus, poſtea a ſcelere cognomen hoc accepit. Dionyſius autem, cum non adverteret animum, ut vias inter Eſquilias & Forum diſtingueret, totum iter unius vici nomine complexus eſt. Quare plus fidei F Varroni habendum, utpote viarum Rom. magis gnaro, ut & ipſi Livio; qui breviter quidem, verum diſtincte hoc in facto ſingula perſcripſit loca. Bivium hoc, quantum e ſitu loci colligere eſt, explicandum mihi videtur. Via illa, cui olim *vico Cyprio* nomen, ſemper ima Quirinalis legens uſque ad eccleſiam *B. V. in montibus* ducit, quo antequam perveniat, collem illum relinquens in dextram diſcedit, ut Eccleſiam illam, uti mihi videtur, pertranſeat. Veruntamen olim una cum colle ſemet exten-

extendens retro eandem Ecclesiam (hoc autem inde liquet, quia alias Tullia ad Clivum Virbium carpentum suum dextrorsum non flexisset, sed recta perrexisset, uti nunc illuc itur) cum haberet ibidem exacte sibi oppositum prominentem Viminalis angulum, in duos aliarum desinebat viarum introitus, ab utroque scilicet collis istius latere. Sinistra erat, per quam hodie a *S. Mariæ in montibus* ad *S. Vitalis* itur, ac montem Quirinalem: dextra, quæ ducit ad hodiernam Suburram, & Clivum Virbium in Esquiliis. Non longe igitur ab illa Ecclesia vetus Sacellum fuit *Dianium*, quod Dianæ dedicatum fuisse credibile est, & caput vici scelerati, ubi Tullius ab immissis a Tarquinio percussoribus occisus concidit, atque a scelerata filia conculcatus fuit, haud procul a fonte, quantum colligere licet, qui hodie ad latus ecclesiæ est.

A

Porro mirari satis nequeo, Panvinium in hanc regionem *Arcum Severi* retulisse, ac *P. R. secretarium*, illi vicinum, quæ utraque in parte fori radicibus Capitolii contigua fuere, & retro fora Augusti ac Cæsaris a foro disjuncta habuere; adeoque ad regionem octavam non secus atque illa pertinuerunt, quæ multo tamen his erant quartæ regioni viciniora.

B

Sic nec *Arcus Constantini*, qui & hac in regione collocatur, hujus loci est. Nam is sub ea esse parte Palatini ac Cœlii conspicitur, quæ ad regionem decimam pertinuit: quo sane quarta non pervenit.

C

Ædiculam Musarum, quæ a Rufo huic adscribitur regioni, Merula illam esse conjicit, de qua Martialis lib. XII. epigr. III.

Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.

At hic de templo agitur, quum Rufus *ædiculæ* tantum meminerit, cujusmodi in vicis plures. Forsan Martialis Apollinis hic Palatini Templum indicare videri posset, aut Herculis Musarum ad Circum Flaminium, nisi de templo recens constructo loqueretur, aut saltem nuper, ætateque sua instaurato. Sed de his alias, ubi occasio erit, plura.

D

Idem Rufus & *Æquimelium* huc refert; quod, qua de causa fecerit, ignoro; siquidem illud e Livio sub Capitolio versus portam Carmentalem fuisse clarissime liquet, & alibi ostendetur. Sed hæc erit una de reliquis Rufo male inepteque assutis laciniis: cujus auctor in Varrone legerat, l. IV. *Æquimelium, quod æquata Melii domus plublice; quod regnum occupare voluit is*: ubi mox sequitur: *Locus ad busta Gallica*, &c. Hic ille voculam *is* male cum voce *voluit* conjunctam, sequenti adjecit, legitque, *Is locus ad busta Gallica*, &c. Sed in eo erravit, quod Varro illic etyma tantum vocum multorum in urbe locorum inquirit, non autem eorum situm explicat. Alias enim apertissime Livio contradiceret.

Balinei Daphnidis, quod hic memoratur, nulla alia extat notitia. Nisi illud a *Daphinidis* alicujus statua vel imagine nomen accepit, potuit aut dominum aliquem *Daphnin* habuisse, aut auctorem. Martialis l. III. epigr. V. Julii cujusdam amici sui facit mentionem, (qui fortasse Julius Martialis fuit) quem aliquam possidere partem dicit domus *Daphnidis*:

Julius assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc adeas, primique in limine tecti
Quem tenuit Daphnis, nunc tenet ille larem.

Daphnin quendam servum Grammaticum ingentissimo pretio emptum Plinius refert lib. VII. cap. XXXIX. *Pretium hominis in servitio geniti maximum ad hunc diem (quod quidem compererim) fuit Grammaticæ artis Daphnidis, Cn. Pilaurensi vendente, & M. Scauro Principe civitatis* IIIMDCC. *sestertiis licente*. Hic forte postea manumissus dominus istius balnei fuit. Sed de tribus his, cujus illud fuerit, aut an unus homo tribus hisce auctoribus Rufo, Plinio, Martiali memoratus, incertæ res conjecturæ est, & in his antiquitatis tenebris perobscuræ.

Quod tandem in Rufo *Caput Lynco* legitur, manifestum mendum est. Quoniam vero vox *Caput* extremitatem alicujus vici, seu viæ, significare solet, cujus pars reliqua in alia sit regione, vicum hic aliquem fuisse suspicor, cui vel *Lynci* vel *Lynceo* nomen fuerit.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Regio Quinta, dicta Esquilina.



Uartæ regioni conjuncta erat Quinta: quæ licet *Esquilina* appellata fuerit, præter Esquiliarum partem, que extra tertiam erat regionem, montem quoque complectebatur Viminalem: sic ut quarta ad hodiernam Suburram pertingens ad sinistram haberet collem Viminalem, & ultra hunc Cispium, qui, uti supra dictum, pars erat Esquilini. Descriptio ejus apud Rufum hæc est:

Regio Exquilina cum Colle Viminali.

Templum Jovis Viminei.
Ædes Veneris Erycinæ.
Horti Planciani.
Lacus Promethei.
Macellum Livianum.
Nymphæum Alexandri.
Station. cobor. VII. *vigilum.*
Horti Mæcenatis.
Regia Servii Tullii.
Amphitheatrum Castrense.
Tres Tabernæ.
Campus Viminalis sub aggere.
—— *Esquilinus.*
Lucus Pœtilinus.
—— *Fagutalis.*
Templum Junonis Lucinæ.
Domus Aquilii Jureconsulti.
Ara Jovis Viminei.
Minerva Medica Pantheum.
Isis Patricia.
Templum Sylvani.

F

—— *Æsculapii*.
Thermæ Olympiadis.
Lavacrum Agrippinæ.
Vici XV.
Vicus Sucusanus.
—— *Ursi pileati*.
—— *Minervæ*.
—— *Ustrinus*.
—— *Palloris*.
—— *Sejus*.
—— *Silvani*.
—— *Capulatorum*.
—— *Tragœdus*.
—— *Unguentarius*.
—— *Paullinus*.
—— *Pastoris*.
—— *Caticarius*.
—— *Veneris Placidæ*.
—— *Junonis*.
Ædiculæ XV.
Sejæ.
Veneris Placidæ.
Castoris.
Palloris.
Silvani.
Apollinis.
Cloacinæ.
Herculis.
Mercurii.
Martis.
Lunæ.
Serapidis.
Vestæ.
Cereris.
Proserpinæ.
Vicomagistri LX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIIMDCCCL.
Domus CLXX.
Lacus LXXIX.
Horrea XXVII.
Balineæ privatæ LXXV.
Pistrina XXXII.
Regio continet
Pedes XVMDCCCCL.

A Victore ita describitur:

Regio Quinta Exquilina.

Lacus Promethei.
Macellum Liviani.
Nympheum divi Alexandri.
Cohortes VII. *Vigilum*.
Ædes Veneris Erycinæ ad portam Collinam.
Horti Planciani, vel Plauciani.
—— *Mecænatis*.
Regia Servii Tullii.
Hercules Sullanus.
Amphitheatrum Castrense.
Campus Exquilinus, & Lucus.
—— *Viminalis, sub aggere*.
Lucus Petilinus.
Templum Junonis Lucinæ.
Lucus Fagutalis.
Domus M. Aquilii Jureconsulti, & Q. Catuli, & M. Crassi.
Ara Jovis Viminei.
Minerva Medica.
Isis Patricia.
Lavacrum Agrippinæ.
Thermæ Olympiadis.

A *Vici* XV.
Ædiculæ XV.
Vicomagistri LX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIIMDCCCL.
Domus CLXXX.
Horrea XXIII.
Lacus CLXX.
Balneæ Privatæ LXXV.
Pistrina XII.
Regio continet in ambitu
Pedes XVMDCCCC.

B Quibus in recentiore Victore addita:

Regio Quinta Exquilina cum Turri & Colle Viminali.

Lacui Promethei additum *Secund.*
Hercules *Silvanus*, alias *Sullanus*.
Tres Tabernæ.
Templum Sylvani.
Templum Æsculapii.
C *Lacus* CLXXIX.
Pistrina XXII., alias XII.
Ambitus dicitur pedum
XVMDCCCCL. alias XVMDCCC.

In Notitia hæc leguntur:

REGIO V.

Esquiliæ continet Lacum Orphei, Macellum Liviani, Nympheum D. Alexandri, Cohortes duas Vigilum, Herculem Sylvanum, Hortos Pallantianos, D *Amphitheatrum Castrense, Campum Viminalem sub aggere, Minervam Medicam, Isidem, Patritiam, Vici* XV. *Ædiculæ* XV. *Vicomagistri quadraginta octo, Curatores duo; Insulæ tria millia octingentæ quinquaginta. Domus* CLXXX. *Horrea* XXII. *Balnea* LXXV. *Lacus* LXIIII. *Pistrina* XV. *Continet pedes quindecim millia* DC.

Panvinius addit:

Mons Esquilinus, alias *Oppius*, *Cispius*, *Septimius*.
Mons Viminalis, alias *Fagutalis*.
E *Aggeres Tarquinii Superbi*.
Clivus Urbicus.
Vicus Patricius.
Figlinæ.
Puticuli, alias *Puticulæ in Esquiliis*.
Spes Vetus.
Vicus Africus in Esquiliis antiquus.
Tabernola.
Lucus Querquetulanus.
—— *Mephitis*.
—— *Junonis Lucinæ*.
—— *Viminalis*, alias *Jovis Viminei*.
—— *Rubiginis*.
F *Templum Jovis Fagutalis*, alias *Viminei*.
—— *Sylvani sub Viminali cum porticu*.
—— *Veneris Verticordiæ extra portam Collinam*.
Via Salaria.
Ædes Rubiginis via Nomentana extra portam Catulariam.
Ædes Quietis extra portam Collinam.
—— *Honoris ad portam Collinam*.
—— *Felicitatis*.
Malæ Fortunæ.
Ædicula Pollucis, pro *Palloris*.
—— *Fortunæ parvæ*

Sacellum Deæ Næniæ, extra portam Viminalem. A
—— *Querquetulanum.*
—— *Jovis Fagutalis.*
Ara Malæ Fortunæ.
Circus Aureliani cum Obelisco.
Forum Esquilinum.
Basilica Sicini.
Campo Viminali addit, *in quo erat ædicula Fortunæ parvæ.*
Horti Torquatiani.
Castra Prætoria.
Vivarium.
Thermæ Novati.
Balineum Pauli.
Lacus sine nomine dicit esse CLXXIX.
Castellum aquarum Martiæ.
Juliæ, & Tepulæ.
Arcus Gallieni.
Pistrina dicit esse XXII.
Domus Regis Servii Tullii.
—— *Q. Lutatii Catuli.*
—— *M. Licinii Crassi Divitis.*
—— *P. Virgilii Maronis.*
—— *Propertii.*
—— *A. Persii.*
—— *C. Plinii Junioris.*
—— *Licinii Imperatoris.*

Merula his adjungit:

Ustrinæ publicæ.
Sessorium.
Domus Maximi, & Paulli.

Ego vero:

Tropæa Marii de Cimbris & Teutonibus.
Sacellum Marianum.
Domus Æliorum, & horti Lamiæ.
Suburbanum Phaontis.
Clivus Tullius.
Ædes Dianæ in Vico Patritio.
Naumachia Vetus.
Nemus Caii & Lucii, ubi Naumachia vetus.
Agger Servii Tullii.
Theatrum Floræ.
Horti Variani cum Circo.
Domus Maximi in vico Patricio.
Mons Sacer.
Crypta Nepotiana.
Clivus Cucumeris.
Templum Solis.
—— *Honoris & Virtutis.*
Mons Septimius.
Arcus Gallieni Imp.
Vicus Lateritius.
Domus Martii.
Ager Veranus.
Domus Pudentis.
Sestertium.
Templum Herculis ad Portam Collinam.

Initium hujus regionis trans *S. Joannis Lateranensis* ædem ad muros urbis statuimus, ubi Cœlimontana desinebat, cujus & confinia sequebatur, ac deinde Isidis & Serapidis recta via quasi retro ædem *S. Matthæi*, usque ad *S. Martini in montibus*: unde per viam declivem *S. Luciæ in silice* in hodiernam Suburram descendebat; inde porro ad *S. Mariæ in montibus*: post autem ad dextram flectens recta via, quæ a *S. Vitalis* templo ad Thermas ducebat Diocletianas, iis ad sinistram relictis, aggerem Servii Tullii attingebat, ac mœnia urbis: extra quæ in sinistram abiens cum iisdem ad portam tendebat Salariam; ut e rebus singulis, quæ in ea tractabuntur, evidenter patebit.

CAP. II.

Pars Esquiliarum, quæ est inter Ecclesiam S. Crucis in Hierosolymis & portam S. Laurentii, Mons Oppius appellata.

B VArro de Esquiliarum nomine disputans, unamque istius nominis originem referens, *quod excultæ a Rege Tullio essent*, subjicit: *Huic origini magis concinunt luci vicini, quod ibi lucus Fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ, quorum angusti fines: non mirum, jam diu enim late avaritia una est; item lucus Larum, Querquetulanum Sacellum.* Quum ex his liqueat, Tullium ad imitationem Numæ, qui Sacraria Argeorum in montibus consecraverat, & ipsum in Exquiliis tot *lucos*, seu *Sacella*, instituisse; indagandi illorum nobis imposita necessitas videtur. *Querquetulanum* primum Cœlii fuisse nomen superius C dictum est, probatumque e Tacito. *Querquetulana* quoque porta urbis appellata est a vicino luco, ut nos Festus docet: *Querquetulanæ, ut reputentur significari Nymphæ præsidentes querqueto virescenti: quod genus sylvæ indicant fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetulana.* Sylvam hanc, ex opinione vulgi Nympharum tutelæ sacram, eandem esse existimo atque *Sacellum Querquetulanum*, quod hic alicubi fuisse necesse est. Nec in eo me falli puto, quum & inter lucos hosce Sacellum illud Varro enumeret. Sunt, qui illud ad *S. Mariæ Majoris* collocent, verum nullo vel auctore, vel argumento. Rectius a Donato D in Cœlio constituitur: quippe cui monti nomen *Querquetulano* fuerit. Tum quod & verba Varronis, *Quorum angusti fines: non mirum, jam diu enim late una avaritia est. Item lucus Larum, Querquetulanum Sacellum*, satis indicent, *lucum* quoque *Larum*, qui ad ima Palatini fuit, & *Sacellum Querquetulanum*, quod in Cœlio, angustis fuisse spatiis inclusa, non secus ac ceteri luci, qui erant in Esquiliis. Nihilominus interpretatio hæc mihi durior videtur, nec sensui auctoris conveniens, qui alias nimisquam obscurus sit, & intricatus. *Lucus* enim *Larum*, & *Sacellum Querquetulanum* non bene ad, *quorum angusti fines*, referri possunt: sic enim genitivus casus exigeretur. Contra optime respondent E illis prioribus, *Quod ibi lucus Fagutalis* &c. adhæc particula *Item* non est novæ constructionis, seu sententiæ indicium: verum potius lucum Larum, sacellumque Querquetulanum Esquilino vindicat. Quod nomen cum huic cum Cœlio commune fuerit, facile mihi persuadet, sacellum illud in ea parte Exquiliarum fuisse, quæ Cœlio contigua fuit; quæque, antequam Tullus Hostilius illam mœnibus exclusit, magis ad Cœlium, quam ad Esquilinum pertinuisse collem videri queat. Atque ita *lucus Querquetulanus* forte trans ædem *S. Joannis Lateranensis* fuit, in convalle vero ea, quæ utrumque montem distinguebat, *porta Querquetulana*; cui ille lucus vicinus sine dubio fuit, in ea Esquiliarum declivitate, quæ *Ecclesiæ S. Crucis in Hierosolymis* ob- F jecta est. Animum hic adverto, Varronem, quum de *lucis* tantum Esquilini montis loqui velle videatur, inter eos non *lucum*, sed *Sacellum* nominare *Querquetulanum*. Quod mihi certissimum indicium videtur, *Sacellum* solum in Esquiliis fuisse; *lucum* vero in vicinia quidem, sed in monte Cœlio.

Lucum Fagutalem ad *S. Petri in vincula* aut *S. Luciæ in silice* fuisse, multi sunt, qui opinentur; nec tamen ullas hujusce adferunt opinionis suæ rationes. Quibus cum accedam, aliqua ad illius sententiæ confirmationem de *luco Esquilino* præmittenda videntur, cujus Varro mentionem facere neglexit: forte, quod illius auctor Rex Tullius non fuerit: nisi is idem fuit, qui *lucus Larum*. Varro, ubi vertices Oppii recenset, testem adducit librum de Sacrariis Argeorum; in quo habebatur: *Oppius mons princeps lucum Esquilinum, Lucum fagutalem sinistra, quæ sub mœrum est. Oppius mons bicepsos simplex. Oppius mons terticepsos lucum Esquilinum dexterior via in Tabernola est. Oppius mons quarticepsos lucum Esquilinum dexterior via in figlinis est.* Hic de tribus Oppii verticibus tres ad lucum erant Esquilinum: & ad tertium ibatur per Tabernolam inter Amphitheatrum Flavium, & ædem *S. Clementis*. Statuto igitur tertium fuisse objectum ædi *S. Matthæi*, ubi etiam Philippi Thermas fuisse diximus, primus, qui divisioni inter Oppium & Cispium, Regiæque Tullii fuit proximus, indubie ille fuerit, qui nunc ædi *S. Martini in montibus* vicinus est: alterum vero consequitur illum fuisse, qui retro *S. Matthæi* ad *S. Eusebii* assurgit. Quartus autem remotior ille videtur fuisse, qui ad *hortos Cardinalis Contareni* conspicitur. Ponamus jam lucum Esquilinum pari spatio a primo, tertio, & quarto distantem ad *S. Matthæi*. Hac ejus constitutione, (quæ si non vera, saltem verisimilis est, ac maxime probabilis) primus vertex ad dextram versus *S. Matthæi* lucum Esquilinum habere potuit, & ad sinistram versus *S. Petri in vincula* Fagutalem: cui, tamquam summo Jovi consecrato, locus urbi Regiæque vicinior conveniebat. Varro alio ejusdem libri loco ejus meminit: *Fagutal a Fago, unde etiam, quod ibi Sacellum Jovis Fagutalis*: item Festus: *Fagutal Sacellum Jovis, in quo fuit Fagus arbor, quæ Jovi sacra habebatur.* Nec non Plinius lib. x. cap. x. *Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus Fageus fuit.*

Non procul a Fagutali *clivus* olim *Pullius* dictus abfuit, uti Solinus auctor est c. 1. *Tarquinius Superbus clivum Pullium ad lucum Fagutalem*: qui clivus forte non adeo diversus ab eo, qui nunc est, per quem ex hodierna Suburra ad *S. Petri in vincula* ascenditur.

Ceterorum trium verticum quintum & septimum ad *S. Mariæ Majoris*, & *villam Perettam* fuisse mox videbimus. Quare sextus is fuerit necesse est, quem ad *S. Crucis in Hierosolymis* agnoscere nos diximus.

Perspectis ita, consideratisque lucis Oppii, revertamur velut ad carceres, ut sic accuratiore progressu ceterorum locorum situm perlustremus.

Ecclesia S. Crucis in Hierosolymis a Constantino in *Palatio Sessoriano* ædificata fuit, ut Anastasius testatur in S. Silvestro, & Beda tom. 1. Martyrologii: unde & *Sessoriana Basilica* appellata est. *Sessoriani* vero *Palatii* nulla alia superest notitia: *Sessorii* autem ad unam de portis Esquiliarum siti solus Acro meminit Sat. VIII. l. 1. Horat. *Esquiliæ*, inquit, *dicuntur locus, in quo antea sepeliebantur corpora extra illam, in qua est Sessorium.* Porta hæc sine dubio *porta major* est, siquidem altera Acronis occlusa fuit: a quo *Sessorium* non longe remotum fuit, uti nec ab hoc *palatium Sessorianum*; si tamen palatium illud fuit. Anastasius enim, aliique illius ævi scriptores veteres substructiones, sive ædificia antiqua, *palatii* appellatione donare solent. Sic ipse & Circum Neronis *Palatium* vocat, quid ad *S. Petri* fuit: *Sepultus est via Aurelia, &c. juxta Palatium Neronianum in Vaticano.* Et Forum Trajani a Joanne

A III. *Palatium* dicitur, in Constitutione, *Quoniam primitiva*, descripta a Martinello in Roma Sacra, sed in alium finem. Lipsius autem in xv. Annalem Taciti non *Sessorium* legit, sed *Sextertium*. Sed verisimilior antiqua mihi lectio videtur, quod illic *Sessorianum* fuisse *palatium* legatur: quod &, ut eximium aliquod illic fuisse ædificium credam, mihi persuadet: cujusque intuitu Aurelianus ibidem mœnia in cubiti flexerit curvaturam. Verum sua cuique hic libera per me sententia esto.

In proximo, ad dextram scilicet Sessorianæ Basilicæ, B ubi ingentia veteris ædificii rudera etiamnunc conspiciuntur, Antiquarii nonnulli *Veneris* & *Cupidinis* fuisse *templum* existimant: alii vero eodem ipso, quo Basilica sita est, loco: verum nullo, quod sciam, conjecturæ hujus certo argumento. Fulvius duos hosce pro se affert Ovidii versiculos e primo Artis Am.

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Verum præterquam quod nulla illic situs indicatio sit, de alio loqui Poeta videtur ædificio, quam de templo Veneris & Cupidinis. Potuit autem illic C Sessorium fuisse: verum nil affirmo.

Ad sinistram ejusdem Basilicæ *Anphitheatrum* est operis Corinthiaci ex lateribus, perpulchrum, cui jam mœnia civitatis, quæ olim ei vicina tantum erant, innituntur. Crediderunt hoc aliqui Statilii Tauri fuisse: verum quum Dio lib. XL. e marmore illud fuisse dicat, & in Campo Martio, in quo & a Rufo Victoreque collocatur, prudentius illud Antiquarii hujus ævi *Amphitheatrum Castrense* fuisse asserunt, quod in hac regione fuisse legitur. Ludis illud ego Castrensibus militum exercitii gratia cum feris animalibus depugnantium inservisse crediderim: de quibus Circeiis aliquando celebratis Suetonius D c. LXXII. in Tiberio mentionem facit: *Circejos, inquit, pretendit; ac, ne quam suspicionem infirmitatis daret, Castrensibus ludis non interfuit solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit.*

Inter eandem Basilicam, & *portam Majorem*, quæ orienti obversa est, ubi quoque mœnia urbis in planum descendere cernuntur, *Agger Tarquinii Superbi* initium habuit; qui ab Antiquariis cum *Aggere Servi Tullii* confusus, nimis tamen aperte ab Historicis ab eodem distingui solet. Sic enim ait Dionysius l. IV. de Tarquinio: *Partem illam urbis,* E *quæ in Gabinos prospiciebat, magna operariorum multitudine cinxit aggere, latam egerendo fossam; ibique magis quam alibi murum erigendo, crebrisque turribus muniendo. Ab hac enim parte videbatur civitas admodum debilis, cum alibi undecunque valde tuta esset.* Hic illa pars mœnium in planitie posita ad portam usque Collinam munita describitur: qua de re idem Dionysius l. IX. *Locum tamen habet magis expugnabilem a porta Exquilina ad Collinam, sed manuali opere munitus est. Cingit enim eum fossa in minori latitudine pedum centum, & amplius, & profunditatis triginta: supraque fossam murus est junctus interius aggeri lato, atque alto,* F *haud facile*, &c. Hanc vero munitionem a Tullio ante Tarquinium inchoatam Livius l. 1. indicat: *inde deinceps*, inquit de Tullio, *auget Equilias, ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat, aggere, & fossis, & muro urbem circumdat*, &c. Apertius hoc & Strabo lib. v. affirmat, Servium nempe in parte infirmiore duorum a se adjectorum collium aggerem jecisse: *Quem defectum*, ait, *Servius arguit, qui complevit murum, adjectis urbi Esquilino & Viminali collibus: quæ omnia cum capi facile extrinsecus possent, aggerem sex circiter stadiorum in interiore fossæ margine fecerunt, murosque & turres*

in eo constituerunt, *a Collina porta usque ad Esquilinam*. Ubi verba hæc *fecerunt*, & *constituerunt*, Græce ὀρύξαντες & ἐπεβάλοντο, evidentius adhuc a duobus aggerem illum factum arguunt. Plinius autem lib. III. cap. V. orientalem tantum aggeris partem, Gabiis objectam, a Tarquinio factam refert: *Clauditur*, inquit, *ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opera mirabili*. *Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano*, &c. Tum & porta *inter aggeres* appellata, plurium, quam unius, id opus fuisse indicat. Quare Tarquinius aggerem a Tullio inchoatum perfecisse existimandus, *opere*, ut Plinius ait, *inter prima mirabili*, adeoque Tulliano augustiore.

Vicum Africum in Esquiliis Varro collocat l. IV. *Esquiliis vicus Africus, quod ibi obsides ex Africa Punico bello dicuntur esse custoditi*. Hunc ego vel in ea Esquiliarum fuisse parte existimo, quæ in regione tertia fuit, caput autem in secunda habuit, uti illic dixisse memini, vel haud procul his, quæ nunc recensita sunt, locis.

Vivarium mœnibus extrinsecus adjunctum fuisse, alto quidem muro circumdatum, verum tamen sine turribus ac loricis, Procopius lib. I. de bell. Goth. scribit; fuisse id autem locum, in quo animalia fera in spectaculorum voluptatem asservarentur. Hinc una omnium opinio fuit, *Vivarium* eo loco fuisse, qui inter portam *Piam* & *S. Laurentii* foras excurrit; in quam opinionem forma ejus quadrata, situsque præceps & præruptus, eos induxit: quamquam ibidem muri turribus referti conspiciuntur. Postquam vero Panvinius evidentissimis argumentis *Castrum* illic *Prætorium* fuisse ostendit, non autem ad *S. Sebastiani*, uti vulgo fuerat existimatum; hodierni Antiquarii in eam deflexerunt sententiam, a latere castri illius, ubi porta quædam obturata cernitur, (quæ illa quondam *inter aggeres* dicta fuisse vulgo existimatur) *Vivarium* fuisse; extra quam portam viæ cujusdam silicibus stratæ pars residua, quæ ex illa exibat, demonstrare videtur, *Vivarium* muris Castri Prætorii non fuisse, uti vulgo creditur, annexum, adjunctumve. Verum quid hujus sit, facile e Procopio ostendit queat, qui *Vivarium* extra portam Prænestinam fuisse refert eodem lib. I. *Acie instructa circa Prænestinam portam ad eam muri partem mox ducit, quam Romani Vivarium dicunt, unde expugnari mœnia perquam facile poterant*. Ne vero hic error esse librarii videatur, idem Procopius postpaulo, quum Belisarium narrasset sumtis sibi ad defendendum portis Pinciana & Salaria, Prænestinam Basso tutandam commendasse, pergit: *Bassus interea Partheniusque, Vitige ipso e regione Vivarii validissime his insistente, eodem ad se Belisarium evocant*, &c. Ergo si *Vivarium* indice Procopio extra urbem fuit, evidentissima illius in ruderibus istis vestigia apparere certum est. Extra portam mœnia dextrorsum ingentem sinum faciunt, relicto inter portam & ipsos muros spatio quadrato. Ea vero porta duplici patens, uti alibi dixi, exitu, altero in spatium illud egressum habuit, quod muris circumdatum, adeoque Vivarium ipsum fuisse, veteris muri pars arguit residua, quæ hodieque inter ambas illas portas visitur: posterioribus vero temporibus muro continuata est subtiliore, humilioreque, pecudibusque includendis hodie inservit. *Vivarium* vero in usum Amphitheatri Castrensis, ludorumque ejus, ædificatum perquam mihi verosimile videtur.

Ceterum quoniam egressi muros sumus, *horti Elagabali* silentio prætereundi non sunt. De his ita Lampridius: *Ipse secessit ad hortos Spei veteris, quasi contra novum juvenem vota concipiens*. Situm eorum Donatus indicat e Frontino l. I. de Aquæductibus: *Partem sui Aqua Claudia prius in arcus, qui Neroniani vocantur, ad Spem veterem transfert*. & de Aniene agens novo: *Rectus vero dictus secundum Spem veterem veniens intra Portam Esquilinam in alios rivos per urbem dicitur*. Qui quidem aquæductus hodieque conspiciuntur ad *portam Majorem*, ubi arcus incipiunt Neroniani, quum Claudii aquæductus ad ipsam usque portam pertingat, ut ex inscriptione liquet. Addit his Donatus & alium e Lampridio locum: *Itum est*, inquit ille, *in hortos*, *ubi Varius invenitur certamen aurigandi parans*: concluditque, cum Circus ad curulia certamina necessarius fuerit, non alibi hosce hortos fuisse quam extra mœnia ad *portam Majorem*; ubi etiamnunc vestigia veteris Circi visuntur. Addit & Fulvii testimonium, qui ejusdem meminit Circi, obeliscique in duas partes diffracti, qui in medio jacebat circo. Plus tamen lucis ei Ligorius fœneratur, qui libro de *Circis*, *Amphitheatris*, & *Theatris*, partium ejus residuarum eximiæ magnificentiæ facit mentionem, Obeliscumque nobis exhibet hieroglyphicis figuris apprime exornatum. Hodie solus ejus situs apparet ad Amphitheatrum Castrense in angusta valle, pauxillum ultra mœnia; hortorum vero *Spei veteris* fuisse, qui in fastigio contiguo ipsi imminuerunt, ipse loci situs, uti credamus, persuadet. Obeliscus in area *palatii Barberini ad quatuor fontes* diffractus hodieque visitur. Sunt, qui *Circum* hunc *Aureliani* fuisse opinentur; verum hæc mera conjectura est: quam tamen Donatus non repudiat, fieri potuisse dicens, ut ab Elagabalo constructus, ab Aureliano vero instauratus, exornatusve sit.

Nomen *Spei veteris* indicium nobis facit, templum aliquod Spei dedicatum in via Labicana in vicinia fuisse, cui *veteris* cognomen, ut Donatus vult, additum sit, quo a novo distingueretur, quod in regione septima a Victore recensetur.

Extra *portam Majorem*, in via Labicana, procul ab urbe, *Templum Quietis* fuisse, regione secunda, e Livio lib. IV. ostendi. Augustinus illud l. IV. de Civ. Dei cap. XVI. extra portam Collinam collocat: *Quietem vero appellantes, quæ faceret quietem, cum ædem haberet extra portam Collinam*, &c. Quæ utrum una ædes, an duæ fuerint diversæ; an vero vel in D. Augustino, vel in Livio vitium sit, haud facile dixerim.

In Esquiliis & *horti Pallantiani* fuere, a *Pallante* Claudii liberto sic appellati. Meminit eorum Frontinus in secundo: *Finiuntur arcus Claudiæ & Anienis post hortos Pallantianos; unde in usus urbis fistulis diducuntur*. Donatus hosce Varianis vicinos statuit: nec ego dissentiam. Accuratius tamen eorum situm indaganti intra mœnia fuisse videntur ad primum castellum, in quo Aqua Claudia & Anio novus, quæ uno communique aquæductu urbem intrabant, in usus privatos diducebantur. Quare non longe a *porta Majore*, atque æde *S. Crucis in Hierosolymis*, horti isti abfuisse dicendi sunt. Panvinio iidem videntur, qui vitiose a Victore *Plantiani* appellantur, vel *Plautiani*: quod & mihi perquam verosimile accidit: tametsi *Plautii* liberti Severi Imp. prædivitis mentio fit apud Spartianum. In his forsan, aut in Varianis, pulcherrimæ illæ Bacchi, trium Musarum, aliæque complures fuere statuæ, quas Aldrovandus a Petro de Radicibus in vinea sua ad *portam Majorem* repertas fuisse, memoriæ prodidit.

Hic etiam *Hortis Torquatianis* Panvinius locum assignavit; forte, quia in Frontino de Aqua Appia legerat: *Jungitur ei ad Anienem veterem in confinio Hortorum Torquatianorum, &c. addito cognomento*

decem Gemellorum: & paulo post: *ad Gemellos, qui locus est intra Spem veterem*, &c. Ubi autem hi horti fuerint, in prima exposui regione, quomodo vero in Frontino legendum sit, post dicam, ubi de aquis suo loco differetur.

Inter memoratos Rufo vicos *Sucusanus* est, quem & in regione secunda attigi: dixi vero illic, contiguum cum Suburræ fuisse, cui & ab eo nomen fuit. Quare si hic in regione quinta Esquilina fuit, Subura vero in secunda Cœlimontana inter *S. Clementis*, *SS. Petri*, & *Marcellini*, & vicum Sucusanum, fieri nequit, ut alibi quam inter *SS. Petri* & *Marcellini* ædem *portamque Majorem*, Suburæ conjunctus fuerit: qui locus Gabinis maxime erat oppositus. Hic autem initio *pagus*, post inclusis intra mœnia Esquiliis, *vicus Sucusanus* factus est.

Figulinæ, (de quibus Varro: *Oppius mons terticepsos lucum Esquilinum dexterior via in Tabernola est. Oppius mons quarticepsos lucum Esquilinum via dexterior in figlineis est*:) si verba scriptoris illius accurate perpendantur, aut in Sucusano fuere vico, aut inter hunc & quartum Oppii verticis, quem ad *hortos Cornarios* esse diximus, in quem forte per vicum Sucusanum ascendebatur, quemadmodum per Tabernolam ibatur ad tertium. *Figulinarum* harum mentio etiam apud Festum exstat lib. XIX. *Salinum cum sale in mensa ponere figulis religioni habetur, quod quondam in Esquilina regione figulis, cum fornax plena vasorum coqueretur*, &c. quas ego postea inclusis intra urbem Esquiliis extra Nomentanam Trigeminamque portam translatas putem.

Pone S. *Matthæi* ædem ad *hortos Cornarios* in vinea quadam, vetus ædificium decagonum e lateribus hodieque exstat: quod quidem *Basilicam Caii* & *Lucii* esse suspicantur ab Augusto constructam, ut e Suetonio patet cap. XXIX. *Quædam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet, & uxoris, sororisque fecit; porticum, Basilicamque Lucii & Caii*, &c. nullo quidem alio argumento, quam quod illi nunc *Galluccio*, sive *Galluzzo*, nomen sit. Sed ab aliis a Vitruvio l v. cap. I. ostenditur, veterum Basilicas nunquam decagonas fuisse, aut rotundas; verum altera parte, sæpe & duabus tertiis latitudinem longitudine superantes. Vitruvius adhæc tum temporis Romæ fuit, forte & ejusdem Caii & Lucii basilicæ architectus. Sunt & qui ædem *Minervæ Medicæ* fuisse opinentur, quæ a Rufo & Victore huic adscripta regioni quo loco fuerit, incertum est. Nomen *Panthei Minervæ Medicæ* in Rufo additum indicare, offerreque oculis rotunditatem illi Panthei assimilem videtur. Verum satis temere rem tractant, qui tam levi argumento *Minervæ* illud *Medicæ* tribuunt, nec eam pensiculatius expendunt. Ego equidem tametsi de isto mihi ædificio nihil adhuc certi constitutum est, quid mihi in mentem venerit, breviter exponam.

Nomen illud *Galluzzo* e vocibus *Caii* & *Lucii* corruptum, negare vix ausim, nam, etsi non ipsum ædificium, certe situs idem est. Ante hortos illos supra memoratos ingens cavitas conspicitur, perfectæ rotunditatis, verum ab uno latere ad viam publicam hodie exaggerata, quæ primo statim oculorum conjectu lacus quidam antiquus fuisse agnoscitur, manuario opere excavatus, fortean ad naumachiam. Hic *nemus* fuisse *Caii* & *Lucii* videtur, quum verba Dionis Vesuvii incendium describentis accurate considerantur; ubi post ludos navales in Amphitheatro Titi factos ita loquitur: *Alii vero extra in nemore Caii & Lucii, ubi Augustus ad hoc ipsum terram effoderat; Ibi enim primo die ludus gladiatorius, cædesque bellua umfacta est, lacu, qua parte statuas spectat, asseribus inædificato & foris, ac tabulatis undique incluso*. Cui & Suetonius paria facit in Tito cap. VII. ubi eadem spectacula enarrat: *Amphitheatro dedicato, Thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit apparatissimum, largissimumque; dedit & navale prælium in veteri naumachia: ibidem & gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum*. Hanc autem veterem Naumachiam nemo, puto, in nemore Caii & Lucii fuisse, negabit, qui hunc Dionis ac Suetonii consensum diligenter expenderit. Certum igitur est, nomen *Galluzzo* corruptum, depravatumque ex illis *Caii* & *Lucii*. At non tam certum, forte tamen verum est, *Lacum Promethei*, qui a Victore & Rufo huic regioni attribuitur, eandem veterum fuisse Naumachiam.

Ecclesia *S. Bibianæ*, quæ a supra dicto vetere ædificio rotundo, seu potius decagono, non longe remota est, auctore Anastasio, a Simplicio Papa exstructa est *juxta palatium Licinianum*. Unde conjectura ducitur, *palatium* imperatoris *Licinii* in proximo fuisse. Dubitat autem Donatus, utrum *Licinii* fuerit imperatoris, an *Licinii Suræ*, hominis ditissimi, amicique Trajani Imp. qui, teste Dione in Trajano, Romæ suo ære Gymnasium publicum construxit. Possit & aliquis, *M.* illud *Licinii Crassi* fuisse, suspicari, cujus divitiæ quondam famosissimæ fuerunt. Hujus autem domum hac in regione Victor collocat. Forte vel illius *Licini* celebre illud ædificium fuit, cujus Martialis lib. VIII. epigr. III. meminit:

> *Et cum rupta situ Messalæ saxa jacebunt,*
> *Altaque cum Licini marmora pulvis erunt.*
> *Me tamen ora legent, &c.*

Quem a M. Crasso diversum fuisse Seneca docet epist. CXIX. *Ad summum, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso Licinoque numerantur, &c.* Ubi nomen *Licini* a gentili *Liciniorum* distinguitur. *Licinum* hunc ditissimum fuisse ex ejusdem proxime sequente epistola cognoscimus: *Modo Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant*. *Domum* hic *Licinianam* silentio prætereo, de qua Cicero ad Quintum Fr. l. II. epist. III. scribit, ab eodem conducta: *Domus tibi ad lucum Pisonis conducta est: sed ut spero paucis mensibus*, &c. Sed ut in incerto relinquamus, *Licinine* an *Licini* ædificium hoc decagonum, quod pone *S. Bibianæ* adhuc exstat, fuerit, nomenque *Palatii*, ab Anastasio illi tribui, seculo condonemus, tribuamusve barbariei, maxime tamen mihi verosimile videtur, partem tantum residuam aliquam domus esse Licinianæ. Nam rudera illa nil aliud quam majoris alicujus ædificii diruta & convulsa nobis membra repræsentant.

Adhæc *Ecclesia S. Bibianæ ad Ursum pileatum* appellata legitur: & hinc discitur, *vicum Ursi pileati*, quem hic Rufus memorat, eo fuisse situ, quo nunc illa ecclesia est. Nomen hoc vico ab imagine aliqua, vel sculpta, vel picta, ursi pileum gestantis inditum facile divinatu est.

Inter *S. Bibianæ* & *S. Eusebii* templa, via, quæ recta a *S. Mariæ Majoris* æde ad *S. Crucis in Hierosolymis* ducit, primum aquæ Martiæ Castellum se offert, cui inædificati duo arcus sunt e lateribus, in quibus bina illa *tropæa* marmorea fuere, non multis abhinc annis inde in Capitolium translata. Plerique omnes *tropæa* illa *Marii* fuisse existimarunt: cujusce rei non leve argumentum erat *vici* nomen, qui *Cimbrorum* dicebatur. Verum Ligorius *in Paradoxis* ædificium illud aquarum castellum fuisse censet, *Marii* vero *Tropæa* in Capitolio posita. Celsus rursus Cittadinus, in notis ad Ligorium a Martinello in *Roma Sacra* publi-

catis, *tropæa* illa *Domitiano* ſtatuit, ex hac inſcriptione:

IMP. DOM. AVG.
GER. PER.
CRE. LIB.

Quorum opiniones, tam diverſas, accuratius expendere operæ pretium videtur. Quin Caſtellum iſthic Aquæ Martiæ fuerit, dubitandum non eſt, cum ibidem illius aquæ in tria capita diviſio manifeſte appareat. Duo vero illi impoſita tropæa in Capitolium fuiſſe aſportata nemo item negare poterit. Quare cur in loco excelſiore tropæa hæc vel a Mario, vel ab alio aliquo egregio imperatore, qui caſtellum illud forſan redintegravit, erigi non potuerint, cauſam nullam video. Omnia vero Marii tropæa in Capitolium lata, ibidemve fixa, a vero tam alienum eſt, quam quod maxime. Plutarchus de ſolis tropæis loquitur devicto Jugurtha ibidem a Boccho Rege Mauretaniæ erectis: præter quæ alia quoque alibi a Mario tropæa poſita fuiſſe Suetonius in Cæſare refert cap. XII. *Tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis olim a Sylla disjecta reſtituit*. Sic & a Q. Catulo ejuſdem Marii tropæa reſtituta, quum ædilis curulis eſſet, Paterculus lib. II. memoriæ prodidit: quæ rurſus disjecta, iterum deinde a Julio Cæſare erecta, repoſitaque fuere. Tandem Domitiani illa fuiſſe nimiſquam a veriſimilitudine, ne dicam a vero, remotum eſt. Quis enim probare queat, Domitiani ætate, quum arcus Triumphales adeo frequenti in uſu eſſent, tropæorum illam adhibitam, admiſſamque fuiſſe vilitatem? Tum & duplex in eodem loco Domitiani erectum tropæum, minus conveniens rationi eſt. Quid? quod non *tropæa*, ſed *arcus* innumeros Domitianum ſibi feciſſe teſtis eſt Suetonius c. XIII. Adhæc, quod omnem omnino ſpeciem veritatis illius ſententiæ deſtruit, omnes arcus, omniaque monimenta, quæ Domitianus ſibi poſuerat, poſt mortem ejus, dejecta dirutaque ſunt, ut apud eundem Suetonium legitur cap. ultimo. *Senatus imagines ejus coram detrahi, & ibidem ſolo affigi juſſit: noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decrevit*. Nec aliter Dio in Nerva: *Fuere quoque arcus triumphales, quos ei plurimos fecerant, diſturbati*. Relicta igitur duo tam pulchra, tamque conſpicua tropæa intacta ac ſalva, veroſimile videbitur? Recte Donatus fieri potuiſſe ait, ut tropæa iſta ab eo, qui caſtellum illud aquarum reſtituit, erecta ſint, nec abſque alio indicio Marii potius, quam cujuſquam alterius dici poſſe in civitate, in qua tam inſignis erat horum ornamentorum copia. Nec ego multum habeo, quod opponam. Nihilominus ſi qua mihi nonnihil fuſius ea de re differendi facultas permittitur, quo & alios ad ſuam conferendam ingenii acutioris operam excitem, quo adferam lucis nonnihil clarioris argumenta, quæ Marii illa vel fuiſſe, vel ſaltem videri poſſe tropæa perſuadeant. Primum a numero petetur: nam quum duo fuerint tropæa, duplicis illa victoriæ uno tempore reportatæ monumenta cenſenda ſunt. Atqui idipſum in neminem alium ita quadrat, ac in Marium, quem duplex erexiſſe tropæum de Cimbris Teutoniſque devictis conſtat. Sic Suetonius ſupra adductus: *Tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis*, &c. ubi duplex animadvertenda eſt præpoſito *de*: qua Suetonius uſus fuit, ut duo diſtincta tropæa indicaret, unum *de Jugurtha*, alterum duplex *de Cimbris atque Teutonis*; quorum duorum diverſorum tropæorum Valerius quoque Maximus lib. VI. c. IX. mentionem facit, quum gloriam Marii amplificans ait: *Cujus bina tropæa in urbe ſpectantur*: nimirum unum ſimplex de Jugurtha, alterum duplex de Cimbris & Teutonis. Idem & geminum hoc ultimum tropæum plurali numero *Monumentorum Marianorum* extulit lib. II. c. V. *In area*, inquit, *Marianorum monumentorum*: & cap. IV. *Eodem loco, quo nunc ſunt Mariana monumenta*. Paria huic facit Vitruvius lib. III. cap. I. ubi Honori & Virtuti ædem factam a Mutio refert ſine poſtico, ſecundum canones Architecturæ, cui nomen *Peripteros*: *Et ad Mariana Honoris & Virtutis ſine poſtico in Mutio facta*. Alterum argumentum nomen ipſum *Cimbrorum* ſuppeditat, quod illi vico nomen non unius, alteriuſve ſeculi eſt, aut ab ætate Marliani, Fulvii, aut Blondi Flavii; verum jam ultra trecentos annos tempore Petrarchæ notiſſimum fuit, quo antiqua monumenta nec dum ita collapſa, vel corrupta fuere: forſan & inſcriptio tunc adhuc integra extitit. Ita enim ille l. VI. epiſt. II. *Hic Pompeii arcus, hæc porticus, hoc Marii Cimbrium fuit, hæc Trajani columna*, &c. Quod nomen ſatis manifeſte oſtendit, tropæum hoc de Cimbris & Teutonis fuiſſe, ad diſcrimen alterius de Jugurtha, quod alio loco fuit. Videtur id ipſum & Sidonius Apollinaris innuiſſe in Hendecaſyllabis ad Magnum Felicem:

Qui poſt Cimbrica turbidus tropæa,
Poſt victum Naſamonium Jugurtham, &c.

Commemoranda hic & percelebris *Æliorum domus* eſt ob notabilem anguſtiam, quam eodem, quo Mariana monumenta, loco quondam fuiſſe Valerius Max. tradit lib. IV. cap. IV. *Sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula fuerat, eodem loci, quo nunc ſunt Mariana monumenta*. Hic autem poſtea *horti* quoque *Lamiæ* fuerunt, ut mox videbimus: qui cum ejuſdem familiæ *Æliorum* fuerit, ut Horatius docet l. III. od. XVII. (ſicut & alterius *Ælii Lamiæ* Suetonius meminit in Domit. c. I.) non adeo abſurdum cogitatu dictuve ſit, Lamiam illum proxime majorum ædes hortos ſuos habuiſſe. Ceterum de tropæis illis, Mariine, an alterius fuerint, quamquam conjecturam meam protuli, certum quid pronuntiare non auſim.

Hortos Mæcenatis doctiores Antiquarii ad thermas removent Diocletianas, ibidemque turrim illam editiorem fuiſſe exiſtimant, e qua Nero incendium urbis decantavit. Nimium namque hic allucinatur Blondus, qui in Quirinali eos fuiſſe vult, & turris illius veſtigia in hortis Columnenſibus extare, in quibus ingens quoddam veteris ædificii fragmentum reſiduum ſpectatur. Decipit autem bonum illum virum, quod ex eo loco in urbis hodiernæ amplitudinem latiſſimus proſpectus ſit. Sed nec illorum minus inſignis error eſt, tam vanam ſibi opinionem fingentium. Nam, præterquam quod illorum immenſum debuiſſet eſſe ſpatium, ſi a thermis Diocletiani per plures colles uſque ad *S. Petri in vincula* protenſi fuiſſent, ubi domus aurea Neronis deſinebat, uti ſupra dictum, ipſas quoque vias pleraſque publicas intercluſiſſent, magis in Viminali, quam in Exquilino colle fuiſſent: incendiumque urbis, quo Palatinus, Cœlius, Circus Forum, & vicina loca, *imis Exquiliis* contermina, ut Suetonius ait, conflagrarunt, e Diocletiani thermis conſpici non potuiſſet. Erroris hujus duæ mihi cauſæ fuiſſe videntur; prior, quod Horat. Sat. VIII. lib. I. hortos Mæcenatis in campo Eſquilino factos indicet, qui ad aggerem Servii retro illas thermas fuiſſe creditur. Sed hoc eſt, in quo erraverunt: quod aggeres illos duos inter ſe non diſtinxerint: Campus enim Eſquilinus prope aggerem Tarquinii fuit, non autem prope aggerem Servii, ut ſuo loco

probabitur. Altera, quod Acro in eandem Satyram dicat, *Antea sepulchra erant in loco, in quo sunt horti Mæcenatis; ubi sunt modo thermæ*. Verum non adeo res incredibilis est, in Esquiliis, colle tam largæ amplitudinis, thermas fuisse a thermis Diocletiani diversas: si modo in Grammatico illo non aliquod vitium memoriæ, vel quis alius lapsus fuit. Nam ut huic omnino fidem habeamus, Campus Esquilinus in Quirinalem, Viminalemve transferendus mihi non videtur. Contra ea, ubi horti illi incipiebant, nempe ad *S. Martini* ædem *in montibus*, thermæ erant Trajanæ, quas quin Acro intellexerit, nullus dubito. Sane rationi convenienter Donatus ait: *Fuerunt in Esquiliis; latissimoque ambitu, a templo circiter Sancti Martini in montibus, orientem versus, ultra S. Antonii ædem processere*. Nec usquam melius, quam ad *S. Martini* ecclesiam, in universam urbem, aut saltem frequentissimam ejus partem, prospectus e turri patuit, uti eam Horatius l. III. od. XXIX. describit:

Fastidiosam desere copiam,
Molem propinquam nubibus arduis,
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.

Ego tamen hortos illos angustiore spatio inclusos fuisse existimem. Via namque Tiburtina, quæ in urbe ab hodierna Suburra & *S. Luciæ* æde *in silice* per *S. Viti* arcum ad usque *portam S. Laurentii* pervenisse animadvertitur, nec Augusti, neque item Neronis ætate obstructa, occlusave esse potuit. Quare quidqu id loci inter eam viam & tropæa supra memorata fuit, hortos Mæcenatis occupasse crediderim, porrectosque deinde a *S. Martini* æde *in montibus* usque ad urbis mœnia: si modo mœnia urbis attigere; quod vix putem.

Dio lib. LV. Mæcenatem inventorem fuisse tradit Natatoriorum aquæ calidæ: quæ Donatus, nec temere, in hisce fuisse hortis existimat.

In eorum vicinia Virgilium habitasse Donatus in ejus vita refert: *Habuit domum*, inquit, *Romæ in Esquiliis, juxta hortos Mæcenatis*.

In eadem vicinia *horti* quoque *Lamiani* fuerunt, Caligulæ adamati: in queis & sepultus est. Suetonius cap. LIX. *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est*. De iisdem Philo libro de legatione ad Cajum: *Accersens*, ait, *duorum hortorum curatores, Mæcenatis & Lamiæ: propinqui autem sunt inter se, & urbi*, &c. Ubi mirum cuiquam accidere non debet, quod Philo eos extra urbem collocet: quandoquidem perquam difficile tum temporis erat, teste Dionysio, mœnia civitatis dignoscere; quippe ab ædificiis tantum non obscurata. Tum vero Philo, homo peregrinus, ac ignarus locorum civitatis, qui in hortis Agrippinæ ante fuerat extra urbem, in Campo Martio; quum viridia illa late protensa continuataque intueretur, hortos quoque Lamiæ extra mœnia esse credidit; aut saltem, uti non male Donatus existimat, more consueto urbis partem maxime celebrem, habitatamque, Romæ, seu civitatis, nomine insignivit. Quod si igitur Lamiani Mæcenatianis vicini fuere, aut ad *S. Mariæ Majoris* ædem, aut, si quis ita malit, juxta domum exiguam illam, de qua supra, Æliorum fuisse necesse est, inter Tropæa Mariana, ædem *S. Bibianæ* & *S. Matthæi*.

Campum Esquilinus primis urbis Romæ temporibus extra mœnia fuit. In eo *Puticuli* erant, seu putei, in quos cadavera viliora projici solita. Nomen eis a *putore* eorundem cadaverum insepultorum datum. Ita enim Varro lib. IV. *Extra oppida a puteis puticulæ, quod ibi in puteis obruebantur homines; nisi potius, ut Ælius scribit, particulæ, quod putescebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Esquilias*. Item Festus lib. XVI. *Puticulus antiquissimum genus sepulturæ appellatus, quod ibi in puteis sepelirentur homines, qualis fuit locus, quo nunc cadavera projici solent extra portam Esquilinam: quæ quod ibi putescerent, inde potius apellatos puticulos Ælius Gallus existimat; qui ait, antiqui moris fuisse, ut patres familias in locum publicum extra oppidum mancipia vilia projicerent, atque ita projecta, quod ibi putescerent, nomen esse factum puticulis*. Ac tandem Porphyrius in od. V. Epodon Horatii: *in regione aggeris, quæ est extra portas Esquilinas, solita fuisse pauperum corpora vel comburi, vel projici*. Campus hic vulgo in extremis Esquiliis fuisse creditur proxime Viminalem, & ad *portam obstructam*: nihilominus & Porphyrius & Festus aperte satis extra Esquilias eum collocant: verum dissensio, sive error hic natus est ex additis a Porphyrio verbis *in regione aggeris*. Neque enim de alio ea acceperunt aggere, quam quem Servius retro thermas Diocletianas fecit. Addunt & hoc; vigente rep. Campum Esquilinum, & Puticulos eo loci fuisse, ubi post horti fuere Mæcenatiani: Augustumque Cæsarem, ut cœlum redderet purgatius, urbemque ornaret, & extenderet, mœnia protulisse, campumque illum veterem, jam intra mœnia redactum, Mæcenati dono dedisse: hunc autem hortos in eo fecisse, turrimque illam ædificasse. Tam bellam scilicet nobis fabulam male intellecta Scholiastæ verba pepererunt. Augustum nunquam urbis mœnia protulisse supra vidimus. Quod si vero *horti Mæcenatis* sub Augusto saltem ad *S. Martini in montibus* ædem pertigere, quantam quæso Esquiliarum partem Tullius urbi addidit? Luci & vertices Esquiliarum, qui in vetustis Sacrariorum libris legebantur, a Varrone relati, ante Augustum extra urbem non fuere. Adde, quod verba Varronis *ultra Esquilias* campum & puticulos extra Esquilinum collem ante Augustum removent. Festus vero antiquissimum sepulturæ genus vocat locum, qui ipsius etiam ætate extra urbem erat. Non ignoro tamen Horatium lib. I. Sat. VIII. sub persona Priapi veterem cadavera in illam Esquiliarum partem projiciendi morem describere, quæ post repurgato aere facta sit habitabilis, cœloque frui cœpit salubriore:

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti,
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Non tamen Horatius Augustum veterem transportasse campum hic dicit, ut in eo Mæcenas hortos faceret. Antequam Tullius Esquilias mœnibus inclusit, cadavera viliora huc deferri, projicique solita non nego; verum translata deinde ab illo rege campo isto extra muros inter portas *S. Laurentii* & *Majorem*, primo illi loco nomen campi Esquilini remansisse assero, qui vel totus, vel ex parte hortis occupatus, ædificiisve, postea fuit; imo & ex parte hortis Mæcenatis. At non ideo, quod Servii Tullii ætate factum, ad Augusti tempora referendum videtur, idque nullo auctore idoneo, & nimium conspicuo in temporum ratione errore, hallucinationeque.

Spatium campi illius ab Horatio eo versu describitur, ubi ait: *mille pedes in fronte*, &c. nimirum

mille

mille illud occupasse pedes in longitudinem secundum muros urbis, & trecentos in latitudinem agrum versus. Titulus marmori, seu lapidi, scriptus fuit H. M. H. N. S. id est, *Hoc monumentum heredes non sequetur*. De quo adisis Acronem ibidem, & Porphyrium.

De eodem Campo Esquilino, in quo Claudius reos aliquot capitis supplicio affecit, hæc apud Suetonium leguntur cap. XXV. *Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit*. Hic ego cujusque examinandum judicio permitto, utrum de loco extra, an intra mœnia sito, verba hæc accipienda sint: præsertim cui locus ille Taciti II. Annal. cum cura lectus fuerit, ubi P. Martium ait capitis pœnam subiisse extra illam portam, antiquo more. Reos enim extra portam Esquilinam tempore saltem, quo Respublica R. sui juris erat, capitali supplicio affici solitos constat. Unde Lipsius in XV. Annalem Taciti non absque ratione locum ibi fuisse affirmat, quem Plutarchus in Galba *Sestertium* appellatum dicit: *Abjecerunt*, inquit, *quo solent eos, quos Cæsares supplicio dedunt. Is vero locus Sestertium vocatur, ita appellatus, quasi semitertio ab urbe milliario semotus*. ubi & plura loca adfert, quibus ab longinquitatis spatio nomina obtigerint. Fateor autem, nimium mihi spatium duorum millium quingentorum ab urbe passuum videri, quum Campus Esquilinus urbi propior fuerit: verum dimensio forte illius spatii non a mœnibus urbis, sed a milliaria, quæ in foro, columna instituta fuit. Utut ea res se habuerit, saltem *Sestertium* ultra *Puticolos* fuisse certum est.

Uti nec absurdum existimare est, vicos illos duos, qui Rufo *Vicus Ustrinus*, & *Vicus Palloris* dicuntur, in primo veteris Campi Esquilini situ fuisse, quibus forte & a cadaverum combustione, & ab eorundem pallore denominatio obtigit: quum in altera istius campi parte tenuiorum cadavera usta, viliora vero & manicipiorum projecta sint insepulta. Harum ustrinarum Acro quoque & Porphyrius meminerunt in allatam supra Satyram. Forte & per *vicum Palloris* transitus ad portam Esquilinam fuit: nisi quis de illo vico eum accipere velit, in quo Tullus Hostilius *Fana Pavoris* & *Palloris* ex voto dedicavit: qua de re Livius in primo: *In re trepida duodecim vovit Salios, Fanaque Pallori ac Pavori*. Nec adeo a verisimilitudine remotum est, Tullum Hostilium in Esquiliis, quæ tum extra urbem, Pavori fanum ædificasse, quum in eo præeuntes habuerit Spartanos, quos id ipsum extra urbem fecisse Plutarchus in Cleomene docet. Verum sufficiant hæc pro conjectura; eo magis, quod Rufus non *fanum* hic, aut *templum*, cujusmodi a Tullo ædificatum, verum *ædiculam* tantummodo *Palloris* commemoret, quales vicis familiares fuisse supra diximus.

CAP. III.

Septimius, & Cispius, & cetera in Esquiliis situs incerti.

Contiguus erat secundum ea, quæ superius proposita sunt, Oppio Cispius, interveniente clivo *S. Luciæ in silice*; quem *clivum Urbium*, seu *Virbium* fuisse, qui per vicum sceleratum adibatur, communis opinio est, ut in quarta regione habuimus. *Virbius* ille clivus a Livio l. I. *Urbius* autem a Solino cap. II. at *Orbius* a Festo l. XVI. appellatur; qui & etymon ejus adfert: *Orbius clivus videtur appellatus esse ab orbibus, per cujus flexuosos orbes Tullia filia Servii Tullii regis, & L.*

A *Tarquinius Superbus gener interfecto rege properaverant tendentes una in Regiæ domus possessionem. Cœptus est tamen is clivus appellari Orbius, quod pronus cum esset, per orbes in Esquiliarum collem duceret: unde Orbius ab ipsis Orbibus appellatus est*. Orbes hi flexuosi illic jam non amplius exstant, cum recto tramite ascendatur. Sed nec ea est, quæ olim fuit, prona declivitas, exæquata, seu exaggerata valle. Hic Donatus omnibus aliis, nec immerito, refragatur, affirmatque clivum *S. Petri in vinculis*, non autem hunc *S. Luciæ in silice*, *Urbium* esse; siquidem vicum sceleratum, per quem ad clivum hunc ibatur, ultra *hortos Pios* B fuisse ad clivum *S. Petri in vinculis*, omnes concedunt, fatenturque Antiquarii. Nec ego negarem, nisi vicum Sceleratum in hodierna Suburra fuisse supra affirmassem: qua sententia omnis tollitur controversia. Addo ad illa, quæ supra attuli; etiamsi *Servii Tulli Regia* ad *S. Petri* ædem *in vinculis* fuisset, quæ nonnullorum opinio est, e regione vici Patricii, viam tamen rectiorem, brevioremque illuc e foro, (quam & delegisse sibi Tullium verisimile est, quum occisus fuit) per hodiernam Suburram fuisse; unde clivus Virbius adscensum ad *S. Petri in vinculis* flexuosis orbibus videtur præbuisse.

C Ubi vero Servii Tullii Regia fuerit, e Festo liquet. Nam, quum is dicat *vicum Patricium* fuisse *sub Esquiliis, quod ibi patritii habitaverunt jubente Servio Tullio, ut, si quid novi molirentur, e locis superioribus opprimerentur*: Rufus autem & Victor eam non in tertia collocent regione, sed in quinta: consequitur illam non in Oppio fuisse, sed in Cispio, supra templum *S. Laurentii in fonte*, non admodum procul ab ædibus hortisque Pauli Sfortiæ.

Sic & *vicus Patritius* jam nemini ignotus esse potest: sed nec quisquam de eo, ubi olim fuerit, dubitat. Fuit enim ea via, quæ ab hodierna Suburra inter Viminalem & Esquilias ad *S. Pudentianæ* exD tenditur, & *villam Perettam*. *Isidem Patritiam*, quam in hac regione Victor & Rufus recensent, ædem, vel sacellum, vel signum aliquod Isidis fuisse, ab hoc vico, in quo erat, ita denominatæ, tamquam rem certam affirmare ausim. Forsan ea una ex illis fuit statuis, quas Augustus in vicis posuit, cujusmodi *Apollo*, de quo supra, *Sandaliarius*, & *Jupiter Tragœdus*. Fuit & in eodem vico *Dianæ ædes*, quam nemini introire mari nato licebat. Plutarchus Probl. III. *Cur Romæ, cum Dianæ multæ sint ædes, eam solum, quæ in angiportu est, qui Patricius dicitur, viros ingredi nefas est?* Subji- E cit ibidem, quod, cum quidam mulieri isthic vim intulisset, a canibus dilaceratus sit. Fuit ibidem & *Crypta Nepotiana*, ubi multis olim Christianis, isthuc abditis, D. Laurentium victum apportasse, Martyris ejus Acta testantur.

Hic mihi jam tempus opportunum videtur, intermissum de *Lucis Esquilinis* sermonem redintegrandi. Primus autem occurrit *Mephitis*: quem Donatus supra vicum Patricium fuisse ostendit, nempe supra *S. Laurentii* ædem *in fonte*, aut saltem non procul inde. Usus autem est in eam rem teste Festo, cujus verba id apertissime indicant: *Qui ejusdem rei causa* (inquit de Rege Servio) *eam par-* F *tem Esquiliarum, quæ jacet ad vicum Patricium versus, in qua regione est ædes Mephitis, tutatus est*. Fuit igitur in extremis Esquiliis non longe a Regia Servii Tullii supra vicum Patritium. *Mephitim* vero *Junonem* deam esse fœtoris Servius docet in VII. Æn. *Mephitim Junonem volunt, quam aerem esse constat. Novimus autem putorem nonnisi ex corruptione aeris nasci*. Fieri autem facile potuit, addit Donatus, ut Juno illic culta fuerit, ne fœtor aeris, qui e puticulis oriebatur, ultra Esquilias, quæ

tum temporis extra urbem erant, se diffunderet, civitatemque inficeret. Ita Servius Tullius ab uno Regiæ latere *Jovem Fagutalem* vicinum habuit, ab altero vero *Junonem Mephitim*.

Alter *lucus* itidem *Junonis*, sed *Lucinæ*, a plerisque omnibus eo fuisse loco censetur, ubi nunc Basilica est *S. Mariæ Majoris*; verum nullo argumento, vel auctore. Potest tamen, me quidem judice, probari illis Varronis: *Cispius mons septicepsos apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere solet*. Unicum vero Cispii fastigium ad eandem basilicam conspicitur. At Ovidius l. II. Fastorum sub monte lucum illum fuisse indicat, non autem in illius summo clivo.

Monte sub Esquilio multis incæduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat. &c.

& paulo post:

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, dea, lucis habes.

Verum quomodo *sub monte* fuisse dici potuerit, non capio, siquidem unus de lucis illis fuit, qui secundum Varronem monti huic dedere nomen. Quare si non in summo is vertice exstitit, certe nec in subjacente fuisse dici poterit parte, verum potius in declivitate ejus versus *S. Laurentii* ædem *in Panisperna*, vel ad templum *S. Pudentianæ*: quæ declivitas Ovidio poetice *sub monte* dici potuit. In area templi *Junonis Lucinæ* Plinius lib. XVI. cap. XLIV. ætate sua arborem *lotum* fuisse tradit, ipso templo antiquiorem: deducitque cognomen illius deæ ab ipsa voce *Luci*: quod cognomen lucum quidem ipso templo antiquiorem fuisse probat: verum non singulas ejus arbores, imo nec omnes.

In vico Patritio ad ædem *S. Laurentii in Fonte* Fulvius *circum* fuisse scribit, cujus ipse viderit sedilia: *Cujus*, inquit, *forma, ac sedilium vestigia adhuc apparent inter Viminalem montem, & Esquilias juxta viam Suburam, ubi nunc est ædes S. Laurentii in Fontana*. Negat vero Marlianus; quoniam is vicum Patritium, vel partem Suburræ interclusisset. Attamen circus ille ita ad unum viæ latus constructus esse potuit, ut vicus ab altero latere flexu quodam illum more veteri circumierit. Donatus pro *Circo theatrum* fuisse censet, non in spectaculorum usum ædificatum, verum in ornamentum alicujus fontis; cui alio loco a me responsum est. Alexander ab Alexandro lib. VI. cap. VIII. dier. Genial. ludos Florales in vico Patritio olim celebrari solitos, scribit: *Quos in vico Patritio, aut proximo, celebrabant*. Forsan ille in Varronis veteri codice l. IV. de L. L. pro *Clivus proximus ad Florales usus versus*, *Clivus Patritius*, legit. Quæ mihi emendatio vero proxima videtur: verum unde eam acceperit, in obscuro est. Attamen habeatur illi fides. Ita *Circus* ille, ut Fulvius voluit, sive aliud qualecunque genus ædificii, nonnisi in ludorum istorum usum exstructum esse potuit. At si Circus Floræ in *Area Grimana* fuit, (ut in regione sequente ostendetur) quomodo hic loci esse potuit? Observavi, ludos illos pluribus diebus celebrari solitos, diversisque temporibus, nempe a. d. XXVIII. Aprilis, & primis tribus diebus Maii, vario spectaculorum genere, gestibusque ac motibus lascivis nudarum meretricum, & imbellium animalium venatione, cujusmodi sunt damæ & lepores: quæ venationes a nudis exerceri nequivere. Unde rationi mihi videtur consentaneum, pluribus ac diversis illa spectacula fuisse locis exhibita. Festum Aprilis lascivis erat saltationibus dicatum, ut Ovidius IV. Fastor. testatur:

Mille venit variis Florum dea nexa coronis:
Scena joci morem liberioris habet.

A Ideoque meretrices in his ludis *Mimæ* appellatæ fuere, ac si de scena fuissent. Valerius Max. l. II. cap. V. *Cum ludis Floralibus, quos Mænius ædilis faciebat, M. Catone spectante, populus, ut Mimæ nudarentur, postulare erubuisset, Cato cognito illo ex amico suo Favonio e theatro discessit, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: populusque eum abeuntem ingenti plausu prosecutus priscum morem jocorum in scenam revocavit*, &c. Schol. Juven. in sat. VI. *Florali tuba, qua committuntur ludi florales, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendi discurrunt, & armis certant gladiatoriis, atque pugnant &c. ludi sunt impudici*. His vero ludis, spectaculoque

B saltationum & gestuum impudicorum Circus minime conveniebat; cujus spatia solis apta venationibus, & curulibus erant certaminibus. Commodius multo theatrum fuit: theatrum vero hoc fuisse Valerius indicat, cum ait *e theatro discessit*, &c. uti & Martialis lib. I. Epigr. XXIX.

Nosses jocosæ ludicrum sacrum Floræ,
Festosque lusus, & licentiam vulgi.
Cur in theatrum Cato severe venisti?

C Nec non Ausonius Eidyll. XXV.

Nec non lascivi Floralia læta theatri.

Quare ædificium illud, quod in vico Patritio fuit, *Theatrum* potius quam *Circum* fuisse existimandum est; id est, non istius longitudinis, ut pars quædam populi a saltantibus meretricibus longius remota esset. Ineptum enim sit opinari, per omnem illas circi aream discurrisse. Quod si vero theatrum non suis numeris, seu partibus absolutum, perfectumque, (deficiente nempe scena, in qua dramata agebantur) saltem scenæ imaginem

D habuit; locusque is, ubi meretrices saltationi gesticulationibusque populum oblectabant, *scena* appellata fuit. Unde in Ovidio & Valerio M. legas, *Scena joci morem*, &, *in Scenam revocavit*. Ceteri vero ludi Florales mense Majo in circo fiebant, ut clarissime Ovidius testatur l. V. Fastor.

Circus in hunc exit, clamataque palma theatris:
Hoc quoque cum Circi munere carmen eat.

Quid autem in Circo exhibitum sit, idem Poeta extremo lib. Fast. indicat;

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus?

E *Non sibi respondit sylvas cessisse, sed hortos*, &c.

Quemadmodum igitur in ludis Floralibus mensis Maii circus, qui in *area Grimana* est, caprearum & leporum inserviebat venationi, ita Festo Aprilis & Theatrum Vici Patritii nudarum meretricum probos ac impudicos ostendebat jocos.

Unus adhuc vertex Esquiliarum nobis explicandus superest, cui *monti Septimio* nomen. De eo Varro: *Septimius mons quinticepsos Lucum Pœtilium*. Erat igitur ille luco Pœtilio vicinus. Quem mox extra mœnia in Viminali fuisse ostendemus. *Septi-*

F *mius* igitur necessario illud Esquiliarum fastigium fuit, quod muris & Viminali contiguum, etiamnunc supra *villam Perettam* editiore vertice conspicitur.

Macellum Livianum facili indagari conjectura potest, ex antiquo Ecclesiæ *S. Viti* cognomine, dictæ *in Macello*. Sed & Anastasius illius situm luculenter ostendit in Liberio, ubi de fabrica *S. Mariæ Majoris* agens ait; *Hic fecit Basilicam nomine suo juxta Macellum Libiæ*, vitiose sine dubio pro *Liviæ*, quippe quod ab Augusta Livia nomen mutuatum est. Forsan locus hic est, quem a Tiberio sub Augusto dedicatum Dio refert lib. LV. *Et dedica-*

vit locum Livium nuncupatum (de Tiberio ei sermo A est tum temporis Consule) *una cum matre, ipsoque, invitavit senatum in Capitolium. Sed & mater mulieres privatim invitavit*. Neque est, quod quisquam putet, illic de porticu Liviæ agi; quandoquidem illam idem Dio diu post dedicatam tradit lib. LVI. Quod si vero Tiberius *Macellum* hoc nomini matris consecravit, nullo modo dubitandum opinor, quin & structuræ magnificentia, & ornamentorum splendore fuerit eximium. Faunus ait, ætate sua inter *S. Viti* & proximam *S. Antonii* ecclesiam plurima eruta fuisse vasa antiqua, colligendo animalium sanguini destinata; multamque ossium copiam, cornuumque, certissimum argumentum antiqui macelli. In eadem illa *S. Viti* ecclesia complura Martyrum cadavera sita sunt: de queis Fulvius ait, famam esse, atque opinionem communem, super uno omnes fuisse mactatos lapide, qui ferro inclusus hodieque illic spectatur. Scilicet quum Gentilibus sua non satisfaceret immanitas, voluerunt eos, non secus ac pecudes in Macello solent, uno in loco omnes trucidare.

B

Hic & *Basilica Sicinii* a Panvinio ponitur. Vetustiores illi nomen *Sissimini* tribuunt. Marlianus eam prope ædem *S. Mariæ Majoris* collocat. Appianus *Sicinini* illam nomine appellat lib. XXVII. ubi schisma inter Damasum & Ursicinum exponens ita loquitur: *Constatque in Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremtorum*. Idem & distinctius adhuc Rufinus refert l. XI. Hist. Eccles. c. X. & Hieronymus in additamentis ad Eusebii Chronicon. In quem porro usum Basilica hæc facta sit, non videre me fateor, cum tam longe ab ipsis urbis penetralibus remota fuerit: nisi forte prælidibus, seu curatoribus Macelli assignata sit, ut illic lites inter Macellarios & emtores ortas audirent, & componerent. Nonnulli Ecclesiam *S. Viti* fuisse putant, seu potius in vicinia; unde Anno MCCCCLXXVII. a Sixto IV. translata sit. Sed hæc illorum sententia teste caret. Nisi forte ideo id putant, quod Ammianus eam conventiculum factam Christianorum dicit: ita ut intra Macelli unius terminos plures in primo Christianismi incremento ecclesias fuisse existimare vereantur; eo magis, quod non longe ecclesiæ absint *S. Mariæ Majoris*, & *Praxedis*. Quam conjecturam, quamquam ea mihi probabilis videtur, tamen pro valido aliquo veritatis argumento venditare non ausim.

C

Conspicitur illic quoque *Arcus* satis magnus e Tiburtino lapide, sed rudi opere, in *Gallieni* honorem erectus, nomine non publico, sed privato. Id enim inscriptio patefacit, quæ in ea legitur:

GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI
CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST
M. AVRELIVS DEDICATISSIMVS NVMINI
MAIESTATIQVE EIVS.

Forsan huic M. Aurelio cura Macelli commissa fuit, prope quod Arcus hic erectus cernitur. Donatus in proximo hortos fuisse Gallieni conjicit, (de quibus Capitolinus: *Cum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur*) cum ex hoc ipsi erecto arcu, tum quod Gallienus in Esquiliis colossum stupendæ altitudinis erigere voluit, ut idem refert Capitolinus; unde manifestum putat, valde eum colle Exquilino fuisse delectatum. Procedit quidem illa argumentatio: veruntamen non minus ipsi, imo fortasse magis grata fuisse via Flaminia videri possit, in qua *Porticum Flaminiam usque ad Pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ita ut tetrastiche fieret, ut autem alii dicunt pentastiche: ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis; secundus & tertius deinceps* διὰ τεσσάρων *columnas*, uti est apud Pollionem. Forte igitur in via Flaminia horti ipsius fuere, quæ hodieque hortis & vineis amœnissimis referta est: seu potius ad pontem Milvium, quo porticus ducenda erat: siquidem longius illos remotos a palatio fuisse, ipse omnium officiorum palatinorum comitatus argumento est. Ubi quis arcum accurate consideraverit, deprehendet eum in transitu fuisse, qui fuit inter clivum *S. Luciæ in silice*, qui olim *Urbius* dictus, & viam, quæ olim multo quam nunc directiore itinere, quantum oculis rationem capere licet, ad portam *S. Laurentii* ducebat.

D

E

Thermas Novati in ecclesiam *S. Pudentianæ* a Pio primo conversas Anastasius in eodem Pontifice docet: *Rogatu B. Praxedis dedicavit Ecclesiam Thermas Novati in vico Patricio in honorem sororis suæ Pudentianæ*. Nec aliud sentiunt Antiquarii. Verum ecclesia *S. Pudentianæ* non potuit occupare locum Thermarum, si verum est, quod Acta SS. Pudentianæ & Praxedis, ut & Concilium Romanum secundum sub Symmacho celebratum, afferunt, domum eam fuisse Pudentis senatoris, qui pater earum fuit. Vetus traditio est, Baronio probata in notis ad Martyrolog. XIX. Maii, Pudentem illic S. Petrum excepisse, quum Romam venisset: qui tamen cum ab illo Pudente diversus sit, duarum istarum SS. Virginum patre, ut optime Martinellus animadvertit, utrum illam ipsam domum possederit, merito dubitari potest. Eapropter Donatus multo prudentius thermas illas inter ædes *S. Pudentianæ* & *S. Laurentii in Panisperna* collocat. Verum tum nimium vicinæ fuissent Thermis Olympiadis. Tandem Acta S. Praxedis a S. Pastore conscripta inducunt me, ut aliter sententiam. *Rogavit*, inquit de S. Praxede, *Pium Episcopum, ut Thermas Novati, quæ jam in usum non erant, Ecclesiam dedicaret, &c. & dedicavit Ecclesiam Thermas Novati in nomine B. Virginis Praxedis in urbe Roma in vico, qui appellatur, lateritio; ubi constituit titulum Romano*. Hic Thermæ non *in nomine S. Pudentianæ*, verum *B. Praxedis* dedicatæ leguntur, nec in *titulum Pastoris*, cujus fuit Ecclesia *S. Pudentianæ*, verum *Romani*: vicus autem non *Patritius*, sed *Lateritius* appellatur: quæ nominum similitudo Anastasium in errorem inducere potuit. Ex his probare mihi posse videor, Thermas Novati Ecclesiam *S. Praxedis* fuisse, quam pervetustem esse constat, *vicumque Lateritium* ibidem fuisse in vicinia. Novatus duarum istarum sanctarum Virginum frater fuit, atque item Timothei; de quo multa cum eruditione Martinellus agit in *primo Tropæo Crucis*: quæ Thermæ hæ, tam *Timothinæ*, quam *Novatianæ*, a scriptoribus Ecclesiasticis indiscriminatim appellatæ sunt. Novatus autem ille, cui Seneca libros *de Ira* inscripsit, frater eorum fuisse creditur: nec id vero dissimile videtur; nam D. Paulus in epist. ad Philippenses multos de familia Neronis Christo nomen dedisse docet: *Salutant*, inquit, *vos omnes Sancti, maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt*. Attamen ne sic quidem quidquam certi de eo affirmari potest.

F

Hic circiter *Martius* quidam habitavit, de quo Justinus Martyr in Apologia: *Ego prope domum*

A *Martii cujusdam ad balneum cognomento Timothinum hactenus mansi*, &c. Ubi, an pro *Martii* legendum *Marci* sit, fueritve is Timothei in Martyrio socius aliorum disputationi relinquo.

Extra *S. Laurentii* portam *Ager Veranus* fuit, in quo possessio, seu villa S. Cyriacæ fuit: in cujus cryptis, seu cavis arenariis, inumeri una cum S. Laurentio conditi, sepultique Martyres fuere; ibidemque a Constantino Basilica *S. Laurentii* constructa fuit. Anastasius in S. Sylvestro: *Constantinus Aug. fecit Basilicam B. Laurentio Martyri in via Tiburtina, in agro Verano super arenarium cryptæ*, &c. In hac egregia olim pomaria fuisse Prudentius testatur hymno II. Peristeph.

B

Haud procul extremo culta ad pomaria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foveis.

In Exquiliis *domum* cujusdam *Maximi* fuisse indicat Martialis l. VII. epigr. LXXII.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ:
Et tua Patricius culmina vicus habet.
Hinc viduæ Cybeles, illinc Sacraria Vestæ,
Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.

C Ubi, omissa Lipsii expositione, situi urbis minus conveniente, (quippe quam ipse non viderit) manifestum est, Maximum e domo sua in Esquiliis Capitolium vetus prospexisse, quod Antiquarii in *hortis Barberinis* in Quirinali fuisse censent; ex Aventino vero prospexisse novum Capitolium, uti multo quam Lipsius accuratius Donatus exponit. Hoc ita statuto, domus Maximi Esquilina non in alia Esquiliarum parte esse potuit, quam in Cispio, vel Septimio: nisi forte altera Donati expositio docta, subtilis, & ingeniosa priori præferenda est. Nam præterquam quod ei perquam difficile occurrat, ex Aventino Vestæ Templum potuisse prospici, quod in valle Fori ab ædificiis vicinis & D prælatis facile abscondebatur, aliud adhuc addi posse videbatur obstaculum, quod in Esquiliis templum Cybeles Palatinum videri dicitur, quod magis conspectui Aventini objectum fuit. Concludit igitur Donatus, præter tres illas a Martiale primis duobus versibus indicatas domos, quatuor alias adhuc duobus sequentibus describi, unam in Palatino objectam templo Cybeles, alteram ad forum, non longe ab æde Vestæ; tertiam sub Capitolio, unde Capitolini Jovis templum conspici posset: ultimam, seu quartam, in Quirinali; unde prospectus patebat in vetus Capitolium. Ad hunc modum conclusio Martialis optime procedit:

E *Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.*

Hæc autem explicatio tam elegans est, & tam apta, ut nulla magis, nisi quod numerus ædium Maximi nonnihil obstare videatur.

Huic Merula *domum Pauli* adjungit: sed illam in regione tertia fuisse superius demonstravi.

Fuit & in Esquiliis *Ara Malæ Fortunæ*. Sic Plinius l. II. cap. VII. *Araque vetus stat in Palatio Febris, & altera in Esquiliis malæ Fortunæ, detestataque*. Panvinius præter Aram templum quoque adjicit, verum nescio quo auctore.

F In Esquiliis præterea *Propertius* quoque habitavit, ut ipse de se testatur l. III. Eleg. XXII.

Et dominum Esquiliis dic habitare tuum.

Sed & *Persius* illic ædes suas habuit, ut Cornutus prodidit, sive quicumque is Poetæ hujus commentator fuit.

Plinii Junioris *domum* in Esquiliis fuisse, negari non potest. Verum Panvinius, qui eam huc retulit, in regione erravit. Dixi enim in tertia regione, in ea illam Esquiliarum parte fuisse, quæ versus Suburram veterem reflexa non hujus quintæ regionis fuit, sed illius tertiæ.

Templum tandem *Felicitatis*, quod idem Panvinius huc quoque retulit, in regione Fori fuisse suo loco dicetur. Non autem plura istius Deæ in urbe templa fuisse, quam hoc unicum, Augustinus auctor est l. IV. cap. IX de Civ. Dei.

CAP. IV.

Collis Viminalis, aliaque extra urbem, & situs incerti.

Viminalem regionis Esquilinæ fuisse Victor in egregio illo principio indicat, colligiturque insuper e rebus, quæ in Viminali fuisse memorantur.

Thermas Olympiadis in Viminali fuisse jam abunde constat. In Actis S. Laurentii legitur, impositum eum, ustulatumque in craticula ferrea in Thermis Olympiadis. Quum vero certa traditio sit, id factum eo loco, ubi Ecclesia *S. Laurentii in Panisperna* consecrata fuit; atque insuper Hugonius ex ipsis S. Laurentii Actis colligat, Ecclesiam illam non diu post Martyrium ædificatam fuisse, consequi videtur, Thermas Olympiadis olim fuisse ubi nunc dicta *S. Laurentii* ecclesia est *in Panisperna*. Hoc autem nomen quod attinet, non displicet mihi Martinelli opinio, existimantis in *Roma Ricercata*, derivatum illud a Perperna illo Quadrato, quem Thermas Constantini restituisse inscriptio nos vetus docet, a Fulvio allata, aliisque: cui opinioni multum ponderis alia quædam addit inscriptio, quæ in eadem Ecclesia *S. Laurentii in Panisperna* reperta, a Grutero hunc in modum descripta est:

PERPERNIE. HELPIDI.
CONIVGI. OPTIMAE.
PIISSIMAE.
SEX. AEMILIVS.
MVRINVS
PERMISSV. ATHICTI.
AMICI.
L. CLOCLIAS. P.

Quæ autem iila fuerit Olympias, ne conjectura quidem quisquam hactenus assequi potuit, nedum certum aliquid de ea expiscari.

Lavacrum Agrippinæ de communi omnium Antiquariorum sententia retro *S. Laurentii in Panisperna* fuisse creditur, in declivitate illa, quæ *S. Vitalis* ædem respicit: ubi duas Bacchi imagines repertas ferunt, quibus ad pedes inscriptum erat: IN LAVACRO AGRIPPINAE. Spartianus in Hadriano memoriæ prodidit, Imperatorem hunc inter cetera *Lavacrum Agrippæ* instaurasse: verum recte illic eruditi vitium in contextum invasisse animadverterunt, legendumque *Agrippinæ*. Non enim verosimile est Spartianum celebribus illis Agrippæ thermis exile *Lavacri* nomen tribuisse, quod Agrippinæ balneo erat convenientius. Matris illud Neronis balneum privatum fuisse existimatur; ideoque & domus ejus, aut prioris saltem ejus mariti Domitii, ibidem exstitisse conjicitur.

De *Thermis Novati* jam supra satis multa dicta sunt, ubi res ipsa exigere illud videbatur. Quum vero ex Anastasii verbis in Ecclesia *S. Pudentianæ* eas fuisse multi opinati sint, nimia tamen Thermarum Olympiadis a nonnullis vicinitas arguitur.

Sunt igitur, qui vicinas fuisse isti putent ecclesiæ; ubi Marlianus aliquot lapides fumosos agnovisse sibi visus est; qui tamen ædificii potius alicujus privati, quam Thermarum publicarum fuisse videntur. Verum omnis difficultas tollitur, quando Novati Thermæ Esquiliis adscribuntur, uti supra dixisse memini, & hic *domum Pudentis* fuisse, ex Actis SS. Pudentianæ & Praxedis, Concilioque secundo Romano asseritur, quibus & Baronii auctoritas accedit in not. ad Martyrolog. XIX. Maii.

Templum Silvani ad ima Viminalis pone ædem *S. Laurentii in Panisperna* situm fuisse fertur, contra ædem *S. Vitalis* dicti *de Quirino*. Probatur hoc e marmoribus nonnullis antiquis ibidem effossis, in quibus hujus templi fit mentio, ut & ex testamento militari Favonii Jucundi, quod Marlianus produxit; in quo legas: *Quod si secus fecerint, nisi legitimæ oriantur causæ, velim ea omnia, quæ filiis meis relinquo pro reparando Templo Dei Silvani, quod sub Viminali monte est, attribui*. Porticus Silvani mentio fit in vetusto marmore, quod in vinea Cardinalis Carpii fuit:

SILVANO. SANCTO. LVCIVS. VALLIVS. SOLON PORTICVM.
EX. VOTO. FECIT. DEDICAVIT. KAL. APRI. LIB. PISONE. ET. BOLANO COS.

Ara Jovis Viminei, unde colli nomen, in silva fuit ibidem viminea, ut e Festo habemus ferme extremo: *Viminalis & porta & collis appellatur, quod ibi viminum fuisse videtur silva, ubi est & ara Jovi Vimineo consecrata*. Quæ verba satis manifeste indicant, nec silvam nec aram procul a porta absuisse: sic ut illa vel retro thermas Diocletianas fuerint, vel post *villam Perettam*; vel saltem eo in spatio, quod inter illas intermedium est. Varro non unam *aram*, sed plurali numero *aras* dixit, lib. IV. *quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi Viminosa fuerunt*. Præter *aram* Rufus & *templum* hic *Jovis Viminei* nominat. Fieri vero potuit, ut post Varronis tempora aliqua ex his aris in templum conversa sit.

Campus Viminalis sub aggere Servii Tullii levi opera deprehenditur: cujus aggeris vestigium adhuc a nobis agnitum superest post ædem *S. Mariæ Angelorum*, in extrema *villa Peretta*, versus urbis mœnia. Collis Viminalis latitudo inter Thermas Diocletianas, ubi ante vallis fuit, & cavitatem illam porrigebatur, quæ instar sulci dictam illam villam diffindit: quos duos hujus collis limites fuisse, certa res est. Totus igitur situs ejus, si is sub aggere Servii intra vetera ejus mœnia fuit, ea in parte *villæ Perettæ* fuisse videtur, quæ ad latus thermarum est: aut, si ultra aggerem abiit, murosque veteres, intra mœnia tamen Aureliani, (in quam ego sententiam propendeo) ultra Thermas & dictam villam fuit, ubi Castra Prætoria incipiebant.

Prope aggerem illum, in ea via, quæ a vico Patricio ad portam obstructam tendebat, id est, quæ jam *villæ Perettæ* inclusa est, magna veterum marmorum copia reperta fuisse fertur, adhibita postea ad constructionem *Cancellariæ Apostolicæ*, quod olim Cardinalis Riarii palatium fuit, ad latus *S. Laurentii in Damaso*: in quibus Antiquarii mentionem Gordiani factam fuisse testantur: indeque arcum illic illius Imperatoris fuisse colligunt. At nos brevi ostendemus, arcum illum in regione septima exstitisse *viæ latæ*; adeoque alterius cujusdam operis Gordiani fuisse residua. Ita enim Capitolinus: *Opera Gordiani nulla exstant, præter quædam Nymphea & balneas: sed balneæ privati hominis fuerunt, & ab eo in usum privatum exornatæ sunt*. Hujusmodi igitur alicujus Nymphei illa marmora fuerunt, aut balnei, reliquiæ.

De *Castris Prætoriis* aliquoties institutus a me sermo est, sed numquam absolutus. Hic fuisse Panvinius e Suetonii quodam loco efficacissimo probat. Est autem is in Nerone cap. XLVIII. *Offerente Phaonte suburbanum suum inter Salariam & Nomentanam viam circa quartum milliarium, &c. equum conscendit quatuor solis comitantibus, inter quos & Sporus erat: statimque tremore terræ, & fulgore adverso pavefactus, audiit ex proximis Castris clamorem militum, & sibi adversa, & Galbæ prospera ominantium*, &c. Unde, quum Nero e Castris Prætoriis clamorem militum in via Nomentana audisse dicatur, situm eorum manifestissime discimus. Verum melius adhuc e scholiaste Juvenalis in Sat. X. *Juxta aggerem primus castra posuit Sejanus, id est super Diocletianas, quæ dicta sunt Castra Prætoria*. Tum & excursus muri quadratus eo loco vestigium eorum nobis exhibet certissimum. *Vivarium* illic fuisse, merum, uti supra ostendi, somnium est: & quod e nomine viæ, seu loci *Vivarii* petitur, argumentum omnino nullius ponderis est. Etiamsi namque verum, integrumque illud *vivarii* nomen ac non ex alia aliqua voce corruptum foret, ut facile fieri potuit, tamen illud falso hodie illi loco impositum ab illis fuit, qui inepte ita credidere. Possit etiam a puteo aquæ vivæ, qui ibidem etiamnunc visitur, originem traxisse videri; quæ forte aqua militum usibus serviit, tametsi Martia illis ad manum esset, ut ex inscriptionibus illic inventis Panvinius ostendit. Quare postea quam sub Maximo & Balbino aquæductus illic a plebe Romana Castra Prætoria obsidente corruptus, disjectusque fuit, ut apud Capitolinum in eorum Cæss. vita, & Herodianum l. VII. legimus. Prætoriani forte milites, securitatis in posterum gratia puteum illic istum fodere in animum induxere. *Castris* ita *Prætoriis* eo loci constitutis, dicendum porro est, a muris illa Servii Tullii disjuncta fuisse, & aliquantulum remota, ut ex aggeris liquet situ; ab Aureliano vero deinde, cum mœnia proferret, iisdem fuisse annexa, conjunctaque.

Extra portam Viminalem *Sacellum Deæ Næniæ* fuit, de qua Festus lib. XV. *Næniæ Deæ Sacellum ultra portam Viminalem fuerat dedicatum: nunc habet tantum ædiculam*: Quare super Thermas Diocletianas illud fuisse apparet, versus Castra Prætoria.

Lucus Pœtilinus a Rufo & Victore hac in regione numeratus, sine dubio in illa parte Viminalis extra muros fuit, quæ Esquilias respiciebat, ad Castra Prætoria, & Campum Viminalem. Hinc Varro l. IV. de Esquiliis agens, *Septimius mons*, inquit, *lucum Pœtilium*. Mox autem, ubi sententiam meam, quæ sequitur, exposuero, cur hic potius illum collocem, quam in Esquilino, apparebit. Livius, postquam l. VI. judicium de Manlio Capitolino affectati regni reo habitum exposuisset, subjungit, Tribunos, animadverso Manlium conspectu Capitolii defendi, quominus a P. R. damnaretur, aliorsum Concilium populi transtulisse: *Producta*, inquit, *die in Pœtilinum lucum extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est*. Unde omnes colligunt, *lucum Pœtilinum* extra portam Flumentanam in Campo Martio fuisse, vel in pratis Flaminiis. Attamen Rufus, Varro, & Victor in regione illum quinta Esquilina collocant. Huic difficultati a Rufo obviam itur, qui in octava Circi Flaminii regione alium recenset lucum Pœtilinum; *lucus Pœtilinus*, inquit, *major*: ad quem commodius, quam per Flumentanam portam, exiri non potuit. Verum ego,

A licet eo contentus esse potuerim, ex ejusdem auctoris additamentis adulterinis efficacius adhuc indicium expiscatus sum. Quod si enim duo fuere luci Pœtilini; major autem antiquior, & a tempore usque Manlii, quid quæso Livium, Varronem, Victoremque movit, ut de altero ex his, velut unico, absque ulla *Majoris*, qua distingueretur, additione locuti sint? Cur nec Rufus ipse alteri *minoris* titulum addidit? Quod si cui de solo *Majore* vulgata loquendi consuetudo distinctionem hanc usurpasse videatur, absque designatione alterius per cognomentum *Minoris*, Livium hic ego simpliciter de *Minore*, non autem de *Majore* loqui B responderim, quum illum Manlii casum exponit, adeoque nec per Flumentanam portam ad id concilium exiri potuisse. Adhæc catalogus quæso lucorum apud Victorem observetur, quem in fine subjicit: unum enim tantum illic nominatum videbimus *lucum Pœtilinum*. Quare alter ille *Major* merum illius hominis somnium est, qui, cum in Livio legisset, ad Pœtilinum lucum porta iri solitum Flumentana, alium sibi ea parte lucum talem imaginatus, liberaliter illum nobis sub *Majoris Pœtilini* nomine, quo major ei fides haberetur, largitus est. Sed quid interim Livio faciemus? C errorisne illum arguemus, quod Flumentana illuc itum dicat? In meo codice scriptum invenio, *extra portam Frumentariam*; quæ ubi fuerit, ignorare me fateor: at *Flumentanam* male vulgo legi, dubium mihi nullum est. Nam quum Livius portam illam nominet, velut singularem ad Pœtilinum lucum exitum præbentem, aperte satis remotiorem eam a Capitolio fuisse demonstrat, duxisseque ad locum, unde nequaquam conspici Capitolium possit. Contra ea Flumentana sub ipso sita Capitolio, ac præsertim sub ipsissima illa Capitolii parte, quam Manlius tutatus fuerat, non aliorsum, quam in pratorum Flaminiorum ducebat, Campique Martii late patentem planitiem; D quæ ad pontem usque Milvium Capitolio subjecta semper illud in conspectu habebat, qui paucissimis, aut forte nullis, tum temporis ædificiis impediebatur. Nec in omni urbis ambitu locus ullus erat, ubi collis ille melius conspici posset. Sed quid verbis opus? res ipsa luce meridiana clarius ex ipsius Livii, quæ præcedunt verbis liquet: *In Campo Martio cum centuriatim populus citaretur, & reus ad Capitolium manus tendens ab hominibus ad Deos preces avertisset, apparuit Tribunis, nisi oculos quoque hominum liberassent a tanti memoria decoris, numquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum. Ita producta die in Pœtilinum* E *lucum extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est*. Prius Concilium in Campo Martio fuit, in conspectu Capitolii: alterum longe inde remotum extra portam, unde conspectus ille non esset, *in luco Pœtilino*: ergo nec in *Campo Martio*, ubi major ille lucus fuisse fingitur, neque *extra portam Flumentanam*, quæ in Campum Martium ducebat, & ad loca conspectui Capitolii quammaxime opportuna. Verum, inquiet aliquis, lucus ipse conspectum Capitolii oculis adimebat, objectis arboribus. Sed leve hoc. Neque enim tam grandis ille lucus fuit, ut universum populum continere potuerit: nec inter arborum impedimenta haberi concilium, exercerive judicium potuit: &, ut id F concedatur, cur Livius addidit, *extra portam Flumentanam*, qua jam pridie exitum fuerat? Verba sane illius Historici necessario indicant, sequenti die alia egressum ex urbe porta, quam priore; adeoque diversa a *Flumentana* ad *lucum* itum *Pœtilinum*, quo concilium indictum fuerat. Quare pro *Flumentana* levi correctione *Numentanam* repono; errorem ex affini figura literarum *N.* & *Fl.* ortum conjiciens. Porta vero *Numentana* a Capitolio remotissima fuit, duxitque in eum locum, cui agger Servii Tullii omnem Capitolii ceterorumque urbis collium conspectum adimebat.

Rursus objici poterit, quum *Lucus Pœtilinus* in Esquiliis fuerit, cur *Porta Numentana* exitum fuerit, quæ in colle Quirinali erat: cur non potius e viciniore? Verum e foro, unde Magistratus & P. R. ad concilium ibant, Numentana ceteris omnibus commodior erat, & propinquior: quæ luci Pœtilini vicinitas ad portam Numentanam mihi persuasit, ut eum non in Esquilino fuisse existimem, sed in Viminali; ita tamen, qua hic Esquilino proximus. Sed nimium fortasse longe videbor exspatiatus. Quidquid tamen attuli, non ut emendationem hanc certam esse affirmare velim, dixi, verum potius, ut aliis in re dubia certiorem promendi conjecturam ansam præbeam, quibus pro sua eruditione liquidior forte veritas apparebit.

Quod in Victore ac Rufo *ædes Veneris Erycinæ* memoratur, quæ extra portam Salariam fuit super Esquilias in Quirinali, indicio nobis est, Regionem hanc extra mœnia usque ad viam Salariam, saltem quod ad jurisdictionem, processisse. Quare quidquid usque ad illam viam extra muros notatu dignum fuit, hicce nobis recensendum videtur.

Ac primum quidem in via Numentana mille quingentis circiter passibus extra portam, quæ hodie *Pia* dicitur, antiquissima *Ecclesia S. Agnetis* visitur, Constantini opus, precibus Constantiæ sororis datum: ad cujus latus templum est rotundum, *S. Constantiæ* dedicatum, olim, ut vulgo creditur, Baccho sacrum. Nata hæc opinio ex antiquo opere Musivo, vitam Bacchi, uti ajunt, exhibente; item ex elegantissimo sepulchro e porphyrite; in quo itidem vites, puelli, pampini, & uvarum racemi conspiciuntur: unde ab imperitis ac barbaris hominibus insulsissime *Bacchi sepulchrum* fuisse existimatur. Verum hæc omnia Christianorum quoque monumentis olim insculpi, appingive solita, Bosius abunde in *Roma subterranea* ostendit, habetque assentientem sibi in eo Martinellum in *Roma Sacra*. Sed nec venustum illud e porphyrite *sepulchrum*, licet vitibus ornatum, *Bacchi* dici potest, quia isthic ille sepultus non est, immo nec ullius alterius de Gentilibus: hi enim alibi quam in templis sepeliri soliti fuere. Sed neque recens templum illud in honorem Constantiæ fuisse constructum credibile est; quia templa istiusmodi rotunda, a basilicis diversa, ea ætate minime exædificata fuere, præsertim in locis non distinctis, nisi a quinque hominum generibus, aut minimum a Clero. Quare fieri vix potest, ut non ante aliud quid fuerit ædificium, quam Chistianorum facta est ecclesia. Sed ex Anastasio videre mihi verum videor: qui in *S. Silvestro* ita scribit: *Eodem tempore fecit basilicam S. Martyris Agnetis ex rogatu filiæ suæ*: subjicitque e vestigio: *& Baptisterium in eodem loco, ubi & baptizata est soror ejus Constantia cum filia Augusti a Silvestro Episcopo*. Unde colligo, Constantinum ad instar baptisterii, quod ad *S. Joannis Lateranensis* ædem est figuræ sphæricæ, hic quoque *ædi S. Agnetis* rotundum baptisterium ad latus adjunxisse, quo utraque hic Constantia, tam filia, quam soror, baptizarentur. Idem deinde ædificium, quod & virginibus devotis ad baptizandi usum inutile erat, & nimis longe ab urbe remotum, iisdem in sepulturæ locum cessisse, verosimile monumentum hoc facit ex porphyrite pulcherrimum, quod hodieque exstat, eadem & materia, & forma, ac magnitudine, illi S. Helenæ urnæ simillimum, matris Con-

ſtantini, quæ in *S. Joannis Lateranenſis* æde aſſervatur. Hoc autem monumentum in Mauſoleo quoque rotundo fuiſſe, quod via Labicana ad Cœmiterium, & ædem dirutam *SS. Petri* & *Marcellini*, eodem ſpatii intervallo a *porta Majore* remotum eſt, quo ædes *S. Agnetis* a *porta Pia* diſtat, extra controverſiam eſt: & exſtat illius etiamnunc pars magna, indicium aſſertæ a me veritatis. Nec indecorum fuit, præclaras illas animas, ubi cœlo renatæ fuerant, ibidem & ſpolia ſui corporis caduca reliquiſſe. Sed nec ſolæ illæ duæ Conſtantiæ illic conditæ fuere, verum etiam plures aliæ de familia Auguſta Conſtantini; ut ex Ammiano conſtat, qui lib. XXI. de Helena Juliani Apoſtatæ uxore ita loquitur: *Helenæ conjugis defunctæ ſuprema miſerat Romam in ſuburbano viæ Numentanæ condenda, ubi uxor quoque Gallii, quondam ſoror ejus, ſepulta eſt Conſtantia*. Quæ ſane abſque capacis decentiſque ædificii commoditate eo tranſmiſſa non fuiſſe veroſimile eſt. Tandem e ſepulchro facta eſt eccleſia, veruntamen non ante annum MCCLVI. quo ab Alexandro IV. eam conſecratam ex inſcriptione marmorea cognoſcitur, quæ ſupra limen portæ eſt. Ab eodem vero pontifice corpora hæc duo ſanctarum ex hoc monumento translata, & ſub altari, quod earundem honori erexit, atque conſecravit, fuiſſe condita, Ciacconius memoriæ prodidit.

Haud procul hinc Marlianus & Faunus ætate ſua ingentis alicujus ædificii rudera ſuperfuiſſe referunt, quod Hippodromum fuiſſe exiſtimant: cui ego opinioni, quum certi nil habeam, nec aſſentiri poſſum, neque volo refragari.

Phaontis liberti Neronis *ſuburbanum*, in quo Nero ſe occultavit, vitamque finiit, ut e Suetonii verbis conſtat, quæ ſupra, cum de Caſtris Prætoriis ageremus, attulimus, inter viam Numentanam & Salariam, ad quartum milliare, paulum ultra *S. Agnetis* ædem, ac pontem Numentanum, hodie *della Mentana* appellatum, fuiſſe facile probari poteſt: ubi nunc *Serpentara* Marchionis Spadæ villa eſt.

Ædes, & *lucus Rubiginis*, quæ duo Panvinius hac in regione fuiſſe exiſtimat, extra portam Numentanam vulgo collocari ſolent; verum unde hic error ortus ſit, libro primo, cum de *porta Catularia* ſermo eſſet, expoſui, oſtendamque pluribus in regione ſeptima.

Ut a Numentana ad Salariam tranſeamus, extra Collinam portam *ædem Veneris Erycinæ* fuiſſe Victor indicat: *Ædes Veneris Erycinæ ad portam Collinam*. Extra urbem fuiſſe Livius lib. X. decad. III. tradit, ubi de ludis Apollinaribus loquens, *Circo*, inquit, *inundato extra portam Collinam ad ædem Veneris Erycinæ parati ſunt*. Cui conſona dicit Strabo lib. VI. qui & porticum illi inſignem additam fuiſſe docet. Nec diſſentit Ovidius lib. IV. Faſtorum:

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet; a Siculo nomina colle tenent.

Appianus lib. I. de bellis Civilibus, ubi Syllam cum exercitu ad urbem accedentem caſtra ad hoc templum poſuiſſe refert, itidem extra urbem illud fuiſſe demonſtrat. Veneri vero templa extra urbem vetuſtiſſimo more condi ſolita, Vitruvius exponit, laudatque lib. I. cap. VII. Verum utrum intra, an vero extra hodiernam portam Salariam fuerit, major hæſitatio eſt. Mihi quidem intra illam fuiſſe videtur, & ab Aureliano mœnibus urbis incluſa. Ut hoc credam, arta vicinitas portæ perſuadet, *ante* quam Strabo, & cui *proximam* eam ædem fuiſſe Ovidius dicit: quam cum Livius Circo vicinam fuiſſe referat, una cum Circo quoque muris incluſam ſuſpicari licet; fuiſſeque inter portam Salariam, & *villam Mandoſiam*. Nomen ei ab *Eryce* Siciliæ monte, unde ſimulacrum ejus allatum fuit, ut paulo ante ex Ovidio vidimus.

In proximo *Herculis templum* fuiſſe Livius indicat l. VI. decad. III. ubi Hannibalem ait acceſſiſſe *cum duobus millibus equitum ad portam Collinam, uſque ad Herculis templum*.

Extra eandem portam *ædes* quoque *Honoris* fuit; cujus ædificandæ cauſam Cicero lib. II. de legg. exponit: *Noſtis extra portam Collinam ædem Honoris; & aram in eo loco fuiſſe memoriæ proditum eſt. Ad eam cum lamnia eſſet inventa, & in ea ſcriptum, Domina Honoris, ea cauſa fuit ædis hujus dedicandæ*, &c. Pro duobus vero verbis illis, *Domina Honoris*, Turnebus in veteri codice ſuo fuiſſe ait, *mina Honoris*: unde non inepta conjectura legendum exiſtimat, non *domina*, ſed *lamina Honoris*.

In via Salaria *lucum Savernæ* fuiſſe, quæ Dea furum, Acro docet ad Epiſt. XVII. l. I. Horatii: *Laverna*, inquit, *via Salaria lucum habet, & eſt Dea furum: & ſimulacrum ejus fures colunt*.

In eadem & *Clivus Cucumeris* fuit, ubi multos Chriſtianos martyrio coronatos a *Martyrologio* a d. XXVII. Junii, & V. Auguſti, legimus, ut & in *Actis SS. Abundii* & *Abundantii*, aliorumque. Qua vero parte viæ fuerit, ignoratur: verum non adeo abſurda conjectura fuerit, ſi in prælongam illam vallem, quæ inter Salariam & Numentanam portam eſt, duxiſſe eam exiſtimaverimus: quæ vallis hortis peropportuna a cucumerum copia clivo nomen dare potuit; uti mihi colligere videor e Metello Tergeſenſi, ſcriptore antiquo, quem Caniſius tomo primo antiq. Lect. adduxit. Hic MCCLX. Martyres carmine celebrans, qui ſub Claudio ad effodiendam arenam in via Salaria damnati, & in clivo Cucumeris ſepulti ſunt, ait:

In ſinu cryptæ poſitos, cui juga montis inſtant
Plena cucurbitarum.

Niſi forte in ea declivitate fuit, quæ *ponti Salario* viciniſque pratis imminet, in quibus tum temporis hortos excoli ſolitos veroſimile eſt. In eo clivo *Templum Solis* fuiſſe, ante quod S. Joannes presbyter deductus fuit, ex Actis ejus cognoſcitur.

Trans pontem *Mons Sacer* fuit, in quem plebs Romana patriciis irata ſeceſſit. Dionyſius eum Anieni vicinum fuiſſe tradit lib. VI. & Livius in ſecundo: *Trans Anienem amnem tria ab urbe millia paſſuum*: totidem vero ibidem Anio ipſe abeſſe dicitur. Clarius adhuc Valerius Max. l. VIII. c. IX. ſitum ejus explicat: *Juxta ripam*, inquit, *fluminis Anienis*. Quare non alium fuiſſe, quam qui hodie trans *pontem Salarium* conſurgit, præceps etiamnunc, pro certo affirmare auſim.

Inter omnino incerti ſitus loca referenda quoque *domus* celeberrima eſt *Aquilii Juriſconſulti*, cujus, præter Rufum & Victorem, Plinius quoque meminit l. XVII. *Craſſus* inquit, *orator fuit in primis nominis Romani. Domus ei magnifica, ſed aliquanto præſtantior in eodem palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo vero pulcherrima conſenſu omnium ætate ea colle Viminali C. Aquilii Equitis Rom. clarioris illa etiam, quam Juris Civilis ſcientia*. Huic duas alias Victor attexit, *Q. Catuli*, & *M. Craſſi*, non oratoris illius, de quo Plinius illic loquitur; nam ei paulo ante prænomen *Lucii* dedit. Quærit igitur Donatus, quis ille Craſſus fuerit, & ex verbis Plinii Catulum non in hac regione ædes ſuas habuiſſe, ſed in Palatino, demonſtrat, ubi & ſuas habuit L. Craſſus. M. vero Craſſum, qui a Parthis interfectus eſt, domum aliam nullam ædificaſſe, quam in qua habitavit, Plutarchus refert,

quæ ubi fuerit, liquido dici non poteſt. Verum ſi M. Craſſus ædes ſibi ipſe conſtruxit, non niſi magnificentiſſimas ac pulcherrimas eas fuiſſe veroſimile eſt: quæ cur hac in regione eſſe nequierint, ac ſpeciatim in Eſquiliis, cauſam nullam video. Videri enim poteſt hujuſce rei indicium facere *Palatium Licinianum*; ac ſi *Licinius* Imperator in veteri *Liciniorum* domo habitaverit, eamque reſtituerit, atque ampliaverit; verum plus mihi fidei peti poſſe videtur ex his, quæ alibi de *Palatio Liciniano* diſſerui. Quod ſi Q. Catulus in Palatino domum habuit, nil vetat, quominus & aliam in Viminali habuerit, ac regione quinta, quemadmodum alius ſaltem illic ſuam Q. Catulus habuit. Hoc certe pacto Victor defendi poſſit.

Inter hujus regionis vicos *Tragœdus* quoque *vicus* a Rufo refertur, qui nec ubi fuerit, queo dicere, nec aliud quo illuſtretur, adferre quidquam, niſi *Jovis Tragœdi* ſtatuam, quam ibi Auguſtus poſuit, uti Suetonius tradit cap. LVII. *Ex qua ſumma* (ſtrenarum ab omnibus ipſi datarum ordinibus) *pretioſiſſima Deorum ſimulacra mercatus vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragœdum*.

Nympheum Alexandri Severi ubi fuerit, imo & quid fuerit, adeo ignotum eſt, ut in diverſiſſimas ea de re ſententias ſcriptores abeant. Capitolini interpres in Gordiano tertio fontem arte ſumma elaboratum dicit, fiſtulis aquam in altum ejectantibus, aut alia aliqua ratione non vulgari emittentibus. Nam qui fontes aquam more ſolito in labrum aliquod ejectabant, *lacus* olim dicebantur, ut ſupra oſtendimus. Quare erroris illos arguit, qui *Nymphea* domus fuiſſe nuptiales, aut balnea exiſtimant. Idem & Anaſtaſius affirmare videtur *in vita Hilarii*: *Nympheum & triporticum fecit ante Oratorium S. Crucis, ubi ſunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur hecatonpeda*. Fontes autem *nymphas* fuiſſe dictas ad exemplum Platonis, qui *Bacchum* dixit *nymphis eſſe temperandum*, idem Anaſtaſius *in Silverio Papa* oſtendit: *Intra civitatem autem grandis fames erat, ut aqua venundaretur, niſi Nympharum remedium ſubveniſſet*. At non fontes, ſed ædificia fuiſſe e Plinio liquet, l. XXXV. cap. XII. *Eumque ſervatum*, (de imagine loquitur figulina) *in Nympheo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt*. Unde ædificia fontibus exornata, & ad voluptatem facta fuiſſe Philander colligit, ſtatuitque in notis ad cap X. lib. IX. Vitruvii. Nec id abſurdum videri debet, cum tot porticus ad ſolum tranſitum erectæ fuerint, fuiſſe & ſimilia facta ædificia fontibus uvida, quibus æſtate homines æſtum ſolis vitarent, temperarentve. Suidas in Νυμφεῖα, λυτρὰ, balnea ea dicit: Cœlius autem Rhodiginus ſolis ea feminis patuiſſe exiſtimat: quo alludere videtur *lex Omnis* XI. *lib. Cod. tit. de Aquæductu*: *Maluimus enim prædictum aquæductum noſtri palatii publicarum Thermarum ac Nympheorum commoditatibus inſervire*. In præcedenti vero legitur: *Ampliſſima ſua ſede diſpoſitum quid in publicis Thermis, quid in Nympheis pro abundantia civium convenerit deputari*, &c. Præbet & nonnihil luminis brevis inſcriptio vetus marmori ſemicirculari inciſa, quam Boiſſardus *tom.* IV. *Antiquitatum* ſuarum exhibet:

NYMPHIS LOCI
BIBE. LAVA
TACE

Niſi ea forte locum veſtibus eluendis deſtinatum indicarit, aliumve iſtiuſmodi, in quo garrulitatem lavantium voluit compeſcere.

Zonaras in Leone I. palatia fuiſſe publica dicit, in quibus nuptiæ celebrarentur ab his, qui commodis ad hanc ſolemnitatem ædibus deſtituebantur. Multum hanc ſententiam firmant illa Feſti lib. XV. *Nuptias dictas eſſe ait Santra ab eo, quod Nymphea dixerunt Græci antiqui γάμον: unde novam nuptam νέαν νύμφην*. At ſi hoc verum eſt, quid? Hilarius Papa diceturne ante oratorium ſacrum domum nuptialem exſtruxiſſe? In re tam dubia & impedita alter Anaſtaſii locus *in Silverio* accurate expendendus eſt. Nam quod illic Roma ſiti conficeretur, periculum fuiſſe dicit, *niſi Nympharum, id eſt fontium, remedium ſubveniſſet*, longe mihi a vero alienum videtur. Solent enim quum civitates obſidentur, intercidi, intervertique aquæductus in urbes aquam deportantes. Hinc forte *Nympharum remedium* Anaſtaſius in urbis Romæ obſidione de aquarum caſtellis, ſeu lacubus, aut pluviarum ciſternis, unde & fontibus ſæpe per fiſtulas aquæ ſubminiſtrantur, accepit, nomine forſan e *lympheo* corrupto. Sed & fieri poteſt, ut latiore ſenſu tum temporis fontes, & balnea *nymphea* appellata ſint. Sic *Nympheum* a M. Aurelio *in ſeptem Atriis* factum fuiſſe Ammianus lib. XV. refert, quo, deficiente vino, plebs ſedandæ ſiti accurrerit. Tale & ab Hilario Papa ante *Oratorium S. Crucis* exſtructum fuit, ubi aqua aſſervabatur, in lacum poſt emittenda, qui ab eo ſcribitur in uſum baptiſmi factus: *Lacus & conchas ſtriatas cum columnis porphyreticis radiatis foratis aquam fundentes & in medio lacum porphyreticum*, &c. Ita & in veteri inſcriptione apud Gruterum CLXXVIII. 5. Nymphei mentio fit:

IMP. DIOCLETIANVS C. AVG. PIVS. FELIX.
PLVRIMIS. OPERIBVS. IN. COLLE. HOC. EXCAVATO. SAXO.
QVAESITAM. AQVAM. IVGI. PROFLVVIO. EX. TOFO. HIC.
SCATENTEM. INVENIT. MAR. SALVBREM. TIBER.
LEVIOREM. CVRANDIS. AEGRITVDINIB. STATERA. IVDICAT.
EIVS. RECEPTVI. PVTEVM. AD. PROX. TRICLIN. VSVM.
IN. HOC. SPHAERISTERIO. VBI. ET. IMPERAT.
NYMFEVM. F. C.

Attamen negare non auſim, potuiſſe *Nymphea* apud Græcos ædificia fuiſſe celebrandis nuptiis deſtinata, a voce νύμφη; quemadmodum præter Zonaram Plinius quoque innuere videtur loco jam adducto; magis autem Feſtus, qui *Nymphea* Græcis γάμον eſſe dicta docet. Et quemadmodum olim Palæſtræ non ſolum luctarum loca ſeu ſpatia continebant, verum etiam Periſtylia, Xyſtos, Exhedras, & cetera loca literarum ſtudiis commoda: item balnea, quemadmodum præter Suidam in γυμνάσια Vitruvius quoque lib. II. indicat; ita & *Nymphea*, præter conclavia nuptiis inſervientia, balnea quoque habere potuerunt ſolis mulieribus dicata, quemadmodum ex allatis ſupra legibus Theodoſii

juniorıs

junioris Imp. Græci colligi posse videtur. Verum in argumento tam difficili nihil liquere pronuntio, eaque de causa suum cuique liberum permitto judicium.

CAP. V.

Regio Sexta, Alta Semita appellata.

QUatenus Viminalem Quirinalemque vicinos sibi invicem fuisse vidimus, eatenus quintæ regioni conjuncta sexta fuit, cum Viminalis totus Esquilinæ fuerit, Alta vero Semita in Quirinali. Hanc nobis Rufus ita exhibet.

Regio Alta Semita.

Vicus Bellonæ.
—— Mamurci.
Circus Floræ.
Templum Floræ.
—— Salutis.
—— Serapeum.
—— Fidei.
—— Apollinis & Clatræ.
—— Salutis in Colle Quirinali.
Ædes Divi Fidii.
Templum Fortunæ Liberæ.
—— —— Statæ.
—— —— Reducis.
Forum Sallustii.
Templum Veneris in hortulis Sallustianis.
Statua Mamuri.
Ædes Fortunæ publicæ in Colle.
Statua Quirini alta pedes XX.
Templum Quirini.
Domus Attici.
—— Flavi.
Malum Punicum.
Templum Minervæ.
Senaculum mulierum.
Thermæ Diocletianæ & Maximianæ.
Balineum Pauli.
Decem Tabernæ.
Ad Gallinas albas.
Area Callidii.
Cohortes tres Vigilum.
Vici II.
Vicus Albus.
—— Publicus.
—— Floræ.
—— Quirini.
—— Flavi.
—— Mamuri.
—— Paccius.
—— Tiburtinus.
—— Fortunarum.
—— Salutis.
—— Callidianus.
—— Maximus.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Ædiculæ XVI.
Fortunæ parvæ.
Genii Liberorum.
—— Larum.
Dianæ Valerianæ.
Junonis Juliæ.
Spei.
Sangi.
Silvani.

A *Veneris.*
Herculis.
Victoriæ.
Matutæ.
Liberi Patris.
Saturni.
Jovis.
Minervæ.
Insulæ IIIMDV.
Lacus LXXVI.
Domus CXLV.
B *Horrea* XIX.
Balineæ privatæ LXV.
Pistrina XXIII.
Regio continet in circuitu
Pedes XVMDC.

Publius Victor hoc eam modo recenset:

Regio IV. Alta Semita.

Vicus Bellonæ.
—— Mamuri.
C *Templum Salutis in Colle Quirin.*
—— Serapeum.
Apollinis & Clatræ.
—— Floræ.
Circus Floralia.
Capitolium vetus.
Divus Fidius in Colle.
Forum Sallustii.
Fortuna publica in Colle.
Statua Mamuri plumbea.
Templum Quirini.
Domus Attici.
D *Malum Punicum, ad quod Domitianus D. D. Templum Gentis Flaviæ, & erat domus ejus.*
Horti Sallustiani.
Senaculum mulierum.
Thermæ Diocletianæ.
—— Constantinianæ.
Balnea Pauli.
Decem Tabernæ.
Ad Gallinas Albas.
Area Callidii.
Cohortes III. *Vigilum.*
Vici XII.
Ædiculæ XVI.
E *Vicomagistri* XLVIII.
Denuntiatores II.
Curatores II.
Insulæ IIIMDV.
Domus CXL.
Horrea XVIII.
Balneæ Privatæ LXXV.
Lacus LXXV.
Regio in ambitu continet
Pedes XVMDC.

In altero Victore hæc amplius inveniuntur:

F *Templum Veneris hortorum Sallustianorum.*
Statua Quirini.
Templo Gentis Flaviæ additur; *Templum Minervæ Flavianæ*, alias *Templum Gentis Flaviæ*, &c.
Domus Titi Flavii Sabini.
Templum Fortunæ Sejæ.
Vicomagistri dicuntur LXVI.
Insulæ IIIMDC.
Domus CLX. *alias* CXLV.
Horrea XIX. *alias* XVIII.
Pistrina XXII. alias XII.

Notitia D. Imperii:

REGIO VI.

Alta Semita continet templum Salutis, & Serapidis, Templum Floræ, Capitolium antiquum, Statuam Mamurii plumbeam, Ædem Quirini, Malum Punicum, Hortos Sallustianos, Gentem Flaviam, Thermas Diocletianas & Constantianas, Decem Tabernas, Gallinas albas, Aream Candidæ, Cohortes tres vigilum, Vici XVII. *Ædiculæ* XVII. *Vicomagistri* XVIII. *Curatores duo. Insulæ tria millia quadringentæ. Domus centum quadraginta sex. Horrea* XVII. *Balnea* LXXXV. *Lacus* LXXII. *Pistrina* XVI. *Continet pedes quindecim millia* DCC.

Auxit ea Panvinius hisce, quæ sequuntur:

Mons Quirinalis, alias, *Agonius*, *Salutaris*, *Latiaris*, *Mutialis*.
Campus sceleratus ad portam Collinam.
Clivus publicus.
Vico Bellonæ addit, *extra numerum*.
Vicus Mustellarius antiquus extra numerum.
Templo Quirini addit, *cum porticu*.
Templum Fortunæ Primigeniæ.
Templo Divi Fidii in colle addit, alias *Sancti Fidii semipatris*.
Ædiculæ Sangi subjicit, *in qua lana, colus, & fusus Tanaquilis*.
Pila Honoris.
Sacellum Quirini.
Porticus Quirini.
—— *Milliaria*.
Statua Fortunæ publicæ in colle.
Statuæ duæ marmoreæ Alexandri M. Bucephalum domantis Fidiæ & Praxitelis.
Circus prope portam Collinam, juxta ædem Veneris Erycinæ, cum Obelisco, forte Sallustii.
Forum Diocletiani.
Bibliotheca Ulpia in Thermis Diocletiani.
Domus Corneliorum.
Domus C. Sallustii.

Merula addit:

Turaculum.

Ego vero:

Jupiter Latiarius.
Nemus Annæ Perennæ.
Officinæ minii.
Monumentum comitis Herculis via Sal.
Nemus festorum Lucariorum.
Sacrarium Saliorum Collinorum.
Domus Pinciorum.
—— *Lampadii Pr. Ur.*
—— *Caii, & Gabinii*.

Progrediebatur hæc regio una cum radicibus Quirinalis ab residuis fori Nervæ sub Palatio familiæ olim *Comitum*, hodie *Grilli*, versus ædem *B. V. in Montibus*: inde vero versus ædem *S. Vitalis*, vallem amplexa, ecclesiæ illi objectam. Tum ad Thermas Diocletianas, quas itidem amplectebatur, & super thermas cum ipsis mœnibus ad sinistram flectens ad portam pertinebat Collinam. Inde aliquantum cum muris descendebat, donec intra ambitum suum partem Pincii includeret; quem collem deinde transiens, rectaque ad *aream Grimanam* tendens, eandemque amplexa, ad sinistram vergebat, & cum muris *hortorum Papalium* se conjungebat. Hinc ad ipsum *Papale* perveniens *palatium* A ipsiusque collis gyrum secuta, per *hortos Columnenses* ad columnam Trajanam, & inde ad forum Nervæ revertebatur. Quæ omnia mox in singularum huc spectantium rerum ac locorum enarratione clarius elucescent.

CAP. VI.

Pars Quirinalis, quæ ab angulo suo adusque quatuor fontes extenditur.

IN ascensu a columna Trajana in Quirinalem B in ipso ejus angulo, prima ante alia omnia semet offert veterum *balneorum Pauli* memoria. Extrema collis pars versus *turrim Comitum* nomen *Montis Bagnanapoli* obtinuit, sive, ut vulgo corrupte dicitur, *Magnapoli*: in quo plerique omnes Antiquarii vestigia nominis *balneorum Pauli* agnoscunt, quæ a Rufo & Victore inter cetera regionis Altæ Semitæ notabilia referuntur. Meminit eorundem & Juvenalis Sat. VII.

—— *ut forte rogatus,*
Dum petit aut Thermas, aut Pauli balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, &c. C

Nisi quis aliorum potius codicum amplectendam lectionem putet, in queis *Phœbi* pro *Pauli* invenitur. Creduntur ea fuisse, ubi postea a nobili *Comitum* familia Romana palatium eorum exstructum fuit; sicut mos nobilium Romanorum tulit, ut antiquis ædificiis vel collapsis vel destructis palatia sua inædificarent. In horum balneorum una parte *Monasterium* nunc est *S. Catharinæ Senensis*; inferiorem *Palatium* olim familiæ, uti dixi, *Comitum*, nunc vero *Grillorum* occupat: sub Monasterio autem in ædibus *Rubertorum* superest adhuc D porticus subterranea cum columnis e cocto latere, incurva in theatri speciem, quæ pars balneorum fuisse existimatur, renitente Donato, cui hemicyclus ille aliud hoc fuisse ædificium indicat. Quare cum hic in obscuro versemur, clariori lumine destituti, aut *Balnea* Pauli, quæ non nimium ampla fuisse verosimile est, huc usque non pervenisse censemus, aut residuum hoc balneorum fuisse appendicem, in alios usus, quam lavandi, ædificatum: quemadmodum multa alia, multo etiam hocce spatiosiora, Thermis addi solebant. Quis porro iste *Paulus* fuerit, æque incertum est: nec inani conjectura veri quidquam assequare.
E Monasterio illi inclusa præalta *turris* est, *Militiarum* appellata. Videtur ea, uti de *turri Comitum* diximus, operis esse antiqui: verum & hanc a Pontifice quodam de *Comitum* familia exstructam communis fert opinio. Cognomen *Militiarum* Antiquarii a *Militibus* Trajani derivatum volunt, qui ibidem in statione fuerunt: adfertque ad hanc confirmandam conjecturam Marlianus antiquum marmor, inter cetera rudera ibidem effossum, cui inscriptum:

POTENTISSIMA. DOS. IN. PRINCIPE LIBERALITAS. ET. CLEMENTIA. F

Verum hæc verba, quamvis in Trajanum optime conveniant, alterius tamen etiam principis gratiæ ac auribus data videri possunt: videnturque privati hominis inscripta fuisse ædificio. Sed nec milites alios a Trajano in urbe dispositos, præter illos, qui ad tutelam ejus de more excubabant, a me unquam lectum memini. In Rituali Benedicti Canonici S. Petri a Grimaldo citato, (de quo Martinellus in *Roma Sacra*) mentio fit *militum Tiberii*, de quibus

multo adhuc incertiores sumus: alias *Tiberianæ militiæ* in *Trajanæ* levis commutatio sit, & facilis librariorum lapsus. Forsitan hic ad utrisque fori æque longe hinc distantis, Trajani nempe & Nervæ, ut & ceterorum his vicinorum egregii splendoris ædificiorum tutelam tres illæ vigilum cohortes excubias egerunt, quas & Victor & Rufus huic regioni adscripserunt. Nam alios hic ego milites fuisse vix imaginatione mihi fingere possum.

Superius aliquanto aliud *Monasterium* est S. *Dominici* in illo extremo fastigio positum, quod e Varrone *collem Latiarem* esse dictum existimavi. Si revera is fuit, antiquum illic *vicum Mustellarium* fuisse affirmari queat, ut & *Turaculum*. *Collis Latiaris*, inquit Varro, *sexticepsos in vico Mustellario summo apud Turaculum, ædificium solum est*. Forte & templum illic fuit, aut statua *Jovis Latiaris*. Plinius lib. XXXIV. cap. VII. Spurium Carvilium de clypeis, tibialibus, & cassidibus Samnitum a se devictorum statuam Jovi in Capitolio tam grandem fecisse refert, *ut conspiceretur a Jove Latiario*. Unde Rycquius *Jovem Latiarium* in monte Albano fuisse credidit: sed editiora Palatini & Cœlii ædificia, quæ inter Capitolium, & montem Albanum interjacebant, omnem ejus conspectum, ut Donatus observat, adimebant. Deinde, mons Albanus non *Latiarius*, neque *Latiaris*, verum *Latialis*, appellabatur. Tum vero distantia illa quindecim admodum millium passuum nimia est, quam ut statuæ alicujus, utut grandis ac altæ, in Capitolio positæ conspectum admittat, etiamsi quis exquisitissima hujus ævi adhibuerit telescopia. Donatus per *Jovem Latiarium* Capitolium vetus designari censet, quod in *hortis Barberinis* fuisse creditur ultra quatuor fontes: verum cur Jupiter Quirinalis ad distinctionem Capitolini *Latialis*, seu *Latiaris* appellatus? Addo, Jovem Carvilii, etiamsi non in parte posteriore Capitolii, vel post templum Capitolinum (quod vix credibile est) positus fuisse existimetur, ab ipsis Capitolii ædificiis, ne dum ceteris intermediis interceptum, quo minus ex *hortis* videri posset *Barberinis*, aut etiam *Pontificiis*. Sed quid nos diu quærendo fatigabimus, si verus collis Latiaris conspectui se exponit Capitolii, ejusque frontem, seu vultum, quasi e proximo prospicit? ingens Jovis Carviliani magnitudo in eo consistebat, quod supra murorum altitudinem exsurgens e Quirinali videri posset; cujus extremum fastigium, seu verticem illum, qui *Collis* dictus est *Latiaris*, constituisse e libro Sacrariorum Argeorum discitur, & ex consequenti ceterorum ordine satis evidenter liquet.

In *Hortis Adrobrandinis*, si modo illic (uti dixi verisimile videri) collis Mutialis fuit, *templum* exstitit *Dii Fidii*. *Collis Mutialis*, inquit Varro, *quinticepsos apud ædem Dii Fidii in delubro, ubi æditumus habere solet*. Fuit hic Sabinorum Deus tribus diversis appellatus nominibus *Sanci*, *Sangi*, & *Sabi*: præses, seu tutelaris Deus *fidei*; per quem jurari solitum *Medius Fidius*. Fidei tutelam ei commissam fuisse, ac jurisjurandi, Vincentius Cartarius probat, lib. *de Imaginibus Deorum antiquorum*, ex antiquo marmore *insculpto*, ut ipse ait, *in fenestræ modum, cui tres erant effigies dimidia corporis parte superiore incisæ, quarum dexterior hominis imaginem referebat togati, cum literis HONOR ad latus: sinisterior mulieris erat eodem vestitu pacifico, seu stolata, lauro coronata, & literis adscriptis VERITAS. Hæ duæ effigies dextras jungebant; inter quas puellus erat venusta ac liberali forma, additis supra caput literis, DEVS FIDIVS*. Simillimam habet *tomo tertio Antiq.* Boissardus: verum supra puelli caput insculptus AMOR legitur, &

A superius hic titulus toti emblemati adscriptus: FIDEI SIMULACRVM. Traductus fuit hic Deus Fidius a Tatio Romam: ædesque ei a Numa in Quirinali dedicata, in quo ipse habitabat, una cum templis aliis. Historiam hujus *Dii Fidii*, seu fabulam potius, Dionysius Halic. l. II. fusius exponit, unde de illo diversa Catonem & Varronem scripsisse dicimus. De pluribus ejusdem Dei nominibus Ovidius in VI. Fast. ita canit:

Quærebam Nonas Sanco, Fidione referrem,
An tibi, Semo pater. Tunc mihi Sancus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo;
Nomina terna fero. Sic voluere Cures.
B *Nunc igitur veteres donarunt æde Sabini.*
Inque Quirinali constituere jugo.

Addit Panvinius *semipater*, corrupto, ut puto, codice deceptus Ovidii, pro *Semo pater*. Sed ut ad situm ejus revertamur; Livius l. VIII. templo Quirini vicinum fuisse tradit, ubi damnatione Vitruvii Fundani exposita, addit; *Bona Semoni Sango censuerunt consecranda: quodque æris redactum est, ex eo orbes ærei facti, positi in Sacello Sangi versus ædem Quirini.* Quæ Quirini ædes quum satis remota ab *hortis Aldobrandinis* fuerit, ædem illis *Sanci*, seu *Dii Fidii* abrogare videtur, simulque *colli Mutiali*. Verum præterquam quod hæc ædes in
C colle Mutiali sita esse potuit, veruntamen versus ædem Quirini, aptissima hic responsio fuerit, non *ædem Dii Fidii* versus ædem Quirini fuisse, sed *Sacellum Sangi*: qui licet idem Deus fuerit, attamen sub *Dii Fidii* nomine ædem habuit, sub *Sangi* vero appellatione Sacellum a templo, seu æde dicta, diversum. Ita & Rufus accepit, qui *ædem Dii Fidii* a *Sacello Sangi* seorsim recenset. Quare ita statuo, *ædem Dii Fidii* in *hortis Aldobrandinis* fuisse, *Sacellum* vero *Sangi* in vicinia *S. Andreæ Jesuitarum*. Donatus & *Quirini ædem*, & *Sacellum Sangi* ad portam Collinam collocat.
D Sed illic Quirinum Sacellum tantum habuisse e Festo patet, qui lib. XVII. *Portam Quirinalem ideo appellant, sive quod ea in Collem Quirinalem itur, sive quod proxime eam Sacellum est Quirini*. Quum vero Livius, Plinius, omnesque adeo scriptores de *Quirini templo* loquuntur, nulla re alia addita ad distinctionem, de æde Quirini majore intelligi volunt, unde *valli Quirinali* nomen est; de qua nunc agendi tempus est. Verum ut me prius a Dio Fidio liberem, atque exsolvam, addendum adhuc videtur, ædem ejus perforatum tectum habuisse: *Unde sub Dio & Dius Fidius: itaque in-*
E *de ejus perforatum tectum, ut videatur Dium, id est Cœlum*. Ita Varro lib. IV. In templo vel Sacello Dii Fidii *Colus*, & *fusus Tanaquilis* asservata, ut ex eodem Varrone Plinius refert l. VIII. c. XLVIII.

Ubi *Quirini* ædes fuerit, cognitissimum est. Imminebat ea valli, quæ ante ædem S. *Vitalis* est, *Quirinali* inde dictæ, haud procul a *Capucinarum Monasterio*, & *S. Andreæ Jesuitarum*. Seculum, aut amplius est, quum ab Othone quodam patria Mediolanensi, Senatore Romano, optimis ac præstantissimis suis e marmore ornamentis spoliata est, e quibus gradus *Aræ Cœli* facti sunt; uti Fulvius
F memoriæ prodidit. Idem vidisse se ejus ædis fundamenta in *vinea Genutii* tum temporis *Auditoris Rotæ*, ibidemque multas tabulas marmoreas, fragmentaque pavimenti tessellati e terra effossa esse. Quis auctor ejus sit, conditorve, merito dubitatur; quamquam Julium Proculum ei exstruendæ occasionem suppeditasse constet, qui ad plebem mœstam, infensamque Senatui, quem cædis Romuli suspectum habebat, adhibita jurisjurandi fide affirmavit, vidisse se eum in dicta valle augustiore quam humana forma euntem in cœlum, audisse-

A que mandantem, ut suis diceret, in cœlo se Quirinum vocatum iri, ac prædicentem futuram imperii magnitudinem. Hoc sive mendacium hominis, sive imaginaria illusio (uti Donatus prudenter de eo dubitat) dæmonis, auctoribus Livio, Dionysio, Plutarcho, Ovidio, ceterisque, causa fuit, ut Romulus sub *Quirini* nomine divinis honoribus afficeretur, templaque ei tamquam Deo dedicarentur. Unde Plutarchus in Romulo, *Illius igitur*, inquit, *fanum in colle, Qirino ab eo nuncupato, constitutum est*. Ovidius II. Fastor.

Templa Deo fiunt: collis quoque dictus ab illo est:
B *Et referunt certi sacra paterna dies.*

Dionysius lib. II. refert, Numam ob hanc Proculi relationem jussisse, ut templa fierent ornata, & ut velut humanæ naturæ victor Quirinus appellaretur. Magis etiam perspicue rem hanc commemorat auctor de Viris Illustribus in Romulo; ubi exposita Proculi narratione subjicit: *Hujus auctoritati creditum est, ædes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro Deo cultus, & Quirinus appellatus*: ubi templum quoque exprimitur, in quo Romulus *Dei Quirini* appellatione donatus est. Verosi-
C mile autem est, totius populi consensu, adnitente etiam Numa, templum ei factum illic loci, ubi visus fuit; eo magis, quod ornati templi dignitas a Dionysio tradita Sacello Festi ad portam collocato minime conveniat. Tum & loci distantia nimis longe ab urbe, quatenus tunc habitabatur, remoti vetat, quominus Sacellum hoc primum ei dedicatum fuisse templum credamus. Verum quidem est, ævi istius egestatem vix permisisse, ut magnificum ac sumtuosum Romulo templum dedicaretur: & quod a L. Papirio Consule Quirino dedicatum est, asserere videtur, illud, quod valli superimminet, non fuisse a Numa factum, sed aliud potius, quod ipse postea Papirius dedicavit:
D de quo Livius lib. x. *Ædem Quirini dedicavit, quam in ipsa dimicatione votam apud neminem veterum auctorum invenio: neque hercle tam exiguo tempore perficere potuisset: ab dictatore patre votam filius Cos. dedicavit, exornavitque hostium spoliis*. Non igitur incredibile videri debet, collapsum illud, aut ruinam minans, aut minus ad seculi gustum magnificum, quo Papirius dictator vixit, eundem augustius illi templum, majorisque amplitudinis facturum vovisse, ac filium, postea Coss. dedicasse. Atque ita Plinius, Dionysius, Plutarchus, Ovidius, aliique, templi hujus
E mentionem facientes, nec aliud quidpiam distinguendi causa adjicientes, quo a ceteris illud Quirino dedicatis seu Sacellis, seu templis dignosceretur, hoc solum indicant, templum, quod ætate Numæ a populo ei dedicatum, a Papirio postea restitutum esse

Hic Fabius Vestalis apud Plin. lib. VII. cap. ult. Papirium primum in urbe fecisse horologium solare tradit. Ab eodem Plinio l. XV. c. XXIX unum de vetustissimis Quirini templis memoratur, ante quod duæ myrti fuerint, quarum plebeja altera, altera patricia dicta, prout autem hujus vel illius
F ordinis partes prævalerent, ita vel hæc, vel illa aut languerit, aut viguerit.

Fuit hic & *pulvinar* solis, ut e Quintiliano l. I. c. V. discimus, qui veteris inscriptionis illic meminit, in qua *vesperug* legebatur. *Ut in pulvinari*, inquit, *Solis, qui colitur juxta ædem Quirini, Vesperug, quod vesperuginem dicimus*. Forte ubi illud horologium solare factum, additum ædificium aliquod cum pulvinari, (id est, loco, ubi pulvinum collocatur, ut alii exponunt) aut nomine pulvinaris denotatum fuit.

De alio quodam Quirini templo, quod *novum* appellatum, hic agendi locus non est: rectius de eo in sequenti loquemur regione.

Præter templum, Quirinus quoque *porticum* habuit, quam illi vel conjunctam, vel vicinam fuisse Antiquarii existimant. Meminit illius Martialis lib. XI. epigr. I.

Vicini pete porticum Quirini.
Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis Carinæ.

Unde colligere mihi posse videor, porticum illam non conjunctam templo fuisse, verum ab eo separatam: in qua velut in Pompeii, Europæ, & Argonautarum porticu vulgus otiari solebat. Sed nec in colle illam, ubi templum fuit, verum potius in valle fuisse crediderim Quirini: unde & nomen habuisse puto. Hanc autem vallem celebrem fuisse ac negotiis frequentem Juvenalis innuit Sat. II.

—— *Officium cras*
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officii? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet.

In eadem valle *Templum Fortunæ Publicæ* fuisse Ovidius testatur IV. Fastor.

Qui dicet quondam, sacrata in valle Quirini
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Contra ea P. Victor habet, *Fortuna Publica in colle*: unde nonnulli in Ovidio emendandum putarunt ex aliorum codicum fide:

Qui dicet quondam, sacrata est colle Qurini

quibus ego facile assentiar.

Hic, aut ulterius paulum, *decem tabernas* fuisse Marlianus asserit, *quemadmodum*, inquiens, *apud ædem S. Agathæ effossi Tiburtini lapides indicarunt*.

Sed negari quoque vix potest, *vicum Quirini* hic in proximo fuisse, vel ad templum Quirini, vel in valle; cujus vici Rufus mentionem fecit.

Quirino, quartoque ejus collis vertici, vicina *Salutis ædes* fuit, uti supra indicatum: cujus vicinitas non e Varrone solo liquet, sed & e l. VIII. tert. decad. Livii: *Ædes*, inquit, *Cereris, Salutis, Quirini, de cœlo tactæ*: quæ omnes unico videntur ictu fulminis afflatæ fuisse. Nec procul a muris urbis abfuisse eam certum est, quum *portæ* inde *Salutari* nomen obvenisse Festus testatur. *Appellata est*, ait, *ab æde Salutis, quod ei proxima fuit*. Neque vero eadem hæc atque *Collina* existimanda est, ut quidam voluere, quum de ea Festus ante hanc locutus sit, ut l. I. uberiter demonstravi. Fuit & clivus hic in vicinia, ut ex Anastasio apparet, qui in *Innocentio* refert, Pontificem illum inter cetera Ecclesiæ SS. *Gervasii* & *Protasii*, (hodie S. *Vitalis*) *domum* attribuisse *in clivo Salutis*, &c. *Porta* vero *Collina* clivum habere nequiit, quia in planitie exitus ejus erat, quæ collem hunc cum ceteris jungebat. Quoniam igitur quartus Quirinalis vertex revera ille fuit, qui e regione *Palatii Papalis* in *hortis Columnensibus* haud multis abhinc annis eminebat, *Templum* autem *Salutis* prope illum verticem ex muros, consequitur necessario, ut vel in *hortis Columnensibus* fuerit, vel ubi nunc *Palatium Pontificis Maximi* est: ideoque & *clivus Salutis* appellatus non longe remotus esse potuit a clivo hodierno, quo Palatium aditur: ubi & domus Ecclesiæ S. *Vitalis* attributa, vicinitate sua aliquantum certioris confert conjecturæ. Neque vero incongruum sit suspicari, partem illam veteris ædificii annis abhinc

aliquot in hortis iisdem adhuc extantem (sive illud ejus frontispicium, seu quid aliud fuerit) *Turris Mesæ* appellatione insignitam, residuam *templi Salutis* fuisse. Attamen non me fugit (ut Blondi errorem silentio prætercam, qui partem illam Turris esse Mæcenatis existimabat) unanimem esse Antiquariorum sententiam, *templum* isthic *Solis* fuisse ab Aureliano in monte Quirinali teste Vopisco dedicatum. Verum non aliud hujus sententiæ fundamentum est, quam quod tantummodo in Quirinali monte, quo ad longitudinem saltem, spatiosissimo, fuerit. Nobis præter ipsum collem vicinitas templi Quirini suffragatur, ut & illius verticis, ut potius *templum Salutis* fuisse videatur. Adhæc, qui præstantissimas illas in marmoribus sculpturas, modumque sculpendi, atque architecturæ accuratius observarunt, consideraruntque, ævo illud opus Aureliani abjudicent necesse est, quo delineandi sculpendique ars multum de pristina amiserat pulchritudine, præstantiaque, vergentibus jam in barbariem temporibus, ut ex utroque arcu Severi, item Gallieni, aliisque operibus, ac monumentis antiquis Aureliani ætatem sæpe præcedentibus, clarissime liquet.

Templum Salutis ex voto dedicatum fuit a Junio Bubulco, de quo Livius l. x. *Ædem Salutis, quam Consul voverat, Censor locaverat, Dictator dedicavit*. Plinius lib. xxxv. cap. iv. de Fabio Pictore: *Ipse ædem Salutis*, ait, *pinxit anno* V. C. CCCCL *quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta*. Ita ut ætate Claudii restitui debuerit, cujus ævo elegantia operis in marmoribus istis perpulchre convenit; non secus ac prægrandis columnæ basis cum aliis ibidem fragmentis reperta; quæ hodieque extra *hortos Columnenses* ad ipsam januam asservantur. Sed & hic, ut alias passim, suaque cuique libere censendi facultas permittitur.

Templum Solis, quamquam in colle positum legatur, non in ipso colle, verum in declivitate ejus, situm fuisse, in regione sequente ostensurus sum.

Senaculum mulierum ab Elagabalo in Quirinali factum Lampridius memorat. *Fecit*, inquit, *& in colle Quirinali Senaculum, id est mulierum Senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis sollemnibus duntaxat diebus*. Donatus suspicionem hic movet, an illud *templi Solis*, ut aliqui putarunt, ut autem ego opinor, *Salutis*, residuum, non potius hujus *Senaculi* fuerit, eique a *Mæsa* avia Elagabali, Principe istius Senatus, appellatio *Torre Mesa* adhæserit: uti eam nostra memoria nuncupatam Blondus, aliique affirmant. Sane, licet ea denominatio duriuscula est, *senaculo* huic magis convenire, quam *templo Solis*, fatendum est. Verum Elagabali seculum, quamquam Aurelianeo cultius, istiusmodi sculpturæ tulit elegantiam. Neque item qua parte Quirinalis situm *Senaculum* fuerit, quisquam novit: quare magis in *templum Salutis*, quam in *Senaculum* veri cadit similitudo. Verum ego in Lampridii verbis non alicujus novi ædificii structuram, verum potius jam structi in *Senaculum mulierum* conversionem animadverto: quod jam antea Matronarum conventui inservierat: ita ut aut nihil, aut parum in hoc ædificio Elagabalus mutarit. Sed hic novum nascitur dubium: nimirum, quos conventus ibi festis ac sollemnibus diebus Matronæ habuerint? nam *festum Bonæ Deæ, Matronalia, Matralia*, aliaque plura alibi celebrabantur. Credo ego præcipuum isthuc conventum Matronarum fuisse, ut in pompa sollemni divinis honoribus cultum circumferrent phallum, qui ad Templum Veneris Erycinæ deferri ritu solemni solebat, inque ejus Deæ sinu deponi: e quo ritu obscœno lascivoque, quem Arnobius enarrat, quod is genio suo maxime conveniret, Elagabalus forte lascivum istud *mulierum Senaculum* ibidem constituendi ansam arripuit.

Pila Naris, de qua Varro lib. iv. *Pila Naris*, sive *Pila Honoris* contra eumdem quartum verticem collis fuit: *Collis Salutaris quarticepsos adversum est Pila Naris*. *Pilas* hasce columnas fuisse Donatus ait, ad quas res venales exponerentur. Ex his forsan insignia venditorum, aut rerum venalium conditio descripta, depictave suspendebatur, quo melius e longinquo conspici posset. Nomen huic *pilæ* vel ab imagine *Naris* fluminis, vel ab insigni aliquo, seu simulacro Honoris, tributum fuit: quia vero adversum collem Salutarem fuit, non longe a *Palatio Populi* abesse potuit.

Thermarum Constantinianarum, vel *Constantiarum*, magnam partem nos ipsi vidimus, ubi nunc area est *palatii Mazariniani*, quam postea Cardinalis Borgesius Pontificatu Pauli V. diruit, quum id extrueret palatium. Mentio earum fit in inscriptione vetusta, ibidem effossa, & a Marliano descripta:

PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRATIANVS V. C. ET INL. PRAEF. VRB.
CONSTANTINIANAS THERMAS LONGA INCVRIA ET ABOLENDAE CIVILIS VEL
POTIVS FATALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER ADFLICTAS ITA VT AGNI
TIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CVNCTIS REPA
RATIONIS ADFERRENT DEPVTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO
SVMPTV QVANTVM PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE AB EXTREMO
VINDICAVIT OCCASV ET PROVISIONE LARGISSIMA IN PRISTINAM
FACIEM SPLENDOREMQVE RESTITVIT.

Nec minor illis fideis accessit e tribus, quæ illic fuere, statuis, Constantini, & duorum ejus filiorum Constantini, & Constantii. Translatæ illæ sunt in Capitolium; quarum una est in compluvio Conservatorum; duæ vero in ipsa area. Meminit earundem etiam Thermarum Sex. Aurelius lib. de Cæss. ubi de Constantino loquens ait: *A quo etiam post Circus Maximus excultus mirifice, atque ad levandum institutum opus ceteris haud multo dispar*.

Hic & *duo equi* fuerunt e marmore, unde hodie colli huic nomen *monte Cavallo*. Multi Antiquariorum existimavere, a Tiridate Rege Armeniæ Romam delatos principatu Neronis: sed hi, ut recte Donatus observavit, a Rufo *ex ære* fuisse traduntur, suntque ab eo in septima regione collocati. Panvinius parte prima de Rep. Rom. a Constantino Alexandria deportatos asserit, & in Thermis ejus positos: quod vero proximum videtur. Vetus eorum inscriptio, OPVS PHIDIAE, OPVS PRAXITELIS, artifices indicat, qui sculpsere. Effigiem utraque statua Alexandri habere creditur Bucephalum domantis. Verum Donatus efficacissimis probans argumentis, Phidiam & Praxitelem ante Alexandri tempora

vixisse, errorem hominum inveteratum sustulit, & alium hominem, equumque iis statuis, quam Alexandrum & Bucephalum, exhiberi docuit. Fortean tamen Alexandri & Bucephali simulacra sunt, verum nec Phidiæ, nec Praxitelis: quibus tamen longe post eorum mortem ob famam nominis, artisque, Alexandrini gloriam hanc tribuerint.

Prope *Constantianum Lavacrum*, (quod tamen idem esse atque *Thermas Constantinianas* existimo) *domus Lampadii* Præf. urbis fuit. Ita Ammianus lib. XXVII. *Collecta plebs infima domum ejus prope Constantianum Lavacrum injectis facibus accenderat, & malleolis, ni servitiorum & familiarium veloci concursu a summis tectorum culminibus petita saxis & tegulis absecessisset*, &c. loquitur autem illic de illo Præf. urbis Lampadio.

Vicum Corneliorum ea parte *Hortorum Columnensium* fuisse ferunt, quæ *Cœnobio SS. Apostolorum* objecta est; ubi *Altam Semitam* incepisse scriptores proximi seculi tradunt, vicum illum sua adhuc ætate *Vicum Corneliorum* appellatum affirmantes, ibidemque Ecclesiam *S. Salvatoris* tum fuisse appellatam *de Corneliis*. Nobis, quibus tanto lumine perfundi non licuit, credendi partes relictæ sunt, sicut illis fuerunt hoc asserendi. Quin & *domum Corneliorum* antiquam illam fuisse volunt, cujus hodieque rudera retro *Cœnobium SS. Apostolorum* supersunt, cum *hortis Columnensibus* conjuncta, & Quirinali incumbentia. Verum quid hoc fuerit ædificii, in regione proxima exponemus.

In *vico* illo *Corneliorum* duas prægrandes ajunt *statuas* fuisse, quæ ante seculum ita descriptæ sunt: Senes erant duo, media corporis parte nuda jacente, superiore erecta cum cornu copiæ in manu. Hos Apollodorus ante annos trecentos Saturnum & Bacchum esse dixit, & in proximo sua habuisse templa. Ego vero nullus dubito, quin eæ statuæ *Nili* & *Tiberis* sint, quæ hodie a latere fontis visuntur in Capitolio. Bacchus enim nunquam fictus pictusve senex visus est: & si *Nili* illic statua fuit, indicium id non leve est, fuisse ibidem & *Serapeum*, Serapidis templum, quod a Rufo & Victore hic memoratur. Ejusmodi quoque duas statuas aliud ejusdem Dei templum in regione IX. habuit; quod ego a Caracalla dedicatum censeam, non solum quod hic Imperator Isidis & Serapidis numinibus fuerit devotissimus, uti Spartianus refert, verum etiam, quod marmoris antiqui fragmentum, quod in æde S. Agathæ in monte Magnanapoli asservatur, & a Paulo Merula adnotatum est, istius mihi rei indicium faciat:

SERAPIDI DEO
M. AVRELIVS. ANTONINV..
..IFEX. MAX. TRIBVNIC. POTE...
...ÆDEM.

In Quirinali *Capitolium vetus* fuit, id est, templum antiquissimum cum tribus distinctis cellis, sive potius sacellis Jovis, Junonis, & Minervæ, ut Varro l. IV. de L. L. indicat, ad cujus similitudinem postea exstructis aliis in Capitolio, hæ in Quirinali nomen Capitolii veteris obtinuerunt. Auctor templi Numa fuisse perhibetur: unde quando Eusebius & Cassiodorus Numam dicunt Capitolium e fundamentis exstruxisse, de hoc vetere, non autem de alio, accipiendum illud est, ut optime Donatus judicat; cum certum sit Numam in Quirinali habitasse, teste Solino lib. I. & omnium regum, qui Tarquinium Priscum præcessere, Deorum cultorem devotissimum, pientissimumque: præterquam quod humilitas id ipsum argueret ædificii; de quo Valer. Maximus l. IV. cap. IV. *Erant veteris Capitolii humilia tecta*: quæ Numæ temporibus & animo optime conveniunt.

Situm illud fuit ex omnium consensu in editiore Hortorum Barberinorum fastigio. Nata ea opinio ex his Martialis lib. II. epigr. XXIII.

Nam Tiburtinæ sum proximus accola pilæ:
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Unde colligebant, si Circus Floræ in *area Grimana* fuit, sub *palatio Barberino*, Capitolium vetus, quod ex eo Circo conspiciebatur, debuisse esse in superiore loco. Ego, nisi efficaciore persuasus argumento induci nequeo, ut credam, etiamsi Numa Quirinalem muro cinxisset, & in istis primis urbis angustiis, eundem incolis frequentasset, sub Quirinali angusto & longissimo, uti est ad portam usque Salariam, ipsum Regem in extrema ejus parte, & a reliqua urbis remotissima habitasse. Quod si partem ejus urbi adjunxit usque ad quatuor frontes, satis certe ea magna fuit: qua urbis mœnibus inclusa potuit & templum Quirini includere: cujus id forte fecit intuitu. Sic ut prolatis postea a Servio mœnibus ad reliquam collis partem Servius collem Romæ Quirinalem addidisse dici queat, ut de eo Livius aliique referunt. Atque ita Capitolium vetus in vertice, seu fastigio fuit, quod in parte *hortorum Papalium* exstitit ab Urbano VIII. addita & exæquata: cujusque in *hortis Bandinis*, hodie *S. Andreæ Jesuitarum* aliquantulum hodieque superest residui. Nec Martialis contradicit, quin potius idipsum confirmat. Nam si circus Floræ sub Quirinali fuit, & Capitolium vetus in colle, atque intra mœnia, nil necesse fuit, quo e Circo hoc conspici posset, ut ei Circus omnino conjunctus esset: cum longe melius a spectatoribus in Circo nonnihil ab eo in editiore loco distans prospici posset, oculisque e regione illud intuentibus usurpari, quam si nonnisi torquentibus se luminibus, & sursum inflexo collo, recta superimminens aspiceretur. Adde, quod verba Martialis, *qua videt antiquum*, &c. indicare videntur, Capitolium vetus e Circo Floræ conspectum, qui pilæ Tiburtinæ vicinus, & in regione septima, magisque inferius in ara Grimana situs, Capitolium illud, quod in Quirinali erat, capiti velut suo superimminens habere debuit. Quare etiam tertio vertici, si ita videbitur, Capitolium veteris nomen dari, juxta quem Numam habitasse credibile est, si tamen his omnibus insuper habitis aliquis id cum ceteris in *hortis* fuisse *Barberinis* asserere velit, per me suo fruatur licet judicio.

Sacrarium Saliorum Collinorum, quos Tullus Hostilius bello contra Fidenates ex voto ad similitudinem instituit Palatinorum, in Quirinali fuisse e Dionysio patet, l. II. ubi, postquam de Palatinis verba fecisset, ita pergit: *Agonales & Collini, quorum Sacrarium est in Collino monte*. Hosce dicit Donatus ad exemplum XII. a Numa institutorum Marti fuisse consecratos, habuisseque Sacrarium in vico Mamurio, argumento e statua ejus, quæ illic fuit, petito. Verba vero Camilli apud Livium lib. V. indicium mihi facere videntur, Salios ab Hostilio institutos non Marti, sed filio ejus Quirino Romæ conditiori fuisse consecratos, atque ideo Sacrarium eorum in Quirinali positum. Verba Livii sunt: *Quid de ancilibus vestris Mars Gradive, tuque Quirine Pater*, &c. Quod si autem certum existimemus, uti supra ostensum, muros Servii non ultra *quatuor fontes* processisse, valdequam etiam certa conjectura nostra videbitur Sacrarium hoc citra illos fontes fuisse, & forte juxta templum Quirini: siquidem verisimile est, ancilia, quæ, licet

inter hæc secunda illud cœli depositum non fuerit, sacra tamen sanctaque fuerunt habita, illo loco fuisse reposita, qui rapinis atque injuriis hostilibus extra mœnia civitatis esset opportunus.

Templum Apollinis, & *Claræ Deæ* cancellorum ac clathrorum, Fulvius, & Marlianus in ea fuisse Quirinalis parte opinantur, quæ *fontis Treviorum* super rimpendet; id est, ubi hodie collis in cubiti speciem curvatur, parsque *palatii* seu *hortorum Papalium* est: quam sua adhuc ætate *montem Claræ* appellatam asserunt. Idem nomen, sed corruptum legitur in Constitutione Joannis III. Papæ, *Quoniam*, &c. allata a Martinello in *Roma Sacra*: ubi inter limites Parœciæ Ecclesiæ *SS. Apostolorum* assignatos legitur: *Deinde ad Dextram extenditur juxta latus montis super Catricam*, &c. quæ *Catrica* a Martinello erudite ex antiquo & vero nomine *Clatræ* corrupta esse indicatur.

CAP. VII.

Altera pars Collis Hortulorum, resque aliæ situs incerti.

Ultra quatuor Fontes primi occurrunt *Horti Barberini*, in quibus Capitolium vetus fuisse unanimis omnium sententia est, & per consequens Regiam Numæ; cui adsentiantur per me licet, quibus locus ille tam longe a reliquo urbis corpore sejunctus nullam dubitandi ansam subministrat.

Infra eos, in valle, cui nunc *Areæ Grimanæ* nomen, *Circus Floræ* fuit. Fulvius sua memoria parietes ejus adhuc superstites fuisse dicit: *Inter utrumque collem*, (id est inter utrumque Quirinalis verticem) *subest vallis inclusa parietibus, ubi olim fiebant Floralia*, &c. quorum illo adhuc posterior Donatus vestigia se vidisse scribit. Cognomen *Rusticæ*, quod ei Martialis tribuit, Donatus inditum putat, vel quod Dea florum in agris nascentium esset, vel potius quod Circus rudi Minerva exstructus esset. Ego eam *Rusticam* dictam putem, ad distinctionem theatri, quod in vico Patritio fuit, in quo ludi Florales *Civici* celebrabantur, uti in hoc *rustici*; quemadmodum in præcedente regione indicatum est.

Præter *Circum* Victor quoque & Rufus *Templum* hic *Floræ* collocant: quod vel conjunctum *Circo*, vel juxta illud in proximo fuisse debuit. Aliqui illud in collis extremitate Circo imminente constituunt, quæ sententia ad Ovidii verba proxime accedit, l. v. Fastor. in *Clivo Publico* id factum dicentis a duobus Publiciis Ædilibus plebeiis, de pecunia pœnali eorum, qui pascuis publicis nocuissent. Eundem *Clivum* eorundem quoque Publiciorum opus fuisse, Varro refert, qui non longe a clivo hodierno ad *quatuor Fontes* fuisse videtur. Veruntamen litandum potius veritati, quam verisimilitudini. *Clivus* ille *Publicius*, *templumque Floræ*, quod ei in clivo illo Publicii dedicarunt, alibi fuit, & in regione XIII. ut illic contra plerosque Antiquariorum pluribus adstruam.

Inter *Templum Floræ*, & *Ædem Quirini*, *Officinæ* fuerunt, in queis *minium* fieri solitum Vitruvius lib. VII. c. IX. indicat: *Eæ autem officinæ sunt inter ædem Floræ & Quirini*. Verum quodnam hic *Quirini templum* Vitruvius innuat, dubium est, vetusne & majus Viminalem versus, quod inde nimis longe remotum, an illud, quod versus portam Collinam fuisse quidam dicunt, imo nonnemo, ubi nunc ecclesia *S. Susannæ* est, exstitisse asserit. Conjecturis hisce omissis, *Sacellum Quirini* ad portam Collinam fuisse e Festo supra docuimus. Verum nimia hæc distantia foret utriusque loci, quibus officinas illas Vitruvius circumscripsit, præsertim, quum inter Circum Floræ & Sacellum illud mœnia urbis intercessserint. Quare de ea loqui *Quirini æde* censendus est Vitruvius, quam in proxima fuisse regione ibidem explicabimus: quæ quoniam in devexo *areæ Grimanæ* fuit ad *fontem Trevium*, statuamus interea, *Officinas* illas in eadem area fuisse ad illam declivitatem: in quarum officinarum extremitate quum Templum Floræ fuerit, in eo circi latere, vel juxta illud, fuisse certum est; vel saltem in colle, ut aliorum fert opinio.

Ad ædem *S. Susannæ vicus Mamurri* fuit, ut ex Actis ejusdem Divæ, a Baronio ad A. CCXCV. allatis, videre est: *Erat conjuncta Caii domus cum ædibus Sanctæ Susannæ, & Gabini patris ejus. Facta sunt hæc in Regione sexta apud vicum Mammurri ante Forum Sallustii*: & inferius aliquanto: *Perseverat hactenus nobilis memoria Sanctæ Susannæ in eodem loco*. Extant adhuc ibidem vicinæ Ecclesiæ *S. Susannæ* & *S. Caii*; duratque traditio, domus illic eorum olim fuisse. Quare sæpe in Anastasio Ecclesia *S. Susannæ ad duas domus* appellatur.

Nomen *vico Mammuri* a *statua plumbea* fuit, quod opus antiqui ferunt anciliorum artificis. De hac Victor: *Statua Mamurri plumbea*. Quæ qua de causa, & a quo posita fuerit, pronuntiare non ausim. Quidam hic ejus ædes fuisse ajunt, verum nullo alio nisi hujus statuæ indicio, vel argumento: quæ quod facile in Gallorum direptione, vel incendiis urbis ordinariis liquefieri potuerit, rumpive, mihi tam antiqua videri nequit, ut eam ad Numæ tempora, aut his etiam aliquanto recentiora, vetusta tamen, referendum existimem.

Vici *ad malum Punicum*, forte ex arbore istius generis, vel pomo in hac regione depicto sculptove, ita appellati, non modo a Victore & Rufo mentio fit, sed & a Suetonio in Domitiano, ubi illum natum refert *regione urbis sexta ad malum Punicum, domo, quam postea in templum Gentis Flaviæ convertit*. Atque ita Princeps ille ambitiosissimus non contentus jussisse, ut *Dominus & Deus noster* a cunctis vocaretur, universam quoque familiam suam numinibus adscribere voluit, cineres defunctorum contra morem consuetum huic templo inferendo, ut e Suetonio liquet cap. XVII. *Cadaver*, inquit, *ejus populari sandapila per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo via Latina funeravit; sed reliquias templo Gentis Flaviæ clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit*. Ubi vero domus hæc, seu templum, & vicus fuerint, haud liquido dici possit: verum inter *S. Susannæ*, & IV. *fontes* fuisse e marmore antiquo conjicitur, quod illic Marlianus inventum ait hac inscriptione.

INTER DVOS PARIETES AMBITVS PRIVAT. FLAVI SABINI.

Flavius hic Sabinus Vespasiani Imp. frater fuit: eosque paternam domum inter se divisisse, aut saltem ædes contiguas habuisse, admodum mihi probabile videtur.

Templum Fortunæ Reducis, quod Rufus hic commemorat, Martialis ob felicem Domitiani reditum e bello Germanico ædificatum indicare videtur: ibidemque & arcum fuisse erectum triumphalem. namque ille lib. VIII. epigr. LXIV.

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli

Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hic lauro redimita comas, & candida vultu,
Roma salutavit voce, manuque ducem.
Grande loci meritum est: testantur & altera dona:
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans, &c.

Verum Donatus *templum* hoc & *Arcum* extra urbem fuisse contendit, ubi nempe Domitianus a Senatu P. Q. R. exceptus fuit, ut nos alio loco dicturi sumus. Dio lib. LIV. refert, *Aram Fortunæ Reduci* dedicatam ob Augusti reditum: at hic Rufus non *Aram*, sed *templum* recenset. Quare vel Dio illi male *Aræ* nomen indidit, (uti factum ab eo neque nego, neque affirmo) vel hoc templum honori Augusti non fuisse dedicatum necessario sequitur. Verum qualecunque fuerit, situs ejus nobis indagandus videtur.

Duorum aliorum quoque templorum mentio fit apud Rufum continuata serie: *Templum fortunæ Liberæ*, *Templum Fortunæ Statæ*. Quæ tria templa diversa, licet non certum præbeat eorum continuata mentio indicium uno in loco sita, aut *vico Fortunarum* vicina fuisse, quem inter ceteros Rufus commemorat, attamen hinc in uno mihi fuisse vico videntur: in qua opinione plurimum me illa Vitruvii confirmant lib. III. cap. I. ubi locus *ad tres Fortunas* recensetur, ad portam Collinam, quem *Vicum Fortunarum* esse a Rufo commemoratum vix negari queat. Unum ex his tribus templis portæ illi proximum quatuor pilis æquo in fronte spatio distantibus constructum ait: *Hujus exemplar*, inquit, *erit ad tres Fortunas, ex tribus, quod est proxime portam Collinam*. Hinc primum conficitur, vicum, & tria templa, non procul a porta Collina abfuisse: deinde illud *Fortunæ reducis*, si illud unum ex istis tribus a Vitruvio & Rufo commemoratis fuit, non fuisse hoc, quod diu post a Domitiano dedicatum fuit.

Ubi *Thermæ Diocletiani* fuerint, lippis ac tonsoribus notum est: toti enim vico, veterem earum situm complexo, hodieque *Termini* nomen est, quod e vetere *Thermarum* depravatum esse liquet. Ecclesia *S. Bernardi* rotunda unum de Caldariis fuit; cui oppositum aliud semirutum ad januam *villæ Perettæ* conspicitur: quæ duo extremos hujus operis angulos occuparunt. Tertium versus aggerem Tullii agnoscitur: quartum in medio, per quod in ecclesiam itur *B. V. Angelorum*, ubi olim magnificentissima fuit Pinacotheca. Præterea porticus, scholæ, ludi, xysti, ambulacra, natatoria, & sexcentæ aliæ id genus deliciæ, fidem ferme omnem excedentes, ibidem fuere. Quin & *Bibliotheca* illuc *Ulpia* translata fuit, quæ antea in Foro Trajani fuerat, uti Vopiscus in Probo tradit. Atque ita quæcunque olim ædificia ad ambulandum, exercendum corpus, studiaque excolenda, Romæ seorsim extrui solita fuerant, ea postea cuncta intra Thermarum ambitus conjunctim ædificabantur, ne quid otiantibus deesse videretur: uti fusius a Mercuriali *in Arte Gymnastica* exponitur. Nobis tantum, ut earum amplitudinem demonstremus, dixisse sufficiet, intra eorum ambitum hodie *Ecclesiam* esse & *Monasterium*, *hortosque* peramplos Monachorum *S. Bernardi*; *Ecclesiam*, *Monasterium*, & spatiosissimos *hortos Carthusianorum*; duas ingentes *areas*, & *granaria Cameræ Papalis*, opus admirandæ amplitudinis, *fontes Thermarum*, & complures vineas, ac ædes privatorum. In vinea *Carthusianorum*, ad ædificium *Granariorum* novum ab Urbano extructum, pars adhuc *ecclesiæ veteris*, & *domus S. Cyriaci* superest, ut & *Baptisterii*, ubi ille clanculum baptizare solitus erat, miraculosa Carpasii Judicis pœna, divinitus ei immissa, cum id baptiste-

A rium profanare vellet celeberrimi: qua de re Martinellus consuli poterit *in Roma Sacra*.

Forum & *domus Sallustii* ex *Actis S. Susannæ* supra allatis juxta illius ecclesiam fuisse arguuntur: quæ cum non *in Foro Sallustii*, sed *ante forum* fuisse dicatur, *Forum* illud aliquanto ulterius fuisse sequitur, ubi nunc Ecclesia est *B. V. Victricis*, & *vinea Barberina*. In foro autem *domum Sallustii* fuisse extra dubium est: sed in qua ejus parte fuerit, ignoratur; quanquam verosimile est, ad *B. V. Victricis* fuisse, aut in *Vinea Barberina*, ut e fenestris ejus liber ipsi in hortos suos prospectus esset.

Horti Sallustii, quos ille de pecunia fecit ex Præ-
B fectura Africæ, quam Cæsar ipsi concesserat, collecta, ubi fuerint, indicare difficile est. Nam in eo Quirinalis tractu, qui vicinas sibi habet *S. Susannæ* & *B. V. Victricis* ædes, mœnia urbis fuere. Quare *horti* hi vel intra mœnia ultra ædem *B. V. Victricis* versus *Portam Salariam* & *Piam*, vel extra illa, in valle, quæ inter Quirinalem est & Pincium, fuere. Blondus eos sibi agnoscere videbatur inter Portam Salariam, Numentanam, & ædem *S. Susannæ*; quod ibi multa sua ætate antiquitatum vestigia vidisset, *Hortis* illa *Sallustianis* attribuens. Nec Donatus in diversum abit: verum Taciti verba l. III.
C Hist. apertissime illos extra urbem fuisse arguunt: ubi de exercitu agens Vespasiani tribus agminibus diversis ad urbem accedente, de illo, quod via Salaria ad portam Collinam pergebat, ita loquitur: *Ii tamen conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos per angusta & lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum diei saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab Equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur*. Hic agmen illud ad hortos accessisse Sallustianos dicitur, priusquam urbem intrasset: de quorum maceriis Vitelliani hostes ab aditu urbis arcebant. Idem & Actis S. Cyriaci, Lar-
D gi, & Smaragdi confirmatur, qui eo loco capite plexi fuere; *via Salaria ante Thermas Sallustii extra muros urbis*: ubi nomen *Thermarum* hortis datum esse, ut *Naumachiæ* & *Theatri* Circo, *Palatii* aliis ædificiis, res minime nova est. Ita & in aliis Actis iidem horti *Palatium* appellantur, quum tribunal erectum dicitur *in Palatio Sallustii ad Portam Salariam*. Ut autem exactum eorum situm inveniamus, de aliis rebus huc pertinentibus prius mihi nonnulla dicenda videntur.

In extrema & angustissima vallis parte, inter Quirinalem & Pincium, versus portam Collinam
E antiqui *Circi* visa vestigia sunt, ac videntur ex parte hodieque: cujus muri & sedilia rupi collis Quirinalis ab una, & Pincii ab altera parte conjuncti erant. Hi vero duo colles se invicem illic respiciunt, vicinique existunt: in quorum medio ante annos aliquot Obeliscus Hieroglyphicis literis insculptus diffractus jacuit, qui nunc in *Hortis* visitur *Ludovisiis*. Hunc plurimi *hortis* assignarunt *Sallustianis*, nec animum adverterunt, hunc Circum illum esse, in quo, ubi Circus Flaminius exundatione fluminis occupatus erat, Apollinares ludi fieri soliti sint: de quibus pluribus locis Livius agit, præsertim vero lib. X. decad. III. *Ita abundavit*, ait,
F *Tiberis, ut ludi Apollinares circo inundato extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint*. Nec de alio loquuntur D. Hieronymus & Beda, quum in sermonibus Martyrum dicunt, *in Hippodromo extra Portam Salariam* sub Claudio II. Imperatore CLX. Martyres supplicio affectos. Meminit quidem ejus rei Ligorius, in libro *de Circis*, verum in eo erravit, quod scriptores illos ipse erroris arguerit, eundem intra mœnia situm fuisse existimans: in quo sententiam nostram confirmat, quæ

sentim

sensim magis magisque vires acquirit, tempore Claudii eum extra muros fuisse: verum sub Aureliano intra eosdem, quippe quos ille ulterius protulerit, quomodo adhuc cernuntur. Situs ejus illic loci fuit, quem in suam usque ætatem Fulvius *Girlo*, seu *Girulum*, ut ipse vertit, appellatum testatur: nos potius *Circulum* interpretandum putamus.

Hic igitur *Circo* constituto, qui porta Collina adibatur, (forte & per circum Floræ, aut ipsam vallem, relicto Floræ Circo ad sinistram, vel ad dextram) Hortos Sallustianos inter utrumque Circum fuisse consequitur, sub *B. V. Victricis* æde, & *S. Susannæ*: quam vallem multo superiorem illam, in qua Circus Apollinaris erat, laxitate superantem sua etiam memoria *Salustrico* nuncupatam fuisse Fulvius asserit. Ego vero partem eorundem etiam in Pincio fuisse crediderim, qui Quirinali oppositus, nunc *Hortulorum Collis* appellatur: persuasus loci altitudine, prospectum in maximam urbis sibi subjectæ partem habente. Non tamen eousque in longitudinem extensi fuerunt horti Sallustiani, ut magnam hujus collis partem occuparint, quemadmodum recentioribus placet Antiquariis; neque item, ut ad portam pertigerint Collinam; quoniam inde erumpentes equites Vitelliani spatium habuere milites Vespasiani circumveniendi, qui hortos adoriebantur Sallustianos. In hoc forsan colle admirabiles illæ *Piscinæ* fuerunt, in queis aqua ad irrigandos opera servorum hortos asservabatur, fontibusque arte factis subministrabatur. Vidi ego multis abhinc annis *Vineam Verospiam* in colle ad ipsa mœnia, totam pensilem super antiquos meatus subterraneos longos, & angustos, humilesque in modum fornicum: qui singuli aut in prima, aut in extrema sui parte in alios exibant, cum insertis hic illic exiguis fenestris, ductibusque, quibus aqua in cunctos admitteretur, quos Fernandus Verospius casu detectos, veteribusque excrementis repletos evacuari, & exinaniri jussit. Forte hos lacus, seu piscinas auctor Actorum *S. Cyriaci & Sociorum* denotare voluit, quum *ante Thermas Sallustii* eos occisos scripsit.

Situs horum hortorum amœnissimus effecit, ut plerisque imperatoribus essent in deliciis. Tacitus lib. XIII. Annal. refert, Neronem vespere quodam a ponte Milvio revertentem illuc divertisse. Eusebius in Chronico, Nervam illic diem supremum obiisse tradit. Vopiscus in Aurelio displicuisse illi palatium narrat, magisque eum fuisse delectatum hortis Sallustianis, ac Domitiæ; additque: *Milliariensem denique porticum in hortis Sallustii ornavit, in qua quotidie & equos, & se defatigabat, quamvis esset non bonæ valetudinis*. Unde minime mirum videri cuiquam debet, si idem Aurelianus urbis mœnia proferens hortos quoque Sallustianos iisdem incluserit.

Vestigia hujus *porticus Milliariensis* in prælongo illo muri tractu arcuato agnoscere mihi videor, qui in valle est, sub æde *B. V. Victricis*, ubi nunc *horti Ducis Muti* sunt, super quæ, quasi fundamenta operis, porticus ad altitudinem parem collis Pincii & Quirinalis assurgens, instar pontis utrumque collem jungentis, ab æde *S. Susannæ* ad *hortos* prætendi potuit *Ludovisianos*, atque inde etiam versus portam Salariam; sic ut partem superiorem collis Pincii planitiei adnecteret Quirinalis. Hi fuerunt arcus illi, me quidem judice, portæ Salariæ, de quibus in Actis S. Susannæ mentio fit, cum ajunt domum Gabinii, ubi nunc ipsa ecclesia est, fuisse *ad arcus portæ Salariæ, juxta ædes Salustii*.

In his ipsis hortis Fulvius ætate sua repetum marmor ait, cui inscriptum:

M. AVRELIVS. PACORVS. M. COCCEIVS. STRATOCLES.
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM. SALVSTIANORVM.
BASEM. CVM. PAVIMENTO. MARMORATO. DEANAE.
D. D.

Unde apparet in his hortis aut *templum Veneris*, aut *Sacellum* fuisse.

In *hortis Sallustii* Plinius lib. VIII. cap. XVI. principatu Augusti duos homines insolitæ staturæ sepultos tradit, altitudine denum pedum, & quadrantis, quæ mensura est nostrorum palmorum XIII. & unciarum VIII. quorum alteri *Pusioni* nomen, alteri *Secondillæ* fuerit. Addit Faunus ætate sua inter obeliscum, & viam, quæ ad portam Pincianam ducit, multa vasa effossa, plena ossibus, inter quæ & caput singularis fuit magnitudinis: unde hoc alteris de duobus istis fuisse, vulgo conjicitur, adeoque sepultos eos in parte hortorum superiore. Reliqua ossa quod attinet, hinc probare licet, plura ibidem mortuorum cadavera condi solita. Sed cur alio ad hoc indicio indigemus, quum ipse nobis Plinius idoneus hujusce rei testis sit? *Quorum corpora*, inquit, *ejus miraculi gratia in conditorio Sallustianorum asservabantur hortorum*. E quo conditorio magis adhuc perspicuum fit, *hortos Sallustii* ante Aureliani principatum extra urbem fuisse, quum intra urbem sepeliendi mos Romæ tunc temporis ignoraretur.

In Colle Pincio, sive Hortulorum, *Horti* quoque *Luculli* fuerunt: verum quod eos Rufus & Victor unanimiter in regione nona collocent, partem ejus collis, planitiei contiguam, nonæ regionis fuisse consequitur, & cum sexta confinem, eo in angulo, in quo cum septima conjungitur, verum humilius multo, inter utrumque collem scilicet, ut ex illa, quam subjecimus, tabella apparet.

Hortulorum autem *Collis* dictus est de plurimorum Antiquariorum sententia ab *hortis*, qui in ejus jugo erant, *Sallustianis*: forte & a *Lucullianis*. Veruntamen quomodo *Hortulorum* nomen in tam amplos & spatiosos ac plane regiæ magnificentiæ hortos quadrat, non video: rectius meo judicio, ac sensui communi convenientius fuerit, ab exiguis olitorum ac privatorum hortulis, qui magno numero colli ei subjacent, nomen illud derivatum, suspicari. Quin & hodie, quidquid loci inter *aream Trinitatis in montibus*, & *aream Populi* colli subjacet, quamquam ex parte maxima occupatum, *Hortorum Neapolitanorum* nomen obtinet, certo indicio, avorum nostrorum memoria nil isthic loci nisi hortos fuisse.

Fuit & *Pincius* appellatus, uti vulgo existimatur, a *Palatio* senatoris *Pincii*: quamquam plures sunt, qui negent. Anastasius in Silverio, Belisarium *in Palatio in Pincis* habitasse, refert, quamdiu Romæ vixit. *Palatii Pinciani* quoque apud Cassiodorum mentio exstat, qui nomine Theodorici lib. III. epist. x. Romanis scribit, ut Ravennam marmora *domus Pincianæ* olim deposita transmittant. Ecclesiæ *S. Felicis in Pincis* aliquoties Anastasius meminit, in primis autem in Benedicto III. *& in Ecclesia B. Martyris Felicis, quæ ponitur in Pincis, fecit vestem de fundato*. Martinellus existimat (nec infelici, ut arbitror, conjectura) nomen *Pincii*, & *Pincianæ*, Monti, Palatio, Portæque datum a bacillis, quibus S. Felix *ad portam Pincianam* interemptus est.



In Colle illo Antiquarii, ante hos annos centum, & quod excurrit, prægrande ædificium antiquum rotundum fuisse memoriæ prodiderunt, cujus hodie nullum vestigium superest; *Templum* hoc *Solis* fuisse censentes, verum sola conjectura ducti, absque ullo veri argumento. Forte & erravere illi, & cum Blondo *collem Hortulorum*, seu *Pincium*, veterem montem Quirinalem fuisse censuere: atque ita huic *templum Solis* adscripsere, quod Vopiscus ab Aureliano in Quirinali constructum refert.

Sed ut relicto Pincio ad Quirinalem revertamur, tempus est, de quo nonnulla adhuc dicenda sunt. *Campus Sceleratus* locus ad Collinam portam fuit, antrum, seu cavum subterraneum continens, in quo Virgines Vestales incesti damnatæ vivæ defodiebantur. Ad portam fuisse certum est, verum utrum extra urbem, an intra mœnia fuerit, inter Antiquarios non convenit. Qui illud intra mœnia fuisse volunt, quidquid inter hodiernam *portam Salariam*, & domum ac hortos Sallustianos interest spatii, ei assignant, ac si *Campi* nomen necessario arvi alicujus laxitatem requirat, (quum tamen hic nonnimis amplæ tantummodo areæ spatium occuparit) atque ita tacite concedunt, extra portam Collinam eum fuisse, ante Aureliani scilicet principatum. Præcipue vero Fulvius, quum illi locum ad portam editiorem tribuit. Verba ejus sunt: *Extat præterea, atque intra juxta proximam Salariam portam terrestre supercilium, quod vocatur tumulus, sive Campus Sceleratus*, &c. Juxta vero & intra portam fuisse præter ceteros clarissime ex Festo patet, lib. XIX. *Sceleratus Campus appellatur prope portam Collinam, in quo Virgines Vestales, quæ incestum fecerant, defossæ sunt vivæ:* & apertius adhuc, quam ut interprete indigeat, lib. XVI. *M. Cato in*

D *ea Oratione, quæ de Auguribus inscribitur, adjicit quoque Virgines Vestales sacerdotio exauguratas, quæ incesti damnatæ vivæ defossæ sunt, quod sacra Vestæ Matris polluissent, nec tamen licet nocentes extra urbem obruebantur, sed in campo proxime portam Collinam, qui sceleratus appellatur.* Idem & ipsissimis ferme verbis Servius dicit in VIII. Æneid. Nec aliter Dionysius Halicarnass. lib. II. *Ab hominibus pollutas turpi miserabilique puniunt morte. Nam vivæ extra missæ super feretrum ut mortuæ, deportantibus lugentibus & antecedentibus amicis & cognatis, & usque ad portam Collinam vectatæ intra muros in monumento ad id parato, sub terram cum apparatu mortuis consueto deponuntur*, &c. Tandem Plutarchus in

E Numa fusius adhuc supplicium illud describens ait: *At quæ virginitatem polluerit, viva juxta portam, quam Collinam vocant, defoditur, ubi est tumulus intra urbem terreus in longum porrectus, qui a Latinis vocatur agger. Hic est subterranea domus haud magna, in quam a superiore parte descensus est*, &c. Hinc colligi facile potest, tumulum, qui portæ Collinæ proximus, principium aggeris fuisse Servii Tullii; sub quo hæc domus fuit subterranea. Conveniunt cum prædictis illa Livii l. VIII. ubi Minutiæ Vestalis Virginis damnationem refert, & ad dextram portæ Collinæ, ubi agger ille incipiebat, locum illum fuisse indicat: *Facto judicio viva sub terram ad portam Collinam dextera via stratam defossa*

F *Scelerato Campo. Credo ab incesto id ei loco nomen factum.* Campus igitur Sceleratus intra portam Collinam fuit exire volentibus ad dexteram, id est, intra *villam Mandosiam*; domus vero subterranea in eadem villa erat, ad principium aggeris Tulliani. Illis vero, qui extra portam illam fuisse arbitrantur, mirum videri non debet, corpus pollutum ac

Sceleratum intra urbem defossum: siquidem tamquam sacrum violare id nefas habebant, nec occidere Vestalem virginem sustinebant; uti Plutarchus docet in Problematibus.

Sed ut tandem Quirinalem, & quæ in illo colle fuerunt, absolvamus, fuit in eo, & intra mœnia, *Pomponii Attici domus*, amici summi Ciceronis, ad quem ejusdem quoque Ciceronis exstant libri XVI. Epistolarum. Hic enim eam Rufus & Victor collocant; itemque Nepos Cornelius in ejus vita: *Domum habuit in colle Quirinali Pamphilianam ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed sylva constabat. Ipsum enim tectum antiquitus constitutum plus salis quam sumtus habebat: in quo nihil comutavit, nisi si quid vetustate coactus est.* Marlianus vicinam eam fuisse templo Quirini existimat, verum nullo adducto vel teste, vel argumento: nec mihi quoque aliqua conjectura verosimilis suppetit alia, quam quod Victor eam & Rufus statim post illud templum recenset. Quæ tamen quum perquam debilis sit, minime ei innitendum arbitror, adeoque suæ incertitudini illam esse permittendam.

E Prudentio discimus lib. I. contra Symmachum, in hoc ipso monte *Priapi* hortorum Dei fuisse *statuam* ex ære:

Ecce Deum numero formatus, & æneus adstat
Grajus homo, augustaque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti quondam dominus fuit agri,
Hortorumque opibus memorabilis: hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus, &c.

Ubi per *arcem* collem denotari ex hisce ejusdem libri liquet:

—— turbidus aer
Arcebat liquidum septena ex arce serenum.

Utrum vero *statua* hæc in ejusdem Dei templo, vel sacello aliquo fuerit, an in alterius numinis æde, vel Senaculo Matronali, alibive, conjicere difficile est, nec operæ pretium accuratius indagare.

Fuit & ibidem *Templum Fortunæ Primigeniæ*, quod bello Punico primo ex voto Q. Martium Triumvirum dedicasse refert Livius lib. IX. decad. III. & lib. IV. decad. IV. nec non lib. III. decad. V.

Ad *Albas Gallinas* in Victore & Rufo legimus: verum non hæc Liviæ Augustæ villa fuit, quam in via Flaminia fuisse ad IX. ab urbe lapidem supra vidimus. Quomodo tamen ea hic memoretur, non video: nihilominus & a S. Gregorio epistola LVI. lib. II. supra allata ejusdem hic fit mentio. Unde conjicere lubet, picturam, vel effigiem earum aliquam fuisse, quæ publico exposita vico alicui hujus regionis nomen dederit.

Quamquam autem regio hæc extra portam Collinam Exquilinæ regioni jungebatur, uti supra vidimus, ad viam Salariam, incertum tamen est, immo nec probabile videtur, ultra eam viam regionem hanc ad viam sese Flaminiam, aut ad Tiberim, extendisse. Quare maxime mihi rationi, veritatique conveniens videtur, hac eam via terminare: ita ut quidquid illi viæ usque ad planitiem ad sinistram fuerit, huic quoque regioni adjudicetur, adjungaturque.

In via Salaria *monumentum Comitis Herculis* fuisse Suetonius docet in Vespasiano cap. XII. *Quin & conante quodam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, Comitemque Herculis, cujus monimentum exstat via Salaria, referre, irrisit ultro*, &c. Quod qua parte viæ Salariæ fuerit, & ad quam referendum sit regionem, ignoratur: ego vero hic illius facere mentionem volui, quod huic mihi regioni videretur proximum fuisse: sed incerta, ut multa alia, conjectura.

Quam Victor & Rufus *aream Callido* tribuunt, eam Notitia Imperii *Candido* cuidam assignat; quem Pancirollus *Vespronium Candidum* fuisse existimat, qui sub Trajano & Hadriano ter Consul fuit: cujus & mentio fit a Plinio Cæcilio lib. V. epist. XX. vel illum *Candidum*, ad quem *lex* IV. *Cod. de Delator. l.* X. Imperatoris Philippi, vel IV. *Cod. de Testibus* Diocletiani missa est: vel *Flavium Candidum*, de quo Paulus JCtus loquitur *l. Si ita stipulatus §. Chrysogonus ff. de verb. oblig.* Hæc, ut incerta, cujusque relinquo arbitrio dijudicanda. Cujuscunque autem area fuerit, illius etiam fuisse *Vicus*, a Rufo *Callidianus* apellatus, videtur.

Extra eandem portam *Suburbanum* quoque *Martialis* fuisse Donatus existimat, non longe a Sacello Quirini. Fundus ei hujus opinionis epigramma est XXIX. lib. X.

Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, Sancte Quirine, lares, &c.

Verum omissa illa controversia, utrum *Sacellum* Quirini extra urbem fuerit, an intra portam, quod a Festo non exprimitur, qui illud tantummodo *proxime eam* fuisse dicit, Martialis hic primo tantum versu de suburbano loquitur: altero vero de ædibus suis, quas voce *Lares* nimisquam aperte denotat. Hæ autem Quirino vicinæ fuere, ut suo loco ostensurus sum. Non negaverim tamen in versibus proxime præcedentibus eum indicare, suburbanum non minus, quam ipsas ædes, editiore loco fuisse:

—— Nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi, quando dies meus est, jactamur in alto
Urbis, & in sterili vita labore perit.
Dura suburbani, &c.

Verum quo celsiore Romani agri situ id fuerit; non explicat.

Inter viam Salariam & Tiberim *Nemus* fuit, ubi *festa Lucaria* celebrantur. Festus: *Lucaria Festa in luco celebrant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo, quod victi a Gallis fugientes e prœlio ibi se occultaverunt.* Ea nonnulli illa ipsa fuisse opinantur, quæ Kal. Febr. celebrari solita ab Ovidio memorantur, II. Fastor.

Tum quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

Ubi in præstantioribus codicibus non *Asyli*, sed *Averni*, legitur. Verum epitheton ab *advena*, quod flumini Ovidius tribuit, situm istius luci illic collocare videtur, unde Tiberis Romam defluit. Tum nec dies ille, quo Romani a Gallis cæsi fugatique sunt, primus fuit Februarii, verum XVIII. Julii: quo die, ut & XX. *festa Lucaria* in veteri Kalendario adnotata leguntur.

Ad confluentes Anienis & Tiberis, qui proxime pontem Salarium fuere, *Nemus Annæ Perennæ* a Cluverio constituitur, lib. V. *Italiæ Antiquæ*. Juxta Tiberim fuisse, priusquam urbem attingeret, Ovidius indicat lib. III. Fastor.

Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.

Conspici etiam e Suburbano Julii Martialis potuisse, quod in Janiculo fuit e regione Pontis Milvii, Martialis refert epigr. CXLVI. lib. I. ubi inter alia prospectui hujus villæ exposita loca etiam *nemus* hoc commemorat:

Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

Verum utrum exacte in angulo confluentium istorum fluminum fuerit, an vero in proximo, a nemine indicatur. Alterum tamen verum conjicere licet; siquidem festum illic celebratum in memoriam istius Annæ creditum est, quæ in monte sacro plebi, quæ in illum secesserat, cibos subministravit, ut est apud Ovidium: nam hoc pacto nemus illi monti vicinum fuisse necesse est; non tamen trans Anienem fuit; nam Martialis id aqua Virgine irrigatum fuisse tradit: unde vel in ipso angulo fuit ad confluentes, vel saltem non procul inde remotum. A

B

CAP. VIII.

Regio VII. *cui Viæ Latæ nomen.*

EAdem serie tractuve *Altæ Semitæ* secuti regionem, in illam *viæ Latæ* pergimus: quæ ordine septima radicibus, sive imis Quirinalis, subjacebat. Hoc autem illa modo a Sexto Rufo recensetur.

Regio Via Lata. C

Vici XL.
Vicus Ganymedis.
—— *Gordiani minor.*
—— *Novus*, alias *novos.*
—— *Caprarius.*
—— *Solis.*
—— *Gentianus.*
—— *Sangi*, alias *Sanci.*
—— *Herbarius.*
—— *Mansuetus.*
—— *Sigillarius minor.*
—— *Solatarius.* D
—— *Fortunæ.*
—— *Spei majoris.*
—— *Novus ulterior.*
—— *Libertorum.*
—— *Publii*
—— *Novus citerior.*
—— *Statuæ Veneris.*
—— *Archemorium*, alias *Archemonium.*
—— *Æmilianus.*
—— *Piscarius.*
—— *Cælatus.*
—— *Victoriæ.*
—— *Vicinus.*
—— *Græcus.* E
—— *Lanarius ulterior.*
—— *Pomonæ.*
—— *Caput Minervæ.*
—— *Trojanus.*
—— *Peregrinus.*
—— *Castus.*
—— *Minor.*
—— *Putealum.*
—— *Scipionis.*
—— *Junonis.*
—— *Sellarius.*
—— *Isidis.*
—— *Tabellarius.*
—— *Mancinus.*
—— *Lotarius.* F
Lacus Ganymedis.
—— *Pertusus.*
Arcus Gordiani.
—— *Novus.*
—— *Veri & Marci Augustorum.*
Nympheum Jovis.
Ædicula Capraria.
Campus Agrippæ.
Templum Solis.
Castra Gentiana.
—— *Gypsiana.*
Porticus Constantini.
Templum novum Spei.
—— —— *Fortunæ.*
—— —— *Quirini.*
Sacellum Genii Sangi.
Cohortes VII. *Vigilium*
Equi Ænei Tyridatis.
Forum Suarium.
—— *Archemorium.*
Horti Argiani.
Pila Tiburtina.
Lapis pertusus.
Insulæ IIIMCCCLXXXV.
Domus CXX.
Horrea XXV.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Vicomagistri CXX.
Balineæ privatæ LXXX.
Pistrina XXVII.
Lacus LXXVI.
Regio continet in circuitu.
Pedes XIIIMDCC.

A Publio Victore ita describitur:

Regio VII. Via Lata.

Lacus Ganymedis.
Cohortes VII. *Vigilum, aliter primorum Vigilum.*
Arcus novus.
Nympheum Jovis.
Ædicula Capraria.
Campus Agrippæ.
Castra Gentiana, aliter *Gypsiana.*
Porticus Constantini.
Templum novum Spei.
—— —— *Fortunæ.*
—— —— *Quirini.*
Sacellum Genii Sangi.
Equi Tyridatis.
Forum Suarium.
—— *Archemonium.*
Horti Argiani.
Pila Tiburtina.
Ad Mansuetos.
Lapis Pertusus.
Vici X.
Vicomagistri XL.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIIMCCCLXXXV.
Domus CXX.
Horrea XV.
Pistrina XVI.
Balineæ privatæ LXXV.
Regio in ambitu continet
Pedes XIIMDCC.

In recentiore Victore adjiciuntur:

Arcus Gordiani junioris.
—— *Veri & Marci Augustorum.*
—— *Templum Solis.*
Equis Tyridatis additur *ænei.*
Insulæ dicuntur IIIMCCCLXXXV. alias IIIIMCCCLXXXV.
Pistrina XVII. alias XVI.
Ambitus regionis pedes XIIIMDCC. alias XIIMDCC.

Notitia Imperii ad hunc eam modum describit:

REGIO VII.

Via Lata continet lacum Ganymedis, Cohortes VII. *vigilum, Arcum novum, Nympheum Jovis, Ædiculam Caprariam, Campum Agrippæ, Templum Solis & Castra, Porticum Gypsiani & Constantini; Templa duo novæ Spei & Fortunæ, Equum Tyridatis Regis Armeniorum, Forum Suarium, Hortos Largianos, Mansuetos, Lapidem pertusum. Vici* XV. *Ædiculæ* XV. *Vicomagistri* LXVIII. *Curatores duo, Insulæ tria millia octingentæ quinque. Domus* CXXX. *Horrea* XXV. *Balnea* LXXV. *Laci* LXXVI. *Pistrina* XV. *Continet pedes quindecim millia septingentos.*

Tandem adjungit his Panvinius:

Templum novum Fortunæ, *cum porticu a Lucullo conditum, in quo erat statua Minervæ facta a Phidia, posita a Paulo Æmilio.*
Domus Martialis.
Regio dicitur continere pedes XXIIIMDCC.

Merula adjecit:

Domus Novii Microscopi.
Sigillaria.
Templum Isidis exoratæ.

Ego vero addiderim;

Pyrus.
Septa Agrippinæ.
Balneum Stephani.
Sepulcrum C. Poblicii.
—— *Claudiorum.*
Æmiliana.
Diribitorium.
Porticus Polæ.
Templum Fortunæ Reducis:
Arcus Domitiani.

Regionem hanc a planitie *areæ Grimanæ*, ubi Circus Floræ fuit, inchoasse constat. Hinc inter viam *B. V. Constantinopolitanæ*, quæ in declivitate est *collis Hortulorum*, & hodiernos *Hortorum Papalium* muros, qui ad ima Quirinalis sunt, ad fontem *Trevium* descendebat. Inde rursus secundum veteres muros Quirinalis inter *hortos* & *palatium Columnensium* ad ædem *B. V. Lauretanæ*, & *Macellum Corvorum*, usque ad ima Capitolii perveniebat: sub cujus substructionibus retrorsum flectens, atque sinu quasi suo viam Latam complexa, ad ecclesiam *Jesu* tendebat, inter *Collegium Romanum* & *ædem Minervæ*: unde regressa versus *fontem Trevium* ad angulum *collis Hortulorum* pergebat, prope *Cloacam Bufali*, inde vero juxta radices collis ad *aream Grimanam* revertebatur.

CAP. IX.

Ædificia Regionis inter Aream Grimanam & Aream Sciarræ.

Circo Floræ, quem in *area* fuisse *Grimana* supra diximus, vicina fuit *Pila Tiburtina*, ut e Martiali videre est, l. v. Epigr. XXIII.

Nam Tiburtinæ sum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Quæ quum in regione septima fuerit, necesse est

A ut ad *aream Grimanam*, sive in ejus limite extiterit, prope declivitatem illam, quæ ad *fontem Trevium* ducit: ubi & confinium esse debuit utriusque regionis sextæ & septimæ. Dato igitur, statutoque, *viam Felicem* hanc ab illa regionem dirimere, in ea, vel in ejus saltem vicinia, inter duarum viarum *Rosellæ* & *B. V. Constantinopolitanæ* capita, seu principia, *Tiburtinam pilam* fuisse existimo: cui, uti Donatus opinatur, vel a *Tiburtino* lapide, unde constructa fuit, nomen obtigit, vel a *Tiburtinis* illuc convenire solitis, ad divendendos agrorum hortorumque suorum fructus. Ipsa vero pila deinde universo vico denominationem

B impertivit. Quare & *Martialis domus*, ei vicina, & ipsa in primo clivo fuit inter aream & descensum: unde in subjacentem Campum Martium, laurosque in eo Vipsanas largissimus ei prospectus fuit, ut ipse lib. I. Epigr. CLXXVIII. testatur:

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

De quibus plura suo loco.

Locus ipse, ubi Martialis habitabat, vulgo *Pyrum* appellabatur, ut ipse lib. I. epigr. penultimo indicat:

C *Non est quod puerum, Luperce, vexes:*
Longum est, si velit ad Pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis, &c.

Vicinus vero ei fuit *fons Aquæ Martiæ*: ut ex epigr. XIX. lib. IX. discimus, quo in usum domus suæ aquam a Domitiano petit:

Sicca domus queritur nullo se rore foveri:
Cum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Hic & locus fuisse Donato videtur, cui *Ficeliæ* nomen, a *ficu vel sculpta, vel picta, vel sata nun-*

D *cupatæ*, ut ipse existimat. Ibi enim Nepotem habitasse idem Martialis indicat lib. VI. epigr. XXVII. quem vicinum suum vocat:

Bis vicine Nepos: nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias.

Verum ut aperte, & absque dissimulatione dicam, quod sentio, Martialis illic de duplici agit vicinia, cum ait, *Bis vicine Nepos*: quod in uno loco, vicove fieri, factumve fuisse, vix verisimile est. Quare prima vicinia fuit domus ad Floræ Circum, ut ipse exponit Martialis, &, quoniam libro IX.

E epigr. XIX. unicam tantum se domum in urbe habere Domitiano indicat, unumque exiguum suburbanum,

Est mihi, sitque, precor, longum te præside, Cæsar,
Rus minimum; parvi sunt & in urbe lares:

altera non alia esse potuit, quam *in Ficeliis*, ruris illius suburbani. Sic ut *in Ficeliis*, (qui locus, ubi fuerit, ignoratur) Nepos & Martialis vicina habuerint prædia, in urbe vero domos.

Vicinum Pilæ Tiburtinæ *Templum Quirini* fuerit, necesse est, cum idem Martialis l. X. dicat:

F *Vicinosque tibi, Sancte Quirine, Lares.*

Non autem vetus illud *Quirini* in Quirinali, verum aliud fuit novum, quod Augustus fecit, & LXXVI. columnis exornavit: qui numerus idem ei postea annorum ætatis fuit, uti Dio refert lib. LIV. Victor & Rufus in hac regione *templum novum Quirini* collocant, quod illud fuisse Augusti probabile est, quia nulla usquam alterius a quoquam post Augustum vel dedicati, vel restituti *Templi Quirini* mentio extat. Tum & Vitruvius, ubi in-

ter templum Quirini & Circum Floræ officinas fuisse minii tradit, id ipsum templum Pilæ Tiburtinæ, & Martialis ædibus vicinum ostendit, adeoque in inferiore limite *areæ Grimanæ*. Idem Vitruvius lib. III. cap. I. *Templi Quirini* meminit operis Dorici, architecturæ, quæ *dipteros octastylos* appellatur. Utrum vero hoc, de quo agimus, innuat, an quod aliud vetustius, explicare certo nequeo. Fuit & in propinquo *Balneum Stephani*, de quo idem Martialis lib. XI. epigr. LIII.

Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me:
Conditio melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare; lavabimur una:
Scis, quam sint Stephani balnea juncta mihi.

Conjunctæ etiam potius, quam vicinæ, domui Martialis *Novii Microscopi ædes* fuerunt. Liquet hoc ex epigr. LXXVII. lib. I.

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.

In descensu versus *fontem Trevium Forum* occurrit, & *Vicus Archimonius*, de quibus Victor & Rufus. Fuere illa in eo tractu, locove, ubi nunc est Ecclesia *S. Nicolai*, cui cognomen *a capo le case*, seu *ad caput ædes*. Ita sane plerique omnes, nec male, sentiunt Antiquarii. Ea namque Ecclesia sequioribus seculis *de Archimoniis* inde appellata fuit, uti Marlianus, Fulvius, Maurus, & ceteri omnes testantur.

Paulo inferius ad ipsum *fontem Trevium* non *vetus fons* fuit, ut omnes credidere, *aquæ virginis*; adducti in hanc sententiam, quod ille nunc ibidem conspiciatur, imo nec *Juturnæ templum*, nec *septa*, quæ illi vicina fuerunt. Validissime id demonstratur ex ipso Rufo & Victore, qui ea non in hac ponunt regione, verum in nona: quæ si *fonti Trevio* juncta fuisset, septimam hanc inter *aream Grimanam* & *Treviam* inclusisset, ita ut ad *viam Latam*, unde denominata est, ne pervenisset quidem. Adhæc nil manifestius his Frontini verbis lib. I. de Aquæductibus: *Arcus Virginis initium habent sub hortis Lucullianis, finiuntur in Campo Martio, secundum frontem septorum*. Hos vero arcus ad *fontem Trevium* desiisse, existimandum non est, siquidem eousque aquæductus continuo cursu vadit subterraneus: verum inde incepisse, ubi horti fuerunt Luculliani: qui eapropter non in editissimo Pincii fastigio fuisse arguuntur, ubi nunc *horti* sunt *Medicæi*; (quæ erronea quorundam sententia est:) sed in angulo collis, qui omnino retro *fontem Trevium* est, retroque *Cloacam Bufali*, sive Ecclesiam *S. Andreæ delle Fratte*, versus Ecclesiam & Monasterium *S. Josephi*; fortean & ulterius: ex quo angulo pulcherrima pars Campi Martii, Quirinalis, & Capitolii, prospectui hortorum Lucullianorum patebat. Sub hoc igitur angulo *Arcus aquæ Virginis* incipiebant, ab Agrippa in urbem deductæ in usum Thermarum suarum, hortorumque, & stagni, ac tandem in publicos usus totius civitatis. Hi Arcus a *fonte Trevio* per *aream Sciarram* ad Campum Martium, & Thermas Agrippæ, secundum aditum Ecclesiæ *S. Ignatii* pergentes, finiebantur, ut suspicor, inter *Cœnobium Minervæ*, ac *Seminarium Romanum*: ubi *septa* fuisse ostendemus: & hic circiter Castellum ejus fuerit, necesse est, in quo in varios usus distribuebatur. Verum ne hæc cuiquam vana somnia videantur, vestigia ejus exhibebo. Aquæductus ille arcuatus, qui a Donato affertur, & delineatus ostenditur, uti in fundamentis frontispicii Ecclesiæ *S. Ignatii* repertus fuit, marmore incrustatus, columinisque striatis operis Corinthiaci cum epistyliis marmoreis, & loculis statuarum, quorum amplitudo quatuor palmos latitudinis, & septem altitudinis continebat, non fuit aquæductus soli templo Matidiæ inserviens (quippe cui fistula plumbea suffecit dimidium palmum in diametro larga, effossa, ut ipse testatur Donatus, prope Pantheon cum inscriptis hisce literis, IN TEMPLO MATIDIÆ:) verum ductus fuit aquæ Virginis, majoris scilicet illius rami, ut alibi dicetur: quos arcus a radicibus *collis Hortulorum* usque ad *Seminarium* pertendisse, supra ex Frontino vidimus. De columnis ejus & statuis audiendus Plinius l. XXXVI. cap. XV. Agrippa vero in ædilitate sua adjecta aqua Virgine, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus DCC. fecit: præterea salientes CV. castella CXXX. plurima cultu magnifica. Operibus iis signa CCC. ærea, aut marmorea imposuit; columnasque addidit ex marmore, eaque omnia annuo spatio. Quæ columnæ, statuæque, non minus ipsis aquæductuum arcubus, quam fontibus & lacubus, ad ornatum additæ fuisse existimandæ sunt. Eorundem Arcuum a Claudio Imp. restitutorum vetus inscriptio testis est, a Fulvio, Marliano, aliisque allata; qui eam in *ædibus* & *hortis Angeli Colotii* ad *fontem Trevium* extitisse referunt. Atque eccam:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS
GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTES
V. IMP. XI. P. P. COS. DESIGN. III. ARCVS. DVCTVS
AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CAESAREM
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC.
RESTITVIT.

Maurus eam super Arcum antiquum istius aquæductus fuisse asserit, & a se conspectum. En tibi ipsissima verba ejus: *Ubi aream intraverit ædium D. Jacobi Colotii da Jesi, adversus januam arcum antiquum conspicies e lapide Tiburtino aquæ Virginis, longum decem ulnas; in cujus medio inscriptio hæc vetus legitur*, &c. Nec aliter Fulvius, qui diu ante eum hæc de eo literis mandavit: *Attollitur sub colle hortulorum lapidea forma, ubi hujusmodi legitur inscriptio*, &c. *in hortulo nunc nobilis atque eruditi viri, Angeli Colotii*, &c. Hic igitur *Arcuum aquæ Virginis* caput fuit; in ecclesia vero *S. Ignatii* illos desiisse dicendum. Quoniam vero necessario locum illum pertransibant, ubi nunc ecclesia est *S. Mariæ in Fornica*, (quod ei cognomen a fornicibus, seu arcubus hujus aquæductus, non autem a via fornicata datum esse agnosco, quæ via fornicata longe inde abfuit, ut alibi docebitur) omnino persuasum habeo, Augustum in ea, quam fecit, regionum divisione, septimam ab occidente primum *colle Hortulorum* terminasse, ac dein flexu, ambituque aquæductus hujusce arcuati, qui ab angulo istius collis eousque procurrebat, ubi hæc regio commode desinere poterat.

Templum Solis, a Rufo hac in regione collocatum, (nisi hoc forte ab aliena manu est, quod tamen mihi minime probabile videtur, quia multo verosimilius regioni sextæ *Altæ Semitæ* auctoritate Vopisci in Aureliano adscriptum fuisset, qui illud in Quirinali collocat) ab Aureliano dedicatum videtur non in fastigio montis, sed in declivitate ejus, frontispicio in planitiem obverso, postquam ille veteres urbis muros solo æquaverat. Accedit huic opinioni pondus ex ipso Rufo, qui non modo *templum* hoc, sed etiam *vicum Solis* in hac regione recenset: unde error ille manifesto elucescit plerorumque omnium, qui partem ædificii veteris, quod in *hortis Columnensibus* extat, hujus fuisse templi residuum existimarunt. Exactum porro situm ejus hactenus conjectura assequi non potui: hoc tantum afferre licet, in aliqua illud Quirinalis

declivitate fuisse, quæ *hortis*, *palatiove Papali*, vel *hortis Columnensibus* subjecta fuit. A Vopisci de eo verba sunt in Aureliano: *Romæ Solis templum posuit majore honorificentia consecratum, quod orientis victor hostili præda ditavit, ornavitque*. De spoliis autem in templo suspensis hæc subjungit: *Tunc illæ vestes, quas in templo Solis videmus, consertæ gemmis, tum Persici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ, quod postea nec ulla gens detulit, nec Romanus orbis vidit*. sic & de porticu: *In porticibus templi Solis fiscalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, sed pretio*. Unde Donatus ingentis eam porticum longitudinis fuisse conjicit: verum si vina illic fiscalia tantum, B hoc est de reditibus Imperatoris, vendita fuerint, non opus est tantæ sibi molis atque amplitudinis porticum imaginari: quoniam prout spatium loci ferebat, vina illic sensim, ac per temporum vicissitudines, illata sunt. Ego vero aliam inde conjecturam formo, existimoque, quia illic vina vendita fuerint, non in colle porticum, sed in planitie potius fuisse, quo non ita difficulter atque laboriose deferri poterant, faciliusque ab emtoribus adiri.

Pars earum rerum, quæ hoc capite enarrata sunt, in tabula cap. VII. delineata, oculisque subjecta est. C

CAP. X.

Altera Areæ di Sciarra pars usque sub Capitolium.

HUc usque se vetus *via Lata* in longitudinem porrigebat: nam trans *aream di Sciarra* nomen *Flaminiæ* accipiebat. Ædificiorum ejus aliqua hodieque supersunt residua; quorum unum in equili conspicitur *Palatii S. Marci*, cui Paulus II. quatuor cellas concameratas inædificavit, hortum pensilem intra ambitum suum includentes D pomorum aurantiorum. Alia sunt in *Palatio Aldobrandino*, quod ædi *B. V. in via Lata* conjunctum est. In eo ingens fornix antiquus atrium sustinet: frustaque alia murorum, quum secundum compluvium deprimeretur, ante equile, nuper detecta sunt. Sub hac æde prædicta durat etiamnunc sanctissimum cœnaculum, in quo DD. Petrus, Martialis, Paulus, & Lucas commorati sunt, pererudito commentario celeberrimi Fioravantis Martinelli illustratum. Ubi nunc Ecclesia *S. Marcelli* est, eadem via, *domum* olim *S. Lucinæ* fuisse, in cujus equili S. Marcellus Papa supremum vitæ E diem clausit, Anastasius, Baronius, Ciacconius aliique memoriæ prodidere. Nonnulli illic *templum Isidis* fuisse volunt, ex inscriptione antiqui marmoris, in quo TEMPLVM ISIDIS EXORATAE legebatur: quorum opinionem Rufus confirmat, qui in hac regione *vicum Isidis* constituit. Verum in hoc marmore *templum Isidis Exoratæ* memoratur, at non celeberrimum illud, absque cognomine, quod Victor in regione nona collocat, de quo illic pluribus. Nil tamen vetat, quominus hic, aut in proximo, *templum Exoratæ Isidis* fuerit, uti Merula volebat: nam eo ferme situ ad Ecclesiam *S. Marcelli* anno MDCXVII. quum F fundamenta Monasterii illius ab eo latere effoderentur, quod *viam Cursus* attingit, veteris templi residuum repertum fuit; quod cui Deo sacrum fuerit, incertum est: at si *Isidis Exoratæ* fuisse censeatur, *vicum Isidis* haud procul ab illa via abfuisse oportet, per quam a *fonte Facchino* ad *aream SS. Apostolorum* itur.

Tres hac in regione *Arcus* a Rufo nominantur. Primus est *Gordiani*: alter *novi* cognomen obtinet, qui & apud Victorem invenitur: tertius *Veri & Marci Augustorum*: quos nusquam nisi in via Lata fuisse verisimile est. In hac enim duo adhuc eorum residua fragmenta avorum nostrorum memoria visa sunt, si qua Antiquariis fides: alterum ante Ecclesiam *D. V. in via Lata*, solo æquatum ab Innocentio VIII. cum ædem eam instauraret. De hoc Fulvius: *Cujus ornamenta marmorea erui nuper vidimus cum tropæis barbaricis; haud dubie posteriorum esse Imperatorum ex ornatu apparet*. Marlianus addit, potuisse tantum in duobus fragmentis legi VOTIS X. & VOTIS XX. unde facilis conjectura duci potest, illud non fuisse opus Gordiani, ut quidam existimavere, quum is tantum sexennium imperio potitus sit, atque ita *votis Vicennalibus* locum non fecerit. Fortean is Arcus Veri & Marci fuit; qui plusquam decennium imperium tenuere: nisi quis Fulvio malit credere, qui *haud dubie posteriorum Imperatorum* fuisse *ex ornatu* asserit. Quare ego potius *Arcum novum* fuisse crediderim: ita tamen, ut certius quid conjectanti libens accedam. Fuit & alius Arcus in summa *area di Sciarra* ad eam viam, quæ aream illam transiens ab *area Petræ* ad *Fontem Trevium* ducit. Sed rectus aquæductus ab Agrippa facti tractus a *fonte Trevio* ad ædem *S. Ignatii* (secundum quem processisse limitem hujus regionis dixi) arcum hunc ex hac excludere regione videtur, & regioni potius nonæ Circi Flaminii addicere: qua de re luculentius, in illius regionis agemus expositione. Hoc tamen hic animum advertere licet, *viam Latam*, præ ceteris, arcubus quam plurimis triumphalibus enituisse.

Quin & addi fortassis hisce alius etiam *Arcus* possit, in extrema hac eadem via ad portam in honorem *Domitiani* erectus, haud procul a *Macello Corvorum*: prope quem arcum egregium & magnificum *Fortunæ Reducis templum* conditum fuisse, Martialis indicat l. VIII. epigr. LXIV. alias etiam allato:

Hic, ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat, &c.

Ubi, quum Domitianum illic in triumphantis modum e Germania revertentem magno omnium applausu exceptum dixisset, arcum hunc ibidem structum subjungit:

Grande loci meritum testantur & altera dona;
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.

Arcum vero, & templum istud, alicubi extra urbem fuisse, optimis & eruditis Donatus argumentis asserit: ut mihi quidem videtur, ad portam viæ Latæ: cum quod illa via, uti dixi, arcubus abundarit; tum quod idem Martialis eadem via exspectatum Domitiani victoris felicem adventum dicat, lib. X. epig. VI.

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois, sideribusque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando Eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit una Venit?

Sed hæc divinantis sunt, non affirmantis: quare, si cui alia porta triumphanti Imperatori commodior aptiorve excogitari potest, ad eam sibi & arcum, & templum hoc posita fingat licet, ac imaginetur.

Quin *Forum Suarium* ad ima Quirinalis fuerit, nemo amplius dubitat, nimirum ad Eccles. quæ nunc *Lucensium* est, & antehac *Capuccinorum*: ibidem enim hodieque exstat Ecclesia vetus, olim *S. Ni-*

colai in Porcilibus, & *in Porcis* appellata; quamquam ei cognomen a *porcis*, illic divendi solitis, recentioribus venisse temporibus videri potest. Nam post Gothorum, barbarorumque bellis illatam urbi vastitatem, fora pleraque loco, situque variata sunt; & inprimis Forum maximum, & celeberrimum urbis, in *campum* vertit *vaccarum*. Attamen quod ecclesia illa *S. Nicolai in Porcilibus* in illa ipsa regione existat, in qua olim *forum Suarium* fuit, multum inde roboris unanimi eruditorum accedit conjecturæ. Idem forum etiam *Syarium* dicitur in veteri Inscriptione a Panvinio producta:

DOMINO. NOSTRO
FL. CLAVDIO. CONSTANTINO.
FORTISSIMO. AC
BEATISSIMO. CAESARI
FL. VRSACIVS. V. P.
TRIBVNVS. COHORTI
VM. VRBANARVM.
XXI. ET. XII. ET. FORI
SYARI.

Hinc & lux nonnulla liquidior fœnerari possit illi ædificio, cujus residua pars exstat ad prædictam illam ecclesiam in *hortis Columnensibus*, quod Antiquarii male *domum* fuisse *Cornelii* censuerunt, qua de re supra nonnihil in præcedente regione dixisse memini. Serlius, qui ejusdem lib. III. Architecturæ nobis ichnographiam dedit, tamquam porticum illud nobis exhibet, cum geminis a latere gradibus perquam magnificis, ab imo colle in summum ducentibus: quos post Aurelianum structos fuisse oportet, quod vetera illis alias mœnia obstitissent. Porticus illa forte foro Suario inserviit, & gradus illi ex eo foro ad thermas Constantinianas aditum dedere: e quo gemini regiæ magnificentiæ gradus ad prægrande ædificium ipsi conjunctum tendentes a Serlio effinguntur, interque gradus loca, spatiave negotiatoribus commoda. Augetur hæc opinio, quod ab ipso Præfecto inscriptio in honorem Constantini posita legitur. Quum vero Rufus & Victor in eo consentiant, ut hac in regione *porticum Constantini* constituant, (quæ quo loco fuerit, incertum est) non inanis mihi futilisve videtur esse conjectura, existimantis, in foro Suario porticum hanc a Constantino in usum mercatorum positam: additosque magnificos illos gradus, ut ita commodus in thermas suas in summo clivo ipsi conjunctas ascensus esset. Videtur ea conjectura non parum confirmari hisce Constitutionis Joannis III. *Quoniam primitiva*, quam Martinellus, uti dixisse memini, aliorsum attulit: *Placuit mihi Joanni urbis Romæ humillimo Pontifici Ecclesiam duodecim Apostolorum consummare, quam Pelagius prædecessor meus ante palatium Constantii initiavit*, &c. ubi palatium Constantii post *Ecclesiam* XII. *Apostolorum* esse dicitur, *in foro Suario*: atque hinc conjectura merito ducitur, prope illud Palatium porticum quoque a Constantino factam, gradusque ad Thermas: nisi quis hic morem inferioris ævi considerandum existimet, quo quodvis insigne ædificium *Palatii* nomine denotabatur; atque ita porticum ipsam Constantini *Palatium* appellatum: non secus ac forum Trajani apud Martinellum in *Roma Sacra* p. LXVI. *palatium* nominatur; atque item Circi Flaminii rudera idem nomen obtinuerunt, atque hodieque *S. Catharinæ Funariorum* ædes *in Palacinis* vocitatur.

Fuerunt ex Antiquariis, qui ingentes illos duos *equos* marmoreos, qui in Quirinali ante *Palatium Papale* conspiciuntur, Tyridatis fuisse regis Armeniæ, qui Principatu Neronis Romam venit, existimavere: at hos ab illis, quo Rufus hic commemorat, diversos Donatus ostendit, siquidem hi *ænei* a Rufo dicuntur: nisi forte in eo Rufus corruptus sit: quod minime probabile est. Non enim alii in urbe ænei equi fuerunt, qui Rufi descriptorem movere potuerint, ut *æneos* pro *marmoreis* poneret. Quare eos vel diffractos, fususque fuisse dicendum est, vel inter innumeras alias statuas, ac monumenta urbis ænea a Constantio nepote Heraclii Imp. Constantinopolitani asportatos. Auctor Notitiæ Imperii dignitatum *Equum Tyridatis* hic singulari numero recensens eo ipso satis ostendit, quam parum accuratus in urbis Romæ describendis fuerit rebus notabilibus. Victor vero & Rufus, cum *equi* scripsere, currum quoque a Nerone Tyridati de more positum indicare videntur.

Ubi *Campus Agrippæ* fuerit, inter Antiquarios non convenit. Quidam ei locum tribuunt, ubi nunc Pantheon est, sed insigni errore. Pantheon enim ab illo in Campo Martio conditum fuit: eaque de causa a Rufo & Victore inter ædificia regionis nonæ refertur: at *Campus Agrippæ* in hac septima. Donatus, dubitanter tamen, ad *Fontem Trevium* illum collocat: in quo non discedit a verosimili. Nam & *Porticus Vipsanii*, & *septa*, & *diribitorium*, aliaque plura illic fuisse existimantur. Verum præterquam quod nihil isthic illorum situm fuit, ut in regione IX. ostendemus, non sequitur, ubi *porticus Vipsanii* fuerit, illic & illius *campum* fuisse. Agrippa, ut animi maximi erat, ac plane regii, omnem, quam longa lataque fuit, adjacentem Campo Martio planitiem, exornare cupiit. Nam & aquam illuc Virginem duxit, & Thermas fecit, & Pantheon, Hortos, Porticum, & Diribitorum; instauravit ac restituit Septa vetera, & in aliqua planitiei parte alium campum fecit, aperuitque, suo de nomine appellatum; ac nova ibi fecit Septa: quæ in ipso illius Campo fuisse perquam probabile est: sicut contra ea vix credi queat omnia hæc ædificia alibi constructa, ita ut, quemadmodum reliqui duo *Campi*, *Martius* & *Minor*, teste Strabone, porticibus, aliisque ædificiis, fuere ornatissimi, ita ipsius solus his caruerit Campus ornamentis; idque in tanta ac tam stupenda monumentorum ab eo erectorum copia. Satius igitur meo judicio fuerit statuere, partem horum aliquam in ipsius Campo fuisse, quem non sine singularis alicujus usus respectu ab Agrippa factum credibile est. Hunc autem fortasse inferius investigando reperiemus.

Situs ejus in hac regione duobus, iisque amplissimis, locis esse potuit, in quibus aliquod privatum fuisse ædificium, quod ea loca occuparit, nusquam legitur. Alter eorum ad manum dextram *viæ Latæ* est sub Quirinali, ubi nunc *Palatium* est *Columnensium*, & *Area SS. Apostolorum*: alter ad sinistram ejus viæ inter *Collegium Romanum* & *Capitolium*. De quibus, cum e vicinia duorum reliquorum Camporum, tum e proximis ædificiis Agrippæ ceteris, quid propius vero sit, mox videbimus.

Septa Agrippina, *Diribitorium*, & *Porticus Polæ* sine dubio hic fuerunt, quippe Campi Agrippæ ornamenta. De *Porticu* res certa est e Dione, lib. LV. *Sed porticus, quæ erat in campo, quam ædificabat Pola ejus soror, quæ cursus equorum ordinabat, nondum fuit perfecta*. De utroque vero, & *Porticu*, & *Diribitorio*, mox idem Dio subjungit: *Et ipse Augustus publicavit Campum Agrippæ excepta porticu. & diribitorio*; quæ exceptio tam *diribitorium* campi partem fuisse probat, quam *porticum*. De *septis Agrippinis* confici aliquid e Lampridio potest, qui illa in Alexan-

Alexandro non in Campo Martio ponit, ſed in vicinia, Imperatorem illum dicens animo agitaſſe Baſilicæ ædificationem inter *Campum Martium* & *Septa Agrippina* pluſquam cxc. noſtrarum perticarum: *Baſilicam*, inquit, *Alexandrinam inſtituerat inter Campum Martium & Septa Agrippina in latum pedum* c. *in longum pedum mille: ita ut tota columnis penderet*. Quod ſi igitur Campus Martius ad Pantheon deſinebat, Campum illi Agrippæ, in quo hæc Septa erant, vicinum fuiſſe ſequitur, adeoque ſupra Eccleſiam *Minervæ*, & *Collegium Romanum*, Capitolium verſus, uti ſupra dixi: ſic ut Septa forte inter *Collegium Romanum* fuerint, & Eccleſiam *Jeſu*.

Diribitorium domus ampliſſima fuit. Idem Dio: *Quod domus fuit maxima omnium, quæ uno eſſent tecto*. & mox: *Nunc omni ejus tecto diruto, quia rurſus committi inter ſe non potuit, aperto faſtigio conſpicitur. Agrippa imperfectum reliquerat; tunc vero ad finem perductum fuit*. Amplitudinis ejus indicium quoque e Plinio colligi poteſt, qui lib. xvi. c. xl. de ſuperſtite ejus trabe loquens ait: *Fuit memoria noſtra & in porticibus ſeptorum a M. Agrippa relicta æque miraculi cauſſa, quæ diribitorio ſuperfuerat viginti pedibus brevior, ſeſquipedali craſſitudine*. Agit autem de trabe alia cxx. pedes longa, & duos lata: ſic ut ea centum pedes longa fuerit, qui pluſquam tredecim perticas noſtrates efficiunt. *Septa* illa, de quibus Plinius illic loquitur, dubito, an non *Agrippina* potius, quam *vetera* fuerint, quoniam mox nomen Agrippæ ſequitur. Non ignoro, ſimplicius & facilius ea de *veteribus* accipi poſſe, quibus tum *diribitorium* vicinum fuerit neceſſe eſt, adeoque in alio campi latere, ubi nunc *Collegium Romanum* eſt, aut certe non procul inde remotum. Nec repugnat huic vicinitati ordo narrationis, qua Dio loca in urbe flammis abſumta perſequitur, ubi incendium exponit Veſuvii, quamquam inde firma peti nequit conjectura: *Nam Serapidis*, inquit, *& Iſidis templum, & ſepta, & Neptuni ædem, Thermas Agrippæ, Pantheum, Diribitorium, Balbi Theatrum, Pompeii porticum*, &c. Quid autem *Diribitorium* fuerit, Donatus explicat; nec eſt, quod ei quiſquam in eo obloqui poſſit. Fuit enim ædificium in eum finem inſtitutum, ut militibus in eo ſtipendia diriberentur: fortean & donativa. Hoc enim vox *diribere* ſignificare videtur. Sed & congiaria illic populo dari potuere: cui rei & ſepta forte, & Campus inſervierunt. Nonnunquam ſcenicos in diribitorio factos ludos, ut in theatro, præſertim ſole æſtivo, Donatus ex eodem Dione expiſcatus eſt: *Tunc primum*, ait, *Senatoribus pulvinaria ſubdita, uſuſque pileorum Theſſalicorum conceſſus in Theatris, ne ſolis ardore laborarent; qui ſicubi eſſet vehementior, diribitorio foris & tabulatis inſtructo uſi ſunt*.

Porticum Polæ quod attinet, ſi ea, quo tempore Campus ab Agrippa dedicatus, nondum abſoluta fuit, non ſecus ac diribitorium, vel ab Auguſto, vel ab aliis, paulo poſt perfectam conſummatamque fuiſſe veriſimile eſt. Qua vero illa campi parte fuerit, incertum eſt: verum ſi quis divinationi locus, in aliquo ejus latere exſtitit; ita ut Agrippa campum ſuum ab omni latere tribus illis ædificiis, *ſeptis*, *diribitorio*, & *porticu*, decore ſimul & magnifice exornaverit. Quod ut magis liqueat, ad aliud argumentum tranſeundum eſt.

Eccleſiam *S. Marci*, quæ illi *Jeſu* proxima eſt, a S. Marco I. Pontifice, S. Sylveſtri ſucceſſore, conſtructam, auctor eſt Anaſtaſius: *Hic fecit*, inquit, *duas baſilicas, unam via Ardeatina, ubi requieſcit, & aliam in urbe Roma juxta Pallacinis*: ubi alii legunt, *juxta Palatinas*. Quod cur faciant, non video. Nulla enim ei cum Palatino inde remotiſſimo conjunctio aut convenientia eſt. Fulvius tamen ſe illis Ciceronis ex oratione pro Roſcio tuetur: *Occiditur ad balneas Palatinas rediens a cœna Roſcius*. Quæ vox *balneas*, ſequiore genere, & plurali numero poſita, & ſecundum Varronem lib. viii. de L. L. de balneis publicis accipienda, convenienſque cum *juxta Palatinas*, quæ voces Eccleſiæ *S Marci* additæ ſunt, ſuſpicionem mihi movet, *balneas* illas, quarum Cicero mentionem facit, eo loci fuiſſe. Veruntamen e genere & numero vocabuli Eccleſiæ iſti additi, idque tempore illo, quo lingua Latina corruptiſſima fuit, conjecturam ſibi fingere perquam facile eſt, at minus veriſimile: tum & conjectura hæc eo magis abſurda videri queat, quod *balnea Palatina* ætate Ciceronis ac Roſcii illic eſſe nequierint: niſi forte quis balnea publica Palatina ab Imperatore aliquo ad ampliandum Palatium Auguſtale diruta, diu deinde poſt Roſcium ſub Capitolio ad ædem *S. Marci* reſtituta ſibi imaginari velit: quod, licet fieri potuerit, nullo tamen allucente argumento, inter mera ſomnia referendum videtur. Reapſe autem locum illic omnem in vicinia *Palatinum*, vel *Pallacinum* appellatum eſſe idem Anaſtaſius in Nicolao I. docet, ubi de inundante urbem Tiberi agens, cum eam inundationem ad ædem uſque *S. Marci* perveniſſe expoſuiſſet, ſubjungit: *Inde impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ eſt juxta Monaſterium Sancti Laurentii Martyris, quæ vocatur Pallacini*. Ut & S. Gregorius l. ii. epiſt. cxliv. *Cognovimus Joannem quondam Presbyterum Sanctæ Romanæ, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſiæ, in domo juris ſui, poſita in hac urbe juxta Thermas Agrippinas, oratorium conſtruxiſſe, ibique quoſdam reditus legati titulo per teſtamenti ſui ſeriem reliquiſſe; in quo etiam oratorio ſervorum Dei congregationem conſtituit*. & poſtpaullo: *Tabernam in hac urbe, quæ eſt poſita juxta Palacenis, & Salgamum, &c. poſitum ante domum ſupra dicti monaſterii*. Item l. vii. epiſt. xlviii. *Cognovimus itaque Joannem presbyterum, &c. Tabernam in hac urbe, quæ eſt poſita juxta Palatiniſios, & Salgamum poſitum ante domum ſupra ſcripti Monaſterii*, &c. Eam vero *Tabernam* & *Salgamum* in eodem tractu fuiſſe e Thermis Agrippæ liquet, quorum hodieque non procul ab Eccleſia *Jeſu* ad *Ciambellam*, uti is locus nunc appellatur, veſtigia viſuntur. Unde vero tractus hic nomen *Palatini* acceperit, Anaſtaſius in Hadriano I. indicat; ubi de alia Tiberis inundatione loquens, ad portam Flaminiam intumeſcentis, ait: *Atque ultra Baſilicam S. Marci evertens porticum, quæ vocatur Palatina*, &c. Sic ut nomen illud non balneis aliquibus præcipuum fuerit, ſed porticui veteri inter ædem *S. Marci* & Capitolium ſitæ: quæ cujus, niſi Polæ, fuerit, quum nulla hic alia memoretur, haud facile dixerim. Convenit autem eximie non ſitus modo, ultra *S. Marci ædem*, ubi tertium puto Campi Agrippæ latus fuit; verumetiam nomen *Palatinæ*, ſive *Palacinæ*. Non negem tamen nomen hoc illi a Circo Flaminio accedere potuiſſe, barbara iſta ætate *palatii* nomen ferente; uti ceteris eminentioribus aliquoties monuimus eveniſſe ædificiis. Verum ſic *S. Catharinæ Funariorum* ædes, quæ in medio illo circo poſita, non *in Palatinis*, ſed *in Palatio* nuncupata fuiſſet. Quin potius ego corruptæ voci *Polæ* originem illius denominationis adſcribam: niſi forte inde venerit, quod eo tempore, quo militum numerus & in armis induſtria, aut equorum curſus ſpectabatur, *Palatini*, id eſt de miniſterio Palatii Auguſtalis, conſiſtere illic, & ſpectare ſoliti fuerint.

Prope *Eccleſiam Minervæ* & *Collegium Romanum* avorum noſtrorum memoria *Arcus* antiquus, ſimplex, & abſque ullis omnino ornamentorum indi-

ciis fuit, cui vulgo *di Camigliano* nomen, (quem Latine *Camillianum* dixeris) *Camilli* eapropter fuisse creditus, errore nimis crasso; cum propter vetustatem nimiam, tum quod illis temporibus arcuum ponendorum honor adhuc ignotus erat. E Fulvii verbis, memoria ejus *Campiglianus* dictus videtur. Ita enim ille de æde *B. Virginis in via Lata*: *Hinc jactu lapidis exstat adhuc Arcus Campiliani satis rudis, ubi nulla ornamentorum signa, quem nonnulli Camillianum appellant*. In quo mihi vestigia vocis *Campi Agrippæ* agnoscere videor. Fuitque forsan arcus, si non porticus Polæ, saltem septorum Agrippinorum, aut alterius in eo campo ædificii: cujus effigiem una cum delineatione Campi Martii libro quinto exhibeo.

Vicus Æmilianus hic a Rufo recensitus, non exiguæ dubitationis ansam porrigit, num in eo locus ille, cui *Æmilianis* nomen, fuerit. Tacitus lib. xv. nobile illud Neronis incendium enarrans, ait, ignem *Prædiis Tigellini Æmilianis* prorupisse. Ubi Lipsius legere malit, *in Æmilianis*; locum *extra urbem*, addens, *ad Campum Martium, conjunctum tamen, continentemque urbi*: allegatque Varronem l. III. cap. II. de R. R. dicentem: *Nam quod extra urbem est ædificium, nihilo magis ideo est villa, quam eorum ædificia, qui habitant extra portam Frumentariam, aut in Æmilianis*. At si Neronis incendium in Æmilianis ortum est, campusque Martius intactus restitit, ut ex eodem Tacito videre est, qui Neronem ait, aperuisse *populo exturbato ac profugo Campum Martis, & monumenta Agrippæ, & hortos suos*: non potuerunt *Æmiliana* in Campo Martio esse, nisi Lipsius Campum Martium ita late acceperit, ut etiam regionem viæ Latæ, a Tacito minime designatæ, illi includat. Additio præpositionis *In*, ab eodem insertæ, perquam ingeniosa est, & Varroni, ceterisque consona. Certum enim est, Tacitum illic de prædiis Urbanis loqui, ædibus, tabernis, granariis, ceterisque id genus aliis ædificiis, quæ Tigillinus illic possedisse potuit. *Æmiliana* tractum fuisse credo ædificiorum cohærentium, ab Æmilianis monumentis ita appellatum, ut in quinta regione de Marianis dictum est. Hic etiam *vicum Æmilianum* lubens posuerim. Fuisse ad urbis mœnia recte Lipsius statuit; non tamen Campo Martio vicina fuere. Quod autem e Varronis id verbis asserere nititur, in eo frustra est; ille enim de incolis extra mœnia in illa planitie habitantibus loquitur, quæ hinc viam Latam, inde imminentem sibi habebat Quirinalem, ubi nunc *area* est *SS. Apostolorum*, & *Palatium Columnensium*. quo loco si inceptum Romæ incendium dicamus, nil dixerimus absurdi. Ita namque Suetonius de Claudio cap. XVIII. *Cum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit, ac deficiente militum & familiarum turba auxilio, plebem per magistratus ex omnibus vicis convocavit, ac positis ante se cum pecunia fiscis ad subveniendum hortatus est, repræsentaturus pro opera dignam cuique mercedem*. Ubi inter *Æmiliana* & *Diribitorium* tantum interfuisse spatii describi videtur, quantum nunc inter *Collegium Romanum* & *Ecclesiam SS. Apostolorum* intermedium est, *Palatiumve Columnensium*.

Templo Fortunæ novo, in quo Victor & Rufus consentiunt, Panvinius addit, *a Lucullo conditum*, forsan ab *hortis Lucullianis*, huic regioni, uti dixi, conterminis petito argumento. Verum *Fortunæ* a Lucullo dedicatum *templum* in alia situm fuit regione, ut mox videbimus. Addit adhæc, *ubi statua Minervæ facta a Phidia posita a Paulo Æmilio*; forte ex Plinio, lib. XXXIV. cap. VIII. ubi tamen, in quo illa statua templo posita fuerit, non exprimitur. *Fecit*, inquit de Phidia, & duabus ejus statuis æreis *& Cliducum, & aliam Minervam, quam Romæ Æmilius Paulus ad ædem Fortunæ dedicavit*. Fortassis ex Æmilianis monumentis ædes quoque Fortunæ fuit: atque ita statuam illam pulcherrimam Paulus illic collocavit: veruntamen in re ignota & obscura omnis incerta conjectura est.

Vicus Sigillarius minor occasionem Merulæ præbuit suspicandi, hac in regione *Sigillaria* fuisse, *ubi Sigilla*, inquit, *libri, lances, aliæque id genus res minusculæ venales exponebantur*. Forsan id nominis *vico Sigillario majori* fuit. Verum utrumque hac in regione fuisse, affirmare non ausim. *Sigilla* illic facta ne dubitaverim quidem; verum res tantum minutas illic vendi solitas, id mihi a Suetonii sententia viderur alienum; qui in Claudio cap. XVI. de essedo illic facto loquens, ait: *Essedum argenteum sumtuose fabricatum, ac venale ad Sigillaria, redimi, concidique coram imperavit*. Quoniam vero sigilla gemmis, & auro, ac argento incudi solent, aurifices illic, & gemmarios, habitasse verosimile est: illucque cum uxoribus maritos exspatiatum isse. Sic idem Suetonius in Nerone de Sporo: *Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conventus, mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria, comitatus est*, &c. Vasa etiam argentea illic vendi solita Scævola Jurisc. indicat *l. his verbis, §. Pater famil. ff. de legat. 3. Lances*, inquit, *num. duas leves, quas de Sigillaribus emi, dari volo*, &c. Quemadmodum nunc in *vico Peregrino*, & *Coronario*, plurimæ officinæ, ac tabernæ sunt vasorum aureorum, argenteorum, gemmarum, ceterarumque rerum magni pretii, & artis, venalium: quibus & aliæ, uti & nunc, aliarum mercium intermistæ tabernæ fuere; quemadmodum ex Aulo Gellio patet, qui lib. v. c. IV. ait: *Apud Sigillaria forte in libraria ego & Julius Paulus Poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus*. ut & lib. II. cap. III. *Librum Æneidos secundum mirandæ vetustatis emtum in Sigillariis* XX. *aureis*, &c.

Sepulchrum C. Poblicii, quod ad *Macellum Corvorum* hodieque exstat cum inscriptione, quam supra libro primo exhibuimus, extra mœnia fuit; quum in ea datum ei pro bene meritis locum publicum fuisse legatur, at non intra muros, sic & Gens Claudia teste Suetonio in vita Tib. cap. I. sepulcrum de publico habuit: *Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit*. Quod fortasse in vicinia hic fuit, nisi quis ad portam Carmentalem illud in regione IX. fuisse malit. Hinc videre est, solitos Romanos bene de rep. meritis sepulchra in hac urbis parte de publico dare.

Ædicula Capraria forte nomen ab effigie illic expressa, sculptave, Capræ Amaltheæ habuit.

Castra Gentiana Pancirollus illic fuisse censet, ubi Lollianus Gentianus milites suos tenuit. Consularem eum sub Pertinace fuisse Capitolinus refert; deque eodem lex agit 2. §. 2. *ff. de iis, qui not. infer.* ut & inscriptio illa.

C. ELPIDIO. L. F. POL. RVFO
LOLLIAN. GENTIANO. AVGVRI. COS. PROCOS. PROV. ASIAE
LEG. LEG. PR. PR. PROV. LVGDVNENSIS. COMITI. IMPP. SEVERI
ET. ANTONINI. AVGG. LEG. LEG. XX.

A Verum sive is, sive alius quis fuerit Gentianus, quo quæso ille jure, potestateve consulari, vel proconsulari, milites in urbe habere potuit? Quare, quum id statuere absurdum sit, nomen hoc castris iis potius inditum existimarim, quod in consulatu illa suo construxerit.

Horti Argiani in Notitia multo rectius, uti Pancirollus censet, *Largiani* vocantur, quum *Largiorum* familiæ frequens apud veteres occurrat mentio.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

Regio Octava ab aliis descripta.



Summæ & imæ viæ Latæ duæ regiones confines erant, altera a meridie octava, cui nomen *Foro Romano*; altera vero ab occidente, nona, *Circi Flaminii*. Octava ceteris omnibus illustrior fuit utpote quæ ipsius veluti cor C urbis celeberrima ac frequentatissima Romæ ædificia ambitu suo complexa est. Descripsit quidem eam Rufus, verum injuria temporis codex hic ejus mutilus est. En tamen, quidquid ejus superest:

Regio Forum Romanum.

Rostra P. Romani II.
Fides Candidæ.
Ædes Victoriæ.
Ædicula Victoriæ.
Templum Romuli.
—— *Concordiæ.*
—— *Vespasiani.*
—— *Minervæ.*
—— *Vestæ.*
—— *Saturni.*
—— *Jul I.*
—— *Augusti.*
—— *Junonis Martialis.*
—— *Castrorum.*
Senaculum Aureum.
Puteal Libonis.
Comitium.
Schola Xantha.
Liviæ Porticus.
Arcus Fabianus.
Lacus Curtius.
Regia Numæ.
Templum Deum Penatium.
—— *Larum.*
Forum Cæsaris.
Ficus Ruminalis.
Vicus Jugarius, alias *Ligurius*.
Via Nova.
Lucus Vestæ.
Ajus Locutius.
Delubrum Minervæ in Foro.
Basilica Paulli.
Templum Jani.
Forum Piscarium.
—— *Boarium.*
Carcer.
Forum Augusti.
—— *Trajani.*
Capitolium cum Arce.
Curia Calabra.
Templum Jovis Capitolini.
Asylum.
Templum Veneris Calvæ.
Curia Hostilia sub veteribus.
Delubrum Larum.
Ædes Junonis.
Ædicula Matris Rumæ.
Columna Divi Jul I.
Equus Æneus Domitiani.
Columna Magn. Ludi Sæcul.
Ara Saturni.
* multa desunt.
Templum Veneris & Anchisæ.
Jani publici.
Equa cernens quatuor Satyros.
Vicus Novus.
Ludi Literarii.
Vicus Unguentarius minor.
—— *Tuscus.*
. . . . . *Tusco.*
* multa desunt.
Basil. . . .
Macell. . . .
D *Vici* XII.
Vicomagistri XLIIX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ . . DCCCLXXX.
. . . reliqua hujus Regionis desunt.

Illa vero Victoris descriptio ita se habet:

Regio Octava, Forum Romanum.

E *Forum Romanum.*
Rostra Pop. Romani.
Ædes Victoriæ cum alia ædicula Victoriæ Virginis a Porcio Catone dedicata.
Templum Julii Cæs. in Foro.
Victoriæ aureæ statua in templo Jovis Opt. Max.
Ficus Ruminalis.
Lupercal Virginis.
Columna cum statua M. Ludii.
Græcostasis.
Ædes Opis & Saturni in vico Jugario.
Milliarium aureum.
Senatulum aureum.
F *Pila Horatia, ubi trophæa locata dicuntur*
Curia.
Templum Castorum ad lacum Juturnæ.
Templum Concordiæ.
Equus Æneus Domitiani.
Atrium Minervæ.
Ludus Æmilius.
Porticus Juliæ.
Arcus Fabianus.
Puteal Libonis.

Jani duo celebris mercatorum locus.
Regia Numæ.
Templum Vestæ.
—— *Deorum Penatium.*
—— *Romuli.*
—— *Jani.*
Forum Cæsaris.
Stationes Municipiorum.
Forum Augusti cum æde Martis Ultoris.
Trajani cum templo & equo æneo, & columna coclide, quæ est alta pedes CXXVI. *habetque intus gradus* CLXXXV. *fenestellas* XLV.
Cohortes VI. *Vigilum.*
Ædicula Concordiæ supra Græcostasim.
Lacus Curtius.
Basilicæ Argentariæ.
Umbilicus Romæ.
Templum Titi & Vespasiani.
Basilica Paulli cum Phrygiis columnis.
Ficus Ruminalis in Comitio, ubi & Lupercal.
Ædes Vejovis inter Arcem & Capitolium prope Asylum.
Vicus Ligurum.
Apollo translatus ex Apollonia a Lucullo xxx. cubitorum.
Delubrum Minervæ.
Ædicula Juventæ.
Porta Carmentalis versus Circum Flaminium.
Templum Carmentæ.
Capitolium, ubi omnium Deorum simulacra.
Curia Calabra, ubi minor pontifex dies pronuntiabat.
Templum Jovis Opt. Max.
Ædes Jovis Tonantis ab Augusto dedicata in Clivo Capitolino.
Signum Jovis Imperatoris Præneste advectum.
Asylum.
Templum vetus Minervæ.
Horrea Germanica.
—— *Agrippinæ.*
Arua cernens quatuor Scauros.
Forum Boarium.
Sacellum Pudicitiæ Patritiæ.
Ædes Herculis victoris duæ, altera ad Portam Trigeminam, altera in Foro Boario rotunda & parva.
Forum piscarium.
Ædes Matutæ.
Vicus Jugarius, idem & Thurarius, ubi sunt aræ Opis & Cereris cum signo Vertumni.
Carcer imminens Foro a Tullo Hostilio ædificatus media urbe.
Porticus Margaritaria.
Ludi Literarii.
Vicus Unguentarius.
Ædes Vertumni in vico Tusco.
Elephantus Herbarius.
Vici XII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIIMDCCCLXXX.
Domus CL.
Balinnæ privatæ.
Horrea XV.
Lacus CXX.
Regio in ambitu continet
Pedes XIIMDCCCLXVII.

In recentiore Victore hæc addita leguntur.

Rostris adscriptum II. ut in Rufo.
Sacellum Larum.
Templo Vestæ additum, *cum atrio.*
Fides Candida.
Basilica Trajani in Foro ejusdem.
Ara Saturni in lacu Curtii.
Curia Hostilia sub veteribus.
Templum Veneris Calvæ vetus.
—— *Veneris Calvæ novum.*
Ara vetus Saturni.
Pro *Aqua* &c. cum Rufo dicit, *Equa cernens quatuor Satyros.*
Horrea numerat XXVIII.
Pistrina XXX.
Ambitum Regionis facit continere
Pedes XIIIIMDCCCLXVII.
alias XIIMDCCCLXVII.

In Notitia Legas;

REGIO VIII.

Forum Romanum, & Magnum, continet Rostra; Genium Populi Romani aureum, & equum Constantini, Senatulum, Atrium Minervæ, Forum Cæsaris, Augusti, Nervæ, Trajani, Templum D. Trajani, & Columnam Coclidem altam pedes CXXVIII *scalis. Gradus intus habet* CLXXXV. *Fenestras* XLV. *Cohortes sex vigilum, Basilicam Argentariam, Templum Concordiæ, Umbilicum Romæ, Templum Saturni & Vespasiani, Capitolium, Miliarium aureum Juliæ, Templum Castorum, Vestæ, Horrea Germaniciana & Agrippinæ, Aquam cernentem quatuor Scauros sub æde, Atrium Caci, Vicum Jugarium, Unguentarium, Græcostasim, Porticum Margaritariam, Elephantum Herbarium, Vici trigintaquatuor. Ædiculæ* XXIX. *Vicomagistri* XLVI. *Curatores duo. Insulæ tria millia octingentæ octoginta. Domus* CXXX. *Horrea* XVIII. *Balnea* LXXXIII. *Lacus* CXX. *Pistrina* XX. *Continet pedes tresdecim millia* LXVII.

Panvinius in hac Regione ingens attexit corollarium multa cura conquisitarum, quæ in foro & alibi fuere, statuarum: quod ego ne cuiquam tædium, aut fastidium, prolixa illa nil huc facientium, nec antiquum veterum ædificiorum, partiumque civitatis situm explanantium, rerum serie moveam, omittendum censui, eaque sola adjicienda, quæ alicujus mihi fructus esse visa sunt. Sunt autem hæc:

Mons Saturnius, post Tarpejus, demum Capitolinus, aliter *Capitolium, ubi Deorum omnium simulacra celebrantur.*
Ars Capitolii.
Rupes Tarpeja, alias *Saxum Carmentæ.*
Clivus Capitolinus.
Porta Stercoraria.
Scalæ Annulariæ.
Sub Novis.
Ad Junium, secundum Tiberim.
Luteolæ ad Jani Templum.
Marsyas.
Favissæ Capitolinæ.
Lucus Vestæ Cuperius.
Templum Romuli, alias *Quirini in Foro.*
Templum Jani Gemini æreum quatuor portarum cum signo Jani, opus Scopæ & Praxitelis ab Augusto DD.
Templum D. Trajani.
—— *T. Cæsaris Vespasiani.*
Ædes Junonis Monetæ cum officina.
Jovis Custodis DD. a Domitiano
—— *Veneris Cloacinæ.*
—— —— *Erycinæ.*

——*Salutis.*
——*Libertatis.*
——*Jovis Sponsoris.*
——*Mentis.*
——*Fidei in Capitolio.*
——*Fortunæ Primigeniæ.*
——*Fortis Fortunæ in foro Boario.*
Ædicula Termini.
——*Fortunæ Obsequentis.*
Porticus Augusti.
——*Mincida*, alias *Numicia.*
——*Nasicæ.*
——*Porphyretica.*
——*Capitolinæ.*
——*Constantini.*
Atrium publicum in Capitolio.
Area Saturni ante ærarium.
Sacellum Sumani.
——*Larum.*
——*Herculis in foro Boario.*
Domus divi Tatii.
Dolia.
Sepulchrum Romuli.
——*Accæ Laurentiæ in via nova.*
Germalus.
Ara Junonis Jugæ in vico Jugario.
——*Jovis Pistoris in Capitolio.*
Tropæa Marii aurea in Capitolio.
Currus sejuges a Cn. Cornelio positi.
Simulacrum Leonis pro rostris.
Equus Caii Cæsaris in ejus Foro.
——*Æneus Trajani Augusti.*
Æreum tauri simulacrum in Foro Boario.
Signum anseris argenteum in Capitolio.
Forum Argentarium.
Curia præter Hostiliam & Calabram.
Regia Numæ, alias *Curia Pompiliana, in qua Sacrarium erat Opeconsivæ.*
Basilica Julii.
——*Ulpia*, alias *Trajani.*
——*Porcia, ubi fuerat domus Q. Menii.*
——*Sempronia.*
Basilica Opimii.
Horti Asiniani.
Septem, alias *Quinque Tabernæ argentariæ novæ.*
Balineum Polycleti.
Lacus Juturnæ.
Bibliotheca Capitolina.
Bibliotheca Templi D. Trajani.
Arcus T. Cæsaris prope ædem Saturni.
——*Trajani Cæs. Aug.*
——*Severi & Antonini in foro Boario.*
Fornix Stertinii in foro Boario cum signis auratis.
Columna C. Duilii.
——*Mœnia.*
——*Rostrata in Capitolio.*
——*D. Julii Rostrata pedum* XX.
Sepulchrum C. Poblicii Bibuli ædilis plebis.
Domus L. Tarquinii Regis cum atrio.
M. Manlii Capitolini.
P. Scipionis Africani.
T. Annii Milonis.
P. Ovidii Nasonis.
M. Valerii Amerini Eq. Rom.

Merula addit:

Columna in rostris posita a D. Claudio.
Canalis in Foro.


Ego addiderim lubens:

Statuæ aureæ XII. *Deorum Consentium.*

A *Templum Felicitatis.*
Curia Julia.
Ficus Navia.
Tabernæ Veteres.
Æquimelium.
Domus Publicolæ sub Velia.
Lacus Servilius.
Pons Caligulæ.
Gradus Aurelii.
Olea, Vitis, & Ficus ad lacum Curtii.
Cloaca Maxima.
Columnæ Mæniæ duæ.
Columna cum solari horologio.
B *Signa Veneris Cloacinæ.*
Templum Hadriani.
Secretarium Senatus.
Via, seu Vicus Mamertinus.
Templum Veneris Genitricis.
Vicus Sigillarius Major.
Velabrum Minus.
Templum Fortunæ a Lucullo factum.
Ara Carmentæ.
Fanum, seu Sacellum Carmentis.
Arcus Severi, & M. A. in foro Boario.
Ædes Bonæ Fortunæ.
C *Porticus in clivo Capitolino.*
Templum Fortunæ in cl. Cap.
Sellæ Patroclianæ.
Arcus Africani in Capitolio cum labris.
Scalæ Gemoniæ.
Latoniæ duæ.
Arcus Neronis.
Tabularium.
Athenæum.
Dii Nixi.
Area Capitolina.
Ædes Dii Fidii Sonsoris.
Lucus Bellonæ.
D *Sacellum Jovis Conservatoris.*
Domus Theiæ.
Ædes Concordiæ in Arce.
——*Jovis Feretrii.*
——*Duæ Jovis in Capitolio.*
Ædes Veneris Capitolinæ.
——*Opis Capitolinæ.*
——*Isidis & Serapidis.*
——*Martis Bisultoris.*
——*Jovis & Herculis.*
——*Fortunæ & Herculis.*
Dianæ & Jovis.
Domus Calvi Oratoris.
E ——*Marii.*
Vicus Bubularius novus.

Limites ejus cum regione primum quarta communes superius ad ædem *S. Mariæ Liberatricis* inchoasse diximus: ubi viam statuimus, quæ versus extremum tendens Palatinum, inter Comitium & Vulcanale, adversus ædem *S. Laurentii in Miranda* viam Sacram intrabat: in cujus viæ Sacræ altero latere inter eandem *Sancti Laurentii* ædem, & templum *Sancti Hadriani* alia via exibat, quæ a foro ad *Pantanos* ducebat; atque F inde flexa ad sinistram in eam se ingerebat, quæ nunc ad ædem *S. Mariæ in campo Carleo* procedit: aut certe in aliam ab illa non multum diversam: qua via locus transibat, in quo nunc illa ædes condita est: rectaque pergendo secundum *montem Bagnanapoli*, (ubi ad sextæ confinia accedebat) exitum inveniebat, ubi hodie area est Columnæ Trajanæ: inde vero cum veteribus urbis muris conjuncta, flexaque sinistrorsum, confinia septimæ sequebatur regionis, ubi nunc *Macellum Corvorum* est; tum vero cum ipsis mœnibus

Capitolium conſcendens ad dextram, paulo inferius tamen, nonam ſibi confinem habebat. Hinc rurſus deſcendens in planitiem, ad *forum Montanarium*, juxta limites undecimæ, recta verſus ædem procurrebat *S. Anaſtaſiæ*: ac tandem illic ad ſiniſtram reflexa per Palatini declivia, decimam ſtringens regionem, ad ædem *Sanctæ Mariæ Liberatricis* revertebatur. Hæc, uti obſcuriora ſunt, ita puto plurimum e ſequentibus illuſtrabuntur, ubi ea exacte examinata, expenſaque fuerint. Quo tamen dilucidius diſtinctiuſque percipiantur, tabulam ſubjicere viſum eſt, in qua cuncta oculis ſubjecta clariſſime cognoſci poterunt, dijudicarique.



CAP. II.

Situs, Ornamenta, & Magnitudo Fori Romani.

NUlla fuit umquam in priſca vetuſtate tam exigua civitas, uti nec hodie ulla reperitur, quæ non aliquod habeat rerum venalium forum, ſive aream, quo plebs urbana, ruſticaque convenire ſoleat. Apud antiquos eo in loco jus quoque dici ſolitum conſtat, priuſquam in eum finem Baſilicæ ſtrui cœptæ. Hinc *fori* nomen omnibus deinde tribunalibus, & locis, ubi jus dicitur, datum: atque ita hodieque *forum Seculare*, *forum Eccleſiaſticum*, *forum internum*, ſive *conſcientiæ*, *forum externum*, *res fori*, & ſimilia, in frequentiſſimo uſu ſunt, notæque ſignificationis. Quare Romam primam, quæ *Quadrata* dicta, ſuum quoque in Palatino habuiſſe forum nullus dubito, tametſi de eo foro ne γρὺ quidem apud ſcriptores antiquos inveniam: quoniam prolatis brevi poſt tempore civitatis mœnibus aduſque Capitolium, & ulterius, cum Tatius in urbem cum Sabinis ſuis commigraret, novum eveſtigio & commodius inſtitutum Forum eſt in ea valle, quæ inter utrumque montem interjacet; quod & ſtetit, dum Romanum ſtetit imperium, & κατ᾽ ἐξοχὴν *Forum*, vel *Forum Romanum* appellatum eſt.

Locum, ſitumve, Livius lib. 1. clariſſime indicat: *Metius*, inquit, *Curtius ab Sabinis princeps ab arce decurrerat, & effuſos egerat Romanos toto, quantum foro ſpatium eſt: nec procul jam porta Palatii erat*, &c. Sed & aliis ſexcentis cum Livii, tum aliorum ſcriptorum locis idipſum probari poſſit: verum quis ejus ambitus, quod ſpatium quaquaverſum fuerit, ea de re plurimum inter eruditos controvertitur. Fulvius hinc ita ſe expedit; *Inter Capitolinum & Palatium fuiſſe ſatis conſtat*: atque ita porro de variis ejus ædificiis differens illius omnino eſſe ſententiæ videtur, in ea, quam dixi, fuiſſe valle inter utrumque collem. Marlianus autem aliter ſentit, exiſtimatque, Forum omnem, qua patet, *Campum Vaccinum* occupaſſe uſque ad Arcum Titi: quæ tamen laxitas cum ipſi nimia videatur, ante Auguſti ait principatum ultra primas non fuiſſe promotum radices Palatini: verum quum Suetonius tradat Auguſtum forum ampliaſſe, Auguſti opus illud cenſet, protenſionem ſcilicet illam ad arcum Titi. Et invenit in eo non modo aſſentientem ſibi Faunum, ſed & peculiari libro ea de re edito patrocinantem. Præcipuum utriuſque argumentum a Valerio Poplicola dependet, quem Dionyſius in colle foro imminente, *Velia* appellato, habitaſſe ſcribit: quæ Palatini montis pars, ex ſententia Marliani, & plerorumque Antiquariorum, ſupra Arcum Titi fuit. At ſi ætate Publicolæ *Velia*, ſive ea pars collis, quæ ſupra arcum Titi eſt, foro imminebat, ut Dionyſius, & eo adhuc apertius Plutarchus tradit, Auguſtus eouſque forum non ampliavit. Ceterum hæc ſola animadverſio ad oſtendendum verum *Veliæ* ſitum ſufficiebat, de qua in præſenti nil amplius dicam. Suetonius autem non dicit, Auguſtum ampliaſſe forum, verum novum ei addidiſſe contiguum, quum forum magnum, & forum Cæſaris, negotiis, & multitudini hominum non ſufficerent.

Forum Vetus numquam ad Templum Pacis, &

ædem *SS. Cosmi ac Damiani*, imo nec ad ecclesias *S. Mariæ Liberatricis*, & *S. Laurentii in Miranda* pertigisse, evidentissime ostendunt cum ipsa illa duo templa priora, quæ in Foro non fuere, sed in via Sacra, imo quæ & alterius fuerunt regionis, tum & situs soli eorundem templorum olim depressissimus, ac rursus ad *S. Mariæ* ædem, arcumque Titi satis superque editus; ac tandem cetera, quæ eo spatio continetur, loca; quæ Regionis quartæ fuisse supra ostensum est. Ceteris aliquid reponere Fauni argumentis operæ pretium non est; nisi quod unum solum ejus paradoxon silentio non videtur transeundum. Est autem illud, quod Templum Pacis supra curiam constructum asserit, ac si templum illud non in alia plane regione fuisset; neque nomen diversæ a Foro dedisset regioni. Curia enim in Fori regione, imo in ipso foro fuit. Quid? post templum Pacis conditum Curia non amplius exstabat? Atqui Victor & hujus, & illius seorsim meminit. Baronius in Apologia, qua notas in Martyrologium editas defendit, ad XIV. Martii, ubi Hugonio respondet ad objecta de antiquo Carcere Tulliano, Forum ad *S. Nicolai* ædem *in Carcere* fuisse censet. Verum præter illa, quæ ipse ei regessit Hugonius, & quæ duobus peculiaribus totis capitibus lib. II. Donatus opposuit, hoc ego tantum addam; si eousque Forum semet extenderit, locum nullum relictum nec vico Tusco, nec Jugario, nec viæ Novæ, nec Velabro, sepulchro Accæ, sacello Aii, Regiæ Tarquinii Prisci, Basilicæ Semproniæ, multisque ædificiis aliis, quæ inter Forum & ædem illam fuere intermedia. Sed & magis fiet perspicuum, quantum spatii inter vetus Forum & ædem *S. Nicolai in Carcere* fuerit, ubi singula mox persequemur. Donatus iisdem, quæ dixi, capitibus duobus Forum in ea fuisse valle probat, quæ inter oppositas sibi Palatini & Capitolini montis radices olim interjacebat; in cujus sententiam pedibus ire non erubesco.

Ut autem *limites* ejus exacte cognoscamus, observandum primum erit, Forum illud primis urbis initiis factum, quum vixdum a Palatino ad Capitolium ipsa sese extenderent. Illi vero populo, exiguo adhuc tum temporis, vasto Fori spatio opus non erat; nec tamen umquam ampliatum legitur: Templumque Vestæ, & Saturni, nec non Regia Numæ, ceteraque ædificia antiquissima, certa numquam aucti, verum unius semper ac perpetui spatii indicia sunt. Huic porro Fori mediocritati vestigia ejus hodieque conveniunt. Nam ad ima Palatini veteres horrei muri, quod ad ædem *S. Mariæ Liberatricis* est, tresque vicinæ illis columnæ, quarum epistylia ædificium hoc magis ad ipsum fuisse Forum conversum indicant; nec non ad ima Capitolii Arcus Severi, unicaque illa, quæ adhuc superest, columna a latere, nimisquam manifesti latitudinis Fori veteris termini sunt: quæ sane non modo non major, verum contra illa aliquanto ipsa valle minor esse debuit necessario. Latitudinem longitudo tertia circiter parte superasse videtur. Ita enim Vitruvius Romæ cuncta instituta fuisse l. V. in principio docet. Ducto igitur initio ab æde *S. Hadriani*, quod veterum aliquod ejusdem Fori ædificiorum fuisse verisimile est, usque ad ædem *Consolationis*, longitudinem ejus tertia parte auctiorem, quam latitudo fuit, porrigendo, fieri tamen nequit, ut ipsam illam ædem *Consolationis* attingat, uti nonnulli affirmavere: forte nec ultra ædiculam *S. Mariæ Gratianam* pervenit, aut, si hanc transiit, exiguo id fecerit spatio. Atque ita ædes *S. Mariæ Liberatricis* in medio circiter Foro est, qua in longitudinem porrectum fuit: cujus rei non leve argumentum est vetus illius ecclesiæ nomen, quo *S. Silvestri in lacu* esse di-

A cebatur: qui non *Juturnæ lacus* fuit, ut Fulvio visum, quique in angulo Fori fuit, sed *Curtius*, quem in medio Foro fuisse postea docebitur.

Ornamenta Fori eleganter atque erudite Donato descripta sunt: qui primo Forum a Tarquinio Prisco porticibus cinctum ostendit, & ex his Livii l. I. probat: *Circa Forum privatis ædificanda divisa sunt loca, porticus, tabernæque factæ*. Nec non e Plutarcho in Galba: *Ibi multitudo discurrit non fuga se diffundens, sed porticus, & edita Fori, sicut theatrum occupans*. item ex Dione lib.
B LXXIV. *Nosque Senatores, uxoresque nostræ accessimus in Forum funebri vestitu: illæ in porticibus, nos sub dio sedebamus*. Non tamen persuaderi mihi patior, universum Forum ad instar Amphitheatri, vel Theatri undique perpetua serie cinctum, quod nemo explicat. Nam præter Comitium, quod sat magnum unius lateris Fori partem occupabat, & ad secundum usque bellum Punicum sine tecto fuit, complures in usum Fori constructæ tabernæ, templorumque numerus undique ei circumjectorum, quæ cuncta porticibus prætexta fuisse, iisque continuis & unius altitudinis, vix probabile est, satis mihi manifesta arguere viden-
C tur ac demonstrare: porticus quidem plures Foro adstructas, verum non cohærentes, sed suis apte locis inter tabernas ac templa Deorum intermixtas. In ea me sententia præter supra allata loca plurimum Dionysii hæc verba confirmant, lib. III. de Tarquinio Prisco: *Forum etiam, ubi jus dicunt, & populo concionantur, aliaque similia peragunt, item mercatorum ac fabrorum tabernis cingens aliis ornamentis nobilitavit*.

Porro *tabernas* illas, quibus in initio Forum cinctum fuit, sensim crescente templorum, basilicarumque, & curiarum multitudine, numero diminutas fuisse facilis quis conjectura colligat: vi-
D deturque id ipsum Livius indicare lib. V. decad. III. ubi septem tabernas ad quinarium reductas esse numerum refert: *Eodem tempore*, inquit, *septem tabernæ quæ postea quinque, & argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsere*. Nec secus cum domibus fortuna transegit, ut ex illa Mænii liquet: quas sensim dirutas, ac Forum integrum usibus publicis dedicatum fuisse, probabile est.

Ludos quoque *literarios*, in queis pueri puellæque literas discerent, in Foro fuisse Donatus observat, ex illis Livii lib. III. de Virginia: *Virgini venienti in Forum: ibi namque in Tabernis litera-*
E *rum ludi erant*, &c. Idem & *spectacula* gladiatorum in Foro edita docet priusquam in eam rem Amphitheatra condita essent, auctoribus Suetonio & Plutarcho: quibus jungi possit & Asconius in Verr. IV. qui & hoc addit, eum qui ludos editurus esset, Forum in modum scenæ tabulatis, & picturis, ac statuis adornare solitum, partim ab amicis, partim e Græcia commodato sumtis. Quin & lucernis Forum instrui solitum e fragmentis Lucilii apud Nonium in voce *Forum*, cap. *de indiscretis generibus*, &c. colligitur. *Romanis ludis forus olim ornatus lucernis*. Adhæc idem Donatus ex Plinio & Suetonio adfert, Cæsarem totum
F Forum velis operuisse, cum munus illic editurus esset: idemque ab Octavia Augusti sorore factum, in ædilitate fratris Kal. Aug. in commodum litigantium.


Statuas quod attinet, incredibilis earum numerus fuit: quarum nonnullæ apud Plinium, ceterosque auctores memoratæ reperiuntur: adeo ut nemini mirum accidere debeat, ad earum conspectum obstupuisse Constantium, ut Ammianus ait l. XVI. Singularem earum catalogum Panvinius concinnavit, quo lectorem remitto: nam mihi quidem paucularum, ubi res feret, commemoratio sufficere

videtur. Nunc autem XII. tantum Deorum Consentium auratæ e Varrone indicabuntur, l. I. de Re Rust. *Deos Consentes*, ait, *neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad Forum auratæ stant, sex mares, & feminæ totidem*. Verum ut ad cetera transeamus, tempus est.

CAP. III.

Dimidia latitudinis Fori pars, quæ ad ima Palatina fuit.

UT veterum Fori ædificiorum situs investigetur, illustrius quam a *Rostris* principium fieri nequit. Quid ea fuerint, Livius aperit lib. VIII. ubi de navibus de Antiatibus captis agit: *Rostrisque earum suggestum in Foro exstructum adornari placuit, Rostraque id templum appellatum*. item Plinius lib. XVI. cap. IV. *Antea rostra navium tribunali præfecta Fori decus erant*. Non est autem, ut quis sibi e voce *templi* a Livio usurpati magnum aliquod ædificium animo fingat, uti Blondus fecit. *Templa* enim antiquis dicta loca sacra, & augurio capta. Hoc autem nil nisi tribunal fuit, pulpitumve ad instar basis columnæ, cui sella imposita: id quod ex illius effigie liquet, quæ in duorum nummorum veterum aversa parte conspicitur apud Ant. Augustinum Dialogo II. & IV. In illius templi, seu rostrorum, anteriore parte affixa, ut apud Plinium est, rostra navium Antiatium cernuntur, sicut in hoc Palicani, cujus altera facies caput Libertatis exhibet.



Quis autem iste *Palicanus* fuerit, utrum M. Lollius, trib. pl. qui Pompejo & Crasso Coss. effecit, ut tribunatus plebis populo restitueretur, sic ut Asconius docet in tertiam Verrinam, (qui forte idem atque ille, de quo Cic. ad Atticum epist. I. loquitur) an vero, cujus Quintilianus lib. IV. cap. III. meminit, sive quis alius, in incerto est, nec operæ pretium laboriosius id indagare.

Fuere *Rostra*, ut Appianus testatur, medio Foro. Hic enim lib. I. bell. civ. Syllam refert caput Marii Junioris rostris affigi jussisse in medio Foro. Id ipsum & Dionysius significare videtur, ubi de capite Faustuli agit posito *in præclaro Fori Romani loco pro Rostris, super leonem lapideum*. Hic in loco, veluti celeberrimo & aptissimo totius civitatis, causæ, seu controversiæ agi solitæ publicæ, reique accusari & defendi, itemque verba fieri ad populum de rebus gravissimis ad remp. pertinentibus. Ibidem & laudationes defunctorum funebres factæ, &, ut in loco maxime conspicuo, omniumque oculis exposito, capita proscriptorum exposita fuere.

Quid autem medium Forum fuerit, non ita plane expeditum est. Nam Fori exactissimum medium, id est centrum, non ita commodus concionantibus locus erat: nam quod a tergo verba facientium, & retro rostra superfuisset loci, id parti anteriori, qua populus ad audiendum consistere debebat, defuisset. Unde aptissimus suggesti,

A seu rostrorum situs in media Fori longitudine, sed in altero latitudinis latere, sive initio fuit: quemadmodum e Varrone certo colligi videtur, qui lib. IV. de L. L. Rostra non in centro Fori collocat, verum ante Curiam: *Ante hanc*, inquit, *Rostra*. Melius autem ex Asconio in Milonianam: *Erant enim Rostra in eo loco, quo nunc, sed ad Comitium, prope juncta Curiæ*. Sic ut in eo latere, ubi Comitium erat, & Curia, ante hujus vel illius limina, Rostra in medio Foro fuerint. Hinc situm ejus facile invenire est, prout longitudo a nobis Fori descripta est; quippe cujus medium sub æde *S. Mariæ Liberatricis* fuerit: non adeo procul a lacu Cur- B tio, quem & ipsum in medio Foro fuisse diximus, & mox ostendemus.

Rostris ita constitutis, orator in iis vultu ad Capitolium & Forum, in quo populus consistebat, verso verba faciebat. Nec obstat, quod Plutarchus in Gracchis contrarium affirmare videatur; qui Cajum describens ad populum concionantem, ut legem juberet de judiciis a Senatu ad equites transferendis, ita loquitur: *In ea lege ferenda & alioqui egregia diligentia usum ferunt, & primum omnium, qui ante se fuerunt, ita concionatum, ut non ad Senatum & Comitium, ut mos erat, sed* C *ad Forum conversus persisteret, quod postea semper in dicendo servavit*. Unde colligitur, solitum Senatum, saltem in ferendis legibus, convenire, non in Forum, una cum populo, sed in Comitium, ubi Comitia, Curiata dicta, habebatur, & quo singulæ Curiæ ad ferenda suffragia evocabantur: pro Rostris vero ad angulum Comitiorum ex editiore loco conciones fieri solitas.

Rostra duplicia fuerunt, *vetera*, & *nova*. Ita enim Asconius, ut supra habuimus, in Milon. *Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope juncta Curiæ*. De quibus, omissis quæ Marlianus aliique hoc de argumento somnia D afferunt, simpliciter ac vere, quænam inter ea differentia fuerit, exponam. Ea, de quibus hactenus locutus sum, *vetera Rostra* fuerunt. Probari id facile potest cum ex allatis Varronis, aliorumque verbis, Curiæque & Comitii vicinia, tum & ex ipso eorum situ. *Vetera* namque, teste Dione lib. XLIII. a Cæsare translata sunt in alium locum: *Suggestum*, inquit ille, *quod in medio Foro tunc erat, translatum fuit ad locum, ubi nunc conspici ur, repositæque Syllæ & Pompeii imagines*. Sed quis ille locus? investigando reperiemus e Claudiano in VI. Cos. Honorii sub Palatio Augustali fuisse, quod E in Palatino angulo Fori australi imminebat: *Attollens apicem*, ait Poeta, *subjectis Regia Rostris*. Clarius autem e Suetonio cap. C. Augusti: *Bifariam laudatus est, pro æde Divi Julii a Tiberio, & pro Rostris sub veteribus a Druso Tiberii filio*: vel, ut alii fortean rectius corrigunt, *pro Rostris veteribus*, &c. *Nova* hic *Rostra* Suetonius *pro æde Divi Julii* fuisse indicat: quod & Dio confirmat lib. LVI. ubi de iisdem agit laudationibus Augusti funebribus: *Positaque lectica supra suggestum, unde orabatur, ex eo Drusus legit quiddam: sed ex aliis Rostris Juliis nuncupatis Tiberius publice ita oravit ex decreto*, &c. Sic & extremo lib. LV. refert, deposito ante ædem Juliam F corpore Octaviæ contecto Augustum orationem funebrem illic habuisse: quod in iisdem Rostris, *novis* & *Juliis* appellatis, factum esse, statuendum puto. Ædem vero illam Julii Cæsaris in Palatino fuisse ad angulum Fori australem, paulo post videbimus, unde haud procul *Rostra nova* absfuisse dicendum est. Commentum hoc ego Cæsaris politicum fuisse existimo, quo populi auctoritatem sensim imminueret, Rostra ex honestissimo loco, commodissimoque in alium minus conspicuum minusque amplum transferentis, ubi laudationibus defuncto-

functorum inserviebant, negotiisve aliis istiusmodi, ad quæ non tam frequens populi concursus esset, Consules illic, cum auspicarentur, ac deponerent magistratum, verba ad populum facere solitos e Plinii Junioris Panegyrico ad Trajanum colligitur, ubi Trajani comitatem laudans ait: *Jam toties procedere in Rostra, inacessumque illum superbiæ principum locum terere, hic suscipere, hic ponere magistratus*. In Rufo Rostris adjunctus conspicitur numerus II. quod & in Victore recentiore factum, ne non ei concors videretur. At qua de causa non video, si Rostra geminata non fuerint, sed, ut apud Dionem est, translata tantum, & ab ætate usque Dionis saltem & Asconii, adeoque & Victoris & Rufi nulla alia *Rostra*, nisi *Nova* extiterint.

Præter Cæsarem & Pompejum, Cæsari quoque Augusto statuam equestrem in Rostris positam Paterculus refert l. II. *Eum*, inquit de Augusto, *Senatus honoratum equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita, ætatem ejus scriptura indicat: qui honor non aliis per* CCC. *annos, quam Pompejo & C. Cæsari contigerat*. Verum cunctæ statuæ tam pedestres, quam equestres *pro Rostris* positæ leguntur; quas omnes in eo latere Fori positas fuisse existimandum est, in quo Rostra fuere.

Jam vero *Curiam* & *Comitium* invenire difficile non erit, præeuntibus, qui monstrent, Asconio & Varrone: quorum alterius verba supra allata sunt; alterius e IV. de L. L. ita sonant: *Curia Hostilia, quod primus eam ædificavit Hostilius Rex. Ante hanc Rostra: sub dextra hujus a Comitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum essent missi. Is Græcostasis appellatur a parte, ut multa. Senaculum supra Græcostasim, ubi Ædes Concordiæ, & Basilica Opimia.* Deducet nos locus hicce per nonnullam *Campi Vaccini* partem. *Curiam*, post Rostra positam, a monte Cœlio ingenti porrectam fuisse substructione versus Forum; inde vero Rostra, ingens & ipsum ædificium, a Foro versus montem Cœlium procurrisse, Blondus existimavit, duplici *Curia Hostilia* in hunc errorem inductus, quarum altera in Foro, altera ab eodem Hostilio in Cœlio in commodum Albanorum condita fuit. Fulvius vero, & Marlianus, aliique, & ipsi maximo in errore versantur, cum eam illic fuisse sitam putant, ubi postea a Vespasiano dedicatum est Templum Pacis. Nec juvat eos, quo decepti sunt, marmoris illud fragmentum ibidem repertum, cui inscriptum ajunt, IN CVRIA HOSTILIA. Nam si illic Curia Hostilia fuit, in Foro esse non potuit, ut supra quoque in regione quarta ostendi. Atqui in Foro illud & Vitruvius, lib. V. c. II. & Varro, Asconius, Dionysius, &c. collocant. Præterquam quod domus illic ante Cæsaris fuit, ubi postea Templum Pacis constructum est; nisi & hoc Fulvius, alique negare sustineant; quibus marmor illud certum aliquod dare indicium non potest; quippe quod facile aliunde eo transferri potuerit: quodque, etiamsi ipsius Curiæ nomen indicet, non tamen illic eam loci fuisse significet, ubi ipse lapis repertus est. Donatus simpliciter eam in medio fuisse Foro ait, & ante se Rostra habuisse. Nos exactius locum designabimus, nimirum inter granarium, quod illic vestigiis veteris ædificii superstructum est, & tres, quæ ibidem in proximo, columnas, ad ecclesiam *S. Mariæ Liberatricis*: ubi scilicet & Rostra fuisse diximus.

Non erat ea Curia in plano sita, sed per aliquammultos gradus adibatur. Ita Livius in expositione contentionis inter Servium & Tarquinium: *Ætate ac viribus validum medium arripit Servium, elatumque e Curia in inferiorem partem per gradus dejicit*. Clarius adhuc Dionysius lib. IV. *Projecit eum in scalas*

A *Curiæ, quæ tendunt, ubi fiunt populo conciones*; id est Rostra versus, quæ ante Curiam erant, & Comitium.

A Sylla restituta conflagravit, quum P. Clodii corpus in Foro cremaretur. Asconius in præf. Milonian. *Populus duce Sex. Clodio Scriba corpus P. Clodii in Curiam intulit, cremavitque subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus Librariorum: quo igne & ipsa quoque Curia conflagravit*. Idem & Dio l. XL. tradit. Eodem incendio basin quoque statuæ Accii Navii Auguris periisse, Plinius lib. XXXIV. c. V. memoriæ prodidit: *Namque*, ait, *& Accii statua fuit ante Curiam, cujus basis conflagravit Curia incensa P. Clodii funere*. Quam statuam fortasse ex hoc casu

B sua memoria in terram dejectam Dionysius refert, eamque ex ære fuisse, & humana statura breviorem. Curiæ hujus restituendæ de integro commissam Fausto Syllæ curam Dio narrat lib. XL. qui utrum eam instaurarit, ac postea rursus diruerit, ut in ejus loco *Felicitatis ædem* reponeret: an vero instaurationem illam distulerit, ut pro ea ædem illam, quam dixi, Felicitatis dedicaret, explicare certo nequeo. At hoc constat, Cæsari postea concessum, ut novam *Curiam* construeret, cognomine *Juliam*: quæ cum interveniente brevi post ejus cæde pera-

C cta non esset, voluit tamen populus, ut fieret: eamque Augustus postea dedicavit. Verba Dionis sunt lib. XLIV. *Concessum Cæsari, ut novam Curiam ædificaret. Nam Curia Hostilia licet refecta fuerit, denuo destructa erat sub prætextu, quod ibi templum Felicitatis ædificare instituissent; quod Lepidus Magister equitum absolvit; sed reapse, ne in eo loco nomen Syllæ servaretur, & nova Curia Julia vocaretur*. Idem lib. XLVII. *Curia, ubi congregaretur Senatus, Julia ab ejus nomine dicta apud Comitium statim ex decreto prius facto ædificata fuit*. Idem & lib. LI. ab Augusto dedicatam dicit: *Consecravit Templum Minervæ, & Chalcidicum dictum, & Senatum Julium factum in*

D *honorem patris sui*. Inauguratam fuisse Gellius quoque testatur lib. XIV. cap. VII. *Propterea & in Curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia, cum profana ea loca fuissent, Templa esse per Augures constituta, ut in iis Senatusconsulta more majorum justa fieri possent*. Non tamen ideo Curia Hostilia suppressa fuit: ut e Dione apparet lib. XLV. ubi decretum ait, ut reficeretur: *Et hanc ob causam decretum facit, ut Curia Hostilia dicta reficeretur*. Refectam vero indicio est, quod eam Rufus hic commemorat; nisi id forte ei assutum additamentum est, ut plura illi adjecta adulterina. Id enim ex his Suetonii suspicari licet, qui cap. LX. in Caligula aliam

E quam Juliam Curiam in Foro tum temporis non fuisse indicat: *Et Senatus*, inquit, *in asserenda libertate adeo consensit, ut Coss. primo non in Curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarent*. Fieri vero potuit, ut Julia veteris Hostiliæ fundamentis inædificata fuerit: atque hinc, quod Dio ait lib. XLVII. Juliam ex decreto prius facto ad Comitium constructam, decretum id forte idem fuit, cujus lib. XLV. meminit, *ut Curia Hostilia reficeretur*. Quod & magis ex his, quæ mox de statua Victoriæ dicturus sum, apparebit. Nihilominus in re dubia certi nil pronuntio; verum eruditorum exactiori illam judicio permitto.

F Ut ad Syllæ tempora revertamur, refert Plinius lib. XXXIV. cap. VI. in cornibus Comitii *statuas Pythagoræ* fuisse & *Alcibiadis, donec Sylla Dictator ibi Curiam faceret*. Unde conjectura suppetit, vel Syllam novam in Comitio Curiam fecisse, cujus nulla usquam exstat mentio, vel potius Hostiliam reficientem ampliasse; vel tandem statuas illas, quod in extremitatibus essent Comitii, ædificantibus obstantes remotas, ac numquam repositas fuisse.

In Curia, Julia scilicet, Augustus *statuam Victo-*

riæ posuit, quæ in Ferentinis Romam allata, & spoliis Ægyptiis exornata fuit. Ita Dio lib. LI. qui & sua illam memoria ibidem superfuisse addit. De eadem hæc Herodianus. l. v. habet: *Quare imaginem propriam* (n. Elagabalus) *maximis lineamentis, qua ipse obire Sacerdotis munia videbatur, simulque figuram numinis, cujus sacerdotium gerebat, depictam in tabula præmisit Romam, jussis, qui eam ferrent, in media Curia loco edito supra Victoriæ caput collocare*. Unde conficitur, *Victoriæ statuam* in medio Curiæ fuisse, ad alterum illius latus, ad parietem, ut ita supra illam affigi ea imago potuerit. Ibidem & *Aram* fuisse idem Herodianus ait lib. VII. *Duo tresve ad summum curiosiores audiendi Curiam ingressi, sic ut ultra aram quoque Victoriæ penetrarent*; &c. Ubi animadvertendum, *Aram* non in media Curiæ longitudine fuisse, verum in media ejus latitudine, qua parte introitus erat. Nam sine dubio illic fuit, ubi & statua Victoriæ. Postquam vero Roma exuto Paganismo vestem & animum Christianum induit, sublata hæc ara est, quod factum Symmachus facundissime lib. x. epist. LXI. deplorat. Statuam tamen restitisse ex hic Claudiani liquet in VI. Cos. Honorii:

—— *agnoscunt proceres, habituque Gabino*
Principis, & ducibus circumstipata togatis
Jure paludatæ jam Curia militat aulæ,
Affuit ipsa suis ales Victoria templis,
Romanæ tutela togæ, quæ divite penna
Patritii reverenda fovet sacraria cœtus.

Curiæ Hostiliæ & Rostris conjunctum *Comitium* fuisse e verbis Varronis & Asconii supra allatis vidimus. Marlianus, aliique, nescio quibus adducti rationibus, partem illud Fori dicunt. At non ea verborum Ciceronis sententia est, qui pro Sextio, *Cum Forum*, ait, *Comitium, Curiam, multo nocte armatis* &c. *occupassent, impetum faciunt in Fabricium*. uti nec illorum Livii lib. IV. dec. IV. *In Foro, & Comitio, & Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt*. Sed nec Asconius illis favet, qui in tertiam Verrinam *Comitium* exponit *locum prope Senatulum, quo coire Equitibus & P. R. licet*. Comitium autem diu, non secus ac Forum, intectum fuit, inserviebatque Comitiis Curiatis, in quibus leges decerni, Sacerdotesque legi solebant, sicut in Campo Martio Comitiis Centuriatis Magistratibus creandis septa dicata fuere. Plutarchus in Romulo *Comitium* a *cocundo* dictum dicit, quia isthic a coeuntibus Romulo & Tatio fœdus pacis ictum fuit. Verum quomodo *Comitium a Foro* distingui potuit, si & intectum fuit, & in Foro? Forsan ea de caussa Marlianus, aliique id partem dixere. Verum situs ipse veritati lucem fœnerat. Nam, quum Comitium Curiæ Hostiliæ conjunctum fuerit, quæ in Palatini montis radicibus sita ipso erat Foro editior, ipsum quoque in iisdem radicibus constitutum altitudine loci a Foro distinctum fuisse consequitur. Hinc Varro de Græcostasi loquens substructiones commemorat: *Sub dextra cujus a Comitio locus substructus*, &c. Fortean quoque non solo situ, sed & intercedente humiliore muro a Foro discretum fuit, sicut septa tabulatis, ita ut Comitiis Curiatis, quum populus omnis in Forum convenit, singulæ Curiæ seclusæ, suo quæque ordine suffragia ferre potuerint.

Qua porro parte, vel latere, Curiæ *Comitium* fuerit, merito dubitatur. E Livio colligi possit ad sinistram fuisse, lib. I. *Statua Accii capite velato quo in loco res acta est in Comitio in gradibus ipsis ad lævam Curiæ*: adeoque inter ædes *S. Mariæ Liberatricis* & *S. Theodori*. Verum si ita se ea res habuit, quomodo Comitium cum area Vulcani conjunctum

A esse potuit, quam inter *S. Laurentii in Miranda* & *S. Mariæ Liberatricis* ædes fuisse in quarta regione demonstravi? Quin hic *Comitium* fuit, & non alibi: atque ideo Varro *sub dextram Curiæ* dixit, *a Comitio locus substructus*; &c. quod Sacræ Viæ confine fuisse e congressu Romuli & Tatii apparet, quorum fœdus teste Festo, lib. XVIII. *Sacræ Viæ* nomen fecit, quemadmodum & *Comitio*, uti supra e Plutarcho ostendimus. Nec obstat Livius, modo is recte intelligatur. Curia namque Comitio conjuncta non modo januam & gradus habuit versus Forum, uti supra dictum est, sed & a latere, qua legati gentium exterarum e Græcostasi per Comi-
B tium in Senatum introducti. Hoc ita statuto Liviana hæc bene se habent lib. V. *Cum Senatus paulo post de his rebus in Curia Hostilia haberetur, cohortesque ex præsidiis revertentes forte agmine Forum transirent, Centurio in Comitio exclamavit*, &c. *qua voce audita & Senatus accipere se omen ex Curia exclamavit*. Quando igitur Livius de statua Accii in Comitii gradibus posita loquitur, quibus e Comitio in Forum descendebatur, in illa fuisse parte censenda est, cui lateralis Curiæ porta obversa fuit: atque ita & gradus Comitii, & statua Accii ad sinistram Curiæ fuere in Forum descendentibus. Quæ quum
C dicimus, Comitium in foro fuisse statuimus: quod si inter Curiam & Viam Sacram ad Vulcanale collocaverimus, dicendum erit cum Varrone, ad dextram Curiæ Comitium fuisse, id est, inter ædes *S. Mariæ Liberatricis* & *S. Laurentii in Miranda*.

Tectum vero Comitium legimus eo anno, quo Hannibal in Italiam venit. Ita Livius lib. VII. decad. III. *Eo anno primum, ex quo Hannibal in Italiam venisset, Comitium tectum esse memoriæ proditum est*. Id autem nisi columnarum, arcuumve sustentantium ope, fieri non potuit, quum muris illud inclusum fuisse, cum primum tegeretur, nus-
D quam inveniatur. Omissis igitur, quæ Marlianus, aliique Antiquarii, de situ ejus dixerunt, nec oculos, nec aciem mentis oculorum adeo offuscari nobis sinemus, ut non *columnas* illas præaltas ad *S. Mariæ Liberatricis* ædem, reliquias illarum esse agnoscamus, quæ tegendo Comitio inservierunt: explosa ridicula illorum opinione, qui *pontis* eas *Caligulæ* fuisse existimarunt, aut *Statoris Jovis*, quod templum nec in foro fuit, nec illic situm esse potuit. Index hujus veritatis solum ipsum est, multo editius & Foro, & Arcu Severi: ut & epistylium magnifica sculptura versus Forum exornatum, ab al-
E tera vero parte rude & impolitum, qua arcum Titi respicit, quippe cui tecti trabes inhæserint, incubuerintque.

Primus ac princeps *Comitii* usus fuit, coitio Curiarum quæ *Comitia Curiata* dicta, & fuere P. R. Comitia, quum *Centuriata* & *Tributa* adhuc ignorarentur, quæ postea instituta sunt: illa in Campo Martio, hæc ubi maxime commodum visum. Hinc Curiata Comitia hic solum celebrata sunt ad creandos Sacerdotes, vel ad jubendas novas leges: ut fuse Sigonius, Gruchius, & Rosinus exponunt. Varro etiam controversias hic disceptatas ait l. IV. *Comitium ab eo, quod coibant*: *& Comitiis Curiatis,*
F *& litium causa*. Luculentius vero idipsum e Macrobio patet lib. III. Saturn. cap. XVI. ubi Cajus Titius: *Veniunt*, inquit, *in Comitium tristes: jubent dicere, quorum negotium est: narrant. Judex testes poscit: ipsus it mictum: ubi redit, ait omnia se audivisse: tabulas poscit, literas inspicit, vix præ vino sustinet palpebras. Eunti in Consilium, ibi hæc oratio: quid mihi negotii est cum istis nugatoribus potius, quam potamus mulsum mixtum vino Græco, edimus turdum pinguem, bonumque piscem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit*? apertius autem e duabus legibus

xii. tabb. in quarum altera, prout ea Fulvio Ursino emendata est, legas: *Tertieis nundineis continoeis indu Comition endo joure im procitato.* in altera vero: *Rem ubei pacont oranto, nei pacont, ante medidiem endo Comitio, aut endo Foro causam coniciento.* item Plautus in Pœnulo, act. iii. scen. v.

Cras mane quæso in Comitio estote obviam.

Unde conjectare liceat, hac de caussa Basilicam ab Oppio in Comitio ædificatam fuisse. Virgis quoque ibidem in reos animadversum, ex epist. ii. lib. iv. Plinii Junioris colligitur, ubi de Celere Equite Rom. agit: *Cum in Comitio cæderetur, in hac voce perstiterat. quid feci: nihil feci.* & postpaullo de Liciniano: *Si Comitium, & virgas pati nollet, ad confessionem confugeret.* Quibus consona illa sunt, quæ apud Suetonium in Domitiano cap. viii. leguntur. Forte & duæ illæ columnæ, ad quas SS. Petrus & Paulus virgis cæsi, quæque adhuc in Transpontina asservantur, eo in loco fuere. Sed & manu carnificis capite plexi ibidem rei inveniuntur apud Senecam Rhetorem l. vii. controv. i. *Nefas commissum est: nullæ meæ partes sunt; ad expiandum scelus Triumviris opus est, Comitio, Carnifice.* Pila quoque ibidem ludi solitum, ex altero Seneca discimus, qui epist. x. ita scribit de Catone: *Eodem, quo repulsus est, die in Comitio pila lusit.*

Fuit & in Comitio *lapis niger*, a Romulo ad sepulturam sibi destinatus. Festus: *Niger lapis in Comitio locum funestum significat, ut alii Romuli morti destinatum: sed non usu obvenit, ut ibi sepeliretur: sed Faustulum nutricium ejus ibi sepultum fuisse & Quintilium avum Ti.... qui Romuli partes sequebatur; cujus familia dicta Quintilia juxta appellationem ejus.* Varro vero a Porphyrio Horatii Scholiaste in Od. xvi. Epod. citatus ibidem Romulum sepultum affirmat. Versus Horatii est:

Quæque carent ventis & solibus ossa Quirini.

Ad quem Porphyrius: *Hoc dicitur, quasi Romulus sepultus sit, non ad cœlum raptus, aut discerptus: nam Varro post rostra fuisse sepulchrum Romuli.*

Neque vero dubitandum est, quin celebratissimi illi *Fasti Capitolini*, ad ædem *S. Mariæ Liberatricis* reperti, in Comitio olim asservati fuerint: nisi quis in muris Curiæ malit ejusdem lateris. Locus sane commodior his nullus dari potuit.

Comitio etiam *Arcus Fabianus* conjunctus fuit, in ipso viæ sacræ in Forum introitu: de quo abunde multa in regione quarta dicta sunt, quamquam ille huc referendus est. Fuerunt & alia adjuncta ædificia, ad quæ per Comitium transitus erat; quæque idcirco in Comitio esse dicebantur, quod in eo aditum suum haberent. Fuere autem illa *Græcostasis*, *Senaculum*, *Basilica Opimii*, & *Ædicula Concordiæ*.

Quid *Græcostasis* fuerit, Varro explicat; locus scilicet, *ubi nationum sisterent legati, qui ad Senatum essent missi.* Conclave fuisse videtur, vel porticus, aut quid aliud simile, ubi legati exterarum gentium, priusquam in Senatum introducerentur, resistebant, atque etiam post exposita mandata legationis, interea dum a Senatu responsum exspectabant, detinebantur. Nomen ei a solis Græcis inditum, *a parte, ut multa*, addit Varro.

Situs ejus ab eodem Varrone expositus est in allato supra loco integro ejus; ubi ait: *sub dextra hujus* (sc. Curiæ) *a Comitio locus substructus, ubi* &c. Verum qua parte Comitii fuerit, dubito. Nam ab ea, quæ Forum respicit, parte fuisse nequit; nam præterquam quod *Græcostasis* in Foro fuisse nusquam legitur, *Comitium* quoque velut e Foro expulisset. Quare vel ad illud ejus latus fuit, quod

A Vulcanali obversum, (& hoc vox *supra* apud Plinium lib. xii. cap. i. cum ait, *In Græcostasi, quæ tunc supra Comitium erat*, indicare videtur) vel in illo latere, quod versus viam sacram Curiæ objectum fuit. Ceterum e l. viii. cap. xxx. Plinii ipsa ejus situs ichnographia colligi dimetiendo potest: *Duodecim*, ait, *Tabulis ortus tantum & occasus nominatur. Post aliquot annos adjectus est & meridies, Accenso Consulum id pronuntiante, cum a Curia inter Rostra & Græcostasin prospexisset solem. A columna ænea ad Carcerem inclinato sidere supremam pronuntiabat.* Sic ut in parallela linea mathematica inter orientem & occidentem solem

B sita fuerint, *Græcostasis*, *Rostra*, *Columna ænea*, & *Carcer*. Si quis igitur Rostra consideret in angulo Comitii occidentali, ubi hoc cum Curia delinebat, nimirum ad tres columnas adhuc ibi superstites, *Græcostasis* necessario in orientali Comitii angulo collocanda est, qui inter viam sacram fuit & viam illam, quam quartam regionem ab octava disterminasse diximus: adeo ut Græcostasis inter eandem viam & Comitium intermedia fuerit, e regione ferme illius viæ, quæ nunc inter ædes *S. Laurentii* est, & *SS. Cosmi* & *Damiani*. Hoc enim modo sol necessario perpendiculari umbra meridiem designavit inter *Græcostasin* & *Rostra*, *Co-*

C *lumnam*que & *Carcerem*. Bene etiam Varro *substructum* dixit *locum* hunc; quippe cui substructio illa ab ea parte, qua in viam sacram porrigebatur, necessaria fuit.

Cum ædificium hoc conflagrasset, ætate Plinii non amplius exstitit, ut liquet ex allatis ejus verbis, *In Græcostasi, quæ tunc supra Comitum erat.* Verum ab Antonino Pio postea restitutum Capitolinus auctor est: *Græcostadium post incendium restitutum.*

Supra *Græcostasin*, eadem nempe linea versus editiora Palatini, & propius Vulcanale, quod Comi-

D tio superimminebat, *Senaculum* fuit, itemque *Basilica Oppia*, & *Ædicula Concordiæ*. *Senaculum supra Græcostasin, ubi ædes Concordiæ, & Basilica Oppia*. De *Ædicula Concordiæ* Plinius lib. xxxiii. c. i. *P. Sempronio*, inquit, *P. Sulpicio Coss. Flavius vovit ædem Concordiæ, si populo reconciliasset ordines, & cum*, &c. *ex multatitia fœneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra Comitium erat: inciditque in tabella ærea eam ædem* civ. *annis post Capitolium dicatam.* Livius l. ix. *C. Flavius Cn. Filius*, &c. *Ædilis Curulis*, &c. *ædem Concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit. Ærea* hæc fuit, & *in Græcostasi*, ut ait Pli-

E nius, *supra Comitium*; ut autem Livius, *in area Vulcani:* quod & l. viii. asseritur: *In area Vulcani & Concordiæ sanguine pluit.* Unde sequitur, inter Vulcanale eam & Comitium fuisse: sic ut duplici frontispicio & hoc & illud adspexerit, uti in quarta regione fusius exposui. Quoniam vero Vulcanale Lupercali Curiæque vicinum fuit, ædicula illa forsan ultimum in ea linea ædificium fuit, supra Græcostasin, Senaculum, & Basilicam Oppiam. Spatium porro, quod inter illam & Curiam Hostiliam intermedium superfuit, viæ fortasse datum est hac intranti, quam ab Arcu Titi recta ad Comitium tendere supra dixi, regionem quartam a decima dividentem. Aliam *Con-*

F *cordiæ ædem* post Gracchorum necem jussu Senatus in contemptum plebis constructam, Appianus memorat l. i. bell. civil. quod & Plutarchus in Gracchis confirmat: *Supra omnia*, ait, *plebem affixit Templum Concordiæ ab Opimio constructum*, &c. *Itaque per noctem hypogrammate quidam scripserunt hunc versum: Opus Vecordiæ Templum.* Fulvius tamen, Marlianus, aliique in ea sententia sunt, Opimium novum templum non fecisse, verum ædiculam illam restituisse: quibus accedere nequeo, quod mihi

plebs non tam ægre hoc latura fuisse videatur; neque nobilitas in id consensisse, ut ædicula restitueretur in gratiam plebis, olim in contemtum nobilium condita: præterquam quod illa ædicula ærea fuerit, Opimii vero *templum* ab omnibus appelletur. Tandem & Victor primæ *Ædiculæ* meminit. Forsan, quia illic Senaculum & Basilica Oppia exstitisse leguntur, Senaculum vero nonnisi templum esse potuit, id ipsum Concordiæ templum fuit ab Oppio in contemtum plebis constructum, ædiculæque illi oppositum: in quo eapropter Senatum sæpe convenisse probabile est: eoque magis, quia in Comitio erat, & Græcostasin ad latus habebat: sicut hinc ei *Senaculi* nomen inditum fuerit. Forte & non de alio, quam de hoc Senaculo, seu Curia Lampridius in Alexandro locutus est: *Cum Senatus frequenter in Curiam, hoc est in ædem Concordiæ, templum inauguratum convenisset*, &c. Ceterum hic mihi animadvertendum considerandumque videtur, quam magnificis ædificiis dexter Curiæ situs exornatus fuerit. Comitium enim veluti opulentum ac splendidum vestibulum januæ ipsius erat lateralis: Græcostasis, Senaculum, & Basilica tergum ejus velabant; ædicula vero ænea ultimum præstabat.

Sed ut tandem finem differendi faciamus de Comitio, erat & *Ficus* in eo *Ruminalis*, arbos vetustissima in Palatino, sub qua Romulus & Remus infantes expositi, juxta Livium; secundum Varronem vero flumine exundante eo delati, a lupa educati feruntur. Victor in regione Fori ita eam recenset: *Ficus Ruminalis in Comitio, ubi & Lupercal*. Servius autem in VIII. Æn. *Ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Romulus & Remus, quæ fuit, ubi nunc est Lupercal in Circo: hac enim labebatur Tiberis*. ubi manifestum mendum est in voce *Circo*, pro qua in *Comitio* reponendum est, ut e Victore, aliisque, qui sequuntur, liquet. Tacitus XIII. Annali: *Eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quæ super* DCCXL. *annos Remi Romulique infantiam texerat mortuis ramalibus, & arescente trunco diminutam, prodigii loco habitum est*, &c. Plutarchus in Romulo prope Germalum eam collocat. *Locum Cremonum vocant*, inquit, *sed pridem Germano nomen fuerat*, &c. *nec porro longius ficus Ruminalis*. Festus ad Curiam eam ponit: *Ruminalem ficum appellatam, ait Varro, prope Curiam sub veteribus, quod sub ea arbore lupa rumam dederit Remo & Romulo, id est, mammam*. E quibus auctoribus conficitur *Ficum Ruminalem* in Comitio fuisse prope Curiam, ut & ad Germalum, & Lupercal; quamquam hæc duo diversæ regionis fuere. Quare crassi erroris hinc Pomponius Lætus convincitur, qui eam prope rotundam Ecclesiam *S. Theodori* collocat, contra Lupercal, sub Capitolio. Omittemus & aliorum somnia, verum ejus situm ex ædificiorum positu reliquorum ostendisse contenti; secundum quem Comitium, uti verisimile est, ampliore spatio, quam Curia, ad latus australe post Curiam aliquantulum loci habuit, quo loco *Ficum Ruminalem* fuisse ne dubitandum quidem videtur. Quod si autem illic, (ubi duas illas vias, quæ tres regiones IV. VIII. & X. dispescebant, compitum fecisse diximus, seu plateam decussatam) in angulo quartæ regionis Vulcanale fuit & in angulo decimæ, sive boreali Palatii Lupercal; in altero ex duobus angulis octavæ regionis post Curiam, & e regione Lupercalis *Ficus Ruminalis* fuerit necesse est: qui locus hodie designari potest, ab æde *S. Mariæ Liberatricis* occupatus, aut saltem in proximo. Atque ita *Ficus* illa non supra antrum Lupercalis fuit, sed e regione, antro isti & infantibus umbram præbens: eaque de causa a Romanis lupæ illic effigies posita fuit duos gemellos lactantis. Livius l. x.

A *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnis Ædiles Curules*, &c. *& ad Ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupæ posuerunt*, &c. Quod ex ære fuisse Plinius indicat, l. XV. c. VIII. *Miraculo ex ære juxta dicato*.

Superest, ut & etymon *ficus Ruminalis* duplex a veteribus adferri indicemus. Alterum a *ruma* petitum, id est mamma, ut e Festo paulo ante habuimus. Sic & Plinius eodem loco: *Quæ nutrix Romuli & Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumam (ita vocabant mammam) miraculo* &c. alterum a *Romulo*. Ita Ovidius in sexto Fastorum:

B

> *Arbor erat, remanent vestigia; quæque vocatur*
> *Rumina nunc ficus, Romula ficus erat*.

Præter hanc *Ruminalem* alia etiam in Comitio *ficus Navia* dicta memoratur a Festo, quam Tarquinius Priscus posuisse eopse loco dicitur, ubi Accius Navius miraculum cotis novacula sectæ exhibuit. Festi verba sunt: *Et ficum ab eo satam ibi esse intra id spatium loci, qui contentus sine sacro sit, eamque, si quando arescere contigisset, subseri, sumique ex ea surculos jussisse: quo facto tantos intra temporis tractus, cum aliæ in eo loco complures ficus enatæ essent,* C *atque eæ avulsæ deinde de sacro illo loco radicitus removerentur omnes, quæ inibi tunc temporis erant, ficum præter unam illam, ejectas fuisse admonitu fatali, ac jussu inprimis haruspicum, & divinis etiam responsis promittentibus, quamdiu ea viveret, libertatem P. R. incolumem mansuram: ideoque coli, & subseri ex illo tempore cœptam*. Verum Dionysius miraculum hoc Accii in Foro, non autem in Comitio factum refert lib. III. ubi ejus tribunal erat: eumque locum *puteum* fuisse appellatum, (quo sine dubio *Puteal Libonis* denotavit) statuamque Accio a Rege Tarquinio in Foro positam. Ad hoc facile responderi potest, miraculum illud in Foro accidisse, sed juxta D Comitium, cui Tarquinii tribunal vel conjunctum, vel vicinum fuit. Hinc Accio statua posita in gradibus Comitii, qui in Forum porrigebatur, ut apud Livium est: atque ita juxta Dionysium in Foro ea fuisse posita dici potuit. *Ficus* etiam in Foro simul & in Comitio fuisse dici commode potuit, si ea in Fori planitie ad murum Comitii sata fuit, ut Plinius apertius adhuc l. XVI. c. XVIII. *Ficus arbor in Foro ipso ac Comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis*. Ubi utrum de *Navia ficu* loquitur, ut mihi quidem videtur, an de alia plantata juxta murum Comitii in Foro, aliorum esto judicium: verum utracunque ea fuerit, ita ille pergit: E *Magisque in memoriam ejus, quæ nutrix Romuli ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumam (ita vocabant mammam) miraculo ex ære juxta dicato, tamquam in Comitium sponte transisset*.

CAP. IV.

Altera ejusdem lateris Fori pars.

Exposito eo, quod inter *Curiam Hostiliam & Viam Sacram* interfuit, spatio, superest, ut illam quoque partem perlustremus, quæ ab F altero ejus Curiæ latere fuit, quam supra in medio ferme sitam fuisse Foro diximus.

Erat illic Curiæ proxima & conjuncta *Basilica Porcia*; quod ex Asconio patet in Milon. ubi quum Curiam conflagrasse incendio e Clodii crematione excitato dixisset, addit: *Et item Porcia Basilica, quæ erat ei juncta ambusta est*. Cujus situs exacte satis demonstrari queat: nam in Foro fuisse postpaullo videbitur: quare, cum Curiæ juncta fuerit, alius ei locus esse non potuit, quam ad illius sinistram,

quum dextrum ei latus Comitium clauderet. Fuit igitur prope ædem *S. Mariæ Liberatricis*, & forte eo loco, ubi hodieque veteris ædificii pars residua visitur, unde nunc novorum murorum adstructione granarium factum. Plutarchus in Catone Censorino sub Curia illam collocat, forte quia illa humilior in planitie, aut quasi in planitie Fori fuit: *Quam ex ære publico vicinam Foro sub Curia a se ædificatam Porciam Basilicam appellavit*. In hac Tribunos pl. jus dixisse idem Plutarchus docet in Catone Uticense: *Tribuni pl. quoniam in ea jus dicere consueverant, columnam, quæ sellas eorum impedire videbatur, decreverant tollere, vel in alium locum transferre*.

B Fuit hæc prima in urbe, quantum indagando assequimur, Basilica. Nam anno v. c. DXXXIII. Coss. Marcello & Levino Basilicam nullam Romæ fuisse Livius testatur l. VI. dec. III. *Neque enim tum basilicæ erant*. Porcia vero facta est anno v. c. DLXVI. Coss. L. Porcio & P. Claudio. Ita enim Livius lib. IX. decad. IV. *Cato atria duo Mænium & Titium in Latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit, Basilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata est*. Ubi, quum locus prior atriorum istorum lapidibus cædundis inservisse dicatur, suspicio mihi sub manum nascitur, excisis in eo Palatini latere petris ac lapidibus situm loci multo factum humiliorem solo Curiæ & Comitii, exæquatumque solo Fori, ut ita Basilica sub Curia fieri potuerit, id est eo humilior ac depressior. Asconius in Divinationem, Mænium non atrium modo, sed & totam domum Catoni vendidisse, ait: *Mænius quum domum suam venderet Catoni & Flacco Censoribus, ubi Basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulis; unde ipse & posteri ejus spectare munus gladiatorium possent; quod etiamtum in Foro dabatur. Ex illo igitur Columna Mænia vocitata est causis hujusmodi*. Hinc tabulata foras projecta *Mæniana* appellantur, a qua voce vernacula nostra *Magnani* non abludit. De his & Festus non multum diversa habet: *Mæniana*, inquit, *appellata sunt a Mænio Censore, qui primus in Foro ultra columnas tigna projecit, quo ampliarentur superiora spectacula*. Conveniunt & cum Asconio Valerius Max. lib. IX. cap. XX. & Nonius Marcellus.

Mænianorum etiam mentio fit *lege malum ff. de verb. sig.* & *lege Mæniana C. de ædif. privat.* de quibus etiam fuse disserunt Alexander ab Alexandro l. IX. c. XI. & Cœlius Rhodiginus l. XXVIII. cap. X.

E *Templum Romuli* a Victore & Rufo hac in regione collocatum, diversum ab eo esse, quod in quarta recensitum est, & nunc *SS. Cosmæ & Damiani* appellari indicatum, ne dubitandum quidem mihi videtur. De eo Dionysius lib. I. *Ostenditur* (inquit de Lupercali agens) *secundum viam, qua itur ad circum, templumque ei proximum, in quo est lupa præbens pueris duobus ubera*. Unde in ea fuisse via colligitur, quæ ad viam sacram per Vulcanale, & reliquum Palatini declive ad Circum directa, regionem quartam & decimam ab octava dirimebat, uti supra ostendi, & infra etiam memorabitur: sic ut *templum Romuli* ad Lupercal in

F octava regione necessario fuerit, non procul a Ficu Ruminali, post Curiam scilicet, aut ad Basilicam Portiam, ubi nunc ædes *S. Mariæ Liberatricis*, aut saltem in proximo; lupa vero ænea cum duobus infantibus (quam Dionysius in templo, alii ad ficum Ruminalem fuisse ajunt) aut revera in templo illo fuit, ficui Ruminali vicino, vel potius extra illud sub ficu; ubi & infantes fuerunt. Quare Dionysius ob magnam illam templi propinquitatem in ipso illam templo fuisse tradidit: erra-

A vitque in eo Panvinius, qui templum illud *in Foro* collocat.

Lupam hanc Fulvius eandem esse arbitratur, quæ hodie in *atrio* visitur *Conservatorum*: nec a vero adeo remota ea ipsius sententia videtur: verum quod plures istiusmodi lupæ æneæ in urbe fuerint, licet hæc antiqua videatur, non ideo illam potius de Lupercali fuisse quisquam certo affirmare possit, quam unam de reliquis. Nam & alterius mentio fit a Cicerone Orat. III. in Catilinam, quæ fulmine afflata fuerit: *Tactus etiam est ille, qui hanc urbem condidit, Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis*. In illa vero, quæ in Capitolio nunc visitur, lupa signa quasi quædam fulminis agnoscuntur.

Templum Deorum Penatium, a Rufo & Victore hic recensitum, quam parum firmis argumentis ab omnibus in ea Palatini parte collocetur, quæ Arcui Titi adjacet, nimisquam perspicue ab iis intelligetur, qui illius situm ad eorum omnium templorum locorumque quæ jam descripsimus situm comparaverit: quem ut demonstremus, non opus est longis logis. *Templum Penatium* in Velia fuit, quæ pars Palatini. Livius lib. V. decad. V. *Ædes Deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat*. Varro lib. IV. *Velliensis sexticepsos in Velia apud ædem Deum Penatium*. Et Solinus c. I. Tullum Hostilium habitasse dicit *in Velia, ubi postea ædes Deorum Penatium facta est*. Quod & Varro affirmat apud Nonium de doctorum indagine: *Tullum Hostilium in Velia, ubi nunc est ædes deum Penatium*. Sed ubi Velia? ubi templum? Nam si prima domus Publicolæ *in summa Velia* fuit, ut est apud Dionysium, eaque Foro imminebat, ut Plutarchus in Publicola docet: *Valerius*, inquiens, *habitabat domum Vitelliam* (forte *Velliam*) *imminentem Foro, & desuper omnia despectantem*: non potuit esse, ubi Arcus Titi existit, verum in alio collis latere, quod Capitolium respicit: vel *templum Penatium* in regione Fori esse potuit, uti demonstravi. Conveniunt huic opinioni meæ, quæ de Germalo, Veliæ conjuncto colle, postea dicturus sum in regione decima. Tacitus lib. XI. Annal. non procul illud a templo Vestæ abfuisse significat, quum de incendio Neronis agit: *Ædes*, inquit, *Statoris Jovis vota a Romulo, Numæque regia, & delubrum Vestæ cum Penatibus P. R. exusta*. Ubi particula *cum* minime opportuna foret, si de locis inter se distantibus auctor loqueretur. Dionysii verba sunt lib. I. *Templum Romæ ostenditur, non procul a Foro in loco obscuro propter circumjecta ædificia, qui Romanis vulgo sub velis dicitur. In eo positæ sunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione Denates, quæ Penates significat. Videntur enim mihi illi prisci ante inventum P usurpasse pro eo D literam. Sunt autem hastati duo juvenes habitu sedentium ad modum antiqui operis*. Unde ubi *Templum Penatium*, *Velia*que fuerint, satis mihi perspicuum videtur: clariusque ex iis apparebit brevi ædificiis, quæ illi templo fuere circumjecta. Interim, ut ei certus locus constituatur, dicendum, non procul *templum* hoc *Penatium* a templo Romuli abfuisse, inter *S. Mariæ Liberatricis* & rotundam *S. Theodori* ædem. Quod si vero prius illic Tulli Hostilii domus fuit, ut e Solino vidimus, non longe a Curia remota fuerit, necesse est; quemadmodum & postea Hostilius domum sibi prope Curiam novam cum Albanis in Cœlio construxit. Compluvium ei templo fuisse e Suetonio discimus, qui in Augusto c. XCII. ait: *Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium Deorum Penatium transtulit, utque coalesceret, magnopere curavit*.

Ut ad Forum tandem revertamur, ad Basilicam A Porciam *Tabernæ veteres* fuerunt, quas Varro ad Curiam Hostiliam fuisse ait: *Curia Hostilia, cujus id vocabulum, quod primus ædificavit Hostilius Rex sub veteribus*. Quod si huic assertioni fides denegetur, quoniam voces *sub veteribus* in quibusdam codicibus desiderantur, Festo saltem ea habeatur, qui lib. XVII. *Ruminalem*, inquit, *ficum appellatam ait Varro, prope Curiam sub veteribus, quod sub ea arbore lupa* &c. Non diffiteor autem, duriuscule hic vocem *sub* adhiberi, quum ficus ea & Curia loco Fori editiore, & per consequens altiore quam tabernæ ipsæ, fuerint; verum ea vetus loquendi forte formula fuit, qua situs potius, quam altitudo B loci denotetur: nisi eo indicatum volumus, non *tabernas* hic *veteres* intelligi, sed *latumias* debere. Ut autem de tabernis potius accipiamus, vox contraria exigere videtur *novarum*, quas in eodem fuisse Foro ostendemus: quarum vicinia *sub novis* dicta fuit. Nec parum hic lucis e Livio affulget l. IX. decad. IV. cujus verba etiam superius attulimus: *Cato atria duo Mænium & Titium in latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit, Basilicamque ibi fecit*, &c. At qui ingeniosum hic agere voluerit, objicere queat, *sub novis* non secus de *latomiis*, quam de *tabernis* accipi posse; de illis scilicet, quæ sub Capitolio fuere; in quibus Servius C Tullius Carcerem fecit; quibus *novarum* forte nomen inditum ad differentiam *veterum*, in quibus Tullus Hostilius Curiam condiderat. Tabernas autem a Catone emtas longe ab eo ævo remotas, quo Tullus Hostiliam Curiam *sub veteribus* construxit: quum nullæ in Foro ante Tarquinium Priscum positæ tabernæ legantur. Verum utut ea se res habeat, in conjecturis hisce veterum vestigia premenda sunt, quo certius iter insistamus. *De veteribus* etiam in Plauto locus exstat, in Curculione:

Sub veteribus ibi sunt, qui dant, quique accipiunt D *fœnore.*

& in Suetonio cap. C. Augusti: *Bifariam laudatus est. Pro æde D. Julii a Tiberio, & pro Rostris sub veteribus a Druso*, &c. ubi ab aliis *pro Rostris veteribus*, deleta præpositione *sub*, legi supra indicatum est. Neque vero id mirum cuiquam videri debet, quod Rostra *sub veteribus* fuisse dicantur, quum idipsum & de Curia dictum fuerit, quæ post Rostra erat. Livius *veteres* etiam ad ædes Africani collocat lib. IV. decad. V. *Ti. Sempronius ædes P. Africani pone veteres ad Vertumni signum, laneasque, & tabernas contiguas in publicum emit*. Ædes autem illæ Africani, quidquid alii existiment, satis longe a Foro remotæ fuerunt, & a loco, *sub* E *veteribus* appellato, ut post dicetur. Livius illic de domo loquitur: *Ædes Africani pone veteres*: quare aliis illas ædibus veteribus vicinas significare voluit, non autem de quibus nunc agitur tabernis, aut saltem de tabernis aliis locutus est, a Foro remotis.

Templum Castorum, sive *Castoris & Pollucis*, in Foro fuisse Livius indicat lib. IX. *Martius de Hernicis triumphans in urbem rediit: statuaque equestris in Foro decreta est, quæ ante templum Castorum posita est*. item Strabo in V. *Cumque in Foro Castoris & Pollucis templum tantis venerentur honoribus*. Nec non Cicero lib. III. de Nat. Deor. *Nonne ab A. Postumio ædem Castori & Polluci in Foro* F *dicatum vides*? In hoc vero Fori latere fuisse ad ima Palatini facile e Suetonio colligi potest, qui in Caligula cap. XXII. stulta ejus incepta referens, inter cetera, *partem*, ait, *palatii ad Forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata consistens sæpe inter fratres Deos medius se adorandum adeuntibus exhibebat*. Apertius autem e Dione lib. LVIII. *Apertoque templo Castoris & Pollucis inter utraque signa introitum fecit per idem templum in palatium, ut, velut ipse ajebat, Castorem & Pollucem janitores haberet*. Quare recte a Dionysio dictum lib. VI. *supra Forum: Ædes Pollucis & Castoris, quam supra Forum exstruxit civitas, ubi visa sunt illorum simulacra*. Fuit enim ad ima Palatini, cujus clivus Foro imminere debuit. Tandem & in extremo hoc latere fuisse facile probari potest; quia Palatio Augustali Caligulæ pro vestibulo fuit. Nam ulterius Tiberiana domus a Caligula proferri non potuit; uti recte a Donato animadversum adnotatumque est. Omnem porro dubitandi ansam vicinitas fontis, seu *lacus Juturnæ* præcidit, qui in eo angulo fuit ante templum Vestæ. Ita enim Ovidius lib. I. Fastor.

—— Fratres de gente Deorum
Juxta Juturnæ constituere lacum.

Sic & P. Victor: *Templum Castorum ad lacum Juturnæ*. Causam condendæ ædis hujus fuse Dionysius explicat libro jam ante indicato: eadem nempe vespera, qua cum Tarquiniis ad lacum Regillum pugnatum, visos Romæ duos juvenes equos sudore diffluentes abluere in lacu Juturnæ juxta templum Vestæ, nuntiumque attulisse victoriæ. Hos creditos Castorem & Pollucem; ideoque ipsis eodem loco templum positum. Idem & Val. Maximus dicit, lib. I. qui & addit: *Junctaque fonti ædis eorum nullius manu reserata patuit*. *Templum Vestæ*, ante quod Juturnæ lacus erat, in altero Fori latere fuit, haud procul a via nova, quæ e Foro exibat ad Velabrum, ut post indicabimus. Quare illud Castorum in extremo latere ejus ad ima Palatini fuisse necesse est: ubi & a Fulvio & a Donato positum est. Neque magni facimus dissentientes Volaterranum, Blondum, Marlianum, & alios; quorum primus ad *SS. Cosmæ & Damiani*, alter & tertius ad *S. Laurentii* ædem *in miranda*, id collocant: quibus oculatior Pomponius Lætus ait illud *in fine Fori* fuisse: cujus rei & Plutarchus in Sylla indicium facit, cædem Ofellæ in Foro a Sylla imperatam referens. *Ille autem* (n. Ofella) *sollicitatus a multis in Forum venerat, quem missus a Sylla Centurio jugulavit. Ipse in Castoris æde sedens e suggesto omnia superne spectabat*.

Restitutum a L. Metello Asconius refert in Orat. pro Scauro. Tandem rursus a Tiberio redintegratum, consecratumque fuit, qui & suum ei nomen inscripsit, itemque Drusi. Ita Dio memoriæ prodidit lib. LV. In proximo statuæ duæ fuerunt, Q. Tremellii, qui Hernicos vicit, & L. Antonii equestris aurata, cui inscriptum *Patrono P. R.* Cicero Philipp. VI. *In Foro L. Antonii statuam videmus sicut illam Q. Tremellii, qui Hernicos devicit ante Castoris*, &c. *sed hæc una statua. Altera ab equitibus Romanis in equo publico, qui item adscribunt Patrono*. Paulo ante vero dixerat: *Aspicite a sinistra* (n. Rostrorum, a qua parte templum erat Castoris) *illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? Quinque & triginta tribus Patrono populi Romani. Igitur ut patronus L. Antonius?*

Prope templum illud *tabernas* fuisse, in queis servi venundarentur, Seneca Comm. *in Sapientem* &c. c. XIII. indicat: *Num moleste feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Castoris negotiantur nequam mancipia ementes, vendentesque, quorum tabernæ pessimorum turba refertæ sunt?* Nisi forte Seneca servos ipsos innuere velle videatur, quod non puto, mercatores. Forte hæ tabernæ de numero veterum fuere; sed nihil affirmo.

Non procul inde eodemque latere *Templum Julii*

Cæsaris fuisse Donatus ex Ovidio affirmat Eleg. I. lib. II. de Ponto:

Fratribus assimilis, quos proxima Templa tenentes
Divus ab excelsa Julius æde videt.


ut & lib. XV. Metam. ubi illud in prospectu fuisse Capitolii dicit:

—— & semper Capitolia nostra, Forumque
Divus ab excelsa prospectet Julius æde.

Statius autem in principio Sylvarum, ubi equum Domitiani medio in Foro positum describit, Palatinum prospicientem, eique obversum, ait:

—— hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis assertæ munere prolis
Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.

Sicut inter Templum Cæsaris fuerit & Basilicam Porciam. Appianus lib. II. bell. civil. & ipse ejus mentionem facit, ibidem primam aram Divo Julio positam referens. Dio vero lib. XLVII. a Triumviris constructum addit, declaratumque Asylum, ac tutum eo confugientibus refugium . Hic Titus Vinius post cædem Galbæ in genu vulneratus mortem oppetiit. Sic Tacitus lib. I. Hist. *Ante ædem Divi Julii jacuit primo ictu*. Conditum hoc Templum Dio dicit, ubi cadaver ejus crematum est, l. XLVII. *Et ulterius in honorem Cæsaris Templum Heroicum in Foro exstruxerunt, & in loco, ubi ipse combustus fuit*. Frontispicium ejus in hoc Augusti numismate apparet, ab Erizzo primum, dein & a Donato, aliisque publicato.



CAP. V.

Latus Velabro obversum.

IN occidentali Fori latere quatuor ex eo viæ in diversa tendebant; quibus explicatis ceterarum quoque rerum aliquot dilucidior occurret notitia. Fuere illæ *Vicus Jugarius*, *Thuscus*, *Via Nova*, & *ramus Viæ Sacræ*.

Vicum Jugarium Marlianus ad ima Capitolini montis inter portam Carmentalem & Forum constituit: in quo Livium sequitur, qui lib. II. decad. III. *Ab æde*, inquit, *Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in urbem deductæ*, &c. *Prætextati a porta Jugario vico in Forum venere*, &c. in Forum vero exiisse, ita ut a Capitolio non discederit, ex eodem auctore liquet l. v. decad. IV. *Saxum ingens, seu imbribus, seu motu terræ leviore, quam ut alioqui sentiretur, labefactum in vicum Jugarium ex Capitolio procidit, & multos oppressit*. Nomen ei vel a *jugis*, quæ ibi fiebant; vel ab ara *Junonis Jugæ*, quam conjugiis præfuisse, ut e Festo constat. Fuit & *Turarius* dictus; seu potius *Thurarius* ipsi conjunctus fuit, ut e Victore liquet, apud quem: *Vicus Jugarius, item & Turarius, ubi sunt aræ Opis & Cereris cum signo Vertumni*: quarum duarum ararum mentio quoque fit in Kalendario veteri, quod Gyraldus in suo adducit a. d. x. Augusti: *Aræ Opi & Cereris in vico Jugario*. In eodem vico Jugario *Ædes* quoque *Opis* & *Saturni* a Victore collocantur, his verbis: *Ædis Opis & Saturni vico Jugario*: quod idem Templum esse Saturni Fulvius asserit, quod postea P. R. ærarium fuit ad clivum Capitolinum, eo loco, ubi ante annos aliquot Ecclesia *S. Salvatoris* fuit *in ærario*, contra ædem *S. Mariæ in Porticu*; appellata etiam *in Statera*, a statera, seu trutina, qua in ærario res appendi solitæ. Verum cum Ærarium Saturni in Foro fuerit, si illud in vico Jugario fuisse concedamus, consequetur necessario vicum quoque Jugarium in Foro fuisse: atque ita & Velabrum, & cunctæ in Foro viæ forent, quæ extra illud fuerunt, uti sane Baronius sensit. Ita igitur accipienda sunt verba Macrobii, qui lib. III. cap. X. Saturnal. in eodem Templo Opi & Saturno sacra facta, festumque diem celebratum tradit, ut tamen aliud quoque Saturnus Templum peculiare habuerit, ab illo sibi cum Ope commune distinctum. Et hoc in Foro fuit, ut mox docebimus. Hinc ad illius differentiam commune hoc ambobus Templum *ædes Opis* vocari solebat, eratque civium ærarium particulare. Ita Cicero Philipp. I. *Utinam pecunia ad ædem Opis maneret, cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum iis, quorum est, non redditur, necessaria*. & in secunda: *Sed etiam regnas, qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberasti, qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipasti; ad quem e domo Cæsaris tam multa delata sunt*.

Æquimelium in vico Jugario fuisse necesse est, quia sub Capitolio fuit. Livius lib. VIII. decad. IV. *Substructionem super Æquimelium in Capitolio* &c. *locaverunt*. Partem vero vici Jugarii constituisse ex eodem liquet l. IV. decad. III. *Omnia inter Salinas ac Portam Carmentalem cum Æquimelio, Jugarioque vico*, &c. *vagatus ignis sacra profanaque multa absumsit*. *Æquimelium* vero vicus non fuit, ut quidam sensere, verum area ex complanata Sp. Melii domo, affectati regni crimine damnati. Sic Livius lib. IV. *Domum deinde, ut monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo jussit. Id Æquimelium appellatum*. Nec aliter Varro lib. IV. & Cicero in Orat. pro Domo.

Vicus Thuscus, qui eodem latere in Forum exibat, secundum Fulvium omne illud occupavit planitiei spatium, quod trans Forum intra Palatinum & Capitolinum intercessit. Auctor ei hujus sententiæ Dionysius lib. V. *Senatus locum in urbe ad ædificandum dedit vallem Palatinum inter & Capitolinum colles, quatuor ferme stadiis protensam, qui usque ad nostram ætatem Thuscus vicus Romana lingua vocatur, qua transitur a Foro in Circum maximum*. Contra Marlianus *vicum Thuscum* illam solam viam esse dicit, quæ ab imis Palatini ad Velabrum ducebat. At unam tantum viam, non autem integram vallem *vicum Thuscum* constituisse e sexcentis Livii locis probari possit: qui tamen ambo facile conciliari possunt. Tota vallis, cui primum *Velabro* nomen, postea ab incolentibus eam Thuscis *vicus Thuscus* dici potuit, aut *vallis Thusca*. Verum ut locis amplis ac spatiosis sæpenumero accidit, quorum partes varia sensim nomina admittere superius etiam initio operis indicavi, vetus nomen *vici Thusci* uni tantum alterive viæ Velabri proprium restitit. Ceterum ut in radicibus Palatini collis *vicus Thuscus* inceperit, fieri nequit. Ingrediebatur enim Velabrum, & inde in Forum tendebat Boarium. Sic Livius lib. VIII. decad. III. *In Foro pompa constitit per manus, veste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde vico Thusco, Velabroque per Boarium Forum in Clivum publicum*, &c. & Porphyrius in Sat. III. lib. II. Horatii: *Thuscus dicitur vicus, qua itur in Velabrum*. Quod si igitur Forum Boarium & ipsum ad ima Palatini fuit, quomodo quæso e vico Thusco ad Boarium juxta

radices Palatini per Velabrum iri potuit, quod, uti post videbimus, a vico Jugario ad Forum Boarium, & inde ad Circum maximum ducebat? Nam in deducenda pompa ludorum e Foro ad Circum (qua via virginibus istis eundum erat) non exigua aliqua Velabri pars transibatur, sed per sat magnam ejus partem directo per medium itinere pergebatur. Neque alia ex his Ovidii lib. VI. Fastor. colligi sententia potest:

Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil præter salices, crassaque canna fuit.

Sic & de triumphi Cæsaris pompa Suetonius in Cæsare c. XXXVII. *Gallici*, ait, *triumphi die Velabra prætervehens pene curru excussus est*. Quare in media valle prope Jugarium vicum *Thuscus vicus* secure collocari poterit, quoniam via nova, ut mox dicemus, propior Palatino erat. Nam a Foro recta ad principium, vel etiam ad medium Velabri pertendens non in eo desinebat, quantum ego quidem judico, sed illud transversim transiens, (uti viæ notabiliores grandioresque in speciem crucis intersecari solent, dum alia aliam transit) versus pontem veterem, *Senatorium* olim dictum, nunc *S. Mariæ*, & dirutum, flexu quodam perrexit, licet forte non eodem *vici Thusci*, sed alio ac diverso notatus distinctusque nomine. Erant porro in eo vico Mercatores & Opifices frequentes vestium non sericarum, ut nonnulli putavere, sed lanearum: ut e Martiale liquet, Epigr. XXVIII. lib. XI.

Nec nisi prima velit de Tusco vellera Vico.

item Juvenale Sat. VI.

—— & vellere Tusco
Vexatæ duræque manus.

Confirmant hoc & tabernæ lanariæ, quas hic in vicinia fuisse post dicemus, cum de Velabro sermo erit. Horatius autem lib. II. Sat. III. unguentarios, & impios, ac nequam homines huic vico adscribit:

Unguentarius, ac Thusci turba impia Vici.

Ad quæ Porphyrius: *Ubi harum rerum mercatores, id est unguentarii consistunt*. Acro vero: *Turbam autem impiam aut negotiatores accipimus, aut lenones*: & paulo post. *Deinde quod in vico Thurario ante meretrices prostabant, nomen vico dederat*. Nec hic solum, sed & superius aliquanto, nomen *Thurarii* huic vico dederat: *Thusci ideo, quia nunc vicus rarius dicitur*. Unde forte de Thusco vico Victor accipit, quum Thurarium Jugario adjungit.

Nominis etymon quod attinet, diversa profert Varro ab his, quæ e Dionysio attulimus, a *Thuscis* ita appellatum dicens, qui cum Cœle Vibenna in auxilium Romuli venere. His primo incolendum Cœlium datum: verum cum fides eorum suspecta esset, ex edito loco postea in depressam vallem inter Capitolinum & Palatinum translatos fuisse. Ut Livium Dionysius, ita Varro Tacitum sibi consentientem habet: nisi quod Tacitus in tempore variet, non sub Romulo, verum sub Tarquinio Prisco id accidisse dicens.

Vertumni hic fuisse *signum* e Varrone constat, lib. IV. *Ab eis dictus vicus Thuscus, & ideo ibi Vertumnum stare, quod is Deus Hetruriæ*. Nec aliter Propertius lib. IV. eleg. II.

Thuscus ego Thuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volsinos deseruisse focos.
Nec me turba juvat, nec Templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre Forum.

Unde conficitur, etiamsi incurvæ viæ antiquæ A urbis obstitisse videri possit, nihilominus ab eo signo Forum conspici potuisse. Hoc autem signum Asconius in vico Thurario fuisse testatur in Verrin. III. *Signum Vertumni in ultimo vico Thurario est sub Basilicæ angulo flectentibus se ad postremam dextram partem*. Quod si vero *vicus Thurarius* juxta Acronem idem est ac *Thuscus*, recte res procedit, potuitque signum Vertumni esse in compito vici Thusci & Velabri semet intersecantium: sicut pompæ, ubi ad id signum venissent, per Velabrum ad Circum maximum iter flexerint: sicut & Cicero in Verr. III. affirmat: *Quis*, inquiens, *a signo Vertumni in Circum maximum venit, quin unoquoque* B *gradu de avaritia tua commoneretur?* Ultra illam Velabri intersectionem nomen *vici Thurarii* non durasse, ex Asconii verbis hisce patet, *in ultimo vico Thurario*. Quod autem Victor hic *ædem*, & non *signum Vertumni* recenset, *ædis Vertumni in vico Thusco*, (in quo auctorem Festum habet l. III. ubi Fulvii Flacci meminit: *Cujus rei argumentum est pictura in æde Vertumni, & Consi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera T. Papirius Cursor triumphantes ita depicti sunt*) fortean & ædes illic ei a Mercatoribus hoc in vico facta est, dum signum in angulo consisteret, unde in Forum prospectus erat. Sed hujusce rei ego disceptationem C peritioribus committo. Fuit hic *Vertumnus* Hetruscorum Deus peculiaris: cui nomen, uti est apud Propertium lib. IV. eleg. II. quod ætate Tarquinii Prisci sacrificio conciliatus Tiberim cuncta Velabri loca inundantem in alveum suum reverti fecerit:

At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.

Nec aliter Ovidius lib. VI. Fastor.

Nomen ab averso ceperat amne Deus.

D Asconius autem aliam adfert etymologiam loco superius indicato: *Vertumnus autem Deus invertendarum rerum est, id est, mercaturæ*. Cui assentiuntur Acro & Porphyrius in epist. ult. lib. I. Horatii. Et hinc in vico positus fuit mercatoribus refertissimo. Ubi Vicus Thuscus & Velabrum majus mutua semet intersectione dividebant, (si tamen Vicus Thuscus & Thurarius idem fuit) in angulo, ni fallor, dextro *Basilica Sempronia* fuit, cum signo Vertumni. Non enim aliam fuisse verisimile est, de qua supra Asconius, & Livius lib. IV. decad. V. *Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi tributa erat, ædes Africani pone veteres ad Vertumni signum, lanea*E*sque, & tabernas conjunctas in publicum emit, Basilicamque faciendam curavit, quæ Sempronia appellata est*. Sed hoc & Donatum ante me observasse video. Basilica autem illa perquam commode in loco frequentissimo, & tabernis laneis præsertim affluenti, posita fuit, ut in ea lites inter mercatores ortæ disceptarentur, ac terminarentur; fortean & ea de causa, ut in eam mercatores de negotiis suis acturi convenirent. Ergo, quum pompæ a signo Vertumni, quod in angulo fuit, ad Circum maximum ducerentur, ut & hoc signum, & Basilica hæc, in angulo fuerint viæ decussatæ, necesse est, F ad quem e Foro per Vicum Thuscum ibatur, & inde per Velabrum ad Circum maximum.

Via Nova appellata a Foro juxta templum Vestæ & ipsa ad Velabrum ducebat. Ita enim Ovidius lib. VI. Fastor.

Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua Nova Romano nunc Via juncta Foro est.

& Varro lib. IV. *Cujus vestigia, quod ea, qua tum itur in Velabrum, & unde ascendebant in montem, ad summam Novam Viam lucus est, & Sacellum Larum,*
Vela-

Velabrum dicitur, &c. & in v. *Hoc sacrificium* (n. Accæ Larentiæ) *fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulchrum Accæ.* item Cicero lib. I. de Divinat. *Multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam custodiam sacrorum devexus est, ut muri & portæ reficerentur.* Nec non Livius lib. v. *M. Cæditius de plebe nuntiavit Tribunis, se in nova via, ubi sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audivisse*, &c. Via hæc autem (quæ licet pervetusta, *novæ* tamen appellationem obtinuit, ut Varro ait: *ut novæ viæ, quæ via jam diu vetus*) non potuit esse ad radicem Palatini in angulo Fori, quia ad Velabrum ducebat, atque inde, ut supra dixi, non ad Velabrum porro, sed recta ad Forum Boarium tendebat: quare longius aliquanto a Palatino ad Vicum Thuscum, qui & ipse ad Velabrum ducebat, in Forum exibat. Quod ut liquidius intelligatur, intra radicem Palatini & viam novam lucus intermedius erat, & templum Vestæ, ut e verbis Ciceronis superius allatis patet. Marlianus eam e regione statuit templi Jovis Statoris: verum si e regione fuit, quomodo a Foro tendere ad Velabrum potuit? Nam templum illud in Foro non fuit, unde viæ novæ initium, &, quamvis illic fuisset, ex adversum Palatino incipiens via nova in Capitolium perrexisset, nec lucus Vestæ ad radicem Palatini illi viæ obversus fuisset: & si via nova illic fuisset, ubi Jovis Statoris templum erat, verba Livii l. I. ubi ait Tarquinium Priscum habitasse *ad Jovis Statoris ædem*, & inde e fenestra Tanaquilem ejus uxorem ad populum locutam *in novam viam versus*, superflua fuissent, imo & absurda; quoniam sensus earum exigit, ut fenestra illa non in anteriore ædium fuerit, ad *ædem Jovis Statoris*, verum in laterali, despiciens *in viam novam*: quæ idcirco alio loco fuerit, necesse est. Ut, quid meæ sententiæ sit, exponam: quamquam ea jam tum ævo nempe Tarquinii Prisci exstitit, ac *novæ* nomen obtinuit, ab ipso illam tamen Tarquinio factam puto, cum cloacam e Foro ad Tiberim fecit, cujus altior fornix quum sub terra fieri nequiret, aperiendus supra fuit; eo magis, quod cloacæ ea ætate non subter ædes ducebantur, sed ut Livius lib. v. ait, *per publicum*. Quare qui in ore grandis illius cloacæ (quæ sub rotunda ædicula *S. Stephani* ad Tiberim incipit, & prope *S. Georgii* ædem in Velabrum tendit) ductum ejus versus Forum vetus recte observaverit, facile is quoque vestigia ductumque antiquæ viæ novæ ibidem animadvertet. Juxta Fulvium, aliosque, flectebatur illa versus Circum maximum, præterque eum transiens ad Thermas perveniebat Antoninianas, quas Spartianus *in via nova* fuisse memorat. Sed hæc, ut recte Marlianus sensit, alia *via nova* est ab illa, de qua nunc agimus, Velabri limitibus inclusa, diversa, quippe multis post seculis a Caracalla facta, uti in regione XII. ostendam.

Fuit & in via nova *Aii Locutii Templum*, post Gallorum irruptionem constructum, ob vocem, quæ illic audita fuerat. Ita enim Cicero & Livius Hic autem lib. v. *Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset, mentio illata, jussumque est templum in nova via Ajo Locutio fieri. Templum* hoc *Famæ* Plutarchus appellat in Camillo: Cicero vero tantum *aræ* meminit: *Ara enim*, inquit, *Ajo Locutio, quam septam vidimus, adversus eum locum consecrata est.*

Tandem in angulo Fori, ad radicem Palatini aliam quoque incepisse viam probabile est, quum plerumque in arearum angulis viæ esse soleant. Hanc ego non inani, ut puto, conjectura ductus ramum viæ sacræ fuisse arbitror. E Festo enim superius habuimus: *Nec eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a Regia ad domum Sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniæ, & rursus a Regia usque ad arcem.* Quare quæ illius pars a *Regia usque ad arcem* perrexit, explicandi tempus est. Non erat ea vulgo nota, quia ab orientali latere ad occidentale per medium Forum transibat, id est ab arcu Fabiano ad templum Vestæ. Ita libri Ovidiani viæ dux lib. III. el. I. Tristium, a Foro Cæsaris in magnum transiens per viam sacram ad illud templum ducit:

> —— *hæc sunt Fora Cæsaris*, inquit.
> *Hæc est, a sacris quæ via nomen habet.*
> *Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat, & ignem,*
> *Hæc fuit antiqui Regia parva Numæ.*

Hic via sacra inflexa in arcem ascendebat: nec est, quod de eo dubitandum quis existimet: verum ab altera parte templi Vestæ, quæ ibi via ad portam Palatii veterem, & per *clivum* itidem *sacrum* appellatum ad veterem Romam quadratam, palatium Augustale, & templum Apollinis ducebat, ipsa etiam sive per adulationem, sive per venerationem, seu qua alia de caussa *sacra* nuncupata est. Manifestum id ex his Plutarchi in Cicerone: *In templo Jovis Statoris, quod erectum est juxta principium sacræ viæ, quæ Palatium respicit.* Quod principium non *summa* illa *sacra via* esse potuit, quæ ultra ædem *S. Mariæ novæ* erat, nec illud *sacræ viæ caput*, quod ad ædem *S. Laurentii* fuit *in miranda*: ubi ædes Jovis Statoris, & vetus Palatii porta esse non potuerunt, sic ut Ovidii liber templum Vestæ prætergredi necesse habuerit, quo ea adiret: immo nec Tarquinius Priscus hoc modo inter illud templum & viam novam habitare potuisset. Necesse igitur est, ut de alio viæ sacræ principio loqui Plutarchus censeatur, nimirum illius *quæ palatium respicit*. Paulo vero inferius idem scriptor dicit: *E Palatio consul Lentulum sumit, eumque per viam sacram, mediumque Forum adducit.* Clarius vero Dionysius lib. II. ubi templum ait Jovis Statoris a Romulo ædificatum *ad portam Mugoniam, unde per viam sacram Palatium aditur.* ubi errore nominis istius portæ stabilito, uti lib. primo fusius exposui, non de alia quam de hac sacra via accipi potest; quum fieri alias nequeat, ut domus Tarquinii Prisci illic fuerit, ubi nunc Arcus Titi est, & fenestras habuerit in viam novam despicientes. Hinc liber Ovidianus ultra Vestæ ædem & lucum, iter persequens in dextram flectit, quum alias recta collem ascendere debuisset ad latus ædis Castoris:

> *Inde petens dextram, porta est, ait, ista Palati;*
> *Hic Stator, hoc primum condita Roma loco est.*

Sic & Martialis librum suum primum Epigrammatum ad bibliothecam Palatinam mittens, idem ipsi iter injungit, *clivum*que illum *sacrum* appellat, epigr. LXVI.

> *Quæris iter? Dicam. Vicinum Castora canæ*
> *Transibis Vestæ, virgineamque domum.*
> *Inde sacro veneranda petes Palatia clivo*, &c.

Verum sive illa *sacra*, sive alio nomine appellanda *via* est, negari sane nequit, in ea Fori extremitate, quæ ad Castoris & Vestæ erat, incipientem juxta Palatini devexa brevi ad templum Jovis Statoris, & ad veterem Palatii portam pervenisse: ante quod templum sita Tarquinii Prisci domus facile ab altero latere fenestras habere potuit viam novam prospicientes. Hoc pacto constitui, firmarique poterit, Tarquinium inter utramque viam post ædem lucumque Vestæ habitasse, siquidem in

Foro domum non habuit: hæc autem viam, quam sacræ fuisse viæ ramum diximus, vel recta in Forum ducebat Boarium, vel potius in eam intrabat viam, quam jam ante ex Asconio per Vulcanale & devexa Palatini ad Circum tendere exposuimus, regionemque quartam & decimam ab octava dirimere. Quod si cui viarum hæc dispositio minus probabitur, is alium nobis earum situm promat, concilietque veterum de his viis scriptorum inter se loca dissona; & ego lubens illi in concordem reductæ veterum dissensionis sententiam auctori assurgam. Interim ea, quæ nos hic attulimus, recensitæ hic a Victore & Rufo *domus Publicolæ*, *ædesque Victoriæ* plurimum confirmant.

Ædes Victoriæ sub Velia constructa fuit, ubi antea *domus Valerii Publicolæ* fuerat. Ita Hyginus, & ex eo Asconius in Pisonianam: *P. Valerio Volesi filio Publicolæ ædes publicas sub Velia, ubi postea fuit ædes Victoriæ, ex lege, quam ipse tulit, populum concessisse*. & Plutarchus in Publicola: *Domumque multo illa priore celsiorem ædificavit, ubi nunc fanum, quod vicum publicum dicunt*. Quod fanum quin idem sit, atque ædes Victoriæ ab Hygino memorata, nullus dubitem. Etsi hæc domus sub Velia fuit, Velia vero, ut jam probavimus, Forum prospexit, necessario sequitur domum illam non longe a Jovis Statoris abfuisse templo, portaque Palatii. Confirmat hoc Festus lib. XVI. *Romana porta instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ*. *Vicum* vero *publicum* a Plutarcho vocitatum illam esse viam, quæ a Dionysio descripta, & a nobis aliquoties a sacra via ad Circum tendere dicta est, perquam verisimile est; nam ut a Plutarcho, ita & a Livio *vicus publicus* appellatur, lib. II. *Delata*, inquit, *confestim materia omnis infra Veliam, & ubi nunc vicus publicus est: domus in infimo clivo ædificata*: qui *infimus clivus Victoriæ* Festo dicitur. Forsan autem *vicus* hic non *Publicus*, sed *Poblicius* nominandus est, ita ut hic libri corrupti sint; de quo alias. Ceterum non me fugit, esse nonneminem, qui ex vitioso Livii codice, pro *ubi nunc vicus Publicus est*, habente, *ubi nunc vice pocæ est*, aliam nobis lectionem cudat, restituendumque existimet, *ubi nunc Vicepotæ est*, atque etiam in Plutarcho, pro eo quod nunc legitur, *quod vicum Publicum dicunt*, emendet, *quod Vicepotæ dicunt*: Verum cum nulla usquam istius Deæ extet mentio, (nisi forte probabilior illa emendatio videtur, *ubi nunc Victoriæ est*, legentis) vulgatam ego lectionem sollicitare vix ausim, præsertim in Livio, quæ, præterquam quod plana & perspicua sit, *vici* & *clivi publici*, seu *Poblicii* inter Veliam & Aventinum siti, testes plures habet idoneos, de quibus postea nonnulla in regione XII.

Domum Publicolæ sub Velia pecunia publica factam, januamque in ea fuisse quæ peculiari privilegio contra aliarum morem foras aperiretur, Asconius docet in Pison. *Valerio Maximo inter alios honores domus quoque publice ædificata est in Palatio: cujus exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est extra privatum aperiretur*.

Ædem Victoriæ Posthumius Consul fecit. Ita enim Livius lib. X. *Ædem Victoriæ*, &c. *quam Ædilis Curulis ex mulctatitia pecunia faciendam curaverat, dedicavit*. Verum utrum hæc ea fuerit, an illa alia in monte Palatino, dijudicare non ausim. Cato & aliam ei *ædiculam* addidit, ut ex eodem Livio discimus lib. V. decad. IV. *Ædiculam Victoriæ prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit, biennio postquam* &c. Hanc & Rufus & Victor hic recensent. Sed ad Forum revertendi tempus est.

Lacus Juturnæ, ad ædem Castoris, fons fuit, qui e radicibus scaturiens Palatini parvum illic, sed profundum lacum faciebat, uti a Dionysio describitur lib. VI. Hodie nullum vestigium superest, quod rivus ille aquæ, exaggerato exaltatoque solo, meatum al quem sibi sub terra fecerit. Sunt, qui cum existiment fontem illum, qui ad *S. Georgii* ædem in Velabro cernitur, & sub terra in Tiberim fluit. Alii vero illum *S. Georgii* aquam cloacæ maximæ opinantur; nec negari hoc potest: veruntamen, quod ibi copiosa aqua scaturiat, fortassis & Juturnæ ei fons admixus fuerit.

Vicinum ei *Templum Vestæ* fuit; ita enim præter ceteros, quos adducere supersedeo, Dionysius lib. VI. ubi Castorem & Pollucem equos suos sudore madido *ad fontem* duxisse scribit, *qui apud ædem Vestæ scaturiens parvum, sed profundum lacum facit*. Nec solum ibi Vesta *ædem* suam habuit, verum & *lucum*, & *atrium*. *Ædem* Blondus rotundam esse *S. Stephani* ædiculam existimat, quæ ad Tiberim est, non longe a *Schola Græca* remota, deceptus forsan ædiculæ istius circulari forma, qua & Vestæ ædem fuisse Ovidius testatur l. VI. Fallor. tum & nummi antiquissimi, qui in aversa parte illius nobis exhibent templi imaginem. Verum si Vestæ ædes in Foro fuit, Forum sane ad Tiberim usque protensum non fuit, uti nec ad Velabrum. Marlianus duo fuisse Vestæ templa existimat, alterum, quod a Dionysio lib. II. extra Romam quadratam Romuli fuisse dicitur, quodque ejusdem, cujus Blondus, sententiæ ædiculam illam rotundam esse credit; alterum in Foro ad radices Capitolii, ubi nunc ædicula est *S. Mariæ Gratiarum*, juxta Xenodochium. Verum prius quod attinet, erravit Marlianus in Roma Romuli quadrata, dum illam in Palatino non intelligit, extra quam revera templum Vestæ fuit; sed eam Romam quadratam, quæ ipsum complectebatur Capitolium, omnemque subjectam planitiem. Quæ tamen, quemadmodum lib. I. exposui, quadrata non fuit. Quare Dionysius de uno tantum Vestæ templo agere, loquique, existimandus est; quod quidem extra Romam quadratam fuit: verum in medio inter Palatinum & Capitolium spatio, id est, in Foro. Quod autem secundum attinet, si Castoris ædes sub Palatino fuit, & juxta Juturnæ lacum, templum quoque Vestæ ei vicinum fuisse dici potuit, quod in vicinia non ita stricte sumpta Palatini montis fuit, non ita longe a radicibus ejus remotum. Qua de causa rationi minus conveniens fuerit in adversa illud parte sub Capitolio collocare. Fulvius illud prope ædem *S. Mariæ Liberatricis* constituit, cui prius *S. Silvestri in Lacu* nomen, ab hoc, uti opinatur, Juturnæ lacu. Argumentum ejus validissimum a duodecim petitur inscriptionibus virginum Vestalium ibidem repertis. At quis nobis præs erit, virgines illas in templo sepultas fuisse? Locum quidem earum sepulturæ non procul a Foro abfuisse lubens concesserim; non ideo tamen templum illud in limitibus Palatini ponendum est. Dionysius enim in medio illud spatio fuisse dicit lib. II. quod inter Palatinum & Tarpejum intererat: ergo necessario illud in medio occidentali Fori latere fuit: *Numa autem imperium accipiens*, inquit, *privatos quidem non movit curiarum focos; communem vero constituit omnium unum*, ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ Καπιτωλίου καὶ τοῦ Παλατίου χωρίῳ; *in media inter Capitolium & Palatium ora, jam collibus uno circuitu in urbem comprehensis, & in medio inter utrumque existente Foro, in quo posuit templum & custodiam sacrorum*. Quo sensu optime procedit, Sabinos a radicibus, & porta veteri Palatini usque ad medium spatium, quod inter utrumque collem interjacet, rejectos esse. Præterea *lucus Vestæ* a Cicerone ad radicem Palatini fuisse dicitur, sed ita, ut ad viam novam protenderetur, lib. I. de Divin.

A *A luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam custodiamque sacrorum devexus est.* id est, in occidentali Fori latere, ab ea lateris extremitate disjuncto, quæ sub Palatio erat versus viam novam, *custodiamque sacrorum*, nempe versus templum Vestæ, quod in introitu viæ novæ fuisse indicatur: ubi & Livius illud lib. v. collocat: *Marcus*, inquit, *Cæditius de plebe nuntiavit Tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audivisse*, &c. ubi sacellum illud in nova quidem via fuisse dicit, sed supra ædem Vestæ. Nec dissentit Ovidius lib. vi. Fastor. ut supra vidimus. Tandem Galbæ cædes, a Suetonio,
B Tacito, & Plutarcho descripta, templum illud Vestæ velut oculis nostris subjicit. Descenderat Galba e Palatio Neroniano per viam sacram in Forum, ibique eum Prætoriani, qui ab orientali ejus latere per Basilicam Pauli in Forum irruperant, adorti ad lacum Curtium interemerunt. Vinius vulneratus fugiens ante templum Cæsaris procidens occubuerat: Piso vera fuga se in templum Vestæ receperat. Hinc satis liquere puto, Vestæ templum illi lateri oppositum fuisse, unde Prætoriani in Forum venerunt.

Hic aliquem mihi objecturum video *equestrem*
C *Domitiani statuam*, a Statio lib. i. Sylvarum descriptam. Hæc in medio Foro posita & Palatium prospiciebat, & templum Vestæ:

> *Ipse autem puro celsum caput aere septus*
> *Templa superfulges, & prospectare videris*
> *An nova contemptis surgant Palatia flammis*
> *Pulchrius, an tacita vigilet face Troicus ignis,*
> *Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.*

Atqui hæc uno, inquiet, eodemque tempore utrumque prospicere non poterat, diversis lateribus constitutum. Hic ego rursus interrogem, si altitudo colosseæ Domitiani statuæ duplici basi impo-
D sitæ,

> *Quæ superimposito moles geminata Colosso*, &c.

templis superexstabat, quo ea pacto eodem tempore vultu elato summum Palatini prospectare verticem potuerit, & simul oculos ad humile Vestæ templum deflectere? Non igitur vetus templum statua illa prospiciebat, sed eam Vestam, quæ in Palatino erat ante Augustale palatium, de qua in regione decima nonnulla etiam dicentur. Verum etiamsi templum Vestæ prospexisse existimetur, quod in Foro fuit, nil obstabit: nam Palatium
E Augustale illi Fori angulo superimminebat, cui templum illud, lucusque vicina erant, sic ut statua illa utrumque potuerit ædificium prospectare.

Ut igitur hujus Fori lateris ædificia ordine disponamus, in principio ejus sub Palatino, & in angulo viæ sacræ lucum Vestæ incepisse dicendum est, atque versus viam novam inclinasse, sic uti a Cicerone descriptus est. Ubi hic desiit, templum Vestæ fuit in ipso viæ in Forum introitu. Quod licet non exacte in medio illo spatio fuerit, si geometrica hic diligentia exigatur, inter Tarpejum & Palatinum (quam nec Dionysium observasse puto) sufficiat ferme in medio colloca-
F ri, ita ut Dionysii sententiæ nihil omnino repugnet.

Templum hoc ad imaginem telluris rotundum fuisse Ovidius ait. Exterius columnis circumdatum nummi nobis veteres exhibent. Tectum ejus ære Syracusano inductum Plinius tradit l. xxxiv. cap. iii. *Vestæ quoque ædem ipsam Syracusana superficie tegi placuisse.*

In eo templo *ignis æternus* coli, conservarique solitus, qui non in lampade aliqua suspensus fuit, ut nonnemo credidit, verum in ipsa ara: nec flamma ardens ex oleo, aut qua alia re liquida erat, verum substratis cineribus lignis alebatur. Liquet e facto Æmiliæ virginis Vestalis, quod Dionysius lib. ii. refert: *Hæc dicens, & e veste linea fasciam abstrahens, qua cincta erat, dicunt illam post orationem jactasse in aram, eque frigido cinere, quod longe antea fuit absque scintilla, magnam per linum exisse flammam* &c. Plures autem ibidem fuisse focos ex hisce Val. Maximi lib. v. cap. iv. colligi potest: *Ignoscite æterni vetustissimi foci, veniamque date ignes.* Non fuisse autem suspensum, nec in terra, verum supra aram, præter Dionysium Lucanus etiam exprimit lib. i.

> —— *Vestali raptus ab ara*
> *Ignis.*

& lib. ix.

> —— *& quorum lucet in aris*
> *Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta suorum*
> *Pallas in abstruso pignus memorabile templo.*

item Silius lib. i.

> *Et nos virginea lucentes semper in ara*
> *Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.*

Nec in nuda ara, ut aliorum sacrorum ignes, verum in ara unum, plurave erant vasa fictilia. Valerius cap. iv. lib. v. *Et æternos Vestæ focos fictilibus etiamnum vasis contentos*, &c. Sicut his ignibus suis contentis fictilibus aræ non secus inservierint, ac bases statuis.

In eodem Vestæ templo peculiaris quidam locus fuit, qui *Penus* appellatus. Festus: *Penus vocatur intimus locus in æde Vestæ segetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperitur. Ii dies religiosi habentur*, &c. ubi forte pro *segetibus*, *tegetibus* reponendum est. Sic & de Ara Larum Nævius apud eundem Festum in voce *Penum*:

> —— *qui aras Compitalibus*
> *Sedens in cella circumjectas tegetibus*
> *Lares ludentes peni pinxit bubulo.*

Quæ clausura ad instar forte instituta fuit tentoriorum. Juvenalis Sat. vi.

> *Ausa Palatino tegetem præferre cubili.*

De *Penu* mentio quoque exstat apud Lampridium in Elagabalo: *Et in Penum Vestæ, quod solæ virgines, solique Pontifices adeunt, irrupit*, &c. Forsan illic Palladium conservatum fuit, quod numquam conspiciebatur, si qua Lucano fides, ut supra habuimus. Confirmat & Herodianus lib. i. *Plurima quæque & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt: inter quæ & Vestæ templum; sic ut Palladium quoque conspiceretur, quod in primis colunt, atque in arcano habent Romani, Troja, ut perhibent, adductum, ac tum primum, postquam in Italiam devenit, conspectum ab hominibus. Quippe raptum id Vestales virgines media sacra via in aulam Imperatoris transtulerunt.* A Vestalibus solis, vel etiam a sola Vestali maxima videri licuisse Lucanus lib. i. indicat:

> *Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos,*
> *Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.*

Immo nec Vestalibus Palladium, resque alias sacras videre permissum, Dionysius lib. ii. expressis verbis tradit. Unde colligi potest recte Lucanum de sola id virgine Vestali maxima dicere. Verum quomodo *Penus* diebus Vestalibus aperiri potuit, ut id non videretur? sine dubio tegetibus sublatis armarium, in quo Palladium servari solebat, clausum remansit. Porro e Dionysio aliud adhuc aliquid ibidem cum Palladio inclusum fuisse videri

possit: verum quoniam Herodianus in incendio illo principatu Commodi nil præter Palladium a virginibus asportatum refert, nil illic quoque amplius asservatum fuisse verosimilius est.

Quod *Atrium Vestæ* dicitur, *Regia Numæ* fuit, ubi egregius ille Rex audire populum solebat, ejque jus reddere. Ovidius lib. VI. Fastor.

Hic locus exiguus, qui sustinet Atria Vestæ,
Jam fuit intonsi Regia parva Numæ.

Unde & *Atrium Regium* appellatum est. Livius l. VI. dec. III. *Comprehensa postea privata ædificia, (neque enim tum Basilicæ erant) comprehensæ Latomiæ, Forumque piscatorium, & Atrium Regium; ædes Vestæ vix defensa est tredecim maxime servorum opera.* Quare quæ proprie *Regia* dicta est, diversa ab hac fuit, ut in Regione quarta dictum, & hinc liquet. Sed si *Regia Numæ* ab *Atrio* diversum non fuit ædificium, *Regia Numæ* & *Atrium Vestæ* a Victore distinctim recenseri non potuere. Ego vero alterum ad alterius explicationem velut synonymon additum hic existimem, scriptumque uno versu, *Regia Numæ Atrium Vestæ;* ita ut indicare eo scriptor voluerit, quæ *Regia* prius *Numæ* dicta fuisset, post *Atrium Vestæ* appellatam: nisi quis forte illud ultimum glossema a librario aliquo assutum existimare velit. *Atrium* hoc non conjunctum Templo fuit, verum ædificium peculiare, ac separatum, nonnihilque ab eo remotum, quantum e Servio in VII. Æn. constat: *Ad Atrium autem Vestæ*, inquit, *conveniebatur, quod a templo remotum fuerat.* Quare ad alterum latus introitus viæ novæ in Forum supra ædem Vestæ ipsum Atrium situm fuisse, recte mihi videor asserere.

Eodem latere Lipsius & Donatus *Basilicam Juliam* fuisse censent, e positu equi Domitiani id colligentes a Statio descripti; qui in medio Foro positus Palatium prospiciebat, & ab hoc latere Basilicam Juliam, ab illo Basilicam Pauli sibi obversam habebat. Ita enim Statius:

At laterum passus hinc Julia Templa tuentur,
Illinc belligeri sublimis Regia Pauli.

Basilica vero Pauli ad latus illi sinistrum fuit, versus ædem *S. Hadriani*. Ergo Julia ad dextrum: quod & alio validiore adhuc argumento probari possit. Festus enim lib. VIII. de lacu loquens Servilio hæc ait: *Servilius lacus appellabatur ab eo, qui eum faciendum curaverat in principio Vici Jugarii, continens Basilicæ Juliæ: in quo loco fuit effigies hydræ positæ a M. Agrippa.* Erat igitur *lacus*, seu potius *fons Servilius*, ab Agrippa effigie hydræ ornatus, aquam forte ejectantis, ad principium Vici Jugarii, qua in Forum exibat, quodque in hoc latere erat in angulo, sub Capitolio: adeoque Basilica Julia ad hunc fontem, seu lacum situ necessario inter Vicum Jugarium & Thuscum fuit, nimirum ad Ecclesiam *S. Mariæ Gratiarum*.

Ubi Statius *Julia Templa* habet, Lipsius *Julia tecta* legere malit, fide veteris codicis, ut ambiguitas templi ejusdem Julii tollatur, quod itidem in Foro fuit, sed a Basilica distinctum, diversumque. Contra Donato nil mutandum videtur, quod & Basilicæ olim inauguratæ fuerint, non secus ac templa, & curiæ: præterquam quod eandem Basilicam Martialis etiam lib. VI. epigr. XXXVI. *Julia templa* vocet:

Jam clamor, centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, & infanti Julia Templa placent.

Sed & hic in quibusdam codicibus *Julia tecta* legitur. Quare ego Lipsium sequi malim, quum num-

A quam legerim, Basilicas inauguratas fuisse, ac templa existimatas: imo nec probabile id mihi videtur, quoniam primis Romæ temporibus non in templis jus dicebatur, verum sub dio in Foro: eaque propter, si Basilicæ commoditatis causa ædificatæ sunt, nullam rationem video, quare inauguratæ fuisse dicantur, præsertim quum id nusquam memoriæ proditum exstet. Tum & in Martiale cacophonia nimia sit, si *Julia templa placent* ab eo scriptum existimetur; & ambiguitas e duorum templorum orta confusione sententiam obscuram reddiderit. Quare, sicuti dixi, tam in Martiale, quam in Statio *Julia tecta*

B præferam.

In *Basilica Julia* causas centumvirales agi solitas, præter adductos versus Martialis, etiam hæc Plinii Junioris epist. ult. lib. V. testantur: *Descenderam in Basilicam Juliam auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere deberem. Sedebant Judices, Centumviri venerant, observabantur Advocati*, &c. De eadem quoque Quintilianus loquitur lib. X. cap. XV. *Cum in Basilica Julia diceret primo tribunali*, &c. In quatuor vero tribunalia eam divisam fuisse idem Plinius indicat l. VI. epist. XXXIII. *Quadruplici judicio bona paterna repetebat. Sedebant Judices centum octoginta: (tot enim quatuor consiliis colliguntur) duo-

C bus consiliis vicimus, totidem victi fuimus.* Tametsi autem centumvirales caussæ in Basilica agerentur, accidit nihilominus aliquando, ut subsellia in Forum transferrentur, & caussæ sub dio disceptarentur. Ita Quintilianus de Porcio Latrone celebri declamatore agens, lib. X. cap. V. ait: *Ut cum ei summam in scholis opinionem obtinenti caussa in Foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in Basilicam transferrentur. Ita illi cœlum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur.* Quod si quis hanc Basilicam exactissime descriptam cognoscere desideret, Vitruvium is adeat lib. V. cap. I. qui, ut ipse ait, ejus architectus fuit. Sueto-

D nius cap. XXXVII. de Caligula refert, eum *nummorum non mediocres summas e fastigio Basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsisse in plebem*. Unde Donatus infert, ingentem illum Caligulæ pontem, quo Palatium Capitolio jungebatur, super hanc Basilicam & totum illud Fori latus transiisse.

De *Lacu Servilio* (de quo paulo ante facta mentio, quique forte *lacui Juturnæ* oppositus fuit, quippe qui in ejusdem lateris altera fuit extremitate) illud adhuc subnectere visum, quod Seneca ait tr. *cur bonis viris* &c. *Videant largum in Foro sanguinem, & super Servilium lacum (id enim proscriptioni Sullanæ

E spoliarium est) Senatorum capita.*

CAP. VI.

Latus sub Capitolio.

HIc primum *Arcus Severi* spectatoribus semisepultus occurrit: unde veteris soli humilitas conjici potest. Memini eum totum detectum vidisse initio Pontificatus Gregorii XV. quum terra omnis repurgata ablataque fuit, ut murus circum eum duceretur, ponsque sub majore fieret for-

F nice, ut ita totus conspici posset, non secus ac Columnæ Trajanæ factum fuit. Verum quum postea metueretur, ne locus ille omnium immunditiarum foret receptaculum, mutatum consilium est, egestaque jam terra rursus injecta, aggestaque. Sunt autem in eo Arcu insignes hinc & illinc bellicarum pugnarum exstantes effigies, cum hac ab utroque latere inscriptione:

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PERTINACI
AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET. PARTHICO
ADIABENICO. PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP.
XI. COS. III. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIO. L. ANTONINO
AVGVSTO. PIO. FELICI. TRIBVNIT. POTEST. V. COS. PROCOS. P. P.
OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS
OB. REMPVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE
POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM. INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS.
EORVM. DOMI. FORISQVE.
S. P. Q. R.

Animadverti autem eo versu potest, ubi legitur, *optimis fortissimisque Principibus*, marmoris solum aliquanto depressius esse, prioresque indicare literas erasas aliis substitutis. Sine dubio illic Getæ nomen fuit, quod Caracalla ex omnibus eradi monumentis jussit, uti nos Spartianus docet. Quare qui diligenter in ipsis literis æris, quo obductæ fuere, foramina consideraverit, facile is aliarum literarum vestigia deteget.

Eodem latere duæ quoque *ædes* fuere, *Concordiæ*, & *Vespasiani*, a Statio indicatæ eo carmine, quo equum Domitiani descriptum diximus. Collocat autem illas recta a tergo;

Terga Pater, lætoque videt Concordia vultu.

Templum Concordiæ Festus in voce *Senatula* inter Capitolium & Forum fuisse dicit, iisdemque id verbis Victor adnotat, ubi de *Senatulis* loquitur. Plutarchus autem in Camillo spectasse id Forum ait: *Postridie concione habita scriptum est, ut templum Concordiæ in rei memoriam ad Forum & Comitium spectans ædificaretur.* Habuisse porro multos ante se gradus, queis in illud ascenderetur, e Philippica X. Ciceronis constat: *Equites Romani*, inquit, *qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterant*. Hi in imo Capitolino clivo ad Forum assurgentes sine dubio illud eminentius ipso fecere Foro, atque ita nonnihil ab ejus margine disjunxere circa clivi initium. Vetus enim collis inæqualitas, uti ea Camilli ætate erat, ædificiis illic constructis æqualitatem situs denegasse videtur. Non longe vero a *Carcere* templum Concordiæ abfuisse Dio tradit lib. LVII. ubi de Sejano agit: *Eodemmet die Senatus coactus prope Carcerem in æde Concordiæ*.

Hinc communis omnium opinio est, partem hujus templi residuam porticum illam octo columnarum esse, quæ sub imo clivo Capitolii ad Arcum Severi hodieque exstat, cum hac inscriptione:

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.
INCENDIO. CONSVMPTVM. RESTITVIT.

Verum hujusce opinionis nullum idoneum argumentum testimoniumve produci potest. Nam templum Concordiæ in ipsum prominebat Forum: hæc vero porticus aliquanto inde erat remotior, quippe supra Arcum Severi. Adhæc illud *inter Capitolium & Forum* fuisse legitur: hæc, si situm ejus editiorem spectes, & cum humilitate soli, in quo Arcus Severi & Carcer existunt, conferas, non inter *Capitolium & Forum*, sed in ipso Capitolii clivo, extra tamen adstructos arci muros, fuisse deprehendetur. Verum tres illæ aliæ columnæ vicinæ, in quibus vox truncata ..ESTITVER.. adhuc legitur, planitiem illic Capitolii fuisse, substructionibus illis subjectam manifeste arguunt. Ceterum Templum Concordiæ anteriore sui parte, seu frontispicio, atque item gradibus Foro & Comitio obversum, ut ex Plutarcho patet, terga equi Domitiani prospiciebat, ut e Statio supra habuimus. Ubi, præter ipsam vocis *videt* propriam significationem, *τὸ læto vultu* numquam de loco temploque dici potest, quod a lateribus Foro objacuit, adeoque nonnisi improprie valde & præter rationem ita accipi, explicarive. Ædem Saturni denique Servius in I. Æneid. *juxta Concordiæ templum* constituit: & concesso ædem Saturni fuisse eam, quæ nunc *S. Hadriani* vocatur, sicuti revera non fuit, nullo tamen modo Servius in tanta ædificiorum publicorum inter se contiguorum copia, extra ordinem illud Concordiæ templum in signum documentumque situs ædis Saturni tamquam maxime vicinum allegasset. *S. Hadriani* templum versus ædem *S. Laurentii in Miranda* plura insignia a latere habuit ædificia, & in primis celebrem illam *Pauli Basilicam*: ab alio vero latere *Secretarium Senatus* post illa duo nobilissima Augusti & Cæsaris Fora: unde *S. Hadriani ædes in tribus Foris* legitur. Paulo ulterius *Carcerem* habuit, & *Arcum Severi*, & plura alia ædificia publica, vel ignorata, vel non adeo notabilia, ut hic illis commemorandis inhærendum sit. Quare, nisi validioribus urgear convincarque argumentis, dicere non verear, non admodum verisimile esse, vocem *juxta* de duobus ædificiis a se invicem remotis a Servio fuisse usurpatam. Adhæc multum sententiæ huic meæ accedit firmitudinis ex illis Valerii Maximi lib. IX. cap. VII. ubi Sempronium Asellionem refert *pro æde Concordiæ sacrificium facientem, ab ipsis altaribus fugere extra Forum coactum*, &c. At templum illud octo columnarum nec prospectum, nec gradus in Forum directos habuit, sed in primam Capitolii planitiem: sicut, qui ante illud sacra fecisset, in Foro esse non potuisset, nec a plebe ad fugam a Foro urgeri.

Nec est, quod quis objiciat, a Dionysio *prope carcerem* dici, ut supra vidimus; nam scopus illius Historici fuit ostendere, Senatum non procul a carcere habitum fuisse, ut eo celerius illuc deduci Sejanum jubere posset: unde non ita stricte illic vocabulum *prope* accipiendum est; cum ei significasse suffecerit, templum Concordiæ ceteris locis, in queis Senatus haberi solitus, propinquius carceri fuisse. Marlianus tamen inscriptione hac, quam in ecclesia *S. Joannis Lateranensis* exstare dicit, communem opinionem defendit:

D. N. CONSTANTINO. PIO. FELICI. AC. TRIVMPHATORI
SEMPER. AVGVSTO. OB. AMPLIFICATAM. TOTO. ORBE
REMPVBLICAM. FACTIS. CONSILIISQ.
S. P. Q. R.
AEDEM. CONCORDIAE. VETVSTATE. COLLAPSAM
IN. MELIOREM. FACIEM. OPERE. ET. CVLTV. SPLENDIDIORE
RESTITVERVNT.

Verum cum hic de *æde* agatur *vetustate collapsa*, & *in meliorem* tantum *faciem restituta*, hoc in illud octo columnarum templum detorqueri nequit, quod incendio consumtum adeoque reædificatum fuit. Quare ut exactius situm ædis Concordiæ describam, quod templa Vespasiani & Concordiæ Foro & equo Domitiani opposita fuisse e superius dictis liqueat, Vespasiani templum sub octo illis columnis collocandum censeo; ædem vero Concordiæ ad dextram, aliquanto magis versus ædem *B. V. Consolationis*: atque ita nil absurdi, aut a proportione locorum alieni, in hac situs determinatione occurrere cuiquam posse existimo.

Templum hoc *Concordiæ* Camillus vovit, Senatus autem construi jussit, uti Plutarchus in Camillo, & Ovidius I. Fastorum testantur. Conjunctum ei *Senatulum* fuisse Festus refert, qui, *Senatula tria Romæ fuisse*, ait, *in quibus Senatus haberi solitus sit: unum, ubi nunc est ædes Concordiæ inter Capitolium & Forum, in quo solebant Magistratus duntaxat cum Senioribus deliberare*. Unde infertur, non modo ætate Festi id non amplius exstitisse, verum etiam tum tantum fuisse, cum templum adhuc nullum Concordiæ factum esset. Fieri vero potuit, ut quum in æde Concordiæ Senatus sæpissime haberetur, nomen illa *Senatuli* acceperit: & hinc Livius lib. I. decad. v. de porticu in clivo Capitolino facta dicit: *Ab æde Saturni in Capitolium ad Senaculum*. Hic loci contra Catilinam Senatum convenisse Sallustius memorat: *Nonnulli equites Romani, qui præsidii causa cum telis erant circum ædem Concordiæ, egredienti ex Senatu Cæsari gladio minitarentur*. & Cicero Philipp. II. *Cum in Cella Concordiæ, in qua me Consule salutares sententiæ dictæ sunt*, &c.

Ædi Concordiæ vicina fuit *ædes Saturni*, quam Servius ante clivum fuisse Capitolinum docet in lib. I. Æn. *Ossa Orestis*, &c. *condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum, juxta Concordiæ templum*. Dionysius eam lib. VI. in via fuisse dicit, per quam e Foro ad Capitolium ascendebatur. Varro, qui utroque antiquior, ait lib. IV. *Vestigia* (n. civitatis Saturni) *nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus*, &c. qua voce clivum Capitolinum significat. Livius lib. I. dec. V. *Censores clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & porticum ab æde Saturni in Capitolium*, &c. *Ærarium* hic P. R. fuisse, una omnium sententia est. Macrobius lib. III. Saturnal. cap. VIII. *Ædem Saturni Romani esse ærarium voluerunt*. Solinus cap. II. *Ædem, quæ Saturni ærarium fertur, comites ejus* (Herculis) *condiderunt in honorem Saturni*. Plutarchus in Publicola: *Ærarium Saturni ædem constituit, quæ hodie etiam manet*. Servius in II. Georg. *Populi tabularia, ubi actus publici continentur: significat autem templum Saturni, in quo & ærarium fuerat, & ubi reponebantur acta, quæ susceptis liberis faciebant parentes*. Hinc Fulvius existimabat, ut supra dictum, vetus Saturni templum ædem fuisse *S. Salvatoris* juxta *Xenodochium S. Mariæ in porticu*, quod illi cognomen fuisset, *in Ærario*, & *in Statera*. Verum jam respondi, fieri non posse, ut Forum eo-usque producatur. *Ædem* vero *Saturni* in Foro B fuisse præter jam allatos Livius apertissime dicit lib. I. decad. V. *Et arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in Foro Romano intentus*. Nec non Asconius in Milonianam: *Sedebat Cn. Pompejus ad ærarium, perturbatusque erat eodem illo clamore*, &c. & postpaullo: *Præsidia in Foro, & circa omnes Fori aditus Pompejus disposuit; ipse pro ærario, ut pridie consedit, septus*, &c. Estque Vitruvii præceptum lib. V. ut Ærarium in Foro sit.

Consentiunt in eo plerique Antiquariorum cum Marliano, ædem Saturni cum ærario illam esse, quæ nunc *S. Hadriano* sacra est. Quare duo olim Saturni templa fuerunt; alterum in vico Jugario, C quod postea *S. Salvatoris in ærario* dictum; alterum vero in Foro, ubi nunc ædes est, quam dixi, *S. Hadriani*: illud a Tatio, hoc a Tarquinio conditum. Vetus ærarium in illo priore fuisse volunt, & dehinc in illud alterum translatum. Sed hæc sententia plena errorum est, hæsitationumque. Non enim affirmari potest templum istiusmodi a Tatio fuisse constructum: quare illud in æde *S. Salvatoris in ærario* fingere, merum vigilantium somnium est. Quod si autem ætate Publicolæ, qui ærarium ædi Saturni addixit, utrumque templum exstitit, cur non statim in initio ærarium templo Saturni, quod in Foro erat, dicatum fuit? D Sed numquam ærarium in aliud templum translatum, ex quo semel illud Poplicola in templo Saturni in Foro constituit, perspectum abunde est e Plutarcho in ejus vita: *Ærarium*, inquit, *constituit Saturni ædem, quæ etiam manet*. Quin & illud ipsum templum, in quod illi postea ærarium translatum fuisse volunt, antiquissimum Saturni templum esse Solinus his verbis, superius quoque allatis, asserit cap. II. *Ædem, quæ Saturni ærarium fertur, comites ejus* (Herculis) *condiderunt*. Cui & Varro lib. IV. & Dionysius lib. VI. suffragantur.

Prope Saturni ædem vetus *columna milliaria* fuit, E in qua descriptæ omnes ubique viæ Romanæ, & ubi terminarentur. Tacitus lib. I. Hist. ubi conjurationem Othonis in Galbam describit, cohortem ait *ad milliarium aureum sub æde Saturni* perrexisse. Suetonius item in Othone: *Ergo destinata die, præmonitis consciis, ut se in Foro sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit*. Plinius vero lib. III. cap. V in capite illud Fori fuisse dicens exactius adhuc ipsum ejus situm exponit: *Mensura currente a milliario, in capite Romani Fori statuto, ad singulas portas*, &c. Non enim, in quo capite Fori fuerit, difficile indagatu est: siquidem Tacitus eodem, quem adduxi, loco F refert Othonem e Palatio per Tiberianam domum in Velabrum, & inde ad milliarium aureum sub æde Saturni perrexisse. Unde, si Otho per Velabrum ad milliarium perrexit, necesse est milliarium in eo Fori capite fuisse, quod versus *Xenodochium Consolationis* vergit, non autem in altero, quod est ad *S. Hadriani*. Nam ad hoc non per Velabrum, sed per viam sacram iter Othoni fuisset. Contra si a Palatio in Forum descendisset, & ad milliarium breviore via ire voluisset, per Vela-

brum transitus ei longior fuisset: verum ut ex improviso & occulto in Forum veniret, in Velabrum descendit Otho, atque ita Forum totum transire necesse non habuit, ut ad milliarium perveniret, quod Velabro proximum erat. Accedat & Plutarchus, qui non modo cum Tacito & Suetonio in primo illo facto Othonis consentit, (*descendensque per ædes*, inquiens, *quæ Tiberii vocantur, gradiebatur in Forum, ubi stabat columna aurea, in qua incisæ omnes Italiæ viæ finiunt*, &c.) sed & postpaulo subjicit: *Huic, dum ita per Forum ferebatur, totidem alii occurrunt*, &c. Milites namque Prætoriani iis, qui cum Othone ad castra Prætoria tendebant, occurrebant: quæ extra portam Viminalem fuisse supra ostensum est: eo vero ex Foro per latus ejus occidentale via ducebat, in quo latere nunc ædes *D. Hadriani* est. Interea igitur, dum Prætoriani milites Othonem rapiunt ad milliarium, & per Forum ferunt, obvios habuere commilitones alios: unde sequitur necessario, milliarium, unde profecti sunt, non in ea fuisse Fori extremitate, ubi ædes *S. Hadriani* est, (nam inde statim Foro exissent) sed in altera huic opposita, ad *Xenodochium Consolationis*, unde totum transire Forum coacti fuere. Adde, quod & vocula *sub* tam a Tacito, quam a Suetonio adhibita, id ipsum significare videatur, cum ajunt, *sub æde* Saturni. Nam si columna illa inter ædem *S. Hadriani* & Capitolium fuisse statuatur, illud *sub æde Saturni* ei parum conveniet. Posito vero Saturni templo in declivi montis, eo latere, quo diximus, nil melius aptiusve de columna illa dici possit, quam *sub æde eam Saturni* fuisse. Magis autem hoc patet ex his Plinii lib. VII. cap. LX. ubi de horologiis loquitur: *Duodecim tabulis ortus tantum & occasus nominatur. Post aliquot annos adjectus est & meridies, Accenso Consulum id pronuntiante, cum a Curia inter Rostra & Græcostasim prospexisset solem. A columna ænea ad carcerem inclinato sidere supremam tempestatem pronuntiabat*. Unde præter rectam solaris cursus lineam a Græcostasi ad Rostra, columnam, & carcerem, superius a me examinatam, satis liquet, quia ultima tempestas ab Accenso pronuntiabatur, cum a Curia solem inter columnam & carcerem videret, ubi hodie Ecclesia *S. Nicolai in carcere* est, aut in proximo, columnam nonnisi in latere magis occidentali Fori esse potuisse. Tandem & Notitia dignitatum Imperii nonnihil hic lucis suppeditat, quæ hac in regione *Milliarium aureum Juliæ* recenset, juxta Basilicam Juliam hoc indicio eam positam significans, quippe e cujus vicinia nomen hoc vulgo acquisierit. Posuit autem columnam hanc Augustus, cum viarum tutelam in se reciperet, eique duos viros Prætorios præficeret; ut est apud Dionem lib. LIV.

Ergo cum columna milliaria ædes quoque Saturni in extremo Fori latere occidentali constituta esto: ubi & Lucanus illam collocare videtur l. III. sonitum, quem & fractis a Cæsare foribus dedit, a rupe Tarpeja repercussum describens;

Tunc rupes Tarpeja sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores, tunc conditus imo
Eruitur templo, multisque intactus ab annis
Romani census populi. ——

Ut autem vicinitas templi Concordiæ cognoscatur, statuamus versus extremitatem lateris clivi Capitolini in Forum introitum, & ad sinistram clivi templum Saturni: nec ea imaginaria erit, verum sat firmo innixa fundamento sententia. Ita enim citatus supra Livius lib. V. cap. I. *Censores clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & porticum ab æde Saturni in Capitolium ad Senaculum stra-*

A *verunt*. Ubi porticus illa supra Saturni & Concordiæ templa, quod posterius *Senaculum* fuit, utrumque ad sinistram fuisse indicat. Clarius autem Tacitus lib. III. Hist. *Erant porticus in latere clivi dexteræ subeuntibus*. Ergo ad dextram intrantium, seu subeuntium clivum, erant etiam templa Saturni & Concordiæ, & ad sinistram his, qui e clivo Forum prospectabant.

Quis *Templi Saturni* conditor fuerit, scriptorum variant sententiæ. Tatius, uti dictum, Saturno templum ædificavit. Illud, quod ante clivum Capitolinum fuit, a comitibus Herculis exstructum, Solinus tradit. Idem dicit Dionysius lib. I. verum B *aram* vocat. Macrobius lib. I. Saturnal. cap. VIII. Tullum illud Hostilium dedicasse, & festum Saturnalium instituisse scribit; additque Varronem memoriæ prodidisse, institutum quidem a L. Tarquinio, sed a T. Largio Dictatore dedicatum: tum & in Gellio legi, jussu Senatus factum, eique rei L. Furium trib. mil. præfuisse. Livius lib. I. Coss. Sempronio & Minutio consecratum refert. Omnis hæc opinionum dissensio conciliari possit, si templum Saturni & Opis in vico Jugario a Tatio factum dixeris, & post ab Hostilio dedicatum: alterum vero in Foro in initio non *templum* fuisse, C sed, ut est apud Dionysium, *aram* tantum a comitibus Herculis positam, quam postea Tarquinius in templum converterit. Nec est, quod Dionysium diversa dicere existimemus, cum ait sua ætate *aram* illam adhuc superfuisse: templum enim recentius aræ veteri circumdatum itidem superesse potuit. Sic & idem scriptor apertis verbis initio lib. VI. *templum* id fuisse dixit. Macrobius vero lib. citato de utroque loquitur: *Habet aram, & ante se cœnaculum. Illic Græco ritu capite aperto res divina fit*. Quod *cœnaculum* id ipsum forte *templum* est, de quo alii, & *fanum*, de quo Varro: *Quod Saturni fanum in faucibus*. Sic & *aræ* Festus meD minit lib. XVIII. *Saturnii quoque dicebantur, qui Castrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus: nam Italici auctore Ænea velant capita*. In eo templo *ærarium* a Poplicola institutum est, secundum Plutarchum: quare cum illud aliqua sui parte ea de caussa immutatum sit, aut restitutum, facile illud anno mortem Poplicolæ proxime subsecuto a T. Largio consecratum esse potuit; nisi id Sempronius & Minutius Coss. fecere, qui ei successerunt: vel etiam consecratum a Largio, ab iisdem dein Coss. dedicatum E fuit: nam de *dedicatione* tantum Livius loquitur. Confirmat ea, quæ dixi, Dionysius eodem, qui jam allatus, loco, clarisque id verbis asserit. Neque vero mirum fuerit, in tribunatu Furii auctum id templum, ampliatumque, exigente majus ædificium ipsa necessitate. Ceterum Macrobius ait: *Tritones cum buccinis fastigio Saturni ædis superpositos: quoniam ab ejus commemoratione ad ætatem nostram historia elata, & quasi vocalis est; ante vero muta, & obscura, & incognita, quod testantur caudæ Tritonum humi mersæ, & absconditæ*.

Quoniam autem crescente rep. *ærarium* P. R. amplius exigebat spatium, quod & pecuniæ, moF netæque publicæ, tabulisque actuum publicorum sufficeret, qui ibidem asservabantur, res ipsa mihi exigere videtur, ut diversis illud temporibus ampliatum statuamus. Atque hinc illam ei additam partem existimemus, cui *Sanctiori Ærario* nomen fuit; cujus Cicero Verrin. III. & lib. VII. epist. II. ad Att. meminit; quod ea de causa in templi parte intima fuisse Dempsterus rectissime existimat, *in Paralip. ad Rosinum*. In hoc sanctiore ærario *aurum vicesimarium* repositum fuisse e Livio discimus l. VII. decad. III. *Cetera expedientibus, quæ ad bellum*

opus erant, Consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiori ærario ad ultimos casus servaretur, promi placuit. Hinc Cæsar lib. I. de Bell. Civ. *Quibus rebus Romam nuntiatis tantus repente terror invasit, ut cum Lentulus Cos. ad aperiendum ærarium venisset, ad pecuniam Pompejo ex S. C. proferendam, protinus aperto sanctiore ærario ex urbe profugeret.*

A

Si quis autem pertinaciter defendere voluerit, ædes illas hodiernas non fortuito & sine caussa vetera nomina accepisse; nec frustra *S. Salvatoris* ædem *in statera*, & *in ærario* appellatam, illi cum Donato respondere liceat, non unum semper tantum ærarium in urbe fuisse. Nam & *militare* ab Augusto *ærarium* constitutum Suetonius refert cap. XLIX. *Ærarium militare cum vectigalibus novis constituit.* De eodem Dio lib. LIII. *Agrippa abdicatus ab Augusto; ejus facultates in ærarium militare delatæ.* & lib. LV. *Augustus pro se & Tiberio pecuniam in ærarium, cui militari nomen tradidit, intulit.* Huic forte novum Saturni templum dicatum fuit, quod idem Suetonius, cap. XXIX. Augusti, a Munatio Planco conditum refert; & haud procul ab æde *S. Salvatoris in ærario* abfuisse verisimile est. Fuit & *privatum ærarium*. Ita Capitolinus in Marco: *Cum ad hoc bellum omne ærarium exhausisset suum*, &c. & Vulcatius in Cassio: *Quæ Antoninus in privatum ærarium congeri noluit.* Verum hoc ultimum sine dubio in Palatio fuit. Tandem non absurda mihi Donati conjectura videtur, qui cognomen illud templi *S. Salvatoris in ærario* corruptum putat e vero *in Thurario*.

B

C

Prope ærarium Saturni *arcus* fuit in honorem *Tiberii* exstructus, quod signa militaria, cum Varo amissa, a Germanico recuperata essent. De his Tacitus lib. II. Ann. *Fine anni arcus propter ædem Saturni ob accepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, & ædes Fortis Fortunæ* &c. *dedicantur.* Quod in introitu clivi Capitolini in Forum factum nullus dubito, quum verisimile non sit arcum alicubi positum extra viæ publicæ transitum. Ita & ille Severi arcus in altero alterius clivi introitu constructus visitur: sic ut cum hic, tum ille, quisque alterum de duobus extremis Fori lateribus, quam decentissima architectura, & eximio cum ornamento Fori, occupaverit. Hinc autem consequitur necessario, templum Saturni non ad arcum Severi fuisse situm: nam ita alter alteri arcus obstitisset: neque item existimandum est arcum Tiberii jam tum, ducentesimo circiter post anno, principatu Severi collapsum fuisse, abolitumque.

Ad arcum Severi a dexteris, inter hunc & Vespasiani templum, aliud ædificium fuisse, Lucius Faunus indicat, cujus hodie ne vestigium quidem exstat. Quare scriptori isti, utpote oculato testi, hic habendam fidem video; cujus hæc verba sunt: *Prope hoc templum* (loquitur autem de octo columnis, quas supra templi Concordiæ fuisse existimatas exposui) *cum non ita diu terra profundius erueretur, inventa quasi quædam porticus est, vel quasi tres tabernæ, ubi scriptores actorum publicorum, quos nos Notarios appellamus, commorabantur, ut ex inscriptionibus, quæ ibidem effodiebantur, conjicere erat: quoniam in tænia marmoris, qua opus illud cingebatur, nunc omnino nostra ætate dirutum ac ablatis lapidibus dissipatum, in parte interiore supra introitum, hæc legebantur.*

C. AVILIVS. LICINIVS. TROSIVS. CVRATOR. SCHOLAM. DE SVO. FECIT. BEBRIX. AVG. L. DRVSIANVS. A. FABIVS. XANTHVS CVR. SCRIBIS. LIBRARIIS. ET. PRAECONIBVS. AED. CVR SCHOLAM. AB. INCHOATO. REFECERVNT. MARMORIBVS ORNAVERVNT. VICTORIAM. AVGVSTAM. ET. SEDES. AENEAS ET. COETERA. ORNAMENTA. DE. SVA. PECVNIA. FECERVNT.

In eadem tænia, in parte ædificii exteriore, quæ simplici opere Dorico facta erat, ista legebantur:

BEBRIX. AVG. L. DRVSIANVS. A. FABIVS. XANTHVS. CVR IMAGINES. ARGENTEAS. DEORVM. POST. DEDICATIONEM SCHOLAE. ET. MVTVLOS. CVM. TABELLA. AENEA. DE. SVA PECVNIA. DEDERVNT.

Addit & basin ibidem repertam statuæ Stiliconi positæ cum prolixa inscriptione, quam descripsit. Quodnam autem illud ædificium fuerit, facile mea quidem sententia investigari poterit. Rufus enim hac in regione *Scholam Xantham* recenset: quæ a *Fabio Xantho*, uno de Curatoribus, his inscriptionibus memoratis, restituta & magnifice exornata, ab ipso denominationem accepit. Cæterum Scriptorum tabernam eam actuum publicorum fuisse ex inscriptionibus colligi nequit, uti Faunus volebat: verum de Librariis illic & Scribis agitur, qui libros tum temporis describere, cum ars ignota erat typographica, quorum ingens numerus fuit: item de Præconibus Ædilium Curulium; quibus quum nil negotii communis intercesserit cum Librariis & Scribis, tabernam aliquam illic separatam habuisse perquam probabile est, præsertim quum ædificium illud Faunus similitudinem plurium prætulisse tabernarum testetur.

F

Tempus jam foret de quarto Fori latere disserendi: verum quo id commodius fiat, ea primum attingenda sunt, quæ in ipsa Fori area exstitere.

CAP. VII.

Quænam in Fori area exstiterint.

Spatium, seu area Fori Romani, non omnino vacua fuit, & simplex, ac nuda. Varia enim sive ad ornatum, sive ad usum in eo exstitere, silentio minime prætereunda. Inter ea nil *Rostris* tam *veteribus*, quam *novis*, celebrius, ut & *Columna milliaria*: de quibus cum satis multa superius dicta sint, ad reliqua transeundum videtur.

In Foro *tribunal Aurelii*, seu *gradus Aurelii* fuisse Polletus ait lib. I. cap. III. & VII. *de Foro Romano*. De his ita Cicero in Orat. pro Flacco: *Sequitur*

Sequitur auri Hierosolymitani invidia: hoc nimirum illud est, quod non longe a gradibus Aureliis hæc causa dicitur: ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atque illa turba quæsita est. Possit aliquis prima specie existimare, *gradus* illos appellatos, quod Aurelius Cotta Prætor post Syllam (qui Equitibus judicia ademerat, & Senatui reddiderat) tres judicum gradus fecerit, nempe e Senatorio & Equestri ordine, & e Tribunis ærarii, uti fuse id ab Asconio exponitur in Divinat. Verum Cicero ipse in Or. pro Cluentio reapse gradus fuisse docet, in quibus populus consederit ad judicia publica accurrens: *Accusabat*, inquit, *Tribunus pl. idem in concionibus, idem ad subsellia, ad judicium, non modo de concione, sed etiam cum ipsa concione veniebat. Gradus illi Aurelii tum novi quasi pro theatro illi judicio ædificati videbantur: quos ubi accusator concitatis hominibus compleverat, non modo dicendi ab reo, sed ne surgendi quidem potestas erat*. Ubi autem hoc tribunal in Foro fuerit, incertum est: puto autem illic fuisse, ubi postea basilica Julia facta; quæ iisdem judicibus inservivit, quos Aurelius restituerat, nimirum Centumviris; idque eo facio lubentius, quia ante basilicam illam, conditam prope ædem Vestæ, quæ in illo latere erat, tribunal aliquod fuisse Horatius indicat lib. I. Sat. IX.

Ventum erat ad Vestæ quarta jam parte diei
Præterita: & casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem, &c.

In medio Foro *Lacus Curtius* fuit. Ita Dionysius lib. II. *Ab eo casu lacus Curtius dicitur, medium quidem Fori occupans*. Lacus ille vetus fuit e stagnantibus illic ob humilitatem soli aquis factus: in quo Metius Curtius Sabinus bello cum Tatio & Sabinis, quum illum equo transire vellet, submersus est: & hinc ei nomen, quod ei etiam desiccato & exaggerato remansit: *Locus iste*, inquit Dionysius, *terra expletus est, & ab eo casu Lacus Curtius dicitur*. Idem factum & Livius refert lib. I. Alii horrendam terræ repente dehiscentis fuisse tradunt voraginem, in quam Curtius Eques Rom. armatus in equo insiluit, ut ea ex oraculi monitu clauderetur, quod & evenisse ajunt. Ita Livius lib. VIII. Nonnulli locum a Curtio Consule clausum ajunt, quod illic fulmen cecidisset. Has omnes etymologias Varro lib. IV. explicat: verum quæcunque ex his vera istius appellationis origo fuerit, illud sane constat, nullam postea illic vel voraginem, vel lacum fuisse. *Aras* autem illic positas Ovidius lib. VI. Fastorum indicat:

Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed fuit ante lacus.

Quamquam Plinius lib. XV. cap. XVIII. de una tantum ara loquitur, (& forsan rectius) quam Julius Cæsar postea per occasionem muneris, quod edebat, gladiatorii sustulit: *Ara inde sublata gladiatorio munere Divi Julii, quod novissime pugnavit in Foro*.

Eodem loco & *oleam* fuisse, & *vitem* positam, ut umbram populo facerent, *ficum*que ante templum Saturni prius natam, deinde illinc sublatam, quod statuæ Sylvani noceret, idem Plinius ibidem refert: *Fuit, inquit, & ante Saturni ædem urbis anno* CCIX. *sublata, sacro a Vestalibus facto, cum Sylvani simulacrum subverteret. Eadem fortuito satu vivit in medio Foro: qua fidentia imperii fundamenta ostento fatali Curtius maximis bonis, hoc est, virtute ac pietate, ac morte præclara expleverat. Atque fortuita eodem loco est vitis, atque olea umbræ gratia sedulitate plebeja satæ*.

Ingens illa *statua ænea Domitiani equestris* itidem in lacu Curtio fuit, tamquam in centro, seu meditullio Fori. Sic Statius initio Sylvarum:

Ipse loci custos, cujus sacrata vorago,
Famosusque lacus nomen memorabile servat.

Quam eandem esse arbitror in Notitia Dign. Imp. *Equum Constantini* appellatam, quum Constantinum equestrem aliquam in regione Fori posuisse statuam nusquam legatur, sæpeque ejusmodi error in hac regionum descriptione occurrat. Prope hunc lacum Curtium Galbam interemtum Tacitus, Suetonius, & Plutarchus consentiunt.

Fuit & *Cloaca Maxima* in Foro, de qua apud Varronem lib. IV. legas: *Est locus, qui vocatur Doliola, ad Cloacam Maximam*, &c. paulo vero ante dixerat: *Curtium in locum palustrem, qui tum fuit in Foro, ante quam cloacæ fierent, secessisse*: unde lacus Curtius in Foro exsiccatus, una cum Cloaca illustratur. Os Cloacæ in medio Foro ad lacum Curtium fuisse valdequam probabile videtur: cumque Plautus dicat in Curculione, *prope canalem Fori* homines ostentatores & gloriosos versari solitos, (quos nos otiosos temporiperdas appellamus, qui totos dies per fora & plateas oberrantes aliorum carpendis dictis factisque vacant) illud mihi soli cavum indicare velle videtur, quod ante cloacas esse solet, quo facilius corrivatas aquas accipiant. Verba Plauti sunt hæc sc. I. act. IV.

In medio propter canale, ibi ostentatores mori,
Confidentesque, garrulique, malevolique.

Quos & Gellium innuere Lipsius existimat c. IV. lib. II. Elector. quum ait lib. IV. cap. II. *Qui jurabat, Cavillator quidam, & Canalicula, & Mimus nimis ridicularius fuit*. pro quo Lipsius *Canalicola* malebat, auctorem secutus Festum: *Canalicolæ forenses homines pauperes, dicti quod circa canales Fori consisterent*.

Prope Cloacam *Doliola* fuere, singularis in Foro locus, in quem despuere nefas erat. Ita Varro: *Est locus, qui vocatur Doliola ad Cloacam maximam, ubi non licet despuere, a doliolis sub terra: eorum duæ traditæ sunt historiæ, quod alii esse ajunt ossa cadaverum, alii Numæ Pompilii religiosa quædam post mortem ejus infossa*. Variat hic Livius, libro V. *Metu Gallorum*, inquit, *Flamen Quirinalis, Virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quæ sacrorum secum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset, optimum ducunt condita in doliolis sacello proximo ædibus Flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere*. Verum Livius de aliis illic loquitur *doliolis*, quæ non in Foro fuere, sed in sacello, forsan in Quirinali; ubi Flaminem Quirinalem habitasse verosimile est: in quæ dolia itidem despuere nefas habitum.

Fuit & *Pila Horatia* in Foro. Columna ea fuit, ad quam Horatius spolia Curiatiorum veluti tropæum suspendit. Meminit ejus Livius lib. I. item Dionysius multo fusius in tertio, qui ætate sua columnam adhuc superfuisse addit, spolia non item.

Plurimæ porro in Foro positæ *columnæ* fuere pro tropæis, quarum usum statuis antiquiorem Plinius tradit lib. XXXIV. cap. V. ubi de *Mænia* & *Duilia* loquens ait: *Antiquior columnarum, sicut C. Mænio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ pop. Rom. præstabat, eodemque in Consulatu in suggestu Rostra devictis Antiatibus fixerat anno urbis* CCCCXVI. *Item Duillio, qui primum navalem triumphum egit de Pœnis, quæ est etiamnunc in Foro*. E quibus ultimis verbis conjicere licet, *Columnam Mæniam* ætate Plinii non amplius exstitisse. Erat

vero & altera quædam, quam alius Mænius in venditione ædium sibi exceperat, ut supra habuimus. Ad hanc Triumviri capitales in fures & servos nequam animadvertere solebant. Asconius Pædianus in divinat. *Fures & servos nequam, qui apud Triumviros capitales apud Columnam Mæniam puniri solent*. De his plura Polletus lib. V. *de Foro Rom.* c. XIV. Hic & Plautius Lateranus a Nerone interfici jussus, quantum e Tacito colligo, qui lib. XV. *Raptus in locum servilibus pœnis sepositum*, &c. non autem, ut alii opinati sunt, in Campo Esquilino; ubi quidem supplicium de damnatis sumi solitum, verum non de solis servis, legimus: & Tacitus ibidem P. Marcium jussu Tiberii interemtum refert: ut in regione quinta attigi. De *Columna Julio Cæsari* posita Suetonius cap. LXXXV. hæc habet: *Solidam columnam prope viginti pedum* (qui ferme XXVIII. palmos nostros efficiunt) *lapidis Numidici in Foro statuit, scripsitque*, PARENTI PATRIÆ: *Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveravit*. De *Palmata* Claudio secundo statuta Trebellius ait: *Illi totius orbis judicio in Rostris posita est columna palmata, statua superfixa librarum argenti mille quingentarum*. Ceterum Isidorus initio Chronici de rebus Gothor. *clypeum* ei in Foro positum, & in Capitolium *statuam ex auro* refert. Orosius vero lib. VII. cap. XXIII. *Clypeus aureus in Curia, & in Capitolio statua æque aurea*.

In Columna juxta Rostra *Horologium solare* constitutum Plinius memorat lib. VII. cap. ult. *M. Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico a M. Valerio Messala Consule, Catina capta in Sicilia: deportatum inde post* XXX. *annos quam de Papyriano horologio traditur anno urbis* CCCCLXXVII. *nec congruebant ad horas ejus lineæ. Paruerunt tamen ei annis undecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paulo fuit Censor, diligentius ordinatum juxta posuit*.


Puteal Scribonii *Libonis* ad arcum Fabianum fuisse dicitur. Porphyrius in epist. XX. lib. I. Horat. *Puteal autem Libonis sedes Prætoris fuit prope arcum Fabianum, dictumque, quod a Libone illic primum tribunal & subsellia locata sint*. Utrum autem tribunal fuerit, Acro dubium facit, in Sat. VI. lib. II. *Puteal locus Romæ, ad quem veniebant fœneratores; alii dicunt, in quo tribunal solebat esse Prætoris*. Festus ab his in diversum abit: *Scribonianum appellatur ante atria tribunal, quod fecit Scribonius, cui negotium datum a Senatu fuerat, ut conquireret sacella attacta: isque illud procuravit; quia in eo loco attactum fulgure sacellum fuit. Quod ignoratur autem, ubi esset (ut quidam) fulgur conditum, quod cum scitur, nefas est integi: semper foramine ibi aperto cœlum patet*. Audiamus jam & Dionysium, qui lib. III. miraculo cotis Navii exposito addit: *Nec multum ab ea* (statua Navii) *dicitur esse eadem cautis, & novacula sub altari subterraneo: diciturque a Romanis locus iste Puteal*. Jam vero in ea sententiarum diversitate cui tandem accedendum? fuisse illud tribunal, in quo lites disceptarentur, Ovidius indicare videtur lib. II. de Remed. Amoris:

Qui Puteal, Janumque timent, celeresque Calendas.

Melius autem, & apertius, Horatius lib. I. epist. penultima:

—— *Forum, Putealque Libonis*
Mandabo siccis.

Verum principatu Augusti, quo Horatius Ovidiusque vixere, lites sub dio disceptatas in eo tribunali, quum jam plures basilicæ, & plura fora essent ea de caussa facta, nonnihil mihi rem dubiam facere videtur: quamquam verum est, sub regibus & in prisca rep. jus illic, aut non longe saltem a *Puteali*, dici solitum: immo & ab imperatoribus nonnumquam, ut e Dione constat. Quare *Puteal* alia de caussa constructum esse potest, sive quod locus fulmine tactus esset, ut Festus ait, sive servandæ cotis Navii gratia, ut Dionysius tradit. Locum vero fuisse, quo fœneratores convenirent, sicut & cetera loca vicina, quæ Acronis expositio est, omnino verum, certumque est, magisque ex iis apparebit, quæ de Janis ac Marsya sequentur. Atque ita nobis ab Ovidio & Horatio quoque describitur. Exprimitur effigies ejus ad instar altaris in duobus nummis antiquis Libonis & Lepidi, quos Ant. Augustinus dialog. IV. exhibuit, & nos hic delineandos curavimus.



Quare non adeo absurdum fuerit affirmare, litibus eam jurejurando dirimendis inserviisse, vadimoniisque sistendis; quum ii, qui jusjurandum præstarent, altare prehendere soliti fuerint. Ita Cicero in Orat. pro Flacco: *Ergo is, cui, si aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, injuratus probabit?* Hanc autem aram procul a tribunali abfuisse vix crediderim: adeo ut si *Puteal* ara non fuerit, certe ei proximum fuerit, conjunctumve: præsertim cum Acro & Porphyrius in Sat. VI. lib. I. Horatii dicant: *ad statuam Marsyæ vadimonium statuebatur*: hanc autem ei vicinam fuisse mox dicturus sum. Interim hoc statuamus, *Puteal Libonis*, *Aram* jurisjurandi, & *vetus Tribunal*, si diversa inter se fuere, saltem vicina fuisse, conjunctave, & proxima gradibus Comitii, ut e casu Navii auguris a Livio enarrato, Dionysioque liquere puto. Hi vero gradus in medio latere Comitii fuere, uti verisimile videtur, vel nonnihil propius Curiam; adeoque non adeo longe ab arcu Fabiano remoti, ut tribunal inter hunc & illos medium, & utrisque vicinum dici potuerit.

Statuam Marsyæ prope *Puteal* fuisse, & in loco judiciorum, atque ubi pecunia fœnori dabatur, ex Horatii Sat. VI. lib. I. manifestum est:

Deinde eo dormitum, non sollicitus, quod mihi cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.

Ad quæ Porphyrius: *Duo Novii fratres illo tempore fuerunt, quorum minor tumultuose fœnerator fuisse dicitur. Satyrice autem & eleganter hoc dictum, quasi ideo manum levet Marsyas, quod in Foro sustinere non possit hunc Novium. Obeundus autem Marsyas, quia in Foro vadimonium sistendum apud signum Marsyæ sit*. Eadem illic & Acro dicit. Hoc præterea obiter hinc discatur, Marsyam elata manu fuisse. Sic & Martialis lib. II. epigr. LXIV.

Si Schola damnatur, si litibus omnia fervent,
Ipse potest fieri Marsya causidicus.

Seneca item lib. VI. de Benefic. cap. XXXII. ubi de Julia Augusti filia agit, Marsyæ meminit: *Forum ipsum, ac Rostra, ex quibus pater legem de adulterio tulerat, filiæ in stupra placuisse: quotidianum ad*

Marsyam concursum, cum ex adultera in quæstuariam versa jus omnis licentiæ sub ignoto adulterio quæreret. Quæ verba, *ex adultera in quæstuariam versa*, mihi significare videntur, Juliam, ut adulteros inveniret egenos, locum illum frequentasse, ac si & ipsa argentum fœnori daret. De eadem Plinius lib. XXI. cap. III. *Apud nos exemplum licentiæ hujus non est aliud, quam filia D. Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam literæ illius Dei gemunt.* De corona vero ista paulo supra dixerat; *P. Manutium, cum demtam Marsyæ coronam e floribus capiti suo imposuisset, atque ob id duci eum in vincula Triumviri jussissent*, &c. Ubi de coronis ludicris loquitur. Forsan autem coronæ Marsyæ ab his imponi solitæ, quibus res suæ illic e sententia processissent: atque ita quoque Julia invento adultero, quem cupiebat, noctu eum coronavit. Ceterum Marsyæ statuam elata manu in liberis civitatibus poni solitam Servius in IV. Æneidos refert: *Sed in liberis*, inquit, *civitatibus simulacrum Marsyæ erat; qui in tutela Liberi Patris erat. Idem Lyæus apte urbibus libertatis est Deus, unde etiam Marsyas minister ejus per civitates in Foro est, qui erecta manu testatur nihil urbi deesse*. Videsis porro, quæ de hoc more Rhodiginus fuse disputat l. XXVIII. cap. XII. &c.

In Foro præterea *Jani* quoque *templum* fuit: quem qui quadrifrontem fuisse putant, magnopere falluntur, cum is in Foro Transitorio fuerit, sat longe a Foro Magno remotus. Sane *Janos* quod attinet, gravissimæ inter scriptores controversiæ sunt: quare ne & ego a vero deerrem, *Janos* a *Jani templis* distinguam. *Jani* meri tantum transitus fuerunt, in queis negotiatores aliique consistere colloquique de rebus inter se potuerint. *Templa* vero *Jani* ædes fuere clausæ suis foribus, ut ceteræ Deorum omnes. In Foro *Jani templum* fuisse, quæ urbis *porta*, & *Janualis* dicta fuerit, libro I. e Varrone ostendi. Hæc porta, prolatis urbis mœnibus, istius Dei templum remansit, cujus & nomen, & simulacrum habebat, solebatque pacis tempore claudi. Post crescente opibus republica æneum ei templum factum est, quod prolixe a Procopio describitur lib. I. de bello Gothico: *Foro in medio, ex adverso Capitolii sacellum exstat, paulo supra hunc locum, quem Romani Tres Parcas appellant. Id vero Jani sacellum totum ex ære constructum fuisse satis constat*. Statua vero ipsa *capite duntaxat bifrons, ita ut facies altera in orientem solem divergat, in occiduum altera. Portæ utrimque ex ære in faciem alterutram versæ*. Posuisse illam statuam Romulum & Tatium, quum post bellum pacis fœdus icerent, Servius in l. XII. Æn. docet: *Postquam*, inquit, *Romulus & Titus Tatius in fœdera convenerunt, Jani simulacrum duplicis frontis effectum, quasi ad imaginem duorum populorum*. Numam vero aliud ei fecisse templum in Argileto postea dicetur: quod amplum, & habendi in eo Senatus capax fuisse Festus indicat, Senatusconsultum illic factum referens, ut trecenti sex Fabii contra Vejentes irent. Idem & Servius de Numa dicit in VII. Æn. *Sacrarium Jani Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum juxta Theatrum Marcelli, quod fuit in duobus brevissimis templis: duobus autem propter Janum bifrontem*. Verum quomodo in *duobus templis* unum fieri *Sacrarium* potuit? & quomodo *in brevissimis*, cum Festus, qui majoris auctoritatis & fidei est, Senatum illic habitum asserat? perturbatissima sane sunt illa ultima Servii verba. Quare ut ea in sensum commodiorem reformemus, & Livium, qui lib. I. tempore pacis ait templum hoc in Argileto claudi solitum, cum Varrone & Procopio conciliemus, qui illud, quod in Foro erat, clausum fuisse dicunt, exactius & prolixius ea de re nobis agendum videtur. *Jani templum* a Numa in Argileto constructum fuit,

A & fortasse tum brevissimum, seu exiguum; inque duo sacella sibi invicem opposita divisum, ut ita duobus Dei vultibus responderent. Hoc deinde ab aliis auctum ampliatumque esse potuit. Ceterum in Foro *porta Janualis* erat, quæ post in templum ejusdem Dei conversa est. Numa vero non modo, ut portæ Jani in Argileto pacis tempore clauderentur, instituit, verum etiam porta Janualis in Foro, quemadmodum Varro testatur. Post primum autem bellum Punicum, quum jam illic porta non amplius esset, sed sacellum, Manlius
B templum Jani in Argileto clusit, & forsitan etiam illud in Foro; neque enim adeo hoc suspicari absurdum mihi videtur, in ea populi superstitione, præsertim quum tunc, quando porta erat, claudi soleret. Hoc modo non tantum Servius explanatus est, verum etiam Varro, Livius, Procopius, & ceteri inter se conciliati. *Janus* vero *Geminus* (cujus a Suetonio mentio fit in Nerone: *Janum Geminum clausit tam nullo, quam residuo bello*: & a Plinio, lib. XXXIV. cap. VII. *Præterea Janus Geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur*, &c. nec non a Capitolino in Gordiano: *Aperto Jano Gemino profectus est contra Per-*
C *sas*) tam de hoc, quam de illo accipi potest, & uterque Janus clausus videri: nisi quis de illo, qui in Argileto fuit, id interpretari malit, qui alterius veluti gemellus fuit, quum reliqui Jani omnes post Numam non bifrontes, sed quadrifrontes fuerint, ut e nummo Augusti liquet, quem Guilielmus Choulius vulgavit. Hinc Ovidius l. I. Fastor. cum ait:

Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi Templa Foris juncta duobus habes?

male explicatur, ac si de templo loqueretur, quod in Foro Olitorio erat; quem errorem suum ut tue-
D rentur, Antiquarii *Forum Piscatorium* vi quasi adhibita admovere propius *Olitorio* voluerunt, ut ita contra omnem verisimilitudinem Janus utrique Foro communis esset. Illum vero, qui in Foro Olitorio est, C. Duillius post primum bellum Punicum construxit: neque umquam hic dedicatus est ante Tiberii principatum, ut in decima regione dicetur. Sic ut Ovidius non de eo, qui necdum dedicatus erat, verum de illo, qui in Foro Magno erat, loquatur; recte eum conjunctum, id est, vicinum utrique Foro dicens, nempe Cæsaris, & Augusti, præter illud etiam Magnum, in quo situs erat, quod vocula *hic* expresse designatur: *tot* vero *Jani*
E sunt alii duo tresve, qui fuere in vicinia. Hunc esse verum Poetæ illius sensum, non alius melius quam ipse indicaverit, ubi Janum ita loquentem inducit:

Cum tanto veritus committere Numine pugnam,
Ipse meæ movi callidus artis opus.
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi.
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen madidis subjeci sulphura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter;
Quæ fuerat toto reddita forma loco est.
F *Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello,*
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

Aquas hasce, licet fabulosas, in Foro exundasse, ubi prælium erat, Ovidius innuit, eo in loco scaturientes, ubi postea porta Janualis fuit, ac sacellum, ut est apud Macrobium, quicum Varro consentit lib. IV. *Lautulæ a lavando, quod ibi ad Janum Geminum aquæ calidæ fuerint*: & hic veritas patescit, unde fabula illa originem traxit. Aquæ namque illæ calidæ, una cum loco *lautulæ* dictæ, primis illis temporibus in Foro fuerunt, in quo Janus sacellum habuit, quod Ovidius duobus Foris

conjunctum ait, non secus ac quatuor Fororum mentionem Martialis facit lib. x. epigr. LI. quæ fuere *Magnum*, *Cæsaris*, *Augusti*, & *Transitorium*:


> *Sed nec Marcelli, Pompejanumque, nec illic*
> *Sunt triplices Thermæ, nec Fora juncta quater.*

Augustus cum pace terra marique parta Janum Geminum clusit, & hunc, & illum Numæ in Argileto simul clausit: eaque de causa puto hunc a Suetonio *Janum Quirinum* appellari: *Janum Quirinum*, inquit, *semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, tertio clausit*. Forsan ideo, ut ab illo Numæ distingueretur. Cetera enim Jani varia nomina, eorumque interpretationes, a Macrobio lib. I. Saturnal. cap. IX. recensitas, huc adferre nunc supersedebo. *Quirinus* vero dictus, quia a Romulo & Tatio, uti supra dictum, constructus fuit. Multo id manifestius ex Horatio apparet, qui lib. IV. ode XV. *Janum Quirini* eum vocans, apertissime eum a Jano Numæ distinguit:

> —— *& vacuum duellis*
> *Janum Quirini clausit, & ordinem*
> *Rectum, & vaganti frena licentiæ*
> *Injecit*, &c.

Quare Victor, ubi reg. IX. Theatrum Marcelli ponens addit, *ibi erat aliud templum Jani*, ea de caussa hoc facit, quo illum ab hoc forensi Jano distingueret.

Jam vero situs ejus adhuc investigandus est; sed is facile reperietur. Nam, licet Procopius medio illum Foro adscribat, non hic exactum Fori medium, quod a lacu Curtio occupabatur, designari existimandum est, verum hoc tantum indicari, non in aliquo Janum latere, ac reliquorum ædificiorum serie fuisse, verum in medio Fori spatio singulare ad instar insulæ ædificium. Non longo tamen intervallo ab orientali Fori latere disjunctum fuisse clare ex aquarum calidarum scaturigine, porta Januali, & præcipue ex utriusque Fori vicinia ab Ovidio indicata patet. Effigies ejus in nummo hoc vetere Neronis obvia est, ab Ant. Augustino dial. v. Ericcio, aliisque publicato.



Præter illud in Foro sacellum, alii quoque *Jani* fuere, ut supra ex Ovidio vidimus: qui a Rufo *Jani publici* appellati; a Victore *Jani duo celebris mercatorum locus* dicuntur, qui & in extremo catalogo addit: *Jani per omnes regiones incrustati, & ornati signis, duo præcipui ad arcum Fabianum, superior, inferiorque*. De his Horatius lib. I. epist. I. de acquirendis divitiis agens:

> —— *hæc Janus summus ab imo*
> *Perdocet* &c. ——

Sed & *medium Janum* nobis Cicero tradit lib. II. de Off. *Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam viris ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis Philosophis ulla in scola disputatur*. Item in Philipp. v. *Janus medius in Antonii clientela est*. Donatus hic existimat, Janum unam perpetuam viam

A fuisse, in qua fœneratores & trapezitæ habitarint: cujus initium, medium, & extremum, *summus*, *medius*, & *imus Janus* dicta fuerint. Verum *summum* & *imum Janum* duos fuisse in Foro Janos, ceteris innumeris per omnem urbem sparsis similes, id est, transitus mercatorum conventibus servientes, satis aperte Victor explicuit. Acro, vetus Horatii Scholiastes, in Sat. III. lib. II. Horatii, ad hæc Poetæ verba:

> —— *postquam omnis res mea Janum*
> *Ad medium fracta est*. ——

B annotat: *Jani statuæ tres erant; ad unam illarum solebant convenire creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus*. Idem vero in epist. I. l. II. ait: *Duo Jani ante basilicam Pauli steterunt, ubi locus erat fœneratorum. Janus dicebatur locus, in quo solebant convenire fœneratores*. Idem & ibidem Porphyrius dicit; quare non erraturum me puto, si dixero, Janos in Foro fornices fuisse, cum statuis ejus Dei, ea in parte Fori factos, ut usibus fœneratorum, ceterisque mercatorum commerciis inservirent; quemadmodum in angulo Fori Boarii Janus quadrifrons erectus, qui hodieque illic exstat.

C Fuere hi, inquit Victor, ad Arcum Fabianum, adeoque non longe a Puteali Libonis, & Basilica Pauli. Hinc Ovidius de usurarum debitoribus dixit:

> *Qui Puteal, Janumque timent, celeresque Calendas*.

Et Porphyrius ad Horatium, citato loco: *Omnes ad Janum stabant in Basilica fœneratores*. Nec aliter Acro supra. Livius autem lib. I. decad. v. ubi Fulvium Flaccum Censorem ait, *Forum porticibus tabernisque claudendum, tres Janos faciendos locasse*, omnem

D nobis adimit ansam dubitandi. Verum si tres Jani fuere, inquiet aliquis, cur tantum duo memorantur? an vero *sacellum Jani* tertium constituit? vel an medius non trapezitis vacavit, sed hominibus honestis, & alicujus dignitatis? Sane sacellum hoc, cum vetustissimum fuerit, inter tres a Fulvio factos Janos numerari non potest. Quid igitur? dicemusne tertium ætate Victoris collapsum fuisse? an forte locus ille trium Janorum ad Basilicam Paulli & Arcum Fabianum, non longo dimotus a sacello Jani intervallo, a Romanis, teste Procopio, *trium Parcarum* cognomine insignitus fuit, quasi illic de vitis hominum ageretur? Quod autem codicibus quibus-

E dam Anastasii Bibliothecarii, *Ecclesiæ S. Hadriani*, & *SS. Cosmi & Damiani*, *in tribus Foris* appellantur; in aliis vero *in tribus fatis*, fortean hoc ultimo cognomine *Tres Parcæ*, Procopio memoratæ, denotatæ sunt. Interim nobis ostendisse sufficiat, sicut hodieque in curiis juri dicundo, litibusque dirimendis destinatis, mercatores de cambiis & ceteris acturi negotiis convenire solent, ita & olim in Janis res easdem, eademque usurarum fœnorisque negotia fuisse tractata.

F

CAP. VIII.

Quartum Fori latus versus orientem.

Dixi in quarta regione, Regiam in principio lateris Arcui fuisse Fabiano conjunctam, cui illam regioni adscribendam existimavi: sic ut forte in angulo illius viæ fuerit, quæ a Foro per Carinas transiens quartam ab octava regione dirimebat.

Junctum, sive ex adverso, sive a latere, eidem fuit *Veneris Cloacinæ signum*, in capite viæ sacræ, &

in Foro, juxta tabernas, ac tribunal. Ita Livius l. III. ubi Virginium ab Appio in tribunali assidente petiisse ait, ut sibi cum filia secreto loqui liceret: *Seducit*, inquit, *filiam, ac nutricem prope Cloacinæ, ad tabernas, quibus novis nomen est: atque ibi ab lanio cultro arrepto, hoc te uno, quo possum, ita modo, filia, in libertatem vindico. Pectus deinde puellæ transfigit; respectansque ad tribunal, Te, inquit, Appi, tuumque caput, sanguine hoc consecro*, &c. In principio viæ sacræ fuisse prope Comitium Plinius lib. XV. cap. XXIX. docet: *Quippe ita traditur, myrtea verbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos eo in loco, qui nunc signa Veneris Cloacinæ habet: cluere enim antiqui purgare dicebant*. Hanc enim purgationem, congressumque *in Comitio* factum Plutarchus in Romulo scribit, Dionysius autem lib. II. *in via sacra*: quorum verba, si Veneris Cloacinæ signum ad angulum Comitii, in ingressu viæ sacræ in Forum, statuerimus, unanimi sententia Romulum & Tatium illic convenisse declarant. Nec dissentire Plautus videtur in Curculione, initio Act. IV.

Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in Comitium:
Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Neque me fugit tamen, *Cloacinæ* signum, de quo Plautus & Livius agunt, a *Venere Cluacina* Plinii diversum a Vive aliisque existimatum: Panvinium etiam templum hic *Veneris Cloacinæ* recensere: verum cum eundem utriusque *Cloacinæ* Livii, & *Veneris Cluacinæ* Plinii locum, situmque fuisse deprehenderim unum idemque illud signum fuisse pronuntiare non vereor. Quod si quis mihi diversam nominis originem objiciat, quod *Cloacina* Plinii a *cluere*, id est purgare derivetur, *Cloacinæ* vero a *Cloaca* quod *Cloacinæ simulacrum*, ut est apud Lactantium lib. I. Inst. *Cloaca in maxima repertum Tatius consecravit: & quia, cujus esset effigies, ignorabat, ex loco illi nomen imposuit*: forsan Plinius & Lactantius in unius simulacri nominis etymo dissensere; eo magis, quod uterque Tatii mentionem fecerit: videturque Lactantius erroris insimulandus manifestissimi, quod ætate Tatii nulla adhuc Cloaca maxima exstiterit: unde mihi Plinio accedendum credendumque videtur. Augustinus lib. VI. de Civ. D. utriusque partem sententiæ confirmat, adducitque fragmentum e Seneca: *Cloacinam T. Tatius dedicavit Deam*. Forsitan, quod vox *signa* apud Plinium plurali numero legatur, plurium, quam unius, signorum *Cluacinæ Veneris* & *Cloacinæ*, suspicionem movit. Verum Plinius forte adjunctum Veneri Amoris signum plurali voce complexus est: quamquam & tres Gratiæ post Tatium ab aliis deinde Veneris signo addi potuerunt. Sed ne his quidem rejectis, etsi plura fuisse signa concedantur, ut ea diversa & non unius Deæ fuerint.

Tabernas, quæ *novæ* dictæ, hic in proximo fuisse, e Livio jam vidimus. Hæ sub Decemviris Laniis inservierunt. Ita Dionysius quoque lib. XI. & Varro apud Nonium *de Doctor. indagine*, in voce *tabernas*: *Hoc intervallum primum forensis dignitas crevit, atque ex tabernis lanignis* (sine dubio leg. *lanienis*) *argentariæ factæ*. Meminit earum Livius lib. V. decad. III. *Eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque, & argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsere*. Nomen illud *novarum* forsan tum accepere, quum expulsis inde laniis, ceterisque id genus spurcis hominibus, in argentarias multo nitidiores verterunt, renovatæ sine dubio, & in majorem splendorem auctæ, ampliatæque: id autem *novarum* nomen jam vetustæ retinuerunt. Non tamen ideo lanienæ in Foro esse cessaverunt; nam extremis adhuc reip. temporibus eas illic fuisse Varro docet apud Nonium, cap. *de honestis* &c. in voce *expulsim*: *Purgatum scito, quem videbis Romæ in Foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere*. Potest id ipsum & ex Plauto colligi, in Epidico, Act. II. sc. II.

Per medicinas, per tonstrinas, in Gymnasio atque in Foro
Per myropolia & lanienas, circumque argentarias
Rogitando sum raucus factus.

Unde fateri cogimur, aut non omnes lanienas in tabernas transisse argentarias, aut non omnes in initio argentarias fuisse lanienas. Ad has fœneratores consistere soliti, qui ætate Plauti prius *sub veteribus* versari consueverant. Ita enim ille loco supra citato:

Sub veteribus ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fœnore:

Erant ibidem frequentes quoque lenones, ut idem Plautus docet sc. I. in Truculento:

Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.

Verum cum postea tres Jani facti essent, prope Puteal, & Marsyam, fœneratores istuc, quod loca commodiora essent, concessere: & hinc tractus ille celebrior redditus, ad imaginem alterius *sub veteribus*, nomen a vulgo acquisivit *sub novis*. Sic Varro lib. V. *Et sub novis dicta pars in Foro ædificiorum, quod vocabulum ejus pervestum est*. Item Cicero lib. II. de Orat. *Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico. sub novis, distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus*. De quo *scuto* Quintilianus hoc addit, lib. VI. cap. V. *Tabernæ autem erant circa Forum, ac scutum illud signi gratia positum*.

Septem vero argentariæ *tabernæ* ad *quinarium* reductæ numerum, ut in Livio supra vidimus, ubi exacte sitæ fuerint, vix dici vere queat. De his Juvenalis Satyra prima ait:

—— sed quinque tabernæ
Quadringenta parant. ——


Municipiorum Stationes inter cetera octavæ regionis ædificia a Victore recensitæ, procul omni dubio in hoc fuere Fori latere, nec a novis, uti existimo, tabernis longo interstitio disjunctæ. Plinius enim lib. XVI. cap. ultimo, lotum arborem a Romulo in Volcanali satam, suaque adhuc ætate superstitem radices subter municipiorum stationes egisse in Forum usque Cæsaris, tradit: *Verum altera*, inquit, *lotos in Volcanali, quod Romulus constituit, ex victoria de decumis, æquæva urbi intelligitur, ut auctor est Masurius; radices in Forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant*. Quum vero Forum Cæsaris post ædem *S. Hadriani* fuerit, aut non longe illinc remotum, ædificiorum series a Volcanali in illud Forum pergens stationes hasce inter ædem *S. Hadriani* & *S. Laurentii in Miranda* sitas fuisse arguit. Quid autem hæ *stationes* fuerint, haud facile est divinando assequi. Nam militum fuisse municipalium in Foro stationes, rationi non est consentaneum. Forsan locus fuit, in quo de municipiis homines ac peregrini civitate donati, convenire soliti fuere, in Comitio in creandis magistratibus, vel rebus aliis ad remp. pertinentibus, suffragia laturi. Videtur hoc e Suetonio colligi posse, qui cap. XXXVII. in Nerone ait: *Salvidieno Orphito objectum est, quod tabernas tres de domo sua circa Forum civitatibus ad stationem locarat*. Sic & Ulp. JCtus *l. Fulcinius §. illud sciendum ff.*

A *quibus in caussis in possideatur*; *stationum* Fori meminit: *Denique eum quoque, qui in Foro eodem agat, si circa columnas, aut stationes se occultet, videri latitare veteres responderunt*. In *stationibus* versari solitos Actuarios, seu Tabelliones, qui nunc Notarii vocantur, sæpius in Authentica legitur *de Tabellionibus*: quare hos municipiis in litibus operam forensem dedisse suspicor: ut mihi quoque videre videor ex his Auctoris Dial. de caussis Corr. Eloq. *Cum tot amicorum caussæ, tot coloniarum, & municipiorum clientelæ in Forum vocent*; & circa finem: *Qualia cottidie antiquis Oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles Forum*
B *coartarent, cum clientelæ quoque, & tribus, & municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus assisterent: quum plerisque judiciis crederet pop. Rom. sua interesse, quid judicaretur*. Civitates autem inter se coram Coss. aut Principe contendere solitas Plinius auctor est in Panegyr. *O vere Principis, atque etiam Consulis reconciliare æmulas civitates*.

Basilicam Pauli Æmilii ad *S. Hadriani* Plutarchus in Galba collocat: ubi ait, Prætorianos milites ab Othone ad interficiendum Galbam missos, e Castris, id est, e Viminali monte in Forum
C venientes, *per Pauli Basilicam* irruisse. Melius autem e toties citato equo Domitiani apud Statium id ipsum perspicitur, ubi ait:

At laterum passus hinc Julia tecta tuentur,
Illinc belligeri sublimis regia Paulli.

Nam quum Basilica Julia in opposito latere fuit, necessario sequitur, in hoc Fori latere *Pauli Basilicam* fuisse. Refert Marlianus vidisse se columnas illic & marmora admiranda effodi, quæ ipse templi Castoris & Pollucis residua existimat: ego vero Basilicæ ea Pauli adscripserim: quam Plinius lib. XXXVI. cap. XV. & Appianus lib. II. de bel-
D lis civil. inter maxime admiranda urbis Romæ ædificia referunt. *Nonne*, inquit hic, *inter magnificam Basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem*? &c. Plutarchus in Cæsare, & Appianus eodem libro a L. Æmilio Paullo Cos. mille quingentis talentis a Cæsare e Galliis ipsi missis, ut in partes eum suas transduceret, Basilicam illam factam auctores sunt. Dio autem, Æmilium Lepidum Cos. sub Augusto porticum restituisse, tradit lib. XLIX. Hujus porro porticus effigiem nummus nobis antiquus exhibet, a Donato lib. II. publicatus, & a nobis hic expressus.



Porro Basilica iterum incendio absumta, ab Æmilio nomine tenus, verum reapse ab Augusto & amicis Pauli refecta est, teste Dione lib. LIV. ac tandem ab alio quodam Lepido, non admodum pecunioso, restituta, & ornata principatu Tiberii, ut est apud Tacitum lib. III. Annal.

Quid Ædes *S. Hadriani* olim fuerit, quam & structuræ ratio, & pulcherrima ex ære janua priscæ vetustatis esse opus arguunt, incertum est; quare, quum templum eam & ærarium Saturni fuisse concedere nequeamus, quod tamen aliquammulti sensere, aliud hic nil intuebimur quam Forum Augusti ei proximum, quod Hadrianum instaurasse Spartianus in ejus vita tradit: *Romæ restauravit Pantheum, Septa, Basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, Forum Augusti*, &c. & templum ab Antonino eidem Hadriano consecratum, de quo Capitolinus: *Opera ejus hæc exstant Romæ; Templum Hadriani, honori patris dicatum*, &c. Templum vero illud in Foro magno constructum, & Augusti templo vicinum Hadrianus Imp. forsan restituit; quod ut affirmari nequit, cum nullum ejus facti extet indicium, aut argumentum, ita nec omnino negari potest, cum nihil quoque sit, quod obstet. Exigua tantum & tenuis quædam suspicio reliqua est, ut, sicut ad Forum templum Martis in ecclesiam *S. Martinæ* conversum est: & duorum fratrum vetus templum solo sub Remi nomine notius, duobus fratribus *SS. Cosmo & Damiano* consecratum est; ita & hanc ædem a Pontifice, qui eam ritui Christiano consecravit, Sancto illi, Cæsaris Hadriani cognomini, fuisse attributam. Sed ut hæc levicula tantum conjectura est, ita & veritas suis tenebris, in quibus delitescit, relinquenda est.

Ubi nunc *S. Martinæ* ædes est, olim *Secretarium Senatus* fuisse vetus hæc inscriptio docet, quæ affixa muro inventa, rursusque detecta, cum ante aliquammultos annos Martyris illius corpus effoderetur, apud Gruterum exstat:

SALVIS. DD. HONORIO. ET. THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS
PRINCIPIBVS. SECRETARIVM. AMPLISSIMI. SENATVS. QVOD
VIR. INLVSTRIS. FLAVIANVS. INSTITVERAT. ET. FATALIS
IGNIS. ABSVMPSIT. FLAVIVS. ANNIVS. EVCHARIVS. EPIPHANIVS
V. C. PRAEF. VICE. SACRA. IVD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM
FACIEM. REDVXIT

Quod autem, ac quale illud fuerit ædificium, adhuc ignoratur. Disputant de eo perquam erudite Bullengerus lib. III. *de Imp. Rom.* cap. IX. Baronius ad A. Chr. CCCXXXII. Brissonius in *l. 17. de Verb. sign.* & Donatus lib. IV. cap. II. producuntque varia Martyrum acta, diversasque leges, &
F præ ceteris *l. ult. C. ubi Senat. vel Clariss.* & tertiam *C. de Offic. div. jud.* ubi *Secretarium* locus dicitur, in quo caussæ coram judicibus agebantur. Adde his & *l. 2. & 5. Cod. de Proxen. Sacr. scrin. lib. 10.* Verum *Secretarium Senatus*, de quo in inscriptione hac agitur, nil habuisse videtur cum litibus ac judiciis commune. Bullengerus, & hunc secutus Donatus, quamquam olim Constantinopoli tabularium actionum ad privatos pertinentium fuisse dicunt, cui *secreto privatarum* nomen, alterum item *secretum publicarum*; adeoque *Secretarium* hoc tabularium esse potuisse Senatusconsultorum, nihilominus novam illud Curiam aliquam fuisse malunt, in qua Senatus convenerit: additque Donatus, probabile videri, Senatores Christianos, a curiis Diis Gentilium consecratis inauguratisque abhorrentes, novam aliam maluisse, quam Flavianus instituerit. Judiciosa quidem hæc, verum nonnihil a verisimilitudine aliena sunt, quum novo illi ædificio nomen judiciis proprium datum fuisse vix credibile

videatur. Tum & usque ad Theodosii principatum Senatus in Curia haberi sit solitus, ut e Symmachi epistola XIII. lib. I. constat: *Frequens*, ait, *Senatus maturrime in curiam veneramus*. & in fine: *Monumenta curiæ nostræ plenius tecum loquentur*. Curiam vero a Gentilium superstitionibus fuisse repurgatam, sublatamque ideo Aram Victoriæ idem Symmachus conqueritur epist. LXI. lib. X. utque ea restituatur, Impp. rogat Valentinianum, Theodosium, & Arcadium: sed frustra, obnitentibus summa vi ac facundia inter ceteros D. Ambrosio duabus eruditis epistolis, & Prudentio eleganti carmine.

Ego in allatis legibus hoc observavi, non omnem judiciorum locum *Secretarium* fuisse appellatum, verum tantum illum, in quo caussæ capitis disceptabantur. Sic Cassiodorus epist. VIII. lib. VI. Varior. de caussis tantum agit criminalibus, ubi de *Secretario* mentionem injicit. Nec aliter Symmachus lib. X. epist. XLIII. *Nam cum ad examinandos actus Bassi Præfecti urbis potestas vicaria ad secretarium commune prodiisset*, &c. Et hæc ipsissima potestas vicaria judicialis in allata inscriptione memoratur, *Præf. vice Sacra Jud.* &c. *reparavit*. unde concludo, quod caussæ civiles semper actæ fuissent, agerenturque sub dio, & Oratores olim plausorum turbam conducere solerent, ut est apud Plinium Junior. l. II. epist. XIV. qui & morem hunc pravum deridet; contra in criminalibus (in quibus interrogandi sæpe clam erant testes, reique ipsi, imo & quæstiones adhibebantur, ut per tormenta verum exquireretur, tum quidem temporis, nimirum sub Imperatoribus in corpora libera, sub Coss. autem in servilia tantum permissa) loca commoda ædificata fuisse, quibus novum *Secretarii* nomen positum sit. Locum autem examini testium destinatum *secretum* appellatum liquet e *l. nullum C. de Testibus*: quem *cancellis* clausum fuisse, & inde Notariis *Cancellariorum* nomen datum, Brodæus existimat *in Paralipomenis ad l.* V. *Polleti*.

Verum hic de *Secretario* agitur *Senatus*, non autem Judicum. Quare quid id fuerit, inquirendum videtur. Ut silentio prætercam, quod tamen mihi valde probatur, primos Christianos Senatores, indignatos Senatusconsulta im templo Saturni asservari, alium sibi locum delegisse, quem *Secretarium Senatus* appellarint; significationi communi inhærebo, dicamque, in Senatu quoque ex mandato Imperatorum sæpe causas capitis disceptatas fuisse. Exempla hujusce rei complura occurunt, ut apud Suetonium in Tiber. cap. LVIII. & in Domit. c. XI. & apud Plinium Juniorem in pluribus epistolis. Hinc Tacitus lib. IV. Annal. ait: *Jam primum publica negotia, & privatorum maxima apud Patres tractabantur; dabaturque primoribus disserere*, &c. qui & lib. III. causam Pisonis a Tiberio Senatui commissam refert; & l. XIV. usum jam introductum a tribunalium sententiis ad Senatum appellandi exponit. Tum & M. Aurelium multas gravesque cognitiones criminales Senatui tradidisse Capitolinus tradit. Introduxerat Augustus morem XV. vel XX. e Senatu deligendi, quibuscum res graviores secretius tractaret; ut est apud Dionem lib. LV. Hi ad ceterorum distinctionem tandem *Patritii* appellati, & *de Consistorio Principis*, ut e citata *l. ult. C. de off. div. jud.* abunde liquet: quos Hadrianus Imp. in contubernium adscivit. Ita enim de eo Spartianus: *Optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ Majestatis adscivit, quos secum habitare voluit*. Hinc colligo, judicia capitis, de quibus olim Senatus cognoscebat, postea ad solos delata Patritios, idque in loco a Curia diverso. Ad hæc in loco, in quo judicia exercebantur, tribunal & sedilia consessui judicum necessaria, & a curiæ sedilibus diversa requirebantur: tum & *velum*, quo obducto secretum judicibus petebatur de caussa, vel crimine consultantibus. Meminere hujus Acta S. Euplii: *Cum esset extra velum Secretarii, Euplius Calvisianus Consularis intra velum interius ingrediens sententiam dictavit, & foras egressus afferens tabellam legit; Euplianum Christianum edicta Principum contemnentem, & Deos blasphemantem gladio animadverti jubeo*. Item Acta SS. Claudii & sociorum: *Lysias introgressus obduxit velum: postea exiens ex tabella recitavit sententiam*. Nec non *l. de submersis C. de naufrag. lib. 12. De submersis navibus decernimus, ut levato velo istæ caussæ cognoscantur*. ut & *l.* 181. *C. Theodos. de Deccurion. Vela* hæc intra cancellos fuisse e Sidonio Apollinare colligitur, qui lib. XI. epist. VI. Regem Theodoricum describens ait: *Circumsistit sellam comes armiger; pellitorum turba satellitum, ne obsit, admittitur, ne obstrepat, eliminatur: sicque pro foribus immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis*. Tale vero *velum* Curiæ minime conveniebat. Quare æquum erat, ut Senatus, saltem Patritii, secretarium haberet peculiare, ubi cum dignitate, convenientique loci aptitudine, ad caussas cognoscendas consideret.

Non longo hinc intervallo vetus colossea *Marforii statua* disjuncta fuit, quæ sine dubio fluminis alicu us simulacrum est. Posita ea fuerat adversus *S. Petri* ædem *in Carcere*, in ipso viæ capite, quæ etiamnunc *clivus Marforii* appellatur, ubi marmor a Marliano positum est, in memoriam ablatæ inde in Capitolium statuæ. Blondus eam Jovis Panarii fuisse existimat, quod in ea nonnullos tumores ad instar panum animadverteret, quibus incubaret: verum præterquam quod hi tumores panes non sint, Jovi huic *ara*, non autem statua in Capitolio posita legitur. Fulvius multo acutius, & statuam, & corruptum nomen considerans, Naris fluminis effigiem esse censebat, quasi voces *Nar fluvius* in vocem *Marforius* detortæ essent. Verum Marlianus a vero remotum putat, tam exiguo flumini tam grandem statuam aut in foro Magno, aut in Augustæo positam fuisse: Ideoque illam Rheno potius attribuit, cujus simulacrum ad pedes equi Domitiani Statius lib. I. Sylv. collocat:

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Verum quomodo caput Marforii servata vel tantillum proportione Geometrica pedibus illius equi subjectum esse potuerit, non video: præsertim quum ita projectus ad transversam basim pectus potius, quam caput equi pedibus advolutum habiturus fuisset. Quare verosimilius mihi videtur, alicujus eam fluminis aut fontis statuam fuisse, cujus usum in Foro proximo Augusti, aut in angulo Fori Magni contra Carcerem exhibuerit, ubi scilicet posita fuit, in prospectu lacus Servilii, quem in alio fuisse latere diximus; quum inusitatum posterioribus seculis fuerit tam grandes molestasque statuas in alia loca transferre. Adde, quod hic & ingens illud labrum marmoreum fuerit, (quod hodieque in medio Campo Vaccino visitur) ut a plurimis oculatis testibus confirmatur: sic ut huic *Marforii* inserviisse *statua* videatur. Marlianus porro nomen ejus corruptum suspicatur ex *Martis Fori*: quod mihi minus aptum aliquamdiu visum est, quum non *Martis*, sed *Augusti* Forum semper appellatum fuerit: verum quum post in Actis S. Felicitatis legissem, *Sedit in Foro Martis, & jussit eam adduci cum filiis suis*, magis mihi inventum illud placere cœpit, magisque videri verisimile.

Ad ædem *S. Martinæ* viam fuisse necesse est, quæ in Forum Augusti duxerit; nam ex uno in aliud Forum transitum fuisse certum est. Ea ve-

ro non procul ab illa absuisse potest, quæ nunc inter *S. Martinæ* & *S. Hadriani* ædes est.

Altera, cui nunc *clivo Marforii* nomen, aut si alia, certe huic vicina, olim *Mamertina* appellata (forte a proximo Templo, Foroque Martis) ab Anastasio memoratur, in Anastasio Pontifice: *Hic fecit Basilicam, quæ dicitur Crescentiana, in regione secunda, via Mamertina, in urbe Roma*. Illam autem secundam regionem de VII. Christianis superius hanc octavam fuisse asseruimus: quod ex vetere *carcere* patet *S. Petri*, qui huic vicinus est, vocatus olim, ut plurium Martyrum Acta testantur, *Carcer Mamertini*, scilicet vici. Forsan illa olim plana fuit, nunc aliquantum inæqualis ex collapsis Capitolii substructionibus, quæ eam media sui parte editiorem reddidere.

CAP. IX.

Fora Cæsaris, Augusti, & Trajani, resque ceteræ vicinæ.

QUum Romanum imperium in vastissimam molem amplitudinemque excresceret, vetus urbis Forum nimis angustum esse cœpit; & cum absque ingenti templorum aliorumque ædificiorum ruina, quibus inclusum erat, proferri ampliarique non posset, Cæsar Julius aliud in proximo *Forum* fecit, eique tantumnon conjunxit: non quidem rerum venalium, (inquit Appianus lib. II. de bell. civil.) sed ad lites, aut negotia convenientium. Refert idem Appianus Cæsarem in eo magnificum *templum Veneri Genitrici* posuisse, cum celeberrima illius Deæ statua ab Cleopatra transmissa: *ad cujus latus Cleopatræ quoque effigiem statuit, quæ hodieque juxta visitur*. Huic templo *Atrium* addidit splendidissimum, quod Forum P. R. esse jussit. Atrium igitur hoc Basilica fuit, in qua jus dici solitum, Forique nomen magis, quam areæ, quæ ante illud fuit, obtinuit. Nec est quod cuiquam absurdum videatur, *Atrium* & *Basilicam* rem unam eandemque dici. Nam Atria olim grandia conclavia fuisse, columnis interstincta, ac testudinata, jam superius explicui: veteres autem Basilicæ Gentilium primis Christianorum ecclesiis non multum dissimiles fuere; ut ex Basilica *S. Joannis Lateranensis*, *S. Pauli*, *S. Mariæ Majoris*, aliisque quamplurimis, Donatus erudite probat: unde e divisione nostrarum veterum ecclesiarum in plures testudines formam veterum Basilicarum. Fororumque Gentilium conjectare licet, & inferre, Atria illis non fuisse dissimilia. Sed ut ad *Forum Cæsaris* regrediamur, Dio illud lib. XLIII. *Romano pulchrius* prædicat. Suetonius autem in Cæsare, cap. XXVI. ait: *Forum de manubiis inchoavit, cujus area super HS millies constitit*: quod & Plinius confirmat lib. XXXV. cap. XV.

Situs ejus a nonnullis inter Ædem *S. Laurentii in Miranda* & Templum Pacis includitur: verum quibus id fecerint adducti rationibus, ignorare me fateor. Nam primum non modo Templum Pacis, sed & *S. Laurentii in Miranda*, aliaque adhuc plura ædificia, hac *S. Laurentii* æde Foro Romano & Capitolio viciniora, quartæ regionis fuere: *Cæsaris* vero *Forum* a Victore & Rufo in Octava collocatur. Tum *Forum Nervæ*, quod post ædem *S. Hadriani* visitur, itidem quartæ regionis fuit. Ergo minime verisimile est, angustam quandam veluti tæniam octavæ regionis inter ædem *S. Laurentii* & Forum Nervæ versus templum Pacis penetrasse. Accedit huc, quod Cæsar illud nimis longe a Foro magno disjunxisset: unde nec Ovidius, uti supra habuimus, Jani templum duobus Foris conjunctum dixisset. Quare iterum dicendum est, inter ædem *S. Laurentii* & *Hadriani* viam fuisse in Carinas ducentem, quæ duas regiones diviserit, & per quam aditus in *Forum Cæsaris* patuerit: quod post illud spatium positum, quod in utramque illam ecclesiam intercedit, jure merito unum quasi cum Foro magno Forum esse dici potuerit; cui etiam a latere fuit. Atque ita *S. Hadriani* ædes rectissime in *tribus Foris* esse apud Anastasium pluribus locis legitur.

In medio Foro ante templum Veneris ejusdem Cæsaris *statua equestris* ex ære fuit, aurata, cum admirabilis ejus equi effigie, qui sessorem alium, quam Cæsarem, nullum admittens, ungulas anteriorum pedum ad similitudinem digitorum pedis humani fissas habebat. Ita de eo testantur Suetonius cap. LXI. in Cæsare, & Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Equum* hunc ex ære Bucephalum Alexandri referentem, opus Lysippi fuisse Alexandro M. dono datum, & a Cæsare in Forum suum translatum, postquam ungulas ejus prius ad similitudinem ungularum equi sui effingi fecisset, Donatus ex hisce Statii colligit, qui lib. I. Sylvar. ubi Domitiani equum describit, ait:

> *Cedat equus Latiæ, qui contra Templa Diones*
> *Cæsarei stat sede Fori, quem tradere es ausus*
> *Pellæo Lysippe Duci: mox Cæsaris ora*
> *Aurata cervice tulit.*

Inter tabulas nobiliores *Ajax* illic fuit, & *Medea*, ante Veneris templum suspensæ, teste Plinio lib. XXXV. cap. IV. Inter ceteras vero, quibus ornatum fuit hoc Forum, statuas una quoque Cæsaris fuit armati lorica, ab aliis ipsi posita; de qua Plinius lib. XXXV. cap. V. idem & cap. XXXIV. lib. IX. & lib. XXXVII. cap. I. Cæsarem illic acinacem dedicasse dicit e margaritis Britannicis, & sex gemmis. Quintilianus autem lib. I. cap. V. *Columnam* ibidem fuisse *rostratam* indicat: *Ut Latinis veteribus D. plurimis in verbis ultimam adjectam, quod manifestum est etiam ex Columna rostrata, quæ est Julio in Foro posita.*

Cicero lib. IV. epist. XVI. ad Att. *Atrium libertatis* prope Forum Cæsaris fuisse scribit, quamquam ibi contextus manifeste corruptus est: *Itaque Cæsaris amici (me dico & Oppium, disrumparis licet,) monumentum illud, quod tu extollere laudibus solebas, ut Forum laxaremus, & usque ad Atrium Libertatis explicaremus, contempsimus, sexcenties HS. cum privatis non potest transigi minore pecunia.* Manutius putat, Ciceronem de Foro Cæsaris loqui, ut id ad Atrium usque Libertatis extenderetur. Lambinus vero vocem *Forum* tolli jubet, ampliationem Basilicæ Pauli Æmilii illic denotari existimans. Verum si Cicero ipse ibi ad Atticum scribit, Basilicam illam construi: ut *Paulus in medio Foro Basilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis: illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Cæsaris amici*, &c. non potuit sane ipse illic dicere, *monumentum illud, quod tu extollere laudibus solebas*, quasi jam dudum ante Attico cognitum probatumque esset. Verum omissa hac disputatione, *Atrium Libertatis*, quod Cicero prope Forum Cæsaris fuisse indicat, in Aventino fuit: nec alterius *Atrii Libertatis* ulla exstat notitia. Victor quidem in hac regione *Atrium Minervæ* recensuit, quod aliam videtur in Cicerone emendationem suppeditare; nec miraculum foret, vocem *Minervæ* a librario in vocem *Libertatis* commutatam, quod hoc illo altero celebrius notiusque fuerit. Verum sive *Libertatis* sive *Minervæ*, sive quod aliud fuerit, confi-

cere hinc licet *Atrium* in hoc Foro amplius, quam in vetere fuisse, prope quod ædificium ante celebre fuit, quod Cicero & Oppius dirui fecere, HS sexcenties æstimatum. Quod si autem tantum unius ædificii pretium fuit, facile credi potest, quod Suetonius & Plinius de tota area dixerunt; *cujus area super HS millies constitit*.

De *Foro Augusti* ne dubitatur quidem. Erat hoc post ecclesiam *S. Martinæ* ad latus ferme *S. Hadriani*: ita ut via, quæ hodie inter utramque intercedit, recta ad Forum Nervæ ducens, forte antiqua illa fuerit, aut ei saltem proxima, per quam e Foro Romano in Forum Augusti transibatur: & inde ulterius in Forum Nervæ, quod etiamnunc ex illo prospectatur. Ita cum eadem esset omnium latitudo, & alterum alteri cohæreret, unum quasi trium membrorum, seu partium, Forum esse videbatur. Sic Statius lib. IV. Sylv.

Nec saltem tua dicta continentem
Quæ trino juvenis Foro tonabas.

Martialis lib. III. Epigr. XXXVIII.

Caussas, inquit, *agam Cicerone disertius ipso*,
Atque erit in triplici par mihi nemo Foro.

item lib. VII. Epigr. LXIV.

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, Foris.

Hoc quoque *Forum Augusti* angustum fuit, sed pulcherrimum, & a Suetonio inter egregia Augusti opera numeratum, cap. XXIX. *Causa faciendi*, inquit idem, *fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque festinantius necdum perfecta Martis æde publicatum est, cautumque, ut separatim in eo publica judicia, & sortitiones judicum fierent*. Idem autem ait idem scriptor, *Forum angustius fecit, non ausus extorquere proximas domos*. Duæ in eo fuere porticus (ab duobus sine dubio lateribus, quia in tertio fuit Templum Martis, & in quarto Basilica) in quibus ducum Romanorum statuæ positæ. Ita Suetonius cap. XXXI. *Et statuas omnium triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicavit, professus edicto, commentum id se, ut ad illorum velut exemplar & ipse dum viveret, & insequentium ætatum principes exigerentur a civibus*. Plinius illud inter quatuor maxime admiranda urbis ædificia recenset, lib. XXXVI. cap. V. Idem lib. VII. cap. LIII. mentionem *Apollinis ex arbore* facit, qui inter Fori illius ornamenta fuit: *Ante Apollinem eboreum, qui est in Foro Augusti*. & lib. XXXV. cap. IV. in parte ejus conspectissima Augustum duas tabulas dedicasse, quarum altera bellum, altera triumphum exhibebat: *Super omnes D. Augustus in Foro suo celeberrima in parte posuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habent, & triumphum*.

Ædes Martis Ultoris, quam bello civili voverat, ibique dedicavit, forma rotunda fuit; cujus effigies in duobus nummis exstat veteribus Augusti apud Ericcium, & Donatum lib. II. Ornamenta ejus, deorum signa, quæ in fastigio, armaque & spolia hostium, quæ in janua, & regum Albanorum, ceterorumque Romanorum, & quæ id genus alia fuere, fuse ab Ovidio enarrantur lib. V Fastor. In hoc Augustus Senatum haberi voluit, ubi de bello esset in consilium eundum: Suetonius cap.

A XXIX. *Sanxit ergo, ut de bellis, triumphisque, hic consuleretur Senatus*. Forum hoc ab Hadriano restitutum superius vidimus.

Refert autem Martinellus *in Roma Sacra* locum, qui est post ædem *S. Martinæ*, seculis minus vetustis dictum *Hortum Mirabilem*. Quare suspicor, fingoque mihi, hortum fuisse infelici isto ævo in ipso Fori Augusti situ: cujus cum ambitus columnas adhuc aliquas, & alia haberet priscæ magnificentiæ monumenta, & reliquias, nomen ipsi *mirabilis* ab iisdem fuisse conciliatum.

Idem Martinellus, eodem commentario de ecclesia *SS. Apostolorum* agens, constitutionem ad-
B fert Joannis III. confinia parœciæ istius ecclesiæ describentem: in qua, *usque ad Arcum elagentariorum* (vitiose, pro *argentariorum*) legitur: & hunc arcum prope ædem *S. Laurentii*, non procul a radicibus Capitolii, inter Forum Augusti & Trajani collocat. Vixit autem Joannes III. principatu Justini Imp. Quare quod illic *argentarii* tum temporis fuerint, si non inferre concedunt, saltem suspicari permittunt, *Vicum* antiquum *Sigillarium majorem* eo loci fuisse, ut *minorem* supra Forum Trajani versus aream *SS. Apostolorum*, vel saltem in proximo fuisse, in regione septima disputavimus.
C Anastasius, in Benedicto III. Tiberis describens inundationem, aperte clivum indicare videtur, qui nunc *Marforii* dicitur, quum ait flumen a via lata *ascendisse per plateas & vicos usque ad clivum Argentarii*. *Argentarios* autem hic non intelligendos esse trapezitas, verum aurifices, Javolenus JCtus explicat *l. si uxori ff. de aur. & arg. leg.* ubi ait: *Si vascularius, aut faber argentarius uxori ita legaret*, &c. item Firmicus cap. I. lib. II. Matheseon; *facit enim aurifices, inauratores, bractearios, argentarios* &c.

Basilica quoque *Argentaria* hic forsitan fuit, (de qua in Notitia D. Imp.) in qua omnem mundum
D muliebrem ex argento vendi solitum liquet e *l. pediculis ff. §.* item, *cum quæritur ff. de aur. & arg. leg.* Panvinius & *Forum* adjungit *Argentarium*, verum quo auctore, mihi incognitum. Non enim ex allata Basilica Forum etiam illic fuisse, confici potest. Victor plures una recenset, nisi mendum in codicibus est. Sed nec earum pluralitas Fori hic excogitandi idonea caussa est.

Possim ego hoc pacto *porticum*, cui *Margaritariæ* nomen fuit, cujus a Victore hac in regione mentio fit, hic collocare, in qua margaritæ, gemmæ, & monilia pretiosa, ut in sigillaribus vendita fuerint: verum istiusmodi indicasse sufficit, certi ve-
E ro aliquid de iis affirmare temerarium est.

In extrema hac regione *Forum Trajani* fuit. Situs ejus ab admirabili ejus *Columna Trajana* indicatur, quæ etiamnunc superstes inexplebili spectatores voluptate afficit, detinetque in considerandis insculptis ei belli Dacici ab eo gesti simulacris, gradibus intus, seu scala cochlide, ab imo ad summum fastigium adscensum præbentibus. Inscriptio non opus illud Trajani, sed Senatus fuisse arguit, honori principis dicatum: supra quod, vel infra, ut Cassiodorus in Chronico, & Eutropius l. VIII. referunt, ossa Trajani in urna condita fuerint, sin-
F gulari prærogativa, seu privilegio nemini antehac concesso, ut in urbe sepeliretur. Ita enim ibidem Eutropius: *Solusque omnium intra urbem sepultus*. Inscriptio testatur altitudinem columnæ mensuram fuisse egestæ terræ, quo laxius Forum esset.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CAES. DIVI. NERVAE. F. TRAIANO. AVG. GERMA
NICO. DACICO· PONT. MAX. TRIB. POT. XII. COS. XI. P. P.
AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS. TAN. . . . . . BVS. SIT. EGESTVS.

Terram vero illam extremi montis Quirinalis fuisse, & alio asportatam, certum est: unde vetustissimæ vicinitatis, quæ inter hunc & Capitolinum montem intercessit, argumentum, conjecturaque peti potest.


Forum hoc cetera Fora omnia Romana opulentia magnificentiaque longe anteibat. Hinc Ammianus ait lib. XVI. de Constantio: *Cum ad Trajani Forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur etiam numinum asservatione mirabilem, hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos.* Quæ encomia si quis forte nimia existimat, & ultra veri fidem, is tres tantum de Foro Nervæ superstites columnas intueatur, quæ multo minores fuere, ac dehinc verba illa ex Ammiano recitata consideret, sibique videre se fingat Constantium attonitum, dum in Foro Trajani *per giganteos contextus circumferens mentem* obstupescit; ac tum demum fatebitur, opus hoc vere giganteum fuisse. Sunt qui credant, columnas ejus Fori altitudine & crassitie columnam Trajanam æquasse, quæ etiamnunc superest: verum huic ego accedere nequeo sententiæ, quod nimirum mihi inæqualis ea proportio videatur, quæ inter columnas illas & homines sub his ambulantes fuisset; nec id in tam celebri Architecto, qualis Apollodorus fuit, vel suspicandum quidem videtur. Epistylia, arcus, & fornices, ex ære fuisse Pausanias tradit lib. V. & X. statuas item in fastigiis ex ære omnes Donatus ex his Gellii verbis colligere sibi posse videtur lib. XIII. cap. XXIII. *In fastigiis Fori Trajani simulacra sunt sita circumundique inaurata equorum, atque signorum militarium: subscriptumque est*, EX MANUBIEIS. Non tamen Donatus ex ære quoque arcus & testudines fuisse concedit, quum id ei, sicut & mihi, incredibile videatur. Sed nec præcipua ego epistylia ex ære fuisse existimo, quum & ipsas tum statuas æneas fuisse oporteat. Hoc autem lubens concesserim, tænias, arcus, testudines &c. operibus magnæ artis ex ære inducta, additave fuisse. Sed in his, ut in ceteris dubiis obscurisque rebus, suo cuique frui judicio licebit.

Habuit hoc Forum, non secus ac cetera omnia, suam Basilicam, suamque ædem. Basilicæ Lampridius meminit in Commodo: *Cum togam sumsit, adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque in Basilica Trajani præsedit.* Meminit & Ammianus, ubi equestrem grandem illam equi insidentisque Trajani statuam æneam non in ipsa area Fori fuisse narrat, verum in medio Atrii, sive Basilicæ: & cum Constantius jactaret, similem se equum facturum, Hormisdam ei Persam respondisse, *At prius stabulum ei tale pares.* Quod autem ejus *Basilicæ* mentio fiat a scriptoribus, ideo factum est, uti de *Nervæ* quoque *Basilica* dixisse memini, quod illa sub *Fori* nomine plerumque intellecta fuerit. Atque ita non improprie Claudianus dixit in VI. Cof. Honorii:

—— desuetaque cingit
Regius auratis Fora fascibus Ulpia lictor.

Quum *Basilica* a lictoribus cingeretur, non autem *Forum*, in quo consistebant. Sic & ab A. Gellio lib. XIII. cap. XXIII. *Forum* ipsum Trajani *area Fori* dicitur: *Quærebat Favorinus, cum in area Fori ambularet*, &c. & a Symmacho lib. VI. ep. XXXVII. *platea* vocatur: *In Trajani platea ruina unius insulæ oppressit habitantes.* Effigies hujus Basilicæ in numismate Trajani antiquo conspicitur, quod Donatus lib. II. inter cetera exhibuit; nec non in alio Augustini Dial. IV. quibus FORUM TRAIANI

A subscriptum legitur: quod & hic exprimendum curavimus.




B Hæc autem *Basilicæ* tantum, non totius Fori, facies structuræ nobis magnificentiam ostentat. Nam in fastigio ejus statuæ visuntur, cujusmodi & in Fori fastigiis fuisse ex A. Gellio habuimus. Verum in nummo a Donato delineato, in quo ipse Basilicam agnoscit, ego potius *Arcum* Trajano in Foro erectum exprimi censeo, de quo Dio: & hoc mihi inscriptio indicare manifestissime videtur, S. P. Q. R OPTIMO PRINCIPI. *Basilica* namque in usum populi, *arcus* autem in honorem Trajani exstructus fuit. Alium etiam huic quasi geminum arcum in nummo vetere Neronis apud Ericcium videre est. In *Basilica* Coss. solitos jus dicere A. Gellius indicat eodem loco: *Cum in area Fori ambularet, & amicum suum Cos. opperiretur, causas pro tribunali cognoscentem*, &c. Item Claudianus supra allato loco. Hinc & ibidem manumissiones a Coss. factæ; quemadmodum de Anthemio Imp. & Cos. Sidonius Apollinaris canit, a Donato item adductus:

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.
D *Perge Pater Patriæ felix, atque omine fausto*
Captivos vincture novos, absolve vetustos.

Dicatum vero huic sollemnitati fuisse diem Kal. Jan. Ammianus auctor est lib. XXII. *Mamertino Cos. Kalendis Januariis ludos edente, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum.*

Cui Deo *Templum* in Foro dedicatum fuerit, omnibus latere video. Quoniam vero Spartianus in Hadriano ait, principem eum Trajano tamquam divo templum fecisse: *Cum opera ubique infinita fecisset, numquam ipse nisi in Trajani patris templo nomen suum scripsit*; hoc ab Hadriano templum in Trajani Foro conditum existimatur: E videturque Notitia Imp. id exprimere: *Templum D. Trajani, & Columnam cochlidem*, &c. Verum id mihi nemo facile probaverit. Neque enim verisimile videtur, principem tam pium, tamque diligentem deorum suorum cultorem, Forum tanti sumtus ac magnificentiæ struxisse, templum vero in alicujus Dei honorem ibidem condere neglexisse. Fieri tamen potuisse non negaverim, ut huic a Trajano ædificato templo Hadrianus aliud in ipsius Trajani honorem addiderit. Templum vero a Trajano exstructum validissime bibliotheca arguit, F quæ in templo illo a Trajano instituta est ad exemplum Augusti, eique præeuntis Asinii Pollio-



nis. Sed hæc mea quidem opinio seu suspicio tantum est: veritatem vero aliis indagandam relinquo. Inter nummos Trajani, quos Angelonus in *Historia Aug.* profert, unus mihi & templum hoc, & ipsas quoque adjectas templo porticus exprimere videtur, quem & hic subjicere visum.

Bibliothecæ porro *Ulpiæ* plurimi meminere: ut Vopiscus in Aureliano, in Tacito, & Probo: ubi præcipue linteorum & elephantinorum librorum mentio fit: item Gellius, qui lib. XI. cap. XVII. de eadem ait: *Sedentibus forte nobis in Bibliotheca Templi Trajani*, &c. ibique se veterum Prætorum edicta legisse refert. Sidonius quoque lib. IX. epigr. XIX. duas illic fuisse bibliothecas auctor est:

Cum meis poni statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret
Inter auctores utriusque fixam
Bibliothecæ.

Ubi & statuas literatis poni solitas indicat. Hanc autem suam ex ære fuisse carmine ad Priscum Valerianum ostendit:

Ulpia quod rutilet porticus ære meo.

Unde mirum nemini videri debet, Claudiano quoque ibidem ab Arcadio & Honorio statuam fuisse positam; ut ex hac inscriptione patet:

CL. CLAVDIANI. V. C.
CL. CLAVDIANO. V. C. TRIBVNO. ET. NOTARIO
INTER. COETERAS. VIGENTES. ARTES. PRAE
GLORIOSISSIMO. POETARVM. LICET. AD. MEMORIAM
SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM. SCRIPTA. SVFFICIANT
ADTAMEN. TESTIMONII. GRATIA. OB. IVDICII. SVI. FIDEM
DD. NN. ARCADIVS. ET. HONORIVS. FELICISSIMI. AC
DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATV. PETENTE.
STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ERIGI.
COLLOCARIQVE. IVSSERVNT.

Ita & Victorinum Rhetorem principatu Constantii statuæ honorem meritum, Hieronymus refert in supplemento Chronici Eusebiani: *Victorinus etiam statuam in Foro Trajani meruit*. Dio præterea, non secus ac supra, duarum hic bibliothecarum meminit: *Bibliothecas Trajanus exstruxit*. Nam duæ fuerunt in eodem Foro; quarum alteram Donatus recte censet Græcorum, alteram Latinorum auctorum, codicumve fuisse, nec aliam nisi loci inter eas fuisse distinctionem; unde & factum, ut quidam singulari, alii rursus plurali numero in hac *Bibliothecæ* voce usi sint.

Transtulit hanc Diocletianus in recens a se exstructas Thermas. Ita Vopiscus in Probo: *Usus autem sum præcipue libris ex bibiliotheca Ulpia, ætate mea in Thermis Diocletianis*. Atque ita sensim cuncta exercitia, studiaque in Thermas traducta sunt.

Foro Trajani plurimæ a diversis Imperatoribus *statuæ* additæ sunt. Nam præter tres illas supra memoratas Sidonii, Claudiani, & Victorini, M. Aurelius illic omnibus equestris ordinis, teste Eusebio in Chronicis, statuas posuit, qui bello Germanico occiderant: & Alexander Severus, ut est apud Lampridium, statuas illuc clarorum virorum alibi positas transtulit. Pausanias unius meminit Augusti ex electro, & Nicomedis ex ebore, loco supra indicato. In hoc Foro Hadrianus, ut rem populo gratam faceret, vetera reliqua flammis dedit: quemadmodum Spartianus refert. Vopiscus item Aurelianum in securitatem privatorum tabulas publicas igne absumsisse narrat. M. Aurelium, bellum Marcomannis facturum, exhausto ærario, ne novis oneribus cives gravaret, auctione facta imperatoriam hic supellectilem vendidisse, Capitolinus auctor est. Hic tandem Poetas recitare solitos Fortunatus elegia ad Bertramum Episcopum Cenomanensem indicat, ut Donatus annotavit:

Vix modo tam nitido pomposa poemata cultu
Audit Trajano Roma verenda Foro.

Quod forte tum in Bibliotheca factum, sicut olim in Palatina.

Forum Trajani in regione octava ad ima Quirinalis, & *Forum Nervæ* in quarta itidem ad ejusdem montis radices sita, clarissime limites seu confinia utriusque regionis designat: quemadmodum & sextæ illam ipsam *viam* fuisse liquet, vel non procul inde, (licet angustiorem) quæ ad ima montis a latere Monasterii *S. Euphemiæ* e Foro sive area Columnæ Trajanæ versus ædem *S. Mariæ in Campo Carleo* tendit, inter vetus Forum Nervæ & duo illa, Julium, & Augusti; unde rursus versus Forum Magnum inflectitur. Vicinitas namque istius montis, & quatuor istorum operum, distinctionem illam regionum efficit evidentissimam. Unde & error ille manifestus est Auctoris Notitiæ Dign. Imp. qui regioni octavæ *Forum Nervæ* attribuit, quamquam jam ante sub nomine *Transitorii* idem Forum in quarta recensuisset, cui revera adsignandum est.

Ab extrema lateris orientalis hujus regionis parte ad oppositam, nempe occidentalem, transeundi tempus est.

CAP. X.

Velabrum, & vicina.

IN *Velabrum* exisse Vicum Jugarium ac Viam Novam superius dictum est. Quid autem *Velabrum* fuerit, nec dum satis explanatum est. Ante Tarquinium Priscum palus fuit, per quam naviculis ad Aventinum & aliorsum ibatur: unde & ei nomen, quum *Velabrum* a *vehendo* dictum Varro auctor sit. Verum quum palus illa exsiccata, ac terra exæquata esset, ut habitari posset, vetus quidem aliquamdiu toti valli nomen *Velabri* remansit, verum postea sensim, uti & Vico Thusco accidisse dixi, angustiore spatio cœpit circumscribi, & ceteris partibus alio nomine insignitis, (ut *Viæ Novæ*, *Fori Piscarii*, *Argileti*, *Vici Thusci*, & forte plurium) duabus solum viis, sive vicis, areisve adhæsit. Quod ut clarius liqueat, limites ejus indi-

candi sunt. Habuit autem post illam contractionem sub Capitolio confinem Vicum Jugarium, sub Palatino vero Forum Boarium; sic ut area inter ea media fuerit; ita tamen, uti dixi, ut in illud spatium Vicum quoque Thuscum, Viam Novam, & forum Piscarium, & alia nonnulla loca admiserit: a quibus sejunctum Velabrum duas vias illas suo nomine inter duos colles cohonestavit, ex parallelo sibi oppositas, unde *Velabrum* duplex *Majus* & *Minus* apud veteres legitur; quorum *Majus* a Victore in regione contigua, nempe undecima, versus Tiberim collocatur; *Minus* autem in hac octava, ut mox videbimus.

Velabrum Vico Thurario conjunctum fuisse e Victore & Cicerone colligitur: *Vicus Jugarius*, inquit Victor, *idem & Thurarius*, *ubi aræ Opis & Cereris cum signo Vertumni*. Illud autem signum Cicero in Verrina III. in Velabro fuisse indicat: *Qui a signo Vertumni in Circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur?* Ubi Asconius: *Signum Vertumni in ultimo Vico Thurario est sub Basilicæ angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem*; vel, ut alii legunt, *ad postremam dexteram partem*. A. *signo* vero *Vertumni* pompas per Velabrum ad Circum duci solitas in Vico Thurario diximus, & post adhuc exponemus. Quod si a *Thurario*, qui pars Vici *Thusci* erat, Velabra intersecta fuere, pompæque, quæ e Foro per Vicum Thuscum ad Velabra transibant, a signo Vertumni se versus Circum flexere, facile fieri potuit, ut Velabrum a Vico Jugario supra Thuscum inceperit, pompæque e Foro per Vicum Thuscum transeuntes ad Velabra, Jugariumque non attingentes, a signo Vertumni se flexerint. Utrum autem de *Velabris* hoc fuerit, videamus. De *Majore* Rufus in reg. XI. *Velabrum Majus in Foro Olitorio*. Ergo, si in illo Foro, nil ei cum Jugario Vico fuit commercii, qui portam Carmentalem non transibat. Sed de hoc in regione XI. plura. Ergo *Velabrum minus* fuerit necesse est, quod inter Jugarium fuit & Forum Boarium. Principium ejus non longe dissitum esse potuit ab æde *S. Homoboni*, versus *S. Eligii*, & *S. Georgii* dicti *in Velabro*, vergens ecclesias.

In *Velabro*, ubi Viam Novam sibi obviam habuit, *Accæ Larentiæ sepulcrum* fuit; quo loco feriæ Laurentinæ celebrabantur; ut est apud Varronem: *Hoc sacrificium*, inquit lib. IV. *fit in Velabro, qua in novam Viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulchrum Accæ*. E quibus verbis, *ut ajunt quidam*, conjicio, non illic *Accæ* verum visibileque *sepulchrum* fuisse, verum tantummodo imaginarium. Erat tamen ibidem *Accæ statua*, aliave sculptura; quemadmodum Macrobius lib. I. Saturnal. cap. X. indicat: *Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis sculpta est, ac sollemne sacrificium eidem constitutum*. *Aræ* quoque Cicero mentionem facit epist. XIV. ad Brutum: *In eoque sum exemplum majorum secutus, qui hunc honorem mulieri Laurentiæ tribuerunt, cui vos Pontifices ad Aram in Velabro facere soletis*. & Manibus servorum factum Varro subjicit: *Ut quod ibi probe faciunt Diis Manibus Sacerdotes, qui uterque locus extra urbem antiquam fuit non longe a porta Romanula*. Ibidem & *Sacellum Larum* fuisse idem Varro auctor est: *Cujus vestigia, quod ea, qua tum itur in Velabrum, & unde ascenditur ad imam novam Viam, lucus est, & sacellum Larum*. Longo vero intervallo hoc a muris Romuli fuisse disjunctum, adeoque & ab eo *Larum sacello*, de quo in describendis muris illis agit Tacitus, manifestissime apparet. Rufus *sacello* huic nomen *Delubri* tribuit, *Delubrum Larum* adnotans.

Templum Fortunæ a Lucullo dedicatum me quidem judice in Velabro fuit. Suetonius enim cap.

A XXXVII. in Cæsare ait: *Gallici triumphi die Velabra transcendens* (alibi legitur, *Velabrum prætervehens*) *pene curru excussus est axe diffracto*. Quem casum Dio ita describit lib. XLIII. *Primo igitur suorum triumphorum die signum haud faustum opperuit; axis enim ipse currus fractus est prope templum Fortunæ a Lucullo ædificatum, ita ut ipse super alio curru residuum triumphi compleverit*. Unde, ne hic in duobus scriptoribus contradictionem nobis aliquam fingamus, qui alias in casu hoc exponendo satis pulchre consentiunt, aut in Velabro id accidisse prope templum Fortunæ dicamus necesse est, aut saltem templum Fortunæ a Lucullo factum in via exstitisse
B Triumphali.

Inter utrumque Velabrum Forum Piscarium statui convenit, nisi Victori & Rufo hic consentientibus refragari voluerimus, qui illud in hac regione posuere. Nam Velabrum majus in undecima fuisse supra diximus. Varro illud proximum Tiberi fuisse dicit: *Secundum Tiberim ad Junium Forum Piscarium vocant. Ideo ait Plautus, apud Piscarium, ubi variæ res* &c. ubi nonnulli legunt *ad Junonium*, pro *ad Junium*; alii vero ad *Janum*, hoc pacto Forum hoc proxime Olitorium collocantes, in quo templum Jani fuit; nec alia quidem id faciunt de caussa, quam ut Ovidii de duobus Foris verba con-
C firment:

> —— *cur stas sacratus in uno*
> *Hic, ubi juncta Foris Templa duobus habes?*

Quæ quidem nec cum situ loci, nec cum divisione regionum conveniunt. Quod Varronem attinet, mendum in ejus verbis manifestum est; & hinc obscura sententia. Fortean illa emendatio *ad Junonium* melior est; nam Junonis ædicula a Rufo regioni undecimæ attributa est, cui & Forum Piscarium adscripsit; de quo in illa regione nonnulla dicturi sumus. Verum his maturiori aliorum ju-
D dicio relictis, si Forum Piscarium inter utrumque Velabrum fuisse statuendum est, haud procul a Tiberi abfuisse potuit: forte & non longe a *S. Eligii*, & *S. Joannis Decollati* ædibus absuit.

Diximus superius Pompas Circenses recta e Foro per Velabrum ad Circum Maximum duci solitas:

> *Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,*
> *Nil præter salices, crassaque canna fuit*.

Ita enim Ovidius lib. VI. Fastor. Describit eas fuse Dionysius extremo lib. VII. Fuere autem, quantum conjectura assequi licet, per Vicum Thuscum ductæ, per quem e Foro ad Circum viam maxi-
E me tritam ac familiarem fuisse idem Dionysius l. V. indicat: *Thuscus vicus Romana lingua vocatur, qua transitus a Foro in Circum maximum*: in cujus angulo Vertumni signum fuisse superius dictum est: unde flexus pomparum fuit, ut e Cicerone vidimus. Quod & Livius confirmare videtur lib. VII. decad. III. ubi aliam pompam, non Circensem e Foro exisse in Circum maximum narrat: *In Foro pompa constitit: per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulante incesserunt. Inde Vico Thusco, Velabroque per Boarium Forum*, &c.

F In pompis Circensibus *vias ornari* solitas Cicero indicat verbis in eadem Verrina subsequentibus: *Quam tu viam Thensarum & pompæ hujusmodi exegisti*. Ad quæ Asconius: *Exigere viam dicuntur Magistratus, cum viciniam cogunt munire, quam diligentissime sumtu facto. Thensæ autem sunt sacra vehicula, pompa ordinum & hostiarum*. Munitio illa, sive exornatio viarum fiebat, vel muros ac parietes ædium pannis velando, vel vias tentis velis integendo, ne despectus e fenestris in vias esset: vel forte utraque adhibita fuit cura; ut e Macrobio patet, lib. I. Saturn. cap. VI. *Verrius Flaccus ait: Cum Pop. Rom.*

pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod Dii despicerentur, anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum: evenisseque, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset. Qui cum rem gestam Senatui nuntiasset, placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur. Et Plutarchus in Romulo opinionem eorum exponens, qui *Velabrum* a *velis* nomen traxisse dicebant, quibus tegebatur, id ipsum profert: *Quidam dicunt, Velabrum aditum esse eum, qua in Circum ex Foro itur, quem, qui ludos exhiberent, hinc exorsi velis operire soliti fuerint*. Quinam in eo B homines invenirentur, Plautus in Curculione loco superius allato describit:

In Velabro vel Pistorem, vel Lanium, vel Haruspicem,
Vel qui ipsi vertant, vel qui aliis subversandos præbeant.

Portam Carmentalem in capite Vici Jugarii fuisse e lib. VII. dec. III. Livii discimus: *Prætextati a porta Jugario Vico in Forum* &c forsan nec illa longe a capite majoris Velabri abfuit, licet hoc in undecima, illa in octava regione a Victore recenseatur. De porta illa libro primo abunde multa dicta sunt: C quare hic tantum in memoriam revocandum est, post ab Aureliano factum novum murorum ambitum portam illam sine muris ad instar insulæ restitisse, absque ullo usu; unde inter cetera regionis ædificia a Victore relata est. Fuit autem non ita longo spatio a *S. Nicolai* æde *in carcere* remota. In proximo *Ara Carmentæ* fuit, unde ipsi nomen, ut est apud Dionysium lib. I. Sic & Virgilius l. VIII. Æn.

—— dehinc progressus monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam,
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem. D

Ad quæ Servius: *Est autem juxta portam, quæ primo a Carmenta Carmentalis dicta est*, &c. Fuit & ejusdem Deæ *templum*, teste Solino cap. II. *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, ubi* A *& Carmentale nunc Fanum est, a qua Carmentalis portæ nomen est*. Item Gellio cap. VII. lib. XVIII. *Cum forte apud Fanum Carmentis obviam venirent*, &c. Festus ei nomen *sacelli* dat lib. XVIII. *Scelerata porta eadem appellatur a quibusdam, quæ & Carmentalis dicitur, quod ei proxime Carmentæ sacellum fuit*. Nec non Ovidius lib. I Fastor.

Scortea non illi fas est inferre sacello.

ubi ædificatum a matronis Romanis dicitur, recuperato carpentorum usu. Idem & Plutarchus Problem. LVI. refert.

In Velabri ambitu *Intemelium* quoque fuisse e Livio demonstrari potest. Ille enim lib. VIII. dec. IV. *Lupus*, inquit, *Exquilina porta ingressus frequentissima parte urbis cum in Forum decurrisset, Thusco Vico, atque Intemelio, per portam Capenam prope intactus evaserat*. Ubi multi legere malunt, *atque inde Melio*; e Vico Thusco per Æquimelium decurrisse interpretantes. Verum præterquam quod *Æquimelium* area, non autem vicus fuit, eaque in vico Jugario facta, ut supra habuimus, e Vico Thusco ad portam Capenam per Æquimelium iter non erat. Tum si Livius lupum illum relicta recta via per varias urbis vias vagando cursum longiorem fecisse significare voluisset, certe plura loca urbis, quam *Æquimelium*, vel *Vicum Melium*, nominasset. Quid porro *Intemelium* fuerit, ignorare me fateor: & locum mendosum esse negare non audeo. Adhæc incertum, an in hac regione fuerit, cum inter Vicum Thuscum & portam Capenam in alia esse regione potuerit. Verum quid fuerit, aut ubi fuerit, aliis disquirendum relinquo, attigisse contentus, quia Vico Thusco in Livio adjungitur.

Ex altero Velabri capite in Forum Boarium ibatur, ubi nunc ædes est *S. Georgii in Velabro*, quæ & *ad vellus aureum* appellata fuit: nec aliud inscriptio profert, quæ in porticu visitur. Sed hic vel barbari seculi error est, vel consuetæ fabulæ vanitas. Huc usque Forum Boarium fines suos extendisse vetus exigui arcus marmorei huic ecclesiæ adstructi inscriptio indicat:

IMP. CAES. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. FELICI. AVG. TRIB
POT. VII. ET. COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO. FELI
CISSIMOQVE. PRINCIPI. ET. IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. ET
CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES
M. AVRELII. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. PARTHICI. MA
XIMI. BRITANNICI. MAXIMI. ARGENTARII. ET. NEGOTI
ANTES. BOARI. HVIVS. LOCI. DEVOTI. NVMINI. EORVM.

In quo arcu præter insculptas instrumentorum in sacrificiis sollemnium, signorumque militarium imagines, duo mihi maxime notabilia in ipsa inscriptione occurrunt: quorum alterum est vox LOCI, cui supra scriptæ inter lineas duæ aliæ QVI. INVEHENT: unde de negotiatoribus fuisse suspicor, qui ad solvendas arcus impensas conferre pecunias recusarint, ideoque hæc verba a ceteris addita, post decretum factum, ne illi, qui recusarant, priusquam contulissent, ad vendendas illic merces suas admitterentur. Alterum est, sub istis verbis AVG. PARTH. MAXIMI. BRIT. MAXIMI, marmor excavatum, depressiusque esse, quam in reliqua tænia: unde illic mihi erasæ priores literæ videntur, hisce substitutis; idque factum post Severi mortem, siquidem illo vivente Caracalla *Parthici* cognomen sibi non adscivit: nec hic filii, sed patris titulus ac decus fuit. Procul dubio Getæ hic incisum prius nomen fuit; quod ubique in omnibus monumentis a Caracalla deleri jussum, supra cap. VI. e Spartiano vidimus. Hinc & in duobus signis militaribus effigies Severi & Caracallæ conspiciuntur, vacuo tertio, in quo erasa imago Getæ animadvertitur.

Nomen *Foro Boario* a simulacro *bovis* æreo venit. Hinc Ovid. lib. VI. Fast.

Area, quæ posito de bove nomen habet.

F & Tacitus lib. XII. Annal. *A Foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum conspicimus*, &c. nec non Plinius lib. XXXIV. cap. II. de Insula Ægina: *Bos æreus inde captus in Foro Boario est Romæ. Hic est exemplar Æginetici æris*. Sed & boves illic vendi solitos ex inscriptione superius allata patet; ut & e Livio,

lib. II. decad. III. *Foro Boario bovem in tertiam contignationem sua sponte scandisse, atque inde tumultu habitatorum territum sese dejecisse*. Sic ut hujusce rei caussa bos ille æreus Ægineticus velut insigne in hocce Foro positus sit, uti plura istiusmodi pro insignibus in columnis poni solita supra alicubi indicavimus. Fuisse & *Forum tauri* appellatum ex Actis S. Bibianæ discimus, in quis corpus illius virginis martyris aliquot dies in *Foro Tauri* insepultum, illæsumque jacuisse memoratur.

Confinia ejus nimis longe ab Antiquariis extendi solent, nimirum ab ecclesia *S. Georgii in Velabro*, immo & ab æde *S. Anastasiæ*, ad Tiberim usque, & pontem *Palatinum*, qui nunc ruptus est. Verum hoc spatium adeo modum excedit, ut concedi omnino nequeat. Nam cum *Forum Boarium* in regione octava exstiterit, inter illud & Tiberim, seu potius inter illud & Aventinum, undecima regio Circi maximi intermedia fuit, usque ad insulæ pontem, cui *quatuor Capitum* nomen: atque ita juxta illorum sententiam magna Fori Boarii pars in undecima fuisset regione. Non protensum illud usque ad Tiberim fuisse Livius lib. v. dec. IV. mea quidem sententia satis clare indicat, licet illi hinc contrarium asserere velle videantur: *Incendio*, inquit, *a Foro Boario orto, diem noctemque ædificia in Tiberim versa arsere*. Nam si ædificia proxima Tiberi incendio a Foro Boario orto arserunt, sequitur necessario, Forum Boarium non fuisse Tiberi conjunctum; quum incendium illic inceperit, maxime autem in illas ædes sævierit, quæ longe ab initio ejus diverso sita versus Tiberim vergebant. Verum validissimum eorum argumentum his Ovidii lib. VI. Fastor. innititur:

Pontibus, & magno juncta est celeberrima Circo
Area, quæ posito de bove nomen habet.

Hos *sublicium* esse dicunt & *Palatinum*. Sed faciamus *Forum Boarium* prodigiosa sui magnitudine ad usque pontem porrectum fuisse *Palatinum*, qui nunc *S. Mariæ* dicitur, certe ad *sublicium* pervenire nullo modo, immo ne imaginaria quidem aliqua vicinitate remotiore cum eo conjungi potuit, qui sub Aventini latere Transtiberinæ opposito fuit, ubi etiam nunc aliquot ejus pilæ superstites visuntur. Nam inter *Forum Boarium* & *pontem sublicium* pars ferme quarta Aventini interfita fuit. Unde igitur Ovidio *Pontibus juncta area* dici potuit? Rectius itaque alii *Montibus* legunt, Aventino scilicet, & Palatino, inter quos & Circus maximus, qui illi tertius vicinus additur, inclusus est. Præterea cum Poeta Forum Boarium Circo junctum dicat, neminem puto fore, qui hoc affirmare ausit. In undecima namque regione videbimus, quantum templorum & vicorum inter Forum Boarium & Circum interjectum fuerit. Quod si igitur verba illa stricte sumta quod ad Circum hic locum non habent, quid? itane stricte illa accipiemus, quod ad *pontes*, ut prodigiosam & incredibilem illi Foro amplitudinem adferamus? sic & cum duobus illud *montibus* vicinum, junctumve dicimus, non ita severe hæc interpretanda sunt; siquidem Vico Publicio ab utroque monte disjunctus fuit, ut mox habebimus. Forum itaque Boarium non procul a porta vetere Palatii incipiebat: ubi primum sulcum a Romulo inchoatum Tacitus refert; *Igitur a Foro Boario* &c. *sulcus designandi oppidi cœptus*. Verum ab æde *S. Anastasiæ* eousque versus Aventinum protensum fuit, ut mediam circiter Circi maximi partem, qua hic in latitudinem se exporrigebat, attingeret. Liquet id ex undecimæ regionis tractu, a Circo maximo sub Aventino usque ad pontem *quatuor Capitum* in longitudi-

A nem procurrentis; unde necessario aliquantum spatii inter Aventinum & Forum Boarium intercedere debuit, quod in octava erat regione. Hoc spatium ædificia undecimæ regionis occupavere, quæ inter Aventinum ac Tiberim fuere intermedia: atque ita latus hoc Fori Boarii non pervenisse ad *Scholam Græcam* dicendum est; aut, si eo pervenit, quod mihi tamen a vero alienum videtur, certe non transiit: cum nonnihil spatii undecimæ relinquendum fuerit inter Aventinum & Forum Boarium, nec fingenda hic inani co-
B gitatione sit longa quasi quædam litera, aut Laconica Scytale. Neque vero eapropter Forum Boarium ad angustias redactum est: verum illius fuisse amplitudinis existimandum est, quæ antiquis Foris ceteris, & præsertim Foro Magno, tenuibusque urbis initiis convenerit, licet hæc in immensam postea excreverit magnitudinem. Ad eundem modum & de ceteris hujus Fori lateribus disserendum est. Orientale a Palatino circiter ad *S. Georgii* ædem *in Velabro* pervenit: nam hic Velabri minoris terminus est: ita ut Janus quadrifrons illi proximus aut in introitu Velabri in Forum situs fuerit, aut fortassis eousque Forum non pervenisse existimandum sit. Nam quod inscriptio illa ar-
C cum a negotiatoribus boariis Severo erectum esse dicit, non ita multum nobis officit, quandoquidem is in vicinia Fori positus esse potuit, ubi forte fornix, vel ædificium aliquod fuit, quo illi convenire soliti sint, aut ubi pecudum annotatus numerus, vel pecunia pro telonio exacta, aut etiam a negotiatoribus sacra fuerint facta: quum in eo arcu nil ferme nisi sacrificia, & instrumenta sacrorum effícta sint, sine dubio, non nisi data opera, & sensu quodam interiore. Præterea cum non a solis negotiatoribus boariis, sed & ab argentariis hic arcus positus dicatur, possit & prope argentarias officinas fuisse videri, extra Fo-
D rum scilicet, in Velabro. Immo vero certum hoc esse liquet ex ecclesia, cui exiguus ille arcus adstructus est, *S. Georgii*; cui *in Velabro* nomen, quod eo usque *Velabrum* quondam porrectum fuisse arguit. Et hic quidem extremum Fori Boarii finem fuisse aliquo modo concedi possit: ulterius autem id proferri, nisi spatium ejus prodigiosum nobis fingere malimus, permitti nullo modo debet.

Fuit olim in Foro Boario parvula quædam ac rotunda *Herculis Victoris ædes*. Ita enim Victor: nec non Livius lib. x. *In sacello Pudicitiæ, quæ in Foro Boario est, ad ædem rotundam Herculis*. Item
E Solinus cap. I. *Sacellum Herculis in Boario Foro est: in illud neque canibus neque muscis ingressus erat. Nam epulum daturus Hercules muscarum Deum dicitur imprecatus, & clavum in aditu reliquisse, cujus olfactu fugerent canes. Id usque nunc durat*. Eadem & Plinius dicit lib. x. cap. XXIX. Hanc nonnulli existimarunt ædiculam rotundam esse *S. Stephani* ad Tiberim. Verum hucusque Forum Boarium non pervenisse jam supra ostensum est. Marlianus eam ad *Scholam Græcam* fuisse docet, dirutamque sub Sixto IV. ibique repertam statuam Herculis dicit, quæ in Capitolio in conclavi sive atrio *Conservatorum* nunc visitur. Sed nec eousque Forum Boa-
F rium protensum fuit. Statuam vero illam Fulvius sua ætate ait ad Aram maximam inventam in specu seu crypta subterranea: eique, ut oculato testi, major mihi, quam illi alteri habenda fides videtur. Tum & alterius cujusdam numinis sacellum a Sixto IV. dirui potuit, cujusmodi sane plura alia in eo tractu fuisse constat. Certe Herculi illud non esse tribuendum Victor evincit, qui illud in octava regione recenset: hoc autem, etiamsi Forum Boarium eousque excurrisse concedatur, quia in

altero latere fuit, absque controversia in undecima regione exstitit. Tandem, si in Foro Boario fuisse pertinaciter urgeatur, in extremo Foro, regioneque, ab ea parte seu latere, fuisse dicendum est. Cæterum statuam ex ære inauratam, quæ est in Capitolio, hujus fuisse ædiculæ, nullum argumentum est, quum ex alio aliquo templo, locove, huc translata esse potuerit; aut etiam Herculi ad Aram maximam posita, ubi eam Fulvius repertam asserit. Ac tandem, si in crypta subterranea inventa est, unde quæso aliquis divinare potuit, ædis illam hujus rotundæ fuisse? Statua ab Euandro illi posita *Triumphalis* appellatur apud Plin. lib. XXXIV. cap. VII. *Hercules ab Euandro sacratus in Foro Boario, qui Triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali*. Unde perspicuum est, non in templo illam aliquo collocatam fuisse, sed in Foro in publico omnium conspectu; ideoque ornamentis triumphalibus exultam, triumphorum die: non secus atque nunc Pasquini statua nonumquam vestiri, ornarique solet. Ædem hanc a Pacuvio Poeta pictam idem Plinius tradit lib. XXXV. cap. IV.

Erat in eodem Foro *Ædes* etiam *Matutæ*, item *Fortunæ*. Prius templum Servii Tullii opus fuit, teste Ovidio lib. VI. Fasto. restitutum a Camillo, ut est apud Livium lib. V. ac deinde a Triumviris ea de causa creatis, secundo bello Punico, ut idem Livius refert lib. V. decad. III. Ejusdem Servii fuit & *Ædes Fortunæ*, indice Ovidio, ab iisdem Triumviris restituta, ut est apud Livium eodem loco. Donatus nunc ædem *S. Mariæ Ægyptiacæ* appellari existimat, ad pontem sublicium. Sed nimium is longe hinc remotus est. In *Æde Fortunæ* simulacrum Servii Tullii ex ligno inauratum fuisse, & ea flammis absumta intactum in suam usque ætatem superfuisse, Dionysius memoriæ prodidit lib. VI. cui & Ovidius accedit lib. VI. Fastor. qui statuam illam *togatam* fuisse refert. Fuere, qui illud Templum *Fortunæ Sejæ* dicerent, errore manifesto, ut in quarta regione dictum est. Alii *Fortis Fortunæ* credidere: verum incertum jam olim illius Deæ cognomen fuisse, eruere mihi videor e Varronis fragmento apud Nonium, *de honestis & nove* &c. in voce *undulatum*: *Et a quibusdam dici Virginis Fortunæ ab eo, quod undulatis togis sit opertum, perinde ut tum reges nostri undulatas & prætextas togas soliti sint habere*. Unde liquet, nonnullos *Virginis Fortunæ*, alios alterius fuisse existimasse, cujus cognominis jam tum perisset notitia: & hinc altum illius apud Livium, Ovidium, aliosque silentium. *Fortunæ Virginis* templum in urbe fuisse Plutarchus ait probl. LXXIV. & de Fort. P. R. etiam hoc addens, ad *fontem Muscosum* fuisse

Ædi Herculis vicinum *Pudicitiæ Patritiæ Sacellum* fuit. Sic Livius lib. X. *Insignem supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ Patritiæ, quæ in Foro Boario est, ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum*, &c.

Ajunt & *Janum quadrifontem* in *Foro Boario* fuisse, Faleriis in urbem traductum, quem Servius in VII. Æn. in *Foro Transitorio* collocat. Duo ejus rei indicia sunt: unum *Forum Transitorium* in urbe non fuisse, cum Falerii subjugarentur: unde Antiquarii sibi finxere, *Forum Transitorium* prius *Boarium* fuisse nominatum. Alterum, Arcus hic quadrifrons, qui ad *S. Georgii* ædem exstat; unde inferunt, Janum illum olim in Foro Boario fuisse. Sed hæc omnia inanes esse & futiles conjecturas, in regione quarta demonstratum est. Arcus igitur quadrifrons ad *S.Georgii*, non Jani templum fuit, sed unus ex his Janis, quos Victor omnibus in regionibus fuisse dicit: qui, non secus ac bifrontes seu gemini, negotiatorum inserviebat conventibus. Potuit hic alter de duobus esse fornicibus, seu arcubus, quos Stertinium in Foro Boario exstruxisse Livius tradit lib. III. decad. IV. *De manubiis duos fornices in Foro Boario ante Fortunæ ædem, & Matris Matutæ, unum in maximo Circo fecit: & his fornicibus signa aurata imposuit*. Quorum signorum indicia nobis exhibere videntur loculi statuarum, cujusmodi duodeni in singulis arcus lateribus conspiciuntur, octoni scilicet in speciem, seu ficti, & quaterni veri, capacesque statuarum; ita ut sedecim in toto arcu signa esse potuerint ærea aurata, & ut mea fert opinio, non admodum magna. D. Gregorius epist. LXVIII. lib. IX. Ecclesiæ *D. Georgio* dicatæ meminit, positæ *in loco, qui ad sedem dicitur*: quæ utrum hæc *in Velabro* fuerit, an alia aliqua, non certo constat. Quod si vero hæc ipsa fuerit, tanto magis probabile efficiet, *sedem* hanc in vicinia quadrifrontem nostrum Janum fuisse, quæ telonarum, negotiatorumve aliorum sedes fuit, atque conventiculum.

Ludos quoque, seu *munera gladiatoria* edita in hoc Foro Valerius tradit lib. II. cap. IV. veterique Romanorum superstitione, Græcum Græcamque, vel ex alia aliqua gente, quicum bellum erat, illic defodi solitos Plinius refert lib. XXVIII. c. II. *Boario vero Foro Græcum Græcamque defossos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, & nostra ætas vidit: cujus sacri precationem*, &c.

Verum ut hanc regionem octavam absolvamus, Capitolium conscendendum est.

CAP. XI.

Diversi in Capitolium ascensus.

E Foro in Capitolium triplici via ascendebatur. Ita enim Tacitus lib. III. Histor. ubi de Vitellianis agit, Sabinum, qui in Capitolium confugerat, aggressuris, & citato gradu per Forum properantibus: *Erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinæ arcis fores.* Prima hæc aggressio, sive oppugnatio, per ascensum, cui *Clivo Capitolino* nomen, facta est, ut liquet ex his, quæ sequuntur: *Erant antiquitus porticus in latere Clivi, dextræ subeuntibus*. Hinc, quod aditus obseptos offenderent, ad reliquos duos transiere: *Tum diversos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum Asyli, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur*. De tribus hisce extremum primum indagabimus.

Ubi hi *centum* ad rupem Tarpejam ducentes *gradus* fuerint, de quibus inter eruditos disceptatur, facile inveniemus, inventa primum ipsa rupe. *Rupes Tarpeja*, seu *Saxum Tarpejum*, sive *Saxum Carmentæ* (his enim nominibus insignitur) ea pars montis Capitolini dicta est, quæ naturali præcipitio portæ Carmentali & *Areæ Montanaræ* imminebat: unde capitis damnatos præcipitari solitos constat. Describit eam clarissime Plutarchus in Camillo, & Livius lib. V. ubi animosum Pontii Cominii facinus exsequitur, qui *qua proximum fuit a ripa per præruptum, eoque neglectum hostium custodia saxum, in Capitolium evadit*. Hujus saxi hodie nec vola, nec vestigium, quod ajunt, superest. Hinc considerata rupe, *centum gradus*, qui postea illic facti sunt, sine dubio nullis flexibus & gyris, serpentinum in morem ad fastigium rupis duxere; (nam sic multum laboris in excidendis prærupti saxi obstantibus eminentiis exhaustum fuisset) verum recto tramite, nonnumquam tamen rotun-

diore, prout ipſum ferebat ſaxum, ſuperata rupes eſt. Unde quod ſummitas ejus, ſeu faſtigium ad *aream Montanaram* ad perpendiculum aſſurrexerit, medio circiter Foro initium aſcenſus fuiſſe conſequitur, ubi ædem Concordiæ fuiſſe diximus. Quare nemini mirum videri debet, uti Donato viſum eſt, de iiſdem *centum gradibus*, & non de aliis, locutum Ovidium lib. I. Faſt.

Candida te niveo poſuit lux proxima templo,
Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene proſpicies Latiam Concordia turbam, &c.

Donatus hic exiſtimat, *Ædem Concordiæ*, ab Ovidio deſcriptam in principio graduum Monetæ, non illud antiquum a Camillo *inter Capitolium & Forum* dedicatum eſſe templum, verum aliud a Tiberio conditum in arce Tarpeja non procul a Junone Moneta, de qua & Suetonium loqui dicit in Tiber. cap. XX. *Dedicavit & Concordiæ ædem: item Caſtoris & Pollucis ſuo fratriſque nomine de manubiis.* Item Dio lib. LV. *Fanum Concordiæ ſibi parari juſſit, ut ſuo id & Druſi nomine inſcriberet, ac deinde triumphavit.* Quoniam vero verſus hi Ovidiani de vetere Camilli æde a Tiberio reſtituta agere videntur,

Furius antiquam populi ſuperator Etruſci
Voverat, & voti ſolverat ille fidem.
Cauſſa, quod a patribus ſumptis ſeceſſerat armis
Vulgus, & ipſa ſuas Roma timebat opes.
Cauſſa recens melior; ſparſos Germania crines
Porrigit auſpiciis, dux venerande, tuis, &c.

hoc ipſe ita interpretatur: uti Camillus veterem Concordiæ ædem ob ſeceſſionem plebis conſtruxerat, ita Tiberium aliam voviſſe ob pacatam Germaniam, de qua nunc ſermo eſt. Interpretatio hæc, fateor, ingenioſa eſt, verum minus apta, nec ſatis verbis Ovidii conveniens. Poeta namque a Furio ædem dedicatam narrat:

Furius antiquam populi ſuperator Etruſci
Voverat, & voti ſolverat ille fidem.

Tandem ſubjicit:

Cauſſa recens melior; ſparſos Germania crines
Porrigit auſpiciis, dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libaſti munera gentis,
Templaque feciſti, quam colis ipſe, Deæ.

Aperte hic recentiorem cauſſam adfert, & meliorem reſtitutæ ædis in pulchriorem ſpeciem: cujus ita eo die feſtum canebat:

Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.

Quo verſu manifeſtiſſime ædem Furii Camilli denotat. Verum magis adhuc id patet ex his duobus proxime præcedentibus:

Nunc bene proſpicies Latiam Concordia turbam:
Nunc te ſacratæ conſtituere manus.

Ubi ædem iſtam Foro imminere indicat, & non in arce muris clauſa exiſtere, unde nullus in multitudinem forenſem foret proſpectus. Adde quod in Arce *Ædes Concordiæ* ante a M. & C. Attiliis Duumviris dedicata fuerit, quam L. Manlius Prætor voverat. Sic enim Livius lib. II. decad. III. *In religionem venit ædem Concordiæ, quam per ſeditionem militarem biennio ante L. Manlius Prætor in Gallia voviſſet, locatam ad id tempus non eſſe. Itaque Duumviri ad eam rem creati*, &c. *ædem in*

A *Arce faciendam locaverunt:* & aliquanto inferius: *Duumviri creati M. & C. Attilius ædem Concordiæ, quam L. Manlius Prætor voverat, dedicaverunt.* Idem lib. VI. dec. ejuſdem: *In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta, decuſſaque ad Victorias, quæ in Arce fixæ erant, hæſit*, &c. quæ ultima de eadem æde, de qua lib. II. egerat, accipienda nemo non videt. Jam vero, in eadem arce poſtea a Tiberio novam *Concordiæ ædem* dedicatam, non modo nuſquam legitur, verum, ne ejuſdem numinis templorum numerus temere augeatur, abſque aliquo certo argumento, ne dicendum quidem, aut aſſerendum mihi videtur. B Interim ſufficiat nobis, Ovidium reſtitutam a Tiberio *Concordiæ ædem*, non illam in Arce, ſed hanc Camilli, *inter Capitolium & Forum* indicaſſe. Quæ quidem ſententia eo probabilior eſt, quod ob recepta Vari ſigna a Germanis Tiberio arcus ad illud ipſum Concordiæ templum erectus fuerit, quod ipſe ob pacatos Germanos inſtauraverat.

Adhæc Donatus & illis Ciceronis utitur pro Domo: *Ergo M. Manlii domum everſam duobus lucis conveſtitam videtis.* Hoſce duos lucos Intermontium eſſe dicit Aſyli, ubi nunc ſtatua equeſtris eſt M. Aurelii: cujus quoniam humilior ſitus culmini arcis, C in quo templum Monetæ fuit, non reſpondet: templum quidem in ſumma rupe fuiſſe dicit, verum prope Intermontium, nempe ad *Palatium* hodiernum *Conſervatorum*: ubi vero duo iſti luci fuerunt, illic gradus incepiſſe. At quæ illa locutionis Tullianæ ratio fuiſſet, domum eam *duobus lucis conveſtitam* dicentis, ſolummodo ea de cauſſa, quod graduum illic prope eos initium eſſet, qui non magno inde intervallo finirentur. Verum, quod huic ſententiæ ejus plane refutandæ ſufficit, non poterat templum Monetæ ad Intermontium eſſe, quia ex voto Camilli factum fuit in loco, in quo domus Manlii fuerat, ad ſaxum Carmentæ. D Luci vero illi duo domum illam conveſtientes multo aptius de luco ipſius exponi Monetæ poſſunt, qui pro more templo conjunctus fuit; atque item de altero alicujus alterius numinis contigui luco, cujuſmodi lucum Bellonæ illic fuiſſe accepimus; vel potius Concordiæ ædes, a L. Manlio ex voto dedicata, in arce inter duos lucos poſita fuit. Quare audacter pronuntiare auſim, centum gradibus ad rupem Tarpejam aſcenſum, & per gradus, ſecundum Ovidium, ab æde Concordiæ itum ad templum Monetæ: quia vero templum Monetæ in rupe Tarpeja erat, per eoſdem centum gradus & ad rupem, & ad templum Monetæ aſcenſum. E Adde, quod e planitie in ſummam rupem centum gradus non ſuffeciſſent; quemadmodum nec hodie licet in tantam altitudinem ruinis ædium exaggerato ſolo, vix centum viginti gradus in aſcenſum ad templum *Aræ Cœli* ſufficiunt. Ergo non in infima Fori planitie initium graduum ſtatuendum eſt, verum in editiore aliqua ejus parte, ubi & ſubſtruſtiones erant inchoatæ: adeoque veriſimillime poſt templum Concordiæ, quod elatiore Fori parte eminebat. Res perquam abſurda Donato videtur, exiſtimare, cum templum Monetæ XXIV. poſt ſubſtructiones illas annis ſtructum ſit, F eaſdem ſubſtructiones, ut gradibus templi locum facerent, interſciſſas fuiſſe, munitionemque arcis per graduum interruptionem debilitatam, corruptamque. Verum quis nobis tum demum gradus iſtos factos dicet, & non ante templum exſtructos? quis in uſum templi Monetæ? Quoniam vero illi iidem centum eſſe a Donato conceduntur, quod prius incredibile videbatur, jam fit manifeſtum, conſequiturque centum gradus ſimul cum ipſis fuiſſe ſubſtructionibus ædincatos, ad muniendum eo magis illud arcis latus, quum in his præcipitii obſer-

observata sit difficultas, adeoque difficilior hinc in arcem, quam ex aliis partibus ascensus fuerit: sic ut jure merito velut angustæ artæque munimentorum scalæ existimari debeant. Et hinc illum præ ceteris Vitelliani difficillimum ascensum esse experiundo didicere. Hi vero gradus ideo etiam *Gradus Monetæ* dicti sunt, quod hujus Deæ templum ad eorum extremum positum esset. Porro Donatus *gradus* hosce *centum* non continuo fuisse censet, verum interstitia fuisse ad consistendum, recipiendamque animam; uti nunc in illis *D. Petri* & *Aræ Cœli* factum. Quæ sententia, ut verum fatear, perquam mihi probabilis semper visa est.

Alter de tribus ascensibus, sive aditibus in Capitolium, *Clivus Capitolinus*, ita vulgo vocatus, fuit. Hunc Justus Rycquius a *centum gradibus* diversum fuisse negat; verum facili negotio a Donato refutatur: tum vero & Taciti verba superius allata contrarium manifesto indicant. Flavius Blondus, ab omnibus hac in parte rejectus, verbis Livii l. III. decad. III. in errorem inductus, confundit *Capitolinum Clivum* cum *Publico* Aventini: *Cum ex Arce*, (est apud Livium) *Capitolioque*, *Clivo publico in equis currentes quidam vidissent, captum Aventinum conclamaverunt*; *Clivum publicum* iis assignans, qui e Capitolio decurrentes in Aventino videbant, non autem ut oportuit, ipsis decurrentibus, qui in eo spectabantur; existimans eapropter, Clivum hunc in ea parte, quæ Velabrum respicit, fuisse, quod hinc prospectus pateret in Aventinum. Verum *Clivum publicum* in Aventino fuisse apud eruditos extra controversiam est, ut post in ea regione docebitur.

Baronius in Apologia addita notis in Martyrol. ad XIV. Martii, illos in errore versari ait, qui Clivum Capitolinum viam ad Capitolii ducentem fastigium existimant, viam illam primum arctam, mox autem facilem fuisse asserens, qua ab æde *S. Mariæ in Porticu* secundum radices Capitolii ibatur ad *Xenodochium Consolationis*: verum habet hic vir magnus refragantes in eo sibi omnes scriptores veteres. Nam primum nimisquam perspicua Taciti sententia est, ubi Vitellianorum oppugnationem Capitolii per Clivum Capitolinum describit. Tum & Livius lib. III. ubi recuperationem Capitolii exponit ab Herdonio occupati, Romanos ait illud ascendisse *per Clivum Capitolinum*. Idem lib. V. refert, Gallos, aut Capitolium expugnarent, usque ad medium ejus Clivi ascendisse, & hinc magna cum ipsorum strage fuisse rejectos. Ovidius item l. V. Fastor. præruptum eum vocat, & apertis verbis per eundem ex Arce descensum dicit. Quorum scriptorum loca cuncta a Donato allata, expensaque, describere hic supersedeo; illud adjecisse contentus, sub Capitolii radicibus inter portam Carmentalem & *Xenodochium Consolationis* Vicum Jugarium fuisse, ita arte colli conjunctum, ut abruptum inde saxum in ipsum fuisse vicum illum provolutum Livius referat lib. V. ita ut via *S. Mariæ in Porticu* longiore intervallo a Capitolio disjuncta fuerit, quam ipse Vicus Jugarius, adeoque nec Clivus hic esse potuerit Capitolinus.

Marlianus, & cum eo omnes ferme Antiquarii; *Clivum Capitolinum* fuisse statuunt illum, qui nunc est, aditum, quo e *Campo Vacino* & Arcu Severi ascenditur ad Capitolium. Argumenta ejus hæc sunt; primum Templum Saturni a Servio *ante Clivum* positum *Capitolii*, *juxta Concordiæ Templum*: & a Varrone *in faucibus*. Templum vero hoc Saturni statuitur templum nunc esse *S. Hadriani*. Sed ego verum templi Saturni situm superius abunde indicavi. Secundum petitum est ex Oratione VI. Cic. in Verr. ubi de triumphantibus loquens ait: *Cum de Foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos* (n. captivos) *ducere in carcerem jubent*. Hujus autem carceris pars aliqua hodieque superest ad arcum Severi. Verum, ut non hic reponam, æque commodum fuisse triumphantibus, e quacunque Fori parte currum versus Capitolium flecterent, mandare, ut captivi in carcerem ducerentur; eoque magis, qua ex ipso Clivo, ubicunque is esset, via apta & facilis erat ad carcerem; hoc tantum dicam, etiamsi faciamus triumphantes arcum Severi transisse, non ideo tamen illic *Clivum* fuisse *Capitolinum*. Nam per clivum ad arcem ascendebatur; eratque is arduus ac difficilis aditus, adeoque curribus ineptus. Ita namque Ovidius lib. I. Fastor.

Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summæ tacitos duceret arcis iter
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles & fora Clivus erat.

Ubi illa, *velut nunc est*, non modo locum superstitem, sed & situm loci eundem significant; ostenduntque & olim, Ovidii ætate, Clivum Capitolinum arduum fuisse. Nec arduum tantum, sed & angustum eum Dionysius prædicat lib. X. *& qui fortitudine præstant, ceteris detentis ordinibus, per adversum Clivum, & viam manu factam, in arcem tendebat. His nec numerus proderat, quo longe superabant hostem; per angustam enim viam ascensus erat*, &c. Contra ea, via triumphalis ampla, lata, & commoda, facilisque ascensu erat, adeoque a *Clivo* diversa: quam ego tertiam viam, sive aditum, fuisse putem, per quam ad Asylum, utpote locum humiliorem, facilior ascensus erat. Tertium Marlianus argumentum ab Arcu Severi mutuatur, inde inquiens triumphantes Capitolium ascendere solitos: unde mihi contrarium, uti ex ante dictis liquet, de *Capitolino Clivo* inferri posse videtur. Addo & hoc, jam ante ad *Clivum Capitolinum*, & templum Saturni, Arcum Tiberio erectum fuisse ob recepta signa militaria Variana, uti jam supra vidimus: qui intra ducentesimum annum ita omnino collapsus esse nequiit, ut Severo illic alium deinde ædificandi spatium esset: rursus eundem ætate Severi dirutum affirmare, quo suum reponeret, tam absurdum sit & audax dictum, atque illud Severi fuisset facinus. Ergo in principio *Clivi Capitolini* Arcus Tiberii fuit, in capite aliquo Fori; sicut in altero capite, ubi alius *Clivi Capitolini* in Forum introitus fuit, arcus Severi exstructus est. Alii, ut Marliano patrocinentur, Plinium defensorem illius citant sententiæ, qui lib. XIX. cap. X. hæc habet: *Cæsar Dictator totum Forum Romanum contexit, viamque sacram ab domo sua ad Clivum usque Capitolinum*: ajuntque, quod via sacra arcui Severi objecta sit, qua ædem *S. Laurentii in Miranda* prospicit, recte Plinium ab uno illius lateris Fori extremo ad alterum, Forum totum contectum dixisse. At si contra latus solum latitudinis a Cæsare contectum fuit, *totum Forum contectum* a Plinio dici non potuisse. Sane duo anguli illi Fori orientalis & occidentalis præcipue extremi dicendi sunt, quorum alteri ad ædem *S. Laurentii* vicina, seu juncta, erat via sacra, alteri ad *Xenodochium Consolationis* Clivus Capitolinus. Itaque si ab uno ad alterum, qui directe sibi oppositi fuere, tota longitudo simul & latitudo Fori contecta fuerit necesse est: viam vero sacram ab Arcu Fabiano, qui ad *S. Laurentii in Miranda* est, in Forum exeuntem per medium illud in latus transisse occidentale usque ad Vestæ templum, atque inde ad vicum flexisse Capitolinum, jam supra expositum est.

Manifestum igitur est, primum *Clivi Capitolini* in Forum ingressum ad *Xenodochium Consolationis* fuisse, ubi ædes Saturni fuisse dicitur: cujus milliarium aureum, quod *in capite* Fori ad illud templum fuit, (ut supra sat copiose docuimus) certius adhuc argumentum est. Huic accedit *Porta Stercoraria*, quæ in Clivo fuit; *ubi sordes*, ut ait Festus, *ex templo Vestæ sublatæ condebantur in Tiberim mox transferendæ*. Templum vero Vestæ in latere occidentali versus Tiberim fuit. Quare Clivus & porta illa ad orientale montis latus, quod a Tiberi longissime distat, existere non potuere.

Invento principio reliqua quoque ejus *Clivi* investiganda sunt. Non est, ut quis existimet *Clivum* olim recta in Capitolium duxisse; quemadmodum hodie duplici via recta per gradus ascenditur; cum ab hoc, tum ab illo *Palatii Senatorii* latere. Solum enim Fori olim multo quam nunc humilius, & contra collis multo olim editior, non concedebant, præbebantve illam facultatem, ut tam commode Capitolium conscendi posset. Necesse igitur fuit circumire collis latera, eaque substructionibus firmare: quarum circuitionum initium ex solo templi octo columnarum superstitum colligitur, quod eadem præditum est altitudine, qua solum trium columnarum exiguo interstitio ab illis disjunctarum, in cujus tænia pauculæ illæ literæ supra memoratæ ESTITUER conspiciuntur. Habet enim areæ parvulæ speciem, quæ illic inter Forum & substructiones semet extendens primam Clivi constituebat, in qua consistere liceret, planitiem. Inde reliqua pars, quam Ovidius *arduam*, Dionysius autem *angustam* dixit, manuque factam, substructiones circumiens ad latus templi dictarum trium columnarum in collis partem dextram, ab arce insessam, ducebat; utrum recta via, an intorta, ingentia rudera incertum faciunt. At hoc certo affirmari potest, absque Intermontii transitu recta statim in arcem pertinuisse. Id ipsum præter Festum, apud quem Via sacra porrigitur a *Regis domo usque ad sacellum Streniæ, & rursus a regia usque ad arcem*; nec non Varronem, qui lib. IV. de eadem dicit: *Quæ pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam Augures ex arce profecti solent inaugurare. Hujus sacræ viæ pars hæc sola vulgo nota, quæ est a Foro eunti proximo Clivo*: ipse, quem attulimus supra, Tacitus clarissime ostendit; qui de tribus aditibus unum luco Asyli peregregio denotans, ad quem ascendebatur, reliquos duos manifeste ab Asylo exclusit, adeoque & ab Intermontio, in quo Asylum fuit. Adeo ut, cum idem Tacitus ait, *erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinæ arcis fores*, non ego primis foribus arcis illas Intermontii significari putem, ad ceterarum differentiam, quibus deinde arx claudebatur; verum, quod clivus angustus & arctus substructiones circumeundo sensim attolleretur & in altitudinem assurgeret, habuisse sine dubio censendus est ad sinistrum latus muros sustinentes, qui & arci essent pro antemurali: in cujus medio, priusquam ad summum ejus culmen perveniretur, portam fuisse, ipsa muniendi ratio persuadet: seu potius, quod superior clivi pars (uti in munitionibus petris ac rupibus inædificatis fieri amat) in aliquod saxi velut intercilium intrabat, prima necessario porta inferius sita fuit in ipso intercilii principio: quo quum pervenissent Vitelliani, fores clausas offenderunt, statuisque aggestis obstructas. Quæ quidem obstructio summo cum judicio facta fuit. Nam perruptis jam foribus, in angustiis illis insuperabilis adhuc amovendarum statuarum supererat labor, immensis laboribus, multoque tempore, vix ac ne vix quidem absolvendus; quum interim oppugnatores defensorum telis expositi essent.

Ut jam de rebus nonnihil dicamus, quæ in ipso *Clivo* fuere, notandum primo, primum ejus flexum, priusquam ad planitiem perveniretur, iis gradibus occurrisse, qui a templo Concordiæ rupi Tarpejæ adstructi erant, quos transeundo dividebat; nisi forte iidem, uti mihi verosimile videtur, isthic demum inceperunt, ad ipsum scilicet Clivi flexus occursum. Clivum vero proxime Concordiæ templum fuisse Cicero Philipp. VII. indicat: *Equites*, inquit, *Romani, qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterant*. Loquitur autem de tempore, quo Senatus in æde Concordiæ habebatur in caussa Catilinæ. Idem in secunda equites illos in *Clivo Capitolino* fuisse dicit: *Quis enim eques Romanus, cum Senatus in hoc templo esset, in Clivo Capitolino non fuit?* Et in Orat. pro Sextio: *Equites Romanos daturos illius diei pœnas, qui me Cos. cum gladiis in Clivo Capitolino fuissent*. Ubi videtur equites illos innuere, qui armati post ædem Concordiæ in ipso Clivi Capitolini flexu fuerant, ubi areola illa erat, & juxta gradus, ab æde Concordiæ ad templum Monetæ, ipsamque rupem Tarpejam ducentes.

In Clivo *porticum* factam Livius lib. I. decad. V. refert: *Censores*, &c. *Clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & porticum ab æde Saturni ad Senaculum, & super id Curiam statuerunt*. At hic magnæ oboriuntur difficultates. Nam ut eam ad Clivi latus perpeti tractu in editiora assurrexisse credamus, ut vulgo solet, perdelirum est: nulli enim usui fuisset, aut bono; quippe nec ad ambulandum, nec ad consistendum commoda: ut autem sub tecto Capitolium conscenderetur, superflui & inutilis ea res sumtus fuisset, cum in planitie longe plura & utiliora loca occurrerent tegenda: atque tum ipse potius Clivus, per quem ascendebatur, contegendus fuisset: quod tamen numquam factum legitur. Contra Tacitus, quum lib. III. Hist. ait: *Erant antiquitus porticus in latere clivi dextræ subeuntibus, in quarum tectum egressi* (defensores nempe Capitolii) *saxis tegulisque Vitellianos deturbabant*: aperte satis exponit, Vitellianos, qui per Clivum adventabant, invadebantque Capitolium, recipere se, tutandi sui causa, sub porticus non potuisse. Quare ita censeo, porticum a Livio memoratam supra templum Saturni (quod in planitie Fori situm multo inferius fuit æde Concordiæ, quæ per gradus adibatur, adeoque magis a Capitolio remotum) a dextra Clivi incipientem perrexisse usque ad ædem Concordiæ & Senatulum, quippe cujus usui inservierit, ut scilicet Senatores, aliive, cum illic Senatus haberetur, locum haberent aliquantisper trahendæ in ea moræ. Reliqua, quæ sequuntur, verba, *& super id Curiam*, vel de nova accipienda sunt Curia, supra illud constructa, seu potius, uti vox *straverunt* indicare videtur, subintelligenda iterum præpositio est, ut sit *& super id ad Curiam*; ita ut alia porticus ulterius ad Curiam (sive ea Calabra, sive alia aliqua fuit) facta sit: quæ Curia per eundem Clivum adibatur. De hac porticu capiendus forte Tacitus in allatis verbis: *Erant antiquitus porticus in latere Clivi dextræ subeuntibus*, &c. Ubi voces illæ, *erant antiquitus*, etiam illud subindicant, porticum illam in Capitolii restitutione, postea a Vespasiano facta, non redintegratam: unde suspicionem, seu sententiam meam veterem, porticum hanc eandem fuisse, cujus hodieque sub palatio Senatorum residuæ conspiciuntur columnæ & epistylia Dorici ordinis intermedio quondam muro substentatæ, tantum non damnare incipio; quamquam etiam post Taciti memoriam porticus illa restitui potuit.

Ædes Jovis Tonantis in eodem Clivo fuit. Victor: *Ædes Jovis Tonantis ab Augusto dedicata in Clivo Capitolino*. Suetonius Augusto cap. XXIX. *Tonanti Jovi ædem consecravit liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset*. & cap. XCI. *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem, cultores sibi abduci, seque respondisse Tonantem pro janitore ei appositum: ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependeant*. Dio idem referens somnium lib. LIV. nonnihil a Suetonio diversa tradit, respondisse nempe Augustum, se Jovem Tonantem illi pro excubitore apposuisse, ideoque sequente mane statuæ tintinnabulum appendisse, quo excubitoribus adventantis principis signum datur. Idem Dio cum Victore in eo consentit, quod ædem illam in aditu collocet Capitolii: quæ omnia exacte nobis illius situm depingunt, ostenduntque eam, prout & communis fert opinio, in media areola fuisse, ubi hodieque tres columnæ striatæ supersunt, de quibus jam aliquoties facta mentio est. Effigiem ejus Donatus nobis in nummo vetere Augusti nobis exhibet lib. II. cap. X. & Angelonus in alio in Historia Augusta.

Portam Stercorariam in Clivo fuisse, jam ante dictum. Fuit ea porta angiporti, in quem immunditiæ, e Templo Vestæ stato quodam anni die egestæ, deferri solebant. Festus lib. XIX. *Stercus ex æde Vestæ XVIII. Kal. Jul. defertur in angiportum medium fere Clivi Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria. Tantæ sanctitatis majores nostri esse indicavere*: qui & lib. XIII. in *quando* eadem ferme repetit. In Kalendario Maffejano a. d. XV. Junii legitur Q. ST. D. F. id est, ut Varro lib. V. interpretatur: *Quando stercus delatum fas*. Verba ipsius Varronis sunt: *Dies, qui vocatur, quando stercus delatum fas, ab eo appellatus, quod eo die ex æde Vestæ stercus everritur, & per Capitolinum Clivum in locum defertur certum*: unde, ut & e verbis Festi dicentis, angiportum *medium fere Clivi Capitolini*, fuisse illum in fastigio primi ascensus Clivi conjicio, ubi areolam illam cum Jovis Tonantis æde exstitisse dixi. Ovidius autem lib. VI. Fastor. aliquantum a Varrone & Festo dissentiens, die XV. Junii non e templo in clivum, sed e clivo in Tiberim deferri stercus solitum dicit:

Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ
Tibri per Etruscas in mare mittis aquas.

Verum erravit hic fortassis Ovidius, qui Fastos in exilio, procul a patria patriisque remotus festis, conscripsit.

Fortunam quoque prope Jovis Tonantis ædem *templum* habuisse Antiquarii e nonnullis versibus antiquis colligunt, qui in æde Fortunæ Prænestinæ legebantur:

Tu, quæ Tarpejo coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper Fortuna meorum, &c.

Verum quoniam plura Romæ fuere Fortunæ templa variis cognominibus, præcipue in ipso Capitolio, (de quibus consuli Plutarchus potest in commentariolo *de Fortuna P. R.*) *fanum* hoc *Fortunæ*, de quo versus illi agunt, absque cognomine fuisse videtur, ut illud Prænestinum, quandoquidem ejusmodi Fortunæ fanum in urbe fuisse e Livio constat, qui l. III. decad. V. *Q. Martio*, inquit, *Philippo iterum & Q. Ser. Cæpione Coss. in urbe duo æditui nuntiarunt, alter in æde Fortunæ anguem jubatum a compluribus visum esse; alter in æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle erat*, &c. Ceterum sive illa cognomen habuerit, sive eo caruerit, quia vicina Tonanti Jovi fuit, ego ædi illi octo illas columnas adscripserim adhuc superstites; quam sententiam meam firmare videntur illa Livii, *alter in æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle erat*, &c. tamquam hanc ab illa distinguentia, quæ non in colle, sed ei velut ad genua erat, cum *Primigenia* esset in Capitolio, ut ex indicato Plutarchi libello discimus. Quin & *Fortunæ* hujus *ædem* sine nomine angiporto illi stercorario conjunctam fuisse, astruere mihi posse videor his Clementis Alexandrini in Protreptico: *Romani autem, qui res maximas, & præclare gestas, Fortunæ atribuunt, & eam esse Deam maximam existimant, posuerunt eam in sterquilinio, dignum Deæ templum secessum tribuentes*. Incendium quod attinet, cujus inscriptio meminit, *S. P. Q. R. incendio consumtum restituit*: convenire ei illa Zosimi videntur, ubi lib. II. tempore Maxentii templum Fortunæ conflagrasse refert. Hinc & a *Senatu & P. R.* non autem ab Imperatore aliquo *restitutum* legitur, quoniam devicto Maxentio Constantinus condendis Christianis ecclesiis incubuit, a Gentilium templis animo adeo alieno, ut Eusebius lib. IV. de vita Constantini, *etiam lege interdixisse* eum prædicet, *ne quis ejus signa dedicaret in lucis & sacellis idolorum, ne vel adumbrata delineatione speciem inquinarent*. Unde vix probabile est, eundem vel restituisse, vel auctorem se restitui templi inscribi passum esse: quod contra *Senatum P. Q. R.* Gentilium aliquamdiu post adhuc infestum superstitione, Fortunæque reverentem, opus hoc suscepisse, perquam verisimile est.

Purgamentis illis ante memoratis alia mihi etiam spurcities adjungenda videtur: *Sellarum* scilicet *Patroclianarum*, quarum Martialis meminit lib. XII. epigr. LXXV. easque ad ima Capitolii collocat: Has ego de numero CXLIV. *latrinarum publicarum* fuisse existimo, quas P. Victor libro extremo recenset. Nomen iis *Patroclianarum* forsan a tabella Patrocli alicujus, vel a servo istius nominis aliquo, qui earum curam gessit, inditum. Martialis autem hoc est epigramma:

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque ad ungues,
Æthon in Capitolio pepedit.
Riserunt comites, sed ipse Divum
Offensus Genitor trinoctiali
Affecit domicænio clientem.
Post hoc flagitium misellus Æthon,
Cum vult in Capitolium venire,
Sellas ante petit Patroclianas,
Et pedit deciesque, viciesque.
Sed quamvis sibi caverit crepando,
Compressis natibus Jovem salutat.

In eodem Clivo *domum* quoqe *Milonis* fuisse e Ciceronis Miloniana discimus, ubi *domus in Clivo Capitolino scutis referta* legitur: quam non secus ac ceteras, quæ in Clivo Capitolino fuisse referuntur, in eodem, quo templa, solo sub Capitolii sitas fuisse substructionibus verosimile est: neque enim certi quid de iis produci potest.

Tertius vero *aditus*, qui *ad Asylum* ducebat, inventu facilis est. Cum enim jam duo cogniti sint, in dextra collis parte existentes, tertium in sinistra fuisse consequitur. Initium ejus ab Arcu Severi indicatur, unde recto negato aditu, uti supra vidimus, necesse est, ut facto in sinistram flexu ad eandem areolam Jovis Tonantis adscensum sit: ad dextram enim carcer obstitisset. Inde sursum tendentibus quoque hunc aditum substructionibus Capitolii innixum sustentatumque fuisse, dicendum est. Unde ad sinistram Jovis Tonantis rur-

sus inchoatus, nec viæ ante subterraneæ, nunc autem detectæ, hodierni ascensus inniti valens, grandibus instratæ lapidibus quadratis, (quæ tum ob acclivem & arduum situm absque laterum munimentis transiri non poterat) necessario supra ecclesiam *S. Josephi* versus hortos & monasterium Aræ *Cœli* leniter assurgere debuit, indeque regyrando ad Intermontium desinere. Hanc viam ordinariam fuisse, qua in curru triumphali Imperatores Capitolium invecti sint neminem puto negaturum: primo, quod reliquorum difficultas & angustia spatio curulis non esset capax; deinde, quod ea via per inferiora Capitolii circumacta aptior ad ascensum, & curribus commodior fuerit. Non tamen lubens concesserim, triumphos omnes per Arcum Severi transductos: quum verisimile sit, in Clivi principio, ubi arcus Tiberii fuit, inchoatum ascensum usque ad aream Jovis Tonantis; unde recto dein tramite, evitatoque uno flexu, ad tertium ascendere aditum poterant. Videtur hoc Horatius innuere lib. IV. od. II.

Concines majore Poeta plectro
Cæsarem: quandoque trabet feroces
Per sacrum Clivum merita decorus
Fronde Sicambros.

Ad quæ Acro cum Porphyrio consentiens: *Victorem Cæsarem per sacrum Capitolii Clivum captivos Sicambros trahentem pro triumpho.* De hoc autem Clivi principio loqui Horatium, ejusque interpretes, certum est: captivi namque non ulterius in triumphum ducebantur, neque ad ipsum Capitolii culmen: verum ex area illa, toties memorata, in carcerem mittebantur, ut jam ante e Cicerone ostendimus, dicente: *Cum de Foro in Capitolium currum flectere incipiunt*, (quo loco captivi currum præcedentes initium adscensus facere debuerant) *duci illos in carcerem jubent.* Marlianus, Faunusque, memoria sua tertium istum aditum detectum fuisse scribunt, inter aream Capitolii, (quod *Intermontium* veterum fuit) & arcum Severi, distortam, stratam, & septem pedes latam: cujus hodie ne vestigium quidem magno cum animi dolore agnoscere possumus, multum inde lucis ad ejusdem illustrationem uberiorem accepturi. Sed nobis, exstincto hic, ut in ceteris, omni ferme lumine, viamque, qua eundum, tactu explorantibus, hoc tamen dicendum est, non potuisse hic ulla ratione partem viæ fuisse triumphalis in Capitolium, quum tam angustæ latitudinis fuerit. Nam via triumphali non currus modo, sed & elephanti duplici serie in Capitolium ascenderunt. Ita enim Suetonius de Julio cap. XXXVII. *Ascenditque Capitolium ad lumina*, (alii codices habent *ad limina*) *elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Quin & elephanti curribus aliquando juncti sunt, ut in Pompeii triumpho accidisse supra memoratum. Quare via illa retecta ramus viæ triumphalis fuisse censenda est, aut alia aliqua, quæ e solo substructionum, ædiumque reliquarum, ad carcerem tendebat, & Scalas Gemonias: quam Dio ita describit l. LVIII. *Cumque in Capitolio sacrificasset, atque inde in Forum descenderet, servi ejus stipatores, cum propter turbam sequi non possent, in viam, quæ ad Carcerem ducit, diverterunt, ac per gradus, in quos damnati projiciebantur, descendentes lapsi sunt, & ceciderunt.* Hanc autem, ubi de carcere acturi sumus, accuratius tum explicabimus.

In capite aditus in Capitolio sine dubio porta fuit, quam *Pandanam* fuisse lib. I. indicavi. Cardines portarum Capitolii post Tarpejæ virginis proditionem æreos fuisse, ut stridore suo proditionem detegerent, Servius in I. Æn. docet. Paululum

A ulterius Scipionem Africanum *arcum*, seu *fornicem* fecisse Livius auctor est, lib. VII dec. IV. *P. Cornelius Scipio Africanus, priusquam proficerentur, fornicem in Capitolio adversus viam, qua in Capitolium ascenditur, cum signis septem auratis, duobus equis, & marmorea duo labra ante fornicem posuit.* Ubi, quod Livius, *viam, qua in Capitolium ascenditur*, dixit, pro, *Clivum Capitolinum*, uti solitus est, & brevius dilucidiusque dicere potuit, non obscurum tertiæ illius viæ indicium facit a *Clivo* diversæ, quem ipse, aliique, non in Capitolium, sed in arcem ducere plerumque exprimunt. Ut hæc,
B quæ diximus, & quæ dehinc de Capitolio plura dicentur, melius percipiantur, tabulam, qua Capitolium ob oculos ponitur, hic subjicere visum est.

CAP. XI.

Carcer Tullianus.

DE *Carcere* jam ante nonnulla dicta sunt: quare, ut jam absolvatur, tempus est. Superest hujus pars aliqua (neque quisquam de ea dubitat) sub æde *S. Josephi*, cui *S. Pietro in Car-*
C *cere* nomen: quod illic D. Petrum in carcere detentum vetus & certa traditio est; qui ibidem & fontem elicuit, adhuc durantem, ut commentariensem, seu carcerarium, ad Christianam religionem conversum baptizaret: in quo carcere in honorem principis Apostolorum a S. Silvestro Papa parvula ara posita fuit, quæ & nunc ibidem visitur. Verum quoniam in Actis D. Petri *Carcer Mamertini* appellatur, acris inter Antiquarios orta controversia est, utrum Tullianum ille ipse carcer sit, an vero alter ad *aream Montanariam*, ubi ædes *D. Nicolai in Carcere* est. Quaproter, antequam ulterius pergamus, illa discutienda videtur, exami-
D nandaque res accuratius,

Blondus, Volaterranus, Fulvius, Marlianus, Faunus, Panvinius, aliique veteres Antiquarii, absque ulla hæsitatione carcerem affirmant Tullianum, a Servio Tullio auctore sic appellatum, (tametsi eum Victor a Tullo Hostilio ædificatum scribit) eundem esse, qui in Actis Martyrum *Carcer Mamertini* vocatur sub Capitolio situs: quam sententiam Hugonius libro de *Stationibus urbis Romæ*, & eo recentior Donatus pluribus defendunt. Contra quidam non magni nominis, auctoritatisque, contrarium statuit, quem tamen Baronius in notis ad Martyrologium a. d. XIV. Martii, tum & fusius
E adhuc in Apologia contra Hugonium, multis adductis defendit.

Priorum opinio validissimo hoc argumento nititur, esse ædem *S. Petri in Carcere* in Foro vetere ubi & Tullianum olim fuit, pars carceris ab Anco Martio primum constructi. Sic Livius lib. I. de Anco: *Carcer ad terrorem excrescentis audaciæ, media urbe, imminens Foro, ædificatur.* De eo Varro l. IV. *In hoc pars, quæ sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio Rege, quod Syracusis, ubi simili de caussa custodiuntur, vocantur Latomiæ: & de latomia translatum, quod hic quoque lapicidinæ fuerunt.* Harum *latomiarum* memoria
F hac nostra Donatus vestigia agnovisse se scribit: *Hac nostra ætate nos vidimus eo ipso latere Capitolii, cui Tullianus carcer est affixus, institutis sub monte lapidum fodinis fuisse rubros tophos abunde, diuque causa ædificationis egestos. Quare credendum omnino est similes lapicidinas Anco Martio, Tullioque Regibus, occasionem exstruendi carceris in cavis Capitolinis præbuisse.* Quin & Livius carcerem hunc *Latomias* appellat lib. II. VII. & IX. dec. IV. Tum & descriptio, quæ apud Sallustium hujus car-

ceris extat in Catilin. exacte hunc nostrum ad ima A Capitolii carcerem nobis ante occulos ponit: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paululum descenderis ad lævam, circiter viginti pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris, & odore fœda, atque terribilis ejus facies est*. Tandem Victor hac in regione consona Livio & Varroni dicit; *Carcer imminens Foro a Tullo Hostilio ædificatus media urbe*: quæ verba (si errorem in *Tullo* pro *Anco Martio* posito exceperis) in alterum carcerem, qui non modo in Foro non fuit, sed ne in regione quidem Fori, minime quadrant, B nisi omino quis vim iis adhibere, atque illa distorquere voluerit.

Sed ad hæc omnia fuse Baronius, copioseque respondet: ac primum, quod Foro imminere dictus sit, id *Carceri S. Nicolai* convenire ait, qui prope Forum vetus Romanum fuerit, ut ipse præsupponit; tum templum vetus Saturni in Foro collocat, ubi ædes est *S. Salvatoris in ærario*, prope Clivum Capitolinum, quem incepisse illic asserit, & assurrexisse aliquantum versum Ecclesiam *Consolationis*: atque inde sequi, cum Livius carcerem ab Anco *media urbe* ædificatum dicat, Varro vero ab Tullio auctum, mediam civitatem dictam non ratione C mœnium urbis, ab altera parte vicinissimorum, ab altera rursus tam a Foro, quam a Capitolio disjunctissimorum, verum ratione milliarii aurei, in quo viæ omnes desinebant, (quare & *umblicum urbis* illud appellarunt) quod in Foro positum, ad templum Saturni, id est, prope ædem *S. Salvatoris in ærario*, non longe ab æde *S. Nicolai in carcere* aberat. Tandem Sallustii verba Tullianum describentis dicit æque cum illo conciliare posse, qui prius in æde *S. Nicolai* fuit, quam cum altero, qui etiamnunc existit sub æde *S. Josephi*; quod velut unius usus ædificia unam quoque eandemque habere faciem potuerint. D

Hæc tamen Baroniana facillima confutatu sunt. Forum longissimo intervallo ab æde *S Nicolai in carcere* sejunctum fuisse, Donatus uberrime probat, & ego quoque in initio hujus regionis satis multa me dixisse existimo. Verum, quod magis urget, Victor & Rufus Carcerem concordi sententia regioni octavæ adscribentes, alium intelligunt carcerem, quam illum *S. Nicolai*; qui teste Plinio ad Theatrum Marcelli pertingens, una cum theatro, non octavæ regionis fuit, sed nonæ extra Portam Carmentalem, id est, extra urbem, non autem media urbe, ut erudite Donatus observavit. E Quare Sallustii descriptio optime cum *S. Petro in Carcere* Foro veteri imminente congruens, ut ipsis quasi oculis ratio capi ejus rei potest, non potest non optime assertioni nostræ convenire. Adde, quod Carcer reis destinatus, carnifici ad mortis supplicium jam addictis *Tullianum* fuit: uti est apud Servium in VI. Æn. *Nam post habitam quæstionem in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur*. Sic ut D. Petrus morti damnatus non alii carceri inclusus fuerit, quam Tulliano: unde, qui jam intus capite plexi erant a carnifice unco in Scalas Germonias extrahi solebant, atque inde lacerati per Forum in Tiberim abjici, ut mox dicetur. F Hinc igitur infertur, Forum inter Carcerem Tullianum fuisse & Tiberim; nec remotius a Carcere, quam a Tiberi, quod contra factum foret, si Carcer hic ad ædem *S. Nicolai* fuisset.

Alia rursus, quæ his opponat, promit Baronius argumenta. Unum ex his petitur e cognomine ædis *S.Nicolai*, cui *in Carcer Tulliano* nomen: cui, tamquam scriptor ecclesiasticus, multum tribuit. Sed ut prior cognominis pars concedatur, quis alteram *Tulliani* antiquam esse probabit; hoc enim ei nomen facile ex errore vulgi seculis recentioribus ac barbaris addi potuit. Hugonius re diligenter considerata observat vetus ecclesiæ illius cognomen esse *in carcere*, absque ulla alia additione, idque ex tabula marmorea proxima ejus foribus; in qua legitur: *Ego Romanus Presbyter divinæ dispensationis gratia SS.Confessoris Christi Nicolai in Ecclesia, quæ in Carcere dicitur, Procurator, & Rector*. Cui Donatus subscriptionem addit Actorum Alexandri III. quæ tomo XII. Baronii Annal. a. u. MDLIX. legitur: *Oddo Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere*. E quibus liquet additionem illam recentem esse, adeoque nullius fidei. Adfert contra Baronius Plinii testimonium l. VII. cap. XXXVI. *Templum Pietatis extructo in illius carceris sede ubi nunc Marcelli theatrum est*. Quem carcerem illic etiam florente rep. fuisse ex eodem Plinio probat, ejusdem libri cap. ultimo dicente, cum in urbe horologia tum temporis nulla essent, Accensum Cos. e curia solem matutinum observasse, ut horam primam annuntiaret; dein meridie iterum, ac tertio tandem occaso sole: *a columna ænea ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiabat*. Quod de alio, quam de *S. Nicolai carcere* accipi non possit. Tum & e Juvenale Sat. III. ostendit; Romam sub Regibus, & Tribunis militaribus unicum tantum carcerem habuisse:

Felices proavos, atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub Regibus, atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.

Hunc autem unicum carcerem urbis antiquum Tullianum esse ait, ubi nunc ædes est *D. Nicolai*. His ut respondeatur, non opus est, dicere verba Plinii, *a columna ærea ad carcerem*, non indicare, olim illic carcerem fuisse: cum & ita explicari possint, supremam tempestatem fuisse ab Accenso pronuntiatam, cum solem ad eum lucum pervenisse videret, ubi postea carcer exstructus fuit; quod & ita de columna milliaria, vel Mænia exponendum liquet, quippe quæ tum temporis necdum exstitere: non secus ac si Plinius verbi gratia dixisset, *a colulumna ænea ad Marcelli theatrum inclinato sidere* &c. id est, ad eam partem Fori, in qua postea theatrum Marcelli ædificatum est, non ideo fidem fecisset, theatrum Marcelli tam vetustum fuisse. Sed his omissis, regerendum tantummodo, e Juvenale confici non posse, unum tantum sub Regibus, & Tribunis militaribus, vel etiam plebis, fuisse in urbe carcerem: quia, uti docte sane & judiciose pro more Donatus observat, Tribunorum militarium tam parvi temporis imperium fuit, ut Juvenalis illos in exemplum adducere non potuerit, debueritve: tum tribunis plebis, qui diu etiam post exstructos carceres in rep. viguerunt, jus nullum supremum in cives erat, verum potestas solummodo severitatem Consulum ac Prætorum moderandi inhibendique. Tribuni, inquit Donatus, de quibus Juvenalis agit, duces, seu capita, erant trium tribuum, & sub Regibus supremus magistratus: quo tempore *carcerem S.Nicolai* exstitisse nusquam legitur, nec unquam legetur. Tandem, toto illo tempore, aut saltem primæ reip. non potuit Roma uno contenta esse carcere, quia apud Livium lib. III. Virginius Appio Claudio Decemviro objicit, *illi carcerem ædificatum esse, quod domicilium plebis Romanæ vocare solitus sit*; unde alium carcerem a Decemviris fabricatum esse liquet; quod & Victor confirmat, (ut Hugonio observatum) apud quem regione nona legitur, *Carcer Cl. Xviri*.

Baronius rursus adversus hæc adversariorum argumenta validiore novo insurgit. E verbis scilicet

Virginii hoc colligi posse, vocari eum solitum ab Appio *domicilium plebis*. Contra Victorem hoc reponit; in Rufo & Victore recentiore a Panvinio publicatis legi, in illo, *Carcere Cvirorum*: in hoc *Carcer Cvirorum*, *alius* CLX*virorum*; addens Panvinius illos edidisse *ex antiquis codicibus facta collatione plurium exemplarium ex diversis Italiæ bibliothecis acceptorum*: concluditque, *Carcerem Centumvirorum* obæratorum fuisse civium carcerem, quum nullæ aliæ controversiæ ad eorum tribunal spectarent. Contra ea Carcerem ad Theatrum Marcelli e Plinii loco supra allato probari maleficorum fuisse, reorumque capitis: quare illic Tullianum exstitisse: civilem vero Centumvirorum carcerem alibi. Sed error seu hallucinatio Baronii in Livianis verbis nimium mihi perspicua videtur: quorum verum sensum nemo non statim videt, advertitque, quam inepte Virginius Appio objecisset, *illi carcerem ædificatum esse*, qui jam olim ab Anco Martio exstructus esset, cum interea alterius novi carceris nomen aures circumsonaret: contra, quam elegans Livii ingenii lusus in ambiguitate illa sit orationis, qua & ab ipso carcer ædificatus significatur, & ipsi usque ad exitum vitæ ob scelus illud incolendus, adeoque duplici intuitu *Carcer Appii* appellandus. Cæterum nomen huic imponere *Carceris Centumvirorum*, idque ex sola Rufi auctoritate, & Victoris a Panvinio publicati, qui, ut jam supra pluries diximus, & postea nonnumquam indicabimus, somniorum figmentorumque a librariis assutorum pleni sunt, quam parum habeat certi solidique, quivis facile viderit. Quod porro cum variis collati manuscriptis dicantur, parum cum ipsa Panvinii convenit confessione; quippe qui eos sese ab Ant. Augustino accepisse dicat, &, quod vulgaris auctiores essent, in usum publicum typis mandasse exprimendos. Verum relicta illis integra sua fide, veram, si quid conjectura valet, lectionem investigemus. Codices Victoris antiqui, qui quo pauciores, eo minus corrupti sunt, habent hic, *Carcer* CLX*vir*. In editione Andreæ Fulvii, qui Antiquitates suas Romanas A. CIƆ IƆXXVII. publicavit, in iisque Victorem quoque descripsit, legitur tantum CLXVIR. unde non ab Hugonio hic aliquid immutatum apparet, sed vera Centumvirorum numeri lectio detegitur. Fuere illi olim CV. ad deinde CLXXX. uti pluribus Polletus & Sigonius exponunt. Nihilominus dicti *Centumviri*: unde quo pacto in Victore CLX. legi potuerit, dispiciendum. Hoc saltem statim liquet, veteres Rufi codices, ipsiusque Victoris, cujusmodi hodieque exstant, habuisse CLXVIR. librarium vero Hispanum correxisse in Rufo *Centumvirorum*, ut numerus conveniret; quod autem ad duas illas literas attinet LX. addidisse pro his in Victore, *alias* CLX*virorum*. Ultimum veritatis in hac eruenda lectione argumentum ipsa Baronii præbet confessio, quod Centumvirorum jurisdictio mere civilis fuerit: unde nec carcere indiguerunt; quum olim nemo ob debitum in carcerem publicum conjectus fuerit. Suffecere privati; quum reus creditori a judice addictus esset. Ita Cicero Orat. pro Flacco, *Iste cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est*. Adhæc Centumvirorum partes erant, dijudicare caussas: quorum si reus non obediret sententiæ, nec judicatum faceret intra trigesimum diem, ad tribunal Prætoris citabatur; cujus erat, non autem Centumvirorum, in carcerem & vincula conjici jubere, aut, ut Gellius lib. XX. cap. I. annotat, trans Tiberim mitti, ut illic venderetur. Quin & C. Petilio & L. Papirio Coss. lex lata, ne quis ob debitum in vincula raperetur, verum sola bona venderentur: qua de re consulendus Livius l. VIII. Post hanc autem legem consue-

A tudo iterum invaluisse videtur, ut debitor in potestatem dederetur creditoris, quemadmodum e Cicerone habuimus. Quare carcer Romæ nullus esse potuit Centumvirorum, & si fuisse concedatur, atque ipse ille, cujus Rufus Victorque facere videntur indicium, in qua eum fuisse dicemus regione? certe in nona esse debuit; in qua & *Theatrum Marcelli* situm, cui carcer ad latus fuit. *Tullianum* vero in hac octava Fori recensitum est, longe ab ecclesia *S. Nicolai* remotum.

B Unam porro e validissimis Baronii argumentis est, partem Carceris Tulliani *Robur* vocitatam, juxta Festum, unde damnati præcipitati fuerint: hanc & *saxum*, seu *rupem Tarpejam* appellatam contendit: quæ cum teste Livio, Plutarcho, Dione, &c. in parte Capitolii Tiberi objecta fuerat, consequi, ut & *Tullianum* illic fuerit. Hic sane mihi lubens ab aliis explicari velim, dicique, quam sibi ille situs carceris cum rupe Tarpeja convenientiam animo finxerit. Ego vero non aliam ejus imaginem mente concipio, quam ingentis, supraque modum vasti, & alti ædificii, rupi adstructi, cujus altitudinem si non superabat, certe æquabat, non modo omne *aræ Montanariæ* spatium, sed &
C illud, quod Palatium *Sabelliorum*, & ædes *S. Nicolai in carcere* occupant: quæ prodigiosa imaginatio Baronio pro responso sit. Sed si hoc concedatur, cujusmodi quæso Capitolii munitio fuisset? tum præcipue rupis Tarpejæ, quæ præ reliquis Capitolii partibus firmissima & inexpugnabilis habita. Galli sane conscenso carceris tecto ipsam intrassent arcem Capitolii: quam, ut ab omni alio ædificio liberam, Romani sine custodia reliquerant. Livius enim, cui & Plutarchus accedit, *præruptum* dicit, *eoque neglectum hostium custodiæ saxum*. Quare neglectis aliis, quæ adferri possint, quid *Robur* fuerit, inquiramus, ut ita & in hoc ve-
D ritatem reperiamus, quod non secus ac cetera ad Antiquitates Rom. quas eruere tentamus, pertinet.

Robur, sive *Robus*, Festus ait, *in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur*. Ergo nil hic loci est *Rupi Tarpjæ*, quod saxum præruptum fuit montis Capitolini, hoc autem pars carceris: malefici autem non tantum de rupe Tarpeja præcipitati fuere sed & *de Robore*, prout delicta fuere scilicet, aut personæ, aut tempora, aut occasiones. Diversa illa duo fuisse e variis liquet tormentis, quæ Lu-
E cretius recenset lib. III. a Baronio quoque adductus:

Carcer, & horribilis de saxo jactus deorum, (ita leg.)
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.

Nec me fugit, Valerium Maximum contra me adduci, lib. VI. cap. III. dicentem: *Quin & familiares eorum, ne quis reip. inimicis amicus esse vellet, de Robore præcipitati sunt*. Ubi, contra quam Festus, non *quo*, sed *de Robore* præcipitati rei leguntur. Sed hic cum Donato *Robur* de arcis ex robore ligneis explicandum est, quibus rei includi soliti,
F ne quis cum iis colloqueretur, quas Plautus in Curculione *robustum carcerem* vocavit, quod ex *robore* factus esset, &c. Ex his autem arcis sæpe & malefici ad præcipitium protracti, & per apertum cameræ foramen in inferius cavum dejecti sunt. Ita & Oliverius Valerii Maximi interpres exponit: *De Robore præcipitati dicebantur, quod ante robustis arcis includebantur; ibique per aliquot dies servati, atque inde postea depromti, præcipitabantur*. Nec aliter Turnebus lib. XXVIII. cap. XXI. Adversar. unde concludit Donatus, *Robur* primo suo significatu laxiore *arcas* illas denotare, *sive angusta e ligno con-*

clavia, quibus includebantur. Secundo vero strictiore, profundiorem, depressumque humi locum illis arcis infessum, hiatuque structæ cameræ patentem, quo damnati oneratique vinculis & ferro, præcipites agebantur, ut vel iis collum obstringeretur, frangerenturve cervices, vel fame, alioque teterrimo tormenti genere necarentur: allegatque quod de Pleminio Livius refert lib. IV. decad. IV. *Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, necatusque*. Quod cum mihi valde probetur, quippe eximie carceri, seu ædiculæ *S. Petri in carcere* conveniens, observandum & illic locum puto e saxis totum concameratum, ut a Sallustio describitur. In medio ejus foramen est, per quod rei demittebantur, aut damnati in inferiorem locum dejiciebantur, siquidem ad descensum nulli illic olim gradus erant: nam qui nunc sunt, ad commodiorem devotioni deditorum descensum a Christianis facti sunt. Hunc inferiorem carcerem *Tullianum* appellatum e Varrone cognosco, qui, *in hoc pars*, inquit, *quæ sub terra, Tullianum*, &c. Item e Sallustio: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur*, &c. nec tantum *Tullianum*, sed & *Tullianum robur* dictum ex iisdem liquet, qui vocem *Tullianum* non substantive, sed adjective neutro genere usurparunt. Sic & Calpurnius Flaccus: *Video carcerem publicum saxis ingentibus stratum, angustis foraminibus, & oblongis, lucis umbram recipientibus: in hunc abjecti rei robur Tullianum aspiciunt*, &c. Quibus concinunt illa Apuleii in Apologia: *O mirum commentum! o subtilitas digna carcere & robore!* Quod igitur Festus *eo præcipitatos meleficos* dicat: Servius vero, *post quæstionem in Tullianum ad ultimum supplicium missos*; Livius autem de Pleminio; *in inferiorem carcerem demissus est, necatusque*: vix nisi de præcipitatis per illum, quem dixi, hiatum exponi potest. Huc dejectum Jugurtham, nec occisum fuisse, sed fame interiisse, Plutarchus in Mario; *Cui post triumphum in carcerem dejecto quidam vestimentum violenter laceraverunt; alii vero, dum inaures vi auferre decertarent, auriculam una dilacerarunt. Detrusus autem nudus in barathrum, perturbatione plenus obtrectans, Hercules, inquit, quam frigidum vestrum est balneum. Sed hunc sex dies colluctantem cum fame, & usque ad ultimam horam desiderio vitæ suspensum condigna pœna suis crudelitatibus confecit*. De reis autem in Robore interimi solitis Livius lib. VIII. dec. III. aperte agit: ubi Gracchus de Scipione Asiatico: *Ut in carcere instar furis & latronis vir clarissimus concludatur, & in Robore ac tenebris expiret: deinde ante carcerem nudus projiciatur*, &c. Non igitur ullum amplius dubium esse debet, nec hæsitandum, quin in Tullianum conjectos credamus reos, ibique exstinctos, loco sane a Tarpeja rupe diversissimo. Quod si tamen Valerii pertinaciter defendatur sententia a ceterorum scriptorum verbis diversa, minime mirum videri debet, vocem *Roboris* varie acceptam, ut ex Oliverio, Turnebo, & Donato patet. Possim & hoc addere, Valerium forte eo vocabulo hiatum illum intellixisse, de quo in inferiorem carcerem præcipitati malefici fuere; adeoque partem pro toto sumsisse, quæ maxime notabilis foret, fortean & *Robur* appellata, ob arcam e robore, aut rubro saxo factam.

Objicit Baronius vocem quoque *Latomiarum* a Varrone Carceri Tulliano tributam, quarum nulla in *S. Petri in Carcere* ædicula extent vestigia: contra apud ædem *S. Nicolai* veterem rupem Tarpejam fuisse ait, quæ *saxum* appellata sit. Verum præterquam quod Donatus venam saxorum post ecclesiam *S. Josephi* ante annos non admodum multos detectam & a se visam testetur, ecquodnam saxorum in ingenti illa rupe Tarpeja nunc vestigium

A supersit, quærere lubeat. Certe omnis illa pars Capitolii, quæ rupes horrenda & prærupta fuisse describitur, & post Reges per omne reip. liberæ tempus usque ad Imperatores duravit, hodie nonnisi amœnus collis est, qui absque ullo saxi vestigio totus terreus videtur. Ego sane, quamquam in prima adolescentia totum illum collem plus semel circumierim perlustraverimque, ut prærupta illa a Livio aliisque memorata loca reperirem, vix aliquantulum invenire tophi potui editioris ad ecclesiam *Consolationis*: & erit adhuc aliquis, qui, quod hodie post *S. Petri in Carcere* & *S. Josephi* ædes latomias non inveniat, quæ jam Anci Marci tempore
B esse desierunt, illas isthic unquam fuisse negare ausit? *Latomiæ* hæ Tulliani supra carcerem fuere, qui in iis exstructus est: nec ædiculæ *S. Nicolai* adaptari possunt, nisi quis iterum illum rupi Tarpejæ adsignare & adstruere voluerit, inque eosdem, ut supra, errores & absurdam sententiam relabi. Ubi nunc *S. Nicolai* ædes, & Theatrum Marcelli est, quæ loca a rupe Tarpeja disjuncta sunt, venam quidem terræ figulinæ, sed non latomiam seu lapicidinam fuisse, dici possit: ut infra in regione undecima dicetur.

C E nomine *Mamertini*, & inscriptione vetere, quæ in frontispicio *S. Petri in carcere* visitur:

C. VIBIVS C. F. M. COCCEIVS. NERVA
EX. S. C.

Baronius colligit, carcerem hunc, a Vibio & Nerva Coss. anno VII. principatus Augusti factum, a Tulliano diversum esse; quem Principem Tacitus lib. III Ann. auxisse carceres, & excubias ad illos posuisse refert. Sed his facile responderi potest. Etiamsi enim Carcer *S. Petri Mamertini* dictus fuit, (sive ab aliquo e familia *Mamertina*, qui eum vel restituit, vel ampliavit; sive a Foro *Martis*, quod
D ei adversum fuit; vel a Vico *Mamertino*, quem nunc *Clivum Marforii* appellari supra conjeci) non inde sequitur, partem a Tullio ædificatam non fuisse antiquum carcerem, aut *Robur Tullianum*. Forte & ab Anco Martio primo ædificatore auctoreque carceris nomen illud *Mamertini* derivatum. Sed ut hoc non concedatur, sufficit a *vico*, aut *via Mamertina* venisse. Inscriptio additionem, seu potius restitutionem indicat; quum jam multiplicati sub Augusto carceres a Taciro dicantur: unde veterum potius ædificiorum restitutiones admittendæ mihi videntur, frequentioresque carcerum, quam ceterorum ædificiorum.

E Ultimum, quod objicit Baronius, argumentum a situ petitur *S. Petri in carcere*: qui, quamquam nunc subterraneus apparet, quod vallis ruderibus exæquata exaggerataque sit, si solum Fori consideretur, totus supra terram extiterit, necesse est: unde ei descriptio Sallustiana adaptari nequit. Verum si solum, seu terræ altitudo vetus arcus Severi accurate consideretur, non modo Robur Tullianum sub terra fuisse, verum etiam locum carceris superiorem aliquanto illo arcu fuisse depressiorem apparebit. Præterea si arcus iste in planitie Fori, carcer autem in primo clivo, seu in aditu collis Capitolini, atque eapropter Foro imminere a Livio di-
F ctus fuit, rationi plane adversum fuerit e depressiore situ arcus, aut ipsius Fori planitie, eundem in carcere situm velle exigere.

Superest, ut & de forma facieque ejus exteriore aliquid dicamus. Observat Donatus, pontem lapideum in ejus introitu fuisse; siquidem Paterculus lib. II. filium Fulvii, cum illuc captivus duceretur, exspirasse eum refert, *illiso capite in pontem lapideum januæ carceris, effusoque cerebro*: ubi eum de Tulliano potius, quam de alio aliquo carcere loqui verisimile est. De via vero, seu ramo viæ, per quem e carcere in planitiem, sive aream substructio-

num, clivique ascendebatur, superius satis multa dicta sunt. Ad latus carceris *Scalæ* fuere, in quas a carnifice corpora defunctorum unco trahi, nudaque projici solita fuere. Ita Dio capite antecedenti citatus, cujus hic verba repetenda videntur: *Cumque in Capitolio sacrificasset, atque inde in Forum descenderet, servi ejus stipatores, cum propter turbam eum sequi non possent, in viam, quæ ad carcerem ducit, diverterunt, ac per gradus, in quos damnati projiciebantur, descendentes lapsi sunt, & ceciderunt.* Has Donatus *Scalas* esse *Gemonias* existimat, sed non constanter sententiam suam defendit. Quare quum & ejusdem opinionis sim, eandem mihi quoque libere tuendam puto: & succurrit e vestigio locus ad eam rem opportunus Valerii Maximi, qui lib. VI. cap. IX. de Q. Cæpione ita loquitur: *Corpusque ejus funesti carnificis manu laceratum in Scalis Gemoniis jacens magno cum horrore totius Fori Romani conspectum est.* Quod si namque *Scalæ Gemoniæ*, ut plerique omnes statuerunt, in Aventino extitere, etiamsi a Foro in eum montem recta via aliqua duxisset, nemo tamen tam lynceis oculis fuisset, qui illic cadaver aliquod projectum discernere, & ad ejus conspectum turbari potuisset. Sed & Suetonius cap. penult. Tiberii Foro eas conjungere videtur: *Hos implorantem hominum fidem* &c. *custodes, ne quid adversus constitutum facerent, strangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias.* Nuda vero eo corpora abjecta ex ante adducto Livii loco patet: *Et in Robore & tenebris exspiret; deinde ante carcerem nudus projiciatur:* nempe in *Gemonias*, uti Dio de aliquot aliis lib. LIX. refert: *Hoc modo multi viri morte affecti; multæ mulieres aliæ in carcerem, aliæ ad tribunal protractæ, captivarum instar, & earum quoque in Gemonias projecta corpora.* Factum autem illud videtur, ut versantibus in Foro spectaculo essent: per Forum vero deinde tracta fuere cadavera in Tiberim. Idem Dio lib. LVII. *Nam omnes de ea re inquisiti non tantum Equites, sed Senatores; nec tantum homines, sed mulieres in carcerem conjiciebantur: condemnatique aliqui in eodem carcere puniebantur: aliqui e Capitolio præcipitabantur, ut Consules & Tribuni, omniaque eorum corpora per Forum dissipabantur; inde trahebantur in flumen.* Qui contrarium dicat, nullus nisi Victor est, de quo in regione XIII. plura.

Frontispicium Carceris non e directo Foro objectum fuit, sed flexu nonnullo in sinistram vergente, juxta viam, cui nunc *Clivo Marforii* nomen, sed quæ olim *Mamertina* appellata fuit. Id ex ejus, quod superest hodieque, residuo patet.

Scalæ Gemoniæ, quas illi ad latus fuisse necesse est, indicium faciunt, carceris januam non in plano fuisse, & in fronte, verum a latere adstructam versus Capitolium, nonnihil altius, ubi nempe collis a substructionibus reddebatur angustior, habuisse aliquid prærupti; ita ut ab illa parte per pontem adiri debuerit, ad quem per Scalas forte Gemonias ascendebatur: atque inde iterum sursum per gradus in clivum alium, qui, ut supra dictum, ad substructiones ducebat, post carcerem incipiens, & non longe a janua, ubi nunc clivus est Marforii, altius assurgens.

Ad hunc modum verisimile est, servos Sejani hac via descendisse, & per Gemonias lapsu decidisse: damnatosque in carcere strangulatos, unco extractos deinde, ut ab omnibus in Foro conspici possent, a carnifice in Gemonias fuisse præcipitatos.

A

CAP. XIII.

Intermontium Capitolii.

IN Capitolio Romulum post conditam in Palatino Romam quadratam Asylum fecisse, securum tutumque refugium, ac receptaculum eorum, qui isthuc confugerent, vetus testatur historia. Sic Livius lib. I. *Asylum aperuit: eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum, perfugit.* Et Plutarchus in Romulo: *Sacrum quendam locum eo confugientibus perfugium statuentes, Asylum vocarunt, eoque omnes sine ullo discrimine exceperunt: nec domino servus, nec debitor creditoribus, nec homicida magistratibus dedebatur, cum dicerent firmum & ratum id omnibus Pythico Oraculo esse oportere.* Diony. lib. II. servis illud tantum apertum fuisse dicit; quorum concursus egregium novæ civitati addidit incrementum. Positum id inter duo Capitolini montis culmina, uti jam ante dixi. Ita idem Dionysius eodem libro, situm ejus describens: *Locum umbrosum, mediumque Capitolii & Arcis elegit, quod nunc Lingua Romana vocatur Intermontium, duorum quercetorum ab utroque Clivo densis septum arboribus, quibus jungebantur colles; Templo in hoc incertum cui Deo vel Genio sacrato.* Consona Strabo dicit lib. V. *Aperiens Asylum inter Arcem & Capitolium.* Situm ejus Templi inter duo querceta Livius quoque indicat lib. I. *Locum, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, Asylum aperit.* Nec non Ovidius lib. III. Fastor. agens de Vejovis templo:

Una nota est Martis Nonis: sacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Hos autem lucos, cum unus tantum esset, interposito in medio templo a Romulo divisos ex iisdem potest auctoribus probari: ab Ovidio vero eodem Fastorum libro tantum unius fit mentio:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto.
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus erit.

Quamvis autem lucum hic ab Asylo circumdatum dicat, nec Asylum in medio constitutum, non tamen loqui hic de muro templi Asyli, quod inter duos lucos fuit, videtur, verum de muro, quo Romulus Intermontium cinxit, ut eo esset tutius, non modo ab anteriore parte, id est, versus Forum, & planitiem Campii Martii, verum etiam ab utroque latere inter duo culmina, quibus & ipsis muro circumdatis Intermontii muri pro prætenturis erant. Qua perfecta absolutaque munitione Romulus Asylum demum in medio construxit, & ad refugium cunctis aperuit.

Cui vero Deo templum hoc dedicatum fuerit, Dionysius ait non constare. Servius autem in VIII. Æn. *omne Asylum templum esse Misericordiæ dicit*: & ejusmodi fuisse primum illud Atheniensium, quorum Romulus imitatus exemplum est approbante, ut Plutarchus refert, Oraculo Delphico. Donatus *Vejovi* dicatum putat: sed hujus ante lucos, non autem in medio lucorum, templum fuisse, ex Ovidio vidimus: Victor autem *prope Asylum*, at non *in Asylo* illud constituit. Varro videtur illud apud Nonium cap. I. in voce *Pandere*, Cereri adscribere: cujus verba l. I. cap III. attulimus. Templum hoc sine tecto fuisse, cujusmodi Vitruvius *Hypæthra* vocat, inde existimatur, quia scriptores *loci* id potius, quam *templi* nomine designant, tum quod non constructum, sed *apertum* dicant. Quin & cum Livius dicit: *Locum, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est*; & Dionysius: *Condensis septus arboribus:* non de muris sermo fit, sed de sentibus, &

& arboribus. Fieri autem facile potuit, ut sentibus & arboribus Asylum septum fuerit inter duos lucos, amputatis aut accisis stirpibus, veruntamen in medio Asylo ædicula aliqua fuisse videtur, quantum e Dionysio colligo dicente: *Templo in hoc, incertum cui Deo vel Genio sacrato*: nisi is hac voce omne illud spatium denotaverit, quod stirpibus liberatum, clausumque fuit. A

Clivos duos, de quibus idem Dionysius loquitur, *Ab utroque Clivo densis septus arboribus*, Donatus illos esse censet, per quos e Foro in Capitolium conscendebatur, quique hodieque ab utroque latere *Palatii Senatoris* conspiciuntur. At quia Tacitus unum tantum Clivum ad lucum Asyli ducere ait, utrumque lucus a lateribus habere non potuit. B Putem ego duos illos Clivos fuisse, qui ab Intermontio versus utrumque montis culmen tendebant; idque mihi verba, quæ sequuntur, indicare videntur: *Ab utroque Clivo densis septus arboribus, quibus jungebantur colles*. Unde colligo, duos istos lucos utrique fuisse culmini junctos, & non uni tantum ex hisce, ut aliorum sententia est.

Sed an ideo duobus querceris totum ab Asylo occupatum fuisse Intermontium dicemus? videtur sane per transversum, inter utrumque collem, Intermontii pars iisdem media fuisse obsessa, quæ olim C posterior, nunc autem anterior est, id est versus Romæ partem planiorem, ubi nunc præcipuus in Capitolium aditus est. Nam Dionysii id verba nimisquam manifeste arguunt: verum ea parte, qua Forum respicit, fieri non potuit, cum necessario conveniens spatium & area ante gradus magni Jovis Capitolini templi esse debuerit, in qua omnes pompæ triumphales in ascensu colligerentur, atque resisterent. Tum quoque, si ratio habeatur conventus populi a Tiberio Graccho convocati, area illic satis ampla fuerit, necesse est. Universum enim populum Gracchus in Capitolium convocaverat, ut illic legem perferret Agrariam: at D in quam Capitolii partem? an in templum? id autem impossibile: an in arcem? at nec illic capax tanti populi locus. Ne igitur diu locum eum quæramus, Paterculum consulere oportet, qui illum nobis lib. II. indicat: *Nasica ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens hortatus est, qui salvam vellent remp. se sequerentur. Tum Optimates, Senatus*, &c. *irruere in Gracchum stantem in area cum catervis suis, & concientem pene totius Italiæ frequentiam*. En tibi hic aream, in quam totius fere Italiæ frequentia convenerat: huic superimminebat Capitolii pars superior, ad quam per gradus ascendebatur: quæ descriptio ac delineatio est ad rivum aræ Intermontii, quæ fuit ante Asylum: unde gradus in utramque verticem incipiebant: omnis autem verisimilitudo, & ratio Architecturæ, decori, & commodi, majestatisque loci exigit, ut area hæc in Intermontio in primo aditu, & non post lucos fuerit. Hodiernæ igitur areæ Capitolii plusquam dimidia pars anterior illa fuisse area dicenda est; pars autem reliqua versus Clivum hodiernum, & gradus *Aræ Cœli*, largius olim obtinuisse spatium existimanda est, quum magna ejus pars cum veteribus muris una diruta fuerit. In hac area luci isti duo exstitere Asylo in medio: F atque hoc pro certo potius, quam pro verisimili mihi asserendum videtur. Asylum vero longo post tempore e Capitolio in ripam Tiberis translatum fuisse, Marlianus, & nonnulli alii crediderunt: quos Donatus optime confutavit; qui & respici poterit.

Areæ latera Donatus porticibus cincta fuisse dicit: idque probabiliter. Vellejus enim lib. II. porticuum mentionem facit a Nasica Censore primum in Capitolio factarum; quæ forsan hic fuere. Sed & *arcum Neronis* hic in medio Donatus collocat, auctore Tacito lib. XV. Annal. *At Romæ tropæa de Parthis, arcusque in medio Capitolini montis sistebantur*. Quæ verba, quamquam satis commode de ea Capitolii parte intelligi possunt, quæ substructionibus subjacebat, & præcipue de area inferiore, in qua templum erat Jovis Tonantis, non tamen areæ magis Intermontii convenire negarim. Exhibet idem Donatus hujus arcus effigiem ex aversa veteris nummi Neroniani parte, lib. II. cap. X. quem & Augustinus Dialog. IV. & Ericcius publicavit. Præter hunc alium quoque ibi Scipionis Africani arcum exstitisse, in introitu Clivi, cum duobus labris marmoreis, supra indicavi.

Quare Vejovis templum, ab Asylo diversum, (ante Asylum namque fuit) in parte *Palatii Senatoris* anteriore exstitisse dicendum est & fortasse ubi duplices gradus sunt, vel saltem in proximo. Quis *Vejovis* fuerit, aut quale numen, duæ, eæque diversissimæ, veterum sententiæ sunt. Ovidius enim velut juvenem eum, & imberbem nobis lib. III. Fastor. depingit, voculam *Ve* diminutionem olim significasse dicens:

Nunc vocor ad nomen: Vegrandia farra coloni,
Quæ male creverunt, vescaque parva putant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Jam ante vero statuam ejus hunc in modum descripserat;

Juppiter est juvenis, juveniles aspice vultus,
Aspice, deinde manu fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos cœlum affectare gigantes
Sumpta Jovi; primo tempore inermis erat.

& paulo post:

Stat quoque capra simul: Nymphæ pavisse creduntur
Cretides: infanti lac dedit illa Jovi.

Contra ea apud Gellium lib. V. cap. XII. legas: Vejovem nocentem vel nocere tantum valentem, & post varias expositas particulæ *Ve* significationes ita concludentem eum audias: *Simulacrum igitur Dei Vejovis, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum: quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt: immolaturque illi ritu humano capra, ejusque animalis figmentum simulacro adstat*. De eadem vocula *Ve* Festus quoque agit lib. XIII. in eandem ferme sententiam: *Vegrande significare alii ajunt male grande*, ut vecors, vesanus, *mali cordis, maleque sanus: alii parvum, minutum, ut quum dicimus*, vegrande frumentum; *& Plautus in Cistellaria*: qui nisi sic viteris nimium is vegrandi gradu. Vecors *est turbati & mali cordis*: *Pacuvius in Iliona*: Qui veloci superstitione cum vecordi conjuge: *& Novius in . . . . coactus tristimoniam ex animo disturbat, & vecordiam*. Conferri cum his possunt, quæ e libris Tagetis Thusci Ammianus Marcellinus citat lib. XVII. *In Tagetis Thusci libris legitur, Vejovis fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitrum, nec majores aliquos possint audire fragores*. Unde indicium aliquod expiscari licet, *Vejovem* Deum fuisse, qui Hetruscis notior fuerit, quam Latinis. Statuam ejus e cypresso fuisse Plinius auctor est lib. XVI cap. XL. *Nonne simulacrum Vejovis in arce e cupresso durat a condita urbe quingentesimo quinquagesimo primo anno dicatum?*

In Capitolio vetus *Tabularium* fuit, in quo ædificio Actorum Tabulæ asservatæ fuerunt, uti e Plutarcho in Cicerone Donatus ostendit: *Cicero per absentiam Clodii magna frequentia ascendit Capitolium, tabulasque, quæ acta continebant Clodii tribunatus, revul-*

sit, corrupitque. Et in Catone minore: *Quas publice Clodius in Capitolio fixerat, revulsit*. Quamquam hic de Tabulis sermo est, quæ in perpetuam rei memoriam publice affixæ erant vel in templo, vel in porticu Jovis Capitolini, ad earum exemplum, quarum Polybius lib. III. meminit: *Hæc cum ita sint, & in hodiernum diem tabulis æreis inscripta conspiciantur in Templo Capitolini Jovis, ubi ab Ædilibus diligentissime custodiuntur*. Attamen *Tabularium* in Capitolio fuisse vetus inscriptio indicat, quæ in atrio nunc visitur Capitolino sub *Palatio Senatoris*; quæque olim in substructionem facta videtur:

Q. LVTATIVS. Q. F. CATVLVS. COS. SVBSTRVCTIONEM. ET. TABVLARIVM. S. S. FACIENDVM COERAVIT.

Nec obstat, quod in templo Capitolino cunctorum obviæ conspectui (forte in exteriore ejus parte sub porticibus) tabulæ publicæ affixæ fuerint: quia solæ illæ affigi solebant, quæ res maximas, & ad salutem reip. pertinentes complectebantur. Ita Suetonius lib. VIII. in Vespasiano adnotat, Vespasianum, cum Capitolium restitueret, tria illic tabularum ærearum millia refecisse, quæ incendio interierant: adjicitque: *Instrumentum etiam imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit, quo continebantur ab exordio urbis Senatusconsulta, Plebiscita de societate, & fœdere, ac privilegio unicuique concessis*. Ubi illum de novo Tabulario Donatus loqui existimat, juxta templum Jovis Capitolini exstructo: verum voculæ, *vetustissimum confecit*, veteris potius restitutionem, complementumque significant; nisi quis Suetonium malit (quod & mihi maxime placet) de quodam omnium Senatusconsultorum, Plebiscitorumque loqui registro, seu codice. Vox enim *Instrumentum* multiplicis significationis est, qua omne id significatur, quo quidquam instruitur, ut, verbi gratia, in villa suburbana instrumenta omnia e ferro, lignove, quibus agricultura indiget; in palatio urbano penus, vel vestiarium. Dein & ea, quæ ad memoriam, notitiamve alicujus rei vel facti conservandam valebant, *Instrumenta* dicta; ut & indicia certa, atque testimonia. Sic in *l. prima ff. de fide instrumentorum*, Paulus JCtus: *Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus caussa instrui potest: & ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur*. Hoc sensu vocem eam Suetonium accepisse verisimile est, præsertim quum & proxime præcedentia de tabulis actorum agant publicorum: *Ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverunt, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus*. Quare *Instrumentum* illud *imperii*, quod Suetonius a Vespasiano confectum dicit, aut armarium fuit exempla continens veterum tabularum ordine dispositarum, vel potius volumen, seu volumina, cuncta Senatusconsulta & Plebiscita &c. continentia: verbumque *vetustissimum* tempus ætatemve Senatusconsultorum & Plebiscitorum respexit, jam descriptorum. Id ipsum Apulejus mihi confirmare videtur, qui lib. I. Floridorum de istiusmodi agens instrumento, ait: *Quippe præconis vox garrula ministerium est: Proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta neque augeri litera, neque autem minui potest: sed utcunque recitata est, in provinciæ instrumento refertur*. Item Quintilianus lib. XII. cap. VIII. *Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum, quod videre non est satis; perlegendum erit*, &c. In Tabulariis autem, ut in Basilicis, olim controversias disceptatas caussasque actas Tacitus, seu potius Quintilianus tradit Dial. de Orat. *Quantum virium detraxisse orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ caussæ explicantur*. Et eo fortassis Judices instrumentorum parata traxit facultas.

Spatium illud, quod *Palatium Senatoris*, & *Collateralium*, itemque *carceres* occupant, peramplum est, & animadvertuntur veteribus ædificiis recentiora hæc esse inædificata: ita ut asseri jure possit, præter Vejovis templum ac tabularium plura illic alia olim exstitisse ædificia. Blondus illic *Jani Custodis templum* fuisse putat in latere sinistro, ubi nunc *carceres* sunt; quos veteri alicui superstructos esse ædificio manifestissime apparet. Verum quis umquam veterum *Jani Custodis* in Capitolio meminerit, hactenus me fugit: quare Blondum hic lapsum puto, & pro *Jove Custode*, *Janum* scripsisse, nisi is librarii, aut typothetarum error est: quem aliis, qui veterum libros melius excusserunt, ulterius excutiendum relinquo. Inter cetera autem ædificia *Bibliotheca* quoque in Capitolio fuit; item *Athenæum*: ut Lipsium, Rycquium, & Donatum observasse video.

Bibliothecæ præter Eusebium & Horatium Orosius quoque lib. VII. cap. XVI. meminit: *Fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Biblothecam illam majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas, rapaci turbine concremavit*. Quis hujus auctor fuerit, inter eruditos disceptatur. Rycquius eam Sullæ attribuit, vel Cæsari, vel Augusto; quoniam Sulla, teste Plutarcho, celebrem Apollinis Teii bibliothecam Romam transtulit: duo vero reliqui Principes, ut est apud Suetonium, ingentem in conquirendis libris Græcis Latinisque ad construendas bibliothecas curam adhibuerunt. Verum optime ad hæc respondet Donatus, etiamsi Sulla bibliothecam illam Romam transtulerit, non tamen compertum hanc ab eo fuisse umquam publicatam: quin potius non publicatam apparet e Plinio lib. VII. cap. XXX. & lib. XXXV. cap. II. affirmante, primum fuisse Asinium Pollionem, qui bibliothecam publicarit. Hæc autem alibi fuit. Cæsarem deinde Suetonius ait cogitasse de pluribus bibliothecis publicandis, multaque alia animo agitasse, quæ morte præventus non absolverit. Idem Suetonius cap. XXIX. Augustum porticum templo Apollinis Palatini addidisse scribit, cum Bibliotheca publica: at si Augustus & aliam in Capitolio publicasset, sine dubio & hoc quoque adnotasset. Tandem, ut earum bibliothecarum numerus cognoscatur, quæ in urbe principatu Augusti publico servierunt usui, nil me judice rectius fiat, quam ut ad Ovidii lib. III. Trist. el. I. recurratur: qui eleganti prosopopœia librum suum in urbe receptum sibi aliquem quærentem inducit: Pergit igitur primum ad Apollinis Palatini:

Ducor ad intonsi candida tecta Dei.

Hinc repulsus ad Octaviæ recurrit, ad Theatrum Marcelli, in porticu templis Apollinis & Junonis conjuncta.

Altera templa peto vicino juncta Theatro,
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Tandem vadit ad Pollionis Bibliothecam in Aventino, in Atrio Libertatis:

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere passa sua est.

Dehinc omissa alia inquisitione veluti desperabundus concludit:

Interea quoniam statio mihi publica clausa est,
Privato liceat delituisse loco.

Unde clarissime liquet, tres hasce tantum biblio-

thecas in urbe tum temporis exstitisse publicas. *Capitolinam* igitur Lipsius Domitiano assignat; de quo Suetonius cap. xx. *Quamquam bibliothecas incendio absumtas impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent, emendarentque.* Cui Rycquius reponit, restitutorem quidem illum veterum, at non institutorem novæ fuisse. Donatus, & recte quidem, nil certi afferri posse putat; veruntamen verisimile esse, Hadrianum eam vel instituisse, vel saltem auxisse atque exornasse: quod illa Athenæo, quod illic condidit, pernecessaria fuerit. Ego vero plures Romæ bibliothecas publicas initio principatus Domitiani fuisse reperio: unde Suetonius dixit: *Quo bibliothecas incendio absumtas impensissime reparari curavit*; at non tres illas supra memoratas arsisse invenio, sed ex his *Capitolinam* tantum, & fortasse nonnullas alias, quum Capitolium conflagraret. Unde in hac ego Capitolina Poetas, cum ludis Capitolinis quinquennalibus decertarent, recitasse perquam probabile existimo: non tam quod id Statius innuere videatur lib. III. Sylv. hæc ad uxorem scribens:

—— tu cum Capitolia nostræ
Inficiata lyræ, sævum, ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem.

& lib. v. ad patrem adhuc clarius:

Nam quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, cum dulce parentis
Invida Tarpeiis caneret te nostra magistro
Thebais.

Verum quod nulla aptior esset ad hoc certamen Bibliotheca, quam Capitolina a Domitiano restituta, idque iis ludis, quos ipse in honorem Jovis Capitolini instituerat. Poetas autem in Bibliothecis recitare solitos, uti de Ulpia dixisse memini, ita & postea loco opportuniore uberius ostendam. Sed hanc meam conjecturam in his antiquitatis tenebris pro re certa & vera venditare non ausim, majori illud affulgenti aliquando lumini reservans: interim hoc non prætermittendum existimo, Martialem lib. XII. ep. III. librum suum ad Musarum aliquod templum mittere, vel refectum tum temporis, vel de integro conditum:

Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.

Ubi forte Bibliothecam innuit recens a Domitiano restitutam: quum & Acro alicubi Athenæum *Museum* vocet, ut infra videbimus. Sed Athenæum tunc temporis necdum exstructum fuit. Locum autem exactumque hujus Bibliothecæ situm mox indicabo.

Athenæum Scholam artium liberalium fuisse ab Hadriano erectam Aurelius Victor docet lib. de Cæss. *Cærimonias, leges, gymnasia, doctoresque curare occœpit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret.* In Capitolio fuisse Donatus argumento non contemnendo probat, suppeditato a *lege unica C. de studiis liberalibus urbis Romæ l.* II. ubi Theodosius II. de plurium studiorum in urbe magistris loquens, hujus ludi Capitolini tamquam ceteris omnibus multo nobilioris mentionem facit: *Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii auditorium constituti*, &c. & paullo inferius. *Nihil penitus ex illis privilegiis consequantur, quæ his, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti sunt*, &c. Quod Auditorium hoc ab Hadriano institutum fuisse *Athenæum*, si non certum, sane perquam probabile est. *Athenæi* autem nomen, inquit Dio in Juliano, accepit *ab exercitatione eorum, qui in eo erudiuntur.* id est, ut Donatus subjungit, ab exercitatione Minervali, quod Minerva Græcis Ἀθηνᾶ dicatur. In hoc, inquit porro Donatus, Oratores & Poetæ opera sua recitare soliti fuere, quemadmodum hodieque in Academiis quandoque accidit. Testis ei in hanc sententiam Lampridius est in Alexandro: *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum ac Latinorum Rhetorum, vel Poetarum causa, frequenter processit*: ut & Capitolinus in Pertinace: *Eo die processionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret Poetam, ob sacrificii præsagium distulisset.* & in Gordiano: *In Athenæo controversias declamavit audientibus Imperatoribus suis.* Quibus & Sidonius addatur lib. IV. epist. IX. *Dignus omnino, quem plausibilibus Roma foveret ulnis, quoque recitante crepitantis Athenæi subsellia cuneata quaterentur.* Veruntamen opinio hæc non adeo certa est: quoniam in Apollinis Palatini Bibliotheca recitationes fieri solitas suo indicabimus loco. In Trajani vero Bibliotheca itidem recitatum supra dictum est. Ætate autem Vespasiani, atque item Trajani, loca a recitaturis conduci solita fuisse Auctor Dialogi de Orator. testatur: *Rogare ultro, & ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire: & ne id quidem gratis: nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit*, &c. Unde patet, vel liberam cuique fuisse recitationem, ubicunque vellet, vel recitandi locum subinde fuisse immutatum. Quæ mutatio si diligenter investigetur, reperiemus, Asinium Pollionem primum publice recitandi sub Augusto exstitisse inventorem, auctoremque. Sic Seneca Rhetor in prooemio controvers. *Pollio Asinius*, &c. *primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit.* Hunc autem id ipsum in Bibliotheca, a se in Atrio Libertatis publicata, auspicatum, vero perquam affine est: nisi id potius in gratiam Augusti in Palatina fecit, quam Augustus publicaverat: ubi usque ad Claudii principatum recitari solitum post dicetur. Hinc forte recitationes postea sublatæ sub Nerone, quum auream domum construeret, quo strepitus & applausus acclamantium longius a palatio & auribus Imperatoris removerentur: postea certus nullus locus fuit, ita ut recitaturi atria & auditoria conducere coacti fuerint, donec ab Hadriano ædificaretur Athenæum. Tandem quum & hoc Professoribus artium liberalium & scientiarum compleretur, in Bibliotheca Ulpia libris jam vacua, quos Diocletianus in thermas suas transtulerat, adeoque inutili, recitationes rursus publicas fuisse redintegratas, stabilitasque, perquam credibile est: cujus in ea Basilica recitationis unicus tantum sequioribus seculis testis est Fortunatus. Quare, quidquid hujus est, obscuritati suæ permittam, subjiciamque tantummodo Acronis locum, qui Horatii Sat. x. lib. I. hunc versum explicans:

Quæ neque in æde sonent certantia judice Tarpa,

addit: *in Museo Athenæo*: id est, *ea scribo, quæ neque recitentur in Athenæo.* Verum quum Athenæum ætate Horatii necdum exstiterit, conjiciendum est, Acronem hic Palatini Apollinis templum innuere, atque Bibliothecam: in qua tum temporis recitationes fieri solitæ fuerunt, uti ætate Acronis in Athenæo.

Jam superest, ut situm Athenæi, & Bibliothecæ, in Capitolio indagemus. Sunt qui putent utrumque prope templum Jovis Capitolini fuisse. Donatus, qui loco illi nimisquam multa assignari videt ædificia publica, quo ipse arcem, templumque statuit, alteri ea duo lateri attribuit, seu culmini, in quo nunc templum & cœnobium est *Aræ Cœli*. Hic sane de re omnino dubia & incerta agitur, nullo alio nisi verisimilitudinis argumen-

to, & nullius efficaciæ: & tamen eodem mihi modo agendum video. Ac primum quidem inconveniens videtur, ludum tam celebrem, tantique usus, in celsissimo, & remotissimo, atque in privatis ædificiis minimum frequentato monte collocatum; præsertim quum Intermontium propius esset, & commodius, & humilius, Forique prospectui magis expositum: ita ut hic potius fuisse Athenæum videatur, eo magis, quia & Tabularium vetus illic fuit; juxta quod & Bibliothecam exstructam verisimile est, non secus ac in Aventino in Atrio Libertatis & Bibliotheca & Tabularium conjuncta fuere: atque item Bibliothecæ Athenæum ab Hadriano additum, quum, ut inquit Donatus, rationi plane consentaneum sit, ludo literario adjungi Bibliothecam. Atque ita omnis ille locus, qui hodie a *Palatio Senatoris* & *carceribus* occupatus est, *Tabularium* olim continuit, cum *Bibliotheca*, & *Athenæo*. Epistylia columnarum Dorici generis, coronæ, ceteraque veterum operum fragmenta, (quæ palatium illud in frontispicio in *Campum vaccinum* vergente infra planitiem, seu aream Intermontii ostentat, signaque sunt evidentia veteris porticus omne illud latus olim occupantis) habuere sine dubio supra se columnas alias, & porticum in area Tabularii, ut & reliquorum ædificiorum, quibus (præsertim Athenæo, ut conclavia Professorum eo melius dividi possent) porticus illa non potuit non esse commodissima. Bibliothecis porticus addi solitas e Palatina, Octavia, & Ulpia constat. Sic, ubi olim temporibus vetustissimis murus Capitolinarum substructionum fuit, illic longa pace (qua substructionibus ædificia aream Capitolii exæquantia conjuncta Tacitus fatetur lib. III. Histor.) Capitolium pulcherrimis exornatum esse potuit porticibus, quæ præter commodos usus amœnissimum Foro prospectum præbuere. *Atrium Minervæ*, de quo Victor, Paulus Merula Athenæum fuisse suspicatur: &, si non idem fuit, quod *Libertatis Atrium* Cicero vocat, & ad Forum Cæsaris collocat, ut superius dixi, non admodum absurde. Addo ego & hoc: *Atrium Capitolii publicum* (de quo Livius lib. IV. decad. III. *Tactum de cœlo Atrium publicum in Capitolio*) illic forte potius fuisse, ubi & Bibliotheca & Athenæum postea exstructa sunt, quam alio in loco: quoniam Atrium impluvium non fuit, aut area interior domus, ut alii voluere, sed ædificium apertum, & columnis sustentatum, quod areæ Intermontii obversum publicis inservire potuit obambulationibus, aut aliis publicorum, qui illic frequentabantur, conventuum usibus.

CAP. XIV.

Ubi Arx, Capitolium, & Templum Jovis Capitolini fuerint.

EDitissima pars montis, tametsi in duos divisa vertices, undique a Romulo muris cincta veterem urbis *Arcem* constituit, quemadmodum libro secundo exposui. Nomen illa antiquissimum a *Saturno* traxit, *Saturnia* appellata, ut est apud Varronem lib. VII. Postea a Virgine *Tarpeja* a Sabinis ibi occisa, & sepulta, denominata *Tarpeja* est, teste Plutarcho in Romulo, & Dionysio Halic. lib. II. & III. donec in eruendis templi Jovis fundamentis humano reperto capite pars illa *Capitolium* dicta est; quæ appellatio deinde toti colli communis fuit. Templum illud Tarquinius Priscus inchoavit, ex præda, seu manubiis de Apiola captis, uti Plinius tradit lib. III. cap. V. Post-

A modum nomen hoc *Arcis* aliquando uni de duobus collis fastigiis datum, quandoque vero utrique conjunctim tributum, id est toti, qua muris porticusque communitus erat, monti Capitolino: non secus ac alter ejus montis vertex proprie *Capitolium* dictus fuit, ab arce distinctus: & rursus totus aliquando collis, uti dictum, ad imas usque radices, *Capitolii* nomen obtinuit. *Arcis* nomine, quidquid substructionibus suffultum, & muris firmatum fuit, indigitatum fuisse Livius lib. V. sæpius, præcipue tamen his verbis indicat: *Magna tamen pars earum in arcem suos prosecutæ sunt:* & paulo post: *Romæ interim satis jam omnibus ut in tali re, ad tuendam* B *arcem compositis*, &c. & lib. III. de arce ab Herdonio obsessa loquens: *Confestim in arce fœda cædes eorum, qui conjurare, & simul capere arma noluerant*, &c. Servius in VIII. Æn. *Capitolium Arcem esse urbis manifestum est.* Item Dionysius lib. X. de eodem Herdonio: *Sed orta die, ut innotuit arcem captam esse, quique illam teneret* &c. Alterum vero de duobus culminibus *Arcem* dictam, alterum *Capitolium*, sexcentis e Livio locis probari possit, qui accuratissime semper *Capitolium* ab *Arce* distinguit. Sic lib. III. ait: *Exules servique, duce Ap. Herdonio Sabino, nocte Capitolium atque* C *Arcem occupavere*. Quod factum Dionysius pluribus exsecutus lib. X. clarius adhuc discrimen hoc indicat: *Capitolium* (inquit de Appio Herdonio) *occupavit, & mox inde in contiguam Capitolio arcem involavit*. Idem Livius lib. V. *Placuit cum conjugibus ac liberis juventutem militarem, senatusque robur in arcem, Capitoliumque concedere*: & postpaullo: *Si arx, Capitoliumque sedes Deorum* &c. *superfuerit imminenti ruinæ urbis* &c. & mox: *Quos in Capitolium atque in arcem prosequebantur*. Et sic sexcentis aliis locis. Apertius, ut ante, Dionysius lib. II. de Asylo: *Romulus* &c. *locum umbrosum, mediumque Capitolii & arcis elegit*. in quo consen- D tientes habet Strabonem & Victorem alibi citatos. Nec aliter A. Gellius de Vejovis templo lib. V. cap. XII. *Est autem Vejovis Romæ ædes inter arcem & Capitolium*. Tandem totum collem *Capitolii* nomine significatum ex innumeris constat locis, cum Livii, tum aliorum. Hic inter cetera lib. III. *Servos ad libertatem Ap. Herdonius ex Capitolio vocabat*: & postpaullo: *Herdonius interfectus, ita Capitolium recuperatum*. Item Plutarchus in Camillo passim, ubi Gallorum obsidium describit. Dionysius lib. X. *Circumdabantque Capitolium, benivolentiam, & promtitudinem demonstrantes: acresque ex omni parte impetus in Capitolium fiebant*. E Quæ appellationum varietas nonnullam in cognoscendis illius montis ædificiis obscuritatem parit.

Prima siquidem difficultas statim in distinguendis duobus ejus culminibus occurrit, uter horum *Capitolium* habuerit, vel *Arcem*. Fulvius enim (& sequuntur eum plurimi) partem Tiberi propiorem, cui nunc *Monti Caprino* nomen, Arci adsignat; illum vero alterum verticem, in quo nunc est *Aræ Cœli* ecclesia, Capitolio. Auctor ei hujus opinionis Ovidius lib. I. Fast. item Livius l. VII. qui ambo domum Manlii in arce collocant. Fuit autem illa, eodem Livio teste, ut & Plutarcho in F Camillo, ad saxum Tarpejum, cui & *Carmentæ* nomen fuit, quo & Galli ascendere conati sunt. Contra ea Marlianus contrarium tuetur, & Capitolium in parte Tiberi viciniore statuit, Arcem vero in colle *Aræ Cœli*.

Argumenta ejus sunt. Primo Taciti testimonium, qui lib. III. Histor. de Vitellianis loquens Capitolium adortis, *Diversos*, ait, *Capitolii aditus invadunt, juxta lucum Asyli, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur*: additque: *Vis acrior per Asylum ingruebat: ædificiaque in altum edita solum Capitolii*

æquabant, &c. ubi quum nulla *arcis* mentio fiat, verisimile Marlianus existimat, *ipsam alibi*, *quam ad Asylum*, *stetisse*, *hostesque hanc partem Capitolii*, *tamquam arce infirmiorem*, *aggressos esse*. Tum, inquit, *pars Capitolii Tiberi incumbens ipsius erat fluminis vicinitate satis munita*, *atque ædibus sacris referta*. Sed his facile occurri potest. Nam, quod ad primum attinet, dixisse sufficit, aditum ad Asylum versus Cœnobium *Aræ Cœli* fuisse, ut jam vidimus, adeoque longe ab arce remotum, ut ipse ait, quippe quam illic fuisse diximus, ubi nunc *Mons Caprinus* est. Nec quidquam eum juvat, quod Vitellianorum pars eodem tempore gradus Tarpejos tentarit, quum id facile fieri potuerit, ut eodem tempore duos diversissimos aditus invaserint. Ad secundum nil opus est quidquam reponere, quum suapte infirmitate collabatur.

Ceterum versus saxum Tarpejum arcem sitam fuisse Plutarchus in Camillo abunde ostendit, qui scriptor, quum de monte illo, aliquave ejus parte loquitur, semper vocem usurpat *Capitolii*: atque ita adrepentem per saxum Tarpejum Pontium Cominium describens, quod Theatro Marcelli objectum fuit, addit: *& eos, quibus custodia arcis demandata erat*, *magno labore per locum vacuum petit*. Ubi non de tota arce loquitur, verum de ea tantum parte, quæ peculiariter *Arx* appellata fuit. Tum vero & Livius, quem tam diligenter semper *Capitolium* ab *Arce* distinguere paulo ante dixi, ubi de domo Manlii loquitur, lib. VII. *Locus*, inquit, *in arce destinatus*, *qui area ædium M. Manlii fuerat*. Quæ verba aliter accipi nequeunt, quam stricta sui significatione; idque eo magis, quia Livius illic de *æde Monetæ* agit, in ipsa area domus Manlii ædificata; quam tamen Ovidius *Arce in summa* fuisse dicit, nempe prope rupem Tarpejam. Tandem munitissima hæc pars Capitolini montis fuit, ob confragosam & horrendam rupem Tarpejam, quæ tota usque in fundum præceps a porta Carmentali assurgebat: unde huic potius, quam illi alteri parti *Arcis* nomen conveniebat.

Famigeratissimum illud *Jovis Capitolini* Opt. Max. *templum* utro in vertice fuerit, magis adhuc dubitatur. Marlianus non in arce, sed in opposito fastigio situm fuisse asserit, id est, ut ipse statuit, prope rupem Tarpejam. Fulvius & Donatus in Arce fuisse dicunt, ideoque prope saxum Tarpejum, ubi & arcem fuisse concedunt.

Hanc sententiam ut tueatur, Donatus hæc adfert: ac primo locum Taciti supra adductum, ubi Vitelliani per aditum versus Asylum ascendentes vicina tecta, ignemque inde jacientes, templum incendisse referuntur. Hunc aditum ad Asylum ait fuisse, ubi nunc *Palatium* est *Conservatorum*: atque hinc ea in parte templum Jovis Cap. fuisse concludit.

Dein & anseres allegat, quorum clangor ac strepitus Gallos arcem per rupem Tarpejam subeuntes detexit. Hos Livius Junoni sacros fuisse dicit: Plutarchus autem in Camillo ait: *quæ ad ædem Junonis alebantur*. Templum autem Junonis pars templi Capitolini Jovis fuit.

Tertio Manlium adducit primum Arcis defensorem, qui ut anseribus vicinus, ita vicinus quoque fuit templo Jovis. Hinc Virgilius lib. VIII. Æn.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, *& Capitolia alta tenebat*.

Quarto testem advocat Plutarchum in Romulo: *Ceterum a Tarpeja illic sepulta collis ille vocatus Tarpejus fuit, donec locum eum Tarquinius Rex consecravit: quo tempore ossa ejus alio fuere delata*, *nomenque*

A *exolevit Tarpejæ*, *excepto saxo*, *quod vocant etiamnunc Tarpejum*: subjicitque: *Si templum Jovis*, *ubi condita fuerunt Tarpejæ ossa*, *consecratum est*, *iisque exportatis nihilominus rupes Tarpejæ nomen retinuit*, *argumento est rupem fuisse*, *ubi & postea templum*.

Quinto Poetarum utitur auctoritatibus, qui templum illud rupi Tarpejæ adscribunt. In his Silius lib. III.

Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,
Et junget nostro templorum culmina cœlo;

Et:

B *Ipse e Tarpejo sublimis culmine cuncta*,
Et ventos simul, *& nubes*, *& grandinis iras*,
Fulminaque, *& tonitrus*, *& ventos conciet atros*.

Propertius eleg. I. lib. IV.

Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat.

Prudentius contra Symmachum:

Jamque ruit paucis Tarpeja in rupe relictis,
Atque ad Apostolicos Evandria Curia fontes
Æneadum suboles.

Claudius in VI. Conf. Honorii:

C —— *juvat intra tecta Tonantis*
Cernere Tarpeja pendentes rupe gigantes.

Sexto alios quoque citat Poetas, in arce templum illud fuisse indicantes. Ex his Lucretius lib. IV.

Romulidarum arcis servator candidus anser.

Virgilius lib. VIII. Æn.

In summo erectus Tarpejæ Manlius arcis.

Silius lib. II.

Tarpejos iterum scopulos, *prærupt aque saxa*
Scandatis licet, *& celsam migretis in arcem*.

Propertius lib. IV. eleg. IV.

Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
D *Vulnera vicino non patienda Jovi*.

Ovid. lib. III. Metamorph.

Quique tenet altas Tarpejus Juppiter arces.

& I. Fastor.

Juppiter arce sua totum cum spectet in orbem.

Septimo & ultimo constructionem templi adducit a Dionysio lib. III. enarratam: *Huic templo Jovis Tarquinius Rex quintus sedem cum designasset tumulo*, *qui difficili aditu erat*, *nec in summo planus*, *sed præruptus*, *& fastigiatus*, *multis ex partibus amplexus est eum multis substructionibus*, *inter quas & verticem congesto aggere planam effecit aream*, *ad accipiendam sacram ædem aptissimam*. Ubi Donatus
E prærupta illius rupis saxa videre sibi descripta videtur. Quæ sane argumenta plena ingenii sunt, & tanti viri eruditione dignissima.

Nihilominus multum apud me semper valuit *Capitolii* nomen vertici *Aræ Cœli* peculiariter tributum, ad illius alterius distinctionem, cui vetus arcis nomen remansit: adeo ut omnia mihi argumenta contrarium affirmantia valde debilia & infirma videantur. Res enim absurdissima fuisset, ut nomen, quod a capite in fundamentis templi Jovis reperto ortum fuit, peculiare partis templo oppositæ nomen exstitisset. Quin potius strictiore mihi significatione ipsi Jovis templo dandum videtur: præsertim cum
F Camillus apud Livium l. V. hæc ad plebem dicens: *Hic cum augurato liberaretur Capitolium*, *Juventas Terminusque maximo gaudio Patrum nostrorum moveri se non passi*: de liberatione alia non loquatur, quam situs templi. Et cum ipse Livius lib. III. post Herdonii cædem, *in quo conflictu multi exulum cæde sua fœdavere templum*; mox subjungat: *Capitolium lustratum atque purgatum*: ubi de nulla alia, quam de templi purgatione loqui videri potest. Sic & Tacitus lib. III. Hist. quum ait, *Capitolium conflagravit*. & Sallustius de bello Catilinario: *ab incenso Capitolio illum esse trigesimum annum*: (ut omittam sexcentos

alios) Capitolium de solo templo acceperunt. Id ipsum & D. Augustinus firmare videtur lib. IV. de Civ. Dei cap. IX. *Ipsum enim Deorum omnium, Dearumque Regem esse volunt: hoc enim indicat sceptrum; hoc in alto colle Capitolium.*

Nec minoris efficaciæ argumentum est, quod ab antiquo nomine *Tarpejæ* Donatus e Plutarcho petit. Cessit hoc alteri nomini *Capitolii*, & soli rupi adhæsit Tarpejæ: unde satis clare patet, partem collis, in quo vetus nomen remansit, altera remotiorem fuisse, cui caput humanum inventum aliud nomen dedit. Forsitan & ossa Tarpejæ virginis, quæ Plutarchos alio translata dicit, e loco templi in alterum verticem prope rupem delata sunt, quæ forte hinc nomen illud accepit.

Nec minus lucis aditus Asyli Donato nobisque suppeditat. Certum enim est eum prope templum Jovis fuisse; sicut hoc Donatus e Tacito probat: & quod non longe illum ab hodierno ascensu prope hortos *Aræ Cœli* abfuisse supra demonstratum sit, necessario consequitur, templum quoque Jovis Capitolini proxime cœnobium illud situm fuisse.

Verum nullum certius mihi argumentum occurrit, quam quod e Dionysii lib. III. ad manum est: quo nescio quo pacto in sententiæ suæ patrocinium Donatus uti velit. Dionysius enim verticem Capitolinum, in quo Capitolini Jovis templum a Tarquinio factum est, in medio altius fuisse ait, quam in extremitatibus, idque a Tarquinio substructionibus exaggeratis exæquatum: quod si verum est, quemadmodum id Dionysius lib. IV. exacte repetit, templum sane in arce esse non potuit: ubi rupes Tarpeja, in qua Donatus templum in alta crepidine positum fuisse dicit, substructiones nullas habuit, sed præruptum editumque tantum a terra saxum fuit. Sequitur igitur templum Capitolinum in altero vertice fuisse, per substructiones & exaggerationes exæquato. Obscura Dionysii verba non parum Livius lib. I. adjuvat: *Augebatur ad expensas Regis animus. Itaque Pometianæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi destinatæ erant, vix in fundamenta suppeditavere.*

Tandem, si templum *in alta crepidine* &c. constructum in meridiem spectavit, ut Dionysius ait lib. IV. id est, versus montem Aventinum, qui ex australi Capitolii parte recta prospicitur: & si in vertice arcis positum fuit, totum sane ejus posticum Intermontio obversum fuerit necesse est, per quod triumphantes ascendebant: nec in edito collis supercilio, nisi parte sui anteriore, existere potuerit: quare ante se nec areæ, nec vestibulo aptum & conveniens habuerit oportet spatium. Quæ quidem absurditates omnem veri tollunt similitudinem: quum contra ea, si ei collis *Aræ Cœli* attribuatur, templum Jovis ad meridiem loco opportuno, & fronte in aditum obversa constitutum fuisse videbitur; per quem ex Intermontio conscendebatur; latere vero sinistro supercilium illud texisse, quod substructionibus sustentatum *Clivo Marforii* imminebat.

Ceterum Donati singulis argumentis facile aliquid reponi potest, ingeniosis licet, & eruditis. Ac primum quidem de aditu Asyli Tarpejæ arci vicino contrarium hinc elici jam ostensum est.

Secundum de anseribus Junoni sacris, & in ejus templo altis, valde invalidum videbitur, si templum quidem Junonis in arce fuisse concedatur, at hoc sacellum, sive cellam illam fuisse, quam in templo Jovis habuit, negetur; quum id omnino & veritati & decoro repugnet. Certe, quum Capitolium *omnium Deorum domicilium* appellatum sit, non video qua necessitate adducti Junoni aliud nullum fuisse templum & nonnisi aliquod in aliena æde sacellum statuamus: tum vero tantillum loci sacri, quod majestati tanti numinis dicatum erat, anserum spurcitie fuisse inquinatum, iisque pro stabulo fuisse, quis hoc queat credere? quod si vero aliud Junonis ignotum in Capitolio fuisse templum alicui minus probabile videatur, (tametsi a veri similitudine ea res non abhorret) quærendo forsan illud reperietur. Neque vero, cum hoc dico, in templum *Junonis Monetæ* digitum intendo: quod post obsidium Gallicum factum est, in quo Romanos postea ad grati animi significationem anseres aluisse non tantus affirmantium error sit, quantus ille Plutarchi fuit, ante illud obsidium ibidem pastos fuisse dicentis: verum in *Curiam Calabram*. In hac enim primis Romæ temporibus Senatum convenisse, Servius in VIII. Æn. auctor est: in eaque de Pontificibus aliquis singulis mensium Kalendis Nonas lunares publicabat: & hic *templum* eam fuisse consequitur. At cujus numinis? Varro hoc docebit lib. V. e formula publicationis Nonarum: *Quinque Kalo Juno novella: Septem Kalo Juno novella*. Ergo *Curia Calabra* templum Lunæ *Junonis* fuit: in quo minor Pontifex singulis Kalendis, teste Macrobio l. I. Saturnal. cap. XV. Junoni, hinc *Kalendari* dictæ, sacra faciebat: & ut *annus Jovi sacer*, ita & *Junoni menses* dicati fuere. Quin & Lunam *Junonem*, & quidem *Junonem Lucinam* apud Romanos a parturientibus invocatam fuisse, Plutarchus problem. LXXVII. exponit. In hujus autem templi seu Curiæ Calabræ parte aliqua, huic rei adaptata, anseres (alitem non minus aquatilem, quam terrestrem, adeoque ob humiditatem lunari dominio subjectum) altos fuisse, minus absurdum sit existimare, quam in primario quodam templi Jovis Capitolini sacello.

Tertium quod attinet, de Manlio arcis defensore, templique Jovis, ne hoc quidem difficile refutatu est: siquidem Virgilii hæc verba, *stabat pro templo*, commodam obviamque admittunt interpretationem, Manlium nempe templi velut clypeum & munimentum fuisse, vicini quidem, at non ita, ut in eodem fuerit vertice. Arx scilicet tota, utrumque latiore significatu verticem complexa, a Gallis obsessa a Manlio ceterisque custodiebatur: in qua præcipuum fuit templum Jovis; atque ita quum, *stabat pro templo*, Virgilius de Manlio dicit, addit etiam e vestigio, *Capitolia celsa tenebat*. Quo's utrumque Capitolii verticem æqualiter defensum expressit.

Quartum de Virgine *Tarpeja* obstare mihi magis Donato, quam prodesse videtur. Nam sic *Tarpejæ* nomen vertici potius *Aræ Cœli*, quam illi alteri *Conservatorum*, relictum fuisset; si in hoc caput humanum inventum novi nominis caussa exstitisset; in illum vero virginis Tarpejæ ossa translata forent.

Poetarum testimonia, quæ pro quinto sunt argumento, tametsi illa templum prope rupem Tarpejam statuere videntur, poetice primum, & laxiore significatu, explicari possunt, per rupem Tarpejam totum saxum, substructionibus undique præceps, esse denotatum; ut, cum alius dixit *Capitoli immobile saxum*: in eo *aurea Capitolia* fuisse, simpliciter & stricte sumto vocabulo, dici nequeunt: verum in toto monte bicipite Jovis Capitolini fuisse templum auratum, cum minoribus aliis, forsan & ipsis auro exornatis. Quum vero *nuda de rupe tonabat* Capitolinus Juppiter, non partem tantum sine dubio montis, sed totum concutiebat, in cujus vertice templum ejus eminebat: de quo Cicero in Orat. antequam iret in exilium: *Nunc ego, si Juppiter Opt. Max. Juno, Minerva, ceterique Dii, Deæque immortales, qui ex-*

cellenti tumulo civitatis sedem Capitolii in saxo incolitis constitutam. Et Virgilius lib. VII. rupem Tarpejam a Capitolio distinguens ait:

Hinc ad Tarpejam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, primum silvestribus obsita dumis.

Et, si hujusmodi libuerit locutiones poeticas investigare, sexcentæ reperientur: quibus tamen nihil firmi solidique superinstrui potest. Claudiani vero gigantes, *de rupe pendentes*, fabulari licentia, sensuque laxissimo interpretandi sunt, & hinc omnino nil efficiunt.

B Cetera Poetarum loca, Jovis templum in arce Capitolina collocantia, jam ante satis superque confutata sunt dicendo, *arcis* vocabulum a Poetis non tantum, sed & ab Historicis, toti monti dari: id quod & Donatus ipse lib. II. cap. I. indicavit. Nec aliud ipsa statim Poetarum verba significant. Lucretius enim, Virgilius, Silius, &c. de Arce a Gallis obsessa agunt, & a Manlio defensa: ergo de toto colle. Ovidius autem plurali numero *altas arces* dicendo utrumque verticem adhuc apertius denotare videtur: verbo vero *tenes* certissime totum, qua muris ambiebatur, collem a Jove defendi dicit. Tum & in Fastis, quum Jovem ait *arce sua totum spectare in orbem*, sine dubio de toto fastigio montis loquitur. Tandem, quum Propertius virginem Tarpejam saxo sive arci insidentem, plangentemque fingit, neminem puto fore qui id de altero duorum culminum sit intellecturus potius, quam de toto monte: verum etiamsi id faciat, cum vicinum Jovem arci dicat, extra eam fuisse, licet non longe remotum, ipsa docet dictatque ratio.

C Ad septimum, quod Dionysius suggesserat, vix operæ pretium est ut quid regeratur: cum descriptio collis Tarpeii a scriptore illo facta, quo pacto substructionibus munitus, & aggerata terra exæquatus sit, veteri rupi Tarpejæ nequaquam conveniat.

Hæc tamen omnia illustrandi argumenti potius quam disceptandi allata, judicio arbitrioque uniuscujusque discutienda, probandaque, permitto.

CAP. XV.

Descriptio Templi.

D Magnitudinem, formamque Templi Rycquius & post illum Donatus perspicue satis descripsere, duce in hoc usi Dionysio, qui lib. IV. *Exstructum autem est*, inquit, *super crepidine firmatum alta, octo jugerum circuitu, ducentorum ferme pedum unumquodque latus habens, pari propemodum longitudine, atque latitudine, vix quidem quindecim pedum differentia*. Octo vero jugerum circuitus exacte e Plinio l. XVIII. cap. III. & Varrone lib. *de Re Rust.* cap. X. computatus (qui jugerum duos esse actus quadratos conjunctos dicunt, pedes ducentos in longitudinem, & centum viginti in latitudinem) efficit pedes MCMXX. quod spatium multo majus est, quam quod mox apud eundem sequitur, CC. ped. in longitudinem & CLXXXXV. in latitudinem: qui ambitus tantum DCCLXX. pedes continuerit. Sed litandum veritati est. Dionysius Græce loquens vocem πλέθρον usurpat, quam Latini interpretes male voce *jugerum* explicant; quum *plethrum* tantum centum pedum sit: quod Donatus etiam de Tiberis agens latitudine observavit, & ego etiam postea ostensurus sum. Spatium igitur templi ὀκτάπλεθρον, sive *octo plethrorum*, octingentos tantum pedes conficit circuitus, qui per vocem *quasi* a Dionysio additam perquam bene cum septin-


A gentis septuaginta consentiunt. His si graduum addideris spatium, exactissime numerus conveniet. Jam nunc igitur laterum nobis singulorum longitudo facile invenietur. CC. pedes, (uti Donatus computat, & ego *in Dissertatione de Veiis* exposui) viginti sex faciunt nostrates perticas, seu cannas, palmos sex, & uncias octo. Latitudo quindecim pedibus, i. e. duabus perticis, minor viginti quatuor cannas explet, atque itidem palmos sex, & uncias octo. Formam deinde Templi Dionysius describere orsus, *Frons ejus*, ait, *meridiem spectat. Porticum habet cum triplici ordine columnarum. In lateribus ordo duplex est. Tres ædes pares communibus in lateribus: media Jovis; hinc & inde Junonis & Minervæ, sub eodem tecto & pinnaculo*. Triplex igitur ejus in fronte porticus ordo columnarum fuit: uti hodieque in Pantheo visitur: in lateribus duplex: sic ut sub his ab aeris injuria liberis esse liceret, idque ab tribus templi lateribus. Spatium vero earum perquam laxum fuit; nam sub porticibus hisce, ut Zonaras lib. II. Annal. ait, cœnæ dabantur triumphales; de quibus fuse Bullengerus *libro de Triumphis*.

Quæ vero porticuum, & quæ ipsius templi fuerit amplitudo, certo affirmari non potest. Veruntamen in dubiis atque obscuris conjecturæ & locus, & venia est. Quare inanibus figmentis sepositis videamus, an aliquid verisimile adferre queamus. Differentiam quindecim pedum, sive nostratium perticarum duarum, inter longitudinem & latitudinem a porticibus ortam puto, quæ lateribus additæ fuerunt. Duplicem habebant illæ columnarum ordinem; frontis autem porticus triplicem. Unius igitur ordinis spatium valdequam convenit spatio quindecim pedum, quo frons illa laterum porticus superabat. Ergo ut ex ungue leonem, quum columnarum intervalla absque dubio paria fuerint, tres earum ordines conficient XLV. pedes, queis summæ toti longitudinis detractis, templum ipsum longum fuisse consequitur pedes CLV. & detractis pedibus XXX. latitudinis ab utroque latere, latum pedes CXXV.

E In Templo tres cellæ, seu delubra fuerunt, *Jovis*, *Junonis*, & *Minervæ*: quæ cum, teste Dionysio, eodem fuerint tecto comprehensæ, in fronte quoque illas pari filo extremo communi parieti conjunctas fuisse probabile est, non admodum diversa facie ab tribus illis arcubus, qui hodieque in diruto Pacis templo superstites visuntur. Has aliquis ab anteriore pariete disjunctas fuisse arbitratur, & introrsum reductas: verum præter Dionysium, apud quem disertim *tres ædes pares communibus* esse dicuntur *in lateribus*, (qui lateres non cujusque ædis tantum communes fuisse, sed & totius templi, planiore sensu accipiendi sunt) Livius lib. VI. murum exteriorem Minervæ fuisse exponit, ubi de clavo agit qui quotannis templo extrinsecus infigi solitus: *Clavus fixus fuit dextro latere ædis Jovis Opt. Max. ex parte, qua Minervæ templum est. Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt; eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit*.

F Quum vero Suetonius in Cæs. cap. LXXXIV. referat, partem populi voluisse, ut corpus ejus in cella Jovis cremaretur, amplitudinem sane ejus tantam fuisse liquet, ut altero pariete transverso non potuerit esse coarctata. Quare Lipsio hic lubens accedam, cellas eas tergum & latera cum pariete templi communia habuisse existimanti. Ædes hasce pares Dionysius dicit, at non exprimit, utrum situ, eademque linea, seu serie pares fuerint, in magnitudine. Alias non absurdum sit arbitrari, Jovis cellam reliquis duabus fuisse ampliorem. Sed in re dubia nil certi pronun-

tiandum. Quod si pares spatio fuere, cum cunctarum spatium fuerit ped. CXXV. singulæ, dectratis quatuor muris, latitudinem obtinuere pedum circiter XXXVII. Si longitudinem nosse voluerimus, proportio hic Arithmeticæ symmetriæ observanda erit, & considerandum a tergo templi nullam (ut contra ad latera duplex erat) fuisse porticum. Nam, ubi de tribus porticibus Dionysius agit, de quarto latere seu tergo silet, & statim de tribus ædibus paribus loquitur: quæ forte intus tantum occupavere spatium longitudinis templi, quantum porticus laterales, id est, triginta pedes, seu quatuor perticas nostrates: atque ita convenienti proportione in his observata, templi quod reliquum fuit quadratum remansit, & in medio. Unaquæque scilicet ædes suum sibi habebat vestibulum. Ita enim Dionysius lib. III. *Nunc altera est in vestibulo Minervæ, altera in ipso delubro prope marginem, seu murum*: quæ *vestibula* in templo cancellis sejuncta crediderim: nisi potius locus ipse ante templum *vestibuli* nomine denotatus fuit: ne intus in templo aliæ porticus fingantur singulis ædibus, sive cellis prætentæ, uti nonnulli voluerunt. Reliquum templi, quod quadratum forsan fuerit quindecim perticarum, sive pedum circiter CXII. quaquaversum, aut paulo minus, murorum demta crassitie, vel instar magni atrii, vacuum fuit, & trabibus suspensum habens tectum, vel si nimis amplum id spatium videatur, quam ut tantæ longitudinis trabes inveniri possent, (cujusmodi tamen unam Plinius miraculi causa Romæ principatu Tiberii visam refert l. XVI. c. IV.) columnis in testudines divisum fuit: cujus rei veteres Christianorum basilicas indicium facere supra diximus, ubi *de atriis* veterum sermo fuit, quorum eadem ferme ratio fuit. Certe credibile omnino est, primis illis urbis temporibus, in plerisque omnibus ingentibus ædificiis, tam publicis, quam privatis, ut nimis sumtuosæ, molestæque vitarentur concamerationes, columnas fuisse interpositas, quæ opere testudinato illa sustinerent. Quæ cuncta ut magis perspicua essent, ichnographiam Capitolini Jovis Templi hic subjicere visum est.




Templum hoc ita columnis exornatum, incendioque absumtum, Sylla restituit, columnasque e Grecia e Jovis Olympii templo petitas, ut Plinius

A lib. XXXVI. cap. VI. memoriæ prodidit, ad ornatum huic addidit: post cujus mortem a Catulo dedicatum fuit; ejusque nomen operi inscriptum, ut est apud Plutarchum in Poplicola. Rursus Vitellianorum oppugnatione incensum, a Vespasiano redintegratum, tertia vice conflagravit Titi principatu. Unde Domitianus arrepta sibi laudis occasione magnificentius illud refecit, & e Græcia multo majoris pretii columnas petiit, ut est apud eundem Plutarchum eodem libro; ubi de earum symmetria ita loquitur: *Columnæ Templi ejus ex Pentelico lapide excisæ sunt: crassitudinem habent optime longitudini congruentem. Vidimus quidem ipsas olim*

B *Athenis: sed rursus Romæ extenuatæ, & politæ, non tantum ex sculptura ornatus acceperunt, quantum mensurarum convenientiæ amiserunt, cum suo decore & specie vacuæ atque exinanitæ appareant.* Has easdem esse, quæ in Ecclesia *Aræ Cœli* conspiciuntur, valde verisimile est; cum Christiani veteres, ut sumtus vitarent, & laborem advehendorum marmorum, marmoribus, & præsertim columnis usi sint in proximo inventis. Huc autem in tantam columnas alias advehere loci altitudinem operosum nimis fuisset; unde & hic veterem illorum consuetudinem valuisse existimem.

C Cellas hasce sub eodem tecto & pinaculo fuisse Dionysius dicit: verum singulas suum habuisse fastigium & frontispicium Livius innuere videtur lib. V. decad. IV. *De mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Jovis supra fastigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata.* Nihilominus hi duo mihi magis consentire, quam dissentire videntur. Livius enim quadrigas non supra cellam, sed *in cella Jovis* positas ait; a qua *ædiculam* diversam fuisse indicat: quæ aliud quid esse non potuit quam armarium, in quo statua Jovis culta sit; supra quod quadrigæ inauratæ positæ fuere simul cum clypeis. Ædicula hæc quatuor columnis

D suffulta perquam similis fuit iis, quæ in antiquis Christianorum Basilicis conspiciuntur, in quibus Altaria majora constituta sunt. Exemplum ejus hoc a Donato affertur lib. II. cap. X. in quo simulacrum Jovis sedens conspicitur.



E Cellas has non patuisse, ut plerasque hujus temporis, sed januis, vel minimum cancellis clausas fuisse, ex A. Gellio liquet, ubi lib. VII. cap. I. Scipionem dicit, *solitavisse noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare, ac jubere aperiri cellam Jovis, atque ibi solum diu demorari* &c.

Statua Jovis *habitu sedentis* fuit, dextra pro sceptro hastam, sinistra fulmen tenentis. Ita enim in nummo exhibetur. De fulmine Ovidius lib. I. Fa-

F stor. sed in dextra, quippe velut usuri, ait:

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Sed Suetonius cap. XCIV. in Augusto somnium Catuli referens de signo reip. in manu Jovis loquitur: *Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus unum secrevisse, atque in ejus sinum signum reip. quod manu gestaret, reposuisse.* Hinc Donatus non absurde conjicit, quandoque ei fulmen, quandoque signum reip. in manus datum. Nisi potius Syllam existimandum est post incensum, restitutum-

ſtitutumque Capitolium, pro fulmine minarum indice ſignum illud reip. dextræ impoſuiſſe, ſymbolum eximiæ pro rep. & urbe curæ ac tutelæ.

Fuiſſe ſtatuam eam *fictilem* ex Ovidio vidimus: *miniari* autem ſolitam Plinius lib. XXXV. cap. XII. docet: *Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priſcus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilem tum fuiſſe, & ideo miniari ſolitam.* Poſtea ex *auro* factam, ſcilicet ſub Trajano, Martialis indicat lib. XI.

Sculptus es æterno nunc primum Juppiter auro.

Qua vero materia medio tempore fuerit, dubitatur. Rycquius veri potius ſimilitudine, quam certa notitia, judicat poſt Aſiam devictam ex *ebore* fuiſſe, ad exemplum Jovis Olympii: ætate vero Trajani ex *auro*. Donatus poſt reſtitutionem Capitolii a Sylla ſemper *auream* fuiſſe cenſet: quod Catulus jam tum tegulas inauraverit, & mos inaurandi ſtatuas jam invaluerit: ſicut, cum reficienda nova eſſet ſtatua, Catulus & hanc inaurari juſſerit. Verſum autem Martialis ait non novitatem reſpicere, ſed immortalitatem, ac ſi hic Juppiter æternum duraturus eſſet, ceteris, etiamſi ex auro, brevi abſumtis. Optime quidem ille & erudite hæc expoſuit: verum addere illis liceat, Martialem hic de nova ſtatua agere ex auro ſolido. Hoc enim vox *ſculptus* indicat. Ceteræ enim ante hanc tantum inauratæ fuere, adeoque nec æternæ, quemadmodum aurum ſolidum eſt, quod nec flammis, nec tempore vincitur. Ex *auro* deinceps uſque ad Maximini principatum fuiſſe Acta S. Marciani docent. *In Capitolio intra templum, in quo ſimulacrum aureum erat.* Utrum vero ante Syllæ & Catuli ætatem ſemper ex argilla fictilis fuerit, de omni illud temporis ſpatio affirmare minime auſim; quum mihi potius contrarium verum videatur: & ſi aliquando poſt illam veteris ævi ſimplicitatem redintegrata, aut nova facta fuerit, e marmore, vel ex ære fuiſſe crediderim, præſertim poſt devictam Aſiam. Videor enim id e Plinio colligere poſſe lib. XXXVII. cap. VII. *Mirum mihi videtur, cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potius, aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata uſque ad devictam Aſiam, unde luxuria.*

Coronam Jovis ex auro fuiſſe, quercinam referentem, Rycquius annotat ex tribus hiſce Plauti verſibus in Trinummo:

Nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer
Jovi coronam de capite e Capitolio,
Quod in culmine adſtat ſummo.

Quibuſcum conveniunt illa Tertulliani de Corona Militis: *Hoc vocabulum eſt coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem inſignes ad deducendas Thenſas cum palmatis togis ſumunt.* Verum Tertullianus quercum Jovi ſacram tantummodo indicare volens, non dicit Jovem coronam quercinam habuiſſe in Capitolio: & ego e Suetonio radiatam fuiſſe aſſero. Ita enim ille in Auguſto cap XCIV. ſomnium Octavii patris Auguſti exponens ait: *Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis Opt. Max. ac radiata corona*, &c. Quem fortaſſe æmulatus Nero coronam radiatam coloſſo ſuo impoſuit.

Toga ſolitam veſtiri *triumphali* Donatus docet: & hinc factum, ut triumphantes, ita veſtiti, exuvias & ornamenta Jovis geſtare dicerentur; ſive, ut Suetonius inquit, *Jovis tunicam, & exuvias deorum*. Adducit & Lampridium in Alexandro dicentem: *Prætextam, & pictam togam, numquam niſi Conſul accepit: & eam quidem, quam de Jovis templo ſumtam alii quoque accipiebant aut Prætores,*

A *aut Conſules: quamquam Gordianus ſenior primus Romanorum privatus ſuam habuerit propriam; quum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Verum ſi Conſules, Prætores, & Imperatores omnes eam veſtem de ſtatua Jovis acceperunt, quot quidem quæſo bonus ille Juppiter togis indutus fuit? Quare eam ex armario aliquo depromtam crederem, quod in hunc uſum in templo fuerit, niſi Vopiſcus expreſſis verbis de ſtatua ſumi ſolitam diceret. Ita enim ille in Probo: *Appellatuſque Imperator ornandus etiam pallio purpureo, quod de ſtatua templi ablatum eſt.* Inter ceteras veſtes purpureas illam quoque fuiſſe in eodem templo aſſer- B vatam, quæ ab Rege Perſarum Aureliano miſſa ceterarum omnium purpurearum veſtium colorem fulgore ſuo præſtinguebat, idem Vopiſcus in Aureliano tradit: *Meminiſtis enim fuiſſe in templo Jovis Opt. Max. pallium breve purpureum laneſtre, ad quod cum matronæ, atque ipſe Aurelianus, jungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari videbantur ceteræ, divini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex Perſarum ab Indis interioribus Aureliano dediſſe perhibetur, ſcribens; ſume purpuram, qualis apud nos eſt.*

In ara Jovis tempore belli Perſici *palmam* enatam, quæ impudica Valerii Meſſallæ & Caſſii Lon- C gini cenſura collapſa in terram fuerit, Feſtus auctor eſt: *Nam palmam, quæ in Capitolio in ara ipſa Jovis Opt. Max. bello Perſico nata fuerat, hinc proſtratam ferunt, & ibi enatam ficum, infameſque rurſus fecit, qui ſine ullo pudicitiæ reſpectu fuerant Cenſores.* In Cella vero ipſius Jovis *imaginem Scipionis Africani* fuiſſe, e Valerio Maximo diſcimus, qui lib. VIII. cap. XV. ait: *Imaginem in Cella Jovis Opt. Max. poſitam habet: quæ, quotieſcunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſt, inde petitur, unique illi inſtar Atrii Capitolium eſt.*

Ad Cellæ Jovis latus dextrum *Cella Minervæ* fuit. Ita ſupra adductus Livius: *Clavus fixus fuit* D *in dextero latere ædis Jovis Opt. Max. ea parte, qua Minervæ templum eſt.* In ea *ara Juventus* fuit: extra vero ad limen *ara Dei Termini*: qui duo Dii cedere Jovi noluere, quum templum a Tarquinio Priſco augurato caperetur, Diique omnes, qui in eo tumulo erant, evocarentur, & cederent. Ergo utrumque numen hoc templo incluſum fuit, teſtibus Dionyſio lib. VI. & Livio lib. I. & VI. &c. Deus hic *Terminus* nonniſi informis lapis erat, a Tatio, ut Varro ait, conſecratus: ut autem Dionyſius tradit, a Numa: qui quod ſub dio coli ſolitus fuerat, tectum aliqua parte aperiendum fuit, *ut libero cœlo frueretur*, inquit Lactantius lib. I. E Inſtitut. Hinc & Ovidius lib. II. Faſtor.

Nunc quoque ſe ſupra, ne quid niſi ſidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.

Utriuſque aræ ſitum exacte Dionyſius deſcribit lib. III. *Ec nunc quidem altera eſt in Pronao Minervæ, altera in ipſo delubro prope murum.* Unde de Tabula Proſerpinæ Plinius lib. XXXV. cap. X. *Proſerpinæ tabula fuit in Capitolio in Minervæ delubro ſupra ædiculam Juventutis.* Ubi *ædicula*, ut ſupra de *Jovis ædicula* dixi, non ſacellum, vel cella eſt, ſed ar- F marium, quod vulgo *Ciborium* appellatur; quumque ara Juventutis ad murum fuerit, ædicula ejus forte loculus fuit, aut aliud quid ornatum columnis, epiſtyliis, coronis, & frontiſpicio, cujuſmodi in altaribus hujus memoriæ videntur, & apud veteres quoque in uſu fuiſſe in Pantheo agnoſcitur. Deo Termino Panvinius *ædiculam* quoque tribuit. Verum quum is Deus cœlo libero frui voluerit, vix mihi illic aliud quid niſi aram habuiſſe videtur. Ante eandem cellam tres fuere ſtatuæ in genua ſubmiſſæ, qui *Dii nixi* appellati. Feſtus: *Nixi Dii appel-*

lantur tria signa in Capitolio ante Cellam Minervæ genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus, quæ tria sunt, quæ memoriæ prodiderint Antiocho Syriæ Rege superato M. Acilium subtracta populo Romano adportasse, atque ubi sunt, posuisse. Etiam, qui capta Corintho advecta huc, quæ ibi subjecta fuerint mensæ. Sic & mensarum pedes a Romanis pro diis culti fuerunt. Lacunaria templum hoc inaurata habuisse Plinius docet lib. XXXIII. cap. III. *Lacunaria, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio*. Fuit ibidem & cella aliqua subterranea, in qua libri Sibyllæ Cumanæ in arca lapidea, sub custodia *Xvirorum sacris faciundis*, usque ad Olympiadem CLIII. asservati fuerunt, qua & ipsi, cum templum conflagraret, incendio periere: ut est apud Dionys. lib. IV.

Divitiæ hujus templi tantæ fuerunt, ut omnem ferme fidem superent. Infinita enim in eo vis fuit statuarum e marmore, & omnis generis metallo, tabularum exquisitissimarum, scutorum, spoliorum hostilium, tropæorum, signorum militarium, gemmarum, auri tam summa arte elaborati, quam rudis, a Triumphantibus, Magistratibus, Imperatoribus, Regibus, & populis externis ex voto, vel dono, vel mulcta, oblatis, & consecratis. Explicant has copiosissime Marlianus, Lipsius Rycquius, Donatus, alique; quos describere non vacat. Inter statuas una *Victoriæ ex auro* in templo Jovis fuisse legitur apud Victorem: *Victoriæ aureæ statua in templo Jovis Opt. Max*. Quæ sine dubio illa trecentarum librarum fuit, Hieronis Regis Siciliæ donum, de qua Livius lib. II. decad. III. de *Tabulis æneis* templo, vel porticibus, affixis superius actum est, quum de *Tabulario* sermo fuit. Ingens earum numerus a Suetonio traditur lib. VIII. in Vespas. *Tria millia ærearum tabularum, quæ simul cum Templo conflagraverant, restituenda suscepit*. Præter illas Tabulas Fl. Josephus lib. XIV. Antiq. Jud. cap. XVII. *columnarum ærearum* meminit, queis incisæ leges fœderis cum Judæis initi: *Quando enim tam manifesta argumenta exhibuimus nostræ cum P. R. amicitiæ, ostensis æneis columnis, & tabulis in Capitolio usque nunc durantibus*. Nisi forte per *columnas* bases, vel pilas intellexerit, quibus tabulæ ille commodius imponi potuere. De *Pavimento* hæc Plinii verba sunt lib. XXXVI. c. XXV. *Romæ scalpturatum in Jovis Capitolini æde primum factum est, post tertium Punicum bellum initum*.

Fastigium ejus, cujus multi Scriptores meminere, culmen frontispicii fuit, inventum in antiquis templis Necessitatis, ut tectum duplici latere declive ac pectinatum esset, ad demittendam pluviam, e planitie, in qua tænia extremum murum seu parietem circuibat, circumdabatve, in speciem trianguli assurgens: quo præter illud delabentis pluviæ commodum decor ipsi conciliabatur ædificio. Nec vana & imaginaria hæc observatio est; siquidem Cicero lib. III. de Oratore explicat: *Capitolii*, inquit, *fastigium illud, & ceterarum ædium non venustas, sed necessitas fabricata est. Nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua dilaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est: ut etiamsi in cœlo Capitolium statueretur, ubi imber esse non possit, nullam sine fastigio dignitatem habiturum esse videatur*. Hinc & hodie in sacellis, quæ sub tecto templi construuntur, architectura fastigia requirit, fabricatque, quæ tamen ita variat, & mille elegantiarum, antepegmentorum, bullarum, volutarum, zophororum, &c. generibus exornat, ut memoriæ nostræ artifices inventionum elegantium fœcunditate antiquis vel pares, vel certe non inferiores esse facile liqueat.

Inter externa templi ornamenta *Quadrigæ* numerandæ sunt fastigio illius impositæ. Erant hæ primis urbis temporibus a Vejente quodam ex argilla fictæ. Ita Festus in *Ratumena*: *Quas faciendas locaverant Romani Vejenti cuidam artis figlinæ prudenti, quæ bello sunt reciperatæ: quia in fornice adeo creverant, ut eximi nequirent*, &c. *idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuissent, omnium eam futuram potentissimam*. Hæ, nisi jam ante forsitan, a Sylla, in Capitolii restitutione, e marmore, seu potius, uti Donatus existimat, ex ære refectæ sunt. Ego vero jam multo ante ex ære factas e pecunia damnatorum fœneratorum multatitia in Livio invenio lib. X. cujus postpaulo verba allaturus sum. In eodem fastigio & *Dei Summani statua* fuit. De hac Cicero lib. de Divin. ait: *Nonne, ut multa alia mirabilia, tum illud inprimis; cum Summanus in fastigio Jovis Opt. Max. qui tum erat fictilis, de cœlo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, Aruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt*. Quod miraculum Cicero eapropter adducit, ut ex amplitudine spatii, quod inter Capitolium & Tiberim intercederet, & quod ea fictilis esset statua, vim divinationis ostenderet. Ex iisdem tamen verbis nobis expiscari licet, memoria Ciceronis non jam fictilem eam fuisse, sed alterius materiæ. Panvinius huic Summano *sacellum* quoque largitus est.

Tegulas tecti æreas a Q. Catulo *inauratas* Plinius lib. XXXIII. c. III. dicit: quarum non solus splendor solaribus radiis repercussus Capitolio *aurei* cognomen conciliavit, ut Donatus, me libenter assentiente, judicat, verum potius, quod & tres ejus porticus inauratæ fuerint, & in ipso templo bases, epistylia, tæniæ, frontispicia, & ceteræ templi partes saltem post Syllæ & Catuli restitutionem. Marlianus epitheton illud propter statuas aureas, aliaque pretiosa ornamenta accepisse existimat. Addam ego, præter statuas, & partes ædis, multa alia in eo templo fuisse simulacrorum & sculpturarum inauratarum ornamenta. Id ut opiner, immensa summa in illam inaurationem impensa facit; quam Plutarchus in Poplicola XII. millium talentorum fuisse dicit; quæ summa nostratium scutatorum facit centum milliones, & ducenta millia, & amplius: qua totum ex auro solido templum construi possit. Unde inaurationem illius temporis multo sumtuosiorem, quam hac ætate fuisse colligo, necdum tum inventa arte aurum in tenuissima folia diducendi. Veruntamen duodecim illa talentorum millia mihi instar prodigii sunt. Januam totam ex ære fuisse (nempe quod ad limina, postes, & tænias) ex Livio constat, lib. X. *Cn. & Q. Ogulnii Ædiles Curules aliquot fœneratoribus dixerunt: quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis posuerunt*. Portas vero *laminis aureis* fuisse obductas, quas Stilico abstulerit, Claudianus refert in laudibus Stiliconis.

Aquilas ligneas fastigium templi sustinuisse Tacitus docet lib. III. Histor. ubi ignem Capitolio a Vitellianis injectum exponens ait: *Sustinentes fastigium aquilæ vetere ligno traxere flammam*. Hæc autem de fastigio non tantum frontispicii accipienda sunt, sed & de toto tecto, quod pectinatum, & in medio triangulare fuit, declivibus lateribus: cujus tecti tæniæ totum templum ambienti, tectumque & frontem sustinenti aquilæ hæ mihi impositæ videntur: quod & Donato placuit. Veruntamen in tanta marmoris ærisque copia lineas hasce, licet inauratas, fuisse aquilas, non possum, fateor, non satis mirari; inprimis autem tam diu illas du-

rasse, & ad has Vitellianos in tantam altitudinem ignem conjicere potuisse: tum & ignem hic acceptum, longeque a materia inflammabili remotum tantum incendium concitasse. Quare mihi Tacitus aliter explicandus videtur, intelligendusque de porticibus, & earum fastigio loqui, ad duplicem aquæ pluviæ delabendi facilitatem pectinatis: qualis hodieque porticus Panthei conspicitur: aut saltem uno ab latere declive tectum habentibus, quod ad parietem templi editius esset, depressius autem in publicum. Aquilæ igitur illæ sub porticibus pro mutulis fuerunt, aut interpensivis, trabes, aut tigilla, vel etiam suggrundia, vel lacunaria, si qua illic fuere, sustinentes: nam si non fuere, fastigii frontem totam a Sylla & Catulo sculpturis exornatam, fortean & pictam inauratamve fuisse, existimandum est. Tæniæ inscriptum Q. Catuli nomen Valerius Maximus indicat lib. VI. cap. IX. *Quæ quidem ei impedimento non fuerunt, quo minus patriæ princeps existeret, nomenque ejus in Capitolino fastigio fulgeret.*

Porticus in Capitolio a *Nasica* factas e Vellejo Paterculo liquet, qui lib. II. *Tunc Scipio Nasica in Capitolio porticus, tum, quas prædiximus, Metellus*, &c. *moliti*. Quid autem? dicemusne igitur nullas ante Nasicam in Capitolio fuisse porticus? Donatus ita sentit, porticus in fronte & a lateribus olim simplices fuisse, a Nasica deinde duplicatas, aut triplicatas: seu potius in area illas constructas, quæ ante Templum fuit, & ita ex ea velut *Atrium publicum* factum: de quo Livius lib. IV. decad. III. *Tactum de cœlo Atrium publicum*, &c. Duplicasse Nasicam, vel triplicasse porticus veteres, cum Velleii verbis minime mihi conciliari posse videtur, quæ porticus de integro novas a Nasica factas indicant. Loquitur enim de luxu temporis tam in publicis quam profanis elucescente ædificiis. In area eas illum construxisse verisimile est; tametsi *Atrium publicum* res alia fuit, & diu ante Nasicam in Capitolio exstitit, ut ex allato Livii loco manifestum est. Ego vero porticus Capitolinas Nasicæ in Intermontio fuisse cum Donato existimare malim, uti jam prædixisse memini.

Templum Jovis per plures *gradus* adibatur; quos ego non *centum* fuisse cum Lipsio statuerim, nec in Foro incepisse: (nam centum eos gradus aliorsum duxisse constat) tum vero Triumphantes curribus leni ascensu e Foro in Capitolium vecti sunt, quemadmodum Donatus e Verrina Cic. septima, Ovidii elegia prima lib. II. de Ponto, Lucano lib. I. Vopisco in Aureliano, &c. probat. Ajunt igitur Donatus & Rycquius, Capitolii gradus non infra aream Capitolinam fuisse, cui ipsorum sententiæ accedo: ita tamen, ut aream illam in Intermontio statutam, sive, ut Dionysium hic sequar, inter duos clivos, & ex hac in templum aditum per gradus incepisse: huc autem Triumphantes vectos, pedibus deinde in templum ascendisse. Supra illos gradus satis multos areolam fuisse existimo, sive vestibulum templi: inde rursus alios paulo plures gradus in ipsas porticus ducentes: non aliter atque nunc istiusmodi gradus ante *Basilicam D. Petri in Vaticano* conspiciuntur. Id mihi ex A. Gellio colligere videor, qui lib. II. cap. X. Q. Catulum in restitutione Capitolii dixisse refert, *voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret; sed facere id non quivisse, quoniam favissæ impedissent.* Quorum verborum sensus intellectu facilis hoc significat, voluisse Catulum deprimendo vestibulum graduum superiorum numerum augere: quum minime verisimile sit, voluisse Catulum Intermontium una cum porticibus & ædificiis, quæ illic erant, deprimere. Forsan & de eadem areola, seu vestibulo, Paterculus egit, quum lib. II. dixit: *Nasica ex superiori parte Capitolii summis gradibus insistens*, &c. quum populus cum Graccho in Intermontio consisteret. Ex Intermontio in vestibulum itidem gradus fuisse Livius lib. VIII. ostendit, quum de Antio legato Latinorum ait; *Cum commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus capite graviter offenso impactus imo ita est saxo, ut sopiretur*: ubi sane longa graduum series sub vestibulo fuisse indicatur, & plurium sane, quam ut hi omnes in summo fuisse colle existimari commode queant. Hi gradus autem non ad solum ducebant templum, sed & ad reliqua ædificia, quæ in eadem collis erant parte. Quare, quando Dio lib. XLIII. de Cæsare ait; primo triumphi die *gradibus in Capitolio genibus innixus conscendit*; & lib. LX. de Claudio: *tum per gradus in Capitolio genibus adscendens*; ego non de omnibus ab Intermontio usque in ipsum templum gradibus id asseri existimem, verum de iis tantum, qui e vestibulo, velut proprie templi gradus, ad templum Capitolini Jovis pertinebant.

Habuimus superius ex A. Gellio *favissas Capitolinas*: quæ quid fuerint, ipse ibidem exponit: *id esse cellas quasdam, & cisternas, quæ in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam de religiose donariis consecratis*. Adeo namque reverentes rerum sacrarum Romani erant, ut quidquid in eo templo ætate frangeretur, collaberetur, aut fatisceret, non corrumperent, cremarentve, aut in alios usus converterent, verum ea omnia, ad instar cadaverum, in puteis illis areæ, seu vestibuli, subterraneis terræ mandarent, atque sepelirent.

Ingens *statuarum* numerus, qui in ea area fuit, adeo modum excessit, areamque impedivit, ut Augustus eas liberandæ illius causa in Campum Martium transtulerit, quas postea Caligula disjecit. Ita Suetonius lib. IV. de Caligula: *Statuas virorum illustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Campum Martium locatas ita subvertit, atque disjecit*, &c.

Tam opulentum ac tam præclarum ædificium ætate Hieronymi, qui sub Honorio Augusto vixit, jam dirutum subversumque erat, ut idem lib. II. contra Jovinianum refert. Manibus id factum Christianorum vix crediderim: siquidem Honorius *leg.* XV. *C. Theodosian. de pagan.* idolis sacra fieri vetans, simul & templorum interdicit destructionem. Verba ejus sunt: *Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum ornamenta servari*, &c. Quin potius Gothis id tribuendum existimem, quos urbe capta spoliataque incendisse ædificia Orosius lib. VII. commemorat.

Prope Jovis templum *Ædes* quoque *Fidei* fuit. Ita Cicero lib. III. de Off. *Fidem in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. ut in Catonis oratione est, majores nostri esse voluerunt.* Nisi forte & Cato & Cicero *vicinam* ideo *Jovis* esse dixerunt, quia in eodem utraque ædes colle fuit Capitolino. Plinius lib. XXXV. c. X. *spectata est in æde Fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum docentis: eam fecit Aristides Thebanus.* Sunt, qui a Numa conditam credant, auctorem citantes Dionysium lib. II. verum Dionysius non exprimit, ubi eam Numa posuerit: fortean id fecit in Palatino. Hanc deinde ab Æmilio Scauro, & ante hunc ab Attilio Calatino fuisse dedicatam Cicero tradit lib. II. de Nat. Deor. *Ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Æmilio Scauro: ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata.* Nisi forte is locus, sicut Vives existimat, corruptus est, ut post expositurus sum

A copiosius : & nisi illa Numæ ædes ab Attilio refecta est in Palatino. Idem Dionysius lib. IX. Tarquinium Superbum refert in Capitolio *ædem Fidei Jovis Sponsoris* construxisse, a Postumio Cos. postea dedicatam . Verba Græca sunt : *τὸν νεὼν τοῦ πιστίου Διός* : quæ Lapus transtulit, *Ædem Jovis Fidei Sponsoris* : melius autem Lilius Gyraldus ; *ædem Dei Fidii Sponsoris* : quo sensu *Deo Fidio*, qui, uti in reg. VI. dixi, Deus *Fidei* erat, ædes illa a Tarquinio constructa fuerit . Dionysius hanc prope *Lucum Bellonæ* fuisse dicit . Unde & *Bellonam* illic lucum habuisse liquet.

Domitianus, qui tumultu Vitelliano in Capitolium B confugiens in cella æditui Jovis Capitolini delituit, cellam eam postea destruxit, & in *sacellum Jovis Conservatoris* convertit. Auctor hujusce nobis Tacitus lib. III. Hist. *Potiente rerum patre, disjecto ædituí contubernio modicum sacellum Jovi Conservatori, aramque posuit, casusque suos in marmore expressit* : quod ea de caussa non longe a templo abfuisse, saltem in eodem fuisse vertice existimandum est.

CAP. XVI.

Arx, & alia situs incerti.

C IN altero vertice, cui peculiare *Arcis* nomen fuit, inter vetustissima antiquitatis monumenta *Curia Calabra* fuit : de qua Macrobius lib. I. Saturnal. cap. I. *Calata in Capitolium plebe juxta Curiam Calabram, quæ Casæ Romuli proxima est* : & Varro lib. I. *in Capitolio in Curia Kalabra*. Juxta Manlii domum, & ubi Galli saxum Tarpejum conscendere annisi sunt, extitisse, Virgilius indicat lib. VIII. Æneid.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia alta tenebat :
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
D *Atque hinc auratis volitans argenteus anser*
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.
Galli per dumos aderant, &c.

Ad quæ Servius: *Horrebat regia culmo : Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis ; ad quam calabatur, id est vocabatur senatus, vocabatur & populus a Rege sacrificulo, ut, quoniam adhuc Fasti non erant, ludorum & sacrificiorum præscerent dies*. Verum distinctius adhuc Macrobius loco prædicto convocationem populi in Capitolium, & pronuntiationem Nonarum exponit : *Priscis ergo temporibus, antequam Fasti a C. Flavio Scriba invitis Patribus in omnium notitiam pro-* E *derentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nuntiaret. Itaque sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe juxta Puriam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronuntiabat*. Ex qua lunæ observatione Donatus acute conjicit, Curiam hanc in supremo colle fuisse Capitolii, utpote qui ad eam observandam maxime commodus esset. Ego & hoc addiderim, loco eam maxime apto constructam, & eminentissimo, ad pro- F nuntiandas in plebem Nonas, illuc, ut ex hisce Macrobii verbis, *juxta Curiam Calabram*, liquet, convocatam. Verum alia etiam ibidem Macrobii verba significant, in Curiam populum convenisse: *Hinc & ipsi Curiæ, ad quam vocabatur, Calabræ nomen datum est; & classi, quod omnis in eam populus calaretur*. Multi Antiquariorum illud fuisse ædificium censent, ubi sal distribuitur, sub *Palatio Senatorio*. Verum illic *Tabularium* fuisse, superius dictum : tum nec locus ille adeo editus est, ut in Capitolio ad observandam lunam alius nullus foret eminentior.

Vicina Curiæ Calabræ *Casa Romuli* fuit. Indicat hoc Macrobius lib. superius adducto, & Vitruvius lib. II. cap. I. *Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis, Romuli Casa in Arce sacrorum stramentis tecta*. Item Seneca in Consolat. ad Helviam c. IX. *Næ tu pusilli animi es, & sordide se consolantis, si ideo id fortiter pateris, quia Romuli casam nosti. Dic illud potius : istud humile tugurium nempe virtutes recipit*. Item Seneca Rhetor lib. I. Controv. VI. *Inter hæc tam effusa mœnia nihil est humili casa nobilius :* & lib. II. Controv. I. *Colit etiamnum in Capitolio Casam victor omnium gentium populus, cujus tantam felicitatem nemo miratur*. Verum quum numquam Romulus incoluisse Capitolium legatur, nec ante Tatium, quum Roma ultra urbem quadratam non extenderetur ; nec post Tatium, quum non minus amplitudine, quam viribus aucta ac potentia casam pro regia aspernabatur, vix est, ut quis huic opinioni queat acquiescere . Nam si Romulus in casa stramentis tecta habitavit, cives ceteri numquid Rege suo sumtuosius habitarunt ? si non sumtuosius, totam istiusmodi ædificiis urbem construere, opus sane pastorium fuerit, idque flammis consumere unius hominis nequam sulphurata vendentis . Quare alterius potius fuisse verisimile est ; & forsan alicujus de illo genere hominum, qui ad Asylum confugerunt, & in Arce sedem fixerunt: cujus casæ vetustas, ut pro Romuli domo acciperetur, imperitis persuasit ; quemadmodum & nunc sæpe hominibus imponi solet, illudique vanæ credulitati . Sic & tum *hasta* Romuli *revirescens* credita est. Quod si autem revera Romuli fuit, receptui tantum inserviit, cum Capitolium alicujus negotii gratia conscenderet . Forsan & ipsa Curia Calabra fuit, quæ stramentis tecta a nonnullis Romuli casa dicta sit, quum eam Virgilius *regiam* appellarit, uti e Servii patet expositione. Sic & Ovid. lib. III. Fastor.

Quæ fuerit nostri, si quæris, regia nati,
Aspice de canna straminibusque domum.

Quæ tamen de Romuli domo in monte Palatino accipienda nullus dubito. Sed utrum vera Romuli casa illa fuerit, necne, tanti non refert . Sufficiat nobis, in illa eam usque tempora durasse antiquitatis, & pro Romuli casa habitam fuisse. Reficiebant eam semper Sacerdotes novis stramentis: sed interiit Augusti principatu, sacrificio quodam a Pontificibus ibi facto conflagrans : quemadmodum Dio nobis auctor est lib. XLVIII.

Junonis Monetæ ædes ruinis domus Manlii inædificata fuit in Arce, ad rupem Tarpejam. Ita Livius lib. VII. *L. Furius*, &c. *inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit, cujus damnatus voti*, &c. *dictatura se abdicavit . Senatus Duumviros ad eandem rem*, &c. *creari jussit . Locus in Arce destinatus, quæ area ædium Manlii Capitolini fuerat*. Nec aliter Plutarchus in Camillo , & Ovidius lib. VI. Fastor. Ad illam igitur rupis Tarpejæ partem, quæ portæ Carmentali imminebat, post eversam Manlii domum, *Templum Junonis Monetæ* fuit : non autem in Intermontio, ubi nunc est *Palatium Senatoris*, ut Marliano visum; nec etiam inferius, ubi porticus septem columnarum fuit, ut alii voluere. Gradus ejus editiores eosdem esse, qui *centum gradus* rupis Tarpejæ dicuntur, supra exposui.

Eodem loco & *Tatium* Regem habitasse Solinus ait cap. II. nimirum, *ubi fuit Templum Junonis Monetæ*.

Domum vero *Tejæ* meretricis inter duos Tarpeii montis lucos fuisse Propertius docet lib. IV. el. IX.

Altera Tarpejos est inter Teia lucos
Candida, sed potæ non satis unus erit.

Hanc autem non inter Asyli lucos habitasse crediderim, quum nemo privatus umquam in Intermontio, & præsertim in ejus parte illa, ubi Asylum fuit, habitasse legatur: verum potius inter illos duos lucos, quibus Cicero ædem Monetæ convestitam fuisse dicit.

Officinam monetariam ejusdem Deæ ædi proximam fuisse Livius apertis verbis indicat lib. VI. *Damnatum* (nim. Manlium) *Tribuni de saxo Tarpejo dejecerunt*, &c. *quod cum domus ejus fuisset, ubi nunc ædes & officina Monetæ est*. Hanc domum fuisse, in qua moneta cudi solita sit, ex antiquis numismatibus conjicio, quibus insculpta Dea (Juno forte) cum inscriptione MONETA: unde assibus & semissibus & æreis nomen postea adhæsit *monetæ*. Officinam illam Marlianus inter Ecclesias *S. Hadriani* & *S. Laurentii in Miranda* constituit, nullo alio argumento, nisi quod magna illic æreorum numismatum copia igne corruptorum ipsius memoria reperta sit. Sed hæc ejus conjectura contra auctoritatem Livii nimisquam debilis est: sed nec Fauni assertio validior est, qui nullo auctore officinam illam ex Arce aliquando in Forum translatam affirmat. Nam nummi quidem illic inventi non tam officinæ monetariæ, quam tabernarum argentariarum, quas illic exstitisse dixi, indicium sunt, atque argumentum.

In Arce quoque *ædes Concordiæ* fuit, quam L. Manlius vovit, M. autem & C. Atilii Duumviri in arce construxerunt, teste Livio lib. II. dec. III. loco supra allato. Verum qua parte Arcis fuerit, non constat. At non longe a muris dissitam fuisse ex eodem mihi Livio colligere posse videor, qui lib. VI. decad. III. ait: *In æde Concordiæ Victoriæ, quæ in culmine erat, fulmine icta, decussaque ad Victorias, quæ in Arce fixæ erant, hæsit*. Erant autem hæ Victoriæ statuæ alatæ cum tropæis in manu: quas cum *in Arce fixas* Livius dicat, forte muris ejus affixas significare voluit, quibus illa altera fulmini tacta, cum delaberetur, adhæsit.

Ceterum perquam verisimile est *Jovis statuam*, quam Haruspices ætate Ciceronis altius arigi, & ad orientem ac Forum versus converti fecerunt, in Arce fuisse; quoniam ex alio Capitolii vertice orientem simul & Forum, ac Curiam, respicere non potuit: quare nec in templo fuit, nec ante templum Jovis Capitolini, ut alii voluere; quamquam eam *in Capitolio* Cicero in tertia Catilinaria fuisse dicit: *Iidemque jusserunt simulacrum Jovis, quod erat in Capitolio, facere majus, & in excelso collocare, & contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere, ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod vos videtis, solis ortum, & Forum, Curiamque conspiceret, fore, ut & consilia, quæ clam essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut a S. P. Q. R. perspici possent*. De quo Jovis simulacro, editiore loco collocato, conversoque ad orientem, ut Forum Curiamque conspiceret, ac post detectam conjurationem in primum locum reposito, respici Dio poterit lib. XXXVII. *Signi Jovis Imperatoris* Præneste Romam delati Victor hac in regione meminit, quod an idem illud, & an in Arce, vel alibi hac in regione, collocatum fuerit, incertum est.

Fuit & *anser argenteus* in Arce; quod signum in memoriam facti sempiternam positum, eo quod anseris strepitus sopitos vigiles excitasset, atque ita arcem servasset. Servius in VIII. Æneid. *Nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus*.


De *Jovis Pistoris Ara* hæc apud Ovidium lib. VI.

A Fastor. leguntur:

Nomine, quam pretio, celebratior arce Tonantis
Discant Pistoris quid velit ara Jovis.

Causa ponendi Romanorum fuit stratagema, qui, Gallis panis penuriam objectantibus, panes ex Arce in hostium castra miserunt, ut sibi rei frumentariæ adesse copiam ostenderent, quo facto Gallos ad pacifcendum perpulere. Ita illic Ovidius, & Livius lib. V. Utrum vero in Arce stricte sumta, an in alia Capitolini montis parte fuerit, non satis
B constat: nec permagni id scire interest.

Fuerunt & alia in Capitolio templa, quorum omnino incertus situs est. Inter ea & *Jovis Custodis* a Domitiano dedicatum, quod permulti juxta Jovis Capitolini ædem situm fuisse volunt, ubi prius in contubernio æditui *Jovis Conservatoris* sacellum fecerat. Sed hoc nec e Taciti, nec e Suetonii verbis colligi potest: quorum ille lib. III. Hist. ait: *Mox imperium adeptus Jovi Custodi templum ingens, seque in sinu Dei sacravit*; hic vero: *Novam autem excitavit ædem in Capitolio Jovi Custodi*, Loquuntur enim de novo ædificio, & a sacello diverso. Quod autem Tacitus de magnitudine ejus prædicat, id verba Donati confirmant dicentis: *a Domitiano nil nisi magnificum ac splendidum parari potuit*. Sacelli porro *Jovis Conservatoris* forsan hæc effigies est, quam Ericcius e Domitiani quodam numismate protulit.
C



D

Templum Jovis Feretrii a Romulo occiso Acrone Ceninensium Rege spolis opimis auctum, cuncti eo loci fuisse consentiunt, ubi nunc Ecclesia *Aræ Cœli* est. Sed nec incidium, nec argumentum ullum, nec alicujus adfertur veteris scriptoris auctoritas. Dionysius in summo id ait fuisse Capitolio: at in quo vertice fuerit, non exprimit. Fortean nonnullis in locum maxime firmum, adeoque in maxime præruptam montis partem, id est in Arcem Romulus tropuæm detulisse videbi-
E tur, ibidemque hanc *Jovis Feretrii* ædem posuisse, ut in eo successores & posteri triumphantes spolia opima defigerent. Unde forsitan factum, ut in eodem fastigio templum Jovi Opt. Max. sacraretur, ad quod triumphantes omnes conscenderent. Sed horum cuivis liberum judicium esto: nam mihi quidem inter incerta referre optimum factu visum. Perexiguum illud fuisse Dionysius lib. II. dicit; quippe cujus latera minora quinos pedes, majora denos non excesserint. Livius lib. I. ampliatum ab Anco Martio dicit: quantulum igitur illud ab initio fuisse existimandum est sub Romulo? Idem Livius ab Augusto postea restitutum refert; quod
F & Nepos in vita Attici testatur, qui Augusto restituendi hujus templi auctor fuit. *Feretrii* cognomen alii a *feriendo* deducunt, *ut hostem feriret*: rectius autem alii a *ferendo*, quod in ædem eam spolia opima a victoribus humeris ferrentur.

Ædium hic *Fortunæ* complurium Plutarchus mentionem facit *Comm. de Fortuna P. R.* ut, *Primigeniæ*, *Obsequentis*, *Privatæ*, *Viscosæ*. Livius & *Erycinæ Veneris* & *Mentis* ædem ibidem fuisse commemorat; quarum illam Fabius Maximus, hanc

Attilius dedicavit. Ita enim lib. III. decad. III. *Duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus, & T. Atilius Crassus ædibus dedicandis, Menti Atilius, Fabius Veneri Erycinæ. Utraque in Capitolio est canali uno discreta.* Illam vero mentis postea ab Æmilio Scauro consecratam fuisse Cicero tradit lib. II. de Nat. Deor. *Ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas proxime a M. Æmilio Scauro, ante autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata.* Ubi Vives vocem *Fides* superfluam existimat, & a Cicerone Mentem primum ab Atilio, & post a Scauro consecratam dici; ideoque, *quam dedicatam*, pro, *quas dedicatas* legendum. Ita quidem Ciceronis contextus planior fuerit: verum quid voci *Calatino* faciemus? quum *Crassum*, non autem *Calatinum* Atilium Menti templum dedicasse Livius dicat.

Duas itidem alias *Jovis ædes* in Capitolio fuisse idem Livius lib. V. decad. IV. memoriæ prodidit: *Ædes duæ Jovi in Capitolio dedicatæ sunt. Voverat L. Furius Purpureo Prætor Gallico bello unam, alteram Consul. dedicavit Q. Martius Ralla Duumvir.* De *Jove* hic *Sponsore* Marlianus & Rycquius loquuntur; verum is forte *Deus Fidius Sponsor* fuit, de quo supra.

Veneris Calvæ Lactantius meminit lib. I. Instit. *Urbe a Gallis occupata obsessi in Capitolio Romani, cum ex capillis mulierum tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt.* Verum quum in Capitolio ædem illam fuisse consecratam non dicat, tametsi valde probabile, tamen, tamquam de re certa, nihil affirmandum existimo. *Ædis Veneris Capitolinæ* mentio exstat apud Suetonium in vita Caligulæ c. VII. *Unus jam puerascens insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Veneris Capitolinæ Livia dedicavit.* Cui & Galba pretiosissimum monile consecravit. Ita namque idem Suetonius cap. VIII. in Galba: *Monile margaritis gemmisque contextum ad ornandam Fortunam suam Tusculanam ex omni gaza secreverat. Id repente quasi augustiore dignius loco Capitolinæ Veneri dedicavit.* Quæ utrum eadem atque *Erycinæ Veneris* ædes fuerit, an *Calvæ*, an & alterius, haud liquido explicari potest. De *Opis* autem *æde* Livius loquitur lib. IX decad. IV. *Ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat.* Utrum vero in hac asservata Cæsaris pecunia fuerit, quam Antonius dissipavit, teste Cicerone Philipp. II. an in illa *Opis æde*, quæ in Vico Jugario fuit, æque incertum est. De *Isidis* & *Serapidis æde* locus exstat apud Tertullianum in Apologet. ubi ait: *Capitolio prohibitos, id est, Curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. eversis etiam eorum aris abdicaverunt. His vos restitutis summam majestatem contulistis.* Item apud Suetonium in Domitiano, ubi eum ait in Capitolio sese Vitellianorum manibus subduxisse in contubernio æditui Jovis Capitolini, quemadmodum jam aliquoties superius habuimus: *Ac mane Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis, cum se trans Tiberim contulisset:* unde facilis conjectura suppetit, etiamtunc ibidem ædem illam exstitisse. Tum & *Martis Ultoris*, seu *Bis-Ultoris* ædes in Capitolio fuit, ob recepta signa, gemina illi, quam Augustus in Foro suo fecerat. Docet hoc Rycquius ex Ovidio, lib. V. Fastorum:

Templa feres, & me victore vocaberis Ultor.
Voverat, & fuso lætus ab hoste redit.
Nec satis est meruisse semel cognomina Marti:
Persequitur Parthi signa retenta manu.

& postpaullo:

Rite Deo templumque Bis-Ultor
Emeritus voti debita solvit honor.

ut & e Dione, qui id libro L. aperte dicit: *Itaque & sacrificia ejus rei causa, & templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii, quo signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit.* Idem & Lævinus Torrentius in Sueton. August. cap. XXIX. observavit; verum si recte verba Suetonii expenderis, non aliud aliquod, quam quod in Foro ejus fuit, templum ab Augusto *Marti Ultori* dedicatum invenias. *Ædem Jovis & Herculis* in Capitolio fuisse *Acta S. Restituti* perhibent; nisi potius aliqua prædictarum fuit, quæ & *Herculis* dicta sit ob statuam forte aliquam, cui illic honor adorationis habitus sit. Alterius *ædis Fortunæ & Herculis* Scholiastes Juvenalis meminit in Sat. XIV. ad exemplum illius, quæ Præneste fuit: *Aut certe quod in Capitolio, post ædem Dianæ & Jovis secundam de miraculo operis habent gloriam Fortunæ atque Herculis ædes.* Quæ utrum eadem atque illa *Jovis & Herculis* fuerit, quorum in Actis illis facta est mentio, in medio relinquo: item, utrum omnia illa templa Deorum intra Capitolii ambitum fuerint, an pars eorum inferiorem substructionum partem occupaverit, quod tamen mihi verosimilius videtur. Hoc saltem pro vero affirmare licet, ædes sensim privatorum dirutas disjectasque, & in earum locum Deorum templa substituta: ita ut nec absurde, nec præter verum Capitolium *omnium Deorum domicilium* appellatum fuerit: nec frustra nomen illud *aurea Capitolia* per Poetarum aliorumque Scriptorum ora volitarit: siquidem ornamenta illa tot templorum revera meruerunt, ut vere & absque ulla hyperboles suspicione Cassiodorus dixisse videatur: *Capitolia celsa conscendere, hoc est, humana ingenia superata videre.*

Quatuor *columnæ æreæ*, quas Augustus e rostris Ægyptiacarum navium post victoriam Actiacam fecit, a Domitiano in Capitolio positæ sunt, teste Servio in III. Georg. *Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis quatuor effecit columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ, quas hodie conspicimus.* Easdem hodieque in Laterano exstare Marlianus, aliique affirmant; & licet certum ejus rei nullum sit argumentum, vetustas tamen columnarum conjecturam probabilem facit, præsertim cum illius ætatis Antiquarii de translatione earum e Capitolio in illam ædem certi aliquid scire potuerint. Contra Donatus æreas illas Augusti columnas *rostratas* fuisse dicit: quamquam contrarium e Servio confici potest, qui postpaullo addit: *Nam rostratas Julius Cæsar posuit victis Pœnis navali certamine; e quibus unam in rostris, alteram ante arcum videmus a parte januarum.* Sic ut duæ tantum *rostratæ* a Julio Cæsare, & quidem alio in loco positæ fuerint. Alterius *rostratæ* in Capitolio mentio fit apud Livium lib. II. decad. V. *Nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio tota ad imum fulmine discussa est.*

Plutarchus in Sylla *statuas triumphales* tradit a Boccho Rege Numidiæ in Capitolio positas. *Is*, inquit, *ut populum Romanum delinimentis coleret, simul & Syllæ gratiam aucupatus triumphales in Capitolio posuit imagines, aureusque inerat Jugurtha ab eo Syllæ traditus.* Has idem Plutarchus in Mario *Victorias* appellat: *Nam postquam Bocchus Numida in societatem Romanorum adscriptus Victorias triumphales in Capitolio erexit, & apud has aureum Jugurtham Syllæ manibus ab se traditum constituit, ea res Marium in iram atque contentionem commovit, quod Syllæ eam sibi gloriam arrogaret.* Forsan hæ *Victoriæ* in Jovis templo erectæ fuerunt. Victorque pro *statuæ* male *statua* habuit, cum legi debeat, *Victoriæ aureæ statuæ in Templo Jovis.* Verum omissis incertis de recta, depravatave illius Scriptoris lectione con-

jecturis, non minus incertum illarum situm esse dixisse sufficiat: nam de *Victoria aurea* ab Hierone Rege missa certius aliquid superius attulimus.

A

Superſunt & alia nonnulla situs plane in ipsa etiam regione incerti: inter quæ *Domus Ovidii* est, quam, quia ipse elegia III. lib. I. Tristium ait:

—— & adhuc Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari.

nonnulli in Capitolio fuisse putant. At Ovidius vicinam quidem Capitolio, sed non in Capitolino fuisse monte domum suam dicit, licet ex ea Capitolium prospicere potuerit. Vox enim *juncta* viciniam tantum apud eundem Poetam pluribus aliis in locis significat. Quare utrum in Vico Jugario fuerit, an Mamertino, an quo alio, vix quisquam divinando assequatur.

B

In VIII. hujus regionis principio apud Rufum legas, *Fides Candida*: per quam *templum Fidei Capitolinæ* intelligi possit: sive etiam, quod ante omnia alia recensita sit, de templo aliquo, vel statua accipi in Foro ipso posita, cui ad vulgum *Fidei Candidæ* nomen fuerit. Forte etiam additamentum est alienæ manus, hominis, qui versum illum Virgilii lib. I. Æneid. male intellexerit:

Cana Fides, & Vesta, Romo cum fratre Quirinus
Jura dabunt.

C

Sed & hanc inter incerta referemus inexplicabili obscuritatis nube involuta; tametsi hic recens Victor pro more hæc eadem e Rufo repetit.

Templum Augusti pariter a Rufo hic annotatum pari quoque tenebrarum sorti damnatum est. Suetonii verba, Caligulam pontem a Palatio in Capitolium supra Augusti templum fecisse referentis, conjiciendi nonnullis ansam suppeditaverunt, in Foro illud fuisse. Unum vero tantum honori Augusti a Tiberio & Livia consecratum templum legitur; id autem in Palatino fuisse, adeoque in regione decima, suo loco videbimus. Neque enim vel Augmentatoris Rufi auctoritatem, vel Marliani, & quorundam aliorum Antiquariorum sententiam in Foro illud collocantium, veritati obsistere patiemur.

D

Ubi item *Scalæ Anulariæ*, aut quod genus ædificii fuerint, aut cui rei inservierint, vel unde nomen acceperint, peræque ignoratur. Apud unum vero harum mentio exstat Suetonium in Augusto cap. LXXII. *Habitavit primo juxta Romanum Forum supra scalas anularias in domo, quæ Calvi Oratoris fuerat.*

Prope Forum *Marii domus* fuit; ut est apud Plutarchum in ejus vita: *Reversus Romam Marius prope Forum ædes ædificavit; sive, ut ipse ferebat, quod sui studiosos atque cultores longius se comitari, ac molestia affici nollet: sive, quod putaret hanc occasionem sibi dari, ut a pluribus etiam aliis ejus limina frequentarentur.*

Ludi Æmilii, præterquam quod a Victore hic recenseatur, Horatius quoque meminit in Arte Poet.

Æmilium circa ludum faber imus, & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet, &c.

Quid is fuerit, Acro ibi explicat: melius autem adhuc Porphyrius: *Æmilii*, ait, *Lepidi ludus gladiatorius fuit, quod nunc Polycleti balneum est: illic demonstrat ærarium fuisse fabrum; imum, hoc est, in angulo ludi tabernam habentem*. Ex Horatio colligi queat, omnem illum tractum nomen ab hoc ludo mutuatum, uti & multis aliis in Victore & Rufo factum prædixi. Nam quum Porphyrius illic postea balneum fuisse dicat, & Victor nihilominus Æmilium hic ludum commemoret, consequitur necessario, omnem hunc tractum, sublato ipso ludo, nomen tamen *ludi Æmilii* retinuisse: nisi quis Victorem ante Porphyrium vixisse doceat. Ubi autem ille ludus fuerit, nec Horatius exprimit, nec interpretes exponunt. Victor tantum in hac eum regione collocat: & hoc uno nos lumine contentos esse oportet.

Elephas Herbarius, de quo Victor, mea quidem sententia, statua elephantis fuit ab Augusto posita, cum munusculis ab olitoribus ei porrectis; quemadmodum de aliis Augusti statuis pluribus supra nonnulla attuli: vel statua fuit pilæ imposita, seu basi, quæ loco illi foret pro insigni, quales multæ aliæ, de quibus item antea disputatum est. Verum utralibet fuerit, saltem eo in loco posita fuit, ubi olera vendi solita: cujusmodi Forum Piscarium fuit, de quo Varro lib. IV. *Ideo ait Plautus: Apud Piscarium, ubi variæ res*: vel etiam alibi; nam certi aliquid indicari dicive nequit.

In Notitia, in principio hujus regionis, legas, *Genium Populi Romani aureum*. Assentior hic Pancirollo statuam fuisse affirmanti Genii tutelaris, illi similis, qui in aversa parte nummorum quorundam Trajani & Hadriani conspicitur, cum inscriptione GEN. P. R. quam Trajanus forsitan, aut Hadrianus posuerit.

Videas illic & *Atrium Caci* recenseri, vel ut Pancirollus corrigit, *Antrum Caci*, quod tamen in decima tertia exstitisse regione notissimum est.

Vici Bubularii novi mentio etiam fit in veteri inscriptione apud Gruterum p. DCXXI. n. IV.

MAG. VICI. BVBVLARI
NOVI. REGIONIS. VIII.

Fuisse autem illum prope montem Palatinum verosimile est, ubi & locus, cui *Capita Bubula* nomen, extitit.

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

Regio IX. *sive Circus Flaminius.*



Egio, quam septimæ *Viæ La-*
tæ conjunctam fuisse dixi, B
Circi Flaminii nomine insi-
gnita fuit, illam ad occiden-
tem habens, & octavæ ver
sus meridiem contermina sub
monte Capitolino, prope
aream Montanariam: unde
inter regiones nonum locum
obtinuit. Fuit & hæc am-
pla, & spendidis ædificiis illustris, quorum ingens
numerus in Campo Martio, & in pratis Flami-
niis fuit. Hanc apud Rufum non integram ex-
stare dolendum est, corruptis ex parte aliqua inju-
ria temporis exemplaribus. Exhibemus igitur, C
quantum adhuc reliqui est, in hunc modum.

Regio Circus Flaminius.

Circus Flaminius.
Ædes antiqua Apollinis cum colosso.
Lavacrum Apollinis.
Stabula quatuor factionum.
Porticus Philippi.
Ædes Vulcani in Circo Flamin.
Mimitia vetus.
Theatrum Balbi. D
Crypta Balbi.
Porticus Corinthia Cn. Octavii.
Theatrum lapideum.
Mimitia Frumentaria.
Lucus Mavortianus.
Minerva vetus cum luco.
Lucus Pœtilinus minor.
Fons Scipionum.
. . . . *tio.*
. . . desunt multa. . . .
Sepulcr. . . .
Ædes Apollinis.
Thermæ Hadriani. E
Villa publica.
Theatrum Pompeii.
Equiria.
Stadium.
Amphitheatrum Tauri Statili.
Juppiter Pompejanus.
Theatrum Marcelli.
Delubrum Cn. Domitii.
Carcer Cvirorum.
Horti Lucullani.
Campus Martis.
Septa Trigaria.
Ædes Neptuni. F
—— *Juturnæ ad aquam Virginem.*
Templum Bruti Callaici.
Lucus Victoriæ vetus.
. . desunt multa. . .
. . . . *Agrippæ.*
Horti & Thermæ Agrippæ.
Domus & Circus Alexandri Pii Imp.
Lacus Thermarum Neronis. . .
. . . .
. . . .
Reliqua hujus regionis desunt.

Victor illam ita describit.

Regio IX. Circus Flaminius.

Stabula quatuor factionum.
Ædes antiqua Apollinis cum lavacro.
Ædis Herculi Magno Custodi Circi Flamin.
Porticus Philippi.
Ædis Vulcani in Circo Flam.
Minutia vetus.
—— *Frumentaria.*
Porticus Corinthia Cn. Octavii, quæ prima duplex fuit.
Crypta Balbi.
Theatrum Balbi, capit loca XXXMLXXXV.
Cl. Cæs. dedicavit, & appellavit a vicinitate.
Juppiter Pompejanus.
Theatrum Marcelli, capit loca XXXM. *ubi erat aliud Templum Jani.*
Delubrum Cn. Domitii.
Carcer Cl. Xviri.
Templum Bruti Callaici.
Villa publica, ubi primum populi census est actus in Campo Martio.
Campus Martis.
Ædis Juturnæ ad aquam Virgineam.
Septa Trigaria.
Equiria.
Horti Lucullani.
Fons Scipionum.
Sepulchrum Augustorum.
Ciconiæ Nixæ,
Pantheon.
Theatrum Pompeii.
Basilica Matidii.
—— *Marciani.*
Templum D. Antonini cum columna cochlide, quæ est alta pedes CLXXV. *habet gradus* CCVI. *& fenestellas* LVI.
Thermæ Hadriani.
—— *Neronianæ, quæ postea Alexandrinæ.*
—— *Agrippæ.*
Templum boni Eventus.
Ædis Bellonæ versus portam Carmentalem, ante quam erat columna belli inferendi.
Porticus Argonautarum.
Meleagricum.
Isium.
Serapeum.
Minervium.
Minerva Chalcidica.
Insula Phelidii, sive Phelidis.
Vici XXX.
Vicomagistri CXX.
Curatores II.
Denuntiatores totidem.
Insulæ IIIMDCCLXXXVIII.
Domus CXL.
Balineæ privatæ LXIII.
Horrea XXII.
Pistrina XX.
Regio babet in ambitu pedes XXXMD.

Victor alter hæc amplius enumerat.

Delubrum Jovis Statoris.

Ædes

Ædes Metelli.
Carcer ita describitur
Carcer C. *virorum*, alias CLX. *virorum*.
Templum Apollinis.
Amphitheatrum Tauri Statilii.
Septa Agrippiana.
Theatrum lapideum.
Templum Neptuni.
Circus Alexandri.
Thermæ Decianæ.
Ædes Minervæ.
Fortunæ equestris vetus.
Trajani porticus in Campo Martio.
Basilica Antoniniana, ubi est provinciarum memoria.
Lacus LXIII.
Ambitus regionis dicitur esse
pedes XXXMDLX. alias XXXMD.

In Notitia Imperii hæc habentur.

REGIO IX.

Circus Flaminius continet stabula num. III. *factionum, Ædes Herculis, Porticum Philippi, Minutias duas, Veterem, & Frumentariam, Cryptam Balbi, Theatra quatuor, inprimis Balbi, quod capit loca triginta millia* LXXXV. *Campum Martium, Trigarium, Ciconias nixas, Pantheum, Basilicam Matidii, & Martiani, Templum D. Antonini, & Columnam Cochlidem altam pedes* CCLXXV. *semis, gradus intus habet* CCIII. *fenestras* LXXVI. *Hadrianum, Thermas Alexandrinas, & Agrippinas, Porticum Argonautarum, & Meleagri, Isium, & Serapeum. Insulam Feliculæ, Vici* XXXV. *Ædiculæ* XXXV. *Vicomagistri* XLVIII. *Curatores duo. Insulæ duo millia septingentæ* LXXIIII. *Domus* CXL. *Horrea* XXII. *Balnea* LXIII. *Lacus* LXIII. *Pistrina* XX. *Continet pedes triginta duo millia* D.

His quoque non pauca a Panvinio adduntur, quorum nos tantum partem aliquam, ad evitandam prolixitatem, delibabimus, rerum scilicet maxime notabilium, omissis statuis; quarum qui cognoscendi forte tenebitur desiderio, is ipsum poterit adire Panvinium, vel etiam Rosinum, qui in Romanis antiquitatibus regiones hasce verbo tenus ex illo transcripsit.

Collis Hortulorum, alias *Hortorum*.
Via Fornicata.
—— *Recta*.
Palus Caprea.
Fregellæ.
Lucus Lucinæ, ubi erat Terentum.
Templum Isidis & Serapidis prope Ovile.
Ædes Martis in Circo Flaminio.
—— *Neptuni in Circo Flaminio*.
—— *Larium permarinum in Campo Martio*.
—— *Veneris Victricis*.
—— *Castoris in Circo Flaminio*.
—— *Floræ*.
—— *Junonis Reginæ*.
—— *Dianæ*.
—— *Herculis Musarum*.
—— *Junonis in porticu Octaviæ, ubi statuæ* &c.
Porticus Q. Catuli.
—— *Pompeii Magni cum Curia, & Atrio*.
—— *Metelli*.
—— *Agrippæ, ante Pantheum*.
—— *Octaviæ sororis Augusti, in qua erant Schola, Curia & Bibliotheca*.
—— *Gordiani Imp.*
Europæ.

Porticus Gallieni Imp.
Atrium Pompeii.
Sacrarium Numæ.
Delubrum Apollinis in Porticu Octaviæ.
Ara Neptuni.
Odæum.
Obeliscus pro Gnomone in Campo Martio.
Naumachia Domitiani.
Forum Ænobarbi.
Curia Pompeii cum Atrio & Porticu.
Curia Octaviæ cum Porticu, &c.
Ovile.
Diribitorium.
Arcus Ti. Cæsaris.
—— *D. Claudii*.
Sepulchrum Domitiorum in colle Hortulorum.
Sepulchra in Campo Martio.
Sullæ Felicis Dictatoris.
Julianum Cæsaris amitæ & filiæ.
Hirtii & Pansæ Consulum.
Domus Pinciorum in colle Hortulorum.

Paulus Merula addit:

Theatrum ligneum Neronis.
Basilica Alexandrina.

Ego vero:

Domus Gallæ.
Templum Pietatis.
Ara Martis.
Ædes Vulcani in Campo.
Petronia amnis.
Lucus Rubiginis.
Ædes Fortunæ Equestris.
Domus Ambrosii.
Templum Jani Gemini.
Porticus Heconstylon.
Platanorum Luci.
Arcus M. Antonini Imp.
Vicus Jani.
Stagnum Agrippe.
Prata Flaminia.
Buxeta.
Campus minor.
Porticus Boni Eventus.
Naumachia Augusti.
Horologium Campi Martii.
Ædes Martis in CM.
Bustum.
Terentus, ubi ara Ditis & Proserpinæ.
Amphiteatrum Trajani.
Sepulchrum M. Agrippæ.
Arcus Gratiani, Valentiniani, & Theodosii.
Arcus D. Marci.

Regio hæc, quæ tota extra urbem fuit, primum communes cum septima Viæ Latæ limites habuit, juxta radices Pincii ab *area Grimana* usque ad *Cloacam* tendens *Bubali*, ubi collis Pincius in angulum definit. Inde ad *fontem Trevium*, & *aream Sciarram*, ad *D. Ignatii* ecclesiam pergens, cum ductu, seu canali aquæ Virginis inter *Collegium Romanum* & *Minervam* flexu facto, exiguo ab ecclesia *Jesu* intervallo ad Capitolium se porrigebat: sub cujus rupibus versus *Turrim speculorum* usque ad *Aream Montanariam*, & veterem portam Carmentalem pergens, mœnia vetera versus Tiberim eundo relinquebat, nempe ubi nunc *Sabelliorum Palatium* est, versus ædem *S. Angeli in Piscario*, hanc excludens, ut & *pontem quatuor capitum*, & partem Vici Judaici. Dehinc secundum flumen ad sinistram sese distendens usque ad portam Flaminiam, fortean & ulterius, ad dextram vero Pin-

cium, qua maxime in altitudinem assurgit, partem *aræ Grimanæ* declivem findens, ad eandem portam Flaminiam desinebat. Atque hæc omnia e descriptione limitum regionis VI. VII. VIII. & XI. liquido apparent.

CAP. II.

Ædificia, quæ fuerunt inter Portam Carmentalem & Circum Flaminium.

Extra portam Carmentalem, ubi Regio IX. inchoabat, ad sinistram *Porticus Octaviæ* fuit, quam Augustus sub sororis nomine dedicavit. Suetonius in Aug. cap. XXIX. *Quædam etiam sub nomine alieno, nepotum scilicet, & uxoris, sororisque, ut Porticum, Basilicamque Lucii & Caii, Porticus Liviæ, & Octaviæ Theatrumque Marcelli.* Festus lib XVI. *Octaviæ porticus duæ appellantur, quarum alteram Theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit.* Dio lib. XLIX. Augustum eam fecisse tradit de manubiis devictorum Dalmatarum. Appianus ante Theatrum eam Marcelli collocat: estque una omnium sententia, ecclesiam *S. Mariæ in porticu* hinc nomen accepisse. Marlianus adhæc peculiariter addit, memoria sua inter ecclesiam *S. Mariæ in Porticu* & *S. Nicolai in Carcere*, ubi porticus illa sita esse potuit, locum derelictum visum e ruderibus editiorem, unde marmora & lapides Tiburtini magna copia effossi: & si quis in ripa Tiberis reliquum illud antiqui operis, quod terminum videri fuisse veterum mœnium supra dixi, considerans recta inde in Capitolium conjectum direxerit oculorum, animadvertet, ubi prope ædem *S. Mariæ in porticu* vetera mœnia pertransierit, porticum iis Octaviæ quodammodo conjunctam fuisse. Ubi vero nunc illa sita est ecclesia, *domum* olim *S. Gallæ* fuisse ajunt, quæ viri consularis conjux, & Symmachi a Theodorico Rege capite plexi filia fuit. Id ipsum & in veteri libro manuscripto legitur, qui in ea ecclesia asservatur.

Fuit ibidem & *Metelli Porticus*: de qua Paterculus lib. I. *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticus ambiuntur, fecerat.* Ex his utrarumque porticuum forma patet. Duas Metellus ædes fecit, & inter utramque porticum duplicem duxit: (hoc enim verba illa Velleii, *porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus*, significare videntur.) Augustus deinde ædes illas nova duplici *porticu*, eaque satis magna, cinxit sub nomine *Octaviæ*: quas ædes *Junonis* alteram, alteram vero *Apollinis* fuisse e lib. XXXVI. cap. V. Plinii colligitur, ubi statuas celebrium Statuariorum commemorat: *Ad Octaviæ vero porticus Apollo Philisci Rhodii in delubro suo. Item Latona, Diana, & Musæ novem, & alter Apollo nudus. Eum, qui citharam in eodem templo tenet, Timarchides fecit. Intra Octaviæ vero porticus, in æde Junonis, ipsam Deam Dionysius & Polycles: aliam Venerem eodem loco Philiscus: cetera signa Praxiteles. Item Polycles & Dionysius Timarchidis filii Jovem, qui est in proxima æde fecerunt: Pana, & Olympum luctantes in eodem loco Heliodorus, quod est alterum in terris Symplegma nobile, Venerem lavantem sese, Dædalum stantem Polycharmus.* Et aliquanto superius: *intra Octaviæ porticus in Junonis æde Æsculapius & Diana.* E quibus statuis splendor hujus ædificii patescit. Alterum ex his primum in urbe templum fuit e marmore. Ita Paterculus lib. II. *Hic idem* (Metellus) *primus omnium ædem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit.* Nomina Architectorum utriusque ædis apud Pli-

A nium exstant loco superius allato: *Nec Scaurum atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones. Quidam & opibus præpotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse inscriptionem sperantes; qua negata, hoc tamen alio loco & modo usurpasse. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculpta nominum eorum argumenta, rana atque lacerta.* Quibuscum verbis conferre non inutile est illa Paterculi; *ædibus sine inscriptione positis*, &c. Sed nec ante Octaviæ molitionem *Metelli porticus statuis* caruere. Idem enim Vellejus refert, Metellum in
B eam e Macedonia omnes illorum equitum statuas deportasse, qui pro Alexandro M. ad Granicum amnem occubuere, jussu ejusdem Alexandri a Lysippo factas. Quod & Plinius confirmat l. XXXIV. cap. VIII. Lysippum dicens simillimas Alexandri & amicorum statuas finxisse, quas Metellus postea Romam transtulerit.

Præter porticum, *Octaviæ* quoque illic *Schola* fuit. Plinius lib. XXXV. cap. X. *Antiphilus Hesionem nobilem pinxit, & Alexandrum, ac Philippum cum Minerva, qui sunt in Schola in Octaviæ porticibus.* Item lib. XXXVI. cap. V. *Ejusdem est* (Scopæ Sculptoris) *Cupido objectus a Cicerone Verri, ille, propter*
C *quem Thespiæ visebantur, nunc in Octaviæ Scholis positus.*

Fuit & *Curia*. Plinius ibidem: *In Curia Octaviæ quæritur de Cupidine fulmen tenente, cujus sit.* Item *Bibliotheca*, de qua Plutarchus in Marcello: *In Marcelli honorem & memoriam mater Octavia bibliothecam dedicavit, Cæsar theatrum, quod nomine Marcelli inscripsit.* Hanc si non conjunctam, saltem porticibus proximam fuisse, Dio docet lib. LXVI. *Arserunt sub Tito Octaviana ædificia una cum libris. Quæ Titus restituit.* Plinius sæpius operum Octavianorum mentionem faciens conjuncta ea inter se fuisse indicat, præsertim lib. XXXVI. cap. VI.
D *Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filia, sedens statua posita est, soleisque sine amento insignis in Metelli publica porticu, quæ statua nunc est in Octaviæ operibus.* Et lib. XXXVI. cap. V. *Phidiam tradunt scalpsisse marmora, Veneremque ejus esse Romæ in Octavæ eximiæ pulchritudinis.*

Non procul hinc abfuit *Carcer Claudii Decemviri* appellatus: de quo in regione octava fuse disputatum. Situs ejus, seu vicinia ex Ecclesia *S. Nicolai in carcere* liquet, nec non e residuis Theatri Marcelli, quod attingebat, ut est apud Plinium l. VII. cap. XXXVI. *Humilis in plebe, & ideo igno-*
E *bilis puerpera supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo salus matris donata filiæ pietati est ambæque perpetuis alimentis: & locus ille eidem consecratus est Deæ C. Quinctio, M. Attilio Coss. Templo Pietatis exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est.*

Templum hoc *Pietatis*, cujus in sede postea Marcelli Theatrum positum Plinius dicit, jam ante illius theatri ædificationem collapsum fuisse oportet, nisi Augustum impietatis arguere voluerimus, quod
F id destruxerit; aut in proximo potius, quam in ipso Theatri loco ac situ: ita ut ei dein conjunctum fuerit. Festus factum hoc diversimode narrat: *Pietati ædem consecratam ab Acilio ajunt eo loco, quo quondam mulier habitaverat, quæ patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit: ob hoc factum impunitas ei concessa est.* Cui quidem eo major, quam Plinio, habenda fides videtur, quo domum immundo carceri ad templi constructionem prælatam credibilius est.

Theatrum Marcelli magna etiamnunc sui parte

superstes in Foro, sive area visitur *Montanaria*. Eodem loco olim vetus Jani templum fuisse, Victor his verbis indicat: *ubi erat aliud templum Jani.* Contrarium tamen dicunt illa Festi: *Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi, & in æde Jani, quæ est extra eam, Senatum haberi, quod ea egressi sex & trecenti Fabii* &c. Festus autem post Augustum vixit, adeoque post exructum Marcelli theatrum. Quin tamen id templum ætate Victoris, id est, extremis Imperii Romani temporibus, collapsum jam fuerit, nullus dubito: vocemque *ubi* non tam ipsissimum loci situm, quam vicinitatem apud Victorem denotare puto, uti sæpe ita accipitur, accipique debet. In illo templo statua Jani fuit a Numa posita, cujus digiti figuratione sua anni dierum exprimebant numerum. Ita Plinius l. XXXIV. cap. III. *Janus Geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum nota per significationem anni, & ævi se Deum indicaret.*

Ibidem & *Sacrarium Numæ* fuisse Servius auctor est in VII. Æn. ad illa Virgilii, *Sunt geminæ belli portæ*: *Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum juxta Theatrum Marcelli, quod brevissimis templis: duobus autem propter Janum bifrontem*, &c. Quare cur hoc Panvinius ab illo diversum statuat, causam non video.

Præter templum *vicus* quoque *Jani* illic fuit, de quo Porphyrius in epist. ult. lib. I. Horatii: *Janus quoque vicus est ab Jano Gemino sic appellatus, qui in eo locum habet sibi consecratum, per quos duos* (per Janum sc. & Vertumnum, de quibus illic agit Horatius) *significat loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant.*

Stabula quatuor factionum, quod ea nusquam nisi hoc loco memorentur, tametsi in aliis aliquot regionibus Circi fuere, & inprimis Circus maximus in undecima, satis evidenti indicio sunt, extra solam ea portam Carmentalem fuisse, ubi forsan primo propter Circum maximum facta, qui primus omnium fuit, cuique extra mœniorum ambitum propinquior locus & pomparum principio commodior nullus fuit. Deinde vero & Flaminio, qui propior, & aliis item Circis ea inserviisse tantum non certo affirmari potest. In his singulis Circis peculiaria fuisse sua equilia, ut & curruum receptacula, forte & cellas ac diversoria aurigarum, perquam verisimile est. Ubi autem hæc *stabula* fuerint, exacte indicari vix potest; non tamen multum a porta disjuncta fuisse videntur, quia Rufus & Victor unanimiter ea in principio regionis collocavere juxta templum Apollinis. Aurigarum vero factiones Circenses quatuor coloribus distinctas fuisse, Prasinam viridi, Venetam cœruleo, Russatam rubro, & Albatam candido, satis superque ab Antiquitatum Romanarum indagatoribus expositum est. *Stabuli* factionis meminit & Suetonius in Caligula cap. LV. *Ita addictus erat Prasinæ factioni, ut cœnaret in Stabulo assidue, & maneret.*

Extra eandem portam *Templum Apollinis* fuit, quod omnium in urbe ejus Dei templorum fuit antiquissimum. Asconius in Orat. *in toga candida*: *Ne tamen erretis, quod his temporibus ædes in Palatio fuerit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imperator Cæsar, quem nunc Divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem inter Forum Olitorium & Circum Flaminium. Ea enim sola tum Romæ Apollinis ædes.* Cum vero Circus Flaminius fuerit, ubi nunc ædes est *S. Catharinæ Funariorum*, & Forum Olitorium ad pontem *quatuor Capitum*, ut post videbimus, sequitur, templum Apollinis inter *Palatium Sabelliorum* fuisse & *Aream Campitelli*. Atque ita una quasi serie extra portam Carmentalem sita fuisse agnoscuntur, via nempe recta ad Circum Flaminium ducente, Carcerum, Jani Templum cum Theatro Marcelli, & Ædem Apollinis. Unde recte pompa illa, quæ bello Punico secundo porta Carmentali in Forum ducta fuit, a Livio memoratur initium a templo Apollinis fecisse. Ita enim ille lib. VII. dec. III. *Ab æde Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in urbem ductæ, post eam duo signa cupressea Junonis reginæ portabantur*, &c. Dicitur autem populus R. hanc vovisse, cum urbs gravi pestilentia affligeretur A. V. C. CCCXXX. Tribunus M. Fabio Vibulano, M. Folio, & L. Sergio Fidenate; dedicata vero fuit LXXIII. annis post Coss. Sulpicio Potito & Valerio Publicola, ut est apud Livium lib. IV. & XII. qui & lib. III. dec. I. & lib. VII. & IX. dec. IV. Senatum aliquoties ibidem triumphum petentibus datum fuisse ait.

Victor addit, *cum lavacro*; quod sine dubio fons aliquis fuit ad lavandas manus, vel ad quosvis alios usus. Apud Plutarchum in Sylla: *L. Catilina juendam M. Marium adversæ factionis hominem confodit, & Syllæ in Foro sedenti caput ejus attulit; proximum deinde Apollinis lavacrum accedens manus abluit.* Ubi quod *lavacrum* illud Foro proximum dicatur, nec verisimile sit, Catilinam abluendi manus gratia extra portam Carmentalem abiisse ad ædem Apollinis, dubium aliquod difficile explicatu nascitur. Rectius Cicero, in Orat. *in toga candida* idem factum referens, non in Forum, sed in Templum Apollinis caput hoc a Catilina ad Syllam adportatum dicit. In Rufo præterea *cum colosso* legitur: cujus cum nulla usquam facta mentio inveniatur, suspicio aliqua suboritur, a librario hoc additum, decepto forsitan ab Apollinis Palatini colosso, sive alterius Apollinis, quem Lucullus Apollonia in Capitolium transtulit. Certe veritas hic in tenebris abdita latet.

Quum porro *Circi Flaminii* rudera ante seculum ab Antiquariis visu cognita sint, de situ ejus dubitari vix amplius potest. Lætus, Fulvius, & Marlianus sua memoria Ecclesiam S. *Catharinæ Funariorum* in medio Circo fuisse affirmat, cujus tum adhuc forma, & sedilium veterum vestigia apparebant: cujusque in longitudinem porrectum spatium nullis ædibus occupatum Funariis inserviebat, unde Ecclesiæ illi, quæ prius *S. Rosæ in castro aureo* dicebatur, posterius hoc cognomen accessit. Quare fidei istorum testium acquiescentes cum Fulvio dicimus: *Longitudo ejus Circi ab ædibus nunc D. Petri Margani & S. Salvatoris in pensili usque ad ædes D. Ludovici Matthæi juxta Calcararam, (nam id loco nomen a coquenda calce inditum) ubi caput Circi: latitudo vero inter turrim, nunc Citranguli, & Apothecas obscuras.* Pyrrhus Ligorius, qui libro *de Circis, Amphitheatris, & Theatris* ichnographiam ejus nobis tradidit, exactius aliquanto Circum hunc describens ait: *Quemadmodum hodieque videre est, initium ejus fuit ab area Marganorum, desiitque ad ipsum fontem Calcararæ, omnes Matthæorum ædes complexus, usque ad viam novam Capitolinam semet extendens; & hoc circuitu multorum quoque aliorum ædes includens. Ab hoc latere Matthæorum magna ejus pars ante paucos annos adhuc superstes erat: cujus ego tum descripsi ichnographiam: minutiæ autem dimensionis exterioris, quod Circi non estarent ultimi termini, a me colligi non potuerunt. Quod Circi maxime fuit integrum, ipsissimo erat loco, ubi nunc domus D. Ludovici Matthæi, ædificata est, qui magnam fundamentorum ejus lateris partem effodit, inventa ibi inter alia mensa in speciem ...... cui puelli insculpti erant, ludos Circenses*

curribus æmulati: nec non in cella multi effossi sunt lapides Tiburtini: detectaque pars canalis, per quem aquæ transitus erat, quæ etiamnunc ædes tinctoris lanarii transit, corrupteque fons Calcararæ appellatur; a calce forte, quæ illic præparatur. Pavimentum seu solum Circi ex calce erat, & lateribus contusis valde compactum, solidum, ac densum, superius opere Musivo exornatum. Quæ quidem descriptio ideo a me integra allata est, ut hinc plus lucis explanationi Circi affulgeat, tametsi Ligorii fides multis suspecta est. Latitudinem Donatus ab æde *S. Angeli* in Forum usque piscarium extendit: verum *area Margana* longe ab eadem æde remotior est.

Fontem illum, pulcherrimis ex ære statuis in area Matthæorum exornatum, Ligorius aquam esse asserit, ab Augusto ad occidendos in spectaculo triginta sex crocodilos adductam, uti Dio auctor est lib. LV. at quam aquam novam Augustus in urbem duxerit, Dio non exprimit; & inter veteres aquæductus nulla hujus apud Frontinum exstat mentio. Sed nec aquam Euripi fuisse certo dici possit, quum Euripum in Circo Flaminio fuisse constet: & licet fuerit, alia tamen aqua esse nequit, quam quæ ex aliquo aquæductu a Frontino descripto illuc corrivata fuerit: quo abolito jam non amplius aqua isthuc aliqua confluere posse videtur. Unde aliam aliquam fuisse arbitror, de qua postpaulo in hac ipsa regione nonnulla dicentur.

Circum a *Flaminio* illo constructum Festus auctor est, qui ad Thrasimenum ab Hannibale cæsus periit. Idem & Epitomator Livii confirmat lib. XX. factum esse paulo ante secundum bellum Punicum. Quoniam vero Plutarchus in Problematibus Flaminio cuidam vetustiori opus illud tribuit, qui urbi campum ad ludos equestres reliquerit, non adeo a vero alienum videtur, Flaminium illum prius campum P. R. donasse, & dehinc alium ex eadem familia Circum in eo construxisse. Loco ipsi antea nomen *Pratis Flaminiis* fuisse e Livio discimus, qui lib. VIII. *Ea omnia*, inquit, *in pratis Flaminiis consilio plebis acta, quem nunc Circum Flaminium appellant*. & paulopost: *Itaque Coss. ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, Circum jam tum Apollinarem appellabant, avocavere Senatum*. Ubi, quod antequam Circus illic factus esset, *Circum* tamen eum *Apollinarem* dictum fuisse ait, nonnihil adfert obscuritatis. Fortean existimet aliquis, quod illic ludi antea Apollinares in pratis facti sint, ut in Campo Martio Equiria, nomen hoc ei loco datum. At hi non nisi post cladem Cannensem instituti fuere, ut est apud Livium lib. V. decad. III. adeoque post ædificatum jam Circum. Quibus, cum antea non stato certoque die multos per annos fieri solerent, dies deinde a populo certus quotannis, quo ederentur, constitutus est. Ita Livius l. VII. decad. III. *Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio Coss. a P. Cornelio Sulla Prætore urbis primum facti erant. Inde omnes deinceps Prætores urbani fecerant; sed in unum annum vovebant, dieque incerto faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem* &c. *& P. Licinius Varus Prætor urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum statum diem voverentur*, &c. *Ludi* quidem illic *Taurii* fiebant, sed hi Apollini dicati non erant, verum Diis Manibus, ut præter Victorem Festus habet in *Taurii*, alibi a me adductus. Sic ut, si *Circi* nomen probari nequeat, *Apollinaris* non habeat illic locum. Forte, antequam primi ibidem ludi Apollinares ex voto annui quidem, at non certo statove die, facti sunt. Ludi illic non annui, sed incerto tempore ad populi, magistratusve lubitum celebrati fuere. Istiusmodi sane quid Livius eodem lib. V. indicare videtur,
A cum prima vice votos ait illos ludos ex hoc vatis Martii vaticinio: *Hostes Romani si expellere vultis, vomicamque, quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant*. Ubi, eosdem ludos antea numquam factos fuisse, negari non video. Forte & prata illa *Circi Apollinaris* acceperunt appellationem, quod sibi templum Apollinis vicinum haberent. Sed de hoc eruditiores viderint. Fuisse illic & concursum, conventumve populi propter nundinas, Cicero docet lib. I. epist. IX. ad Atticum: *Res agebatur in Circo Flaminio, & erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανήγυρις*.

B Proxima Circo Flaminio *Bellonæ Ædes* fuit: ante quam areola fuit cum *columna bellica*, unde Consul hastam jacere solebat, genti alicui, vel Regi, bellum indicturus, ut est apud Victorem: *Ante quam erat columna index belli inferendi*. Dio juxta ejus ædem fuisse scribit lib. VI. *Cumque hæc dixisset, hastam cruentam juxta Bellonæ templum in hosticum contorsit*. Verum in eo uterque consentiunt, quod prope templum fuerit. Ovidius lib. VI. Fastor.

Prospicit a tergo summum brevis area Circum,
Est ubi non parvæ parva columna notæ.
C *Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti*
In Regem & gentes, cum placet arma capi.

Ubi vocem *a tergo* Donatus recte de tergo Circi, non de tergo ædis Bellonæ accipit, ante quam Victor columnam illam statuit; sic ut areola illa retro, sive a tergo convexæ extremitatis Circi fuerit, in qua ædes Bellonæ fuit. Situs ejus idcirco mihi fuisse videtur, uti nunc *Monasterium* est *Turris speculorum*, aut certe in proximo. Sic Festus vere dicere potuit, columnam bellicam exstitisse ante portam Carmentalem; tametsi intervallo inde aliquanto dissita fuit. Huic columnæ insistens po-
D tius, quam innixus Consul, (si quidem humilis erat) hastam in eam partem torquebat, ubi gens, vel Rex hostis P. R. degebat. *Ædem Bellonæ* Appius Cæcus vovisse dicitur, cum ab Ovidio lib. VI. Fastor. tum a Livio lib. X. in bello contra Etruscos & Samnites. Addit Plinius suspensos illic ab Appio clypeos, in queis majorum ejus depictæ imagines. Ita enim ille lib. XXXV. cap. III. *Suorum vero clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit Appius Claudius, qui Consul cum Servilio fuit anno* V. CCLIX. *Posuit enim in Bellonæ æde majores suos, placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi*. Quo loco Donatus vitium ob-
E servat; quoniam primus App. Claudius Consul fuit paulo post exactos Reges; & *ædes Bellonæ* ab App. Claudio Cæco, uti dixi, dedicata legitur anno V. CCCCLVII. qui forte illic scuta illa posuit. Corrigendum igitur in Plinio, legendumque, *qui Consul fuit cum Volumnio anno* V. CCCCLVII.

In eadem æde, quia extra urbem erat, Senatum olim dari solitum iis, qui triumphum petebant, supra attigimus. Neque enim licebat iis, qui cum exercitu erant, urbem intrare: sicut nec exterarum gentium legatis, quicum bellum erat; ut e Livio pluribus locis, atque item Plutarcho,
F & aliis constat. In quem usum a latere templi Senatulum factum fuit, ut e Victore liquet regione IX. & ultima, ubi de Senatulis agitur.

Fuit item ad Circum Flaminium *Ædes Herculis Custodis*, cujus Victor ita meminit: *Ædes Herculis Magno Custodi Flaminii*. In quo consentientem habet Ovidium lib. IV. Fastor.

Altera pars Circi Custode sub Hercule tuta est,
Quod Deus Euboico carmine munus habet,

Queis versibus *altera pars Circi* illa est, in qua car-

ceres, oppoſita illi, in quo templum Bellonæ eſt. Et ſane æquum erat *Herculis Cuſtodis* templum in ipſo Circi introitu poni. Marlianus ſedi ejus eccleſiam aſſignat *S. Luciæ ad tabernas obſcuras*, idque ex marmore illic invento in ſepulcro quodam, cui inſcriptum INVICTO, quod Herculis cognomen eſt. Quum Cardinalis Ginnaſius ante aliquot annos ædificium illic moliretur, inſignis fragmentorum columnarum, & lapidum Tiburtinorum illic effoſſa copia eſt. At ſi verum eſt, Circum ulterius protenſum omnes *Matthæorum ædes* complexum fuiſſe, neceſſe eſt, ut ædes Herculis etiam ulterius & extra Circum ſita fuerit. Donatus locum ei tribuit inter *S. Nicolai Cæſarinorum* ædem & *Calcariam*, quæ ad latus eſt ædiculæ *S. Helenæ*. Et hoc ſane multo veriſimilius eſt; fortaſſis & inter illos terminos non procul ab *ulmo* abſuit, quouſque Circi longitudo ad ſummum perveniſſe cenſetur. Ædem illam *Herculis* Syllæ opus quidam ajunt, verſibus ad id Sibyllinis inducti. Sic Ovidius eodem libro pergens:

Muneris eſt tempus, qui nonas Lucifer ante eſt:
Si titulos quæris, Sulla probavit opus.

Diem huic feſtum Kalendarium vetus adſignat XII. Auguſti.

Fuerunt & alia in Circo templa, id eſt, in exteriore ejus ambitu, in quem eorum frons ſpectabat: *Herculis* ſcilicet *Muſarum*, *Neptuni*, *Martis*, *Vulcani*, *Junonis Reginæ*, *Dianæ*, & *Caſtoris*.

Ædem Herculis Muſarum (ſc. ductoris ſeu ducis) M. Fulvius Nobilior condidit, ad exemplum *Herculis Muſagetæ* Græcorum. Ita Eumenius Rhetor in Orat. pro reparandis ſcholis ad Præſidem Galliæ; *Ædem Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe literis & ſumma Poetæ amicitia duceretur, ſed quod, in Græcia cum eſſet Imperator, acceperat Herculem Muſageten eſſe, id eſt, comitem ducemque Muſarum. Idemque primus ſigna novem, hoc eſt omnium Camœnarum ex Ambracia oppido tranſlata ſub tutela fortiſſimi Numinis conſecravit, quia mutuis operis & præmiis juvari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, virtus Herculis voce Muſarum.* Et hæc eſt illa conſecratio, de qua Cicero in Oratione pro Archia loquitur, ubi de Fulvio: *Nec dubitavit Martis manubias Muſis conſecrare.* De hac ædis communione, quæ Herculi cum Muſis fuit, Plutarchus probl. LIX. diverſimode diſputat: forte, quia Euandrum literas docuit Hercules, ut Juba notat: quæ expoſitio, ſeu ratio multum habet ingenii: illa vero Eumenii magis hiſtorica eſt. Quod autem hic Fulvium ſigna Muſarum Ambracia Romam deportaſſe dicit, a Plinio ſine dubio accepit, qui lib. XXXV. cap. X. *Fecit & figlina opera quæ ſola in Ambracia relicta ſunt, cum inde Muſa Fulvius Nobilior Romam transferret.* *Ædem* porro *Herculis Muſarum* a Philippo D. Auguſti vitrico reſtitutam Ovidius & Suetonius memoriæ prodiderunt. Ille lib. VI. Faſtor.

Dicite Pierides, quis vos adduxerit illic,
Cui dedit invictas victa noverca manus?
Sic ego: ſic Clio: clari monimenta Philippi
Aſpicis. &c. ——

Hic in Auguſto, cap. XXIX. *Multaque a multis exſtructa ſunt, ſicut a Martio Philippo Ædes Herculis Muſarum.* Hos autem de reſtitutione ædis locutos eſſe, omnes cenſent Antiquarii: neque vero mirum videri debet, Ovidium adulatorio animo honorem dedicatæ ædis reſtitutori potius, quam ædificatori, auctorique primo tribuiſſe. In Suetonio autem, ſi præcedentia conſiderentur: *Sed & ceteros principes viros ſæpe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque monumentis vel novis, vel refectis, & excultis, urbem adornarent*, inveniemus Philippum non magis conditorem, quam reſtitutorem a Suetonio fuiſſe recenſitum. Quin &, quod illam Philippus aut ampliaverit, aut exornaverit, magnificentiamque ei addiderit, jure merito Ovidius eam *clari monimenta* Philippi appellare potuit, ejuſque animi magnitudinem celebrare, quoniam illo tempore ædes hæc inter primas fuit. Effictus autem illic Hercules fuit manu lyram tenens. Probat hoc Lævinus Torrentius e vetere nummo. Et hinc forſan Ovidius mox ſubjungit:

Annuit Alcides, increpuitque lyra.

Vulcani templum Victor in Circo Flaminio fuiſſe aſſerit; *Vulcanalia* vero in eodem Circo celebrata a. d. XXIII. Auguſti e vetere Kalendario diſcimus.

Habuit hic & *Neptunus ædem*: quamquam Livius lib. VIII. decad. III. ſolius *aræ* meminit: *Ara Neptuni multo ſudore manaſſe in Circo Flaminio dicebatur.* Marlianus e ſequenti illud probat inſcriptione;

ABASCANTIO AVG. AEDITVO. AEDIS. NEPTVNI. QVAE. EST.
IN. CIRCO. FLAMINIO. FLAVIVS. ASCANIVS. ET. PALLANS
CAES. N. SER. ADIVTOR. A. RATIONIBVS. PATRI. PIISSIMO. FEC.

Unde Livium de illa *ara ſudante* loqui colligi poteſt, quæ in illa æde fuit: aut templum aræ illi poſt bellum Punicum, quo id accidit, additum eſſe exiſtimandum eſt.

Junoni Reginæ & *Dianæ* ibidem ædes a M. Æmilio dedicatas auctor eſt lib. X. decad. IV. *Alter ex Cenſoribus M. Æmilius petiit a Senatu, ut ſibi dedicationis templorum Reginæ Junonis & Dianæ, quæ bello Liguſtico ante annos octo voviſſet, pecunia ad ludos decerneretur. Viginti millia æris decreverunt. Dedicavit eas ædes, utramque in Circo Flaminio, ludoſque ſcenicos triduum poſt dedicationem templi Junonis, biduum poſt Dianæ, & ſingulos dies fuit in Circo.*

Ædis Caſtoris mentio exſtat apud Vitruvium lib. IV. cap. VII. *item generibus aliis conſtituuntur ædes, ut eſt Caſtoris in Circo Flaminio.*

Sic & *Martis ædem* Cornelius Nepos apud Priſcianum l. VIII. ibidem fuiſſe tradit: *In Circo Flaminio fuit Ædes Martis architectata ab Hermodoro Salaminio.* Hanc plerique inter *S. Mariæ in Campitello* & *S. Angeli in Piſcario* ædes collocant: ubi ante ſeculum tres ingentes fuere columnæ: verum cur illæ potius *Martis ædi*, quam alicui alii tribuantur, nec cauſam ullam video, nec conjectandi meliora invenio facultatem.

Delubrum Cn. Domitii in eodem Circo fuiſſe Plinius nos docet lib. XXXVI. cap V. *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipſe, & Thetis, & Achilles*, &c. cui Victor & Rufus accedunt.

Ita & *Delubri Jovis Statoris* Macrobius meminit lib. III. Saturn. cap. IV. *Delubrum*, ait Varro, *alios exiſtimare, in quo præter ædem ſit area aſſumta Deum cauſa, ut eſt in Circo Flaminio Jovis Statoris.* Forſan illud Cn. Domitii *Jovi Statori* dedicatum fuit. Verum a Victore recentiore, id eſt deſcriptore ejus,

qui forsan illa Macrobii legerat, veluti diversa recensentur.

Hinc colligere licet, cum tot templa in ambitu, ut verisimile est, exteriore Circi fuerint, (nam in interiore sedilibus obfuissent) nec non tabernæ pocula vendentium, ut Martialis lib. XII. epigr. LXXV. indicat:

Accipe de Circo pocula Flaminio:

hinc, inquam, colligere est externum ejus ambitum vix a ceteris vicis ædificiisque distingui quod ad faciem exteriorem potuisse; & interius solum spatium Circi speciem & habuisse, & præ se tulisse.

Hac porro in regione tam Victor, quam Rufus, *Bruti Callaici templum* collocant, quod Plinius loco supra allato prope Circum fuisse ostendit: *Mars est nunc sedens colosseus ejusdem in templo Bruti Callaici, apud Circum eundem ad portam Lavicanam eunti*: ubi Donatus a librario peccatum putat, quum porta *Lavicana* a Circo Flaminio longissime dissita fuerit. Quare legendum illic, *Flumentanam*, vel potius *Carmentalem*. Auctor operis D. Junius Brutus fuit, qui Callæos devicit; crediturque id *Herculi Callaici* dedicasse: unde *Templum Bruti* ab conditore, & *Callaici* a numine, quod in eo colebatur, dictum videtur. At e Plinii verbis mox subjicientis, *Hoc templum jure sibi vindicavit Mars tanto colosso ibi simulatus*, suspicari aliquis possit, *Ædes Martis*, de qua paulo ante facta mentio, idem hoc *Bruti Templum* esse. Situm ejus exacte indicare velle divini potius est, quam nostrum: at si porta illa, de qua Plinius, revera Carmentalis, vel Flumentana fuit, haud procul ab æde *S. Mariæ in Campitello* abfuisse verisimile est.

Ecclesia & Monasterium *S. Ambrosii Maximæ* paterna ejus domus fuisse dicitur, in qua S. Marcellina soror ejus, devota virgo, accepto a S. Liberio Papa velo, aliquamdiu cum aliis sacris virginibus vixit; cujus & ipse Ambrosius in epist. ad Syagrium lib. II. ep. XLVII. mentionem facit. Indicium hujus vetus inscriptio fecit, quæ in veteri ecclesia muro inserta fuit. Baronius sane in notis ad Martyrologium a. d. XVII. Julii id ipsum pro certo affirmat. Ex antiquissimo illic instituto festum Nativitatis B. V. sollemniter celebratur: unde eandem ipsam esse, quæ ab Anastasio Bibliothecario in Leone III. *S. Mariæ Ambrosii* dicitur, tametsi non efficacissimum, certe perquam verisimile argumentum est.

CAP. III.

Theatrum Pompeii, & quæ huic vicina.

Consentiunt in eo omnes Antiquarii, *Theatrum Pompeii* fuisse, ubi nunc *Ursinorum palatium* est in *Campo Floreæ*, in quo palatio proximi seculi Scriptores reliquias ejus ac rudera se vidisse testati sunt. Quin & hodie partes aliquæ veteris muri in equili ejusdem palatii conspiciuntur, sed unde nil dignosci queat. Non tamen existimandum, aut fingendum inani cogitatione est, *Theatrum Pompeii* non fuisse multo grandius isto, quod diximus, palatio; quippe quod octoginta millia ceperit sedentium spectatorum: nec e sphærica ejusdem palatii figura, qua versus *Campum Floræ* notabilis est, conjectura facienda est, Caveam illam Theatri fuisse. Fulvius enim, qui ante annos plus centum oculis, quæ tum supererant, usurpavit, verum nobis evidentius proponit: *Exstant*, inquit, *adhuc vestigia juxta campum, quem Floreum appellant, ubi nunc palatium dominorum Ursinorum, a cujus tergo erat theatri cavea versus auroram*. Cui profecto, ut oculato testi, a nobis habenda fides videtur, qui nunc omnino in tenebris versamur. Quod si Cavea versus *Clavarios* fuit, & scena versus Campum Floræ, eadem cavea cum æde Veneris sibi conjuncta in Circum Flaminium spectavit, qui ipsi inter *ulmum* & *aream Matthæorum* objectus fuit: de quo mox uberius. Ut autem Theatro ambitus spatiumque conveniens assignetur, omne illud loci occupasse videtur, quod inter *Viam Clavariam* & *Campum Floræ* interjectum est, forsan etiam ipsius Campi partem.

Theatrum Pompeii primum in urbe stabile & perpetuum fuit, quum cetera semper post edita spectacula & ludos scenicos dissolverentur, &, ubi res poscebat, de integro e ligneo construerentur, idque non sine ingentibus sumtibus. Quod postea demum cognitum est, quum idem ille Pompejus in initio ob ingentes factas in Theatrum suum impensas a majoribus natu nimii luxus argueretur, ut apud Plutarchum in ejus vita legimus, & collatis deinde his ad illos temporariorum Theatrorum pepercisse potius sumtibus existimaretur. Adornavit autem hoc, eodem Plutarcho indice, ad exemplum, quod viderat, Mitylenæ; multo tamen magnificentius capaciusque. Dio lib. XXXIX. non a Pompejo id exstructum, sed a Demetio liberto ejus refert, de pecunia, quam fecerat, quum sub ipso militaret: titulum autem operis patrono concessisse, ne invidiam ipsi tam enormes opes concitarent. Verum auctores illi, quos adduximus, majoris, quam Dio, fidei sunt, qui opus Pompejo tribuunt: qui, ut impensas honestiore titulo faceret, *Veneris ædem* addidit *Victricis* quit, Unde Tertullianus lib. de spectaculis, *Veritus, in quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, sed Veneris Templum nuncupavit; cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum*. Hinc autem ostendi facile potest, Templum Veneris non supra scenam fuit, ut nonnemo existimavit, verum supra caveam, ad quod scilicet per gradus illos sphæricos ascendebatur, qui templi graduum speciem, & theatralium verum præbebant usum. Idem & e Suetonio liquet: nam Gellii verba eadem habentis postpaulo afferam. Hic cap. XXI. Claudii, ubi eum ait die novæ dedicationis Theatri a se restituti supplicasse: *Cum prius*, inquit, *apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caveam sedentibus ac silentibus cunctis descendisset*, &c. *Templi* hujus *Veneris Victricis* meminerunt etiam Plutarchus in Pompejo, & Plinius lib. VIII. cap. VII. Gellius lib. X. cap. I. *templum* illud *Victoriæ* appellat: *Cum Pompejus ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vice Theatri essent*, &c. Verum hujus auctoritati minime acquiescendum est. Nam Marlianus anno MDXXV. vidisse se ait retro Ecclesiam *S. M. in Crypta picta*, quæ *Palatio Ursinorum* conjuncta est, marmor effodi cum hac inscriptione, VENERIS VICTRICIS. Sed inter *Victricem*, & *Victoriam* non adeo magnum discrimen est: atque error forte librarii dormitantis. Observat autem Donatus, Plutarchi verbis, Ἱερὰ Ἀφροδίτης Σικηφόρȣ, *Templa Veneris Victricis*, non unum singulare, sed plura significari: adducitque illa Suetonii in Claudio, loco jam indicato: *Ludos dedicationis Pompejani Theatri quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit, cum prius ad superiores ædes supplicasset*, &c. Unde dubium non imprudenter movet, utrum duo templa fuerint conjuncta, an unum bipertitum. Addo ego hoc, num alterum eorum *Victoriæ*, alterum *Veneris*

Victricis nomen habuerit; illud secundum, Gellium hoc e Suetonii & aliorum sententia? Nisi forte codex hic Suetonii corruptus est, & cum Lipsio corrigendum lib. I. Elector. vel *superiores sedes*, vel *superiorem ædem*.

Scenam in hoc Theatro Tiberii opus fuisse Tacitus refert lib. v. Annal. *Nec publicæ quidem nisi duo opera struxit, Templum Augusto, & Scenam Pompejano Theatro: eaque facta contemtu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit*. Unde conjicere est, Pompejum in Theatro suo Scenam stabilem non fecisse: verum e Suetonio in Tiberio colligi potest, Tiberium illam incendio absumtam refecisse: *Nam quæ sola susceperat, Augusti Templum, restitutionemque Pompejani Theatri imperfecta per tot annos reliquit*. Confirmatque ipse Tacitus lib. III. Annal. *Theatrum igne fortuito haustum Tiberius exstructurum pollicitus est, quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii*. E quibus apertissime illorum error patet, qui Theatrum hoc a Pompejo relictum imperfectum, & a Caligula absolutum fuisse tradiderunt. At hoc tamen verum est, Caligulam ultimam operi a Tiberio relicto manum imposuisse. Ita enim Sueton. in Calig. c. XXI. *Opera sub Tiberio semiperfecta Templum Augusti, Theatrumque Pompeii absolvit*. Sunt, qui existiment, iterum arsisse, & a Claudio rursus restitutum; deceptum hisce, quæ adduximus Suetonii verbis: verum Dio lib LVIII. ait, Claudium tantummodo Pompejo titulum Theatri sui reddidisse; Scenæ Tiberii, & Theatro universo suum simpliciter tamquam dedicantis nomen inscribendo, nulla Pompeii, primi conditoris, facta mentione.

Totum unico die a Nerone inauratum fuisse legitur, ut Tiridati Armeniorum Regi, qui tum in urbem venerat, Romanæ potentiæ & opum specimen ostentaret. Ita Plinius lib. XXXIII. cap. III. & Dio, sive potius Epitomator ejus Xiphilinus, lib. LXIII. At ego tum non omnia marmora, aut lapides auro obductos existimem, (nam sic splendor potius & magnificentia istius ædificii corrupta magis quam illustrata fuisset) verum partes Theatri, fornices & ornamenta tantum cetera auro exculta, atque exornata crediderim.

Sub Tito iterum flammas passa Scena est, teste Dione lib. LXVI. totumque rursus Theatrum sub Philippo ludis secularibus anno urbis millesimo factis, ut est apud Eusebium in Chronicis. Dubitat etiam Donatus, num incendium, quod Vopiscus in Carino commemorat; *Pegma præterea exhibuit, cujus flammis scena conflagravit; quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit;* non ad hujus pertineat Theatri Scenam. Et videtur sane a vero non aberrasse. Tandem Theodoricus id restituit, ut est apud Cassiodorum lib. IV. epist. LI.

Quod autem a Vitruvio lib. III. cap. II. *Lapideum Theatrum* vocatur, non aliud mihi esse, nec diversum a Pompeii Theatro videtur, tametsi plerosque aliter statuere non ignoro. Non enim alii hoc convenit nomen: immo nec aliud stabile ac lapideum forsan Theatrum fuit, cum hæc sub Augusto scriberet Vitruvius: aut si inchoatum, saltem non perfectum atque dedicatum. Si quis tamen pertinaciter plura jam tum fuisse asserere voluerit, certe nulli melius, quam huic illud ita simpliciter additum *lapidei* nomen convenire poterit. Habeoque hic faventem Strabonem, qui l. v. inter Campi Martii ædificia tria tantum numerat Theatra: ubi vox *Campi Martii* non ita stricte sumenda est; quia ipsius ambitus numquam tria Theatra complexus est. Immo nec plura tum in tota fuisse urbe ex his Ovidii liquet;

Visite conspicuis trina Theatra locis.

Nec minus clare ex his Suetonii cap. XLV. Aug. *Ut Stephanionem togatarium* &c. *per trina Theatra virgis cæsum relegaverit*. Quod si quis *Balbi Theatrum* jam tum exstitisse dixerit, is & hoc & *Marcelli* eodem anno dedicatum sciat, Coss. Tiberio & Varo, ut Dio narrat lib. LIV. Quare vel duo tantum fuere, vel quatuor, & non tria, ætate Ovidii & Suetonii. Sed quid tum ad illa respondebitur Senecæ lib. I. cap. VI. de Clementia? *Tribus eodem tempore Theatris viæ postulantur*. Quid? an tum Theatrum Balbi necdum constructum dicent? At Ausonius in prologo VII. aperte satis tria tantum nominat:

Cuneata crevit hæc Theatri immanitas
Pompejus hanc, & Balbus, & Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumtibus.

Quare Rufus ille Panvinii, cum præter tria illa *Theatrum* addit *Lapideum*, satis detegit, non omnia, quæ profert, esse genuina, illiusque, quem præfert, parentis: in quo ei belle cum altero Victore convenit, cujus additamenta plerumque eadem sunt. Sed & Auctor Notitiæ *Theatra* IV. hic recenset, errore sibi familiari, quem tamen postea extremo breviario corrigit, ubi *Theatra* III. habet.

Vicinus Pompejano Theatro *arcus* fuit honori *Tiberii* Imp. a Claudio consecratus, cui illum Senatus jam antea decreverat. Suetonius in Claudio cap. XI. *Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii Theatrum, decretum quidem olim a Senatu, verum omissum, peregit*.

Fuit ibidem & *Fortunæ Equestris Ædes*; de qua supra Vitruvius: *Quemadmodum est Fortunæ Equestris ad Theatrum lapideum*. Quam symmetria *distylo* factam dicit, quæ inter binas columnas spatium duarum aliarum crassitiei appellata capax relinquebat. Mirum est, inquit Lipsius, Tacitum in tertio Annali affirmare, principatu Tiberii nullum tale in urbe Templum exstitisse: *Etsi delubra*, inquit, *ejus Deæ multa in urbe, nullum tali cognomento erat*. Quod tamen minime verum e Livio, Val. Maximo, Julioque Obsequente ostendit; secutus in eo Gyraldum, qui Vitruvium adducit. Verum Donatus Tacitum ita tuetur, ut *Equestris Fortunæ ædem* forte sub Augusto incendio absumtam, sub Tiberio vero necdum restitutam, aut nondum dedicatam fuisse existimet. Cui ego lubens assentior, addoque, facile fieri potuisse, ut, cum extremo Augusti principatu, vel primo Tiberii, Theatrum arserit Pompeii, eodem & vicinum hoc Templum incendio correptum fuerit: quumque Tiberius Theatrum ipsum, quod restituendum susceperat, non absolverit, multo minus eum hanc *ædem Fortunæ Equestris* refecisse, quem nulla opera publica nisi Templum Augusti, & Theatrum Pompeii instaurasse superius e Suetonio docuimus. Ceterum ædem illam unum de ædificiis, donisque Pompeii fuisse suspicor; quem absque omni exemplo, cum equestris adhuc tantum ordinis esset, triumphasse constat, necdum Senatorem: sive illud integrum, ac novum ejus opus fuit, sive vetus Q. Fulvii restitutum. Nam plura Theatro suo ædificia circumstruxit; in quis maxime nobilis ejus *porticus* fuit, quam ante Theatrum Appianus positam fuisse refert lib. II. bell. civil. *Brutus interim in Porticu, quæ ante Theatrum sita erat, exigentibus ab eo veluti Prætor jus administrabat*. Illud *ante* autem accipiendum non a parte Curiæ, sed Scenæ, liquet e Vitruvio lib. v. cap. IX. *Post Scenam porticus sunt constituendæ, uti, cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus, quo se reci-*

piat ex Theatro: Choragiaque laxamentum habeant, ad chorum parandum; ubi sunt porticus Pompejanæ. Ergo versus *Campum Floræ* porticus fuit; de qua jam supra in Campo Martio sat multa dicta sunt.

Præter Porticum *Curia* quoque ejusdem celebris fuit, maxime autem cæde C. Julii Cæsaris. De ea Plutarchus in Cæs. *Locum, in quo ea die Senatus cogebatur, Pompejus inter alia ornamenta ante Theatrum dedicaverat: in eo præterea quædam Pompeii erat imago*, &c.& Sueton.c.LXXX. in Cæsare: *Postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii Curiam edictus est, facile tempus & locum prætulerunt*. Agit autem illic Suetonius de conjuratis in necem Cæsaris, quos Dio lib. XLIV. in Theatro proximo Pompeii magnam gladiatorum manum paratam habuisse refert, si quo forte auxilio indiguissent. Vicina igitur Theatro *Curia* fuit; verum a quo latere, non exprimitur. Appianus *ante Theatrum* dicit: sed ante Scenam sita fuisse non potuit, quia illic porticus erat: unde ante caveam percommodum ei locum fuisse, verosimile est. Omnis enim illa pars inter Theatrum & Circum Flaminium ædificiis pluribus occupata, aptior multo erat accipiendæ etiam Curiæ, & habendo Senatui, quam aperta camporum. Sic & inter Curiam & Porticum nemus forte fuit, platano, vel lauru, vel alio arboris genere consitum, de quo Suetonius cap. LXXXI. in Cæs. *Postridie autem easdem Idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompejanæ Curiæ se inferentem volucres varii generis ex proximo nemore prosequutæ ibidem discerpserunt*. Hanc ego inter *Ursinorum Palatium* & Ecclesiam *S. Andreæ Vallensis* collocarim; vidisse enim memini, cum frontis illius ecclesiæ quondam fundamenta jacerentur, duas illic prægrandes effossas fuisse columnas marmoreas. Causa ejus exstruendi Pompejo fuit, ut, si forte necessitas habendi Senatus ingrueret, interea dum spectacula exhiberentur, locus illi esset conveniendi in proximo. Ita Appianus lib. II. de Bell. Civ. *Ludi tum erant in Theatro & Senatus imminentes huic ædes petiit, ut mos est spectaculorum tempore*. Post cædem vero Cæsaris obstructa est. Suetonius cap. LXXXVIII. in Cæs. *Curiam, in quam occisus est, obstrui placuit*. Appianus autem non obstructam modo, sed & exustam a populo dicit, l. II. Bell. Civ. Attamen statuam inde Pompeii postea ab Augusto translatam e Suetonio discimus cap. XXX. August. *Pompeii quoque statuam contra Theatri ejus regiam marmoreo Jano suppostuit translatam e Curia, in qua Julius Cæsar fuerat occisus*.

Domum quoque ibidem *Pompeii* fuisse maxima pars statuit Antiquariorum; idque ex his Plutarchi: *Is usque ad tertium triumphum mediocriter & simpliciter habitavit. Post populo Romano eximium illud & celebratum Theatrum exstruxit,& juxta, velut appendicem, ædificavit domum priore splendidiorem.* Verum Donatus, qui in explorandis veterum scriptorum sensibus lynceos oculos adhibuit, illud *juxta* ab interprete additum dicit; quum in Græco tantum textu legatur, ὥσπερ ἐφόλκιον τι παρετεκτήνατο. id est, *veluti appendicem quandam ædificavit*: addit que non absurde, *appendicem* illam non ad contiguitatem loci, sed ad ædificandi magnificentiam pertinere, seu respicere: ita ut Pompejus non contentus ingentes in Theatri ædificationem expendisse sumtus, eodem usus magnificentiæ impetu domum quoque in splendidiorem faciem mutaverit, ampliaveritque, non juxta Theatrum, verum eo, ubi ante fuerat, loco. Quod efficacissime probat adductis veterum testimoniis, *Pompeii domum* in Carinis collocantibus; quemadmodum in IV. regione superius vidimus.

Certius illud de *Atrio* ac *Basilica Pompeii* affirmare se posse nonnulli crediderunt: qui tamen de *Atrio* indicium aliud nullum, quam *Satrii* nomen, proferunt, quo tractum *Clavariorum* inter *Palatium Ursinorum* & Ecclesiam *S. Andreæ Vallensis* ad nostram usque memoriam appellatum dicunt. Verum in eo nomine ne scintillam quidem lucis, qua Atrii situs illustretur, invenio: quum id nomen aliunde, & forsan ab ipso *Theatri* vocabulo ortum sit. Sed nec de *Basilica* aliud exstat indicium, quam quod *Regiæ* ejus Suetonius meminit in Aug. cap. XXXI. *Pompeii quoque statuam contra Theatri ejus Regiam marmoreo Jano supposuit*, &c. Verum cum Suetonius *Theatri Regiam* eam vocet, Theatri quoque partem fuisse indicat, nec ædificium aliquod ab eo distinctum atque separatum. Forsan & de eodem Vitruvius locutus est lib. V. cap. VII. *Ipsæ autem Scenæ suas habent rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ dextra, ac sinistra hospitalia*, &c. De cujus *Regiæ* portis quoque capite agit antecedente. Sic & *Regiæ Theatri Marcelli* Asconius meminit in Orat. pro Scauro: *Quatuor columnæ marmoreæ insigni magnitudine, quæ nunc esse in regia Theatri Marcelli dicuntur*. Certe, si proxime Curiam Basilica fuisset in qua jus diceretur, Brutus in conjuratione contra Cæsarem, interim dum in Curia Senatus conveniebat, in illa basilica, & non in porticu jus dixisset: sicut ab eo factum Appianus lib. II. Bell. Civ. memorat: *Spectacula tunc quidem in Pompeii Theatro agitabantur; Senatus in ædibus proximis convocabatur: Brutus interim in porticu, quæ ante Theatrum sita erat, exigentibus ab eo, veluti Prætor, jus administrabat*. Verum quidem esse fateor, quum Vellejus Paterculus lib. II. Pompejum aliis Theatrum ædificiis circumdedisse dicat: *Perfectis muneribus Theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit*; vix id de duobus tantum posse accipi ædificiis, *Porticu* nempe, & *Curia*: sed, uti dixi, forsan & aliud ei templum addidit, quale illud *Fortunæ Equestris*, vel lucum, seu nemus platanorum, sive quid aliud, quod in tantis vetustatis tenebris oculos nostros ac diligentiam fugit.


Habuit Pompejus & *Hortos*, quos Antonius vel dono accepit a Cæsare, ut Appianus ait lib. II. Bell. Civil. vel sub hasta emit, cum Pompeii bona a Cæsare venderentur, quemadmodum apud Ciceronem legitur in secunda Philippica. Asconius duplices fuisse tradit, *superiores* & *inferiores* in Orat. pro Milone: *Timebat autem Pompejus Milonem, seu timere simulabat: plerumque non domi suæ, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat*. & circa finem: *Et ideo ne domi quidem suæ, sed in hortis superioribus ante judicium mansisse, ita ut villam quoque præsidio circumdaret*. Unde liquet villam hortis superioribus vicinam fuisse. Donatus inferiores forsan Theatro proximos fuisse existimat! nec id mihi a verisimilitudine videtur abhorrere: neque tamen, ut in re incerta, plane ei assentiri possum.

Inter Pompeii Theatrum & Circum Flaminium avorum nostrorum memoria ingens & prælongum ædificium exstitit, cujus etiamnunc pars aliquantula superest ad ædiculam *S. Mariæ Cacabarinæ*, quod, secundum delineatam nobis a Serlio lib. III. Architecturæ illius ichnographiam, omne illud in longitudinem spatium occupavit, quod inter *Subucularios* & *aream Judæorum* intercedit, *Palatium* complectens *Sanctæcruciorum*, & dictam illam aream; ad hunc ferme modum, ut ad extremum Theatrum incipiens ad Circum desineret, non tamen omne spatium occupans intermedium, verum partem ejus prospectui utriusque operis, qua sibi obversa erant, vacuam relinquens: ita ut ut eam au-

strum

ſtrum verſus inſtar areæ cingeret. Exhibet nobis A hæc ichnographia Serliana porticum vaſtæ molis, & duplicem, quippe quæ inter boreale latus, quo duobus iſtis, quæ dixi, operibus, Theatro & Circo, objacebat, & auſtrale, quo montem Cincium proſpiciebat, & Tiberim, in medio ædificium habebat in longitudinem porrectum, utrumque latus dividens, quod duæ porticus occupabant, cum tribus ſcalis cochlidibus, queis in ſuperiorem ordinem adſcendebatur columnarum. Duo enim earum ſibi invicem ſuperimpoſitarum ordines erant, ut ex altero Serlii liquet ſchemate, &, quæ adhuc B ſuperſunt, reſiduis. Fuere, qui *domum Marii* fuiſſe exiſtimarint, nomen illud *Cacabarie Caſa Marii* corruptum ſibi perſuadentes. Alii hiſce prudentiores *porticum Pompeii* fuiſſe opinati ſunt: ſed hanc ob platanorum umbram deambulantium utriuſque ſexus delicias in herboſo campi potius exſtitiſſe margine credibile eſt, quam inter illam ædificiorum undique ambientium multitudinem. Tum vero & ab ea illam Theatri fuiſſe parte ſupra dixi, qua Scena fuit. Adhæc arcus e lateribus magis, quam Tiburtinis conſtructi lapidibus, majorem C præ ſe ferunt vetuſtatem: & pilæ ejus potius quam columnæ, ad magnificentiam non accedunt porticus Pompejanæ. Circi Flaminii vero vicinitas Donatum, ut *Philippi* eam crederet, induxit: quæ quamquam non abſurda conjectura eſt, attamen neſcio quomodo magis eo propendeo, ut *Cn. Octavio* illam tribuam, quam & Plinius &. Victor duplicem tradunt, & tam Circo Flaminio, quam Theatro Pompeii pariter propinquam fuiſſe conſtat. De vicinia Theatri hæc habet Feſtus initio lib. XVI. *Octaviæ porticus duæ appellantur, quarum* D *alteram Theatro Marcelli propiorem Octavia ſoror Auguſti fecit; alteram Theatro Pompeii proximam Cn. Octavius Cn. filius, qui fuit Æd. Cur. Pr. Coſ. Decemvir ſacris faciundis, triumphavitque de Rege Perſeo navali triumpho, quam combuſtam reficiendam curavit Cæſar Auguſtus*. Viciniam Circi hæc Plinii indicabant l. XXXIV. cap. III. *Invenio & a Cn. Octavio, qui de Perſeo navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad Circum Flaminium, quæ Corinthia ſit appellata a capitulis æreis columnarum*. & illa Velleii lib. II. *Porticum in Circo Cn. Octavius multo amœniſſimam molitus eſt*. Conjunctas ea pilis habet medias columnas cum capitulis e lapide Tiburtino: quare capitula ærea non omnibus impoſita fuiſſe columnis exiſtimandum eſt; qui luxus eo ſeculo fuiſſet intolerabilis & prodigioſus: verum pauculis nonnullis, ſive in inferiore ordine, ſive potius in edito, locoque conſpectiore. Hæc eſſe illa Octaviana ambulacra, in queis Veſpaſianus & Titus Impp. ante triumphum a Senatu excepti ſunt, Donatus e Joſepho, lib. VII. belli Judaici, ſatis evidenter demonſtrat. Fuere ex Antiquariis, qui porticum eam ad Eccleſiam *S. Nicolai Cæſarinorum* olim *in Calcaria* dicti, collocarint, ob vocem χαλκός, id eſt, ob ærea illa columnarum capitula. Verum porticus hæc, ut optime Donatus reſpondet, non *Chalcea*, ſed *Corinthia* appellata fuit: nec veriſimile eſt temporibus barbaris aliam illi a Græca voce deſumtam datam fuiſſe denominationem. Quod ædem *S. Nicolai* attinet, cognomen illi *in Calcaria* a proxima officina calcaria, quæ ut olim, ita & nunc ibidem eſt, inditum fuit. Cognomen vero *Cacabarinæ*, quod ædiculæ D. V. additum, non video cur id alicui corruptum videatur, cum integrum & purum ſignificationem apertam habeat, & vero congruam. *Cacabarii* enim artifices ſunt, qui cacabos faciunt: qui quondam eo in loco merces habuiſſe cenſendi ſunt, quemadmodum nunc in ſummo faciunt *Foro* ſive *area Navona*.

Porticus Philippi mentio fit a Plinio lib. XXXV. idque aliquoties. Capite enim X. Helenam Zeuxidis, & Liberum, Alexandrum M. puerum, & Hippolytum Antiphili in ea fuiſſe commemorat: cap. vero XI. bellum Trojanum pluribus tabulis a Theodoro depictum. Rufus & Victor hanc ei



regionem assignant: Martialis autem lib. v. epigr. L. ad templum eam Herculis collocat:

Vites censeo porticum Philippi:
Si te viderit Hercules, peristi.

Martialis hic Labienum exagitat, qui in senili ætate adolescentiam affectabat. Unde Herculem hunc Custodem eo gestu effictum puto, ac si pueros de Circo vellet abigere. Quum vero ædes hæc *ad ulmum* fuerit, porticus ea fortasse, si ei ad latus fuit, locum habuit, inter *ulmum* & *aream Cavaleriorum*, e regione porticus Octavii. Atque ita omne illud spatium, quod inter Circum Flaminium & Theatrum Pompeii intercessit, undique porticibus, ad instar Fori, cinctum fuisse videtur; cui fortean & Curia Pompeii objecta respondebat: quemadmodum ex illius, quæ hic subjicitur, ichnographiæ intuitu melius patebit.

CAP. IV.

Pantheon Agrippæ cum ædificiis aliis vicinis.

NEmo est, qui dubitet, ædem illam, cui nunc *Rotundæ* nomen, *Pantheon Agrippæ* esse: & in eo vulgus etiam cum Antiquariis consentit. Liquet enim ex inscriptione, quæ in fronte exstat operis: M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT. Quicum & Dionis illa conveniunt, quæ lib. LIII. leguntur. Verum an ex ipsis fundamentis ab Agrippa exstructum sit, de ea non una omnium sententia est. Dio enim vocem hic usurpat ἐξετέλεσε, quæ non totum ædificium construere, sed perficere tantummodo significat. En tibi ejus verba: *Pantheon quoque perfecit Agrippa. Id sic dicitur fortasse, quod in simulacris Martis & Veneris multas Deorum imagines acciperet: ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa fastigiatum cœli similitudinem ostenderet.* Adhæc ex ipso statim oculorum conjectu liquet non unam esse ecphorarum seriem, sive ordinem, porticus & templi; neque hanc extremis sui partibus templo ipsi insertam, verum tamquam separatam structuram simpliciter additam vix adhærere. Tum & qui Architectonices intelligentes sunt, elegantiam porticus longe ædificio ipsius ædis præferunt, multoque præstantioris, & non ejusdem seculi artificis esse opus asserunt. Ammianus Marcellinus lib. XVI. ubi templum hoc una cum Jovis Capitolini Romæ, & Veneris Pacisque templis inter præstantissima urbis opera enumerat, ita illud describit: *Velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam.* Sic & Plinius lib. XXXVI. cap. XV. inter maxime mirabilia illud recensens urbis ædificia ait: *Pantheon Jovi Ultori ab Agrippa factum, cum Theatrum ante texerit Romæ*, &c. Certe nemo est, qui circularem hanc structuram, non ut nunc oculis occurrit, verum ut olim e depressiore tum solo assurgebat, cum cura intuens, non summopere ad conspectum tam pulchri, tam editi, tamque magnifici operis, additæque porticus majestatis obstupescat. Fulvius & Marlianus vidisse se affirmant dectum ante templum priscum solum: e quo in ipsum templum ea altitudine adscendebatur, qua nunc descenditur. In porticu ad utrumque portæ latus duo grandiora loculamenta visuntur, in queis forte statuæ Augusti & Agrippæ olim collocatæ fuere; de quibus ita Dio eodem libro: *Voluit Agrippa in eo Augusti quoque statuam collocare, nomenque operis ei adscribere: neutrum autem eo accipiente, in Pantheo ipso Cæsaris prioris, Augusti & suam in vestibulo posuit.* Ceterum & *tegulas*, & *trabes* hujus porticus *æreas* fuisse certum est. Ac tegulas quidem Constantinus III. Imperator Græcus ceteris omnibus, quæ ex ære erant, ornamentis, & marmore omni, in Siciliam abstulit, ut Anastasius refert *in vita S. Vitaliani Papæ*. Trabes autem energaneas itidem ex ære, singulasque tribus prægrandibus tabulis, clavis item æreis connexas, ætas nostra vidit, sublatas ab Urbano VIII. anno CIϽIϽCXXVII. ut ex iis altari majori Ecclesiæ *S. Petri* columnas adderet, & *castellum S. Angeli* tormentis bellicis instrueret, repositis in earum locum ligneis, porticuque ad angulum dexteri lateris restituta, duobus insuper additis turribus campanilibus. Sed & janua, seu porta, ex ære fuit, magnitudinis incredibilis: quæ quum non conveniat antium altitudini, suspicio multis oborta est, non veram illam, primamve portam esse, sed aliam ex alio illi vetere ædificio substitutam. Porro tam enormis marmoreorum antium altitudo est, qui adhuc integri visuntur, ut jure merito intuentibus stuporem incutiat. In fastigio *statuæ* fuere, quas nimia operis altitudo minus conspicuas faciebat. Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Agrippæ Pantheon decoravit Diogenes Atheniensis: & Caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum: sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata.* Quid *Caryatides* fuerint, Vitruvius lib. I. exponit, sigilla nempe muliebri specie pro Atlantibus epistyliis subjecta: quæ qua parte, locove in Pantheo fuerint, discernere hactenus non potui. Idem Plinius l. XXXIV. c. III. *capita* illic fuisse ait *Syracusana*: *Syracusana sunt in Pantheo capita columnarum a M. Agrippa posita*: id est, ex ære Syracusano. Sed nec ubi illa fuerint, dispicere valui. Nisi forte sex sacellula, quæ illic pro columnis hodieque conspiciuntur, Caryatidas olim & capitula ex ære habuerint, mutata postea ab aliquo, qui Pantheon restituerit.

Hæc jam scripseram necdum visis cognitisve Ludovici Demontiosii dissertationibus, quibus *Gallus Romæ Hospes* inscribitur, ab eruditissimo D. Benedicto Mellino mecum postea communicatis. Harum altera fuse idem de Caryatidibus dubium pertractat: ubi duo in Pantheo auctor observat; primo, pavimentum, quod non exiguam plinthorum partem in pulcherrimis e marmore Numidico columnis striatis abscondit: unde vetus pavimentum multo fuisse conjicit depressius: cujus & argumentum sunt indicia nonnulla principii graduum, quæ adhuc ad introitum, seu limen ædis supersunt, ubi nonnihil ab intrantibus descenditur. Deinde totius operis symmetriam, quod quamvis partes aliquas habeat generis Corinthiaci, quod altitudinem requirit, tamen proportionis Doricæ modum tenuit, altitudinem latitudine adæquantem; quæ quidem proportio antiquis Architectis in templis improbata est, ut e Vitruvio liquet lib. IV. c. III. Hinc Demontiosius ita argumentatur, ut huic ædi sua constaret altitudo, necesse fuisse, ut multo, quam nunc est, olim haberet humilius pavimentum. Idem & tabulas se aliquammultas in porticu vidisse ait marmoreas ruderibus tantum non obrutas, cum stylobatæ mutulo, sub quo femina sculpta exstante mediocriter figura. Has ille tabulas (quarum unius exhibet delineationem: suntque fortitan illæ, quæ nunc in secundo impluvio *Palatii Farnesiani* versus *viam Juliam* parieti portæ proximo appositæ) anteriores esse stylobatarum partes opinatur columnis olim templi striatis subjectorum, quum utrorumque eadem deprehendatur esse latitudo: feminas vero iisdem insculptas Caryatidas esse illas Plinio memoratas: adhæc solum pavimenti tredecim fuisse palmis depressius, quam nunc est,

argumento ex altitudine stylobatarum ducto; sic ut e foribus in ipsum templum multorum graduum descensus fuerit. Sed nec his contentus, quo sua huic ædi debita constet altitudo, sufficiens in circuitu pavimento spatium relinquens, reliquum in medio multo adhuc statuit depressius, ibidemque cloacam collocat, quam, ad faciliorem ab omni parte descensum, circularibus gradibus circumdat: ædificio vero ipsi formam ovalem attribuit: &, quod Jovi, Diisque ceteris omnibus, templum hoc consecratum erat, in tribunali, quod e regione januæ erat, colosseam Jovis fuisse statuam existimat ejusdem altitudinis stylobatæ impositam, cujus & columnarum stylobatæ reliqui fuerint. Octo vero illa sacellula, quæ ex ambitus templi interioris recessibus producuntur, Diis cœlestibus assignat: terrestres autem spatiis inter columnas majores intermediis attribuit; infernales tandem solo pavimenti infimo post gradus circumscribit.

Ingeniosa quidem, fateor, & erudita hæc conjectura est, veruntamen suis non carens difficultatibus. Nam primo quidem sacellula octo ista stylobatas habent columnis suis subjectos altissimos: quibus stylobatas alios tredecim palmorum fuisse subjectos nulla umquam ratio concesserit Architectonices: præterquam quod spatii in pavimento id credere prohibeat angustia, quod inde habuisset. Tum vero statuam Jovis intrantibus statim e regione conspicuam non elatiore, imo etiam depressiore quam ipsum limen, loco fuisse collocatam, non modo præter omne decorum fuisset, sed & abjecti aliquid habuisset, atque ignominiosi. Præterea nec Deorum recta fuisset dispositio. Cœlestibus enim Diis, & majestate & numero præcellentibus, minor cessisset, & angustior locus, quam terrestribus. Quod autem Caryatidas attinet, eas mutulo fuisse stylobatæ subjectas, ut illum sustentarent, a verisimilitudine plane remotum est: & ille, quem Demontiosius describit, pilæ potius alicujus, aut columellæ esse, quam stylobatæ, videtur. Tandem si e templi foribus descendendum fuit, inutilis illa graduum series fuit, quibus e soli exterioris planitie ad ipsas ædis fores adscendebatur, quum absque illis & sumtibus, & molestiis, deformitateque adscensus descensusque æquale & januæ & pavimenti solum esse potuerit. Quare cum januam, tum porticus olim depressiores fuisse necesse est, columnasque porticus habuisse bases; aut ipsum templi pavimentum non multo, quam nunc est, fuisse humilius: ita ut columnarum plinthi tantum conspici potuerint. Non tamen fieri potuisse negaverim, ut media pars templi fuerit depressior, (qualis in *basilica S. Petri Vaticana Confessio SS. Apostolorum* sub hemisphærio conspicitur) reliqua parte cancellis clausa, & a pluvia libera. In illam vero descensum sit vel per gradus apertos, ut in dictam ecclesiæ *S. Petri Confessionem*, vel clancularios, cujusmodi sunt, per quos e solo seu pavimento Panthei in ipsum ejus hemisphærium adscenditur. Diis certe infernalibus sedes nulla aptior assignari potuit, quam sub istiusmodi fornicibus: atque illic in illa infima circumferentia *Caryatidibus* esse locus potuit. Quod autem illic jam non amplius ea videatur soli profunditas, expletam eam, complanatumque solum arguit, seu quo substructio firmior esset; seu qua alia de causa, quæ nobis ignoratur: sive id ab Imp. M. Aurelio factum, quem Spartianus inter cetera ejus opera Pantheon restituisse tradit, quod Trajani principatu de cœlo tactum conflagrasse Dio commemorat: sive a Septimio Severo, cui itidem restitutionis gloriam inscriptio valvarum porticus tribuit; quum ætate Commodi incendio fuisset deformatum; ut apud

A eundem Dionem legimus, ubi incendium describit Vesuvii. Tandem si quis exacte pavimenti formam consideravit, facile in eo vetustatem illam priscam Romanæ agnoscet magnificentiæ, adeoque alterius istorum Principum operis indicia. Sed hæc altioris ingenii indaginis sunt, adeoque ulterius examinanda.

De Veneris statua, quæ in Pantheo fuit, hoc memorabile est, inauribus ejus Deæ insertum *unionem* illum nobilem *Cleopatræ*, sed dissectum in duas partes: cujus illa geminum alterum aceto liquefactum in cœna biberat. Historia facti fuse narratur a Macrobio lib. III. Saturn. cap. XII. attin-B giturque a Plinio lib. IX. cap. XXXV. De instauratione seu restitutione templi, cujus gloriæ Hadrianus quoque particeps fuit, paulo ante e Spartiano & Dione egimus: quibus & Capitolinus addi poterit.

Quidnam inter Pantheon & *Cæsarinorum* ædem fuerit, facile explicatu est. Non longe namque a Pantheo, ubi Arcus fuit *Ciambellæ* dictus, pars magna adhuc *Caldarii* sphærica superest, quod plerique omnes & recte Thermis Agrippæ adjudicant. In Rufo legimus: ... *M. Agrippæ*: ubi forte vox *Pantheon* excidit. Sequitur deinde: *Horti* C *& Thermæ Agrippæ*, argumentum non leve vicinitatis. Sic quoque Dio lib. LIII. *Agrippa vaporarium Laconicum fecit. Laconicum autem dicitur id genus balnei, quoniam hic tum nudari corpora, tum inungi oleo præcipue videbantur*. Et Plinius plusquam uno loco; inprimis autem lib. XXXVI. cap. XXV. ubi de pavimentis agit: *Agrippa certe in Thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit: in reliquis albaria adornavit, non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset*, &c. Et lib. XXXV. cap. IV. *In Thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat parvas tabellas, paulo ante, quam reficerentur, sublatas*. Tum D & de statua ærea, quæ ibidem inter ceteras, lib. XXXIV. cap. VIII. *Plurima ex omnibus signa fecit* &c. (Lysippus Sicyonius) *inter quæ destringentem se, quem Agrippa ante Thermas suas dicavit, mire gratum Tiberio Principi; qui non quivit temperare sibi in eo*, &c. *Transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: cum quidem tanta P. R. contumacia fuit, ut magnis Theatri clamoribus reponi Apoxumenon flagitaverit, Princepsque quamquam adamatum reposuerit*. Ex privatis *Thermæ* illæ publicæ factæ sunt ipsius Agrippæ testamento, populo eas una cum hortis legantis. Dio lib. citato: *Moriens Agrippa populo hortos, & balneum a se denominatum,* E *legavit, ut gratis lavarentur*.

Hortos Thermis conjunctos fuisse ex his ipsis Dionis verbis conficit Donatus: in queis & *Stagnum* fuit. Tacitus lib. XV. Ann. *In Stagno igitur Agrippæ fabricatus est* (Nero) *ratem, cui superpositum convivium aliarum tractu moveretur. Naves auro atque ebore distinctæ*. Sunt tamen nonnulli, qui *Stagnum* hoc in Transtiberina fuisse regione existiment. Suetonius autem in Nerone illic ubi dixi id collocare videtur, c. XXVII. *Cœnitabatque nonnunquam in publico Naumachia præclusa, vel Martio Campo, vel Circo Maximo, inter scortorum totius urbis, ambuba-*F *jarumque ministeria*: ubi per *Campum Martium Stagnum* denotari certum est, quod in Campo Martio fuit; præsertim cum Tacitus eum illic publice cœnare solitum tradat; qui & *nemus* ei addit, & ædificia circumjecta, valida assertionis nostræ argumenta. Ita enim ille: *Postquam tenebræ incidebant, quantum juxta nemoris, & circumjecta tecta consonare cantu, & luminibus clarescere*. De eodem nemore mentio quoque apud Strabonem exstat lib. XIII. ubi de Lampsaco loquitur: *Illinc transtulit Agrippa leonem cadentem, Lysippi opus; posuit vero*

A *in nemore, quod Stagnum interjacet & Euripum.* Ubi &, præter *Stagnum*, *Euripus* observandus occurrit, qui vel aquæ receptaculum fuit, non per cloacam, verum aperte, ad majorem venustatem, amœnitatemve, in Tiberim delabentis, vel quis alius rivulus proximo stagno additus: quemadmodum lib. de Aquæductibus Frontinus innuere videtur, ubi de Aqua Virgine agens ait: *Operibus sexdecim quinariæ* MCCCLXXX. *in quibus per se Euripo, cui ipsa nomen dedit, quinariæ* CCCCLX. Adde, quod Nero illic in viciniâ thermas suas struxerit, verisimile esse, eundem hoc loco fuisse delectatum; fortean & e thermis suis in cœna in *Stagnum* illis contiguum B ivit. Ita namque Suetonius eodem, quo supra, capite: *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis.* Forte & Rufus, cum ait, *Lacus Thermarum Neronis, Stagnum Agrippæ* designat. Neque vero me fugit, *Lacus* nomen cuivis etiam exiguæ aquarum collectioni dari solitum: sic ut is *Lacus* fons aliquis istarum Thermarum esse potuerit: veruntamen non minus apte *Stagno* convenit. Situm ejus loco, cui valli nomen, assignarim inter *Telonium* & Ecclesiam *S. Andreæ*: quod nomen indicio est temporibus recentioris vetustatis, exsiccato jam *Stagno* locum illum circumjectis restitisse depressiorem: sic ut *Stagnum* contiguum & C thermis & hortis fuerit, qui inter *Arcum Ciambellæ* & Ecclesiam *S. Nicolai Cæsarinorum* ad porticum Philippi fuere; aut certe in proximo. Quare populo commodum fuit, postquam in thermis lotus erat, hortorum captare umbras, & in stagno natatu semet exercere. Quas delicias ceteri post æmulati thermas multo magnificentiores, & ampliore ambitu ædificaverunt, inclusis deambulationibus, xystis, natatoriis, stagnis, & id genus aliis corpori exercendo idoneis ædificiis. *Aquam Virginem* quod attinet, quam Agrippa usque ad thermas suas deduxit, ea non solum thermis, sed D & hortis, ac stagno inserviit. Ubi igitur Scriptores *Aquæ Virginis* meminere, institutæque in ea lavationis, *thermas* designant: ut v. gr. Martialis lib. VI. ep. XLII.

Contentus potes arido vapore
Cruda Virgine, Martiaque mergi.

Verum ubi natationis meminere, ad *Stagnum* ea referenda sunt. Sic Statius lib. I. Sylvar.

Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat, &c.

E Item Martialis lib. V. ep. XXI.

Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ.

Id ipsum & Plinius indicare videtur lib. XXXI. cap. III. *Horum omnium comparatione differentia supradicta deprehenduntur, cum quantum Virgo tactu, tantum præstet Martia haustu.*

Sed & hoc de *Stagno* mihi addendum videtur, non omnino a veri abludere similitudine. Cavum illic antea fuisse naturale, cujus occasione Agrippa ibi stagnum fecerit, concurrentibus seu corrivatis illuc aquis; quæ, cum cloaca in Tiberim eas F deferente destituerentur, paludem effecerint *Capream* appellatam, quam in Campo Martio fuisse Livius docet: juxta quam cum Romulus ad populum verba faceret, oborta repente tempestate desideratus est. Imbecille, fateor, & leve argumentum est illud loci concavitatis: sed in re dubia, ubi verisimilitudini nil adversatur, conjecturæ etiam levissimæ locus esse potest.

Laurus Vipsanas, quas Martialis lib. I. epigr. CIX. e domo sua videri potuisse dicit,

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus,

nonnulli porticui adjungunt Panthei, alii vero porticui Argonautarum: cujusque utriusque auctor Agrippa fuit. At mihi vix credibile videtur nemora porticibus templorum addita fuisse, sicut illis factum, quæ libero loci spatio fruebantur: multoque verisimilius *laurus* illas *hortis Agrippæ* tribuerim: qui licet remotiores, e cœnaculis tamen ædium conspici potuere; non secus ac Pantheon, & ædificia humiliora proxima etiamnunc illius loci prospectui patent.

Inter Thermas & Pantheon adversus Ecclesiam *Minervæ* grande adhuc fragmentum veteris alicujus superest ædificii, quod plerique *Templum boni Eventus* fuisse credunt: nullo alio argumento, quam quod statim post Agrippæ Thermas mentio ejus apud Victorem fiat. Hinc Donatus prudenter sane in medio relinquit, cui parti illud IX. regionis sit adscribendum. At mihi diligentius illud intuenti e grandibus fornicibus, qui postea muro obstructi sunt, porticus fuisse videtur: favetque huic conjecturæ meæ, quod Ammianus extremo lib. XXIX. eam agnoscere videatur, ubi de Claudii Præfecti V. R. agit operibus: *Instauravit vetera plurima; inter quæ porticum excitavit ingentem lavacro Agrippæ contiguam Eventus Boni cognominatam ea re, quod hujus nominis prope visitur templum.* Unde colligere licet, cum porticus ea ab uno latere Thermas, ab altero Pantheon habuerit contiguum, templum illud, unde ipsi nomen, ante eam fuisse, id est, vel in area Minervæ, vel in ea domorum insula, quæ inter idem vetustatis monumentum & aream intermedia est, non longe ab æde *S. Eustachii*.

CAP. V.

Campus Martius: ac primo latus ejus sinistrum.

INter cetera IX. regionis tam Rufus quam Victor *Campum Martium* reponunt: quo Blondus & Fulvius omne illud spatium interpretati sunt, quod a porta Carmentali inter colles & Tiberim interjectum fuit. Auctor ipsis hujus sententiæ Livius lib. II. *Ager Tarquiniorum, qui inter urbem & Tiberim fuit consecratus Marti, Martius deinde Campus fuit.* Nec ab his Dionysius dissentit, lib. V. verum Marlianus, qui veteres urbis muros Reip. tempore usque ad *Pontem Sixti* extendit, *Campum Martium, inter urbem & Tiberim*, a *Ponte Sixti* inter Tiberim & Collem Hortulorum restringit; & hisce sese Livii lib. III. tuetur: *Itaque Coss. ex composito eodem bivio ad urbem accessere, Senatumque in Martium Campum evocavere*, &c. & postpaullo: *Itaque deinde Coss. ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, (Circum jam tum Apollinarem appellabant) evocavere Senatum.* Ubi *Campus Martius* a *Pratis Flaminiis* distinguitur. Tum & hoc utitur argumento; quod si *Campus* ille *Marti* consecratus fuerit, non potuisse privatis ædificiis occupari, cujusmodi plures regione IX. fuere, nec in Fora converti negotiis profanis dicata, quale Suarium fuit. Donatus contra distinguendum hic arbitratur, duasque adfert *Campi Martii* significationes; unam laxiorem, qua omne illud spatium inter Tiberim, Capitolium, Quirinalem, & Pincium, ad mentem Blondi & Fulvii, comprehenditur; quomodo Livius & Dionysius explicandi sunt: alteram vero strictiorem, qua spatium Marti consecratum intelligitur, exercendæ permissum præparandæque ad bella juventuti: de hoc autem alterum Livii locum accipiendum esse.

Et hæc quidem distinctio rationi perquam consentanea est: veruntamen nimis liberaliter spatium illud Donatus dimensus est posterius, a *palatio* scilicet *Pontificio* in monte Quirinali usque ad Tiberim per *Collegium Romanum*, Pantheon, *Campum Floreum* & *Palatium Farnesiorum*. Non enim mihi credibile videtur, omne illud loci spatium vacuum semper fuisse, & juventuti ad exercitationes relictum, ut mox videbimus. Adde, juxta Tiberim Viam Rectam fuisse, & non procul a collibus Flaminiam, quas ab utroque latere ædificiis fuisse conseptas negari nequit: quum Flaminia tota sui longitudine extra urbem domibus exculta fuerit; sic ut *Campus Martius* utraque hac via coartatus fuisse videatur. Sed quidquid hujus fuerit, mox patebit, cum ea de re ulterius disputabitur: interim ipsa, quam hic proponimus, tabella luminis aliquantum tenebris hisce infundet.

Campum hunc *Marti*, cui sacer fuit, nomen debere, satis constat: verum quando, & a quo ei consecratus sit, diversæ Livii Dionysiique sententiæ incertum faciunt. Livius populo illud factum tribuit, statim post ejectos Reges: Dionysius prius consecratum, & a Tarquiniis postea usurpatum, rursusque a populo Marti redditum tradit. Dionysio lex Numæ a Festo tradita, & a nobis alibi producta, plurimum favet. Ea hæc est: *Secunda spolia in Martis aram in Campo Solitaurilia, utra voluerit, cædito*. Sed & ipse Livius lib. I. hujus aliquod præbet indicium: *Edixit*, inquit de Tullio primum lustrum condente, *ut omnes cives Romani, equites peditesque in suis quisque centuriis in Campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem sue, ove, taurisque tribus lustravit*, &c. Fortean illic ara a Romulo posita fuit, & locus Marti dedicatus non tam amplus fuit, nec late protensus, quam post factum expulsis Tarquiniis. Sed ea de re postea pluribus agemus.

Simpliciter etiam & κατ' ἐξοχὴν *Campus* appellatus fuit. Sic Trebellius, in Claudio: *Fuerat etiam adolescens in militia cum ludicro Martiali in Campo luctamen inter fortissimos quosque* &c. Et Ovidius lib. IV. Fastor.

Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aspicere, &c.

Nec non Propertius, lib. II. eleg. XVI.

Tot jam abiere dies, cum me nec cura Theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.

Item Lucanus lib. I.

—— *fregit solemnia Campus,*
Et non admissæ dirimit suffragia plebis.

Petronius in carm. de bello Civili:

Nec minor in Campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vendunt.

sexcentique alii, quos describere in re nota operæ pretium non est.

Delectus hic *campus* fuit ad Tiberim bellicis exercitationibus, natationique, ut collectum illis pulverem flumine abluerent. Porphyrius ad Horat. lib. III. od. VII. *Notum est, juventutem Romanam apud veteres & exercitatam in Campo Martio, & post hoc exercitium natare solitam fuisse in Tiberi: quia peritia nandi in rebus militaribus sit necessaria*. Vegetius lib. I. cap. X. *Ideoque Romani veteres* &c. *Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum sudorem pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursusque laborem natando deponeret*. Inter cetera exercitia etiam illud erat, ut velociter equos conscendere discerent,

A quum eo tempore stapedum usus ignotus esset. Et hinc illic equi e ligno. Vegetius l. I. c. XXIII. *Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, deinde armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat, ut non solum a dextris, sed etiam a sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios, vel contos tenentes*. Illos porro equos hyemales ligneos, quamquam sub tecto, tamen in proximo, nec adeo longe a Campo Martio, in porticu aliqua, aut quo alio ædificio vicino, usurpatos adhibitosque existimem.

Quod ad descriptionem *Campi Martii* attinet,
B nemo hoc Strabone melius præstitit, qui lib. V. ad hunc modum de eo disserit: *Maximam horum partem Martius Campus habet præter nativam locorum amœnitatem artis & solertiæ exornationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo lusus, & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat; nec minus tam multis circulum, palæstricamque exercitationem tractantibus, aliaque incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatosque ad fluminis alveum colles, scenicarum ostentatio picturarum, ejusque generis spectacula præstant, ut difficulter & invitus abscedas. Huic proximus cam-*
C *po & alter adjacet campus, & innumerabiles circumcirca porticus, horti nemorosi, theatra tria, simul & amphitheatrum, templa magnificentissima inter se contigua, ut quasi nil aliud agentia reliquam urbis venustatem ostentare videantur. Eapropter eum locum istum religiosissimum esse cogitassent, clarissimorum virorum ac feminarum monumenta in eo construxerunt. Commemoratione dignissimum est, quod Mausoleum appellant*, &c. Plura hic dicuntur, quæ accuratius mihi expendenda videntur.

Ac primum amplitudo loci ædificiis, ceterisque impedimentis libera. *Campi enim admirabilis magnitudo*, &c. Sed melior hic Donati versio est: *Nam*
D *& magnitudo ejus mirabilis est, & curruum, equorumque decursionibus libere patet, tantæque multitudini pila, & circo, ac palæstra se exercentium*. Ubi hanc ejus magnitudinem intueor, & ædificiorum jugi sibi serie contiguorum multitudinem, de qua supra, circa Circum Flaminium, & Theatrum Pompeii, non possum non sententiam rejicere Blondi, Fulviique; nam ubi illa fuere, Campum sane nec Martium nec quem alium liberum ac patentem existere potuisse certum est: sicut nec ad Viam hic Campus Rectam, nec ad Flaminiam pertingere potuit. Et hæc pro tempore sufficiant.

De viriditate, & *perennibus* solo *herbis* &c. ita Ho-
E ratius lib. III. od. V.

Quamvis non alius flectere equum sciens
Æque conspicitur gramine Martio.

Et Ovidius lib. III. Fastor.

Altera gramineo spectabis equiria campo, &c.

Item lib. VI.

Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aspicere, & dici, lubrice Tibri, tuos.

Sic & Cicero lib. II. de Oratore, de Lepido: *Cum*
F *exteris in Campo exercentibus in herba ipse recubuisset, vellem hoc esset, inquit, laborare*. Tandem & Dionysius lib. V. Campum Martium bona pascendis equis prata esse dicit, quorum sane faciem libero sui spatio exhibuit.

Colles ad fluminis alveum coronati, scenicarum ostentatio picturarum; sive, ut Donatus habet, *tumulorumque coronæ supra amnem usque ad alveum Scenæ quandam ostentantes speciem*, nonnihil adferunt difficultatis. Nam Capitolinus, Quirinalis, & Pincius, quamquam situ suo theatri suppeditabant imagi-

nem, nullum campo tamen ornatum conferre potuerunt, a quo tam longo intervallo disjuncti erant, ut conspectum ejus effugerent: & vocabulum *tumulorum*, quod infra eorum est dignitatem, ad vicinitatem fluminis restringitur. At mihi quidem nil certius, quam duos hac voce colliculos, pari spatio Tiberi distantes, indicari, quorum nunc alteri *Citerio* nomen, alteri *Jordano*: qui, cum solum urbis humilius olim esset, sine dubio altiores & præruptiores oculis occurrerunt: inter hos autem duos largissimum tunc temporis *Campi Martii* fuisse spatium mox videbimus.

Adhæc & *ædificia*, quibus circumdatus fuit, animi singularem merentur adversionem. Erat enim campus *præter nativam locorum amœnitatem artis ac solertiæ exornationes admittens*: melius Donatus: *Cum natura, tum hominum prudentia ornatus*. Ex eorum vero descriptione, quæ diligentius indicanda, vera Campi facies apparebit. Ac primum quidem illorum pars magna ex porticibus constitit, quas populus ad vitandum vel solem, vel imbres subiret. Quamquam vero illa Strabonis, *innumerabiles circa porticus*, etiam ulterius extendi queunt, de his tamen, quæ *Campo Martio* circumjectæ, rectius accipi videntur. His porro reliqua connexa, aut vicina ædificia terminos nobis totius Campi indicabunt. Quare ut illius aliquod statuatur principium, ultra Pantheon non processisse certum est, quandoquidem locum ei contigua Pantheo ædificia, Thermæ, Horti, Stagnum Agrippæ, Templum, & Porticus boni Eventus, &c. nullum reliquere.


Thermarum Neronis non procul a Pantheo vestigia aliqua in *Palatio Magni Hetruriæ Ducis* agnoscuntur, quod est inter ædem *S. Eustachii* & *aream Madamam*, olim *Longobardorum* dictam. Ita Fulvius & Blondus: multoque plura vetustiores hisce Antiquarii vidisse se testantur, de quorum non licet fide dubitare. Blondus ea sua memoria satis grandia & ampla fuisse scribit; cui Marlianus in hæc verba suffragatur: *Thermarum vestigia late patent a S. Eustachio usque ad domum Gregorii Narniensis, viri optimi & humanissimi, in cella vinaria, cujus vidimus Thermarum pavimenta, & plumbeas fistulas*. Hinc & Ecclesiæ antiquæ, quæ nunc *S. Salvatoris* appellatur, & *Palatio Magni Hetruriæ Ducis* conjuncta est, olim *S. Jacobi in Thermis* nomen fuit. Verum dubitet forsan aliquis, an non hæ *Agrippæ Thermæ* fuerint; illæ vero ad *Ciambellam*, Neronis. Sed hasce *Agrippæ* fuisse porticus Boni Eventus evincit, nec non porticus *Palatinæ*, sive *Palacenæ*, vicinia, quam prope *S. Marci* fuisse vidimus. Illas autem alteras Neroni afferendas, & post illum Alexandro, vicinia Circi Agonalis persuadet, qui quondam *Alexandri* dictus fuit. De *Thermis* hisce Martialis lib. VII. ep. XXXIII. hæc habet.

—— *quid Nerone pejus?*
Quid Thermis melius Neronianis?

Statius autem lib. I. Sylv.

—— *fas sit componere magnis*
Parva, Neronea nec qui modo lætus in unda
Hic iterum sudare neget.

Easdem postea *Alexandrinas* dictas in Victore legimus: *Quæ postea Alexandrinæ*. Mutationem nominis Cassiodorus ab odio Neronis provenisse scribit in Chronico. Alii ab *Alexandro* restitutas fuisse existimant. Contra ea Fulvius, Marlianus, & plures alii, *Alexandrinas* a *Neronianis* diversas, vicinas tamen extitisse e Lampridio docent in Alexandro: *Opera veterum principum instauravit, ipse nova instituit. In his Thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus Thermis suis de privatis ædibus suis, quas emerat, dirutis ædificiis fecit. Artium vectigal pulcherrimum instituit; ex eoque jussit Thermas, & quas ipse fundaverat, & superiores populi usibus exhiberi: sylvas etiam in Thermis publicis deputavit*. Hinc Donatus & veterum instaurationem, & novarum ædificationem concipit. Ego, quod in III. regione de Trajanis dixi, idem & hic affirmo, cum luxus scilicet de die in diem caperet incrementa, veteribus Thermis partes alias additas; atque ita Alexandrum Neronianis, ad augendam earum magnificentiam & amplitudinem, nova adjecisse ædificia, cum veteribus structuræ ratione conjuncta; ita ut unum ex utrisque opus consurgere priore multo splendidius, commodiusque, cui novum deinceps nomen impositum, a Victore & Cassiodoro memoratum: Lampridium vero ædificium utrumque respectu ejus, cujus vitam scribebat, Imperatoris distinxisse. Liquet hoc ex ipsis hisce ejus verbis: *Jussit Thermas, quas ipse fundaverat, & superiores populi usibus exhiberi*: ubi *superiores* sunt illæ veteres, quas ipse Alexander restituit: quæ cum novis recens ab eo exstructis, seu fundatis, conjunctæ unas populo Thermas ad lavandum exhibuerunt. His ita conciliatis, veritateque explanata, addere visum, quæ de eodem Alexandro Lampridius subjicit: *Addidit & oleum luminibus Thermarum, cum antea non auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur*. Sustulit autem beneficium hoc Tacitus, ut est apud Vopiscum, a Donato quoque adductum: *Denuo Thermas omnes ante lucem claudi jussit, ne quid per noctem seditionis oriretur*. Thermarum harum effigiem Angelonius & Erizius in hoc Alexandri numismate exstare arbitrati sunt.



Vidimus adhæc ex adductis Lampridii verbis *domum* illic privatam fuisse *Alexandri*, ab eo deinde dirutam, & in nemus conversam: cujus mihi situs assignandus illi spatio videtur, quod inter Pantheon & *aream Navonam* interjacet; demonstratque spatium illud ædificiis olim occupatum tam privatis quam publicis, adeoque & hoc Campi Martii latus structuris obsitum fuisse.

Juxta *Alexandrinas* nonnulli & *Hadriani Thermas* collocant, solo commoti indicio, sed prætenui, Victoris, qui hasce mox post illas attexuit.

Vicinum iisdem, seu potius contiguum, *Circum* fuisse, ipsis etiam nunc oculis nostris credere licet. Nam ingens illud *areæ*, seu Fori, *Navonæ* spatium hodieque nobis Circi speciem repræsentat: cujus rudera Fulvius & Marlianus sua adhuc exstitisse memoria oculati testes perhibent. Quin & ipse, cum fundamenta *ædis S. Agnetis* in eodem Foro sternerentur, pilas effodi isthic vidi e Tiburtino lapide. Sic & ante aliquot annos, cum ædicula *S. Nicolai Lotharingorum* construeretur, multi etiam alii id genus lapides eruti sunt, ad veterem quondam Circum pertinentes; quos deinde operarii fronti ædiculæ inseruere. Sed & in tabernis circumjectis multas audio cellas esse, præsertim in ædibus ad *aream Madamam* vergentibus, in quibus plurima veteris Circi vestigia appareant. Exstructum vero, vel saltem instauratum, ab Alexandro Severo Imp. communis Antiquariorum opinio


Colli Hortvlorvm.
Horti Luculliani
M. Qvirinalis.
Via Flaminia.
Via Lata
Foru Suariu.
Campus Agrippæ.
M Capitolinvs
Campus Martius
Stagnú Agrippæ
Campus Minor
P. Ælius
Via Recta
Insula
1 Mausoleum Augusti.
2. Horologium.
3. Columna et foru Antonini.
4. Templum Antonini.
5. Septa.
6. T. Neptuni et Porticus Argonautarū.
7. T. Iuturnæ
8 Porticus Europæ
9. Buxetæ
10. Arcus aquæ Virginis.
11. Villa publica
12. Isium
13. Minervium.
14. Serapium
15. Diribitorium
16. Septa Agrippina.
17. Porticus Polæ.
18. Porticus Constantini.
19. Ara Terenti.
20. Bustum.
21. Equiria.
22. Thermæ Neronianæ et Alexandrinę
23. Pantheon.
24. Porticus boni eventus.
25 Thermæ Agrippæ
26. Moles Hadriani
27. Porticus Gratiani.
28. Hecatonstylon
29. Platanones
30 Porticu Pompei
31 Theatrum Pompei.
32 T. Fortunæ Equestris.
33 Porticus et alia ædificia.
34. Curia Pompei.
35. Porticus Philippi.
36. T. Herculis Custodis.
37 Porticus Octavii.
38 Circus Flaminius.
39 T. Bellonæ
40 T. Apollinis
41 Theatrum Marcelli.
42 Carcer Claudii.
43. Porticus Octaviæ.
44 Porta Flumentana.
45. Porta Carmentalis.
46. Porta Triumphalis.
47. Porta Catularia.
48. Arcus M. Antonini.

P M S

est, cum ob vicinas Thermas, tum quod in Rufo legatur, *Domus & Circus Alexandri Pii Imperatoris*: & in recentiore Victore, *Circus Alexandri*. Quibus tamen, uti sæpius monitum, fluxa hic fides est, præsertim cum domus illa tempore Rufi non amplius exstiterit, quippe ab ipso Alexandro in nemus conversa. Certius argumentum numismata ejusdem Imperatoris exhibent, a Donato adducta, quibus Circus ille expressus est: tum & Fulvii assertio, superiore seculo *Aream Navonam Circum Alexandri* appellatam.

Agonalem eundem *Circum* dictum putant a ludis *Agonalibus*, ibidem celebrari solitis: quam ego nominis originem, quamquam plerisque probatam, falsam esse, aut saltem valde incertam arbitror. Unde vero antiquum festum *Agonalia* nomen acceperit, non satis constat. Varro lib. v. ait: *Dies Agonales, per quos Rex in Regia arietem immolat, dicti ab Agone, eo quod interrogatur a Principe civitatis Agone? eo principes gregis immolatur*. Ovidius lib. I. Fastorum quinque diversas refert sententias; quarum prima originem nominis ab interogatione *Agon'* repetit, quam vocem minister in sacris ad percutiendam victimam accinctus sæpe proferebat: altera a victimis, quæ vi illuc agebantur: tertia a voce *agnalia*, quæ in *Agonalia* mutata sit: quarta ab *agone*, seu timore victimarum cultrum, quo mactandæ erant, videntium: quinta & ultima, quam & ipse Poeta sequitur, ab antiquo ludorum nomine Græco, qui *Agonii* dicebantur. Festus: *Agonium ob hoc ludum dixere, quia locus, in quo ludi primo facti sunt, fuerit sine angulo, cujus festa Agonalia dicebantur*. Alibi vero melius: *Agonium putabant Deum præsidentem rebus agendis, Agonalia ejus festivitatem*. Hunc vero Deum *Janum* fuisse ex Ovidii lib. I. Fast. patet:

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Janus agonali luce piandus erit.

Sed qualiscumque nominis origo fuerit, in eo tamen consentiunt Scriptores, non *Agonales* tantum ludos in eo Circo fuisse celebratos, sed & alios: quos ego præter ceteros *Equiria* fuisse affirmare ausim, qui ludi equestres & curules fuere, in Campo Martio fieri soliti a. d. XXIX. Januar. XXVII. Febr. XIII. Martii, & XVIII. Aprilis, idque in Circo Maximo. Ita Varro lib. v. *Equiria ab equorum cursu: eo enim die currunt equi in Campo Martio*. Festus: *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in Campo Martio exercebatur*. Ovidius lib. I. Fast.

Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque cito junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in Campo prospicit ipse suo.

Idem ea in Campi gramine, adeoque viciniffima flumini parte, celebrata canit lib. III. Fastor.

Altera gramineo spectabis Equiria Campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Veruntamen valdequam mirum mihi, fateor, hoc accidit, in tanta rerum affluentia, magnificentiaque publica, *Equiria* in herba & gramine prati fuisse spectata, nec partem illis aliquam Campi peculiarem fuisse attributam, præsertim cum & alii Circi minoris usus, & frequentiæ, majorique intervallo ab urbis parte cultissima disjuncti, muris circumdacti fuerint. Quare quemadmodum septa, quæ iis ex adversum sita fuerunt, aut sicut theatrum, & stadium, a Cæsare in Campo Martio e ligno fabricata sunt, ita & hæc suo fuisse inclusa spatio crediderim. Nec alium *Equiriis* ego situm,

A quam ipsam *aream Navonam* tribuerim, quæ quidem gramine obsita, sed suis inclusa limitibus fuisse videtur, donec ab Alexandro Severo in *Circi* formam speciemque conversa est. Plurima certe conveniunt: tum vero nec in Victore antiquiore ulla *Circi Agonalis* mentio exstat, tametsi nobilitate sua, magnificentiaque operis diligentius commemorari meruit. Contra absurda magis illorum opinio videtur, qui alium sibi ad *Equiria* celebranda Circum somniavere, nempe illic locorum, ubi nunc ædes *B. V. Aquiriæ* est: quo usque graminea pars Campi Martii non provenit, ut alibi docebimus. Et hæc quidem male intellectæ epistolæ LI. Cassiodori lib. III. innititur, ubi plurimi legere se sibi
B persuasere, equos a Mausoleo Augusti procurrisse, & Equiria transeuntes ad Circum pervenisse Flaminium. At Cassiodorus voce *Molis* non *Mausoleum* significare voluit, verum *Circum Maximum* ab eodem Augusto ampliatum, restitutumque in valle Murtia; in quo Circo ludi fiebant equestres: quemadmodum recte a recentioribus Commentatoribus is locus expositus est. *Equiria* porro (quæ ab equitibus Varro, Festus ab aurigantibus, Ovidius ut ceteros Circenses ludos celebrata perhibent) in *area Navona* fuisse exhibita, nec ipse contrariæ
C sententiæ assertor Marlianus negare ausus est: *Non negamus tamen*, inquit, *in eo Equiria, sicut alia certamina fuisse celebrata*. Sed aliorum istorum quis asserenti testis? aut quænam illa alia fuere certamina? nam *Agonalia* e Varrone & Ovidio non Circenses fuisse ludos vidimus, verum sacra Jano in Regia facta. Macrobius etiam lib. I. c. v. Saturn. Julium Modestum allegat, a Numa illa inventa dicentem: *Antias*, inquit, *Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert*. At *Equirium* ostendimus Romulum fuisse auctorem. Tum & antiquissima *Agonalium* festa Festi & Ovidii memoria & re & nomine jam obsoleta erant.

D *Fas etiam fieri solitis ætate priorum*
Nomina de ludis Græca tulisse diem,
Et prius antiqua dicebat Agonia Termo.

Quare vetus illud nomen *Circo Navonæ* adaptare velle, cum nullum aliud illius conjecturæ fulcrum sit, perquam mihi debili inniti videtur fundamento. Eoque certior nostra sententia est, vetus ei nomen *Equiria* fuisse: hodiernum vero *Navonæ* a *magna navi* derivari, cujus area illa obtinet similitudinem. Non me fugit interim, ludos Capitolinos a Domitiano institutos *Agones* fuisse appella-
E tos *Capitolinos*: sed hi a Jos. Scaligero lib. I. lectionum Ausonian. fuse descripti, certamina omnia generis artificum erant, ut Poetarum, Musicorum, Histrionum, &c. at non Circensia. Neque item ignoro, plurimos esse Scriptores, qui spectacula certaminum publica *Agones* vocitarint; verum præterquam quod id nomen spectaculis potius conveniat Amphitheatralibus, quam Circensibus, per *Circum Agonalem* Circus potius *Maximus* intelligendus foret, quam quis alius. Verum, ut alias, in re dubia suum cuique liberum permitto judicium.

Festus tradit *Equiria* ludos fuisse a Romulo institutos *in honorem Martis*. Quare, quo conciliatio
F illa mea, supra adhibita, Livii & Dionysii, quod ad Campi Martii dedicationem, firmior sit, non incredibile mihi videtur, *aream* quoque *Navonam* eidem Deo Marti fuisse a Romulo consecratam, cum *Equiria* ibidem institueret: ejectis vero Tarquiniis præter *Equiriorum* campum ab illis forte occupatum, uti Dionysius memoriæ prodidit, proprium quoque Tarquiniorum campum eidem contiguum exercendæ juventuti populum R. Marti consecrasse.

In Actis S. Agnetis *Theatrum* appellatur, uti a vulgo vetera nomina confundi plerumque solent: sed & jam alibi diximus, dicemusque ædificia antiqua *Palatiorum*, *Thermarum*, *Naumachiarum*que nominibus fuisse designata.

In *area Navona* Fulvius sua memoria *postremo Jovis Carnis privii die veterum triumphorum simulacra* celebrata ait *tota ferme spectante urbe*: ex instituto vero Cardinalis Rothomagensis, Galli natione, singulis illic diebus Mercurii Forum rerum venalium habitum: quod & nunc in usu est.

Tumulum huic *Circo Agonali* vicinum, & quasi contiguum fuisse, cui *Jordano* nomen, cuivis statim patet ex exigui intervalli intuitu, quod arcus obtinere debuerunt, ipsaque Circi fabrica ultra, quæ nunc sola superest, arcam. Quod si vero collis ille olim nullus isthic fuit, (quod pro certo statuere nolim) illud tamen facile concedetur, magnum aliquod illic saltem exstitisse ædificium, cujus rudera solum fecerint editius, uti & Theatro Marcelli accidit. Sic toto illo spatio, quod a Pantheo ad *montem Jordanum* protenditur, continuata una serie ædificia perspicue demonstrant, unum illic aliquem Campi Martii fuisse marginem. Quo toto spatio nullam in illis urbis deliciis fuisse porticum, quum tot Campus habuerit, quis credat? neque vero impossibile cuiquam accidere debet, præter illa, quæ memoravimus, ædificia, alia etiam complura fuisse, seu privata, seu publica. Exposuimus igitur totum jam Campi Martii latus sinistrum usque ad *montem Jordanum*. An & ultra illum Tiberim versus, quod perexiguum spatium est, aliud quid fuerit, an vero apertus quidam transitus, explicatu, ut in re obscura, difficile est,

---

CAP. VI.

Campi Martii latus dextrum.

A Monte *Jordano* brevi intervallo Tiberis disjunctus est, qui Campum Martium ab septemtrionibus usque ad *Rippettam* terminabat, qui ei limes dexter fuit: inter quod latus & Tiberim erectum ab Augusto *Mausoleum* instar regiæ fuit. Describit illud Strabo, ubi de sepulchris Campi Martii loquitur, in hunc modum: *Quorum omnium præclarissimum est Mausoleum, agger ad amnem supra sublimem albi lapidis fornicem congestus, & ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus. In fastigio statua Augusti Cæsaris: sub aggere loculi ejus, & cognatorum ac familiarium: a tergo lucus magnus ambulationes habens admirabiles.* Quæ quidem descriptio nobis ingentem illam molem ad vivum repræsentat, quæ quasi agger in ripa Tiberis assurgebat, illum coerciturus; forma sua exteriore non male pyrus illas exprimens, ut Donatus ait, quæ in veterum Cæsarum nummis visuntur, consecrationem eorum & in divos relationem exhibentibus: ubi gradatim planities quædam cernuntur, angustiore semper, quo vertici propius, opere. Hodie ad *S. Rochi* ædem circulares ejus reliquiæ conspiciuntur operis reticulati: quas Marlianus ætate sua nomen *Augustæ* habuisse affirmat. Est & aliud ejus fragmentum rotundum in ædibus D. Benedicti Floravantii in *via Pontificum* appellata. Marlianus, qui minus adhuc corruptum illud vidit, quam nunc est, ita nobis id describit: *Exstat adhuc, ubi vulgo Augusta dicitur, juxta S. Rochi Ecclesiam interior circumferentia reticulato opere: olim vero tres circumferentias fuisse vestigia satis ostendunt, invicem ita distantes, ut in plures partes intersecarentur, pluresque efficerent loculos, quo quisque seorsim asepeliretur.* De

A quibus tribus circumferentiis id mihi dicendum videtur, angustissimam fuisse editissimam, ceteras quo laxiores, eo & humiliores, sicut inter illas totidem planities fuerint, arboribus consitæ ad universam opacandam molem. Meminit ejusdem & Sueton. Augusto, cap. c. *Id opus inter Flaminiam viam ripamque Tiberis sexto suo consulatu exstruxit.*

Unam tantum januam huic operi additam fuisse, qua campum respicit, Ligorius affirmat, quantum ipse ex illius intuitu valuit cognoscere. Ante eam duos non adeo magnos *obeliscos* fuisse altos scilicet pedes LXXX. seu palmos C. Scriptores tradunt,
B probantque ex altero eorum confracto, qui inter Mausoleum & Tiberim repertus, a Sixto V. postea ante ædem *S. Mariæ Majoris* erectus fuit; & altero, qui etiamnunc retro *S. Rochi* ædem terra obrutus dicitur. Quare illud certum sit, *Mausoleum* adversus Campum Martium & Pantheon, qui alter ei oppositus limes fuit, prope Tiberim situm fuisse.

Hoc sepulcro Marcellum, Augusti e sorore nepotem, conditum fuisse Fulvius & Marlianus ex hisce Virgilii lib. VI. Æn. colligunt:

Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
C *Campus aget gemitus, vel quæ Tiberine videbis*
Funera, cum tumulum præterlabere recentem.

Forsitan & primus omnium ex Augusta familia fuit, quantum e vocula *recentem* suspicari licet. Fuerant ante illos, qui perverse hos versus de mole quadam marmorea interpretarentur, quæ prope portam quondam Flaminiam, nunc *Populi*, exstitit, atque eapropter *sepulcrum Marcelli* appellata fuit: verum quod & a Tiberi aliquanto ea remotior fuerit, & quod vero minus videatur simile, Augustum tam dilectum sibi caput in aliud inferri sepulchrum, quam, quod sibi suisque exstruxerat,
D *Mausoleum* jussisse, Marlianus & Fulvius priorem illam sententiam repudiarunt. Quibus eo libentius assentior, quod apud Albinovanum in Consol. ad Liviam legam:

Condidit Agrippam, quo te Marcelle sepulcro,
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis jactura novissima Drusus
A magno lacrymas Cæsare quartus habet.
Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulcra,
E *Claudite, plus justo jam domus ista patet.*

Germanici quoque eo illatos cineres Tacitus aperte indicat lib. III. Annal.

At perelegans fuerit hujus monumenti ornamentum necesse est, virorem & umbras loco concilians lucus: *A tergo lucus ambulationes habens admirabiles.* Fuit hic, ut fert communis opinio, inter molem sepulchri & *portam Populi*, id est recta *via Pontificum* versus portam, Tiberim & Viam Flaminiam habens a lateribus: qui quidem non potuit non suavissimas deambulanti per illas vias populo oculorum & animi præbuisse delicias. Sue-
F tonius loco superius adducto de eodem: *Circumjectasque sylvas & ambulationes in usum populi jam tum publicarat.* Neque vero *via Ripettæ* olim illic erat, quam ante seculum proximum Fulv. oculatus testis tactam, Transpadanisque & Mœsis, seu Sclavis, velut coloniam ad habitandum concessam, perhibet: cujus rei idoneum est argumentum ædes *S. Hieronymi* gentis Sclavorum a Sixto V. prope ecclesiam *S. Rochi* exstructa; nec non *Collegium Clementinum*, quod haud procul inde in *area Nicosia* eidem genti Clemens VIII. ædificavit. Forsitan has umbras & hæc viridia

viridia Ovidius denotavit, hortosque appellavit, ubi ait lib. I. eleg. IX. de Ponto:

Gramina nunc campi pulchros
spectantis in hortos, &c.

Nemus hoc e *populis* fuisse Fulvius opinatur; & hinc proximam *D. V.* ecclesiam denominationem *de populo* accepisse, uti &, quæ ei conjuncta, portam Flaminiam *portam de populo* dictam. Verba ejus sunt: *Et propinquum S. M. de populo templum nomen accepisse crediderim; nisi locus a populi frequentia dicatur*. Verum Donatus id illi nomen a *populo* Romano obvenisse, qui ecclesiam illam construxit, ab ecclesia vero ad portam defluxisse, existimat. Quare utrum populis id nemus obsitum fuerit, an quo alio arborum genere, incertum est. Fortean per id nemus sparsa passim sepulcra fuere libertorum Cæsaris, & inter illa Ulpii Martialis, quod inter rudera illic repertum Fulvius refert:

D. M
VLPIO. MARTIALI. AVGVSTI. LIBERTO.
A. MARMORIBVS.

non enim credibile, aut verosimile est, libertum Cæsaris in Mausoleo conditum fuisse. Faunus autem extra *portam populi* inventum hoc marmor indicat.

Sed & retro Mausoleum *Naumachiam* fuisse suspicari licet, ejusque exæquatum solum arboribus deinde consitum. De *Naumachia* ad Tiberim ab Augusto facta Suetonius agit Aug. cap. XLIII. *Athletas exstructis in Campo Martio sedilibus ligneis; item navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo Cæsarum nemus est*. Quum enim Athletarum spectaculum intra Campi Martii limites incluserit, videtur & eodem spatio *Naumachiam* complexus. Suspicionem hanc tantum non certam facit Tacitus lib. XII. ubi Augustum ait *structo cis Tiberim stagno* ludos navales celebrasse, ut hanc a Naumachia Transtiberina distingueret. Non tamen ædificium fuit splendidum, aut magnificum, sed, ut e Tacito & Suetonio liquet, stagnum ad tempus excavatum, ut in eo ludi navales ederentur, sicut sedilia e ligno facta referuntur ad spectandos Athletas. At *Naumachia vetus*, quamquam ab eodem Augusto facta, longe ab hoc stagno diversa fuit, ut in V. ostendimus regione: in qua Titus postea Imperator ludos exhibuit; neque enim nonnisi in vetere id facere potuit, quum hæc nova jam in nemus conversa esset; at non in illud *Caii & Lucii*, quod ab hoc diversum fuit. Sed & vocula *nunc*, quam Suetonius narrationi inseruit, nemus illic expleto demum stagno institutum fuisse satis liquido indicat.

Latus hoc, quod diximus dextrum Campi Martii, Mausoleo conjunctum fuit, incepitque, mea quidem opinione, ab *Horologio* æneis strato marmori insertis regulis, cursum solis, dieique horas indicante, ope gnomonis admirabilis, qui obeliscus CXVI. pedum altitudinis fuit, teste Plinio lib. XXXVI. cap. IX. ab Augusto ex Ægypti urbe Hierapoli cum altero illo transvectus, qui in Circo Maximo collocatus fuit, novem hunc nostrum pedibus superans. Describitur autem ab eodem Plinio cap. X. in hunc modum: *Ei, qui est in Campo Martio, Divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora, paulatimque per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret: digna cognitu res, & ingenio fœcundo. Manlius Mathematicus auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in semetipsam*, &c. Additque sua ætate non exacte amplius umbras indicari, cujus rei nonnullas reddere satagit rationes.

Tom. IV.

Locus, seu situs ejus antiquus jam notus est. Fulvius enim in Ecclesia *S. Laurentii in Lucina*, in sacello Sacellanorum tum temporis novo, id est, in eo, quod præ ceteris in nave templi sinistra prominet, basin ejus cum horologio exstitisse testatur. Sed ipsa Fulvii produxisse verba præstiterit. Ait igitur: *In parte Martii Campi, ubi nunc est templum S. Laurentii in Lucina, in Capella nova Capellanorum fuit olim basis illa nominatissima, & horologium superioribus annis effossum, quod habebat septem gradus circum, & lineas distinctas metallo inaurato: & solum campi erat ex lapide amplo quadrato, & habebat lineas easdem, & in angulo quatuor venti erant ex opere musivo cum inscriptione* BOREAS SPIRAT: vel, ut Marlianus refert: VT BOREAS SPIRAT: unde in omni latere simile quoddam dictum olim expressum conjicio. Basi vero inscriptum Marlianus ait:

CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. IMP
XII. COS. XI. TRIB. POT.
XIV. AEGYPTO. IN. POTESTATEM
POPVLI
ROMANI. REDACT.
SOLI. DONVM. DEDIT.

Obeliscum ipsum prope eandem ecclesiam in cella aliqua subterranea visum diffractum, Marlianus aliique referunt: viderique etiamnum ex aliis intellexi. Unde inferre licet, si lineæ seu regulæ convenientem obelisci altitudini habuerint longitudinem, horologium ad ipsam usque viam Flaminiam pertigisse: (cujus non minus quam ipsius Campi Martii ingens decus fuit atque ornamentum) multo vero ulterius versus *S. Rochi* ædem ab alio latere semet extendisse: neque ante Mausoleum, si accurate loqui voluerimus, situm fuisse, ut nonnulli censuere, sed a latere, in ipso dextri lateris Campi Martii principio: cui præter elegantem prospectum usum quoque illic degentibus suppeditavit horarum cognoscendi intervalla.

Vicinum *Horologio* alterum fuisse colliculum, cui *Citorio* nomen, jam certum est; qui retro *S. Laurentii in Lucina* sua habet initia. Blondus eum in principio appellatum putat *montem Citatorum*, eosque, qui in Comitiis dato suffragio e septis Campi Martii exibant, eo se recepisse, ne ceteris essent impedimento. Verum, præterquam quod nil ejusmodi apud veteres legatur Scriptores, ne speciem quidem habet veri; quum fieri nequiverit, ut tantillus collis omnes populi Rom. ceperit centurias a suffragiis datis illuc se receptantes. Sed nec alia in proximo loca plana, & commodiora, capacioraque tantæ deerant multitudinis. Fulvius eum vel *Citatorum* appellat a citandis tribubus, vel *Acceptorium* ab acceptandis suffragiis, aut etiam *Septorum*, a proximis septis: creditque eum ex egesta terra natum, quum columnæ Antoninianæ in vicinia jacerentur fundamenta. Sed in eo dissentientem habet Marlianum, cui probari non potest, locum tam celebrem, publicisque usibus destinatum, tanta effossæ telluris mole a tam pio fuisse Imperatore occupatum. Sed nec mihi verisimile videtur, jaciendis illius columnæ fundamentis tantum terræ egestum, ut hunc collem efficeret, qui sine dubio tum temporis, non secus ac ceteri, multo quam nunc fuit editior. Marlianus rudera potius ingentis ædificii istuc accumulata censet: cujus tamen aliqua, ut Theatri Marcelli, si non hac nostra, saltem avorum proavorumque memoria, & ante centum ducentosve annos, exstare debuissent vestigia. Nam Blondi quidem ætate col-

lis erat dicebaturque : & ædificium tam altum, tamque splendidum, magnificum, ac sumtuosum, quantum ex istiusmodi conjectandum foret ruderibus, tam facile in cineres dilabi non potuit. Contra ea videtur potius alter de duobus esse Campi collibus, quos Strabo in vicinia, seu ripa fluminis collocat. Nam fabula quidem illa vulgi ore trita, Agrippam scilicet ea terra Pantheon oppleviffe, quo ei hemisphærium imponeret, nimisquam anilis est. Sphærica namque templorum condendi ratio Romæ ab antiquissimis cognita fuit temporibus. Diu ante Augustum Agrippamque ibidem usurpata, frequentataque, quorum ævo Architectura ad summum jam pervenerat artis absolutæ culmen : adeo ut ad hemisphæria construenda nulla terræ, non secus atque nunc, aggestione opus fuerit. Sed neque fieri potuit, ut omnem illam terræ molem, quæ totum illud loci spatium occupat, quod inter *aream Capranicam & S. Laurentii ædem in Lucin.* interjacet, quæque & ab vicinis aliisque, varios ad usus auferendo, & pluviarum detritu, plurimum deminuta est, interius Panthei spatium continuerit. Sed propiora consideremus. Septa ei ab Antiquariis vicina fuisse dicuntur; quamquam de situs ejus in diversa abeant. Tum hæc Macrobii lib. I. Saturn. cap. XVI. ad animum revocentur: *Ea re Candidatis usus fuit, in Comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde coram possent ab universis videri.* Una hic omnium sententia est, Macrobium de Comitiorum tempore loqui, quo Candidati se populo in colle Campo Martio vicino conspiciendos præbebant: & hunc *Collem Hortulorum* esse putant, ubi nunc Ecclesia *SS. Trinitatis in montibus* conspicitur. At e tam longinquo loco quemquam a populo, etiamsi aquilina oculorum acie fuisset, dignosci potuisse tam a vero remotum est, quam quod maxime: adhæc nulla, quæ conspectum impedirent, interjecta inter collem illum & septa campi debuissent esse ædificia : quæ tamen illic plurima fuisse certo constat. Septa vero plerique in *area Columnæ Antoninianæ*, aut saltem ad *fontem Trevium* fuisse, statuunt. Animadverto hic omnes in hunc errorem lapsos, quod nullus alius iis in proximo collis occurreret, quum tamen esse deberet. At quis propior, quis ad hanc rem aptior, quam is, de quo loquimur, *Citorius*?

Ne quid tamen hic mihi indulgeam, silentio mihi prætereundum non videtur, plurimum me dubitare, utrum verba illa Macrobii de Comitiis, in Campo Martio habitis, an vero, quod mihi probabilius videtur, de Nundinis accipienda sint, quæ nono quoque die in Foro celebrabantur: quo quidem tempore populus omnis ex agris in urbem confluere solebat : ita ut Candidati proximorum Comitiorum, quo a populo conspicerentur, in Comitium adscenderint, quod Foro imminebat. Non obstat hoc tamen, quo minus ipso Comitiorum tempore Candidati in collem omnium sese conspectui obtulerint. Quod si vero jam tum *Citorius* collis exstiterit, propior sane, & ad eam rem aptior alius esse nullus potuit. At si tandem & hic, & *Jordanus*, (in quo verisimilitudo major est) ex egesta terra exorti sunt, ne æqualis amœnissimi campi planities effossa exstruendis fundamentis terra devenustaretur, hoc tamen extra controversiam est, ætate Strabonis, qui sub Tiberio vixit, colles illic saltem duos exstitisse. Quare, sive *mons Citorius* collis, sive egesta terra fuerit, sive ædificiorum rudera, indicium nobis hoc fecisse sufficiat, *Citorium* collem illam, quam diximus, dextri Campi Martii lateris partem occupasse.

Citorii seu *Citatorii* appellatio ipsam vocis originem sive etymon manifeste prodit. Centuriæ namA que olim in campum convocatæ, singulæ ordine *citari* solebant a Præcone, ut septa intrarent, & suffragia ferrent. Ita Livius lib. VI. dec. III. *Tunc Centuria &c. petit a Consule, ut Centuriam seniorum citaret : velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum Consules dicere. Citata seniorum Centuria, datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus*, &c. qua de re fusissime differunt Sigonius & Gruchius, de Comitiis ; qui respici poterunt. Hæc autem citatio nonnisi in loco editiore fieri potuit, quo Præconis vox melius ab omnibus posset exaudiri. Porro in ædibus D. Caroli Eustachii adversus *Monasterium montis Citorii*
B permagna columna vetus est maximam partem terra obruta, quam complures columnam fuisse *Citatoriam* existimant. Quod si verum est, situs sane aptior nullus esse potuit, nimirum in ipso campi margine, & collis clivo, ad introitum septorum. Verum ad porticum illam quondam Europæ pertinuisse multo mihi videtur verisimilius.

Citorio monti vicina fuere *Septa*, quæ & *Ovile* dicta sunt a similitudine. Describit ea elegantissime Servius ad primam Ecl. Virgilii : *Septa proprie sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans P. R. suffragia ferre consueverat :*
C *sed quoniam hæc Septa similia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponuntur.* Includebantur his septis suo quæque ordine centuriæ ac tribus, Comitiorum tempore, cum suffragia laturæ essent : erat ad ea e campo aditus per *pontem*, in quo Magistratus consederat. Suetonius in Cæs. cap. LXXX. *Primum cunctati, utrumne illum in Campo per Comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisi e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent.* Hinc videre mihi videor, Septa, quo aliunde ingressus per tabulata prohiberetur, fossa circumdata, & hanc ponte stratam fuisse. Id certe Cicero etiam indicare videtur l. IV. epist. XVI. ad Att. *In*
D *Campo Martio Septa Tribunitiis Comitiis marmorea sumus & tecta facturi : eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passus conficiantur. Simul adjungetur huic operi Villa etiam publica.* Sed hoc opus tum absolutum non fuit. Lepidus postea & Agrippa ultimam operi manum admoverunt, opusque perfecerunt, addito in honorem Augusti *Juliorum* cognomine. Ita Dio lib. LIII. *Agrippa, quia nullam viam sternendam susceperat, Septa dedicavit. Septa locus est in Campo Martio : cum ad habenda Tributa Comitia Lepidus undequaque porticibus circumductis ædificaverat. Tabulis lapideis & picturis a se ornatum Agrippa Septa Julia ab Augusto cognominavit.* Spectacula illic aliquando gladiatoria,
E & navalia, aliaque, edita fuisse, Suetonius in Caligula, Claudio, & Nerone; Dio quoque lib. LVIII. narrat: fortean, ut in alios ea usus converterent, abolito sensim vetere Comitiorum. Tandem facultas illa obvia porticuum, maximam temporis partem vacuarum, concursusque & frequentia hominum assidua in Campo Martio, occasionem plurimis suppeditavit, ut illic merces exponerent pretiosiores, & assiduum quasi Forum rerum venalium constituerent: quemadmodum Donatus ex hisce sibi Martialis lib. IX. ep. LX. colligere posse videtur :

F *In Septis Mamurra diu, multumque rogatus,*
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes, &c.

quem locum integrum describere supersedeo.

Septis Blondus, Fulvius, & alii plures locum illum adsignant, ubi nunc area est Columnæ Antoninianæ: quo tamen veri argumento, non video; quum impossibile mihi videatur, reddito populo R. ab Hadriano Imp. jure pristino creandi magistratus in Campo Martio, restitutisque in eam rem Septis, ut ex Spartiano constat, proximum huic

ſucceſſorem Antoninum Pium, vel etiam Marcum Aurelium, Principes optimos & pientiſſimos, jus illud populo rurſus eripuiſſe, ſeptaque, aream illic, ſeu forum, porticum, templum, inque horum medio columnam illam, quæ etiamnunc illic viſitur, erigendo corrupiſſe, ſive impediſſe. Marliano rurſus antiquus eorum ſitus ultra viam Flaminiam proxime fontem Trevium fuiſſe videtur. At quis umquam perſuadere hoc ſibi patietur, Centurias in Campo Martio congregatas, prout ad intranda ſepta citantur, Flaminiam viam, & ſat magnam Campi partem tranſiiſſe, præſertim cum villa ipſis publica conjuncta eſſet, quam in regione IX. tam Victor quam Rufus conſtituunt: quæ tamen, ſi Marlianus vera diceret, una cum ſeptis regioni ab illis VII. adſcribenda fuiſſet, ſi quidem fontem Trevium eidem ſuperius adjunxi. Decepere Marlianum, quantum conjicio, illa Frontini lib. I. de Aquæd. *Arcus Virginis initium habent ſub hortis Lucullianis: finiuntur in Campo Martio, ſecundum frontem Septorum*. Qui, uti & alii nonnulli, arcus illos deſiiſſe crediderunt, ubi hodie fons Aquæ Virginis conſpicitur: quos tamen illic incœpiſſe, & vel ad *Seminarium Romanum*, vel prope Pantheon finiviſſe, in regione VII. oſtendi. Neque enim dubitari jam amplius debet, quin ad frontem Eccleſiæ *S. Ignatii* porrecti fuerint, ubi, cum fundamenta ejus jacerentur, magna eorum pars detecta fuit, quemadmodum Donatus fuſius exponit. Exactum vero eorum terminum, ſive is inter *S. Ignatii* Eccleſiam & Pantheon fuerit, ſive in ipſa Panthei area, aliorum judicio expendendum relinquo. Horum arcuum indicium ſecuti *Septa* ad radices *Citorii* collocabimus ſecundum campi planitiem, quem locum nunc *Monaſterium montis Citorii*, *Palatium Capranicum*, & *Area Capranica* appellata, hiſque alia etiam fortaſſe proxima nonnulla ædificia, occupant. Spatium enim ſat largum porticus illa impleviſſe mille paſſuum exiſtimanda eſt, cujus Cicero meminit. In Campi margine ea fuiſſe e Dione etiam lib. I. videre mihi videor, ubi reditum Tiberii deſcribit, & occurſum Auguſti extra urbem: *Cum eo rediit uſque ad locum Septa dictum, ibique ipſe populum ex ſuggeſtu ſalutavit*. Nam *Suggeſtum* hoc in totum campi ſpatium ſpectaſſe neceſſe eſt, ut ad populum in eo conſiſtentem verba faciens convertere ſe poſſet. Verum de hoc ipſo *Septorum* ſitu nonnulla etiam poſtea dicentur, ubi de *Templo Iſidis* agemus.

Septis Rufus & Victor cognomen addidere *Trigariorum*. *Trigariis* autem Plinius extremo libro ultimo loca equorum vel mercatui, vel exercitationi deſtinata attribuit: *Neque equos quidem in Trigariis præferri ullos vernaculis animadverto*. Forte, cum Comitia non haberentur, locus ille vacuus exercendis equis deſtinatus fuit, ut campus proximus Romanæ juventuti. Sed Martialis obſtat, qui rerum illic pretioſarum fuiſſe Forum ait, ut ſupra vidimus. Ego igitur *Trigaria* locum a *Septis* diverſum fuiſſe arbitror, ſed hiſce proximum, tabulatis ad exercendos equos diſtinctum, circumſeptumque: & in Victore vel *Septa* & *Trigaria* legendum, vel *Septa Trigaria* de ſolo illo ſpatio accipienda, quod vel tabulatis, vel muro cinctum fuerit: vel tandem Victoris ævo in veteribus Septis locum equis exercendis datum eſſe. Sed de *Trigariis* alias plura. Porro de Caligula Suetonius ait cap. XXI. *Inchoavit Amphitheatrum juxta Septa, quod a Claudio omiſſum eſt*. Forſan id eo fecit loco, ubi arcus aquæ Virginis diruit, quos poſtea Claudius reſtituit, ut ex inſcriptione Colotiana ſupra oſtenſum eſt; qui locus ab eccleſia *S. Ignatii* non longe ſemotus fuerit, neceſſe eſt.

Vicina Septis *Villa Publica* fuit, in quam Legati hoſtium publice accepti, quos in urbem admittere Romani intutum exiſtimabant. Livius lib III. dec. IV. *Macedones deducti extra urbem in Villam Publicam: ibique iis locus, & lautia præbita*. Sed & aliis uſibus inſerviit, ut eſt apud Varronem lib. III. de Re Ruſt. cap. II. ubi Appius cum villa illam Reatina comparando ait: *Hæc, quo ſuccedant e campo cives; illa, quo equæ, & aſini. Præterea cum ad Remp. adminiſtrandam hæc ſit utilis, ubi cohortes ad delectum Conſuli adductæ conſidant, ubi arma oſtendant, ubi Cenſores cenſu admittant populum*, &c Quin & Victor in initio illic cenſum fuiſſe actum dicit: & ab Ælio Pæto & Cornelio Cethego Cenſoribus reſtitutam eam, ampliatamque, Livius tradit lib. IV. decad. IV.


Ceterum tam vicina illa Septis fuit, ut hæc ſanguine quatuor legionum Marianarum, quas Sylla contra fidem datam poſt deditionem in Villa Publica inermes trucidaverat, Lucanus maculata fuiſſe dicat, lib. II. Pharſal.

> *Tunc flos Heſperiæ Latii jam ſola juventus*
> *Concidit, & miſeræ maculavit Ovilia Romæ.*

Sed vel ob viciniam *Septa* pro *Villa Publica* accepit; vel nonnulli ex illis e Villa Publica in Septa effugere conati illic cecidere: vel etiam Poetica hyperbole fines Villæ Publicæ Lucanus egreſſus eſt, factique auxit invidiam. In *Villa* vero *Publica* occiſos illos milites Valerius quoque Maximus teſtatur lib. IX. cap. II. *Quatuor legiones Marianæ partis, fidem ſuam ſecutas, in Villa Publica, quæ in Martio Campo erat, obtruncari juſſit*. Item Salluſtius, ſive Auctor primæ ad Cæſarem orationis de rep. ord. *Alios item non armatos, neque in prælio, belli jure, ſed poſtea ſupplices, per ſummum ſcelus interfectos, plebem R. in Villa Publica pecoris modo conſciſſam*. Liviana epitome lib. LXXXVIII. de octo tantum militum millibus loquitur: Florus vero quatuor tantum commemorat lib. III. uterque vero habet *in via publica*; pro quo Donatus optime *in Villa Publica* reſtituendum monet. Plutarchus in Sylla ſex hominum millia in Circo, aut proxime Circum *παρὰ τὸν ἱππόδρομον* interemta refert, quorum in templo Bellonæ, ubi tum habebatur, Senatus clamores ejulatuſque audiebat. Idem & Seneca confirmat lib. I. de Clement. cap. XII. *Et cum in vicino ad ædem Bellonæ ſedens exaudiſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito Senatu: Hoc agamus, inquit, P. C. ſeditioſi pauculi meo juſſu occiduntur*. Cui ut occurrat ſententiarum diverſitati, Donatus milites in Villa Publica prope Circum Flaminium occiſos putat: verum nimiſquam abſurdum eſt, ad Bellonæ templum Villam Publicam, & cum ea Septa, totumque adeo Campum Martium, templum Iſidis Septis vicinum, innumeraque alia transferre velle ædificia. Quod ſi vero loca illa Scriptorum inter ſe diſſentanea concilianda ſunt, dicendum, quatuor illa millia Flori, vel octo millia Livii in Villa Publica; ſex vero millia Plutarchi, vel ſeptem Senecæ in Circo Flaminio fuiſſe trucidata: qui numeri conjuncti ne ſic quidem quatuor legionum ſummam Valerio Maximo memoratam expleverint. Tantam vero multitudinem diverſis fuiſſe locis interfectam non adeo a veriſimilitudine mihi videtur alienum.

Quo *Villa Publica* loco fuerit, Varro nobis optime indicabit, qui lib. III. de Re Ruſt. cap. II. *Comitiis*, ait, *Ædilitiis cum ſole caldo ego & Q. Aſcius Senator Tribulis ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe præſto, cum domum rediret, Aſcius mihi, dum diribentur, inquit, ſuffragia, vis potius Villæ Publicæ utamur umbra, quam pri-*

vati candidati tabella, dum ita ædificemus nobis, &c. Hic Villa ad Campum Martium Septis vicinissima describitur, Romæ, quam ipsa Septa, propior; quoniam Varro & Ascius candidatum illic e Septis deducendum præstolabantur. Quod magis etiam ex sequentibus patet: *Venimus in Villam. Ibi Appium Claudium Augurem sedentem invenimus in subselliis, ut Consuli, si quid usus poposcisset, esset præsto*. Nec non ex iis, quæ extremo cap. v. leguntur: *Cum hæc loqueremur, clamor fit in Campo. Nos Athletæ Comitiorum una cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum, & tamen scire vellemus, quid esset, venit ad nos Pantalejus Parra. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum; eum ad Coss. tractum a fautoribus competitorum. Pavo surgit, quod ejus candidati custos dicebatur deprehensus*. Fuisse vero extremo Campo Martio Romam versus cap. II. ejusdem Varronis innuitur: *Hæc in Campo Martio extremo utilis*, &c. Situs autem ipsissimus extremis libri primi verbis exprimitur; *At strepitus a dextra: & eccum recta candidatus noster designatus Ædilis, cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur*. Ad dextram Villæ strepitus e Campo acclamantium audiebatur: & e vestigio candidatus recta e Villa ad Capitolium tendit. Fuit igitur ea campi extremitate, quæ hodie ad Pantheon est inter viam *Pastinaram* dictam, & alteram *Seminarii*, aut in proxima vicinia: quam designatus Ædilis cum caterva gratulantium præteriens Varronem & Ascium sibi obvios habuit, & deductores. Ædificii hujus effigiem vetus nobis hic nummus exhibet Fonteii Capitonis Triumviri Monetalis, quem Ant. Augustinus Dialogo IV. publicavit.



Sic & dextrum Campi latus ædificiis septum vidimus, nulla tamen animadversa illic porticu. Fuisse tamen complures certius est, quam ut de ea re quis dubitare queat. In hoc enim latere, quantum ego video, *Porticus Europæ* fuit: de qua Martialis lib. II. epist. XIV. Selium cœnarum venatorem, & loca celeberrima eapropter pervagantem describens:

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties non videt esse domi.
Currit ad Europen, & te, Pauline, tuosque
Laudat Achilleos, & sine fine pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur, &c.

Hic igitur a Campo Martio orsus, utpote juvenibus frequentissimo, quippe qui cursu, lucta, &c. corpus exercebant, laudabat illic Paulini pedum velocitatem. Idem Poeta lib. XI. ep. I. porticum hanc laudibus multis evehens cum Pompeii, Quirini, & Argonautarum comparat porticibus, quæ numquam hominibus carebant otiosis:

Vicini pete Porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ Dominus lævis Carinæ.

Item lib. VII. epigr. XXXI. Atticum reprehendit, qui reliquis omnibus posthabitis exercitiis solo cursu delectabatur:

A *Non pila, non follis, non te paganica Thermis*
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
Vara nec injecto ceromate brachia tendis;
Non harpasta vagus pulverulenta rapis:
Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias artes, omnis quibus area fervit,
Ludere cum liceat, currere pigritia est.

Ubi duo loca Campi refert, in queis cursus facta exercitatio: quorum alter *Porticus Europæ*, alter *Fons Aquæ Virginis* fuit. Et ad hujus quidem forte primum castellum, ad Septa & Villam Publicam
B arcus suos terminantis. Quare cum hic, tum illic stadia fuisse, seu spatia ad cursum patentia, necesse est, in quibus velocitatem pedum juventus solita fuit experiri. Situm *Porticus Europæ* idem Martialis lib. III. epigr. XX. denotat:

An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ Sole rursus Europæ,
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?

Hinc Donatus eam soli occidenti fuisse expositam conjicit; quod & alii duo versus ejusdem Poetæ
C epigr. XIV. lib. II. confirmant, ubi de Selio subjicit;

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serus carpat amicus iter.

Ergo e limitibus Martii Campi supra a nobis descriptis liquet, in dextro illam latere ejus sitam fuisse soli occidenti sub *Citorio* monte, aut saltem in vicinia ejus, objectam. Nomen ei ab *Europæ* fabula ibidem depicta. In medio ejus, velut impluvio, *buxetum* fuit; de quo Vitruvius lib. v. cap. IV. *Media vero spatia, quæ erunt sub divo inter*
D *porticus, adornanda viridibus videntur, quod hypæthræ ambulationes habeant magnam salubritatem*, &c. Non capio tamen, quam salubritatem area habere queat, undique ædificio conclusa, tametsi arboribus consita: neque item, si buxetum Europæ porticu circumventum fuit, quomodo Martialis apricitatem ejus tantopere laudare potuerit, cum ait:

An delicatæ Sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos, &c.

Quin potius ita existimo, inter plures porticus una serie dispositas, attamen inter se divisas, hypæthra facienda Vitruvium commendare, id est ambulationes subdiales inter arbores, seu nemora:
E ita ut alternatim, amœnoque ordine, spatia illa in porticus & nemora distincta fuerint, atque ita *Porticus Europæ* hinc inde buxos habuerit. Videtur hoc Martialis voce *buxeta* plurali numero posita significare; ut ita duplex buxetum fuerit, sicut & platanon ad porticum Pompeii.

Ceterum in toto hoc lateris dextri ambitu nullam aliam fuisse porticum, vix mihi persuaderi patiar: quin potius plures fuisse existimo, & ex his unam sub monte *Jordano* porticui Europæ adversam, ubi nunc *via Coronariorum* est: atque ita omnem undique Campi Martii ambitum ædificiis & nemoribus fuisse inclusum: e quibus forte laure-
F tum aliquod buxeto illi objectum, Ecclesiæ *S. Salvatoris ad laurum*, quæ in ea parte conspicitur, nomen dedit, quemadmodum Fulvius Ecclesiam *S. Mariæ populi* a *populorum* Cæsaris nemore appellationem traxisse censet, uti supra exposuimus.

CAP. VII.

Res in Campi spatio, vel situs incerti, memorabiles.

EGimus superius de *Martis ara*, unde *Campo Martio* nomen; sive per quam Marti Campus ille consecratus fuit. Situs ejus accuratus ignoratur: quantum tamen electiore judicio assequi licet conspectissima ejus parte, & fortean in medio Campo fuit: ubi Censores post peracta Comitia sellas curules ponere, populique applausum recipere solebant. Livius lib. x. decad. IV. *Comitiis confectis, ut traditum antiquitus est, Censores in Campo ad Aram Martis sellis curulibus consederunt; quo repente principes Senatorum cum agmine venerunt civitatis*, &c. Forsan in Foro, sive area *Navonæ* id factum; ubi Equiria a Romulo in honorem Martis instituta supra diximus, qui & ipsam *aram* Marti posuit.

Præter aram *templum* quoque *Martis* ibidem fuit. Ita Dio lib. LVI. *Deindeque iram Divinam valde suspicabatur. Nam templum Martis, qui in suo erat campo, fulmine tactum fuit*, &c. Et Albinovanus in Consol. ad Liviam, de Tiberi loquens:

Sed Mavors Templo vicinus, & accola Campi.

Nisi forte voce *templi* aram designavere, vel templum Circi Flaminii, quod tamen vix puto. Veruntamen in Campo Martio inter tot ædificia publica Martem quoque templum habuisse valde credibile est.

Fuit & *Bustum* in eodem Campo; quæ structura fuit, in qua primum Augusti, deinde & aliorum Principum cadavera cremata fuere. Hi vero in Campo Martio sepulti, sicut & eorum, qui in Deos relati, imagines ibidem combustæ sunt. Ritum illum Herodianus nobis lib. IV. fuse describit: *Lectum extra urbem perferunt in Campum Martium; ubi, qua latissime campus patet, suggestus consurgit*. &c. *Bustum* hoc, teste Strabone, *in medio Campo* fuit; &, ut ex Herodiano vidimus, *qua latissime patet*, ubi figura Campi semicirculari & triangulari mixta erat, angustior versus Pantheon, largior versus flumen: inter utrumque montem *Citorium* & *Jordanum*, loco, cui hodie *Scrofæ* nomen: cujus forsan diametrum versus semicirculum occupavit: ita ut Ecclesia *S. Augustini*, quæ in planitie illa editiore loco consurgit, ruderibus videri possit ipsius Busti imposita. Commodior sane locus deligi illi non potuit, hinc & inde concursui populi sufficiens, & prospectum Mausolei e campo nulla ex parte impediens. Effigies ejus a Strabone nobis adeo eleganter depingitur, ut pluribus illam describere necesse non sit: *In medio autem campi Busti ejus ambitus ex albo lapide ferreis in orbem cancellis septus, intus populis consitus.*

Locus ille, cui *Terento* nomen, juxta Tiberim fuit; de quo hæc apud Festum legas: *Terentum in Campo Martio locum Verrius ait ab eo dicendum fuisse, quod terra ibi per ludos seculares Ditis Patris ita leviter teratur ab ejus quadrigariis, ut eorum levis mobilitas æquiparet motus rapidos velocis lunæ: quod quam aniliter relatum sit, cuivis manifestum est.* Alibi legas: *Terentus locus in Campo dictus, quod eo loco ara Ditis Patris occultaretur, vel quod profluentis Tiberis ripas aquarum cursus tereret.* E quibus ultimis inferre licet, ripam hanc fluminis in Campo Martis fuisse, quæ *areæ Nicosiæ* vicinissima est, & ædi *S. Luciæ Tentæ*, quæ continuo illic Tiberis flexu allicitur: sicut & *Tentæ* appellationem nonnulli voci veteri *Terento* originem debere existiment. Hic

A Evandrum ex Arcadia venientem navi egressum Ovidius canit lib. I. Fastor.

Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Thuscis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada juncta Terenti,
Arripit, & sparsas per loca sola casas.

Ara hic *Ditis* & *Proserpinæ* subterranea, ex more Diis inferis solemni posita a Romanis, teste Zosimo, bello cum Albanis: quæ, ne cui nisi Romanis nota esset, terra obruebatur, nec nisi ludis secularibus detegebatur: quo tempore trinoctio continuo sacra fiebant. Hinc Ausonius in Gripho Ternario:

B *Trina Terentino celebrata Trinoctia ludo.*

Festus lib. XVIII. *Seculares ludi Tarquinii Superbi Regis in agro sunt primum facti, quem Marti consecravit P. Valerius Poplicola Cos. quod P. R. in loco illo antea repertam aram quoque Diti ac Proserpinæ consecraverat in extremo Martio Campo, quod Terentum appellatur, dimissam infra terram pedes fere viginti: in qua pro malis avertendis P. R. facere sacra solitus erat. Ludos postea seculares*, &c. Hinc & Martialis lib. VI. Epigr. I. & x. ep. LXII. item Statius C lib. I. Sylv. in Soteriis Gallici voce *Terenti* ludos seculares denotant. *Ara* hæc, sepulta scilicet, & ignota, nisi ludis secularibus, a Valerio Sabino xx. pedes sub terra inventa fuit, qui trinoctio illic celebrato liberorum sanitatem recuperavit jam morti proximorum. Exstat historia facti, seu potius fabula hæc, apud Valer. Maximum lib. II. cap. IV.

Sunt &, qui *lucum* illic *Junonis Lucinæ* fuisse, atque hinc cognomen ædi *S. Laurentii in Lucina* obvenisse opinantur: inter quos & Panvinius. Auctor eis hujus sententiæ Zosimus videtur: qui tamen Trinoctio illo *Dis Lucinis* sacra facta tantum scribit. D Quare rectius alii nomen illud a *S. Lucina* Matrona deducant, cui ædes illa natales suos debet.

De *statuis* in Campum Martium ab Augusto e Capitolio translatis, & a Caligula disjectis, supra Suetonii hic locus allatus est: *Statuas virorum illustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Campum Martium collatas, ita subvertit atque disjecit, ut restitui salvis titulis non valuerint.* Donatus illas in Via Flaminia & Recta constituit: quas ego Campi Martii ambitum non egrediens, dum descripta a Strabone laudataque pulcherrima in eo ædificia mente mihi videre videor, ibidem quoque collocatas fuisse existimo, ut non modo speciem loci cohoE nestarent, sed & juventutem ad æmulationem virtutis excitarent.

In eodem & *Statilii Tauri Amphitheatrum* fuisse apud Dionem legimus, lib. LI. *Statilius*, inquit, *Taurus Amphitheatrum in Campo Martio suis sumtibus absolvit, inque ejus dedicatione munus gladiatorium exhibuit.* Quo loco Campum strictius accipiendum puto: ita ut opus hoc in ipsius ambitu, vel saltem proxima fuerit vicinia. Judicium hujus rei satis certum est, quod Augustus ante in eodem Campo ad edendos ludos Amphitheatrum ligneum fecerit, quam stabile ac lapideum illic nullum esset; item F Naumachiam. Sic & Suetonius ibidem a Caligula edita spectacula refert cap. XIX. *Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis, aliquot edidit.* Quamquam vero Dio lib. LIX. diversa dicere videtur: *Exhibuit autem spectacula ista partim in Septis effosso omni loco, & aqua repleto, ut unam navem introducere posset. Post alibi etiam maxima ædificia demolitus tabulata fixit contemto Scauri Amphitheatro*: tamen hæc ita accipi possunt, ut aliquando, non autem semper *Tauri* ab eo neglectum *Amphitheatrum* sit, quemadmodum tamen unicum hoc

tum Romæ id genus ædificium ludos illos intra ambitum ſuum ſpectari debere velut poſtulabat. Locum ejus, ſeu poſitum certum, nemo eſt qui expediat. Quod ſi mons *Citorius*, vel *Jordanus* tum temporis colles non fuerunt, alteram ex his illi adſignaverim: veroſimile tamen eſt, quum nulla ejus exiſtant reſidua veri indicia, in Campo minore fuiſſe, vel ſaltem in proximo.

Poſtea & *Trajanus* illic *Amphitheatrum* exædificavit; quod ab Hadriano dirutum Spartianus refert: *Et Theatrum, quod ille in Campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit*. Nec moveat quemquam, quod id *Theatrum* a Spartiano appelletur. Nam *Amphitheatrum* fuiſſe Donatus e Pauſania probat, qui lib. v. ait: θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν: *Theatrum magnum undique circulare*. Qua vero Campi parte, & an intra ejus ambitum fuerit, æque ut cetera, incertum eſt.

Nec alia *Theatri Balbi* fortuna eſt: quod *Cornelius Balbus*, Balbi illius Gaditani nepos, qui primus exterorum Romæ triumphavit, exſtruxit; idque in gratiam Auguſti, qui iſtiuſmodi ædificiis publicis urbem exornari cupiebat. Situm ejus nonnulli *Palatio Cæſarinorum* vendicant, neſcio quod illic ejus veſtigium agnitum prodentes: qua de re in tanta veterum ædificiorum caligine certi aliquid pronuntiare non audeo. Hoc tamen dicendum videtur, abſurde viciniam illam trium Theatrorum Pompeii, Marcelli, & Balbi defendi, quum veriſimilitudini repugnet. Tum & porticum Philippi ad *Palatium Cæſarinorum* alibi extendimus. Unum illud, quod apud Dionem exſtat lib. LIV. de eo affirmare licet. Tiberim ipſo ludorum tempore, qui in ejus edebantur dedicatione, ita illud inundaſſe, ut Auguſto intrandi facultatem præcluſerit. Quare loco humiliore, nec procul a ripa fluminis remoto, ſitum fuiſſe conjicere eſt.

Præter *Theatrum* hoc, *Balbi* quoque *Cryptam* Victor & Rufus hic recenſent. Quid ea fuerit, Suetonius exponit in Calig. c. LVIII. ubi ſcelerati iſtius hominis necem refert: *Cunctatus, an ad prandium ſurgeret, marceſcente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem ſuadentibus amicis egreſſus eſt. Cum in Crypta, per quam tranſeundum erat, pueri nobiles ex Aſia ad edendas in ſcena operas evocati præpararentur, ut eos inſpiceret, hortareturque, reſtitit*. Erat igitur hæc *Crypta* locus, ſeu pars aliqua Theatro vicina, in qua hiſtriones exercebantur. Quamquam autem Suetonius de parte Palatii loquitur, accipiendum id tamen de loco Theatro vicino, quod ſupra illum fuiſſe e Dione liquet, qui lib. LVIII. idem factum, ſed diverſimode nonnihil deſcribit: *Sed ut Cajus & ſaltare voluit, & tragœdiam imitari, qui circa Chæream erant, morari amplius non potuerunt, ſed obſervato exitu ejus e Theatro, ut videret pueros nobilium filios, quos e Græcia & Ionia evocaverat*. &c. Clarius autem Joſephus Flavius lib. XIX. Antiq. Jud. cap. I. ubi hiſtoriam cædis Cajanæ prolixe enarrans Theatrum illud ad tempus ante Palatium exſtructum deſcribit. Hinc conjectura tantum non certa ſubnaſcitur, conſimilem ad Theatrum Balbi locum *Cryptam* ejus fuiſſe, qualis & ad Theatrum Cajanum fuit.

Inter Campi Martii ædificia *Ædes* quoque *Larium Permarinum* numeratur, quam M. Æmilium Lepidum Cenſorem *Laribus* dedicaſſe Livius refert lib. X. dec. IV. *Idem dedicavit Ædem Larium in Campo. Voverat eam annis* XL. *ante L. Æmilius Regillus navali prælio adverſus præfectos Regis Antiochi. Supra valvas Templi tabula cum titulo hoc fixa eſt: duello magno Regibus dirimendo caput ſubigendis patrandæ pacis hæc pugna exeunti L. Æmilio Lepido*, &c. Meminit ejuſdem & Macrob. lib. I. c. X. Saturnal

Templi itidem *Vulcano* in Campo Martio conſecrati Livius lib. IV. dec. III. mentionem facit: *Tacta de cœlo Atrium publicum in Capitolio, ædem in Campo Vulcani*, &c. Nec obſtat, quod ejuſdem *Vulcani ædes* in Circo Flaminio fuerit; quoniam Livius hic de illo non poſſe loqui videtur, cum tam diverſa ſint a Campo Martio Prata Flaminia. Tum æque facile, & multo diſtinctius *in Circo Flaminio*, pro *in Campo* dicere potuiſſet. Sed de his ſuum cuique liberum arbitrium eſto.

Adhæc plenum *ſepulcris* Campum Martium Strabo teſtatur: *Eapropter cum locum iſtum religioſiſſimum eſſe cogitarent, clariſſimorum virorum ac feminarum monumenta in eo conſtruxerunt*. Contrarium vero afferit eadem de cauſſa religionis Dio lib. XXXIX. ubi Juliam, Pompeii uxorem, Cæſaris filiam, ibidem ſepultam tradit, fruſtra obnitente Domitio, &, locum ſacrum ſine decreto pollui non debere, clamante. Idem & lib. XLVIII. de M. Oppio Ædile, qui populo acceptiſſimus fuit, ait, cadaver ejus in Campo Martio crematum. Sed oſſa decreto Senatus inde ablata, quippe contra fas illic condita: tametſi & ante & poſt complures illic auctoritate Senatus ſepulti fuere. Sic & Appianus lib. I. bell. civil. de Sylla loquens, ſepulcrum Regium vocat: *Tranſtulerunt in Campum Martium, ubi ſolos Reges ſepelire mos eſt*. Strabo igitur hoc tantum indicare voluit, multa illic a ſe ſepulcra fuiſſe eorum obſervata, quibus ſcilicet Senatus id conceſſiſſet.

Ex his illud *Juliæ* fuit, de qua ſupra: cujus præter Dionem mentio quoque apud Plutarchum exſtat in Pompejo, & Suetonium cap. LXXXIV. in Cæſ. nec non XCV. in Auguſto.

Sed & Sylla ſibi in Campo Martio ſepulcrum fecit, ſi qua Lucano fides lib. II. Pharſal.

Hiſne ſalus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio ſibi tollere campo?

Utrum vero hic Poetica licentia uſus ſit Lucanus, an re vera medio Campo Syllæ monumentum fuerit, diligentius inquirendi operæ pretium non eſt. In campo illum Martio ſepultum ſimpliciter tantum Plutarchus refert in Pompejo, ac Lucullo.

Idem honos & *Aulo Hirtio* & *L. Panſæ* Coſſ. bello civili contra Antonium e vulneribus mortuis contigit, ut eſt apud Livii Epitomatorem lib. CXIX.

Fuit & *M. Agrippæ* peculiare in Campo Martio monumentum: nihilominus Auguſtus eum in Mauſoleum ſuum inferri voluit.

Nec non *Druſus* Tiberii frater, paterque Claudii Imp. ibidem conditus, ut eſt apud Sueton. in Claudio, cap. I. item *Britannicus*, teſte Tacito lib. XIII. Annal. Utrumque tamen Mauſoleo illatum crediderim, quod in Campo Martio ſitum fuiſſe ſupra indicatum eſt: quod non Imperatorum tantum, ſed & totius familiæ Cæſarum commune fuiſſe conditorium, Appianus auctor eſt lib. I. de bell. civ.

Inter cetera Campi Martii memorabilia locus quoque *Petroniæ amni* dandus eſt; de quo Feſtus: *Petronia amnis eſt in Tiberim perfluens, quem Magiſtratus auſpicato tranſeunt, cum in Campo quid agere volunt; quod genus ſacrificii perenne vocatur*. Qui quidem vel in principio Campi fuit, vel antequam in eum intraretur. Cluverius in *Italia Antiqua*, de urbe Roma agens, certi nil de eo amne habet, quod afferat: ego vero ecquid certi inventurum me ſperem? Videamus. In eodem Feſto legas: *Cati fons, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit, dictus, quod in agro cujuſdam fuerit Cati*. Memini me non ſine admiratione animi in *via Roſella* aliquando ſcaturientem e veteri aliquo opere optimi ſaporis aquam

vidisse loco humiliore ædium *Grimanarum*: quam puto scaturiginem e Quirinali descendere, vel proximis illi campis: non tamen eam pro *aqua Petronia* venditare animus est, uti nec illam, quæ in area *Matthæorum* fontem illum constituit.

Auspicium denique *perenne*, quod illic captum ferunt, non eo solum loco, sed & alibi observari solitum Cicero docet lib. II. de Nat. Deor. *Maximæ Reip. partes iis bellis, quibus Reip. salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia servantur.*

CAP. VIII.

Campus Minor.

Ad latus Martii *Campus Minor* fuit. Ita Strabo: *Huic proximus Campo & alter adjacet Campus*. Item Catullus, ubi ad Camerium:

Te quæsivimus in Minore Campo, &c.

Donatus hunc *Campum Tiberinum* esse censet, quem Caja Taratia, sive Suffetia, P. R. dono dedit. Qua de re Gellius lib. VI. cap. VII. hæc verba habet: *Cajæ Taratiæ, sive illa Suffetia est, nomen in antiquis annalibus celebre est, quod Campum Tiberinum, sive Martium Populo R. condonasset*. Et Plinius lib. XXXIV. cap. VI. *Invenitur statua decreta & Taratiæ Cajæ, sive Suffetiæ, Virgini Vestali, ut poneretur, ubi vellet*, &c. *quod Campum Tiberinum gratificata ea esset Populo*. Qua in re non possum assentiri Donato, qui *Campum Tiberinum*, seu *Minorem Prata* esse *Flaminia* censet, quæ inter urbem & Campum Martium fuere. Verum Campum illum, qui postea *Pratorum Flaminiorum* nomen obtinuit, non Caja Taratia, sed Flaminius P. R. dono dedit. Plutarchus Probl. LXVI. *Quid est, quod Circus Flaminius dictus est? an quod cum Flaminius quidam priscus eum civitati agrum reliquisset, equestribus ludis ejus fructu & vectigalibus utebantur?* Præterea nullam amplius Campi illa prata speciem retinere potuerunt, ædificiis ab omni parte late sparsis occupata. Tum & nominis nimia differentia est inter *Campum* & *Prata*. Contra, qui jam supra Campum Martium inter duos colles *Citorium* & *Jordanum* inclusi, ita censeo, Campum Tiberinum a Taratia P. R. relictum Martio ad sinistram conjunctum fuisse, a *Ponte Sixti* usque ad *Pontem S. Angeli*, Tiberis ripam stringentem: unde jure merito huic proximus a Strabone dicitur. Quoniam vero a Via Recta circumscriptus, & in angustias redactus fuit, hinc sine dubio *Minoris* cognomen accepit.

Viam Rectam juxta flumen fuisse Donatus ex his Senecæ in Apocolocyntosi probat: *Inter Tiberim & Viam Rectam descendit ad inferos*. Idem eam inter *Pontem Sixti* & *S. Angeli* extendit, qui quidem pons tum necdum factus erat. Ego potius illam inter eundem *Pontem Sixti* & veterem triumphalem posuerim, ubi nunc *Via Julia* est: quum tantum non certum sit, pontes omnes in aliqua de præcipuis urbis viis finiisse. Hinc forte non admodum difficile Julio II. P. M. fuit in veterem eam speciem splendoremque restituere, sublatis, quæ obstare ejus pulchritudini videbantur, nonnullis ædiculis. Ita Recta & Flaminia quasi parallelo sibi respondentes situ in pontes duos spectavere, in Milvium hæc, illa in Triumphalem. Unde & utriusque simul mentionem facit Martialis lib. VIII. epigr. LXIV.

Cum peteret sera conductos nocte Penates.
Lingonus a Recta, Flaminiaque recens, &c.

Forsan & *Triumphalis* ipsissima Via Recta fuit appellata, sive a ponte, in quem desinebat, vel quia simul cum illo facta fuit.

Quoniam igitur *Campus Tiberinus* inter Martium & Viam Rectam inclusus fuit, jure *Minor* vocari potuit, respectu *Martii Majoris*. Et inde dubitans quasi Gellius dicit, *Tiberinum, sive Martium*. Hæc quoque ratio Hadrianum movisse videtur, novi Mausolei constructionem molientem, (quod sane non nisi loco frequentissimo celeberrimoque urbis, maximeque conspicuo, poni æquum erat) ut Augustum hac in re æmulatus, sicut ille majorem, ita ipse minorem Campum deligeret, cujus illud prospectui objaceret; licet in altera fluminis ripa, ne locum aliis usibus destinatum novo ædificio occuparet.

Est ei hodieque non secus ac Martio *Campi* nomen per tot secula servatum. *Campus* enim *Florum* dicitur: cui appellationis originem Fulvius venisse ait, *a loci præstantia & celebritate, quasi a florum amœnitate*; ideoque non *Floræ*, sed *Florum* nominatum. Alii, in queis & Marlianus, a *Flora* Pompeii amica nomen derivant, de qua Plutarchus in Pompejo. Mihi vero denominatio verior a Caja Taratia petenda videtur, quæ illum P. R. dono dedit: cujus historiam, seu fabulam potius, prolixe Macrobius exsequitur lib. I. Saturn. cap. X. dicitque Accam eam Larentiam fuisse nominatam, quæstum corpore facientem, quam tempore Anci Martii ab Hercule sibi pro mercede datam, ardentissimeque adamatam, homo prædives Taratius quidam omnium bonorum heredem instituit: & illa porro P. R. varios agros testamento reliquit. Idem & Plutarchus refert in Problem. ut & Augustinus lib. VI. de Civ. D. cap. VII. qui & hoc addit, divinos ei honores redditos. Ea, ut Plutarchus vult, *Flavia*, ut autem Verrius apud Lactantium lib. I. Instit. *Faula* appellata, Flora meretrix esse creditur, quam P. R. hæres ab ea institutus, ad abolendam ludorum floralium ab ipsa relictorum ignominiam, Deam esse florum finxit. Ita Lactantius lib. I. cap. XX. *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, P. R. scripsit heredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit; ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur; Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit*, &c. Atque illi quidem, si eadem Taratia fuit Campi donatrix Tiberini, ædem in eodem Campo dedicari æquissimum fuit; cujus & nomen hodieque servat. Quod si diversa ab illa meretrix fuit, nec hoc absurdum videri potest, meretrici in campo a meretrice alia donato fanum positum. *Taratiæ* vero illi Plinius statuam decretam, huic forsan tributam, aut etiam aliam pro cumulatiore redhostimento a P. R. additam verisimile est; & hinc Campo illi *Flaviæ*, & postea *Floræ* nomen.

Faunus rursus *Campum Minorem* illum Agrippæ esse putat: verum Catullus, qui *Minoris Campi* mentionem fecit, multo Agrippam vitæ tempore antecessit.

Ornamenta Campi ejus sine dubio permulta fuere, sed perpauca cognita sunt. Præcipuum fuit *Scena Theatri Pompejani*, quæ in eum spectabat, uti supra dictum. Ei vero Campo molem Hadriani respondisse ex opposito verisimile est, quemadmodum in Campo Martio Pantheon respondit Mausoleo.

Porticum illic *Pompeii* quoque fuisse superius

cap. III. e Vitruvio & Appiano ostendimus: quorum hic illam *ante Theatrum*, & Vitruvius *prope Scenam* collocavit: hanc autem in Campum spectasse dixi. Fuit igitur ad sinistram Scenæ, Viam Rectam versus, seu potius ad dextram propius Theatrum; ubi nunc *Pullarii* sunt, *Palatium*que *Cancellariæ*.

Sunt etiam permulti, qui *porticum hecatonstylon*, seu centum columnarum, vicinam Theatro fuisse dicant. In his Eusebius est, qui in Chronico incendium commemorans, quod principatu Philippi accidit, ait: *Theatrum Pompeii incensum, & Hecatonstylon*. Quæ utrum illa Pompeii fuerit, a multis dubitatur. Eandem fuisse e vicinitate arguunt Theatri, nec non e duabus, quas habuit, platanonibus, ut est apud Martialem lib. III. ep. XIX.

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictæ qua Platanona feræ, &c.

Ubi non solum Hecatonstylos ædificium a *donis Pompeii* diversum fuisse legitur, inter quæ & *Porticus Pompeii* fuit: verum insuper vocula *illinc* nonnihil inde remotum fuisse indicat. Verum, inquiet aliquis, Selius ille primum Pompeii porticum obturasse describitur, dein reliqua ejusdem ædificia: at quum ille loca pervestigarit otiosis hominibus ad captandam cœnam abundantia, videri non potest e porticu in curiam isse, qui non deambulationi aptus locus erat, sed contra ea post cædem Cæsaris obturatus: multo minus in Theatrum, ubi spectaculorum tempore populus aures nullas habebat parasitorum dictis ac jocis vacuas: reliquo vero tempore, quo, ut Juvenalis ait Sat. VI.

—— aulæa recondita cessant,
Et vacuo, clausoque sonant Fora sola Theatro:

non locus illic erat, aut aditus parasitis. Ergo *Pompeii dona*, de quibus Martialis loquitur, porticus & nemora fuere, diversa ab hecatonstylo. Sed de his alii forsan rectius aliquid invenient, & certius.

Platanos, quas Martialis, uti vidimus, Hecatonstylo vicinas fuisse dicit, Propertius lib. II. eleg. III. Pompeii porticui adjungit:

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.
Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt.

Verum, uti de *Buxetis* porticus Europæ diximus, nemora ex mente Vitruvii inter porticus alternis erant ordinibus intermedia. Quare altera platanon inter porticum Pompeii esse sita potuit: altera vero inter hecatonstylon; si tamen duæ illæ diversæ fuere porticus.

Ex his forsan ita variatis porticibus & nemoribus, interjectis etiam nonnumquam aliis ædificiis, minori Campo multa accessit amœnitas; sicut æstate deliciæ fuerit utriusque sexus illic deambulantium. Hinc Ovidius lib. I. Artis hujus umbras frequentari jubet a juvenibus:

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra,
Cum sol Herculei terga leonis adit.

Nec tamen ibidem ullam majoris, seu Martii Campi, facit mentionem: quod indicium mihi certum videtur, in illo Martialia, in hoc Venerea exercitia frequentata: & hinc ibidem Templum forte Veneris Theatro superimpositum: de quo idem Ovidius alibi:

At licet & prodest Pompejas ire per umbras,
Virginis æthereis cum caput ardet equis.

A Sic & Propertius loco supra allato Cynthiæ, Præneste & Tibur ire cupienti, Pompejanæ porticus ambulacra proponit cum platanis, & fontibus: eademque apud eundem eleg. IX. lib. IV. zelotypia laborans, amatori inter cetera præscribit, vetatque, ne illuc ambulatum eat:

Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra.

Inter platanos istas ferarum complurium effigies erant ad ornatum e marmore, & inter eas ursa a Martiale descripta lib. III. epigr. XIX. in cujus ore delitescens vipera puerum incaute manum ori statuæ B inferentem leto dedit.

Multum his quoque elegantiæ & nitoris *fons* contulit, de quo Propertius dicta elegia:

Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt:
Et leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.

Tritonem hunc Turnebus lib. VII. Adversar. in alia urbis parte fuisse existimat, magnam aquæ copiam ore evomentem: quæ illic coercita ad *Campum Mi-* C *norem* ducebatur, ubi aquarum imitabatur ex excelso lapsus. Donatus in hoc Tritonem fonte fuisse, & ab eo plurimam ejectam aquam, in ceterorum fontium usus fuisse deductam: quæ mihi expositio præ ceteris placet. Addeo ego & hoc: Tritonem hoc fonte cloacæ vicem præstitisse, & aquam fluminis cadentem absorpsisse, ut eam cum ceteris urbis fontibus communicaret, quemadmodum fontis exemplum adest arte facti in *area Navona*, seu agonali, quem sub obelisco celeberrimus ac nobilis Architectus Berninus adornavit, ubi aqua a delphino absorbetur. Atque ita Propertii verba abunde illustrata videri possunt, in quo tamen subtilio- D ris ingenii Commentatoribus suæ relinquam industriæ libertatem.

Præter alia magnum itidem *Campi minoris* ornamentum *Colossus Jovis* fuit, a Claudio Imp. ad Theatrum Pompeii erectus; qui & *Jupiter Pompejanus* ea de causa appellatus fuit, ut in Victore & Rufo superius vidimus. Plinius lib. XXXIV. cap. VII. de Colossis agens, *Talis*, inquit, *in Campo Martio Jupiter a Claudio Cæs. dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate Theatri*. Ubi Plinius *Campo Martii* appellatione *Minorem* quoque complectitur, non secus ac Gellius *Martium* quoque *Tiberinum* vocat. Observandum & hoc in Victore, ubi de Balbi E Theatro agit, addi, *Cl. Cæs. dedicavit, & appellavit a vicinitate*; falsum id esse, nec Theatro Balbi, sed huic Colosso convenire; de cujus statim subjicitur mentio. Erravit igitur descriptor, & verba illa male collocavit.

Fortassean hic ille *Campus* est, quem Spartianus in Pescennio *Campus Jovis* vocat, de ejusdem domo loquens: *Domus ejus hodie Romæ visitur in Campo Jovis*: quum perquam verisimile sit, *Campo* huic *minori* illam a Colosso Jovis appellationem tributam potius, quam Majori Martio a Jove Ultore Panthei. In quo lubens Donato assentior. Nam Pantheon F numquam Jovis templum, sed simpliciter Pantheon dictum fuit: & ad eundem modum Campus Martius in nostram usque memoriam semper vetus nomen retinuit, cum ob aram Martis, tum ob Equiria, & exercitationes ac lusus militares. *Ædes Fortunæ Equestris*, quam prope Theatrum sitam fuisse dixi, sine dubio ad sinistram Campi fuit: siquidem a dextra Curiam habuit & Porticum. In hac novus Victor non infelici conjectura usus est, qui huic eam regioni annumerat. Sed an tam belle *Veteris* epitheton addiderit, merito dubito.

Fuisse

Fuisse & alia *Campi minoris* ornamenta certum est, inter quæ *porticus* præcipua. Unius sane indicium faciunt reliquiæ nonnullæ Arcus Gratiano, Valentiniano, & Theodosio dedicati, quas A sibi Marlianus aliique visas asserunt inter pristinam *Monetam* & Ecclesiam *R. Celsi*: cujus hanc proferunt inscriptionem:

IMPPP. CAESSS. DDD. NNN. GRATIANVS. VALENTINIANVS
ET. THEODOSIVS. PII. FELICES. ET. SEMPER. AVGGG. ARCVM
AD. CONCLVDENDVM. OPVS. OMNE. PORTICVVM. MAXI
MARVM. ÆTERNI. NOMINIS. SVA. PECVNIA. PROPRIA
FIERI. ORNARIQVE. IVSSERVNT.

Hinc facile liquet, Triumphalem eum non fuisse: *porticus* autem illæ *maximæ* forte Campi minoris partem amplexæ sunt, sub *Jordano* colle in longitudinem porrectæ. Nec absurde quis eas veterem *Hecatonstylon* fuisse conjiciat, quippe cui vocula *maximæ* non male conveniat: vel etiam Campum easdem Martium cum minore conjunxisse, utrique interjectas, & sub colle *Jordano* flumini objectas. Sed in re tam dubia & incerta difficilis conjectura est.

Via Julia, ubi ædicula *S. Blasii* est, *ædem Neptuni* exstitisse Marlianus ex inscriptione vetere colligit. Quam rem, cum marmor mihi illud ignotum sit, & fallax omnis e marmoribus, quæ facile nunc huc, nunc illuc transportantur, de situ loci assertio deprehendatur, præsertim cum aliud nullum veri argumentum suppetit, in medio relinquo.

Inter Viam Rectam & Tiberim Seneca, ut supra habuimus, animam Claudii *ad inferos descendisse* ait, an, qui illic frequentia monumenta? nullus autem dubito, quin satyrice illud, ut cetera, addiderit, Claudii illudens socordiæ. Quare, quemadmodum nunc, ita & olim illic latrinas fuisse existimo: quibus hic locus minus frequens commodissimus fuit.

At jamnunc a sinistra ad dextram Campi Martii partem transgrediamur.

CAP. IX.

De Ædificiis inter Campum Martium & Viam Flaminiam interjectis.

Finis *Viæ latæ* initium fuit *Flaminiæ*, in ipso VII. regionis limite, ad *aream Sciarram*: desinebat autem ad urbem Ariminum; ab cujus altera parte Galliarum provinciæ initium. Stravit eam silice C. Flaminius Cos. Liguribus devictis: quemadmodum a Collega ejus Æmilio Via Æmilia Arimino Placentiam usque munita fuit. At nos tantum initium ejus in regione IX. excutiemus, reliquam partem omnem Italiæ descriptoribus permittentes. Facies ejus recto ordine a Ponte Milvio usque ad *Macellum Corvorum* tendentis, unamque cum Lata viam constituentis, pervenusta ac perbella fuit, ædificiis & populi frequentia insignis, ac tantum non & ipsa triumphalis. Nam per hanc Vitellius sollemni pompa urbem intravit, obvio ei Senatu P. Q. R. quem introitum Tacitus hisce verbis descripsit: *Ipse Vitellius a Ponte Milvio insigni equo paludatus, accinctusque, Senatum & populum ante se agens, quominus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumta prætexta, & composito agmine incessit. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa legionibus aliis vexilla, mox* XII. *alarum signa, & post peditum ordines eques. Dein quatuor & triginta cohortes, ut nomina gentium, aut species armorum forent discretæ. Ante aquilam Præfecti castrorum, Tribunique, & primi Centurionum candida veste, ceteri juxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes, & militum phaleræ, torquesque splendebant. Decora facies, & non Vitellio Principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus*, &c. Sed nemo melius Martiale eam depinxit, qui lib. X. epigr. V. victoris Domitiani reditum describens ait:

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois, sideribusque ducem.
Quando erit illa dies, qua campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit una, Venit.

Ubi mihi arbores nemoris, quod post Mausoleum fuit Augusti, & Viæ decus Flaminiæ, designari videntur. Campus vero ille *Martius* fuit, inter *Citorium* & *Mausoleum* ad horologium solare late patens. Reliquum feminæ & populi ad spectaculum intrantis Imperatoris concurrentis occupavit multitudo. Ad eundem modum triumphalem per eandem viam Honorii introitum Claudianus describit in sexto ejus Consulatu: nec non Stiliconis, in ejusdem laudibus.

Splendoris Viæ Flaminiæ luculentissimi indices sunt *arcus* in ea erecti *triumphales*, præter illos, quos in Via Lata exposuimus. Nam in ipso ejus principio, in *area di Sciarra* appellata, arcus fuit in ipsissima via, quæ a *fonte Trevio* ad *aream Petræam* tendit, ut proximi seculi referunt Antiquarii; videnturque etiamnunc illius nonnulla in utriusque lateris parietibus vestigia. Ferrucius in notis ad Fulvium Claudio illum tribuit: nec male. Nam anno hujus seculi quadragesimo primo in eadem area marmor inventum, effossumque, quod Martinellus *in Roma Ricercata* descriptum exhibet, erudite a Gozzio suppletum. Corruptum enim & mutilum erat injuria vetustatis. Ex eo Ferrucii conjecturæ veritas apparet. Inscriptio vero hæc est:

TI. CLAV *dio Drusi F. Cæsari*
AVGV *sto Germanico Pio F.*
PONTIFIC *i Max. Trib. Pot. IX.*
COS. V. IM *peratori XVI. P. P.*
SENATVS. POPV *lusque Romanus quod*
REGES. BRIT *anniai perduelles sine*
VLLA. IACTV *ra celeriter ceperit*
GENTESQ. E *xtremarum Orchadum*
PRIMVS. INDICIO *facto R. Imperio adjecerit.*

Superest & alter arcus hodieque in eadem via ad *S. Laurentii in Lucina*, qui *Portugalli* dicitur, a Cardinali quondam Portugallo seu Lusitano ibidem commorante. Fulvius ait, eundem ætate sua *Arcum Trofolium* appellatum, a *tropæis*, ut existimat, quibus exornatus est, vel a voce *Tripoli*, ut aliis placuisse refert, ob trium urbium expugnationem; *Prout*, inquit, *veterem inscriptionem superioris seculi nostri patres se legisse retulerunt*. Antiquarii illum *Domitiano* adscripsere, idque duabus de caussis; ac

A primo, quia plura illic in proximo ejusdem Imperatoris fuerunt opera: deinde, quod in exstantibus in eo figuris ad sinistram Domitianus visitur statura procera expressus, qualis a Suetonio describitur, supervolante in aere muliebri specie: quod ad somnium ejus referunt, de quo idem Suetonius cap. XV. *Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario, negantemque, ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Jove.* Sed ea sententia ab doctis hujus memoriæ hominibus rejicitur. Nam sunt, qui effigiem hanc esse negent Domitiani, quod capilli passi sint, & collum crassum, longumque: contra ea Domitianum capil-
B los breviores & contortiores habuisse constat. Quare a nonnullis arcus hic Claudio adsignatur; tum & arcum Domitiani in nummis quatuor fornicibus instructum conspici: hunc autem tantum unicum exhibere. At hoc argumentum nullius efficaciæ est: quum plures Domitiano dedicati arcus fuerint, quorum aliquis unius tantum fornicis fuerit. Validiora sunt duo Donati, quibus illam veterum Antiquariorum sententiam refellit, argumenta: ac primo, dirutos omnes fuisse Domitiani arcus. Ita enim Suetonius cap. XXIII. *Senatusque imagine ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi jussit; novissime eradendos ubique titulos, abolendamque om-*
C *nem memoriam decrevit.* Item Dio, seu potius epitomator ejus Xiphilinus, in Nerva: *Fuere quoque arcus triumphales, quos ei plurimos fecerat, disturbati.* Deinde, Domitiani somnium, quod ei paulo ante cædem ejus visum est, arcui insculpi non potuisse Triumphali.

Quapropter alterius eum Principis fuisse existimat Donatus, ac potius *Drusi*, fratris Tiberii Imp. adductus in eam sententiam libro quodam MS. Joannis Marcanovæ, qui in bibliotheca Collegii Romani asservatur, rudi stilo plurimas inscriptiones continens, & non pauca priscæ vetustatis mo-
D numenta: cui &, quod accidisse Druso legitur, convenit. Ita enim ea de re Suetonius in Claudio, cap. I. *Hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere ultra Latino sermone prohibuisse.* Hanc mulierem Donatus potius, quam Minervam, arcui insculptam putat. At si Drusus eam vidit Germanos persequens, cur illic inermis ac sedens apparet? sed nec illa barbaro cultu est, nec specie humana ampliore.

Ego vero sculptura hac diu multumque considerata, observavi primum vultum esse hominis sedentis, tametsi jam non integrum, non rasum,
E sed barbatum; quod post Hadrianum in sequentibus longa serie videas observatum Imperatoribus. Deinde mulierem illam in aere ab alato juvene humeris ferri, manu faculam tenente: sub quo ædificium quadratum est ardens. Hæc mihi figura nec Domitiano, nec Druso convenire videtur; nec ob elegantiam artis infra Severi tempora deputanda: sed medio inter Hadrianum & Severum tempori assignanda; adeoque *Marco Antonino* adscribenda, si quis in re dubia non inverisimili conjecturæ locus est. Hic enim uxorem Faustinam in Asia fato functam in Deorum numerum retulit, templum illic ei construxit, & e vico, in quo decessit, coloniam fecit: & hujus forte imaginem mulier illa nobis exhibet, e rogo in cœlum subve-
F ctæ: quemadmodum ab altero latere dextero concio ad populum, & templum effecta sunt. Adde, quod Capitolinus habet, Marcum ex Asia redeuntem triumphasse de Marcomannis, aliisque Germaniæ populis, ante profectionem in Asiam ab ipso devictis: quo tempore arcum illi triumphalem separatim ab illo, qui ipsi cum Vero ob victoriam Parthicam communis fuit, erectum probabile videtur, præsertim eo loco, ubi & plura Antoninis erecta fuisse monumenta constat.

Inter Viam Flaminiam & Campum alia etiam præclara fuere ædificia, quorum nobis index ille Selius Martialis erit, quem superius cœnas captantem, & hac illac vagantem attuli. Illi igitur,

Si nihil Europe fecit, tunc Septa petuntur,
Si quid Phillyrides præstet, & Æsonides:

Qui duo Chiron sunt Phillyræ filius, & Jason Æsonis, dux Argonautarum: unde recte Donatus *porticum Argonautarum* hic denotari existimat. Ut igitur Selius noster e porticu Europæ ad illam pergeret Argonautarum, Septa illi petenda erant. Porticus Europæ in Campo erat ad ima *Citorii*: illa igitur Argonautarum trans Septa fuit ad Viam Flaminiam. Septa vero omne illud spatium sibi vindicarunt, quod sub *Citorio* inter *Capranicorum Palatium* interfuit, & viam, quæ a Pantheo ad *Seminarium* tendit. Ergo *Porticus Argonautarum*, inter quam & Campum Septa intercessere, inter *aream Capranicam* sita fuit, & Viam Flaminiam, cui nunc *Cursui* nomen: id est, ut paucis absolvam, ubi nunc *area Petræa* est: ubi & hodie ingens veteris præalti & splendidi ædificii residuum conspicitur, generis Corinthiaci, cum undecim columnis striatis, non ex uno lapide, verum e pluribus coagmentatis: quæ quidem non porticus alicujus veræ, sed alterius minoris, quales templis adjungi solent, speciem præbent. Nam primis octo *Seminario* proximis ingens adhæret fornix, seu pars testudinis, reliquiæ sine dubio veteris alicujus templi: tres autem reliquæ *Cursui*, seu Viæ Flaminiæ viciniores ad porticum, quæ ante templum fuit, pertinuisse videntur, cum epistylia & foras & introrsum vergant. Quum vero in tertia flexus epistylii nullus animadvertatur, porticus illac ulterius protensa fuisse videtur, quartaque exstitisse columna, quæ jam nulla illic conspicitur. Sic & a tergo ædificii, ubi prima versus *Seminarium* columna est, clarius adhuc id, quod dixi, apparet: nam cum ea angularis sit, capitulum marmoreum habet Corinthiaci generis, sed non rotundum; quod indicium est parte ædificii posteriore pilas pro columnis muro templi conjunctas fuisse.

Ædificium hoc nonnulli *templum Martis* fuisse existimant, sed nullo veri argumento. Plerique alii porticum, vel ædem, vel basilicam Antonini arbitrantur, duabus de caussis: ac primo quidem, quod marmor illic in proximo inventum sit, quod, ut Marlianus asserit, *templi Antonini* facit mentionem: dein, quod vicinam habeat Columnam Antoninianam. Verum quam debile utrumque hoc sit argumentum, e sæpe supra ad id genus argumentorum responsis liquet. Nam & lapides facile transportantur: & vicinitas illa nil juvat. Quin potius nimis columna illa ab hoc templo remota fuisset. Exiguum enim spatium, quod inter Columnam & Viam Flaminiam interjacet, & inter eandem columnam & montem *Citorium* intercedit, satis quantum omne illud in circuitu spatium fuerit, ostendit: quod terminum seu limitem *areæ Columnæ* aut omnino non excessit, aut tam parum, ut *area* inde *Petræa* satis longe remota fuerit. Tum & absurdissimum sit, asserere velle, Forum Antonini ab una parte semet a Columna Antoniniana usque ad prædictas columnas extendisse, ab altera vero, ab eadem columna usque ad *Verospios*: deinde, adeo angustum fuisse, ut, quantum inter Columnam & Viam Flaminiam intercedit spatii, dimidium ejus occuparit latitudinis. Præterea positus istius ædi-

ficii hujusmodi est, ut non Columnam respectet, sed Viam Flaminiam, cui tam vicinum est, ut, si Forum Antonini non amplius habuerit latitudinis, deformiter angustum & in immodicam longitudinem porrectum esse debuerit. Tandem soli altitudo, quæ inter *aream Columnæ* & eandem porticum conspicitur, ubi mente parum valentium valetudinarium est, veteris alicujus dirutæ & intermediæ structuræ indicium præbet manifestum. Ubi & *templum Antonini* fuisse rectius affirmari queat, cujus in inscriptione, a Marliano indicata, fit mentio; & de quo Victor ait in hac regione: *Templum Antonini cum columna cochlide*, &c.

Ergo undecim illas columnas ad *porticum* potius *Argonautarum* pertinuisse longe verisimilius est. Dio eam *Porticum Neptuni* vocat lib. LVIII. ubi de sumtibus aliis ab Agrippa ad ornatum urbis factis agens ait: *Et porticum Neptuni propter victorias navales exstruxit, & Argonautarum pictura decoravit.* Antiquarii & *Templum Neptuni* adjungunt; licet nonnisi de sola porticu Dio loquatur. Idem tamen, quum incendium Vesuvii exponit, aliud, quod Romæ accidit, illi subnectens, conflagrasse eo ait *Serapidis & Isidis Templum, Septa, Neptuni Ædem, Thermas Agrippæ, Pantheon, Diribitorium*, &c. quæ loca omnia inter se contigua fuere. Videtur & Spartianus idem innuere, sed sub *Basilicæ* nomine; quæ appellationum variatio illo seculo valde frequens fuit: *Instauravit*, inquit, *Pantheum, Septa, Basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas*, &c. Tametsi vero series aliqua enarrationis ædificiorum non tanti ponderis est, ut illi tuto inniti liceat, nihilominus quod eodem fere ordine conjunctim a pluribus referantur, nonnihil mihi ad eorum situm indicandum, confirmandumve valere videtur. Quare Agrippam illic porticum templo Neptuni adjunxisse puto, quod jam ante ibidem exstiterit, sed ab eo extrinsecus ornatum, excultumque sit: ideoque Dionem solius tantum porticus meminisse: seu potius porticum ipsa æde Neptuni conspectiorem, magis celebrem, ac frequentatam fuisse, unde illius magis, quam templi Scriptores meminerint: vel si *Argonautarum Porticus* a *Templo Neptuni* disjuncta fuit, diversaque, saltem eidem proximam fuisse arbitror: sicut si non eopse loco, saltem undecim illis columnis Templi vicina fuerit.

Porticum Vipsaniam Tacito memoratam lib. I. Histor. his verbis: *Missus est Celsus Marius ad Electos Illyrici exercitus Vipsania in porticu tendentes:* Donatus optime eandem esse censet; quod Agrippa gentis Vipsaniæ fuerit. Quanquam vero & Panthei porticus itidem Agrippæ opus fuerit, nihilominus de hac Neptuni illa verba accipienda esse, quæ & celebrior, & nobilior fuit, e variis Martialis liquet epigrammatis, præsertim primo lib. X. quod & superius alicubi attulimus:

Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ Dominus levis carinæ.

Et e XX. lib. III. ubi Canium requirens duas tantum porticus veluti præcipuas commemorat:

An spatia carpit lentus Argonautarum,
An delicatæ Sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?


E quibus illam Europæ pulcherrima Campi Martii parte, alteram vero Pompeii situ Campi minoris amœnissimo constitutam celebres fuisse, mirandum non est: contra quam de illa Argonautarum porticu suspicandum est, quæ inter Campum & Viam Flaminiam conclusa eam populi frequentiam habere non potuit. Quin & valde probabile est, ad latus porticus spatium aliquod fuisse exercitio alicui dicatum, ad cujus spectaculum otiosi concurrere soliti sint. Non enim Agrippa frustra illam porticum ibidem construxisse existimandus est. Forsan illic equi domiti & exerciti sunt; ut in campo juventus; præsertim quum equi in tutela Neptuni sint. Dixi etiam supra *Trigaria* Septis vicina conjunctaque fuisse: quapropter qui Trigaria, non secus ac Septa, muro circumdata, & hoc in ambitu Templum & Porticum Neptuni fuisse dixerit, non omnino fortasse a vero aberraverit. In *Trigariis* autem equos fuisse exercitatos e Plinio supra vidimus, libro extremo Hist. nat. dicente; *Ne equos quidem in Trigariis præferri ullos vernaculis animadverto*. Idem lib. XXIX. cap. I. mandras illic fuisse equorum, equarumve venalium indicare videtur, de Thessalo Medico inquiens: *Nullius histrionum, equarumque Trigarii comitatior egressus in publico erat*. Nec aliud nomen ecclesiæ illic vicinæ *S. Mariæ in Equiro* existimare jubet: nisi forte pristinum illius nomen *in Aquiro* fuit. Nam illi quidem in antiquis *Trigariis* belle convenit. Certe accurate columnas illas consideranti statim suspicio oboritur in fronte ejus, vel ad latus spatium aliquod exstitisse, quod porticui huic insignis frequentiæ suppeditaverit occasionem.

Columnas Vipsanas, de quibus l. IV. epigr. XVIII. ita Martialis loquitur,

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roscida Templa subibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu.

Donatus ad porticum Argonautarum referendas existimat; portamque illam pluviam ad vicinum aquæ Virginis fontem: ambo vero fonti Trevio fuisse vicina. Ego vero portam eam arcum aliquem aquæductus Virginis fuisse arbitror, qui viæ nobis inter *Minervam* & *ædem S. Ignatii* constitutæ necessario portæ speciem & usum præbuit. Quemadmodum vero plerumque solet fieri in operibus vetustate rimas agentibus, præsertim continua aquæ affluentia madentibus, stillatitia illa aqua gelu concreta, decidensque, puero necem attulit. Hanc, quod porticui vicina esset, Martialis columnis Vipsanis proximam dixit; non ea mente tamen, ut per eam porta Capena longe inde remota intelligeretur, uti nonnullos nimis inepte fecisse video.

Persequamur jam inceptam Antonini operum enarrationem. Exstat hodieque *Columna Cochlis Antoniniana*, sive *Antonina:* nomenque areæ, in qua visitur, contulit. Multum ea pristinæ amiserat pulchritudinis, flammis & injuria temporis devenustata: sed antiquum ei decus & splendorem Sixtus V. restituit; qui & fastigio ejus B. Pauli statuam ex inaurato ære imposuit. Erexit hanc Antonino Pio Imp. Senatus, sed jam fatis functo, ut ex hoc patet numismate, in quo columna efficta est cum inscriptione, DIVO PIO.



Quoniam vero in columna illa, uti Donatus observavit, bellum, quod a M. Aurelio successore

ejus cum Marcomannis gestum, insculptum visitur una cum pluviæ laborante siti exercitu impetratæ, ut Gentiles crediderunt, revera tamen a vero Deo precibus Christianorum hoc dante missæ, miraculo, post Marci mortem a Commodo absoluta creditur.

Fori Antonini idoneus index hæc ipsa columna est, licet alia ejus nulla exstet notitia: area namque hanc caruisse nemo sibi persuaderi patietur. In *Foro* Antiquarii *templum* ponunt, & *porticum*, ac *basilicam* cum *palatio*. De *templo* res extra controversiam est, cum illud a Victore illic collocetur, & in inscriptione, e Marliano superius a nobis allata, in eo sita fuisse indicetur. Forsan & plura fuere. Nam Capitolinus templum illic etiam a M. Aurelio constructum refert: *Templum*, inquit, *ei constructum; dati Sacerdotes Antoniniani, & Sodales, & Flamines*, &c. Forum porro undiquaque *porticibus*, & *basilica*, rebus magnificentiæ seculi istius familiaribus, exornatum fuisse, pro certo mihi affirmare posse video. Verum quod de *palatio* ajunt, de eo nil comperti me habere fateor.

Juxta aquam Virginem *Juturnæ ædem* fuisse Rufus & Victor indicant: *Ædis Juturnæ ad Aquam Virginem*. Item Ovidius lib. I. Fastor,

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit
Hic, ubi Virginea Campus obitur aqua.

Ea de caussa Marlianus, aliique locum ei faciunt, prope fontem Trevium, proximis seculis corrupte *Lotreglio* appellatum, ut illi putant, pro *Juturnæ*. Verum cum fontem, seu castellum aquæ Virginis antiquum, non eo quo nunc ille fons est Trevius, loco ac situ fuisse ostenderimus, sed in fine illum aquæductus cunicularis arcuatum opus persecutum usque ad Septorum principium; ubi juxta Frontinum desinens aqua in varios civitatis usus distribuebatur: necessario consequitur ad Aquam virginem, & non alio aliquo loco ædem Juturnæ fuisse. Atque ita vera sua lux Ovidiano illi proxime adducto versui suppeditatur,

Hic, ubi Virginea campus obitur aqua.

Quoniam igitur ad *Seminarium* Aquæductus desinebat, *Juturnæ* quoque *ædem* illi vicinam fuisse sequitur: & fortassis *S. Mariæ* ædes *in Aquiro* (si tamen *Aquiro*, quod in Anastasio legitur, verum & antiquum ejus est cognomen, rectiusque quam *Equiro*) a proxima *aqua* nomen id accepit: ibique forsan *Juturnæ ædes* fuit; quod & tubuli ex ære confirmare videntur, quos Fulvius illic inventos ait, quum Anastasius Papa illic ædem construeret. Sic & columnæ, quas ibidem in hortis illius ecclesiæ effossas testatur, templum illic, aut porticum antiquum fuisse indicio sunt. Quare vel templo Juturnæ, vel porticui Septorum lubens illas adscripserim.

Hic mihi, dum de fornicibus aquæductus aquæ Virginis in fundamentis frontis Ecclesiæ D. Ignatii repertis sermo est, opportunitas oblata videtur de plumbeis fistulis ibidem inventis nonnihil differendi. Refert autem Donatus, quum viarum Curatores veteres cloacam ibidem detectam purgari, aliamque novam fieri jussissent, non longe a Pantheo in ea concavitate fragmentum fistulæ plumbeæ non plane rotundæ, sed superiore sui parte acuminatæ fuisse inventum; cui inscriptum: TEMPLO MATIDIÆ: unde templum illic Matidiæ in proximo fuisse conjicit, & eandem forte *Basilicam Macidii* esse, quæ vox corrupta in Victore, & optime a Panvinio restituta est, addente, *Alias Matidii, alias Matidiæ*. Filia hæc

A Marcianæ, quæ Trajani soror fuit, soror ipsa Juliæ Sabinæ Augustæ, quæ Hadriano in manum convenit. Meminit hujus Matidiæ Spartianus in Hadriano: *Trajani reliquias Attianus, Plotina, & Matidia referebant*. In vetere autem nummo, referente Donato, legitur: *Matidia Augusta D. Marcianæ F.* Mirandum igitur non est, huic quoque templum datum, cum ab Hadriano in Deum numerum referretur, aut alteri prius numini dicatum hujus postea nomine fuisse insignitum. Eodem errore & altera, quæ statim sequitur, *Basilica* vitiose *Marciani* apud Victorem legitur, pro B *Marcianæ*; quæ duæ Augustæ, mater & filia, vicina habuere templa eo loci spatio, quod inter Pantheon & *Minervam* intersitum est; nomenque illis *Basilicæ* declinante R. Imperii magnitudine pro more illius seculi datum.

In ejusdem quoque ecclesiæ fundamentis vestigia veteris *Balnei* privati detecta idem Donatus tradit, cum fistulis inscriptis; NARCISSI. AVG. LIB AB. EPISTVL. Quod idoneum Donato argumentum visum conjectandi, Narcissi hic prædivitis Claudii liberti ædes fuisse. Adferam vero ipsissima Donati verba, quo balnei hujus forma optime cognoscatur: *Convexæ ibi fornaculæ, unde* C *per fictiles canaliculos invicem concretos igneus vapor in varia etiam diversæ contignationis hypocausta exspirabat. Modicæ ibidem Cellulæ ad staturam hominis paulo amplius dimensæ, crustis tectæ marmoreis maculosis, & Pariis, vermiculata ibidem, tessellisque versicoloribus in folia floresque picturata pavimenta, qualia videmus etiam in Aventino*, &c.

Alia etiam aliquanto grandior fistula in fundamentis inventa fuit *Collegii Romanii* itidem in suprema sui parte acuminata, eodem teste Donato. Illis enim temporibus, quum aquarum salientium nulla ipsis cura esset, fistulas non ita conformabant, ut immisso aliquanto aere aquam vi ad prosiliendum in altum adurgerent. Fistulæ huic in- D scriptum erat;

IMP. CAES. HADRIANI. ANTONINI. AVG. PII.
SVO. CVR. PORCI POTITI. PROC. ANN. SYMPO. F.

Quod si hæc autem ad Antonini Pii in *area Columnæ* ædificia aquam deduxit, alia illa fuerit ab aqua Virgine necesse est, quippe quæ illi hac fistula propior fuerit. At si alioversus aquam deportaverit, qualis ea fuerit, explicare nequeam.

Propinquum omnino Septis *Templum Isidis* fuit. Juvenalis Sat. VI.

E *A Meroe portabit aquas, ut spargat in æde*
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili.

Nec aliter in supra allato loco Dio. *Serapidis & Isidis Templum, & Septa, Neptuni Ædem, Thermas Agrippæ, Pantheon* &c. quæ omnia unus incendii ignis hausit. Situm aliqui fuisse putant ad Templum *S. Marcelli* in Via Flaminia, seu *Cursu*; non alio indicio, quam quod ibi marmor erutum, cum inscriptione: TEMPLVM ISIDIS EXORATAE. Verum, præterquam quod ædes ea nimis longe a Septis dissita sit, quod & Fulvius animum advertit, in media hæc est regione VII. Viæ Latæ; F quum *Isium, Serapium*, & *Septa* regioni IX. attribuantur: unde marmori illi hic nulla fides est. Tum & EXORATAE additum cognomen, ut isthic aliud Isidis fuisse templum suspicemur, facit. Nam hæc quidem Isis Septis proxima *Campensis* appellata fuit. Ita Apulejus lib. ult. Milesiacorum: *Summo numini Reginæ Isidis, quæ de templi situ sumto nomine Campensis summa cum veneratione prospicitur*. Fulvius eam ex sua & aliorum opinione locum *S. Mariæ in Aquiro* in *area Capranica* occupasse refert, additque; *Exstant adhuc in propinquo templi hortulo*

columnæ quædam erectæ. Donatus contra existimat, quod Serapidis statua e marmore Ægyptiaco ante annos aliquammultos in fundamentis partis recens Monasterio Dominicanorum adjunctæ adversus Seminarium Romanum inventa fuerit, Isidis inde Templum non longe absuisse, Serapidique in eo divinos honores habitos. Ego vero, cum *Isium* illic a Victore memoratum fuerit, *Serapium* aliud fuisse, atque item in proximo Templum, arbitror. Favent huic conjecturæ meæ obeliscus parvulus ædis *S. Mauti*, nec non alterius ejusdem ecclesiæ muro inserti fragmentum, quod annis abhinc aliquot ad posticum Collegii Romani fuit, ut & alius integer, quem retro ecclesiam *Minervæ* ad januam minorem, quæ altari majori proxima est, in terra abjectum, illi *S. Mauti* non dissimilem Maurus memorat; præter alia nonnulla fragmenta, quæ Fulvius in eadem vicinia reperta fuisse auctor est. Hanc obeliscorum exiguæ magnitudinis copiam ad exornanda ista duo templa ex Ægypto advectam verisimile est: fortean & duo *leones* e marmore itidem Ægyptiaco earundum ædium fuerunt ornamenta, quos antea ante Pantheon positos idem Fulvius refert: *Eminent*, inquit, *hodie ante templi aditum ex priscis ornamentis duo pari forma leones ex Marmaridum lapide subnigro suis basibus collocati, cum hieroglyphicis notis inter porphyretica labra e proximis Agrippæ & Neronis, ut dicitur, Thermis, post ruinas ibi collocata.* Qui quidem leones nunc aquam in fontem Thermarum ejiciunt. Sic & duo marmorea *Nili* & *Tiberis* simulacra, quæ ad Arcum *Camillianum*, eodem Fulvio afferente, reperta, (quorum effigies & inscriptio in fronte ædium inter illos Librarios, ubi olim posita fuere, depicta cernitur) nunc in Vaticani parte, cui a pulchro prospectu *Belvedere* nomen, asservantur, forsan & ipsa ornamenta illorum templorum fuerunt: indicioque tantum non certo sunt, *Serapium* olim exstitisse, ubi nunc ecclesia *S. Stephani del Caccon* est, id est monstri, statuæ nempe Cynoscephali, quam ibidem quoque visam tradunt. Sed & editius ecclesiæ solum ruinarum veteris alicujus ædificii argumentum est; & perinsignis ille antiquitatum Ægyptiacarum numerus, quæ inter dictam *S. Stephani* ædem & *Seminarium* visuntur, satis manifestum indicium est illa hæc ornamenta esse, quibus Alexandrum Severum *Isium* & *Serapium* exornasse Lampridius auctor est: *Isium*, inquit, *& Serapium decenter ornavit, additis signis, & delicis, & omnibus mysticis.* Isidis ædem juvenum amoribus opportunam Ovidius prodit lib. I. Artis;

Heu fuge Niliacæ Memphitica sacra juventæ:
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Quibuscum egregie consentiunt, quæ Josephus lib. XVIII. *Antiq. Judaicar.* de Paulina, nobili matrona, in eo templo a Mundo astu Sacerdotum Isidis constuprata, memoriæ prodidit, idque per speciem amore ejus capti Anubidis: ob quod facinus Sacerdotes a Tiberio in crucem acti fuere, templumque dirutum; ab aliis postea restitutum.

Contigua templo Sacerdotum *domus* fuit, ut idem Josephus docet lib. VII. de *Bell. Jud.* in qua Vespasianus & Titus noctem, quæ triumphum proxime præcessit, transegerunt. Meminit ejusdem domus Apulejus quoque lib. ult. Metam. Fuerunt & *horti*, teste Scholiaste veteri Juvenalis ad hosce Sat. VI. versus:

—— *jamque expectatur in hortis,*
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ:

Apud templum, inquit, *Isidis lenæ conciliatricis: quia in hortis templorum adulteria committuntur.*

Templum Minervæ, sive *Minervium*, ut hic a Victore appellatur, Pompejum auctorem habuit, indice Plinio lib. VII. cap. XXVI. *Hos ego honores urbi tribuit in delubro Minervæ, quod ex manubiis dicabat*, &c. inscriptionem referens in eo templo a Pompejo positam: quam in marmore legisse se Marlianus ait in hæc verba: *C. Pompejus Magnus Imperator bello XXX. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, & in deditionem acceptis hominum centies vicies semel LXXXIII. millibus, depressis, aut captis navibus DCCCXLVI. oppidis, castellis mille quingentis XXXVIII. in fidem receptis. Terris a Mæotis lacu ad rubrum mare subactis votum merito Minervæ hoc breviarium ejus ab oriente.* Situm illud fuit, ubi nunc est *Cœnobium Patrum Minervæ*: ubi Fulvius & Marlianus residua ejus a se visa ajunt. Fulvius quidem ea ita describit: *Exstant autem undique ejus templi parietes quadratæ & oblongæ formæ sine tecto. Erat enim templum non magnum testudinatum, incrustatum, multisque ornamentis decoratum. Visitur autem ejus forma in hortis Fratrum Prædicatorum S. Dominici: per multos hactenus annos incultum, ac deformatum, & nulli rerum usui serviens, nisi immunditiis.* *Isium* igitur, *Serapium*, & *Minervium*, templa inter se contigua, & una quasi serie constructa fuere: & ante ea sine dubio via fuit, regionem VI. a IX. dividens, parvo intervallo ab ea via disjuncta, quæ hodie ab obelisco *S. Mauti* ad usque aream Collegii Romani porrigitur.

Sunt, qui hoc templum *Minervæ Chalcidicæ*, a Victore memoratæ, fuisse putant: sed in ea *vera ratione viai*, ut Poeta ait, aberrant. Diversum enim illud fuisse necesse est, quia a Pompejo conditum. Minerva vero *Chalcidica Augusti* opus est, teste Dione lib. LI. *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum appellatur, & Curiam Juliam in honorem patris sui factam dedicavit.* *Minervium* igitur illud forsan fuit, quod Rufo *Minerva vetus cum luco*: cui *veteris* nomen ad differentiam *Chalcidicæ*, post ab Augusto factæ. Quid, aut quare *Chalcidica* dicta fuerit, Cœlius Rhodiginus lib. VIII. cap. VIII. e Suida docet: *Chalciœcus e Minerva Spartæ, vel quod domum æream habebat, vel quod Chalcidenses exules id templum condiderunt:* cui & Livius accedit lib. v. decad. v. *Ætoli circa Chalciœcum (Minervæ id templum æreum) congregati cæduntur.* Idem & Cornelius Nepos in vita Pausaniæ, Pausanias in Laconicis, Plutarchus in vitis Parall. aliique plures dicunt Auctores. Quare ad exemplum Laconici Romanum ab Augusto factum, non quod æreum esset, sed quod vel Deæ statua ex ære esset, vel quod apud Laconas ita vocaretur, vel qua alia nobis incomperta de caussa *Chalciœci* nomen tenuit. Situm ejus exactum in hac regione incertum esse, ut multorum aliorum, non negamus.

Facit & alterius *ædiculæ Minervæ* Donatus mentionem, in *Collegio Romano* detectæ; in venta illic Deæ statua trunco innitentis, serpente cinctæ, quæ hodie in *Hortis* conspicitur *Ludovisiis*, quæ quidem ædicula nec illa Augusti, neque item Pompeii esse potest, exilis nimium, & tam magnis Auctoribus indigna. Crediderim potius privati alicujus Lararium fuisse. Tum & *Collegium Romanum* in regione potius VII. quam IX. situm fuit.

Domitianus, ut apud Suetonium legimus, præter opera *Naumachiam*, *Odeum*, & *Stadium* fecit; inter arcum *Portugallicum*, ut plerique putant, & collem Hortulorum; sed absque veri argumento. Ego contra *Stadium* ad Aquæ Virginis Castellum collocandum puto, ex hix Martialis lib. VII. ep. XXXI.

Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio Taurus amore calet,

Unde frequentia ista loca cursibus fuisse liquet: quorum ego alterutrum saltem *Stadio Domitiani* tribuerim, quod Victor huic adscripsit regioni.

CAP. X.

Memorabilia inter Viam Flaminiam & Pincium: ceteraque situs incerti.

ULtra Flaminiam inter *fontem Trevium* & Ecclesiam *D.V. Populi* spatiosa area est; incertum, quid olim fuerit. Ad eum fontem ædicula visitur, cui *S. M. in Fornica* nomen, a fornicibus Aquæ Virginis scilicet, ut superius indicavi. Hæc fuit, aut huic vicina ecclesia, quam Belisarius construxit admissi pœnitentiam agens, quod Imperatrici obsecutus Pelagium Papam abdicare se Pontificatu maximo coegisset. Quemadmodum marmor laterali ejus parieti rudi manu sculptum indicat:

Hanc vir Patricius Vilisarius urbis amicus
Ob culpæ veniam condidit Ecclesiam.
Hanc iccirco pedem qui sacram ponis in ædem,
Ut miseretur eum, sæpe precare Deum.
Janua hæc est Templi Domino defensa potenti.

Thermas Domitiani non procul ab arcu *Portugallico* fuisse plerique existimant: Blondus illis locum assignat, ubi nunc ædes & *Monasterium* est *S. Silvestri*, quod Papa hic ecclesiam sui nominis ædificasse legatur in ruinis *Thermarum Domitiani*. Fulvius hanc suæ memoriæ Antiquariorum opinionem esse ait, additque, *ubi etiam Thermarum signa quædam circumquaque apparent*. De his autem signis nil hodie dici potest, judicarive, quia jam nulla exstant. Non memini tamen legisse, exstructas umquam a Domitiano aliquas *Thermas*. Quare aliis certius id affirmantibus credendum est.

Vicina hisce *Naumachia* fuisse dicitur, de qua Suetonius in Domitiano cap. IV. *Edidit navales pugnas pene justarum classium, effosso & circumducto juxta Tiberim lacu, atque inter maximos imbres prospectavit*. Hujus sua etiam memoria Blondus clarissima exstitisse signa asserit inter Pincium & Viam Flaminiam, in vineis. Sed quæ signa, aut vestigia ejus superesse post tot secula potuere, quum paulo post Domitiani principatum illa diruta fuerit? *e cujus postea Lapide*, inquit Suetonius cap. v. *Maximus Circus deustis utrimque lateribus exstructus est*. Nihilominus sub ædem *S. Trinitatis in Montibus* ætate etiam Fulvii & Marliani cavitas quædam terræ (quod certum, puto, Naumachiæ indicium) cum vestigiis spectaculorum, id est, parietum marmore & lapide Tiburtino spoliatorum, visa fuit, ut ipsi illi Scriptores testantur: quæ nunc a nobis frustra requiruntur. Repugnat tamen nonnihil, quod in Suetonio *juxta Tiberim* legatur: verum, *quod parum distat, juxta dici potest*, inquit Marlianus. Addunt iidem, effossam illam prius ab Augusto: Naumachiam vero Augusti retro Mausoleum fuisse, ubi postea lucus Cæsarum fuit, supra ostensum est. Hæc autem Domitiani insignis fuisse describitur amplitudinis non modo a Suetonio, ut jam habuimus, sed & a Martiale lib. I. epigr. XXIV.

Odeum quoque Domitiani eidem Suetonio memoratum hac in parte fuit. Quod genus ædificii Antiquarii Musicis, Tibicinibusque inservisse dicunt, priusquam in Theatrum prodirent. Sed ego hoc *Domitiani Odeum* certaminibus Musicis di-

A catum existimo, quæ publice coram ipso celebrata. Suetonius: *Instituit & quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, Musicum, Equestre, Gymnicum*, & postpaullo: *Certabant etiam & prosa oratione Græce Latineque, ac præter Citharœdos Chorocitharistæ quoque, & Psilocitharistæ. Stadium* cursui dedicatum: cui spectaculo sæpe ipsum præsedisse idem Suetonius tradidit. Sed & alia in stadiis certamina gymnica exhibita Dio auctor est lib. LIII. Stadium sub Augusto ligneum in Campo Martio factum referens: *Certamenque dictum Gymnicum celebratum fuit structo in Campo Martio stadio ligneo, captivisque ibi positis ad certandum*, &c. Cujusmodi
B & ante a Cæsare structum e Suetonio discimus in Cæs. cap. XXXIX. *Athletæ stadio ad tempus exstructo in regione Campi Martii certaverunt per triduum*. Et hæc quidem stadia eodem loco, quo post illud Domitiani, exstitisse Antiquarii existimant, quod inter rudera vetusta ad *Monasterium S. Silvestri* Blondus duos grandes lateres quadratos se vidisse testetur; in quorum altero literis rudioribus argillæ adhuc crudæ inscriptis legebatur: PARS DOMITIANA MAJOR: in altero vero: DOMITIANA MINOR. Sed ex his mihi potius colligi posse videtur, Domitianum
C partes ejus quasdam ampliasse, quarum hæc fuerit in lateribus distinctio. Verum utut ea se res habuerit, de ædificio, quod nunc horti ejusdem Monasterii occupant, Ligorius in Paradoxis ita disserit: *Horti autem isti lateritio muro præalto quadrato circumdati sunt, continentque templa in medio. Quare locus hic esse Naumachiæ non potuit, verum potius, ut ego arbitror, duobus Septis, ubi suffragia dabantur*, &c. Ubi duplex Ligorii error notandus est; quod tum *Naumachiam* illic ab Antiquariis collocari dicat, quam illi sub Pincii potius radicibus constituunt: tum, quod *Septa* ea fuisse putet: quæ & alio loco fuisse probavimus, & aliud ædi-
D ficii genus porticibus circumdatum. *Odeum* potius dicendum puto: sed nil affirmo in re tam incerta. Nam & in alia parte urbis esse potuit, ut alia multa Domitiani, *Templum Jovis Custodis, Forum Palladium, Templum Gentis Flaviæ* in Quirinali, & *Stadium* ad aquam Virginem. Dissimulandum tamen non videtur Aquam Virginem sub æde *S. Trinitatis in montibus* in duos dispesci ramos, quorum alter ad *fontem Trevium* tendit, alter per viam, cui a canalibus *de Condotti* nomen, transit. Unde non adeo absurda sit conjectura, hunc *Naumachiæ Domitiani* aquam contulisse; & propter hanc aquam virginem ad *S. Silvestri Monasterium* olim exstitisse
E *Stadium*. Sed de his alii rectiora forte viderint: nos hoc interea Catone contenti erimus.

Exstat apud Capitolinum *Porticus Gordiani* mentio in hæc verba: *Instituerat porticum in Campo Martio sub colle pedum mille, ita ut ab altera parte æqua mille pedum porticus fieret: atque inter eas partiretur spatium pedum quingentorum: cujus spatii hinc atque inde viridaria essent lauro, myrto, & buxo frequentata, medium vero lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille, quod esset deambulatorium: ita ut in capite Basilica esset pedum ducentorum*. Hujus sibi porticus visa vestigia
F sub colle Hortulorum, juxta Naumachiam, Marlianus refert. Sequitur vero in Capitolino: *Cogitaverit prætera cum Misitheo, ut post Basilicam Thermas æstivas sui nominis faceret; ita ut hyemales in principio porticus poneret, & suo usui essent vel viridaria, vel porticus: sed hæc omnia nunc privatorum & possessionibus, & hortis, & ædificiis occupata sunt*. Quod si igitur ætate Capitolini cuncta illa ædificiis, hortis, & vineis privatorum fuerunt occupata, quomodo, quæso, ante seculum vestigia eorundem superesse potuerunt? Tum vero voces

instituerat, & *cogitaverat*, non rem factam, sed mente agitatam indicant. Dein & *in Campo Martio* Capitolinus, non autem sub colle Hortulorum, institutam porticum dicit: qui quidem campus stricte sumtus longe inde absuit; latiore vero significatione eousque extendi potuit. Fortean & *sub colle* situm inter collem *Jordani* & Tiberim expresserit. Sed hæc, ut cetera, incerta sunt.

Sic & *Gallienus Porticum* ad Pontem usque Milvium facere destinarat. Trebellius: *Porticum Flaminiam usque ad Pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ita ut tetrastiche fieret; ut autem alii dicunt, pentastiche: ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis: secundus & tertius deinceps διὰ τεσσάρων columnas*. Verum & hoc consilium irritum fuit.

Lucus sive *Dei Robigi*, sive *Deæ Rubiginis*, hac forte in planitie fuit, in quam e porta Catularia exibatur, ad immolandas canes. Quum hac de porta agerem, locum ex Ovidii quarto Fastorum attuli, quo Catulariam sub Quirinali fuisse probabam, prope *Palatium Columnense*. Ab ea parvo disjunctum fuit intervallo lucum ex Festo constat: *Catularia*, inquit, *porta dicta est, quia non longe ab ea ad placandum Caniculæ sidus, frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur*, &c. Unde inter Viam Flaminiam & Collem Hortulorum exstitisse sequitur: nisi quis sub Quirinali eum collocare malit, in regione Viæ Latæ: sed illa altera opinio vero propior videtur, quia sub Quirinali ædificiis potius quam lucis locus fuit, ut in VII. regione vidimus. De sacrificiis illi Deo, seu Deæ illi factis Varro consuli poterit lib. V. de L. L. & lib. I. de Re Rust. Festus lib. XV. Servius ad I. Georg. Plinius lib. XVIII. cap. XXIX. Columella de Re Rust. lib. X. &c.

Tropæa quoque *Marii* de devicto Jugurtha Viæ Flaminiæ inter Augusti Mausoleum & Collem Hortulorum Fulvius & Marlianus vindicant ex hac ibidem reperta inscriptione:

PR. TR. PL. R. AVGVR. TR. MIL. EXSORTEM. BELLVM. CVM. IVGVRTHA. NVMID.
VEL. PROCOS. GESSIT. EVM. CEPIT. ET. TRIVMPHANS. IN. IOVIS. AVTEM
SECVNDO. CONSVLATV. ANTE. CVRRVM. SVVM. DVCI. IVSSIT. III. CONSVL
ABSENS. CREATVS. EST. IIII. TEVTONORVM. EXERCITVM. DELEVIT
V. CONSVL. CIMBROS. FVGAVIT. EX. EIS. ET. TEVTONIS. ITERVM
TRIVMPHAVIT. REMP. TVRBATAM. SEDITIONIBVS. ET. TR. PL
ET. PRAETOR. QVI. ARMATI. CAPITOLIVM. OCCVPAVERANT
VI. COS. VINDICAVIT. POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA
CIVILIA. PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS. EST. DE
MANVBIIS. CIMBRICIS. ET. TEVTONICIS. AEDEM. HONORI. ET
VIRTVTI. VICTOR. VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PVNICEIS.

At hanc inscriptionem, in qua ultimi Marii consulatus mentio fit, cum tropæo de devicto Jugurtha nil habere commune, ratio ac res ipsa docet. Septimo enim decimo consulatus sui septimi die mortuo nec tropæi, nec inscriptionis ponendæ morbus ei tempus, aut otium permisit. Unde vel a filio, vel quo alio amicorum id factum necesse est. Forsan illic monumentum ejus fuit: quamquam tum temporis elogia istiusmodi necdum usitata fuere. Potuit tamen filius in memoriam patris, cui nil gloria dulcius fuit, famam gestorum ejus hac inscriptione æternitati commendasse: quæ si a Sylla cum tropæis ceteris disjecta fuit, a Cæsare forsan restituta est, ut supra e Suetonio vidimus. *Hortorum Lucullianorum* regione VII. injecta mentio est: quos Frontinus lib. I. de Aquæduct. manifeste huic locorum situi adscribit: *Arcus Aquæ Virginis initium habent sub hortis Lucullianis*. Sed hoc initium quæritur ubi fuerit. Dixi ego, ibidem, ubi & nunc scaturit. Paulo enim ultra *Fontem Trevium* & *Cloacam Bubali* aquæductus continui dehinc sub terra meatus initium est. Sic ut hortos suos Lucullus supra *Cloacam Bubali* instituerit & ædem *S. Andreæ delle Fratte* versus ædem *S. Josephi*, & ulterius aliquanto, ubi e primo collis tumulo planitiem omnem sibi subjectam prospectabat. Horum tanta amœnitas fuit, ut, postquam semel in Principum Roman. venere potestatem, mirifice ab illis fuerint adamati. Hinc Plutarchus in Lucullo: *Quando vel hac ætate ita gliscente luxu horti Luculliani inter Principis sumtuosissimos habentur*. Eripuit eos eadem de causa Messalina Claudii uxor Valerio Asiatico, in iisque etiam occisa fuit, ut est apud Tacitum lib. XI. Annalium. Memini anno, ni fallor, hujus seculi sextodecimo, quum supra ædem *S. Josephi*, ubi domus aliquot recens exstructæ angulum constituunt inter *Viam Felicem* & alteram illam portæ Pincianæ sub podio quodam fragmentum marmoreæ tæniæ effossum, duabus columnis suffultæ, cujus zophoro literis cubitalibus inscriptum OCTAVIAI. Unde conjicere licet, ædificium illic aliquod fuisse, aut hortorum ornamentum, ab Octavia Messalinæ filia exstructum, ad quam morte Britannici jure hereditatis illi pervenere: forsan etiam loculum sepulchralem cineribus capitis Octaviæ destinatum, quod Romam ex insula Pandataria, ubi teste Tacito Annali XIV. interfecta est, Romam allatum. Forsan & totius cadaveris cineres Romam ex illa insula deportati fuere, ibidemque conditi. Post Octaviæ mortem Neronem dominum habuerunt, & ab eo successores in Imperio. Verba Plinii sunt in Panegyric. *Ipsos illos magni aliquando Imperatoris hortos, illud numquam nisi Cæsaris suburbanum licemur, emimus, implemus: tanta benignitas Principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos principalibus rebus existimet dignos; nos non timeamus, quod digni esse videamur*. Hinc nonnulli, & in his Lipsius, existimant, Plinium de *hortis Lucullianis* loqui, principatu Trajani venditis: verum Donatus rectius, meo quidem judicio, *Pompeii* hic *hortos* innui censet, Plutarchi usus loco, quem post scriptum Trajano hunc a Plinio Panegyricum sua composuisse verisimile est. Accedit, quod cognomen *magni* a Plinio usurpatum magis Pompejo conveniat, cui id magis proprium fuit, quam Lucullo; quodque Pompejus frugalior in hortis suis adornandis fuerit Lucullo, & hinc eosdem a Trajano venditos probabilius fit.

Sepulcrum Domitiorum in eodem colle fuit, sed inferiore ejus parte, versus portam Flaminiam: in

quod & Neronis illati sunt cineres. Suetonius extrema ejus vita: *Reliquias Ægloge & Alexandria nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e Campo Martio impositum colli hortulorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris superstante lunari ara circumseptum est lapide Thasio.* Ædes illic jam est *B. V. Populi*, quam populus R. exstrui curavit in honorem imaginis B. V. juxta ossa Neronis miraculis claræ: cujus historiam pluribus conscriptam legere est apud Landruccium, &, qui eum antecessit, Albericum.

Magnæ istius planitiei monti *Pincio* subjectæ extremus terminus *Pons Milvius* fuit, qui locus celebris tum temporis omni lasciviarum genere fuit, ideoque a Nerone frequentatus. Sic Tacitus l. XIII. Annal. *Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quo solutior urbem extra lasciviret.* Eodem se quoque Lampadius Præfectus urbis contulisse fertur, quum plebs domum ejus oppugnaret. Ammianus lib. XXVII. *Secessit ad Milvium Pontem (quem struxisse superior dicitur Scaurus) adlenimenta ibidem tumultus operiens*, &c.

Fuere & alia in ea regione a Victore & Rufo memorata: quæ licet incerti situs, attingenda tamen visa sunt.

In his *Via Fornicata*, per quam ex urbe in Campum Martium descendebatur. Livius lib. II. decad. III. *Et Via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cœlo tacti, exanimatique fuerunt.* Quæ vocula *erat* viam illam veterem fuisse subindicat, quæ Livii ætate non amplius exstiterit. *Fornicata* autem dicta fuit, vel a fornice alicujus cloacæ, qui ei in longitudinem subjectus fuit, vel ab aliqua porticu, partem ejus tegente. Idem Livius l. V. dec. IV. *Ædiles*, &c. *Porticum*, &c. *alteram ad portam Fontinalem, ad Martis aram, qua in Campos iter esset*, &c. Ubi viam innuere videtur, qua ex urbe in utrumque Campum Martium & minorem exibatur: videturque eadem loquendi ratio esse, atque illa superius, *quæ ad Campum erat*. Potuitque hæc porticus fornix esse, quæ viam ex parte tegens eidem nomen contulerit. Sic & Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Jovem fecit eburneum, in Metelli æde, qua Campus petitur.* Verum quoniam plures fuisse vias constat, quibus in Campum egressus erat, *Fornicatam* illic designari, affirmare non autim: ut nec, utrum de duobus Metelli templis, Porticus latera cingentibus, hic indicetur: quin & aliud tertium esse potuit. Porro *Viam Fornicatam* Donatus prope *Fontem Trevium* fuisse arbitratur, quod ecclesia *D. V.* illi vicina *in fornica* appelletur: verum fornices, arcusve aquæ Virginis templo illi nomen dedisse superius exposui.

Mimitia Vetus, & *Mimitia Frumentaria* in Rufo legitur. Rectius in Victore, *Minutia Vetus*, & *Minutia Frumentaria*. Porticus hasce fuisse e Vellejo liquet, qui lib. II. *Per eadem*, inquit, *tempora clarus ejus Minutii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scardiscis triumphus fuit.* De alterutra harum potius, quam de *porta Minutia* loqui mihi videtur Lampridius in Commodo: *Herculis signum æneum sudavit in Minutia per plures dies.* Ceterum ubi sitæ fuerint, ignoratur. In Campo Martio fuisse verosimile est. Quod si qua situs ratio in recensione a Victore & Rufo habita fuit, quum utramque eodem spatio ad templum Vulcani in Circo Flaminio collocent, haud procul ab eo Circo abfuisse probabile est: certi tamen nil affirmari potest. *Frumentariam* vero aut nomen debere, aut frequentatam fuisse *Frumentariis*, Imperatorum exploratoribus, qui & *Agentes in rebus* appellati, de quibus pluribus locis Spartianus, Lampridius, Capitolinus, & Trebellius agunt, & publicam pestem a Diocletiano exstirpatam Sex. Aurelius lib. *de Cæsaribus* refert, vix putem. Plus nobis in re obscura lucis Apulejus lib. *de Mundo* suppeditat: *Alius*, inquit, *ad Minutiam frumentatum venit, & aliis in judiciis dicitur dies*, &c. unde Lipsius lib. I. Elector. cap. VIII. infert singulis illic mensibus tesseras in populum divisas frumentarias, quis e publicis horreis, quæ in quavis erant regione, frumentum peteret, quod leviore Resp. pretio distribuebat; quodve Imperatores pro congiario populo donabant. Nec frumentum tantum, sed & oleum, & carnes illic in plebem divisa: redeunte hoc pacto fructu aliquo tributorum universi Imperii ad egenam urbis dominæ plebeculam. Porticum hanc *Minutius* fortasse hunc in usum struxit, memoriæque *Minutii* illius de majoribus suis consecravit, quem P. R. ob liberalem frumenti distributionem statua donavit, ut in regione XIII. dicetur.

Lucus Mavortianus a Rufo tantum recensitus utrum prope aram Martis in Campo fuerit, incertum est: vix tamen crediderim Campum Martium eo fuisse coarctatum, cum sat loci esset in proxima planitie. Forte templo Martis additus fuit, quod si non in Campo, saltem in ejus vicinia fuit, nisi qui ex illis unum nemoribus existimet, quæ alternis porticus ordinibus distinxere. De quibus Cicero lib. IV. epist. III. ad Att. *Metellus cum prima luce furtim in Campum itineribus prope deviis currebat: assequitur inter lucos hominem Milo.*

Sic & *Thermæ Hadriani* quo loco fuerint, nescitur: quamquam, quod a Victore prope Templum & Columnam Antonini collocentur, in vicinia sitæ videntur. Donatus eas in delineatione Campi Martii eo situ ponit, ubi nunc *Collegium Rom.* est, ne verbum quidem ea de re in descriptione faciens. Credo tubulum illi plumbeum ibi repertum, cui nomen *Hadriani* inscriptum, hoc persuasisse. Fuit tamen illa nomen *Antonini* ab Hadriano adoptati: tum & *Collegium Rom.* uti dixi, in VII. potius quam hac regione situm obtinet.

Ciconiæ Nixæ a Victore commemoratæ sculptura quædam, meo judicio, vel tabula fuit, in qua ciconiæ ingeniculatæ expressæ, non secus ac *Dii nixi* in Capitolio. Isidorus lib. I. *de Differ. Inter nixus & nisus hoc interest, quod nixus in genua, nisus a nitendo, id est conando.* Forsan & aliquid sustinentes pictæ fuere.

Meleagricum porticum fuisse credo a pictura Meleagri historiam continente denominatam; quod in Notitia *Porticus Argonautarum*, & *Meleagri* legatur. Sed utrum hic locus vitio vacet, quum tot aliis corrupta ea sit, haud liquido dixerim.

Insula Phyllidis domum *Phyllidis*, sive ea bona, sive mala existimatione fuerit, indicat: quæ & viciniæ nomen dedit. *Phyllidis* cujusdam famosæ, ac meretricis, mentio apud Martialem exstat, variis locis, ut lib. XI. epigr. XXX.

Dic mihi, dabo agros, dabo tibi millia centum.
Nil opus est digitis, sic mihi, Phylli, frica.

Cujus etiam hæc insula esse potuit. Alterius meminit Propertius, sed in Aventino degentis. Verum rectius, ut Pancirollo videtur, in Notitia *Feliculæ* legitur, quæ frequentia incolentium celebris. De hac Tertullianus *contra Valentinianum*: *Meritorium factus est mundus. Insulam Feliculam credas: tanta tabulata cœlorum nescio ubi.*

Lucus Petilinus major, de quo Rufus, additus mihi videtur ab aliena manu, ut in V. regione monuisse memini.

CAP. XI.

Regio X. *cui nomen Palatium.*

NOn hæc cum præcedente *Circi Flaminii* regione conjuncta est, sed interjecta secunda *Cœli* ad dextrum Esquiliarum, qua transitus ad nonam Circi Flaminii factus, ceteris ambitur, mediam urbis partem exiguo ambitu occupans, ubi primi Romuli Roma olim fuit: eo ceteris celebrior, quia *Palatium Augustale* continuit. Descriptio ejus tota in Rufo injuria cuncta rodentis ævi desideratur. Quare sola hac Victoris contentos esse necesse est.

Regio X. Palatium.

Vicus Padi.
—— *Curiarum.*
—— *Fortunæ Respicientis.*
—— *Salutaris.*
—— *Apollinis.*
—— *Hujusque diei.*
Roma quadrata.
Ædes Jovis Statoris.
Casa Romuli.
Prata Bacchi, ubi fuerunt ædes Vitruvii Fundani.
Ara Febris.
Templum Fidei.
Ædes Matris Deum. Huic fuit conterminum delubrum Sospitæ Junonis.
Domus Cejoniorum.
Suelia.
Jovis Cœnatio.
Ædis Apollinis, ubi lychnuchi pendebant ad instar arboris mala ferentis.
Ædes Deæ Viriplacæ in Palatio.
Bibliothecæ.
Ædis Rhamnusiæ.
Pentapylon Jovis Arbitratoris.
Domus Augustana.
—— *Tiberiana.*
Sedes Imperii Romani.
Auguratorium.
Ad Mammeam, hoc est Diætæ Mammæ.
Ara Palatina.
Ædis Jovis Victoris.
Domus Dionysi.
—— *Q. Catuli.*
—— *Ciceronis.*
Ædes Dijovis.
Velia.
Curia vetus.
Fortuna Respiciens.
Septizonium Severi.
Victoria Germaniciana.
Lupercal.
Vici VI.
Ædiculæ VI.
Vicomagistri XXIV.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIMDCLIV.
Domus LXXXVIII.
Lucus LXXX.
Horrea XLVIII.
Pistrina XX.
Balneæ privatæ XXXVI.
Regio habet in ambitu pedes XIMDC.

In recentiore Victore hæc amplius habentur:

Viæ novæ.

A *Ædes Consi.*
—— *Aji Locutii.*
Delubrum Minervæ.
Pro *Suelia* in eo legitur *Summa Velia.*
Ædes Fortunæ vicinæ.
Bibliothecæ II.
Jovis Opt. Max. Colussus altus pedes CCL.
ubi alter habet *Lupercal*, hic addit *in Theatro*
Vici dicuntur VIII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri numerantur XXVIII. *alias* XXIIII.
B Insulæ MDC. *alias* IIMDCXLIIII.
Domus XXCIX. *alias* LXXXVIII.
Balnea privata XV. *alias* XXXVI.
Horrea XVI. *alias* XLVIII.
Porticus XII. *alias* XX.
Regio in ambitu continet pedes XIMDC. *alia* XIIMDC.

In Notitia legas:

REGIO X.

C *Palatium continet Casam Romuli, Ædem Matris Deum, & Apollinis Rhamnusii, Pentaphylon, Domum Augustanam & Tiberianam, Ædem Jovis Victoris, Domum Dionis, Curiam veterem, Fortunam Respicientem, Septizonium D. Severi, Victoriam Germanicianam, Lupercal. Vici* XX. *Ædiculæ* XX. *Vicomagistri* XLVIII. *Curatores duo. Insulæ duo millia* DCXLIII. *Domus* LXXXVIII. *Horrea* XLVIII. *Balnea* XIIII. *Lacus* LXXXIX. *Pistrina* XX. *Continet pedes* XI. *millia sexcentos.*

In Capitolina basi sequentes sex vici sunt.

Vico Padi.
D —— *Curiarum.*
—— *Fortunæ Respicientis.*
—— *Salutaris.*
—— *Apollinis.*
—— *Hujusque diei.*

Panvinius de suo addit:

Mons Palatini, alias *Romulius.*
Clivus Victoriæ.
Vicus Fortunæ Reducis.
Ad Capita Bubula.
Lucus Larum.
E *Templum Lunæ in Palatio.*
—— *Jovis*, alias *Solis Alagabali.*
—— *Augusti.*
—— *Quirini prope Lupercal, ubi erat signum lupæ.*
—— *Jovis Propugnatoris.*
—— *Febris in Palatio cum ara.*
Ædes Orci.
—— *Vestæ.*
—— *Victoriæ.*
Porticus Apollinis cum statua M. Varronis.
Area Templi Appollinis Palatini.
Sacellum Larum in Velia.
Volupiæ.
F *Delubrum Palatii.*
—— *Latonæ.*
Curia Saliorum.
Sacrarium Saliorum Palatinorum.
Tugurium Faustuli.
Colossus Apollinis Tuscanici L. *pedum in Bibliotheca Palatina.*
Statua aurea Britannici Cæsaris.
Theatrum Statilii Tauri in Palatio.
Balineæ Palatinæ.

Arcus Octavii patris Augusti cum signis, &c.
Bibliothecæ Palatinæ duæ, videlicet Latina Apollinis, in qua erat statua Numeriani Imperatoris.
Bibliotheca domus Tiberianæ.
Sepulcrum Cinciorum.
Domus Tulli Hostilii Regis.
—— Anci Martii Regis.
—— Servii Tullii Regis.
—— Publicolæ in Velia.
—— L. Crassi Oratoris.
—— L. Hortensii Oratoris.
—— L. Sergii Catilinæ.
—— M. Æmilii Scauri.
—— C. Cæsaris Dictatoris.
—— L. Annæi Senecæ.
—— M. Valerii Flacci.

Merula & hæc adjungit:

Murus Mustellus in.
Sacellum Mutini Titini in Veliis.
Cella Palatina Atriensis.

Possunt & plura adnumerari, ut:

Germalum.
Domus Fulvii Flacci, in cujus area postea porticus Q. Catuli.
Theatrum super Lupercali.
Domus Gracchorum.
—— Ti. Neronis.
Templum Bacchi.
—— C. Caligulæ.
Ædes Cereris.
Porta vetus Palatii.
Cornus Romuli.
Gradus pulchri littoris.
Scalæ Caci.
Templum Lunæ noctilucæ.
Sacrarium Augusti.
Pons C. Caligulæ.
Templum divorum Cæsarum.
Porticus Q. Catuli.
Domus Cn. Octavii.
—— Clodii.
Domus M. Antonii, quæ postea Messalæ & Agrippæ.
Balnearia Cn. Domitii.
Theatrum Cassii.
Arcus Constantini.

Quadrata montis Palatini figura eandem quoque regioni dedit, cujus quatuor latera totidem regionibus confinia sunt. In primo via illa, quæ per Arcum Titi hodieque ab æde *S. Mariæ Liberatricis* ad *metam sudantem* vadit, communes cum quarta limites habet, uti superius dictum. In secundo illa, quam retro eandem ecclesiam esse diximus, versus ædem *S. Anastasiæ* tendens octavæ contigua est. Tertii lateris respectu undecimæ objecta est, recta linea a *valle Circulorum* monte diviso. Ultimo denique & quarto via recta, quæ a *valle Circulorum* ad ædem *S. Gregorii*, & inde ad arcum pergit Constantini, a secunda regione dispescitur.

CAP. XII.

Ea, quæ primis temporibus in Palatino fuere notabilia.

Nescio, utrum manifestiores certioresque sint hujus regionis limites, an obscuriores, minusque noti veterum ædificiorum in ea situs. Tota enim *hortis* occupata *Farnesiis*, paucisque

A aliorum vineis, cuncta ferme antiquorum operum amisit vestigia, complanatis, erutisve eorum ruderibus. Investigabimus tamen, quantum licebit: in quo temporum rationem habebimus, cum hic & vetustissima primum Roma exstiterit, & sub Imperatoribus celeberrima fuerit, & maxime conspicua.

Ex antiquissimis Romuli monumentis primum occurrit *Lupercal*: quæ specus fuit Ficui Ruminali vicina, *Cani Lyceo* ab Arcade Evandro, ut est apud Dionys. lib. I. consecrata. Deo vero illi Græce cognomen ab abigendis *lupis*: cui & in Arcadia *mons Lyceus* sacer fuit. Λύκος enim Latine *lupum* significat: & hinc *Luperculi* nomen. Huc enim Evander ludos in patria Deo illi fieri solitos transtulit. Ita Dionysius, consentiente Livio. Valerius Maximus autem lib. II. a Romulo & Remo eos institutos tradit. Servii in VIII. Æn. de Lupercali verba sunt: *Sub Palatino monte est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: unde & Lupercal dictum.* Contra Ovidius lib. II. Fastor. Lupercal antrum illud fuisse dicit, in quod se lupa Romulum & Remum lactans recepit. Utrumque verum esse potest: ita ut Lupercal ab Evandro institutum sit, & in ea spelunca Romulo & Remo lupa ubera admoverit, in cujus rei memoriam Romani effigiem illic lupæ geminos lactantis ex ære posuerunt, quam Fulvius illam esse putat, quæ hodieque in Capitolio in *Atrio Conservatorum* conspicitur. Livius eam Cn. & Q. Ogulniis Ædilibus Curulibus assignat, factam ex ære multatitio fœneratorum. Ita enim ille lib. X. *Ad Ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupæ posuerunt.* Meminit & Plinius lib. XV. cap. XVIII. *Quoniam sub ea* (ficu) *inventa est lupa præbens rumen* (*ita vocabant mammam*) *miraculo ex ære juxta dicato, tamquam in Comitium sponte transisset.* Item Dionysius lib. I. *Ostenditur* (Lupercal) *secundum viam, qua itur ad Circum, templumque ei proximum, in quo est lupa præbens pueris duobus ubera, antiqui operis simulacra ærea.* Sed & *Ficus Ruminalis* manifestum argumentum est, infantes prope Lupercal a lupa lactatos. Servius in VIII. Æneidos: *Ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Romulus & Remus, quæ fuit, ubi nunc est Lupercal, in Circo. Hac enim labebatur Tiberis.* Quo loco ego *in Circo* vitiose a Librariis pro *in Comitio* scriptum puto, quidquid contra afferat Marlianus; quum illud alterum Antiquariis impossibile videatur: nisi potius e Dionysio legendum, *in via ad Circum.*

Videamus jam, ubi fuerit *Lupercal*. Exposuimus jam situm ejus superius reg. IV. ubi de *Vulcanali*, *Comitio*, *Ficu Ruminali*, & *Templo Romuli & Remi* actum. Fuisse illic diximus in regione X. prope Ficum Ruminalem & Comitium, quæ VIII. regionis sunt, & vicinum Vulcanali, quod in IV. fuit. Ergo in angulo Palatini ad latus *S. M. Liberatricis*, inter duas vias terminales regionis X. IV. & VIII. Quod autem adversum Volcanale situm fuerit, nominis forsan etiam eandem accepit terminationem. Facies ejus septentrionem respexit, ut Marlianus ex his Virgilii lib. VIII. Æn. colligit:

—— & gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Nulla autem Palatini pars boreæ magis obversa est, quam angulus ille: certe non ita ad mediam noctem vergit rotunda *S. Theodoræ* ecclesia, ubi Marlianus Lupercal fuisse situm existimat: cui & Ficus Ruminalis & Comitii longinquitas plurimum obstant; quæ vicina illi fuisse superius vidimus, & Victor in regione VIII. aperte indicat;

A *Ficus Ruminalis*, inquiens, *in Comitio ubi & Lupercal.* Omnino vero absurdæ & prodigiosæ sunt Blondi & Læti opiniones: quorum ille *Lupercal* in altera Palatii parte statuit, objectum ædi *S. Gregorii* prope Septizonium Severi. Sed hunc quidem Marlianus prolixe & efficacissime refutat. Lætus autem in Capitolio illud collocat e regione Palatini, & per consequens. Ficus etiam Ruminalis. Faunus duo exstitisse asserit *Lupercalia*, alterum ad ædem *S.Theodori*, alterum ad arcum Titi, ubi Comitium fuisse putat. Sed hic refutatione mihi indignus videtur. Certum igitur esto, Lupercal ad *S. Mariæ Liberatricis* ædem in ipso monte speluncam fuisse: quam Diony-
B sius cavernam fuisse dicit sub colle nemore denso opacatam cum scaturientibus e petra aquis, & ara Pani sacra: in quam se lupa infantes lactans a Faustulo visa se recondidit. Sua vero memoria, inquit, locum ædificiis ita exornatum fuisse, ut vix spelunca, unde aquæ scaturiebant, agnosci potuerit. Hodie nullum illic aquæ vestigium: unde & specum, & fontem, decidente aliquo montis fragmine, inter ruinas sepulta aliquando obrutaque fuisse verisimile est.

Marlianus hic e Plutarcho in Romulo expiscari sibi visus est, non *Lupercal*, sed *Germalum* Ficui
C vicinum fuisse. Verba Plutarchi sunt: *Quem nunc locum Germalum vocant, sed pridem Germano nomen fuerat, quod germanos fratres vocare solent.* Quare, ut auctorum dissidentium loca conciliet, geminos ad *Lupercal* expositos, post translatos nutritosque fuisse sub ficu in Germalo, ac si tot auctorum loca, *Lupercal* differe cum *Ficu Ruminali* eidem loco adscribentia, mera somnia sunt. Neque vero Plutarchus hic a ceteris diversus. Quum enim Lupercal spelunca fuerit, ficus arbor, Germalum locus urbis, ut ipse indicat Plutarchus, facile mente concipi possunt infantes duo in Germalo expositi, sub fi-
D cu, ad Lupercal.

Quis autem locus *Germalum* fuerit, Varro lib. IV. de L. L. docet: *Huic Germalum & Velias conjunxerunt: & in hac regione Sacriportus est, & in ea sic scriptum: Germalensis quinticepsos apud ædem Romuli: Veliensis sexticepsos in Velia apud ædem Deum Penatium: Germalum a germanis Romulo & Remo, quod ad ficum Ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos.* Erant igitur *Germalum* & *Velia* duo loca, & fastigia Palatini montis inter se vicina. Quare *Germalum*, quia in eo Lupercal & Templum Romuli pars illa *horto-*
E *rum Farnesiorum* fuit, quæ ædi *S.M.Liberatricis* imminet, & ad ipsam ecclesiam forte pertigit, cum pars illa montis ruinis necdum & ruderibus veterum ædificiorum adeo esset impedita: nam olim ad summum usque Palatini fastigium porrigebatur.

De *Velia* huic conjuncta tam multa in VIII. regione diximus, ut, quamquam hic suus locus est, paucis in ea describenda defungi possimus. Occupavit illa alterum Palatini fastigium, quod Ecclesiæ *S. Theodori* imminet; protendebaturque usque ad ædem *S. Anastasiæ*. Utriusque hodie quoque verticis ibidem agnoscuntur indicia. In *Veliæ* summitate inter cetera opera *Templum Deorum Pena-*
F *tium* fuit. Partes ejus fuere *Summa Velia* & *Subvelia*. In *Summa Velia* domus erat Publicolæ Valerii, de qua Dionysius lib. V. *Quia domum in invidioso loco ædificabat, collem eligens Foro superstantes, altum, & præruptum, quem Romani Veliam appellabant*, &c. Verum cognita ille populi suspicione materiam in subjectum infimum clivum transtulit, quæ *Subvelia* dicta, ibique sibi domum struxit. In Victore male *Svelia* pro *Subvelia* legitur, pro quo ego *Scilia* olim scriptum puto, quemadmodum mox ostendam. Nam *templum Victoriæ*, quod veterem domus Poplicolæ sedem occupavit, in *Subvelia* positum, ab eodem Victore in VIII. regione describitur.

In eadem *Velia*, seu *Subvelia* vetus *porta* Palatii fuit, quam *Romanam*, seu *Romanulam* olim dictam lib. I. exposui, *in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est*, teste Festo. Verum, *cum Victoriæ templum* in VIII. regione fuerit, forte ad dextrum viæ latus, quæ adversus portam ad Circum tendebat: gradus illi indicium faciunt portam ad sinistram fuisse, & per eam ascensum patuisse in Palatinum.

Ædes Jovis Statoris, hic a Victore recensita, & ipsa ad sinistram ejusdem viæ fuit, id est in eodem, quo porta, latere. Quoniam vero via hæc e Foro adibatur, atque item e Via Sacra, ubi recte situm. utriusque loci contemplati fuerimus, utrumque aditum ad Circum concurrisse deprehendemus apud *Jovis Statoris templum*: quemadmodum in regionis VIII. delineatione notavi. In hoc trivio aliquantum spatii, vel aream fortasse aliquam, fuisse necesse est, in quam domus Tarquinii Prisci fronte & aditu spectarit: quem supra regione VIII. ad *Jovis Statoris ædem* habitavisse indicavi.

Ædem hanc plerique Antiquarii in Foro constituunt: sed male, ut ostensu facile est. Nam primo nullus antiquus Scriptor exstat, unde hoc probari queat. Deinde, quum Romulus, teste Livio, a Sabinis, *toto quantum Foro spatium est*, usque ad portam Palatii pulsus & in fugam actus sit, ubi ipse postmodum templum posuit, ipse vero deinde Sabinos usque ad templum Vestæ rejecerit, quod extremo ab ea parte Foro fuit, sequitur necessario, Forum ad usque portam Palatii, *ædemque Jovis Statoris* non pervenisse. Tum & Tarquinius Priscus apud *Jovis Statoris ædem* domum suam habuit, ibidemque, cum interemtus ille esset, Tanaquil ejus uxor de fenestra, viam novam prospiciente, ad populum verba fecit. *Cum clamor impetusque multitudinis vix sustineri possent, ex superiore parte ædium per fenestram in novam viam versus (habitabat enim Rex ad Jovis Statoris ædem) populum Tanaquil alloquitur*. Ita Livius lib. I. Ergo domus Tarquinii in Foro non fuit, ubi populus majore tumultu insurrexisset, & Tanaquil commodius quoque ad universum populum verba fecisset. Quod si igitur domus illic Tarquinii non fuit, multo minus *ædes Jovis Statoris*, ad quam illa sita erat. Hinc Cicero in orat. antequam iret in exilium, dixit; *Teque Juppiter Stator*, &c. *cujus templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum Victoria est collocatum*; nulla Fori facta mentione. Sic & Ovidius lib. VI. Fast.

> *Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim*
> *Ante Palatini condidit ora jugi.*

Præterea idem Ovidius lib. III. el. I. Tristium ducem libri sui, qui eum in Palatium deduceret per portam veterem, primum Forum Cæsaris transire facit, dein Viam Sacram, quæ in Foro Romano erat, inde ad Templum Vestæ, & Regiam Numæ, ut ita tandem ad *Templum* perveniret *Jovis Statoris*.

> *Inde petens dextram, porta est, ait, ista Palati.*
> *Hic Stator, hoc primum condita Roma loco est.*

Ubi mihi dici velim, quo pacto ad dextram iter flectere potuerit, ab æde Vestæ, quæ in extrema occidentali Fori parte fuit, ad arcum Titi eundo, sive ad *S. Mariæ Liberatricis*, ædem, ubi templa Victoriæ & Jovis Statoris, portamque veterem Palatii exstitisse, sibi alii imaginati sunt. Potuerant ad dextram se convertere, qui non recta collem ad latus ædis Castoris ascendebant, sed flexu facto

viam carpebant inter Collem & Forum interſitam: in qua via porta ea fuit una cum utroque, quod diximus, templo. Tandem nil apertius & clarius hoc Appiani teſtimonio, qui lib. II. de Bell. Civ. ait: *Subduxerunt tamen invitum* (Bibulum) *amici in Fanum Jovis Statoris Foro proximum*.

Parum vero ipſos juvat, quod Vitruvium dicant *Jovis Statoris ædi porticum* ſex tribuere columnarum: quarum tres etiamnunc in *Campo Vaccino* prope ædem *S. M. Liberatricis* ſpectentur. Nam plures illic, paucioreſve fuiſſe quis negare queat, quis affirmet? &, ut tantum ſex fuerint, & loci ſpatium, & altitudo operis facile indicant non illud priſci illius temporis fuiſſe ædificium; præſertim cum generis Corinthiaci ſit, quod Vitruvius lib. I. *Jovi Statori* minime convenire dicit, verum *Veneri* potius, aut *Floræ*, *Proſerpinæ*, *Nymphis*, numinibuſve id genus aliis hilarioribus. Contra *Jovis Statoris ædes* ex eo ſtructuræ erat genere, quod περίπτερον Vitruvius appellat lib. III. id eſt, ſex columnarum in fronte & a tergo, undecimque a lateribus. Voverunt illud in conſulatu ſuo Poſtumius Metellus & Atilius Regulus Coſſ. ut eſt apud Livium lib. X. ſiquidem Romulus *fanum* tantum fecerat, qui *locus templo effato* fuit, ut apud eundem poſtpaulo ibidem legitur.

Caſa Romuli ſecundum Victorem hic ſita fuit, in ea Palatini parte, quæ Aventinum reſpicit, unde & in Circum Maximum deſcendebatur. Ita Plutarchus in Romulo: *Incoluit Tatius eam urbis partem, ubi nunc Monetæ eſt Templum: Romulus vero, qua ex Palatio in Circum Maximum itur: juxta quem locum ſunt, quos pulchri littoris gradus vocant*. Hanc domum Fulvius Romuli Caſam, cannis tectam, fuiſſe opinatur. Sed ego & Fulvium errare, & Victorem vitio implicitum exiſtimo. Fuit enim *Caſa Romuli*, ſed falſo, mea quidem ſententia, ita appellata, in Capitolio, ut in regione VIII. expoſitum eſt. Quod ſi vero in Palatino, qua parte Circum reſpicit, alia etiam *Romuli Caſa* extitit, non tamen illa domus fuit, in qua Romulus urbe jam condita habitavit: verum in qua fratres gemini ætatem primam paſtorali habitu traduxerunt. Audiamus ea de re Dionyſium lib. I. teſtem oculatum: *Sed eorum vita paſtoralis & operoſa erat: caſiſque ſæpe in montibus factis arundineis & ligneis operiebantur; quarum una etiam meo tempore perdurat in parte a Palatio in Circum verſa, Caſa Romuli dicta; quam adhuc ſacrarum rerum cuſtodes tuentur, nil magnificentius adjungentes, ſed ſi aliquid aut cœli injuria, aut ſenio periclitatur, reliqua fulciunt, labefactatas res primis ſimiles reſarcientes*. Quum igitur Romulus jam regni compos eſſet factus, aliam ſibi domum ſtruxit non longe forſan a Caſa priſtina remotam, uti Plutarchus ſupra allatus indicat. Forſan & hæc *Romuli Caſa* tugurium Fauſtuli fuit, in quo fratres gemini primam tranſegere infantiam, a Romulo in memoriam facti conſervatum, & poſteris ſemper ſartum tectum habitum. Huc mihi Solinus alludere videtur cap. I. quo Romam antiquam quadratam deſcribens ait: *Habuit terminum, ubi tugurium fuit Fauſtuli: ibi Romulus manſitavit, qui auſpicato fundamenta murorum jecit*.

Panvinius hic præter Caſam Romuli *Tugurium Fauſtuli* quoque inſerit. Quod ſi a Caſa Romuli diverſum fuit, non memini mihi uſquam lectum, duraſſe id poſt Romam conditam. Quod ſi vero id ea de cauſſa fecit, quia aliquando in Palatino etiam ante urbem conditam fuit, *Regiam* quoque *Evandri* illi adjungere debuerat.

Proxima hiſce *Cornus Romuli* fuit, quæ haſta fuit Romuli revireſcens. Plutarchus: *Eodem loco ferunt Sacram Cornum fuiſſe. Addunt enim fabulæ,*

A *Romulum eo ſui experiundi gratia ab Aventino lanceam corneam jaculatum eſſe: eam vero defixam altius annitentibus multis numquam convelli potuiſſe, lignumque nactum plantiferam humum, germinibuſque, ramiſque emiſſis, in eximiæ altitudinis cornum creviſſe*. Idem & Servius refert in III. Æn. *Romulus captato augurio haſtam de Aventino monte in Palatium jecit, quæ fixa refronduit*. En fabulas, quarum vulgus omni ævo fœcundiſſimum: unde mirum nemini videri debet temporibus etiam minus vetuſtis falſa veris permixta. Addit *Cornum* hanc muro B cinctam, & in honorem Romuli religioſe habitam: *Is locus ab iis, qui poſt Romulum ſecuti ſunt, muris circumductis, ſanctiſſimum templum in magna religione eſt habitus: ac ſi cui prope accedenti viſum fuerit arborem minus frondeſcere, ſed ut deficientibus alimentis langueſcere & deficere, id ſtatim ſibi occurrentibus clamabant, & hi velut incendio reprimendo aquam vociferabant, concurrebantque, undique vaſa aqua plena ferentes*. Quando vero exaruerit, mox dicemus.

Scalæ Caci a nonnullis in Aventino ad portam Trigeminam ponuntur, ubi ejus ſpeluncam fuiſſe ferunt. Has ego huic regioni vindicandas puto ad radices montis. Meminit earum Solinus lib. I. *Dictaque eſt primum Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret poſita. Ea incipit a ſilva, quæ eſt in area Apollinis, & ad ſupercilium Scalarum Caci. Habet terminum, ubi tugurium fuit Fauſtuli. Ibi Romulus manſitavit, qui auſpicato fundamenta murorum jecit*. Hic de prima Roma agi, in qua Romulus & Fauſtulus habitarunt, Palatino terminata, certum eſt. Sed unde hic *Caci Scalæ*? quis hoc nobis indicabit? Forſan illis a pictura aliqua, vel ſculptura vicina nomen impoſitum, aut qua alia de cauſſa nobis ignota, & vix abſque aliquo alio luminis alicujus ſubſidio inveniendа; quod & in hodiernis nobis nominibus frequenter uſu venit. Utrum vero *Scalæ* illæ D ad *Gradus pulchri littoris*, de quibus ſupra Plutarchus, referendæ ſint, nec affirmo, nec nego: ſiquidem una Romæ quadratæ extremitas *Caci Scalis* a Solino terminatur: altera vero ad Tugurium Fauſtuli ſtatuitur, quod ſi eodem, quo Regia Romuli, loco, id eſt, prope *Gradus pulchri littoris* fuerit, certe *Caci Scalæ* ab his diverſæ fuerint, neceſſe eſt. At ſi Regia Romuli & Tugurium Fauſtuli diſtincta inter ſe fuerint & a ſe invicem remota, ubi *Scalæ Caci* fuerint, incertum tamen eſt, quia aliud eas fuiſſe, quam *Gradus pulchri littoris*, dici poteſt. Et hos quidem Aventinum verſus ad Cornum Romuli fuiſſe liquet; illæ ubi fuerint, ignoratur. Ceterum de E *Cornu Romuli*, & *Scalis*, hæc apud Lactantium, ſeu potius Lutatium Catulum Scholiaſten, leguntur in XV. Metamorph. Ovidii: *Romulus Martis & Iliæ filius, cum veneraretur, ex monte Aventino perſequens aprum fugientem jaculum jecit, quod cum protinus in colle Palatino hæſerit, loco ejus montis Scala facta*, &c. Quare non adeo abſurda ſit conjectura, Scalas haſce *pulchri littoris* fuiſſe appellatas, quum in Tiberim ſpectarint, ut in regione ſequente pluribus dicetur.

Roma quadrata, quam Victor ceteris hujus regionis notabilibus annumerat, ab illa Romuli urbe F quadrata diverſa eſt: alias enim tota hæc intra eum locum regio concluderetur. Quid autem illa fuerit, Feſtus exponit lib. XVII. *Quadrata Roma in Palatino ante templum Apollinis dicitur, ubi repoſita ſunt, quæ ſolent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quia ſaxo munitus eſt initio in quadratam ſpeciem. Ejus loci Ennius meminit, cum ait:*

Et quis exſtiterit Romæ regnare quadratæ?

Erat igitur inſtar conclavis, aut ciſternæ muro circumdatæ in quadrum: quo in loco omnia con-

dendæ urbis instrumenta, aratrum, ligones, &c. ex antiqua Hetruscorum disciplina ob augurium prosperum asservari solebant. Credo ego hunc locum structum post conditam urbem, ne adhibita tum instrumenta profanis in posterum usibus adhiberentur: quemadmodum priusquam conderetur, olympus factus, de quo supra lib. I. Donatus centrum illi montis Palatini assignat: quod & ipse sequerer, nisi me Solini verba veteris urbis terminum prope aream templi Apollinis statuentis, ante quod Roma quadrata sita erat, ab ea sententia revocarent.

Curia vetus singulari numero a Victore recensita eadem mihi videtur atque *Curiæ veteres* Tacito memoratæ lib. XI. forsan Victoris ævo destructæ illæ fuerunt, sic ut una tantum superfuerit. Hanc cum ceteris in ea parte Palatii fuisse supra lib. I. & II. indicavi, quæ nunc ecclesiam *S. Gregorii* respicit. Nec dubitari potest, quin ibidem & *Vicus Curiarum* fuerit, ab eodem Victore annotatus.

Sic & *Saliorum Sacrarium*, in quo Salii sacra recondebant, in Palatino fuit colle. De his ita Dionysius lib. II. *Salii, quos Numa e patriciis* XII. *claros juvenes elegerat, quorum sacra manent in Palatio: & hi quidem Palatini appellantur*. Sacra hæc sine dubio *ancilia* fuerunt, efficta in speciem illius, quod de cœlo delapsum pignus Imperii Romani fuit, summaque cura custoditum: item *apices, trabeæ, singula ærea*, &c. quibus die suo festo utebantur, uti apud Dionysium ibidem postpaulo legere est. *Sacrarium* igitur, ut Donatus ex *l. In tantum. & l. Sacra ff. de rerum divis.* exponit, locus fuit, sive ædificium, in quo instrumenta sacrorum recondebantur. Præter jam memorata & *lituus auguralis* Romuli illic asservatus dicitur a Valer. Maximo lib. I. c. VIII. *Deusto Saliorum Sacrario nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum est*. Hic teste Servio in VII. Æn. prius moveri ancilia solita, quam in bellum iretur: *Nam moris fuit indicto bello in Martis Sacrario movere ancilia*. Panvinius huic & *Curiam Saliorum* adjungit: Donatus autem *Sacrarium Curiam* quoque appellatum existimat; nec habeo quod regeram: nisi forte plura in eo ædificio conclavia fuere, quorum aliquod condendis instrumentis sacris destinatum sit: aliud conventui inservierit, eorumve vestiarium fuerit, aut alicui alii usui dicatum: ut inde *Curiæ* nomen acceperit. Situs autem *Sacrarii* certus in Palatio indicari nequit.

Fuere iisdem Saliis Palatinis *mansiones*, uti in vetere inscriptione indigitantur, quam in effodiendis ecclesiæ *S. Basilii* fundamentis inventam Apianus refert. Atque eccam:

MANSIONES. SALIORVM. PALATINORVM. E. VETERIBVS
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS
LONGA. AETATE. NEGLETAS. PECVNIA. SVA. REPARAVE
RVNT. PONTIFICES. VESTAE. VV. CC. PRO. MAGISTERIO.
PORTII. ACILII. LVCILLI. VITRASII. PRAETESTATI. V.V. CC.

Multo vetustiora ante Romulum & Numam templa ab Euandro structa Dionysius ait lib. I. e quibus illud *Cereris* fuit, cum sacerdotibus feminis, & sacrificiis ad morem Græcorum abstemiis: item aliud *Victoriæ* in summo Palatino cum sacrificiis annuis: quorum utrorumque sacrorum ritus in suam usque ætatem perseverasse refert. Unde eadem templa etiam post conditam urbem superfuisse manifestum est.

Quin & *Fidei ædem* in Palatio dedicatam a Rhoma Ascanii filia, Æneæ nepte, auctor & Agathocles apud Festum l. XVII. Tum & Victor hac in regione *templum Fidei* recenset, de quibus vetustatis monumentis, ut nimis altæ caliginis, plura dicere supersedeo.

CAP. XIII.

Palatium Augustale.

AB obscuris & mediocribus Antiquitatis monumentis ad clarissima Romanæ magnitudinis decora transeunti primum occurrit in Palatio monte *Augustale Palatium*; unde ceteris quoque principum virorum domibus *Palatii* nomen venit. In Victore legas: *Domus Augustana, domus Tiberina, sedes Imperii Romani*: de quibus necessario seorsim differendum video. Verum tam multa de iis Donatus attulit, ut pauca illi indicta afferri possint.

Duas in Palatino Augustus domos habuit. In altera earum natus est, quæ ad *Capita Bubula* sita fuit. Ita enim locus ille appellatus. Suetonius Aug. c. v. *Natus est Augustus* &c. *regione Palatii ad Capita Bubula, ubi nunc Sacrarium habetur, aliquanto postquam excessit, constitutum*. Ubi vero *Capita* illa *Bubula* fuerint, haud constat: forte in illo Palatini clivo, qui ad *S. Anastasiæ* ædem in Forum Boarium spectabat, ubi in memoriam primæ murorum designationis aratro per Romulum factæ duo boum capita picta, sculptave fuisse, non adeo a ratione alienum fuerit conjicere: præsertim, cum paulo infra illum collem in ipso Foro Boario bos æneus positus fuerit, uti supra ex Ovidio & Tacito habuimus. *Sacrarium* illud in honorem Augusti hac de causa factum Suetonius postpaulo ibidem refert: *Cum C. Lectorius adolescens patricii generis in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque Patribus Conscriptis allegarent, esse se possessorem, ac veluti æditum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, peteretque donari quasi proprio suo ac peculiari Deo, decretum est, ut ea pars domus consecraretur*.

Altera domus ab eodem Suetonio c. LXXII. describitur, postquam Augusti domum Foro vicinam indicasset: *Postea in Palatio, sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent. Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia, ac per annos amplius* XL. *eodem cubiculo hyeme atque æstate mansit, quamvis parum salubrem valetudini suæ urbem hyeme experiretur, assidueque in urbe hyemaret. Siquando quid secreto, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τεχνόφυον vocabat. Huc transibat*, &c. Unde frugalitatem moderationemque majorem colligas Augusti, quam magnificentiam domus ac splendorem. Hujus tamen tam modicæ partem etiam publicavit, quum Pontif. Max. esset, ut est apud Dionem lib. LIV. de qua re supra uberius egimus, Pontifici Maximo in publica domo commorandi injunctam semper necessitatem exponentes. Non tamen tam exigua fuit, ut non ea pars, quæ publicabatur, Pontificis Maximi dignitati responderet. Tandem totam publicavit fortuito incendio consumtam, & refectam. Dio l. LV. *Cum forte Palatium incendio periisset, refectam demum Augustus totam publicam esse jussit: sive quod ad eam ædificandam populus pecuniam contulis-*

set; *sive quod Pont. Max. esset, ut simul in propriis ædibus ac publicis habitaret.* Videsis quæ de eodem incendio ac restitutione Suetonius habet cap. LVII. Factum id post victoriam Actiacam Servius indicat in IV. Æn. Quin & ante Pontificatum Maximum ædes publicas Augusto decretas Dio tradit lib. XLIX. quod forsan effectu caruit. Velleii verba sunt lib. II. *Victor deinde Cæsar reversus in urbem contractus emtionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se usibus destinare professus est, Templumque Apollini, & circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est.*

Qua Palatini parte fuerit, ignoratur. Hoc tamen notandum est, aditam fuisse per clivum Victoriæ, & portam veterem Palatii ad Jovis Statoris ædem, ut e versibus ex Ovidii lib. III. Trist. el. prima allatis videre est: quibuscum & epigr. LXVI. lib. I. Martialis consentit, eadem via, cui *Clivi Sacri* nomen, ad templum Apollinis Augusti domui contiguum, adire Proculum jubentis:

Quæris iter? dicam. Vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima quæ summi fulget imago ducis.
Nec te decipiat miri radiata Colossi.
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus, &c.

Idem quoque Martialis lib. IV. Epigr. XXXIV. ad Afrum, ejusdem clivi meminit:

Et sacro decies repetis Palatia clivo.

Unde non longe a Velia abfuisse inferre licet, ubi scilicet ascensus fuit: non tamen in ipsa ora, seu supercilio collis, sed interius aliquanto, ut mox videbimus.

Utrumque ejus januæ postem *laurus* appositæ ornabant, & superius limen intermedia *corona querna*. Ovidius lib. IV. Fastor.

State Palatinæ laurus prætextaque quercus,
Stet domus: æternos tres habet una Deos.

Et lib. I. Metam. ubi Apollo Daphnæ in laurum mutatæ pollicetur:

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Decretus is honos a Senatu. Dio lib. LIII. *Tunc decretum fuit, laurum poni ante ejus ædes regias, & coronam querceam superponi tamquam inimicorum victori, & servatori civium.* Additam& inscriptionem coronæ querceæ, OB CIVES SERVATOS, quæ & in multis Augusti nummis conspicitur. Ovidius rursus innuit lib. III. el. I. Tristium:

Causa superpositæ scripto testata coronæ
Servatos cives indicat hujus ope.

Idem & ceteris deinde Imperatoribus honos habitus, ut e Valer. Maximo lib. IV. cap. III. Plinio lib. XV. cap. XXX. & XVI. cap. IV. patet. Quamquam recusatum a Tiberio Suetonius auctor est cap. XXVI. *Prænomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris Patriæ, & civicam in vestibulo coronam recusavit.* Claudius contra post triumphum Britannicum *civicæ* etiam *navalem* addidit. Sic idem Suetonius cap. XVII. *Inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quasi domiti Oceani insigne.* Ubi & affixa ibidem spolia hostilia indicari videntur.

Arcum ab Augusto Octavio patri domi suæ erectum Antiquarii ex his Plinii lib. XXXVI. cap. IV. colligere se posse existimarunt: *Ex honore apparet in magna auctoritate habitum Lysiæ opus, quod in Palatio super arcum D. Augustus honori Octavii patris sui dicavit in ædicula columnis adornata, id est, quadrigam, currusque; & Apollo ac Diana ex uno lapide.* Verum non convenire mihi Arcus ad instar tropæi erectus loco clauso videtur: quare vocem illic *Palatii* largiore significatu pro ipso monte, non autem pro domo Augusti acceperim.

Palatii hujus partem *domus* quondam *Catilinæ* constituit, quosque illud Augustus fortasse extendit, quum templum Apollinis strueret, seque illa parte domus privaret. Suetonius *de Claris Gramm.* in Verrio Flacco: *Ab Augusto quoque nepotibus suis præceptor electus transiit in Palatium cum tota Schola, &c. docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat.* Augustum vero, ut Palatium ampliaret, varias privatorum ædes coemisse supra e Vellejo habuimus.

Præter *Augustanam Tiberiana* quoque *domus* Palatinum illustravit, cujus non modo Victor meminit, sed & Suetonius, Tacitus, Plutarchus, Vopiscus, Capitolinus, aliique. Constructam hanc a Tiberio certum est, licet nec Tacitus, nec Dio id exprimat, splendore suo, amplitudine, & magnificentia, sine dubio crescenti in dies magis magisque Imperii majestati respondentem. Ab *Augustana* divisam fuisse vix putem; verum potius illi adjunctam, conservata pristina forma ac magnitudine: non secus ac hodieque *Palatium Sixti* ea pars appellatur, quæ priori *Vaticani* ædificio ab illo Pontifice addita est. Verba sunt Josephi lib. XIX. Ant. Jud. in hanc sententiam: *Quod* (Palatium Augustale) *ita unum erat, ut tamen excultum esset ædificiis per partes a singulis Imperatoribus, quorum appellationem retinebat.* Sic & Suetonius in Galba, ubi Othonem a conjuratis monitum dicit: *Quasi venalem domum inspecturus abscessit: proripuitque se postica parte Palatii ad constitutum.* Hanc partem posticam *domum* fuisse *Tiberianam* Plutarchus & Tacitus indicant. Ille in Galba de Othone: *Per Tiberii domum, quam vocant, discessit in Forum.* Ubi voculæ, *quam vocant*, partem Palatii ita appellatam significat. Hic autem lib. I. Histor. *Per Tiberinam domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum sub ædem Saturni perrexit.* Idem Josephus eodem loco *domus* quoque *Germanici* mentionem facit; in quam Caligulæ interfectores se receperint; partem eam Palatii esse hoc pacto nimisquam manifesto indicans. Hanc Germanicus in usum suum vel struxit, vel auxit: non in eam tamen amplitudinem, uti verosimile est, ut cum ceteris Palatii partibus comparari potuerit; destructa forte postea, vel immutata a successoribus; siquidem nulla ejus amplius alicubi extat mentio.

Tiberinam porro Donatus Circum Maximum respexisse putat, qua anterior Palatii facies in Arcum Titi spectavit: & sic Othonem inde in Velabrum abiisse. Ego contra ea parte illam montis fuisse, quæ ædi *S. Gregorii* obversa est, existimare poteram. Augusti namque domum illa parte collocavi, quæ novam viam prospiciebat, fronti Capitolii inter Forum & Velabrum objecta: quam per clivum Victoriæ, & portam veterem Palatii, aditam superius asserui. Viciniorem autem Capitolio fuisse liquet ex Suetonio in Vetellio cap. XV. *Cum & prælium, & incendium* (Capitolii) *e Tiberiana prospiceret domo inter epulas*, adeoque ante *Augustanam*; ante quam Tiberius illam posuit, non secus ac ante vetus *Palatium Pontificium* in Quirinali, quod angustius ante fuit, ingens impluvium fuit adstructum, cum omni ædificio, quod nunc ante illud vetus conspicitur. Atque ita Taciti & Plutarchi loca Othonem per Tiberinam domum in Velabrum perrexisse referentium, commode

explicari, defendique possunt. Quomodo vero tum *postica* dici potuerit, postpaulo exponemus.

Bibliotheca domus Tiberianæ commemoratur a Vopisco in Probo: *Usus autem sum*, &c. *præcipue libris ex Bibliotheca Ulpia ætate mea Thermis Diocletianis. Item ex domo Tiberiana*, &c. Nec non a Dione, lib. LXXIII. *Conscendit Palatium, ubi adeo multa exusta sunt, ut libri, scripturæque ad Imperium pertinentes omnes fere interierint.* ut & a Gellio lib. XIII. cap. XVIII. *Cum in domus Tiberianæ Bibliotheca sederemus ego & Apollinaris Sulpitius, & quidam alii, mihi aut illi familiares, prolatus forte liber est inscriptus M. Catonis Nepotis.* Hanc ego non a Tiberio institutam, sed a successorum aliquo existimo, ut in Palatii parte remotiore, post additas ab alio latere ædificiorum accessiones: assentior etiam Donato, privatam illam Imperatorum fuisse censenti. Vel in hac, vel in Apollinis Bibliotheca vetus illa tabula ex ære fuit, quæ literas Græcas Latinis non multum dissimiles exhibebat. De ea ita Plinius lib. VIII. cap. LVIII. *Veteres Græcas fuisse easdem pene, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in Bibliothecam cum inscriptione*, &c.

Extendit Caligula, ampliavitque Palatium inutili augmento, partem anteriorem per collis clivum in Forum usque protollens, & Castoris templum in vestibulum Palatii commutans. Ita Suetonius in Caligula cap. XXII. *Partem Palatii ad Forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata*, &c. Quare ego mihi in clivo illo Palatini nonnisi magnificos gradus pluribus circuitibus conspicuos, & inter hos spatia, inque his areas & porticus splendidissimas animo fingo. Nam porticus illic longissimas fuisse idem Suetonius auctor est ibid. cap. L. *Magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio nunc thoro residens, nunc per longissimas porticus vagus invocare identidem, atque exspectare lucem consueverat.* Has autem ab ipso potius, quam a Tiberio factas verisimilius est. Præterea Theatrum in area ante Palatium a Caligula constructum, ut Josephus refert, non in Foro fuit, nec in Templo Castorum in vestibulum jam transfigurato, sed in monte, loco amplo & spatioso, quem undique porticus illæ & gradus ambivere. Sic & gradus ab eodem factos Caligula in collis angulo versus Circum Maximum, prope Romuli Cornum, inde exarescentem, Plutarchus in Romulo tradit: *Cum autem Cajus Cæsar, ut dicitur, gradus strueret, fabris propinqua arbori loca fodientibus, imprudenter violatis admodum ab illis radicibus omnino elanguit, atque interiit.* Quos ego *gradus* ab eodem Plutarcho *pulchri littoris*, cornui vicinos, fuisse arbitror, sive ii conjuncti Palatio, sive ab eo distincti, disjunctique fuerint. Forsan & *Scalæ Caci*, de quibus Solinus, ab eodem forte Caligula in altero ejusdem montis latere exstructæ sunt.

Ejusdem structuræ pars quoque *Templum Caligulæ* fuit, quod sibi ipse fecit. Dio lib. LX. *In Palatio sibi præparato templum posuit; in quo cum statuisset Jovis Olympii simulacrum suam in effigiem commutatum collocare, id perficere non potuit.* At statua ejus illic ex auro posita. Suetonius cap. XXII *Templum nomini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum inconicum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur.*

A Palatio usque in Capitolium *pons* erat. Idem ibid. *Et in contubernium (Jovis) ultro invitatus super Augusti templum ponte transmisso Palatium Capitoliumque conjunxit.* Hujus esse pontis reliquias Marlianus putat tres illas, quæ in *Campo Vaccino*

A ad *S. M. Liberatris* ædem hodie conspiciuntur, columnas. Sed nec earum epistylia in Forum versa id credere permittunt, nec verisimile est Caligulam Forum illo ponte, & quidem distorto, cum recto posset & breviore montes conjungere, Forum occupare, atque impedire voluisse: nec Palatium Augustale ad illum perveniebat Palatini angulum. Argumenta in hanc rem e supra allatis de Othonis in Velabrum abitu, & vestibulo a Caligula facto, peti possint, quod vestibulum medio Foro propinquius esse debuisset, cum tamen in extremitate illius fuerit meridionali.

B Inchoaverat idem Caligula & aliam domum in area Capitolina, id est Intermontio. Suetonius ibidem: *Mox, quo propior esset, in area Capitolina novæ domus fundamenta jecit.* Hanc ego porticibus aliisve ædificiis cum ponte illo conjunctam fuisse crediderim, utpote partem Palatii Augustalis futuram: de qua Plinius lib. XXXVI. cap. XV. *Bis vidimus urbem totam cingi domibus Caii & Neronis*: qua hyperbole ipsam illam ædificii istorum Principum portentosam laxitatem longe superavit.

At ædificium illud non diu duravit: occiso namque Caligula sive a populo, sive a successore ejus

C Claudio, dirutum fuit. Id ipsum Plinius innuit, quum ait, *vidimus*. Non enim tum amplius exstitit: quod & Suetonius indicat, quum Tiberianam domum extremam illic & posticam partem Palatii fuisse ait. Nec templum perstitisse verisimile est. Nam & vestibulum Claudius in Castoris & Pollucis ædem reformavit. Sic Dio lib. LXVIII. *Restituit Templum suum Geminis.* A Claudio quidquam in Palatio exstructum nusquam legitur.

Contra ea Nero tantum operis addidit novi, ut, non sufficiente ei Palatino, omne, quidquid Palatinum inter, & Cœlium, & Esquilinas planitiei,

D imo & partem Esquiliarum occupaverit: de quo licet multa dixerim, nonnulla tamen nunc adhuc dicenda sunt.

Duplex ea fuit ædificatio; quarum prior, ut in reg. IV. dixi, nomen habuit *Transitoriæ*: verum incendio consumta & restituta *Aurea* dehinc appellata fuit. Dixi supra, *vestibulum* ejus in Viam Sacram spectasse, ubi nunc Ecclesia *S. Mariæ Novæ* visitur. Inde versus Arcum Titi magnifici illi gradus fuere, per quos in Collem ad illa nova adscendebatur Neronis ædificia, quæ ille retro domum Augustanam adjunxit, novam Palatio frontem præbentia, & omnem montis occupantia la-

E titudinem usque ad ipsum Circum Maximum. Sic enim commode e propriis conclavibus spectacula videre potuit, multo illi, quam horti Mecænatiani, propiora, quos tamen cum Palatio conjungere Nero destinarat. Sed de his plura in regione XI.

Cetera ejus ornamenta, splendor, magnificentia, auri copia & gemmarum, marmorum, & eboris, item Architecturæ excellentia, laquearia quoque cœnaculorum versatilia, flores semper & unguenta spargentia, totiusque non solum Italiæ, sed ipsius orbis spolia e Suetonio, Tacito, aliisque rectius cognosci poterunt, ne nimia prolixitas & ab instituto digressio lectori tædium pariant.

F Nerone occiso quid *Palatio* factum sit, a populone dirutum sit, an vero sub Galba, Othone, Vitellio sartum tectum remanserit, haud liquido dixerim. Gemmas & pretiosam supellectilem, ut in magnis illis rerum fieri amat mutationibus, populo & militari licentiæ prædæ fuisse non inverisimile est. Ædificii vero partem saltem illam, quæ in Palatino fuit, intactam fuisse, inde liquet, quia Otho e Tiberiana domo ad conjuratos exiisse fertur, quæ respectu Neronianæ anterioris *postica* pa-

pellata fuit. Nero enim præcipuam frontem, sive A introitum Palatii mutaverat. Sic & Claudius legitur a plebe ob annonæ caritatem ita obsessus, *ut ægre, nec nisi postico evadere in Palatium valuerit*, apud Suetonium cap. XVIII. quæ pars postica tum temporis non Tiberiana domus fuit, ut sub Nerone, sed illi opposita, cui Nero postea anteriorem adjunxit. Atque ita per Viam Sacram in Vestibulum introeundo, unde in Palatium deinceps per gradus ascendebatur, recte Tiberiana postica dici potuit: non quia novum ipsi vestibulum directe oppositum erat, verum nova illa in colle substructio, quæ a latere e Via Sacra per gradus adibatur. Sic Tacitus lib. III. Hist. Vitellium referens B abdicato in Foro imperio ad privatos redire lares volentem obstructis a populo viis, relicta sola Via Sacra aperta, redire in Palatio coactum fuisse: *Interclusum*, inquit, *alterum iter: idque solum, quod in Sacram Viam pergeret, patebat. Tum consilii inops in Palatium rediit*. unde & eadem via ad supplicium tractus fuit. Dio l LXV. *E Palatio, ubi magnas voluptates ceperat, deducunt, trahuntque Via Sacra*.

Partem *Aureæ domus* imperfectam a Nerone relictam, vel in tumultu civili circa ejus exitum disjectam, e Suetonio discimus c. VII. in Othone: *Nec* C *quidquam prius pro potestate subscripsit, quam quingenties HS ad peragendam auream domum*.

Post Vitellium gradus in Palatium e Via Sacra ferentes perdurasse e Dione liquet lib. LXXVII. ubi de Caracalla loquens ait: *Ducunt Via Sacra, ut perducant in Palatium*. Item ex Herodiano lib. I. *Raptum Palladium Vestales Virgines media Sacra Via in aulam Imperatoris transtulerunt*. idque usque ad Honorii, id est, ultima Imperii tempora. Sic Claudianus lib. VI. Conf. Hon.

Hinc te jam patriis Laribus via nomine vero
Sacra refert.

Sub Vespasiano vero & filio Tito ingens illud æ- D dificium, quantum ejus extra Palatinum fuit, nisi & ante, dirutum fuisse certum est. *Amphitheatrum* enim, *Thermæ*, *Templum Pacis*, & *Arcus Titii* luculenta hujus assertionis argumenta sunt, quippe quæ in ruinis *domus Aureæ* ædificata sint. Unde Martialis Epig. II.

Hic ubi sydereus propius videt astra Colossus, &c. ubi in hanc rem plura.

Partem deinde illam in Palatino reliquam Domitianus, animosus ædificator, exornavit. Suetonius c. V. in Domit. *Sollicitior in dies porticuum, in quibus spatiari consueverat, parietes Phengite lapide distinxit: e cujus splendore per imagines quid-* E *quid a tergo fieret, provideret*. Statius l. III. Sylvar.

—— jam Latii montes, veteresque Penates
Evandri: quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit, & summis æquat Germanicus astris.

Item lib. IV.

Tectum Augustum ingens non centum insigne columnis,
Sed quantum superos, cœlumque Atlante remisso
Sustentare queant, &c.

Nec non Martialis lib. VIII. Epig. XXXVI.

F *Regia Pyramidum Cæsar miracula vide*, &c.

Ut & epigr. XXXIX. ejusdem libri:

Qui Palatinæ caperet convivia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu.
Esse velis (oro) servus conviva Tonantis
At tu, si properas, Juppiter, ipse veni.

Plutarchus in vita Publicolæ ingentem a Domitiano pristino Palatio accessionem factam refert, quam eapropter *Domum Domitiani*, non secus ac *Tiberianam* a Tiberio, appellatam fuisse Donatus affirmat. Verba Plutarchi sunt: *Qui Capitolii magnificentiam admiratur, si unam videat in Domitiani domo Porticum, vel Regiam, vel Balneum, vel Pellicum Diætam, profecto quale est illud Epicharmi contra prodigum dictum* &c. *tale aliquid in Domitianum usurpet: Non religiosus tu quidem, aut honoris cupidus morbo afficeris, ædificare gaudes, & ut Midas ille aurea tibi omnia, & lapidea esse cupis*. E qua Epicharmi sententia patet, Plutarchum ea vivente non scripsisse Domitiano, sed jam exstincto: atque ita totum *Domus Domitiani* nomine denotasse Palatium.

Nerva in frontispicio, quantum ego judico, inscripsit: ÆDES PUBLICÆ: ut ita unicuique libere adeundi animos daret, non magis Imperatoris eam sedem, quam commune omnium domicilium esse indicare satagens, quo vel ad justitiam, vel quam aliam Principis gratiam petendam, cuivis permissa facultas esset. Ita Plinius in Panegyrico, ubi Palatium instar arcis ante Nervam & Trajanum clausum atque custoditum ait: *Magno quidem animo parens tuus hanc ante vos Principes Arcem publicarum ædium nomine inscripserat, frustra tamen, nisi adoptasset, qui habitare ut in publicis posset. Quam bene cum titulo isto moribus tuis convenit? quamquam omnia sic facis, tamquam non alius inscripserit. Quod enim Forum, quæ Templa tam reserata? non Capitolium, ipsaque illa adoptionis tuæ sedes magis publica, magis omnium: nulli obices, nulli contumeliarum gradus; superatisque jam mille liminibus ultra semper aliqua dura, & obstantia*.

Sed non illa tamen modum excedens opulentia & luxus sub optimo Principe perseveravit Trajano, qui pretiosissimam supellectilem in templi Jovis Capitolini ornamentum convertit. Martialis lib. XII. epigr. XV.

Quicquid Parrhasia nitebat aula
Donatum est oculis, Deisque nostris,
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter, & stupet superbi
Regis delicias, gravesque luxus.

Partem tamen ornamentorum Domitiani maximam conservatam, e verbis Plutarchi superius allatis animadvertere est.

Antoninus deinde Pius frugalitatis simplicisque cultus amans, tantum exosus ædificii laxitatem, Pallatii portam anteriorem, quam Nero fecerat, quæque e Via Sacra adibatur, obturavit, Tiberiana domo contentus. Capitolinus in ejus vita: *Cum Apollonium*, inquit, *quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset*, &c. *risit eum Pius dicens, facilius fuit Appollonio a Chalcide Romam venire, quam a domo sua in Palatium*. Idem in vita M. Aurelii Antoninum ait, Marium Cos. designatum *in Tiberianam domum transgredi jussisse, & aulico fastigio renitentem ornavisse*. Et in L. Vero: *Educatus est in domo Tiberiana*, ubi Antoninus habitabat, & quo dein idem Verus adduci equum fecit: *Quem Jagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam domum ad se adduci jubebat*.

Sub Commodo iterum flammis correptum *Palatium* conflagravit, Dio: *Incendium noctu concitatum e quibusdam ædibus ad Templum Pacis pervenit, consumtisque tabernis, in quibus merces Ægyptiorum & Arabum erant, conscendit Palatium, ubi adeo multa exusta sunt, ut libelli, qui ad principatum pertinebant, omnes fere interierint*. Et mox: *Incendium nisi consumtis rebus omnibus, quibus adhæserat, restingui non potuit*.

potuit. Idem & Eusebius in Chronico, & Herodianus lib. I. confirmant. A Commodo deinde restitutum fuisse cum Donato existimo, quum ab eo tempore *domus Commodianæ* nomen habuerit. Lampridius: *In domo Palatina Commodiana conservandus*.

Quid *Palatio* post factum, utrum auctum, an deminutum fuerit, incertum est. Vero quidem simile est, multa subsequentibus temporibus ab Impp. Rom. in *Palatio* fuisse mutata, innovata, aut restituta, verum, uti hodieque fit in *Palatio Pontificio*, non admodum magni momenti. Sic ab Elagabalo *lavacrum publicum* exstructum fuisse Lampridius docet: *Lavacrum publicum ædibus aulicis fecit, & palam populo exhibuit*. Item plateas stravisse: *Stravit saxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis plateas in Palatio, quas Antoninianas vocavit: quæ saxa usque ad nostram memoriam manserunt, sed nuper eruta, & exsecta sunt*. Item turrim: *Fecerat & altissimam turrim substratis aureis gemmatisque ante se tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere*. Idem & Alexandrum Severum ornamenta quædam ejusdem marmoris addidisse refert: *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est Porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit. Palatio exornato hoc genere marmorandi*. In quo sibi ipse contradicit, nisi forte straturæ modus diversus fuerit, variatis crustis, aliterque dispositis, quam Elagabalus fecerat. Eundem Alexandrum *Cœnacula* quoque nomine matris insignita fecisse idem Scriptor narrat: *In matrem Mammeam unice pius fuit, ita ut in Palatio faceret diætas nominis Mammeæ, quas imperitum vulgus hodie ad Mammam vocat*. pro quo male in Victore *ad Mammeam* legitur, qui continuam illam *sedem Romani Imperii* & fuisse, & appellatam vulgo docet.

Cetera, quæ in *Palatio* apud Scriptores veteres notabilia occurrunt, hæc sunt.

Vestibulum ingens, in quo Colossus; cujus jam situm supra indicavi. Gellius lib. III. cap. I. *In vestibulo ædium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo opperiens salutationem Cæsaris constiterant*. & lib. XIX. cap. XIII. *Stabant forte una in vestibulo Palatii fabulantes Fronto Cornelius, & Festus Posthumius, & Apollinaris Sulpitius*. Unde, inquit Donatus, laxitas ejus observari potest. At hoc non est *Neronis* illud, de quo supra, *vestibulum*, quippe jam dudum dirutum. Quare nec in Via Sacra fuisse, sed in Palatino ad Arcum Titi existimandum est. De eodem etiam loqui Suetonius videtur in Vespas. extremo: *Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in medio vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo*, &c.

Quod si *gradus*, qui in monte e magno Neronis vestibulo in Sacram Viam ducebant & usque ad tempora Vitellii duravere, iidem fuerunt, pro quibus Suetonius cap. XV. Vitellium ait imperium coram militibus (forte in vestibulo excubias agentibus) deponere voluisse: *Statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites cedere se imperio, quod invitus recepisset, professus, cunctis reclamantibus rem distulit*, &c. Illos vero extra Palatium fuisse apparet, in quibus Dio Plotinam ad populum verba fecisse refert: *Plotina uxor Palatium adscendens ex gradibus ad populum conversa* &c. Forsan iidem fuerunt Neronis, aut saltem pars eorundem reliqua extra dirutum Vestibulum: aut ipso etiam adhuc vivente Nerone gradus hi subdivales fuere, a Neroniano Vestibulo in editiora ferentes, quum pro iis ceram militibus Vitellius abdicare sese imperio profiteretur. Tandem ab illis hi *gradibus* diversi fuere, pro quibus, post mortem Claudii, ut Suetonius in Ner. cap. VIII. ait, *Imperator consalutatus*, &c. quos in altera Palatii parte, ubi nempe domus Tiberiana fuit, exstitisse probabile est.

De *Area Palatina* capace Theatri, ut supra habuimus, ad hunc modum Josephus lib. XVIII. cap. I. loquitur: *Exstructa ante Regiam Scena conveniunt eo spectatum Romanorum nobiles. Deinde vero consedit* (Caligula) *in Theatro, quod compactile instaurabatur per singulos annos hoc modo. Duas habet januas, alteram versus subdivalem aream, alteram versus porticum, per quam actores ingrediebantur*. Ubi locus ille *ante Regiam* dictus non Neronis Vestibulum fuit in Sacra Via factum, nec alterum illud, quod super Arcum Titi fuit: verum hoc, quod ab altera Palatii parte ante domum fuit Tiberianam, ad cujus porticus latus Scena compactilis istius Theatri fieri solebat. Alterius *Areæ*, quæ principatu Neronis & Vitellii in aversa parte collis fuit, A. Gellius indicium facit lib. XX. cap. I. *Ad eum forte in Area Palatina, cum salutationem Cæsaris opperiremus, Philosophus Palatinus accessit*.

Porticus non in vestibulo tantum, sed & pluribus plures in locis fuisse in tam vastæ laxitatis ædificio, pro certo affirmari potest, cum, ut conclavibus undique lumen suppeteret, impluviis permultis opus esset, quorum nullum fere non porticibus adornatum fuit. Meminit aliquorum Capitolinus in Pertinace: *Supervenerunt autem Pertinaci*, (milites interfectores) *cum ille aulicum famulatum ordinaret, ingressique porticus Palatii usque ad locum, qui appellatur Sicilia, & Jovis Cœnatio. Hoc cognito Pertinax Lætum Præfectum Prætorii ad eos misit: sed ille declinatis militibus per porticus egressus adoperto capite domum se contulit; verum cum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit*, &c. Hinc discimus, *porticus* in exteriore parte, id est vestibulo, fuisse; quas transivere milites usque ad locum *Siciliam* dictum, ubi *Cœnatio Jovis* fuit: qui locus forte Impluvium fuit, cui *Cœnatio* illa respondit, trans vestibulum. Ibidem & aliæ porticus fuere, quas milites intrarunt, diversæ ab illis, per quas Lætus se domum recepisse dicitur: non secus ac Constantinopoli Palatium Ottomannicum ad veterem speciem factum plures areas, seu impluvia, itemque vestibula habet, se invicem subsequentia.

Atrium ad instar templi ex augurali disciplina consecratum, ibidemque sæpius Senatum habitum, Servius in XI. Æn. tradit: *Idcirco ait, etiam in Palatii atrio, quod augurato conditum est, apud majores consulebatur Senatus: ubi etiam arietes immolabantur*.

Cœnatio Jovis egregie a Donato his Plutarchi in Lucullo explicatur: *In Apolline cœnabitur. Id enim erat unum ex maximis ejus cœnaculis eo nomine appellatum*. Ad cujus instar in Palatio cœnaculum peculiare fuit *Cœnatio Jovis* vocatum. Nec aliud genus *Hermeum* fuit, de quo Suetonius in Claudio cap. X. *In diætam, cui nomen est Hermeum, recesserat*. A Mercurio nomen habens, qui Græce *Hermes*.

In eodem Palatio *hortos* quoque fuisse e Lampridio patet, qui in Elagabalo, *Montem nivium*, ait, *in viridario domus æstate fecit*. Sed non adeo magnos hos fuisse necesse est.

Balneæ Palatinæ apud Josephum leguntur lib. XIX. cap. I. *Mox ubi regiam ingressi sunt, deflexi ad infrequentem quandam cryptam ducentem ad balneas*. Has ego in usum Palatii privatum exstructas, diversasque ab illis veteribus, de quibus Cicero in Orat. per Roscio.

Fuit & *Lararium*, seu sacellum peculiare Impp. Dis pluribus & Laribus dicatum. Capitolinus in Marco: *Ut imagines magistrorum aureas in Larario haberet*. Fuit hoc, ut Donatus observat, duplex. Lampridius in Al. Severo: *Virgilii imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo Larario habuit, ubi &*

Achillis, & magnorum virorum. Alexandrum vero Magnum inter divos, & optimos, in Larario majore consecravit. In priore igitur Dii & homines emendatissimæ vitæ erant: in altero homines clari. De priore forsan accipiendus Plinius lib. XXXVI. cap. V. ubi de Ctesidoro ait: *Romæ ejus opera sunt. Latona in Palatii delubro.* Quin & alterum videri possit ab Alex. Severo demum priori additum.

Adhæc *Auguratorium* in Victore legitur: quod sine dubio *Augurale* fuit in castris appellatum, ad latus dextrum Prætorii, ut illic auguria captarentur. Tacitus lib. II. Annal. *Nocte cœpta egressus Augurali*, &c. Id ipsum & Lipsius confirmat in notis ad hunc Taciti locum ex Hygino.

Stabulum quoque fuit suis instructum porticibus: de quo Vopiscus in Carino, visa a se illic nova ab eo Imp. & Numeriano exhibita spectacula depicta referens: *Ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticus Stabuli pictos vidimus.*

Hippodromus Palatii *in Actis Mart. S. Sebastiani* memoratur: nam in eo virgis cæsus & interemtus est. Locus ei assignatur supra Arcum Titi, ubi nunc devota *S. Sebastiani* ædes est, cui prius *S. Andreæ in Pallara* nomen, ab Urbano VIII. restituta. At mihi *Hippodromus Palatii* ipse Circus Maximus fuisse videtur, Palatio conjunctus, ut post dicetur. Certe id ipsa Actorum ejus Martyris verba significare videntur: ut & Bedæ illa in Martyrologio: *Tunc jussit eum Diocletianus in Hippodromum Palatii duci, & fustigari, donec deficeret: quem mortuum in Cloacam maximam miserunt.* Eodem faciunt & sequentia: *Sed ille apparuit in somnis Sanctæ Matronæ Lucinæ dicens: Juxta Circum invenies corpus meum pendens in unco. Hoc sordes non tetigerunt, & dum levaveris, perduces ad Catacumbas*, &c. *Hippodromus* Græcis proprie dictus locus non erat exercendis equis, sed cursui eorum destinatus: & Martinus Polonus, qui *S. Lucinam in septem viis* fuisse *in Circo Palatii juxta Septisolium* scribit, in veteri forsan hoc membrana ita adnotatum reperit.

Cellæ Palatinæ Atriensis mentio apud Suetonium exstat in Caligula cap. LVII. *Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cœlo tactum est: item Romæ Cella Palatina Atriensis.* Qui locus janitori destinatus, uti Turnebus in *Adversariis*, & Brodæus in *Corollariis ad Polletum de Foro R.* volunt, qui *Atriensem* olim illum servum appellatum dicunt, qui in catenis januam observabat. Verum *Atriensem* majoris dignationis fuisse servum in Cicerone Paradoxo V. liquet, ubi ait: *Atque ut in magna familia servorum alii sunt lautiores (ut sibi videntur) servi Atrienses, sed tamen servi æque actu*, &c. Horum officium erat purgare marmora & ex ære statuas, ceteraque atrii ornamenta, ut ex eodem Paradoxo colligere est: *Si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contemsisset, utrum illum civem excellentem, an Atriensem servum diligentem putaret?* Nemo *Atriensis* officium accuratius ad vivum depinxit, quam Plautus Asinaria Act. II. Sc. IV. ubi Saurea servus Atriensis alium servum satis ferociter, ac velut pro imperio tractat:

Cui numquam unam rem mi licet semel præcipere furi,
Quin centies eadem imperem, atque ogganiam, itaque jam hercle
Clamore, ac stomacho non queo labori suppeditare.
Jussin' scelesse ab janua hoc stercus hinc auferri?
Jussin' columnis dejicier opera aranearum?
Jussine in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nihil est, tamquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum &c.

Quare hinc tuto concludere licet, *Atriensis Cellam*, non janitoris fuisse, sed illius, qui curam atrii gereret, ut id mundum esset, nitidumque.

Existimavi aliquando *Interlude*, cujus apud Anastasium fit mentio in *S. Cornelio*, partem Palatii fuisse Imperialis, locumve ei vicinum, quoniam ei proximum templum Palladis illic dicitur, quod in Palatino fuisse ex multis Martyrum Actis constat, ad tribunal Imperatorium ante illud templum adductis. En tibi verba Anastasii: *Quem tamen jussit sibi præsentari cum Præfecto urbis in Interlude noctu ante templum Palladis, cui ita dixit*, &c. Tum & Claudium II. & Diocletianum solitos jubere constat, ut Martyres ad se in partem Palatii anteriorem adducerentur. Unde conjiciunt nonnulli, *Interlude* locum fuisse conjunctum seu contiguum conclavibus, seu areis, ludis destinatis: cujusmodi & hodie in Palatiis Principum conspiciuntur, ubi pila, rhombo, &c. luditur. Verum cum observassem in Actis Martyrum, Præsides & Magistratus sæpe inferiores parari sibi tribunal jussisse *in Tellure* vel *in Tellude*, ut in Actis S. Crescentiani, S. Julii, S. Gordiani, SS. Silinnii & Saturnini, &c. vocem illam *Interlude* apud Anastasium vitiosam esse animadverti, legendumque *in Tellure*, quemadmodum, ubi de templo Telluris egi, indicasse memini.

Tam nobilis ac magnifici ædificii splendorem sub Valentiniano, vel sub Maximo exstinctum nonnulli putant, urbe a Vandalis direpta. Verum Cassiodorus in Chronico ait: *Hermenerico & Basilio Coss. Ricimeris fraude, ut dicitur, Severus Romæ in Palatio interceptus est.* Melius autem idem Cassiodorus in epist. V. lib. VII. nomine Theodosii veterem ejus elegantiam testatur: *Quando pulchritudo illa mirabilis, si subinde non reficiatur, senectute obrepente vitiatur.* Jubetque instaurationem: *Hinc est, quod sublimitatem tuam ab illa indictione curam Palatii nostri suscipere debere censemus; ut ei antiqua in nitorem pristinum contineas, & nova simili antiquitate perducas.* Existimaret forsan aliquis sub Totila, cum ille Romam cepisset, dirutum: verum Anastasius videtur ejus adhuc facere mentionem, in Constantino Papa A. Chr. n. DCCVIII. *Et factum est, dum Christophorus, qui erat dux, ob hanc causam cum Agathone & suis hominibus concertarent, bellum civile exortum est, ita ut in Via Sacra ante Palatium sese committerent*: cum tum temporis voce *Palatii* mons Palatinus designari non posset, uti antiquis factum temporibus supra vidimus.

Præter amplissimam hanc Cæsarum domum nec templa, nec ædificia alia Palatino monti defuere; de quibus nunc agendum est.

CAP. XIV.

Templa in Palatino præter vetustissima illa jam ante memorata.

INter cetera, quæ Palatinum collem condecorarunt, templa conspicua maxime *Apollinis Ædes* fuit, quam Augustus in parte domus suæ exstruxit. De hoc Suetonius Aug. cap. XXIX. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo Aruspices responderunt.* Et hinc forsitan evenit, ut cum partem suæ domus publicasset, angustiusque dein ob hanc ædem habitaret, totam tandem publici juris faceret. Describitur hoc templum pereleganter ab Ovidio el. I. lib. III. Tristium:

Inde tenore pari gradibus sublima celsis
Ducor ad intonsi candida templa Dei.

Quem marmoris candorem Propertius quoque laudat, additis & quadrigis auratis fastigio impositis, lib. II. eleg.

Dum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia;
Auro solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos:
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

Idem fastigium statuis a filiis Anthermi clari nominis Sculptoribus factis exornatum Plinius refert lib. XXXVI cap. V.

Templo huic *addita Porticus cum Bibliotheca Latina Græcaque*, ut est apud eundem Suetonium. Erat hæc columnis instructa e marmore Africano, interque eas *statuis Danai & filiarum*, ipsa inaurata, ut ex eadem Propertii constat elegia, quantum existimo, quod ad laquearia, vel fastigium. Verba Propertii sunt:

Quæris, cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus a magno Cæsare aperta fuit.
Tantum erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai femina turba senis.

Sic & Ovidius eodem, qui indicatus, loco:

Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.

Scholiastes vetus Persii in Sat. II. addit in area *equestres* etiam fuisse *statuas filiorum Ægypti: In Porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas sub dio totidem equestres filiorum Ægypti*. Pergit autem Propertius:

Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra,
Atque aram circum steterant armenta Myronis
Quatuor artificis vivida signa boves.

Prœtides scilicet quatuor in vaccas mutatæ.

Sub ipsa Apollinis basi *libri Sibyllini* conditi erant, ab Augusto delectu habito probati. Suetonius cap. XXXI. *Solos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi*. Statuam hanc opus fuisse Scopæ ex eodem Plinii loco discimus.

In ipso etiam templo *lychnuchi pendebant ad instar arboris mala ferentis*, ait Victor. Item Plinius lib. XXXIV. cap. III. *Placuere & lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes, quale est in Templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem Deo*. Fuit ibidem & *Dactyliotheca*, quam Marcellus Octaviæ filius illi consecravit, teste eodem Plinio lib. XXXVII. cap. I. De *Cortinis aureis* hæc Suetonii verba sunt cap. LII. *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes: ex quibus aureas cortinas Apollini Palatino dicavit*. Vasa hæc erant concava ministerio Apollinis dicata. Varro lib. VI. de L. L. *Cava cortina dicta, quod est inter terram & cœlum ad similitudinem Cortinæ Apollinis, & a corde, quod inde sortes primum æstimatæ*.

Bibliothecæ Apollinis meminit etiam Dio l. LIII. ubi plurali numero usus Græcam Latinamque designat. In hac optimorum condita erant Poetarum monimenta. Horatius lib. I. epist. III.

Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Item Ovidius elegia supra adducta:

Quæque viri docto veteres fecere, novique
Pectore lecturis inspicienda patent.

Unde idem Ovidii liber se exclusum dolet. Numeriano illic Cæsari, velut optimo Oratori, statuam post mortem positam Vopiscus scribit, cum hac inscriptione: DIVO. NVMERIANO. ORATORI. POTENTISSIMO. Augustus quoque in eadem sibi statuam ad habitum ac staturam Apollinis posuisse legitur apud Acronem in epist. III. lib. I. Horatii. *Nec Poetarum tantum scriptis is honos habitus, sed & Jurisconsultorum*. Scholiastes Juvenalis in Sat. I. *Aut quia juxta Apollinis templum Jurisperiti sedebant, & tractabant: aut quia Bibliothecam Juris Civilis & liberalium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus.*

Fuit ibidem & *Colossus Apollinis Tuscanici operis*, ex ære altus pedes L. qui palmos nostrates conficiunt sexaginta duos. Plinius lib. XXXIV. cap. VII. *Vidimus certe Apollinem in Bibliotheca Templi Augusti Tuscanicum L. pedum a pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine*. Dubitat hic de templo Donatus, utrum Augusti ipsius, an Apollinis fuerit: sed ego Marliano hic accedo, qui Apollinis illud fuisse asserit. Non enim usquam legitur, Tiberium, qui Augusto templum dedicavit, Bibliothecam ei & Colossum addidisse ex ære. Martialis quoque, epigrammate supra allato, ubi libro suo suadet, ut Proculi ædes adeat, monet eum, ut Bibliothecam Apollinis transiens, non se contemplatione Colossi detineri patiatur;

Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Non ignoro autem, alios hæc de Colosso Neronis accipere in Via Sacra erecto; at minus commode; quia Martialis eum in Palatino collocat: Neronis autem ille erat infra collem. Tum & via ad ædem Castorum, & ædiculam Victoriæ Virginis, ad quas Martialis librum mittebat, multum diversa erat a Via Sacra, in qua Nero aureæ domus suæ fecit vestibulum.

Hujus ego *Colossi caput* illud *æreum* esse existimo, quod hodieque in Capitolio in Impluvio *Conservatorum* cum stupore visitur, quod male a quibusdam Neronis esse creditur. Ille namque Neronis Colossus e marmore fuit, ut alibi dictum; tum & plusquam centum pedes altus, id est CXXXIII. palmos nostrates: cujus caput esse minimum debuerat XVII. palmorum, seu duarum nostratium perticarum. Hoc autem a vertice ad imum mentum non habet integros octo palmos, quæ exactissima proportio est ad LXII & medium palmum altitudinis totius statuæ: quum e Vitruvio constet lib. III. cap. I. caput octavam humani corporis adæquare partem altitudinis.

Solebant in templo Apollinis Palatini Poetæ scripta sua publice *recitare*. Horatius lib. I. Sat. X.

Quæ nec in æde sonent certantia judice Tarpa.

Acro vero & Porphyrius, veteres Horatii Interpretes, exponunt, *in æde Musarum*: quam ego Herculis Musarum vicinam Circo Flaminio fuisse puto: non enim ullam aliam invenio. Explicant &, *in Athenæo*, veluti templo Musarum. Verum quidquid hujus sit, iidem Interpretes Horatium hoc velle significant, Poetas de operum suorum præstantia certatim hic coram Tarpa contendere, qui ad ea dijudicanda judex electus fuerat: ut supra in IV. reg. ostendi. Ceterum prope Palatium, adeoque in Templo, aut Bibliotheca Apollinis, Poetas recitare solitos ex applausu liquet a Claudio axaudito, de quo Plinius Cæcilius epist. XIII. l. I. *Ac hercle memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur, audissetque clamorem*

caussam requisisse : cumque dictum esset recitare A *Novianum subitum recitanti inopinatumque venisse*.

In eadem æde Augustus sæpe *Senatum consuluit*, *& decurias Judicum recognovit*, ut Suetonius docet cap. XXIX. In hanc quoque Nero velut triumphans ob victoriam cantu reportatam ascendit, quum triumphantes de hostibus in Capitolium solerent, eodem Suetonio referente cap. XXV. ibidemque Galba sacris operabatur, quum mollis Otho Imperator a militibus consalutaretur.

Vestigia ejus Marlianus supra Circum Maximum in vinea, cui sua memoria *Phædræ* nomen, hodieque conspici opinatur: forte, ubi grande ædificii ovati visitur fragmentum: verum nullo certo B indicio veri: quin potius illud mihi veteris Palatii residuum videtur. Quidquid hujus fuerit, nil nobis certius produci potest, quam quod e Martialis ad librum suum de Proculi domo epigrammate jam plus semel citato colligitur. Hic enim Proculi domum in summo Palatino collocat, viciniorem Foro Magno, vel Boario, quam Arcui Titi: ad quam illi aditum monstrat Ædem & Bibliothecam Apollinis transeunti: unde liquet utramque in extremo monte fuisse, supra *S. M. Liberatricis*, vel supra *S. Anastasiæ* ædem; quia extremitas altera primæ quadratæ Romuli Romæ ibidem, teste Solino, C incipiebat, ad lucum Apollinis in ejus area.

Conjuncta quoque domui Augustanæ *ædes Vestæ* fuit, *Palatinæ* vocitatæ, cujus festum ultimo Aprilis celebrabatur. Ovidius lib. IV. Fastor.

Aufert Vesta diem : cognato Vesta recepta est
Limine : sic justi constituere Patres.
Phœbus habet partem : Vestæ pars altera cessit :
Quod superest illis, tertius ipse tenet.


Idem & lib. I. Metam dixit:

Vestaque Cæsareos inter sacrata Penates.

Ad utrumque templum respexisse Seneca videtur in Consolat. ad Polybium: *Fortuna ibit violentior* D *per omnia, sicuti est solita eas quoque domos ausa injuriæ caussa intrare, in quas nonnisi per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Unde colligas, utrumque illa vestibuli latus occupasse.

Habet Dio & *Sacrarium* ab Augusto Templo Apollinis additum, lib. LIII. *Perfecit & Templum Apollinis in Palatio, & Sacrarium, quod est pene illud, fecitque Bibliothecam, consecravitque.* Quod quid fuerit, incertum est. Forsan ædem Vestæ Dio innuere voluit, quam *custodiam sacrorum* Livius vocat; *ubi sacer custoditur ignis* secundum Dionysium; quæ *Pallada servat & ignem*, apud Ovi- E dium. Sed de hoc alii viderint.

Livius ad hæc marito suo *Augusto templum* in Palatino dedicavit: sic Plinius, ubi de cinnamomo agit lib. XII. cap. XIX. *Radicem ejus magni ponderis vidimus in Palatio, templo, quod fecerat divo Augusto conjunx Augusta, aureæ pateræ impositam, ex qua guttæ editæ annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio consumtum est.* De *Templo* a Senatu eidem Divo Augusto decreto, & a Livia & Tiberio exstructo, Dionis hæc sunt lib. LIII. extremo: *Et illi in urbe decretum fuit a Senatu templum herois, quod postea a Tiberio & Livia ædificatum fuit, prout aliis in* F *oppidis alia ædificata fuerunt*, &c. Suetonius in Tiberio cap. XLVII. *Princeps neque ulla opera magnifica fecit : nam ea, quæ sola susceperat, Augusti Templum, restitutionemque Pompejani Theatri imperfecta reliquit.* Quæ omnia de uno eodemque Templo dicuntur: nam de pluribus non constat. Quare inepta illa Marliani sententia est, Augusti Templum in Foro fuisse existimantis, Pontemque Caligulæ per medium Forum vadentem illud transisse. Fuit enim in colle, seu potius clivo collis ante Palatium: quod postea Caligula dedicavit. Idem Suetonius cap. XXI. Calig. *Opera sub Tiberio imperfecta, Templum Augusti, Theatrumque Pompeii absolvit.* Dio lib. LIX. *Deinde Cajus habitu triumphali Templum Augusti dedicavit, nobilissimis pueris ætate florentibus cum virginibus ejusdem ordinis hymnum canentibus.* Quare quomodo ille decore illud absolvere potuerit, sub imposito ponte, qui a Palatino super omnia ædificia interjacentia in Capitolium pertigerit, videre me non posse, lubens agnosco. Plinius lib. XXXV. cap. XI. tabulam in eo Templo a Tiberio positam refert, qua Augustus quondam plurimum delectatus sit: *Hyacinthus, quem Cæsar Augustus delectatus eo secum deportavit Alexandria capta; & ob id Tiberius Cæsar in templo ejus dedicavit hanc tabulam.* Effigies hujus templi in numismate hoc antiquo visitur, a Sambuco in Emblematis, ac post ab aliis quoque publicato.



Templa item duo, *Bacchi & Cybeles*, trans Apollinis ædem fuisse Martialis indicat eo, quod sæpius allatum, epigr. LXXI. lib. I.

Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.

Cybele Mater Deum existimata saxum fuit magna veneratione Pessinunte, urbe Phrygiæ, allatum: qua de re plura Livius lib. IX. decad. III. Ac primum quidem in Templum Victoriæ in Palatino inducta fuit: dein conferente populo stipem ædes ipsi excitata propria. Livius ibid. *Censores M. Livius, C. Claudius*, &c. *Ædem Matris Magnæ in Palatio faciendam locaverunt.* Ovidius autem lib. IV. Fastor. Metellum ejus ædis auctorem facit, restitutorem vero Augustum:

—— Templi tum perstitit auctor;
Augustus nunc est, ante Metellus erat.
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait; dandæ mos stipis inde manet.

Potuit tamen a Censoribus illis Metello Templi illius struendi commissa fuisse cura: quod tertio decimo post anno Brutus dedicavit. Idem Livius lib. VI. decad. IV. *M. Cornelio, T. Sempronio Coss. tertio decimo anno postquam locaverat, dedicavit eam M. Junius Brutus: ludique ob dedicationem ejus facti; quos primos Scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* De his Ciceronis illa sunt de Aruspicum responsis: *Nam quid ego de illis ludis loquor, quos in Palatio nostri majores ante Templum in ipso Matris Magnæ conspectu Megalesiis fieri, celebrarique voluerunt.* Deæ ipsius statua non multo post Cæsaris cædem ab oriente in occidentem conversa visa miraculo fuit, auctore Dione lib. XLVI. Zosimus vero lib. V. refert, principatu Theodosii Serenam Stiliconis conjugem in ludibrium Gentilium Templum illud videre voluisse; detractumque dives de collo Deæ monile suo circumdedisse. In Vestibulo *Q. laudiæ Cstatua* itidem miraculo fuit, bis consumta incendio illa æde illæsa & superstes: ita Valerius lib. I. cap. VIII.

Juxta ædem Cybeles *Templum Junonis Sospitæ* fuit. Ovidius lib. II. Fastor.

Principio mensis Phrygiæ contermina Matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi sint illis, quæris, sacrata Calendis
Templa Deæ? longa procubuere die.

Ubi non illud in Palatino, sed quod in Foro postea factum fuit Olitorio, vetustate collapsum innuitur; de quo in proxima regione aliqua dicentur.

Ædes victoriæ, in quod saxum illud Cybeles primum delatum, itidem in Palatino fuit. Livius lib. IX. decad. III. *In ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere Deam*. Hæc antiquissima vel a Romanis restituta est, ubi eam ab Euandro primum excitatam dixi, vel potius a Postumio facta fuit *ex multatitia pecunia*, de qua Livius lib. X. Sub Velia vero ædem illam fuisse ad *clivum*, cui inde *Victoriæ* nomen, verisimile existimo; ne duo nobis templa fingamus ejusdem Deæ vicina. Quod si autem in Velia fuit, fuit in vico Publicio, ad sinistrum ejus latus, ad regionem VIII. spectans, in qua Victor templum illud recenset, uti supra vidimus.

Aliud *Fidei Templum* hic a Victore memoratur, quod tamen antiquissimum illud a Rhoma Ascanii filia conditum non ausim asserere. Neque item an illud a Numa dedicatum sit, constat, de quo Dionysius lib. II. Quare inter incerta referendum est.

Ædes Jovis Victoris, quæ hic recensetur, forte illa est, quam Ovidius lib. IV. Fastor. describit:

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Juppiter; hoc illi sunt data festa die.

Livius illam Q. Fabium vovisse dicit post mortem Decii filii, bello Samnitico, lib. X. *Ipse ædem Jovi Victori, spoliaque hostium cum vovisset, ad castra Samnitium perrexit*, &c. Dio prodigiose apertam suapte ante mortem Claudii refert, lib. LX.

Deæ Viriplacæ, præterquam in Victore, mentio quoque in Valerio Max. exstat lib. II. cap. I. *Quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in Palatino, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerunt, contentione animorum deposita concordes revertebantur.*

Victor *Febri Aram* dedicatam scribit, quia nil aliud fortasse amplius ævo ipsius supererat. Nam *Templum* quoque illi excitatum Cicero refert lib. III. de Nat. Deor. *Febris enim Fanum in Palatio videmus*. & lib. II. de Legibus: *Ara vetus stat in Palatio Febris*. Quare *Fanum* hic stricte de solo loco, in quo ara sita, accipiendum videtur, qui Livio *locus templo effatus*. Valer. Maximus lib. II. cap. V. *Febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte vici longi exstat: in eaque remedia, quæ corporibus ægrotorum annexa fuerant, deferebantur*. Ergo in Palatino secundum Ciceronem *Fanum* & *Ara* fuit. *Aræ* solius Victor meminit: *Fanum* vero Valerius inter Templa numeravit.

Duo item alia ceteris indicta Templa Victor hic nominat: Alterum *Rhamnusiæ*, quæ & *Nemesis*: alterum *Dijovis*. In Notitia Imperii legas; *Apollinis Rhamnusii*: uter hic erraverit, auctor an librarius, incertum. *Dijovis* idem qui Jupiter, ut est apud Varronem lib. IV. de L.L. ubi de Flaminibus agens ait: *Cum Dialis a Jove sit, qui Dijovis est*. Fortassen hoc antiquissimum Jovis in urbe Templum fuit; & hinc priscum nomen *Dijovis*, cui Numa Flaminem dedit, quem in Palatio domum habuisse Dio tradit lib. LIV. *Ignisque ab ea ad Vestæ usque grassatus, ita ut sacra a Vestalibus in Palatio sint translata, & in domo Flaminis Dialis posita.*

A

Pentapylon Jovis Arbiratoris Templum fuisse omnes concedunt. Sed in ejus vocis explicatione dissentiunt. Quidam enim vocem eam hybridam esse volunt e Græca & Latina mistam, ac quinque pilas in eo Templo fuisse indicare: quos Pyrrhus Ligorius egregie confutat, qui totam Græcam censet, & huic Templo quinque portas tribuit.

De Templo *Jovis Statoris* in regione VIII. alibique, a nobis aliqua disputata sunt. Verum quoniam hic proprius ejus locus est, quæ illic fusius

B

dicta, compendifaciam. *Velia* de verticibus unus fuit Palatini, clivo superimminens, qui inter *S. Anastasiæ* & *S. Theodori* interjectus, ideoque *Subvelia* appellatus fuit. E *Velia* in *Subveliam* Publicola domus, quam illic struere destinarat, materiam omnem transtulit, eamque hic ædificavit; quo loco tandem *ædes Victoriæ* posita, ut est apud Asconium in Pisonianam, Hyginum ab eo adductum, & Livium lib. II. Prope ædem *Clivus* fuit *Victoriæ*, nomen ab æde mutuatus & ad ejus ima vetus porta Palatini, de qua Festus in *Romana*, Livius lib. II. Ovid. lib. III. Trist. el I. Hanc ad

C

S. Theodori fuisse lib. I. cap. IV. ostendi, probavique. Non longe inde *Templum Jovis Statoris* fuit, quod Romulus vovit; Livius lib. II. Plutarchus in Cicerone. Quare ut illud in *Subvelia* fuerit, necesse est, ad *S. Theodori* ædem, in clivi latere. Adde, Tarquinium Priscum *ad ædem Jovis Statoris* habitasse, domumque fenestras in Viam Novam habuisse, ut est apud Livium lib. I. Ea in latere occidentali Fori ad latus ædis Vestæ incipiens, & ad Velabrum ducens, Subveliæ erat parallela. Quare cum frons altera ædium Tarquinii Prisci ad Viam Novam pertigerit, altera vero, quæ præcipua, *ad ædem Jovis Statoris* fuerit, fieri aliter non

D

potuit, quin Templum illud in vicinia *S. Theodori* situm habuerit. Vovit quidem illud Romulus, at non exstruxit: *Fanum* tantum illic dedicavit, id est ipsum solum, seu locum. Dein substructionem ejus Attilius Regulus vovit bello Samnitico, ac tum Senatus id ædificari jussit. Ita Livius lib. X. Structura fuit, quæ περίπτερος appellata, de qua consulendus Vitruvius lib. III. cap. I

Soli Elagabalo Templum ab Antonino Imp. ejus Sacerdote Lampridius refert in ejus vita: *Elagabalum in Palatino monte juxta ædes Imperatorias consecravit: eique Templum fecit, studens & Matris*

E

typum, & Vestæ ignem & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre Templum: & id agens, ne quis Romæ Deus, nisi Elagabalus coleretur. Statua ejus Dei ita describitur ab Herodiano lib. V. *Simulacrum vero nullum Græco aut Romano more manufactum ad ejus Dei similitudinem: sed lapis est maximus ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cœlitus decidisse. Eminent in lapide quædam, formæque nonnullæ visuntur, ac solis imaginem illam esse affirmant, non humano artificio fabrefactam*. Templum hoc loco illo positum, quem

F

antea *Orci ædes* occupavit. Idem Lampridius: *Dei Elagabali, cui Templum Romæ eo in loco constituit, in quo prius ædes Orci fuit*. Hinc liquet, *Ædem Orci*, sive Plutonis, prope Palatium Cæsarum fuisse. De eo Festus lib. XIII. *Orcum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Vragum, quod & V litteræ sonum per O efferebant: per C literæ formam nihil usurpabant: sed nihil affert exemplorum, ut ita esse credamus, quod is Deus maxime nos urgeat.*

Quod ad Divorum Cæsarum Templum attinet, a Tacito illud dedicatum Vopiscus auctor est, *in*

A *quo eſſent Principum bonorum ſtatuæ: ita ut iiſdem natalibus ſuis, & Parilibus, & Kalendis Januariis, & Nonis libamina ponerentur*. Quod an in Palatino prope Auguſtale Palatium fuerit, Donatus addubitat: ego vero magis etiam dubitem, utrum deſtinata fuerit exſecutus. Nam ſex tantum menſes imperavit, eoque tempore ab urbe abfuit: *Templum* non ante Tacitum modo, ſed & ante Galbam Cæſaribus dedicatum Suetonius indicat in Galba, cap. I. *Tacta de cœlo Cæſarum æde capita omnibus ſtatuis ſimul deciderunt, Auguſtique ſceptrum e manibus excuſſum eſt*. Hoc ego ab aliquo Cæſarum in Palatino ſtructum facile crediderim; fortean a Nerone in prodi-
B gioſa domus aureæ ſuæ laxitate.

Pro eo, quod in Victore legitur, *Vicus viſuſque diei*, emendatius reponas, *Vicus hujuſce diei*, quia Catulum Plutarchus in Mario ædem *Fortunæ hujuſce diei* deſtinaſſe refert: *Catulus identidem ſublatis in cœlum manibus Sacrum Fortunæ illius dici vovet*. Quod eum in Palatino dedicaſſe, ubi ædes ſuas habuit, perquam veroſimile eſt. De eodem Templo Cicero l. II. de Legibus: *Recte etiam a Calatino Spes conſecrata eſt, Fortuna quæ ſit, vel hujuſce diei. Nam valet in omnes dies*, &c. Item Plinius l. XXXIV. cap. VIII. *Fuit & alius Pythagoras Samius, initio*
C *Pictor, cujus ſigna in ædem Fortunæ hujuſce diei ſeptem nuda, & ſenis unius laudata ſunt*. Sic enim pro *hujuſce Deæ* Turnebus optime correxit in *Adverſar.* lib. II. cap. XII. item Leopardus lib. I. cap. XIV. *Emendation.* Vico igitur huic ab illa æde nomen impoſitum arbitror: aliter tamen ſentire aliis licebit. Minus corrupta hic baſis Capitolina, in qua legitur; VICO HVIVSQVE DIEI.

Videtur & *Minerva Templum* hic habuiſſe. Tale namque quid illa Martialis indicant lib. V. Epigr. V.

Sexte Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio foveris qui propiore Dei;
Nam tibi naſcentes Domini cognoſcere curas,
D *Et ſecreta Ducis pectora noſſe licet.*

Niſi forte ea voce ſtudia elegantiarum, commodorumve Domitiani intellexerit, de quibus tertius quartuſque verſus agunt: aut niſi ad Minervam a Domitiano ſingulari veneratione cultam alludit, ut ſecundus verſus ſignificare videtur; aut ad Minervæ ſtatuam, quam ei Domitianus forſan in Palatio Martiali poſuit. Sed ut inanes haſce conjecturas abjiciamus, ſæpe in Martyrum Actis Tribunal in Palatino ante Palladis ædem conſtitutum legitur: quam, ut de *Interlude* diximus, in anteriore Palatii parte fuiſ-
E ſe probabile eſt.

Panvinius in hoc ipſo monte *Templum Jovis Propugnatoris* collocat: quam ejus ſententiæ inſcriptio hæc vetus, a Roſino lib. II. *Antiq. Rom.* adducta, egregie confirmat:

P. MARCIVS. VERVS.
IMP.COMMODO.VI.ET.PETRONIO.SEPTIMIANO.COSS.
AN. P. R. C. DCCCCXLI. K. DEC.
IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNATORIS.
IN. LOCVM. P. VERI.
F L. ATILIVS. CORNELIANVS. COOPTATVS.

Meminerunt & *Templi Jovis intra Tiberii Palatium* Acta S. Laurentii: ſicut & in Actis S. Silveſtri legitur, in Baſilica Jovis Chriſtianos coram Auguſtis congregatos fuiſſe. Forſan hæc Templa illa fuere, de quibus ſupra, Palatio conjuncta; niſi *Baſilica Jovis* pro cœnaculo, quæ *Jovis cœnatio* dicta, accepta fuit. Nam in Actis S. Laurentii intra Palatium locus ei aſſignatur: *Cæſar juſſit B. Laurentium vinctum catenis in Palatium Tiberii duci, & illic ejus geſta audiri; ſibi vero in Baſilica Jovis Tribunal parari*, &c.

Fortuna Reſpiciens, me quidem judice, ædicula fuit vici, qui eodem nomine apud Victorem inſignitus exſtat: ſive etiam ſtatua in publico eodem in vico poſita.

Habuit & *ædiculam* in Velia Deus *Mutinus Titinus*; de quo Feſtus: *Mutini Titini ſacellum fuit in Veliis adverſus murum muſtellinum in angiportu, de quo aris ſublatis balnearia ſunt facta Cn. Domitii Calvini, cum manſiſſet ab V. C. principatum Auguſti Cæſaris inviolatum, religioſeque & ſancte cultum fuiſſet, ut ex Pontificum libris manifeſtum eſt. Nunc habet ædiculam ad milliarium ab urbe ſextum & viceſimum dextra via juxta diverticulum, ubi & colitur, & mulieres ſacrificant in togis prætextis velatæ*. Quis autem Deus ille fuerit, Lactantius docet lib. I. Inſtit. cap. XX. *Et Mutinus, in cujus ſinu pudendo nubentes præſident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur*. D. Auguſtinus lib. V. *de Civ. Dei* cap. V. & Arnobius lib. IV. *contra gentes*, *Mutunum* eum vocant.

Lunæ Noctilucæ Templum itidem in Palatino fuit: de quo Varro lib. IV. de L. L. *Luna, quod ſola lucet noctu. Itaque ea dicta Noctiluca in Palatio. Nam ibi noctu lucet Templum*.

Ara Palatina ſine dubio ante Palatium poſita fuit, vel in Veſtibulo: ſupra quam Imperatores ſacris operati ſunt.

Victoria Germaniciana Templum, ſeu Sacellum fuit, in memoriam victoriæ Germanici, Cheruſcis ceteriſque Germaniæ populis uſque ad Albim devictis, extructum: de quibus & triumphavit. Forſan etiam tabula aliqua picta, in qua victoria illa expreſſa fuit: vel etiam tropæum aliquod eadem de cauſa erectum, illi forte Palatii parti contiguum, quam Germanici nomine inſignitam fuiſſe dixi. Nam arcus illi, clypeos, ſtatuas, & cetera victoriæ inſignia erecta fuiſſe Tacitus refert lib. II. Ann. Poſſet & Domitiano adſcribi, cui item illud cognomen *Germanici* datum, niſi omnia illius monumenta juſſu Senatus diruta, dejectaque fuiſſent. Ab hac ſeu ſtatua, ſeu tabula vico nomen fuit.

Jure igitur ac merito Claudianus de Palatio hoc tot ac tantis templis, fanis, & aris cincto in VI. Conſ. Honorii cecinit;

Tot circum delubra videt, tantiſque Deorum
Cingitur excubiis.

CAP. XV.

Cetera Palatini montis ædificia:

PLurimæ fuere eximiæ & ſplendidæ in Palatino *domus:* celeberrimæ vero *Q. Catuli*, & *L. Craſſi*. Plinius lib. VII. cap. I. *Craſſus Orator fuit in primis nominis Romani. Domus ei magnifica; ſed aliquanto præſtantior in eodem Palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum Mario fudit*. In hac *taurus* ex ære fuit Cimbris ereptus, ſub quo jurare ſoliti. Plutarchus in Mario: *Induciis poſtulantibus conceſſis ſub ænei tauri juramento dimiſerunt. Hunc captum poſt pugnam tropæi loco in domum Catuli delatum ferunt*. Fuit & in eadem conclave rotundum cum hemiſphærio, quicum Varro lib. III. *de Re Ruſt.* cap. V. aviarium ſuum comparat: *Inter eas piſcinas tantummodo acceſſus ſemita in tholum, qui eſt ultra rotundus columnatus, ut eſt in æde Catuli, ſi pro parietibus feceris columnas*. Niſi forte Varro illic de Templo quodam a Catulo conſtructo loquitur, quemadmodum e voce *æde*, & forma rotunda ſuſpicari licet: cujuſmodi Templum *Fortunæ hujuſce diei* fuit, de quo ſupra. De *domo*

Crassi idem Plinius: *Jam columnas quatuor Hymettii marmoris Ædilitatis gratia ad scenam ornandam advectas in atrio ejus domus statuerat, cum publicæ nondum essent ullæ marmoreæ*. Ubi & de sex insignibus Lotis agit, a Domitio mille HS æstimatis.

Tiberii item, *C. Gracchorum ædes* in Palatino. Plutarchus in eorum vita commemorat: *Reversus primum Cajus ex Palatio remigravit sub Forum, velut locum magis popularem, ubi frequentissimi abjecti & pauperes domicilia habebant*.

In eodem monte & *M. Fulvii Flacci domus* fuit, qui cum C. Crasso occisus est: quod inde colligas, quia seditione Gracchana diruta fuit, & in ejus area a Catulo porticus spoliis Cimbricis adornata instituta fuit. Valerius Max. lib. VI. cap. III. *Ceterum Flaviana area cum diu Penatibus vacua mansisset, a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est.* Disjecta deinde a Clodio una cum Ciceronis ædibus, quibus vicina fuit, & a Senatu restituta, iterum a Clodio dissipata est. Cicero ad Atticum epist. III. lib. IV. *Armatis hominibus ante diem* III. *Non. Nov. expulsi sunt fabri de area nostra: disturbata porticus Catuli, quæ ex S. C. Consulum locatione reficiebatur, & ad tectum pene pervenerat*. Redintegratam deinde rursus, sicut & Ciceronis domum, perquam probabile est.

Sic & *Cn. Octavii* ibidem *domus* fuit, a Scauro destructa, ut suam extenderet. Cicero lib. I. Off. *Cn. Octavio, qui primus ex illa familia Consul factus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viseretur, suffragatam domino novo homini ad Consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus accessionem adjunxit ædibus*.

Atque hæc quidem *Scauri* ab Asconio, in Orat. pro Scauro, in via fuisse describitur, quam a Via Sacra inter Vulcanale & Comitium ad Circum Maximum tendentem XIV. regionem ab VIII. diremisse dixi. *Demonstrasse vobis memini*, ait, *hanc domum in ea parte fuisse Palatii, quæ, cum ab Sacra Via descenderis, & per proximum vicum, qui est a sinistra parte, prodieris, posita est*. Dein magnificentiam ejus describit: *Possidet eam nunc Longus Cecinna, qui Coss. fuit cum Claudio. In hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ insigni magnitudine, quæ nunc esse in regia Theatri Marcelli dicuntur*. De iisdem sunt hæc Plinii lib. XXXVI. cap. II. *Etiamne tacuerunt maximas earum, atque adeo duodequadragenum pedum Lucullei marmoris in Atrio Scauri collocari? nec clam illud, occulteque factum est. Satisdari sibi damni infecti egit redemtor cloacarum, cum in Palatium extraherentur*.

De *Catillinæ domo* superius nonnulla dicta sunt, quæ postea pars Palatii Augustalis fuit. Sic & *Hortensii domus* ab Augusto postea habitata, & dilatata fuit. Suetonius: *Postea in Palatio, sed nihilominus modicis ædibus Hortensianis*.

Ciceronis domus in imo Palatino ad ædem Jovis Statoris fuit, prout Fulvius & Marlianus ex his Plutarchi verbis in Cicerone videre sibi visi sunt: *In ædem proximam Jovis Statoris Senatum vocavit*. Quibus Donatus acerrime repugnat, eamque in summo monte fuisse contendit, usus ipso in hanc rem teste Cicerone in Orat. pro Domo: *In conspectu*, inquit, *præterea totius urbis domus est mea*. Qui & de porticu loquens, quam ea exusta Clodius ibi ædificavit: *Hanc vero in Palatio, atque pulcherrimo urbis loco porticum esse patiemini*? Item in Pisonem: *An tu eras, cum in Palatio mea domus ardebat*? Item: *Erat non solum domus mea, sed totum Palatium Senatu, Equitibus Romanis, Civitate omni, Italia cuncta refertum*. Quin & Plutarchus eam fuisse ait περὶ τὸ παλάτιον, *circa Palatium*. Ex his si non in ipso montis fastigio, A saltem in editiore ejus parte illam exstitisse patet. Aream, & in ea exstructam porticum, cremata domo, Clodius *Libertati* consecravit, uti Dio auctor est lib. XXXVIII. quam Plutarchus *Templum Libertatis* in vita Cic. appellat: quo nomine & ab ipso Cicerone insignitur, lib. II. de Legibus, ubi contumeliose in Clodium, pro *Libertatis Templo*, *Licentiæ* illud *Templum* vocat: *Omnia autem tum perditorum civium scelere discessu meo religionum jura polluta sunt; vexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exædificatum Templum Licentiæ*. Utrumque vero illic constructum esse potuit & Templum, & Porticus. Post reditum vero Ciceronis B refectam Dio & Plutarchus referunt: decretumque in eam rem Senatus ipse Cicero indicat epist. II. lib. IV. ad Atticum. Proximum ei Jovis Statoris fuisse Templum non tam Plutarchus dicit, quam alii ab eo dici volunt. Verba vero ejus ita sonant: *Cicero in æde Jovis Statoris, quæ proxima est principio Sacræ Viæ, quæ Palatium respicit, Senatum advocat*. Ubi igitur sita fuerit, incertum. Nam quod de Senatu convocato dicitur, nihil exprimit veri, certive. Sed erit forte nonnihil de ea mox addendi locus, cum ad Clodii domum pervenerimus.

C Eodem loco situque celebris illa *Livii Drusi domus* fuit; de qua Vellejus lib. II. *Cum ædificaret Drusus domum in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est, promitteretque ei Architectus, ita eam se ædificaturum, ut libera a conspectu ab omnibus hominibus esset, nec quisquam in eam despicere posset: Tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit*. Emit eam Cicero de Crasso, cui ab opibus *Divitis* cognomen; ita enim Sallustius in Ciceronem: *Cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi hominis consularis fuit*. Et ipsa epist. VI. lib. V. Fam. *Scripseras velle te bene D evenire, quod de Crasso domum emissem. Emi eam ipsam domum millibus nummorum* XXXV. *aliquanto post tuam gratulationem*. Item Agellius lib. XII. cap. XII. *Cum emere vellet Cicero in Palatio domum, & pecuniam in præsens non haberet, a P. Sylla, qui tum reus erat, mutua HS vicies tacite accepit*. De *P.* igitur, non autem de *L. Crasso*, ut aliqui voluerit, Cicero domum hanc emit, quemadmodum Donatus recte animadvertit. Adde, quod Plutarchus in Crasso docet, solitum eum ædes bene emere vel incendio consumtas, easque reficere, vel a Sylla proscriptas, venditasque: quarum de numero forsitan & hæc Ciceronis fuit.

E In vicinia inimicus ejus *Clodius* habitasse cognoscitur ex his Ciceronis de Haruspicum responsis: *Itaque ne quis meorum imprudens introspicere possit tuam domum, ac te sacra illa tua facientem videre, tollam altius tectum, non ut eo te despiciam, sed tu ne aspicias urbem eam, quam delere voluisti*. Hinc liquet, Clodii domum interiore altioreque loco Palatii sitam fuisse; ut ita ei in urbem editiore tecti structura prospectus eriperetur. De magnificentia ejus ac pulchritudine hæc sunt Plinii lib. XXXVI. cap. XV. *P. Clodius, quem Milo occidit, sestertium centies & F quadragies octies domo habitaverit; quod equidem non secus ac Regum insaniam miror*. Hanc antea *M. Scauri* fuisse Asconius docet in Milon. fortean eam ipsam, quam M. Scaurus in via habuit, quæ a Sacra Via ad Circum tendebat, ut supra dixisse memini; in qua & Jovis Statoris ædes fuit, vicina ædibus Ciceronis.

Fuit & in hoc ipso monte *M. Antonii domus*, post Agrippæ & Messallæ communis, donec incendio conflagraret. Dio lib. LIII. *Cumque domus in Palatino monte, quæ prius M. Antonii, deinde Agrippæ & Messallæ concessa fuerat, incendio esset ab-*

sumta, argento Messallam donavit, Agrippam ad secum habitandum recepit.

De *Pratis Vacci*, qui cum Privernatibus a Romanis descivit atque rebellavit, hæc Livii sunt lib. VIII. *Dux etiam Fundanus fuit Vitruvius Vaccus, vir non domi solum, sed etiam Romæ clarus. Ædes fuerunt in Palatio ejus, quæ Vacci prata, diruto ædificio, publicatoque solo, appellata.*

Domus adhæc *Dionysii* in Victore agnoscitur. At cujus *Dionysii*? nomen Græcum hoc, & forsan alicujus Artificis. aut artium Professoris percelebris. *Dionysii* clari Geographi Plinius meminit lib. VI. c. XXVII. quem Augustus in Asiam misit, ut eam describeret, priusquam filium majorem Cajum in Armeniam mitteret. Idem & frequenter *Dionysium Sallustium* Medicum citat, in primis lib. XXXII. cap. XXVII. & lib. XX. cap. III. & XI. quorum alterius hæc domus esse potuit. Fuit & *Dionysius* Pictor, nec non alius Statuarius, multique eo nomine alii; cujus eam fuisse ex his quis dixerit? In Notitia legitur *Dionis* pro *Dionysii*. Unde Pancirollus *Dionis* Cassii Historici, Africæ Proconsulis, illam existimat, qui & Dalmatiæ & Pannoniæ Præses, & Consul sub Diocletiano fuit. Sed in re tam obscura suo quisque utatur fruatur judicio, licet.

De *Cn. Domitii Calvini domo*, & *balneis*, item *muro Mustellino* ei adverso, verba Festi superius, cum de Deo Mutino agerem, attuli: nec plura jam suppetunt.

De *Tiberio Nerone*, Tiberii Cæsaris patre, Suetonius indicium facit, cap. V. domum eum in Palatio habuisse: *Sed ut plures, certioresque tradunt, natus est Romæ in Palatio decimo sexto Kal. Decembr. M. Æmilio Lepido iterum & Munatio Planco Coss. post bellum Philippense.*

Addit hisce Panvinius domum *Julii Cæsaris*, quæ in Via Sacra fuit, item *Anci Martii* in eadem via; & *Tulli Hostilii*, ac *Servii Tulli*, quæ ad ima quidem Palatini fuere, at non in hac regione X. nec non *Lucum* & *Sacellum Larum*, *Templum*que *Quirini*, quæ alibi sita supra docui. De *Sacello Volupiæ*, quæ hac in regione forsan exstitit, infra nonnihil dicetur.

Quin & *Theatro Statilii Tauri* hic locum facit: sed qua de causa, non perspicio. Non enim *Theatrum* ille, sed *Amphitheatrum* construxit, ut e Suetonio & Dione constat: & hoc in Campo Martio fuit: neque usquam legitur Theatrum stabile ac perpetuum in Palatino conditum. Credo ego, Panvinium verbis Dionis lib. LXIII. incendium a Nerone excitatum describentis in errorem hunc inductum. Illic enim Palatium, Theatrum Tauri, & alias civitatis partes incendio absumtas fuisse legitur: unde ipse Theatrum Tauri in Palatino fuisse existimavit. At si Taurus præter Amphitheatrum aliud insuper Theatrum excitasset, non puto Suetonium illud silentio præteriturum fuisse, cum & hujus & aliorum opera enarraret. In Dione vero vel pro *Tauri* legendum *Marcelli*, seu *Balbi*, vel potius *Theatri* voce pro *Amphitheatri* usum eum existimandum est. Quemadmodum ipse lib. LI. jam ante dixerat: *Cæsare quartum Cos. Taurus Statilius suis expensis exstruxit Theatrum quoddam lapideum pro venationibus in Campo Martio, consecravitque cum pugna gladiatorum.* Quæ pugna non in Theatris, sed in Amphitheatris exhiberi solita. Apertius adhuc de Cæsare lib. XLIII. ait: *Suffulto quodam Theatro, ubi venationes exercebantur, quod Amphitheatrum vocatum fuit.* Quare nullum in eo colle Theatrum fuit, uti nec in urbe tum aliud præter illa tria superius memorata fuit, contra quam quidem somniant.

Aliud olim ad Lupercal factum, sed ante destructum, quam absolutum Vellejus Paterculus docet lib. I. *Cn. autem Manlio Volsone & M. Fulvio Nobiliore Coss.* &c. *ante triennium quam Cassius Censor a Lupercali in Palatium versus Theatrum facere instituit, cui in demoliendo eximia civitatis severitas, & Consul Scipio restitere. Quod ego inter clarissima publicæ voluntatis argumenta numeraverim.* De eodem ita Appianus: *Per idem tempus Scipio Cos. Theatrum demolitus est inchoatum a C. Cassio, & jam pene absolutum: quod hæc quoque videretur novarum seditionum materia; vel quod existimaret non esse e Republica, populum Græcanicis voluptatibus assuescere.*

Sepulcrum Cinciorum ea puto de caussa a Panvinio huc relatum, quod is Festo lib. XVII. de porta Romana legisset: *Romanam portam vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua: qui locus ab Antiquis appellari solitus est Statuæ Anciæ, quod in eo fuit sepulchrum ejus familiæ: sed Porta Romana instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ*, &c. unde, si quis modo diligenter ea animum advertat, contrarium evincitur. Nam si locus in statuarum a vulgo *Porta Romana* appellatus fuit, certe re vera porta non fuit. Eapropter Festus addita particula *sed veram portam Rom.* indicat *ad clivum Victoriæ*: Consequitur igitur *statuas* illas *Cincias* non ad infimum clivum Victoriæ fuisse, sed ad arcum aliquem, seu fornicem aquæductus extra urbem, ubi sepulcris locus: e quo fornice, sive ejus epistylio aliquo, vitium faciente, aqua destillavit. Forsan idem arcus *portæ* nomine a Martiale descriptus fuit epigr. XVIII. lib. IV.

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis.
Et madet assiduo lubricus imbre lapis, &c.

id est, unus ex illis Aquæ Virginis fornicibus, de quo supra in reg. IX. egimus.

Septizonium hic a Victore collocatur: quod ædificium ad ima ferunt Palatini contra ædem *S. Gregorii* triplici superstantium sibi columnarum ordine ante seculum conspectum. Nomen *Septizonii* multis persuasit, quatuor adhuc alios tribus illis ordinibus columnarum ordines olim fuisse superimpositos, ut ita vere *Septizonium* dici posset. At negat hoc Marlianus, atque item Philander Architectus in Comment. in Vitruvium lib. V. cap. VII. quia alias ædificium hoc in portentosam consurrexisset altitudinem: cujus quidem mihi consideratio non tantum obstat, quantum inscriptio, quæ in tertia legebatur corona, adeoque in summa.

Nomen, sive appellationem, quod attinet *Septizonii*, datum illud quidem in initio videtur ædificio ejusmodi, quod septem sibi superimpositos columnarum ordines habuerit: verum numerum illum septenarium semper in eo observatum vix puto: contra ea, datum aliquando id nominis paucorum ordinum operi nullus dubito: non secus ac *Porticus milliariæ* appellatæ, non omnes vel mille passus habuere longitudinis, vel mille columnas. Sed plura fuere *Septizonia*: quorum forsan primum illud fuit, cujus apud Suetonium in Tito fit mentio, & de quo in regione III. disserui, quodque innui dixi, cum simpliciter de *Septizonio* agitur. Et hoc fortean columnarum septem instructum fuit ordinibus, ceteris in eo numero deficientibus, licet operis formam retinerent.

Alii contra obnitentes ajunt, *Septizonium* hoc a *Severo* exstructum; de quo Spartianus: *Cum Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret, & nisi absente eo per Præfectum urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum Palatinis ædibus, id est regium atrium, ab ea parte facere voluisse perhibetur.* Idem *Septizonium* sepulcrum fuisse tradit, in Geta: *Illatusque est*

est majorum sepulcro, hoc est, Severi, quod est in Via Appia euntibus ad portam dextrum specie Septizonii exstructum, quod sibi ille vivus ornaverat. Non igitur adeo absurdum, ædificium hoc ad instar pyrarum, quæ in consecratione Imperatorum incendebantur, gradatim diminuendo in altum consurrexisse, atque ita proportionem seu justam altitudinis & latitudinis convenientiam retinuisse.

Quibus vel ipse intuitus operis, quod reliquum fuit, & typis delineatum est, confutandis sufficerit. Nam non illic ordinum diminutio ad pyræ seu rogi similitudinem, sed æqualitas observata conspicitur: nec ulla in his species inest sepulcri; nec a Severo, ut familiæ conditorium foret, constructum videri potest. Spartianus in Severo bis *Septizonii* ab eo facti meminit: *Opera ejus publica, præcipue Romæ, exstant Septizonium, & Thermæ,* &c. & in fine: *cum Septizonium faceret,* &c. unde sepulcrum illud fuisse colligi non potest. Sed quod sequitur, magis adhuc verum indicat: *Cum Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret.* Ubi alias in re tam præclara ac notabili rectius *suum sepulcrum* dixisset, quo sententia verborum ejus esset liquidior, quæ jam ambigua est, & obscura. Tum & causa longe alia est. Sepulcrum enim ad condendos cineres exstruitur: non autem, ut aliunde in urbem adventantibus spectaculo sit. Pergit Spartianus: *Et nisi absente eo per Præfectum urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum Palatinis ædibus, id est regium Atrium, ab ea parte facere voluisse perhibetur.* At quæ *Atrio Regio*, seu aditui ad Palatinas ædes, cum sepulcro convenientia? longe vero alia ratio est ædificii, seu ambulacri columnarum ordinibus insigniti, excultique, tam quod ad usum, quam quod ad voluptatem oculorum, cujusmodi hoc *Septizonium* fuisse videtur. Subnectit porro Spartianus: *Quod post Alexander cum vellet facere, ab Auspicibus dicitur esse prohibitus, cum hoc sciscitatus non litasset.* Non autem verisimile est pium illum Principem sepulcrum violare voluisse Imperatorium, ut aditum sibi novum in Palatium faceret: quin potius exploraturum antea fuisse Cœli Deorumque voluntatem; qui in omni re leviore id facere solebat. Tandem remotissimum a vero videtur, Severum ad ipsum Palatium sibi suisque monumentum erigere voluisse sepulcrale.

Decepere scilicet viros optimos verba illa Spartiani in Geta, supra allata: verum illic de *Septizonio* non agitur, quod ad ima Palatini excitatum

A fuit: sed de sepulcro, in Via Appia a Severo sibi suisque, in speciem *Septizonii*, facto: quo fortasse ædificii genere Architectus delectatus fuit. E comparatione similitudinis infertur diversitas, non secus ac ex ipso loco, situque. Quis autem Viam illam inter Circum Maximum & Arcum Constantini *Appiam* fuisse dixerit? Tum verba illa (*in Via Appia euntibus ad portam dextrum*) viam rectam, absque ullo, quem illi assignant, flexu, indicant, & sepulchri situm non longe a porta remotum. *Via* vero *Appia* a Frontino, Statio, Festo, ceterisque initium habuisse dicitur extra portam: possit tamen ferri, ut intra urbem ad Circum B usque Maximum protendatur: sed ulterius illam velle proferre, idque variis flexibus, cum Spartianus dicat *euntibus ad portam*, de iis, qui in media urbe erant, non tam a vero remotum existimari debet, quam portento proximum.

Alius quidam *Septizonium Severi* illud, quod in Via est Appia, fuisse opinatur: hoc autem sub Palatino *vetus* Suetonii: sed & hic in errore versatur: quum aperte satis Spartianus *Septizonium* sub Palatio a Severo factum referat. Contra Panvinius in reg. XII. *Septizonium vetus* Viæ Appiæ attribuit portam versus: sed & hoc a Severo factum idem Scriptor in Geta auctor est.

C Statuendum igitur, duo fuisse vera *Septizonia*; *vetus*, de quo Suetonius in Tito, & Ammianus lib. XV. in regione III. uti illic ostensum: & *Severi* sub Palatino, de quo nunc agitur. Tertium nomine tantum & specie *Septizonium*, revera sepulcrum fuit ab eodem Severo factum in Via Appia ad portam Capenam, de quo in reg. XII. plura.

Superest adhuc *Arcus Constantini* pulcherrimus, & integer, ad imum angulum montis orientalem, nisi quod octo perbellis statuis, quæ in ejus fastigio conspiciuntur, capita amputata sint, tollente D ea clanculum secundum Jovium, deportanteque Florentiam Laurentio Mediceo. Varia in eo sculpturæ dignitas ac facies est, prout diversa quoque temporis ratio fuit. Pars enim elegantissima Trajani ævum spirat; altera rudis & inelegans Constantini. Illam ex arcu Trajani, qui in Foro ejus fuit, ablatam ferunt. Quod mihi factum in medio relinquendum videtur. In altero majoris ejus fornicis latere legitur: LIBERATORI VRBIS: in altero: FVNDATORI QVIETIS: Fronti utrique inscriptum:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO. P. F. AVGVSTO
S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITV
DINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI
EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMPVBLICAM
VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Ex inscriptione hac aliquis colligat, arcum hunc ei statim a Maxentio devicto positum, quum victor urbem ingrederetur Constantinus: sed cognomen MAXIMI, quod ei, auctore Panvinio in Fastis, non ante datum, quam extremis imperii vi-

E tæque annis, satis evincit, serius arcum hunc vel erectum, vel absolutum fuisse. Quod ipsum & illa VOTIS X. VOTIS XX. indicant: sicut vel minimum decennium ejus imperii abierit, priusquam hæc arcui addita est inscriptio.

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

Regio XI.



Ateri Palatini montis contigua Regio fuit *Circi Maximi*, qui montis ejusdem longitudinem adæquavit. B Descriptio ejus e Rufo, quantum ejus supereſt, hæc eſt:

Regio Circus Maximus.

Apollo Cœliſpex.
Salinæ.
Porta Trigemina.
Lucus Semeles minor. C
Ædes Portumni ad P. Sublicii.
—— *Ditis Patris.*
—— *Cereris.*
—— *Proſerpinæ.*
Templum Mercurii.
—— *Herculis.*
Hercules Triumphalis.
Circus Maximus.
Hercules Olivarius.
Ara Maxima.
Ædes Conſi.
Vicus Confinius. D
—— *Proſerpinæ.*
—— *Cereris.*
—— *Argei.*
—— *Piſcarius.*
—— *Parcarum.*
—— *Veneris.*
—— *Sanctus.*
Forum Olitorium.
Columna Lactaria.
Ædes Pietatis.
—— *Matutæ.*
Velabrum Majus in Foro Olitorio.
Sacrarium Saturni cum Luco. E
Area Sancta.
Ædiculæ XII.
—— *Veneris.*
—— *Junonis.*
—— *V.....*
reliqua omnia deſunt.

Victor hæc habet:

Regio XI. Circus Maximus.

Circus Maximus capit loca CCCLXXXM. *ubi portæ* XII. F
Templum Mercurii.
Ædis Ditis Patris.
—— *Cereris.*
—— *Veneris, opus Fabii Gurgitis.*
—— *Portumni ad Pontem Æmilium, olim Sublicium.*
Porta Trigemina.
Salinæ.
Apollo Cœliſpex.
Ædis Portumni.
Hercules Olivarius.
Ara Maxima.
Templum Caſtoris.
Ædis Cereris.
—— *Pompeii.*
Obeliſci duo, jacet alter, alter erectus.
Ædis Murciæ.
Ara Conſi ſubterracea.
Forum Olitorium; in eo Columna Lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt.
Ædes Pietatis in Foro Olitorio.
—— *Junonis Matutæ.*
Velabrum Majus.
Vici VIII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagiſtri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Inſulæ MDC.
Domus LXXXIX.
Balneæ privatæ XV.
Horrea XVI.
Lacus LX.
Piſtrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XIMD.

In recentiore Victore hæc vel addita, vel mutata ſunt.

Loca Circi Maximi dicuntur CCCXXCM.
Ædis Proſerpinæ.
Hercules Triumphalis.
Templo Caſtoris additur *Vetus.*
Ædes Portumni Vetus.
Velabrum Minus.
Vicomagiſtri dicuntur XXXVIII. *alias* XXXII.
Inſulæ MDC. *alias* IIMDC.
Lacus XV.
Ambitus regionis pedes XIMDC. *alias* XIMD.

In Notitia dignitatum Imperii legas:

REGIO XI.

Circus Maximus, qui capit loca quadringenta quinque millia, continet XII. *Portas. Templum Mercurii, Ædem Ditis Patris, Cererem, Portam Trigeminam, Apollinem Cœliſpicem, Herculem Olivarium, Velabrum, Arcum D. Conſtantini. Vici* XVIII. *Ædiculæ* XIX. *Vicomagiſtri* XIX. *Curatores duo. Inſulæ duo millia ſexcentæ. Domus* LXXXIX. *Horrea* XVI. *Balnea* XV. *Laci* XX. *Piſtrina* XV. *Continet pedes undecim millia quingentos.*

Panvinius de ſuo addit:

Vicus antiquus Publicii ad Portam Trigeminam.
Argiletum.
Lucus Saturni.
Templo Herculis addit, *Victoris in Foro Boario.*
Templum Jani ad Forum Olitorium.
Pro Templo Ditis Patris ponit, *Summani*, alias *Ditis Patris.*
Ædes Cereris vetus.
Pro Hercule Olivario ponit, *Ædes Herculis Olivarii ad Portam Trigeminam.*

Ædes Junonis.
—— Pudicitiæ Patritiæ.
—— Pudicitiæ Plebejæ in Vico Longo.
—— Fortunæ Virilis ad Tiberim, in qua erat statua lignea Servii Tullii Regis.
—— Spei in Foro Olitorio.
—— Apollinis Medici.
—— Liberi, Liberæque.
—— Solis.
—— Floræ.
Ædicula Juventutis } *in Circo*
—— Solis
—— Proserpinæ.
Ara Accæ Laurentiæ in Velabro.
Signa Dearum Setiæ, alias *Segestæ.*
—— —— Metiæ, ac } *in Circo Max.*
—— —— Tutilinæ
Circus intimus.
Campus Trigeminorum.
Tabernæ Bibliopolarum Argiletanæ.
Emissarium Cloacæ Maximæ in Tiberim.
Fornix Stertinii in Circo Maximo cum signis auratis.
Lupanaria.
Domus numerat CXXCIX.
Ambitum regionis ait esse ped. XIMDC.

Paulus Merula addit:

Ficus Velabrensis.

Nos autem adnectimus:

Vallis Martia, seu Murtia.
Sepulcrum Tribunorum militum a Volscis occisorum.
Domus Q. Ciceronis, & Paciliana.
Signum pueri impuberis.
Ara Jovis Inventoris.
Caput Vici Publici.
Sacellum Volupiæ.
Ædes Junonis Sospitæ.
Pulchrum littus.

Regionis hujus ambitus adeo disjunctus diductusque fuit, ut literæ Pythagoricæ *y* effigiem præbuerit; principium enim illius extra Portam Flumentanam inter *Palatium Sabelliorum* & flumen Tiberis collocatur, unde ad angulum Aventini pergens, ubi *Schola Græca* est, in duos secabatur ramos, quorum sinister vallem, cui hodie *Circorum* nomen, complectebatur, inter Palatinum & Aventinum, ad *S. Georgii* ædem desinentem, in capite illius viæ, quæ a *Circorum valle* ad *portam S. Pauli* ducens Aventinum in duo juga distinguit. Dexter in angusta planitie inter Aventinum & Tiberim usque sub *Ædem Prioralem Equitum Melitensium* pertingebat, ubi portam fuisse diximus Trigeminam. Liquet id, liquebitque amplius, ex his, quæ Victor hic recensuit, & nos ad illa dicturi sumus.

CAP. II.

Circus Maximus, ejusque Vallis.

PRiusquam de *Circo* agamus, unde regioni nomen est, situs ejus exponendus est. *Vallem* eam *Martiam* quondam appellatam Cassiodorus indicat lib. V. epist. VII. *Sed mundi dominus ad potentiam suam opus extollens mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Martiam tetendit Augustus, ut immensa moles firmiter præcincta montibus*

A *contineret*, &c. Quem locum quum Blondus non intelligeret, male de Augusti interpretatus est *Mausoleo*: ex eoque duodecim illis, de quibus ibidem postpaullo Cassiodorus loquitur, portis emissos equos ludis Circensibus per Equiria procurrisse ad flexum proximi Circi, qui planitiem olim ac spatium *Areæ Navonæ* occupavit; quemque ipse *Flaminium* fuisse existimat. Invenit tamen hujus somnii sui laudatores Fulvium & Marlianum, nisi quod de situ Circi Flaminii a Blondo dissentiunt.

Hinc *Vallis Martia* a plerisque omnibus Antiquariis communi consensu credita est illa planities, quæ Campo Martio confinis inter Tiberim & Col-
B lem Hortulorum, interque *Ripettam* & Portam Flaminiam extenditur, donec a nostræ memoriæ Scriptoribus veritas accuratius investigata, repertaque fuit. Loquitur enim illic Cassiodorus absque ulla controversia de Circo Maximo, ejusque ludis: quapropter quam ipse vallem *Martiam* appellat, nos hodie *Circorum* nominamus.

Ceterum Bullengerus, &, qui eum sequuntur, alii nonnulli, Cassiodorum hic corruptum putant, legendumque *Murtia* pro *Martia*, auctorem laudantes Varronem lib. IV. de L. L. ubi ait: *Intimus Circus ad Murtium vocatus, ut Porcilius ajebat ab*
C *urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii dicunt a Murteto declinatum, quod ibi id fuerit, cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiamnum Murtiæ Veneris.* Accedit & Livius lib. I. *Latinis in civitatem acceptis, ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murtiæ datæ ædes.* Ingeniose, fateor: at obstat quod non solum in Cassiodoro *Martia* legatur, sed & in Claudiano lib. II. *de laudibus Stiliconis*:

—— quoties Vallis tibi Martia nomen
Ducet Aventino, Pallanteoque recessu.

Nec non in Symmacho lib. X. cap. XXII. *Malo*
D *fremitum Martiæ vallis exponere, ac illam quadrigarum distributionem*, &c. Quare vel hi quoque vitio impliciti esse censendi sunt, vel, tametsi illic locus aliquis exstitit a *Murteto Murtius* appellatus, credendum verum nomen totius vallis fuisse *Martiæ*, ab *Anco* forsan *Martio*, quum prolatis ultra Palatinum mœnibus incolendam eam acceptis in civitatem Latinis dedit, uti paulo ante e Livio habuimus. Verum utrum *Martia* an *Murtia* dicta fuerit, parum refert. Dionysius lib. III. vallem illam angustam & profundam sensim exaggeratam fuisse tradit.

In ea valle *Circus* primum ad equorum & cur-
E ruum procursum, certamenque a Tarquinio Prisco institutus fuit: non ex stabili ædificio, sed ex asseribus & tabulatis ligneis, exstructis non a Rege Tarquinio, sed ab ipsis privatis Senatoribus, Equitibusque in usum proprium. Ita Livius l. I. *Tunc primum Circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est, loca divisa Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati: spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentes pedes*, &c.

Dionysius contra lib. III. stabilem eum a Tarquinio factum asserit, sediliaque ei addita: *Idem*
F *Tarquinius primus in Circo Maximo, inter Palatinum & Aventinum montes sito, primo circumquaque operta tecto fecit sedilia: nam antea stantes spectare solebant furcis tabulata sustentantibus.* Sed hæc sententiarum diversitas facile conciliari potest. Livius enim de primis ibi celebratis ludis loquitur devictis Latinis, quum sibi quisque Foros exstruxit: Dionysius vero post illos Circum stabilem a Tarquinio exædificatum esse asserit, cui sua constat fides.


Etymon nominis egregie a Servio explicatur in

III. Georg. *Olim enim in litore fluminis agitabantur, in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum: unde & Circenses dicti sunt, quod exhibebantur in circuitu positis gladiis*. Idem ferme dicit in VIII. Æn. *Circenses dicti vel a circuitu, vel quod, ubi nunc metæ sunt, olim gladii ponebantur, quos circumibant*. Tertullianus, libro *de spectaculis*, a *Circe* venefica filia Solis originem nominis derivat: melius Varro de L. L. lib. IV. *Quod circum spectaculis ædificatus, ubi ludi fiunt, & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt*. Cui & Nonius accedit cap. I. *Circus dicitur omnis ambitus, vel gyrus, cujus diminutivum est circulus. Accius Andromeda: quod Luna circos annuo in cursu instituit*. Aliud autem nil nisi orbicularem, aut rotundam formam hac voce significari Cicero docet lib. II. de Nat. Deorum: *Cumque duæ formæ præstantissimæ sint, ex solidis globus: sic enim sphæram interpretari placet, ex planis autem circus, aut orbis*, &c.

Cur autem *Maximus* dictus sit, variæ redduntur rationes; vel quia ludi *Magni*, sive *Megalenses*, in eo edebantur; vel quia iidem *Diis Magnis* fiebant: vel tandem quia ceteris major erat & amplior.

Forma ejus accurate & prolixe a Dionysio Halic. describitur, libro eodem tertio: *Locum spectaculorum* (Tarquinius) *in triginta currus distribuit, ut Curialium quisque suo loco spectaturus sederet: quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter spectacula totius urbis pulcherrima. Longitudo enim ejus est trium stadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum; a duobus majoribus lateribus, & uno minore cingitur Euripo, qui aquas recipiat decempedali profunditate simul & latitudine: post Euripum exstructæ sunt triporticus. Imæ habent lapidea paulum scandentia, sicut in Theatris, sedilia super duplici contignatione sunt lignea. Duas majores porticus tertia minor conjungit transversim lunata specie apposita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis octo stadiorum amplitudine, capax centum quinquaginta millium hominum. Reliquum e minoribus latus, quod subdivale est, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur omnes uno clauso repagulo. Externe ambit Circum simplex contecta porticus habens officinas, & superne cellas, per quas spectatores intrant, & ascendunt per officinas singulas, ut nulla confusio exoriatur inter tot hominum millia tum venientia tum descendentia*.

Ex his Circi Maximi facies velut e tabella cognoscitur: quæ tamen ita descripta est, quemadmodum ætate Dionysii exstitit, non autem ut a Tarquinio Circus institutus fuit. Longitudo erat stadiorum trium & dimidii, id est pedum MMCLXXXVII. & dimidii: nam singula stadia conficiunt CXX. passus seu pedes, ut Plinius indicat, DCXXV. palmos nostrates DCCCXXXIII. cum parte tertia: cannas, seu perticas, nostrates CCXCI. palmos VI. uncias X. Latitudo continebat quatuor jugera: singula vero jugera secundum Plinium pedes complectebantur CCXL. seu palmos nostrates CCCXX. fuit igitur pedum DCCCCLX. seu cannarum CXXVIII. quæ latitudo & a Donato observata est. Plinius autem, qui ejusdem Circi lib. XXXVI. cap. XV. describit magnitudinem, dissentit a Dionysio, quod ad longitudinem: Circum Maximum ait a Cæsare Dictatore exstructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius; at cum ædificiis jugerum quatuor, ad sedem CCLX. millium. Sed facile conciliari possunt. Nam Plinius interius tantum spatium sine ædificiis dimensus est in longitudine, nec illam cum ædificiis conjunctim expressit, sicut fecit in latitudine. Dionysius vero totam una cum ædificiis & porticibus tam longitudinem, quam latitudinem exposuit. Spatium enim porticuum dimidium stadium occupavit, ut e latitudinis proportione liquet. Nam cum latitudo interior Plinio unius dicatur fuisse stadii, sive cannarum LXXXVIII. palmor. III. & partis tertiæ: altera vero exterior cum ædificiis quatuor jugerum, quæ cannas faciunt CXXVIII. differentia est cannarum XLIV. palmor. VI. & duarum tertiarum, qui numerus dimidio stadio convenit, nisi quod trium cannarum discrimen sit, quo longitudo a latitudine in ea proportione superatur: idque recta ratione, siquidem ab anteriore Circi parte carceres minus spatium quam porticus exigebant. Atque ita perbelle inter utrumque Scriptorem convenit, cum in latitudine Circi, tum in longitudine. Hæc enim interiore Circi spatio cannas absolvebat CCL. sedilia cannas XXII. palmos III. & tertiam: carceres cannas XIX. palmos III. & dimidium: in universum cann. CCXCI. palm. VI. & unc. X. Latitudo vero interior cann. LXXXIII. palm. III. unc. IV. sedilia utrinque cann. XLIV. palm. VI. unc. VIII. in universum cann. CXXIX. Quæ ut melius intelligantur, ichnographiam ejus hic subjecimus.



At major in explicanda hominum seu spectatorum capacitate differentia est. Dionysius enim de centum quinguaginta tantum millibus loquitur: Plinius ducenta sexaginta habet millia: Victor vero trecenta octoginta millia numerat. Cui dissensioni expediendæ alius forsan locus dabitur commodior.

Erat igitur *Circus*, ut ad Dionysium revertamur, multo longior, quam latior; cujus longitudinis principium rectum erat, extremitas autem orbicularis, instar Theatrorum, a quibus sola longitudine differebat, &, quod pro Scena habebat carceres, reliquum eodem modo porticibus cinctum, supra quas interius sedilia erant, ut in Theatris & Amphitheatris lapidea gradatim ascendentia, quemadmodum hodieque ex eorum vestigiis liquet in Amphith. Titi. *Carceres* vero fornicati erant, quibus equi continebantur. Varro lib. IV. de L. L. *Carceres dicti, quod coercentur equi, ne*

A *inde exeant, antequam Magistratus signum misit. Ennius eos oppida appellavit*, inquit idem Varro, *quod a muri parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit Poeta: Dictator ubi currum insidit, pervehitur usque ad oppidum.*

Erant hi in *duodecim portas* distincti, quæ, teste Cassiodoro in epist. superius indicata, clausæ obicibus funibus sustentatis, quamprimum signum datum esset, admirabili artificio e vestigio omnes simul aperiebantur. Puto tamen mediam Circi partem, inter carceres, qua introitus erat, apertam fuisse, detectamque, ut introitus alicujus esse solet areæ: nam per hoc spatium pomparum solemnium accessus erat. Tum vero scire percupiam, B utrum duodecim illæ portæ totam absolverint Circi latitudinem, an vero tantum dimidiam: quod si totam, quum spina medium Circum diviserit, currus illos, qui ab diverso angulo eam superare debebant, multo pejore conditione fuisse necesse est, quam qui signo dato recta procurrebant: nisi forte utrinque recta decursum, & currus sibi invicem obvii fuere: quod tamen asserere non ausim. At si alteram tantum partem occupaverunt, quid altera factum? num & illic duodecim instructæ portæ? an vero missus nunc ab hac, nunc ab illa parte Circi fiebant? Nam hoc certum est, C quaternos tantum currus singulis vicibus procurrisse, cujusque factionis singulos. Ita Servius ad illa III. Georg.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Olim, inquit, XXV. *missus fiebant*, &c. quare solas quaternas singulis vicibus portas aperiri solitas hinc inferre licet. Quod si vero viginti quatuor fuere portæ sex vicibus cunctæ aperiebantur, scilicet ab utraque parte ternis vicibus. Contra, si duodecim in tota tantum fuere Circi latitudine, quaternæ simul aperiri non potuerunt. Spatium vero latitudinis, quod cannarum fuit LXXXIII. nostratium, D etiamsi si sex septemve demantur introitui datæ, & spinæ, quæ Circum medium dividebat, satis capax XXIV. portarum fuit, imo & plurium. Sidonius tamen XII. tantum fuisse indicat, in Narbone, ubi Circum ita describit:

Tum qua est janua, Consulumque sedes,
Ambit quam paries utrinque senis
Cryptis, carceribusque fornicatus.

Portæ igitur in universum fuere XII. & forsan E senæ ex his tantum singulis missibus apertæ singulis dicatæ factionibus: nam pristinis quatuor duæ post accesserunt a Domitiano additæ, *aurata* & *purpurea*, ut est apud Sueton. Domit. cap. VII. Nihil tamen ea de re certi habeo, quod afferam: quare diligentiori certiora curæ permitto.

Inter porticus & trium laterum vacuum spatium, sive arenam, *Euripus* erat, seu fossa denum pedum altitudinis & latitudinis, sive palmorum nostratium XIII. & tertiæ. Hujus auctor Cæsar Julius fuit, teste eodem Suetonio cap. XXXIX. *Circensibus spatio Circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito*. In eo crocodili, aliaque F animalia aquatilia occisa; pugnæque editæ navales. Quin & e Lampridio omnibus ferme Antiquariis observatum, Elagabalum, ut in eo certamen navale ederet, vino illum replesse: *Fertur in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse*. Sed Lampridius non de Circi Euripo quidquam certi exprimit; verum simpliciter de *Euripis*, qui & alibi excavari potuere. Tum & ludi hi navales Circenses forte soli navium procursus, ut in Circo quadrigarum fuerunt; non autem navalia certamina. Quod de crocodilis supra diximus, e Plinio constat, qui lib. VIII. cap. XXVI. de Scauro ait, Euripum ipsum ad tempus excavasse, in quo illos exhibuerit: *Primus hippopotamum & quinque crocodilos Romæ ædilitatis suæ ludis M. Æmilius Scaurus temporario Euripo ostendit*. Cæsar autem non in eum usum aliumve similem Euripum addit, sed ne elephanti Circo inclusi populum turbarent, si forte erumpere conarentur: eademque de Causa Circum quoque ampliavit. Non diu tamen Euripus ille durasse videtur. Idem enim Plinius lib. VII. cap. VII. ait: *Universæ eruptionem tentavere, non sine vexatione populi circumdati clathris ferreis. Qua de caussa Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus, Euripis arenam circumdedit, quos Nero Cæsar sustulit, equiti loca addens*. Videtur tamen Cassiodorus l. III. epist. LI. significare, *Euripos* in sua usque tempora perdurasse: *Euripus*, inquit, *maris vitrei reddit imaginem; unde illic delphini æquorei aquas interfluunt*. Verum utrum alius de novo factus sit, an vero Cassiodorus non tam Circum sui temporis, quam priscum sub primis Imperatoribus descripserit, alieno diiudicandum arbitrio relinquo. Tandem aquam Euripis immissam, stagnantem deinde, & quæ finitis ludis rursum exhausta sit, existimo; non autem aquam vivam, fluentemque, ad quam inducendam aquæductu, vel tubulis, non sine ingenti sumtu, opus fuisset.

Pars Circi exterior, seu convexa, simplici, teste Dionysio, *porticu* ambiebatur: in quo *officinæ* seu *tabernæ* erant: & in superiore parte *cellæ*, per quas absque impedimento in Circum aditus erat. Ita & Tacitus lib. XV. Annal. Neronianum incendium incepisse ait *in ea parte Circi, quæ Palatino Cœlioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul cœptus ignis, & statim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit*. At si exteriora porticus, interiora vero sedilia aperta, vel tecta contignationibus, occupavere, quis tabernis & cellis locus? Quod si namque porticus simplex extrinsecus in plano solo fuerit, tabernas intra porticum fuisse consequitur, supraque eas posita sedilia. Cellas vero superiores, quæ sine dubio spectantibus non fuerunt impedimento, in suprema parte credo porticus constructas exterioris: contra quam Pyrrhus Ligorius sensit, ut e delineatione ejus apparet: habeoque auctorem in hanc sententiam Dionysium, quum ait: *Externe ambit Circum simplex contecta porticus habens officinas, & superne cellas*, &c.

Primus itaque *Circum* ædificavit Tarquinius: unde ab aliis perfectus, ornatusque est. Sic Livius lib. III. decad. IV. *L. Stertinius de manubiis fornicem in Maximo Circo fecit, & signa aurata imposuit*. Apud eundem lib. I. decad. V. legas: *Carceres in Circo, & Ova ad notas curriculis enumerandas, & dam, & metas trans caveas ferreas pe * intromitterentur*. Hæc ait a Censoribus facta. Cæsar dein, ut vidimus, *Circum* ampliavit, & Euripum addidit; ab Augusto vero eum exædificatum epistola superius indicata Cassiodori docet: restitutum saltem, ornatumque Panvinius existimat, ex antiqui numismatis Augustei indicio, in quo *Circus* expressus. Verum Cassiodorus novum fuisse ædificium satis clare exponit. Tum & Obeliscum ab eodem Augusto insigni opera & impensa ex Ægypto in Circum delatum constat: unde & Circum in numismate exhibitum existimo: quod forte, vel ipsa etiam Julii Cæsaris ædificatio, Cassiodorum in errorem induxit, ut Julii opus Augusto adscriberet. Sed hæc res tanti non est. De Claudio porro Suetonius ait cap. XXI. *Circo Maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina, ac lignea antea fuerunt, exculto, propria Senatoribus con-*

ſtituit loca, promiſcue ſpectare ſolitis. Incendio poſtea Neroniano conſumtus, reſtitutus eſt, a Veſpaſiano, an a Domitiano, incertum: huic tamen potius tribuerim cum ob animum in ædificando magnificum & promtum; tum quod ſpectaculis Circenſibus valde delectatus ſit, & ludos ſeculares ediderit, *quibus, quo facilius ſeptem miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptimis ſpatiis ad quina revocavit*. Sed quidquid hujus fuerit, de Trajano certum eſt. Ita enim de illo Dio: *Circum collapſum ampliorem atque elegantiorem reſtituit, quod ideo ſe feciſſe inſcripſit, ut populum Rom. capere poſſet*. Suetonius autem in Domitiano, principatu Trajani, vel Hadriani, non collapſum ſed incendio conſumtum dicit. *Fecit*, inquit de Domitiano, *Naumachiam, e cujus poſtea lapide Circus Maximus deuſtis utrinque lateribus exſtructus eſt*. Utrum vero id incendio factum fuerit Neroniano, an quo alio exteriore, non exprimit. De ampliatione ejus hæc ſunt Plinii Cæcilii in Panegyrico: *Hinc immenſum latus Circi templorum pulchritudinem provocat. Digna populo victore gentium ſedes, nec minus ipſa viſenda, quam quæ ex illa ſpectabuntur; cui locorum quinque millia adjeciſti*: pro quo ego, niſi audacior videatur conjectura, lubens *quinquaginta millia* reponam: ſiquidem, cum prius Circi ſpatium CCLX. millium capax fuiſſe Plinius dixerit, quinque millia, quæ necdum totius ſummæ pars eſt quinquageſima, exiguum priori addidiſſent ſpatio incrementum, neque laudem illam merita fuiſſent, quam Plinius de more Rhetorum ex hoc captavit argumento: quin potius exclamatio illa ejus riſu cum ab ipſo Trajano, tum a ceteris fuiſſet excepta auditoribus: & ipſa Trajani inſcriptio, ampliaſſe ſe Circum, ut pop. Romanum capere poſſet, non alium feciſſet, quam deriſionis, exitum. Tandem cum nuſquam Circus poſt Trajanum a quoquam notabiliter auctus ampliatuſque legatur, *quinquaginta millium* numerus prioribus CCLX. mill. additus magis illi alteri CCCLXXXV. millium a Victore notato numero convenit, quam *quinque millium*, quæ nunc in Pliniano occurrunt Panegyrico. Hinc diverſitatis numeri apud Dionyſium, Plinium, & Victorem apparet cauſſa, nimirum varia Circi ſub diverſis Imperatoribus ampliatio, & incrementum, per reſtituendi occaſionem occœpta: uti in ſublato a Nerone Euripo, ut equitibus plus ſpatii eſſet, & Trajani dilatatione vidimus. Atque hæc quidem hactenus de ſuſpecto vitii Plinii loco. Ruinæ Circi ſub Antonino Pio Capitolinus his verbis meminit: *Adverſa ejus temporibus hæc provenerunt, fames, de qua diximus, Circi ruina*: quem tamen ab eodem Imperatore refectum redintegratumque Donatus exiſtimat. Ego vero Antonino Philoſopho, ſucceſſori ejus id laudis tribuerim, cujus numiſma *Circum* nobis exhibet, apud Ant. Auguſtinum Dial. IV.

Explicato ad hunc modum vetere *Circi* ſitu ac forma, priuſquam ad ſpecialia quædam tranſeamus, nonnulla de reſiduis ejus veſtigiis dicenda videntur. Si quis igitur attento animo ac vultu ingentem illam *Circi vallem* conſideraverit, ejuſque formam fundi ovalem perſpexerit, qui nunc in hortos diviſus eſt, facile vetus ejus ſpatium agnoſcet. Tum oculis ad latera Circi verſus *S. Anaſtaſiæ* eccleſiam directis, reliquiæ arcuum lateritiorum occurrent, illi conjunctorum, qui priſci Circi fuerunt. Ita extrema vero valle, ubi horti deſinunt, trans viam, quæ ad *S. Gregorii* tendit, fragmenta quædam viſuntur gyri ultimi, ſeu lunati, ut eum Dionyſius appellat, unde illic Circum deſiiſſe liquet: ſicut carceres ad *S. Anaſtaſiæ* fuiſſe perſpicuum eſt. Porro ſecundum totam viam, & ab utroque longitudinis latere varia fornicum fragmenta occurrunt ejuſdem formæ ac operis, unaque ſerie ac verſu: tum & graduum veſtigia, per quos ad prima adſcendebatur ſedilia, quæ anteriora & humiliora detectaque fuere. Tandem luminibus verſus Palatinum reflexis ingentia *Majoris Palatii* dicta rudera non ſine aliquo intuentium animi dolore ſeſe offerunt, in ſpeciem porticus longæ & anguſtæ, a medio Palatino verſus Cœlium porrectæ, reliquiæ altioris Circi partis, in qua ſedilia erant tecta, ligneaque.

Non me fugit alienum a vero quibuſdam viſum iri, quod Circum ita cum Palatino conjunctum fuiſſe adſtruam, ita ut ne via quidem ulla interceſſerit: præſertim cum abſque hac adiri ab ea parte non potuerint ſtructæ ſub arcubus tabernæ. Verum utut ea ſe res tempore habuerit liberæ Reip. & ſub primis Imperatoribus, ſub quibus Dionyſius Hiſtoriam ſuam ſcripſit, Trajani certe principatu, quum ab eo Circus ampliaretur, fieri vix aliter potuit, quin in Palatinum uſque collem promoveretur: fornicibus ſcilicet ſuper ipſam viam ſtructis, qua antea a Palatino disjungebatur.

Videntur id ipſum verba illa indicare Caſſiodori: *Immenſa moles firmiter præcincta montibus*: quæ ſi quis attente conſiderarit, animadvertet, Caſſiodorum de Palatio agere Auguſtali in monte Palatino in altiſſimam excelſitatem exſtructo, & in vallem ſupra Circum uſque producto. Quod & mappæ miſſio arguere videtur: de quo ritu idem Caſſiodorus lib. III. epiſt. LI. *Mappa vero, quæ ſignum dare dicitur Circenſibus, tali caſu fluxit in morem. Cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut aſſolet, avidus ſpectandi populus flagitaret, ille mappam, quæ tergendis manibus utebatur, juſſit abjici per feneſtram, ut libertatem daret certaminis poſtulandi. Hinc tractum eſt, ut oſtenſa mappa certa videatur eſſe promiſſio Circenſium futurorum*. Veriſimilius namque eſt Neronem in Palatio tum temporis, cum in Circo feneſtræ non fuerint, per quas mappa mitti potuerit, ſed arcus tantum aperti. Et hæc quidem hujus ritus origo certior mihi videtur, quam quæ apud Cedrenum exſtat inferioris ævi Scriptorem. *Mappulæ nomen*, inquit ille, *Romæ tali de cauſſa uſurpatur. Mos erat, ut Coſſ. in Theatro epularentur, ac poſtquam ſaturati convivio erant, mantile, quod manibus tenebant, quod & mappa dicitur, projicerent, idque is, qui ab ea re Mapparius dicitur, arripiens certamen adornabat*.

Sed & ſpecies ſeu forma reſiduorum arcuum non aliud perſuadent, quam partem ipſos Circi fuiſſe: anguſtæ enim fuere porticus, & altæ, expoſitæque conſpectui hominum, & paulo ſupra dimidiam ſuæ altitudinis partem frequentibus e ſaxo epiſtyliis inſtructæ, ad recipiendas ſcilicet trabes, quibus tabulata imponerentur, ſiquando id major populi frequentia exigeret. Quod ſi quis porticum illam fornicatam fuiſſe objiciat, Dionyſium vero de contignationibus loqui, quibus tabulata impoſita ſint, is diſtinguat oportet, inter Circum a Julio Cæſare, & hunc, de quo nos nunc agimus, a Trajano, vel ſaltem Antonino, ædificatum; quem porticus fornicatas habuiſſe veriſimile eſt, quo ab incendiis tutiores forent. Sunt præterea & cellæ in hac porticu colli contiguæ, nec ullum tamen in his viſitur feneſtræ veſtigium, unde omne illis lumen, idque malignum adhuc, non parte collis, ſed a parte porticus illuxiſſe appareat.

Has vero *cellas* fuiſſe exiſtimo, nocturnis tantum uſibus aptas, ideoque lupis ac lenonibus deſtinata lupanaria: ut eſt apud Juvenalem Sat. III.

Et ad Circum juſſas proſtare puellas.

Quas cellas ante lucem deserebant. Sic idem Satyricus:

Mox, lenone suas jam dimittente puellas,
Tristis abit: sed, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, &c.

Quare Dio, quum lib. LX. de Lupanari Messalinæ Palatino agit: *Messalina vero adulteriis & stupris non contenta (jam enim in Lupanari in Palatio sese, & alias primarias feminas prostituebat)* &c. vix nisi de his Circi cellis loqui videtur Palatio vicini: sic ut jam ætate Claudii Circus Palatio contiguus fuerit.

Idem & amplitudo Circi, a Dionysio & Plinio indicata, adstruit. Stadium enim, id est perticæ LXXXIII. & amplius arenæ, quatuorque jugera, quæ CXXVIII. cannas, seu perticas, faciunt, una cum porticibus tantum occupant loci, ut nihil huic ferme valli ad ampliandum Circum spatii superfuerit, adeoque Trajanus aliunde illud, id est e proximo Palatino, petere debuerit.

Non tamen totum eo ex latere Circum cum Palatino conjunctum existimo, sed eam tantum illius partem, quæ Cœlio obversa fuit, qua collis Palatinus in latitudinem se majorem exporrigit: illam vero, quæ versus *S. Anastasiæ* vergit, a colle discessisse, qui ibidem in angustias recedit. Ad hunc modum igitur cum solo Palatio unitus Circus fuit, & ædificium, quod illic conspicitur ovatum, & a nonnullis male *templum* fuisse *Apollinis* creditur, pars Palatii exstitit. Sub *cellis* illis, de quibus supra, obscuris arcus & porticus erant, per quos Circus recte adibatur: qui si ab utroque latere clausus fuisse dicatur, quod vix puto, non adeo absurdum censeri debet, quia per medium Circum, velut per aream aliquam, libere transibatur. Hinc Nero e Græcia redux, urbemque ob victoriam cantu partam triumphali pompa ingressus, per Circum transiit, in quo arcum, ut pompæ laxius spatium esset, disjecit. Suetonius cap. xx. *Debinc diruto Circi Maximi arcu per Velabrum, Forumque, Palatium & Apollinem petiit.*

Spatium Circi, qua in longitudinem porrigebatur, exceptis utrinque extremitatibus intermedia *spina* divisum fuit: circum quam curricula fiebant, & in qua multa notatu dignissima visebantur.

Ab utroque enim ejus termino *Metæ* erant, in speciem cupressorum effictæ: unde Ovidius lib. x. Metam.

—— metasque imitata cupressus:

quarum rotunda inferius figura sensim in acumen desinit. Proxime has *Metas* currus agebantur, ut e Varrone superius vidimus. Hinc & Horatius lib. I. od. I.

—— metaque fervidis
Evitata rotis. ——

Quæ ad victoriam obtinendam septies circumeunda erat, teste Cassiodoro: at in secularibus Domitianus apud Sueton. cap. IV. septenarium ad quinarium reduxit.

Metarum materia lignum erat. Primus eas inauravit Claudius Cæsar, teste Sueton. cap. XXI. Singulæ vero ternis verticibus distinctis eminebant, ut idem Cassiodorus indicat.

Erat ibidem & *malus* olim erecta, ad instar nauticæ, ut puto: at quem in usum, ignoro. Livius lib. IX. decad. IV. *Malus in Circo instabilis in signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit.* Pro hac Augustum Obeliscum erexisse Donatus existimat, quem in medio fuisse Circo vel ex ipsis ejus apparet numismatibus.

De *Obelisco* hæc sunt Plinii lib. XXXVI. capit. IX. *Is autem Obeliscus, quem Divus Augustus in Circo magno statuit, excisus est a Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum & dodrantis, præter basim ejusdem lapidis.* Meminit ejusdem & Ammianus lib. XVII. *Augustus Obeliscos duos ab Hieropolitana civitate transtulit Ægyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio.* Obeliscum hunc Fulvius & Marlianus non erectum esse ab Augusto dicunt, verum in ipso conatu diffractum ita semper usque ad memoriam suam in terra jacuisse. Unde hanc illi fabulam acceperint nescio: sed cum e Plinii verbis, *quem Divus Augustus in Circo magno statuit*; tum his Ammiani, *quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio*, satis clare ac perspicue erectos eos esse constat. Nec aliud numisma Augusti, in quo Circus cum erecto in eo Obelisco expressus est, credere jubet. Verisimile vero est postea longa ævi vetustate collapsum fractumque esse: unde *Constantinus* & *Constantius* alterum integrum ex Ægypto in ejus locum transvehendum curarunt. Erat hic, si qua Ammiano fides lib. XVII. multo major & altior; quem Augustus vel nimia ejus mole deterritus, vel religione, quod Soli sacer esset, impeditus, transferre non sustinuit: Constantinus autem per Nilum Alexandriam devexit, &, ut eum Romam deportaret, navem enormem trecentorum remorum construxit. Illo interea fatis functo, Constantius mari illum Tiberi invexit: hinc in terram expositus *aufertur in vicum Alexandri tertio lapide ab urbe sejunctum: unde chamulcis impositus, tractusque lenius per Ostiensem portam, Piscinamque publicam Circo illatus est Maximo:* in quo & erectus est. Atque ita de duobus a Victore annotatis *jacet alter, alter erectus*; ille Augusti, hic Constantii: cujus inscriptionem literis Hieroglyphicis idem Ammianus ex Hermapionis, qui verterat, Græcis Latine transtulit. Hic idem ille esse fertur Obeliscus, qui hodieque ante Basilicam *S. Joannis in Laterano* visitur: alter vero Augusti in *area Populi*, seu ad portam Flaminiam; uterque a Sixto V. erectus, ut in vita ejus Ciccarellus tradit, qui eos e *valle Circensi* erutos affirmat. Verum neutrum eorum integrum esse ex eo liquet, quia Augusteus CXXV. pedum fuit, ad quam altitudinem ille ad portam Flaminiam non assurgit: alter vero Lateranensis, qui altior esse debebat, priore minor est. Tum uter Augusti fuerit, æque mihi incertum videtur: nam licet inscriptio basis Obelisci Flaminici Augusti nomen ferat, quum tamen ambo in terra disjecti fractique reperti fuerint, neutri basis conjuncta esse potuit. Contra Obeliscum illum Campi Martii fuisse horologii gnomonicum inscriptio indicio est, nullatenus ab illa differens, quæ ad *S. Laurentii in Lucina* fuit, a Fulvio descripta.

Prior ex his in Circo *Soli dicatus*, ut Tertullianus lib. de spectaculis: *Obelisci enormitas, ut Hermoteles affirmat, Soli prostituta, scripturæ ejus, unde & census, de Ægypto superstitio est.* Meminit & alterius Lunæ dedicati Cassiodorus. Pyrrhus Ligorius in delineatione Circi, e marmoribus, ut ait, & nummis observata, quatuor eum columnis imponit.

Ad majorem Obeliscum medio Circo *ædicula Solis* erat, cujus effigies fastigio ejus imposita late fulgebat. Ita enim Tertullianus: *Circus Solis principaliter consecratur: cujus ædis medio spatio, & effigies de fastigio ædis emicat, quod non putaverunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent.* Non erat autem ædes hæc nisi sacellum: aliud enim angustiæ loci non admittebant. Meminit ejusdem & Tacitus lib. XV. *Propriusque honos Soli, cui est vetus ædes*

apud Circum. Nisi hoc aliud templum extra Circum fuit; quemadmodum Panvinius sensisse videtur, qui præter sacellum, quod ipsi *ædicula Solis in Circo*, *ædem* quoque *Solis* commemorat. A

Plurimas hic Deorum fuisse statuas columnis impositas Livius docet lib. x. decad. iv. *Tempestas signa in Circo Maximo cum columnis, in quibus superstabant, evertit:* quæ utrum in spina, an in interiore Circi ambitu fuerint, difficile explicatu est. Nam in ipsa area si fuissent Circi, curribus in procursu sine dubio obstitissent.

Inter illa signa *Deæ Pollentiæ* statua fuit, de qua supra e Livio, qui & addit: *Ea religione & duo signa pro uno reponenda, & novum auratum faciendum*: quæ duo utrum ejusdem Deæ, an vero alterum auratum alterius numinis fuerit, in medio relinquo. B

Idem Livius *trium* quoque *æreorum signorum Cereris, Liberi*, & *Liberæ* meminit lib. iii. decad. iv. *Ludi Romani eo anno in Circo, scenaque ab Ædilibus Curulibus Cornelio Scipione & C. Manlio Volsone, & magnificentius quam alias facti*, &c. *ex argento mulctatitio tria signa ærea Cereri, Libero, & Liberæ posuerunt*. Potuerunt tamen illa in ipsorum templo posita fuisse, quod ipsis ad Circum exstructum legitur.

De *Columnis Sessiis, Messiis*, & *Tutelinis*, Tertullianus eodem libro habet *de spectaculis*: *Columnas Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutelis fructuum sustinent: ante has tres aræ Diis patent magnis, potentibus, volentibus: eosdem Samothracas existimabant*. C

Utrum vero columnæ hæ nudæ fuerint, an signis adornatæ, ut ceteræ plures, Tertullianus indicare neglexit: at si sustentandis signis inservierunt, plura ejusdem numinis fuisse in Circo signa verisimile est, quantum e *Pollentiæ* exemplo conjicere est. De his forte accipienda sunt illa Plinii lib. xvii. cap. ii. *Sejam a serendo, Segestam a segetibus appellabant, quarum simulacra in Circo videmus. Tertiam ex iis nominare sub tecto religio est*. An in spina illa fuerint, an vero alibi, incertum est: saltem de tribus aris vicinis existimandum, illas alibi locum habere non potuisse, ne Curulibus certaminibus forent impedimento. D

Proxime Euripum *Matris Deum statuam* fuisse clare Tertullianus exprimit: *Frigebat Dæmonum consilium sine sua Matre Magna. Ea itaque illic sic præsidet Euripo*.

Signum, vel templum etiam *Murtiæ* vel in Circo fuit, vel in ejus vicinia. Idem Tertull. ibid. *Murtia quoque idolum fuit: Murtiam enim Deam amoris volunt, cui in illa parte ædem vovere*. Verum utrum per voculas *in illa parte* interiora Circi, an propinqua intelligat, id est, urbis illam partem, dubium est. Apud Varronem lib. iv. legas: *Alii dicunt esse a Murteto declinatum, quod ibi id fuerit: cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiæ Veneris*. Ubi & vocula *ibi* ambigua est. Plinius vero lib. xv. cap. xxix. folius *aræ* meminit: *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant*. Festus in *Sellæ* plus confert lucis: *Sellæ Curulis locus in Circo datus, ut Valerio Dictatori, posterisque ejus honoris causa, ut proxime sacellum Murtiæ spectarent, unde adspiciebant spectacula Magistratus*. ubi vocula *proxime* sat clare sacellum Murtiæ intra Circum fuisse arguit, quia illic locus fuit spectantium ludos Magistratuum. E F

Ara Consi sub terra fuit ad primas metas. Tertullianus ibidem: *Consus apud metas sub terra delitescit*. Varro lib. v. *Et in Circo ad aram ejus ab Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ*. Idem & Dionysius ait lib. i. Ludis illis ara hæc excavata terra detegi solebat, ut est apud Plutarchum in Romulo, qui & hoc addit, inventam eam a Romulo sub terra: forte, quum ad designanda mœnia sulcum aratro duceret, inventa illa fuit, quæ olim fuisse, ubi post in Circo ara hæc reperta est, Tacitus refert. Ludos hosce a Romulo institutos in honorem Neptuni equestris Livius auctor est lib. i. Dionysius tamen, quamquam de ludis idem dicit, aram Genio cuidam a Neptuno diverso consecratam tradit. Fulvius & Marlianus memoria sua ædiculam retro *S. Anastasiæ* detectam ajunt, ipsis Circi fundamentis inclusam, & variis conchis marinis, lapillisque varie dispositis, absque ulla, nisi unius aquilæ candidæ ex iis conchyliis in testudine constructæ, imagine exornatam: unde illud *Neptuni* fuisse *templum* existimant. Sed quoniam Neptuno nil cum aquila negotii est, cujus id fuerit, cuivis dijudicare liberum esto.

Inter cetera Circi ornamenta *Ova* quoque numerantur, Castori & Polluci sacra; nec non *delphini* Neptuno dedicati. Tertullianus: *Singula Circi ornamenta singula templa sunt: Ova honori Castorum adscribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt: delphinos Neptuno vovent*, &c. Quæ cuncta ubi locum habuerint, & qua de causa posita, vix explicari liquido potest. Nec minus obscura sunt illa Dionis lib. xlix. *Et in Circo, quum videret* (Agrippa) *errare homines propter multitudinem metarum, delphines & ova ta opera posuit, quibus cursuum circuitiones & conversiones ostenduntur*. Opera hæc ovata non fuisse *Ova* illa, quæ a curru decertantibus in Circo ad indicium numeri gyrorum, quos absolverant, oblata Cassiodorus tradit, tam certum est, ut extra omnem sit dubitationem: non enim inventa illa ab Agrippa, verum multo esse vetustiora ex Livio constat lib. ii. dec. v. licet ibidem corrupto. Tum & Tertullianus de *Ovis* Circum exornantibus loquitur. *Delphinos* idem in Euripo natantes describit: ubi quo pacto gyros decurrentium indicare potuerint, non capio. Fortean in fastigio metarum constituti fuere delphini, vel in re alia aliqua volubili, ut sunt aplustria: qui prout huc illuc verti fuere, qua parte Circi currus exire aut quo procurrere deberent, significaverunt. Id enim sibi extrema illa verba, *quibus cursuum circuitiones & conversiones ostenduntur*, velle videntur. Sed in re tam obscura pluribus supersedendum existimo.

Fuit & *ædicula Juventutis* in Circo. Livius lib. vi. decad. iv. *Juventutis ædem in Circo Maximo C. Licinius Duumvir dedicavit. Voverat eam sedecim annis ante M. Licinius Consul*. Quæ forte ædes in ambitu Circi fuit exteriore, ad exemplum illarum, de quibus supra in Circo Flaminio actum.

Area Circi a Caligula *minio* & *chrysocolla* strata fuit: item *chrysocolla* a Nerone, ut est apud Suetonium cap. xviii. Calig. & Plinium lib. xxxiii. cap. v. Fulvius & Marlianus *chrysocollam* lapidem dicunt auri colore esse, eumque in aurifodinis reperiri. Acceperunt id fortassis ex Isidoro, qui lib. xvi. cap. xiv. Etymol. ait; *Chrysocolla gignitur in India, ubi formicæ eruunt aurum: est autem auro similis, & habet naturam magnetis, nisi quod augere aurum traditur, unde & nuncupatur*. At Plinius non de Indica locutus est chrysolocolla, ut liquet ex his ejusdem verbis: *Chrysocolla humor est in puteis, quos diximus, per venam auri defluens crassescente limo rigoribus hybernis usque in duritiam pumicis. Laudatiorem eandem in ærariis metallis, & proximam in argentariis fieri compertum est. Invenitur & in plumbariis, vilior etiam auraria*. Mox autem colorem describens subnectit: *Summæ commendationis est, ut colorem herbæ segetis læte virentis quam simillime reddat*. De eodem Isidorus quoque agit l. xix. c. xvii. *Chrysocolla colore*

A *colore prasino est dicta, quod vena ejus habere aurum traditur. Hæc & in Armenia nascitur: sed ex Macedonia probabilis venit: foditur enim ex metallis æris, cujus inventio argentum atque indicium prodit: nam venæ ejus cum iis habent naturæ societatem.* Unde liquet *chrysocollam* idem esse quod æris viride.

Tandem *Circum Maximum* a Constantino restitutum, ornatumque esse Sex. Aurelius refert libro *de Cæs.* in Constantino: *a quo etiam post Circus Maximus excultus mirifice*, &c.

In Circo *venationes* ferarum aliquoties exhibitas, præter Plinium, ubi de elephantis agit, Gellius docet lib. v. cap. xiv. ubi leonis & Androdi historiam

B exponit. Spartianus in Hadriano: *In Circo multas feras, & sæpe centum leones interfecit.* Eusebius in Chronicis de ludis secularibus Philippi Imp. agens: *Bestiæ in Circo magno interfectæ*, &c. Insignis præter ceteras illa Probi Imp. venatio fuit, de qua Vopiscus: *Venerationem in Circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitus vulsæ nexis late longeque trabibus affixæ sunt: terra deinde superjecta, totusque Circus ad sylvæ consitus speciem gratia novi viroris effronduit*, &c. De tigribus sub Honorio hæc Claudiani sunt in sextum ejus Consu-

C latum:

Nec solis hic cursus equis: assueta quadrigis
Cingunt arva tigres, subitæque adspectus arenæ
Diff undit Libicos aliena valle cruores.

Sed & aliud fictæ pugnæ spectaculum idem mox ibidem describit:

Hic & belligeros exercuit area lusus.
Armatos hic sæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfusosque recursus,
Et pulchras errorum acies, jucundaque Martis
Cernimus, insonuit cum verbere signa magister.

D Præbitum vero hoc in Circo erudite docet Josephus Scaliger in Isagoge ad Manilium, cujus sententia ab aliis male rejicitur, qui in Campo Martio id factum volunt, cum vocula *hic* a Claudiano adhibita Circum, de quo egerat, manifeste indicet.

Mularum quoque hic decursus fuit festo Consualium. Festus: *Mulis celebrantur ludi in Circo Maximo Consualibus.*

Circum Intimum non alium fuisse, quam *Maximum*, quippe unicum intra murorum urbis ambitum, clarissime e Varrone liquet lib. iv. *Intimus Circus ad Murtium*, &c. Quare non possum non

E hic a Panvinio dissentire, ceterisque, qui diversum putant; forte quia Varro paulo ante *Maximum* nominat, ac si rem eandem pluribus locis non diversis potuerit nominibus appellare. Situs enim *ad Mutrium* nimisquam manifestum ejus indicium est.

In exteriore aliqua Circi parte *crepido* fuit ex lapide albo; in qua cineres Tribunorum militarium conditi, qui bello cum Volscis interierant, & in Circo cremati fuerant. Festus lib. xv. *Nauti Consulatu, & T. Sicini, Volsci populi cum atrox prælium iniissent adversus Romanos, Trib. Mil. in Circo combusti fuerunt, & sepulti in crepidine, quæ est proxime Circum,*

F *qui locus postea fuit lapide albo constratus. Qui pro Rep. in eo prælio occubuere, Opiter Virginius Tricostus, Valerius Levinus, Postumius Cominius Auruncus, Manlius Tolerinus, P. Veturius Geminus, A. Sempronius Atratinus, Virginius Tricostus, Mutius Scævola, Sex. Fusius Medullinus.*

Secretarii Circi mentio exstat in Symmacho lib x. epist. XLIII. *Quod cum sibi Fulgentius C. V. auctor contumeliæ meæ me invidiosum putaret, ad Circ. Secretarium convolavit, facti illiciti volens præstare rationem, quod sibi metum fuisse dicebat, ne officii subornaretur impulsu.* Sed quum ex his ipsis verbis locus esse appareat judicii, non autem in aliquem destinatus usum Circi, uti lib. iv. de *Secretariis* ostendimus, non nisi a vicinitate Circi nomen hoc accepisse videtur.

CAP. III.

Reliqua duorum ramorum hujus Regionis sub Aventinum.

De templis Circo vicinis unum illud fuit, cujus jam supra facta mentio, *Liberi, Liberæ, & Cereris*. De eo Tacitus lib. ii. Annal. *Deum ædes vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto Tiberius dedicavit Libro, Liberæque, & Cereri, juxta Circum Maximum, quas Posthumius Dictator voverat.* Ubi, quod plurali numero utatur, plures una fuisse videntur. Unicam tamen ædem a Postumio Dictatore *Baccho, Cereri, & Proserpinæ* votam, ædificatamque Dionysius auctor est lib. v. Quæ *Proserpina* eadem est quæ Taciti Dea *Libera*: tametsi *Liberam* dictam Cererem, aut Venerem, Augustinus afferat lib. vii. cap. iii. de Civ. D. ad quem Vives addit, *Liberam* lunam fuisse, ita dictam, quod Proserpina Bacchi, qui & *Liber* appellatur, socia fuerit. Claudianus de raptu Proserpinæ.

Ecce simul ternis Hecate variata figuris
Exoritur, lenisque simul procedit Jacchus. &c.

Idem & Placidius in i. Thebaidos Statii affirmat. Quin & utrumque numen σύμβωμον fuisse, id est una ara cultum, erudite a Scaligero docetur in Hypercritico. Columella lib. xii. cap. xviii. utrique ante vindemiam sacra facta docet: *Tum sacrificia Libero Liberæque & vasis pressoriis quam sanctissime castissimeque facienda.* Eandem ædem tertio post anno dedicatam a Sp Cassio Cos. idem Dionysius refert lib. vi. *Interim alter Consulum Cassius Romæ manens consecravit ædem Cereris & Proserpinæ, quæ est prope terminos Circi, pro civitate contra Latinos pugnaturus: Senatusque totum illud ædificium ex manubiis faciundum sanxit.* Ubi forte nulla Bacchi facta mentio est, quia simul cum Proserpina colebatur. Forsan & in duas cellas divisum templum fuit, quarum altera Cereri cesserit, altera Libero & Liberæ: eademque de causa pluralis ædium numerus a Tacito usurpatus est. Quidquid autem hujus fuerit, cum juxta Dionysium prope Carceres fuerit, in eo sine dubio loci spatio exstitit, quod hodie inter ædem *S. Anastasiæ* & Montem Aventinum interjacet.

Vicina ei *ædes Floræ* fuit. Ita enim Tacitus pergit: *Eodemque in loco ædem Floræ ab L. & M. Publiciis Ædilibus constitutam;* qui sine dubio eo in loco illam ædificarunt, ubi vicum Publicium ad ima Palatini constitutum fuisse in viii. dixi regione: ubi & *Clivi* itidem *Publicii* appellati principium fuit, per quem Aventinus adibatur, ut in regione xiii. exponetur. In parte hujus Clivi ædem hanc sitam fuisse Ovidius lib. v. Fastorum auctor est.

Parte locant Clivi, qui tunc fuit ardua rupes;
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.

Hinc eandem extrema parte areæ, quæ nunc est, positam fuisse verisimile est, quæ uti prima ruinis expleta & complanata fuit, ita & principium ascensus exstitit.

Fit & alterius *Cereris ædis* mentio a Victore, cui statim *ædes Pompeii* subjungitur. De utraque


locus exstat Vitruvii lib. III. cap. II. *Barycephalæ humiles latæ ornatæque signis fictilibus inauratis, eorum fastigia Tuscanico more, uti est ad Circum Maximum Ceteris, & Herculis Pompejani, item Capitolii.* Ergo *ædes* illa *Pompeii* apud Victorem *Herculis* potius fuit, a Pompejo constructa, uti supra de Bruto Callaico dictum. Meminit ejus Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. *Herculem etiam, qui est apud Circum Maximum in æde Pompeii Magni.* Quare quum utramque Vitruvius Circo propinquam dicat, illa Livii lib. X. dec. IV. *Forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, coorta tempestas raptam tulit, & in posticis partibus Cereris templi affixit*, locum ejus designare videntur inter Circum & radices Aventini, ita ut posticum ejus Aventino obversum fuerit, fronsque Palatino ad, latus introitus Circi. Quod autem in Sexto Rufo legitur *ædes Cereris*, hanc innuere mihi videtur: *ædem* vero *Proserpinæ* alteram Cereris & Proserpinæ ac Bacchi denotare; quam Victor itidem solius *Cereris* nomine recensuit. Hac in æde Plinius duo nobilia duorum celebrium artificum opera fuisse refert, pictum alterum, alterum fictum. Damophilo vero & Gorgaso artificibus nomen. Addit deinde: *Ante hanc ædem Tuscanica omnia in ædibus fuisse auctor est M. Varro.* Quod si hic vocula *ante* non loci situm, sed temporis ordinem significat, ut e tempore verbi *fuisse* conjicitur, inferre inde licet ante templi hujus ædificationem genera illa Architecturæ, seu modos, in Italia (excepta Calabria, seu Magna Græcia a Græcorum coloniis ita appellata) aut saltem Romæ necdum innotuisse, *Doricum* scilicet, *Jonicum*, *Corinthium*: ne quid de *Composito* dicam: aut si usurpata, certe necdum in templis, cum solius *Tuscanici* moris tum tantum usus fuerit.

Habuit & *Æneadum Genitrix, hominum Divumque voluptas, Alma Venus* aliam hic ad Circum ædem, præter illam, de qua supra *Murtiæ*; cujus auctor Fabius Gurges prædicatur. Livius lib. X. *Q. Fabius Gurges Cos. filius aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia mulctavit: ex quo mulctatitio ære Veneris ædem, quæ prope Circum est, faciendam curavit.* Hanc eandem forte ipse lib. I. dec. III. innuit: *Viam e Foro Boario ad Veneris faciendam locaverunt.*

Tandem & *Mercurio* in conspectu Circi *templum* fuit. Ovidius lib. V. Fastor.

Templa tibi posuere Patres spectantia Circum,
Idibus ex illo est hæc tibi sacra dies.

Hoc ipsum templum P. R. in ignominiam Coss. a M. Lætorio Centurione dedicari voluit. Ita Livius lib. II. *Certamen Consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem*, &c. *Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio primipilo Centurioni, quod facile appareret, non tum ad honorem ejus, cui curatio altior fastigio suo data esset, factum, quam ad Consulum ignominiam.* Idem vero ante dixerat: *Ædes Mercurii dedicata est Idibus Maii*, qui idem dies ab Ovidio designatus: sicut & idem Mercurii templum est, de quo Victor agit. Situm fuisse inter Circum & Aventinum Angelonus asserit in M. Aurelio; cujus hæc sunt verba: *Hic mihi esponendum videtur, quod ex Francisco Passerio audivi. Ajebat ille ante annos aliquot vidisse detectum a fossoribus templum, de quo supra, in vinea quadam inter Circum Maximum sita & Aventinum montem, cum ara paulo, quam nunc nostræ sunt, minore: cujus lateribus insculpti caduceus & petasus: erantque gradus ibidem, qui ad templum ducebant ea specie, quæ in numismate cernitur: quatuor vero termini supra memorati suis in locis dispositi conspiciebantur: tum & duæ minusculæ pyramides e lapide Tiburtino ab imis graduum lateribus visebantur, quarum altera sequentem ostendebat inscriptionem. Ex voto suscepto, quod diu erat neglectum, incendiorum arcendorum causa, quando urbs per novem dies arsit Neronianis temporibus; & hac lege dicata est. Ne cui liceat intra hos terminos exstruere, manere, negotiari, arborem ponere, aliudve quid serere: & ut Prætor, cui hæc regio sorte obvenit, litaturum se sciat, aliusve quis Magistratus Volcanalibus X. K. Sept. omnibus annis vitulo, robio, & verre.* A Marco Aurelio restitutum, numisma ejus vetus docet, ab eodem Angelono delineatum, in quo quatuor illi termini expressi conspiciuntur: quod & nos hic oculis lectoris subjicimus.



Forsan ad hoc ipsum templum Apulejus allusit sub Mercurii persona jocatus lib. VI. Asin. ubi Psyches fabula narratur: *Si quis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam Regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium prædicatorem, accepturus*, &c.

Sed & *Ara maxima* prope Circum sita fuit, attamen non juxta *S. Mariæ in Cosmedino*, ut nonnulli voluere. Situs ejus indicium faciunt Ovidius & Tacitus: ille I. Fastor. in Foro Boario illam collocat, ita de Hercule loquens:

Constituitque tibi, quæ maxima dicitur Ara,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Tacitus autem lib. XII. Ann. sulco illam includit a Romulo ducto ad ima Palatini: *Igitur a Foro Boario, ubi æreum tauri simulacrum adspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis Aram complecteretur.* Sic ut, quum sulcus ille ab uno latere radicum Palatini per medium Circum ductus, aramque illam complexus sit, hæc autem in Foro Boario fuerit, uti & Dionysius lib. I. affirmat, necessario statuendum sit, eandem intra Circum & Palatinum fuisse montem, inter *S. Anastasiæ* & tumulos, qui in Palatino conspiciuntur, non autem, ut alii, ad *Scholam Græcam*: nam si eousque Romulus sulcum duxisset, primos Romæ suæ quadratæ muros ad usque clivos protulisset Aventini, inclusaque illi non *Ara* tantum *maxima*, & *valle Murtia*, seu *Martia*, sed & toto Velabro, tum temporis aquis obruto, civitatem condidisset ex parte lintribus navigabilem.

Aram hanc Fulvius specum fuisse existimat subterraneam, unde sua memoria statua Herculis ex ære aurata effossa sit, quæ hodie in *Conclavi* asservatur *Conservatorum*. Marlianus autem inter rudera veteris alicujus templi repertam dicit, quod Pomponius Lætus Pontificatu Sixti IV. dirutum refert ad *S. Mariæ* ædem *in Cosmedino*, de quo in reg. VIII. nonnulla a me dicta sunt. Hoc sane pro certo mihi videtur asseri posse, statuam hanc ad *Aram maximam* non pertinuisse; siquidem illic Hercules velato capite fuit. Ita enim Macrobius lib. III. cap. VI. Saturnal. *Custoditur in eodem loco, ut omnes aperto capite sacra faciant. Hoc fit, ne quis in æde Dei habitum ejus imitetur: nam ibi operto ipse capite est.* Contra ea statua Herculis, quæ in Capitolio nunc visitur, caput apertum habet.

Eandem aram Hercules ipse sibi posuisse dicitur post interemtum Cacum, recuperatosque boves; quam fabulam Virgilius lib. VIII. Æneid. habet, & Ovidius lib. I. Fastor. item Dionysius lib. I. & in Polyhistore Solinus cap. II. *Maxima* ea dicta fuit, quia, ut Servius in VIII. Æneid. ait, revera magna fuit: *Ingens enim est ara Herculis, sicut videmus hodieque*. Tum & veneratione super omnes alias celebris fuit, uti Dionysius testatur, qui & hoc addit ornatum ejus famæ non respondisse. *Ad hanc, inquit idem Dionysius, jusjurandum sollemne in pactis conventis dari solebat: unde forsan illud Mehercules natum: tum & decimæ bonorum ibidem Herculi oblatæ*.

Termini hujus regionis hac in parte facili opera agnosci possunt. Postquam enim secundum Circi longitudinem limes inter Palatinum & Vallem processit, ad angulum pervenit collis, & Forum Boarium: unde ad sinistram flexu facto per ejusdem Fori latus usque ad Circi introitum, rursus alio flexu in dextram alterum ejusdem Fori latus transiit versus *Scholam Græcam*, omne illud ferme spatium amplexus, quod inter eam & Aventinum interjectum est. Atque ita, quamquam Forum Boarium regionis foret VIII. ædificia duorum ferme totorum ejus laterum ad XI. pertinebant. Ita sane existimandum est, nisi quis regionem in duas divellere voluerit partes, & cum VIII. committere.

In Rufo legas, *Hercules Triumphalis*. Hanc ego in reg. VIII. statuam esse Herculis dixi, ab Euandro in Foro illo positam in ipso triumphorum transitu, quo tempore statua hæc, teste Plinio lib. XXXIV. cap. VII. triumphali habitu amiciebatur. Quod si ea vere in regione illa fuit, in illo sane Fori Boarii latere esse debuit, quod inter *Scholam Græcam* & introitum Circi interstitum fuit; vel in altero saltem, quod inter eundem introitum & Palatinum interfuit. Atque ita descriptus est ramus integer literæ hujus regionis *y* Pythagoricæ.

Alter ramus a *Schola Græca* usque ad portam Trigeminam, in angusta planitie, quæ inter Aventinum & Tiberim intercessit, pauca sane habuisse mihi videtur ædificia.

Ad Trigeminam Victor & Rufus *Salinas* collocant, ædificium, in quo sal e navibus exponebatur, asservabaturque, quod a portu Tiberis adverso flumine subvehebatur: quæ exoneratio sine dubio trans pontem sublicium, post Æmilium dictum, fieri solita, cujus ad *Ripam* hodieque pilæ quædam aspiciuntur. De *Salinis* hæc Livii sunt lib. IV. decad. III. *Romæ fœdum incendium per duas noctes ac diem unum tenuit: solo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem*. Inter *Scholam Græcam* & portam Trigeminam fuisse Frontinus indicat lib. I. de Aquæduct. *Ductus aquæ Appiæ habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminam*. Solinus cap. II. *Cacus habitavit locum, ubi Salinæ nomen, ubi Trigemina porta*. Incepisse ad hodiernas *Salinas* idem ductus aquæ Appiæ demonstrat, quem ad collis partem retro *Scholam Græcam* pervenisse postea *de Aquis* docebimus. Quin & hodie in extremis illis angustiis inter Aventinum & Tiberim, ubi portam Trigeminam fuisse alibi asseruimus, sal album fit. Fulvius vero & Marlianus in proximis vineis veterum *Salinarum* adhuc quædam extare vestigia tradunt: additque Fulvius cavernas etiam ibidem ea de caussa factas conspici: quæ vineæ ab ipsis denotatæ non procul a salis albi abesse possunt officina. Attamen regionem hanc XI. ultra portam Trigeminam pervenisse ut credam, in animum inducere non possum, ut in regione XIII. fusius exponam: eaque propter *Salinas* veteres inter Portam Trigeminam & Salinas hodiernas collocandas existimo: quæ angusto illi inter Aventinum & Tiberim tractui nomen *Salinarum* impertivere, in quo Vicus desinebat Publicius, quem supra non longe a Foro sub colle Palatino principium habuisse dixi, atque inde inter Forum Boarium & Circum processisse. Liquet hoc ex his Frontini lib. I. de Aquæd. *Incipit distribui vetus Anio Vico Publicii ad portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellatur*.

Signum hic *pueri impuberis* fuisse e Festo discimus lib. XVI. *Pueri impuberis æneum signum ad Salinas olim positum fuit, quod signum allatum e .... fuisse ferunt: quod sunt conati quidam auferre, sed avellere nemo umquam potuit. Alii dicunt avulsam basim præter ipsum signum a quibusdam fuisse, quique abstulerint sub signo, abierunt basi sola potiti. Alii tamen tradunt, simul ut signum ipsum abstulerint, in agro Tiburti erexere ad quintum ab urbe milliarium*.

Apollo Cœlispex, de quo Victor & Rufus, statua quædam istius Dei fuit Cœlum, vel, ut Pancirollus putat, Cœlium montem aspiciens. Quod si verum, exstitisse eam verisimile est in capite regionis, extra semicircularem Circi extremitatem, unde mons Cœlius adspici potest. Sed & hæc inter incerta referenda.

Ara Jovis Inventoris, quam ei Hercules dedicavit, ad portam Trigeminam fuit, & speluncam Caci, de qua plura in reg. XIII. Dionysius lib. I. *Cumque cædem expiasset aqua fluminis in proximo Aram Jovi Inventori posuit, quæ est Romæ prope portam Trigeminam, & ob inventas boves Jovi juvencum sacrificavit*. Hanc ab *Ara maxima*, quam ipse sibi posuit, diversam Dionysius pluribus ibidem docet, constituitque hanc ad Forum Boarium. Quare is, qui utramque unam putat, & ne *Ara maxima* a porta Trigemina disjungatur, portam eam ad *Scholam Græcam* fuisse statuit, nimisquam longe a vero aberrare dicendus est.

Prope pontem Æmilium, qui prius *Sublicius* dictus *Ædes Portumni* fuisse dicitur: quæ ubi fuerit, liquet, quia pilæ adhuc ejus pontis visuntur: qui totus tractus areis nunc occupatus est, quæ lignorum serviunt receptaculis. Sunt autem nonnulli, qui ædiculam rotundam *S. Stephani*, qua in ripa Tiberis ad Cloacæ Maximæ exitum est, hanc esse *ædem Portumni* existiment; alii rursus illud *Herculis* esse templum, alii *Vestæ* putant, viciniam pontis pro argumento allegantes. Nihilominus pilæ pontis Æmilii sat longe inde remotæ sunt: viciniorque illi est pons *S. Mariæ*, seu *Senatorius*, qui nunc disjectus est. Qui tamen illam alteram fuisse *Portumni ædem* dixerit, a Victore memoratam, fortasse verum dixerit, oculorum usus testimonio. Sed in re incerta certi nil statui potest.

Ceterum non dissimile vero videtur, ædiculam istam rotundam *Sacellum Volupiæ* fuisse, de quo Varro de porta agens Romanula: *Qui habet gradus in navalia ad Volupiæ Sacellum*. *Navalia* hæc, nisi (forte *nova via* illic legendum) quæ e Palatino adspici poterant, alibi esse nequiverunt: unde hic veterem fuisse navium appulsum certum est, antequam sub Anco Martio pons sublicius navibus altius flumen subvehendi facultatem præripuerit. Sed & post illum pontem factum naves illuc appulisse secundo flumine devectas credibile est, priusquam & his ab aliis pontibus postea factis via illa præclusa est. Quod si igitur juxta Varronem *Volupiæ Sacellum* navalibus proximum fuit, de ædicula illa rotunda res quasi jam certa est, quum & rotunditas ædificii & Corinthius modus huic potius numini, quam alicui alii conveniat. Verum si voculam *ad* non *Navalia*, sed *Portam* respicere dicen-

dum est, Volupiæ templum alibi fuerit, necesse est, nempe inter *S. Anastasiæ* & *S. Theodori*. Verum ubicumque illud fuerit, *signum* in ara ejus *Angeronæ* fuit: de qua Dea Macrobius lib. I. Saturn. cap. X. *Duodecimo vero feriæ sunt Deæ Angeronæ, cui Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeronam dici ait, quod angores, ac animorum sollicitudines, propitiata depellat. Masurius adjicit simulacrum ejus Deæ ore obligato atque obsignato in ara Volupiæ propterea collocatum, quod qui suos dolores anxietatesque dissimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem.*

Eandem Tiberis ripam, cui *veterum Navalium* e Varrone nomen dedi, *pulchrum* quoque *littus* olim appellatam certioribus asserui in reg. X. argumentis, ubi *gradus pulchri littoris* ab angulo Palatini eo descendisse dixi. Tarquinium hic Priscum, cum cloacam maximam institueret, (cujus hic hodieque in Tiberim emissarium conspicitur) alveumque Tiberis coartaret, murum, vel aggerem fecisse verisimile est, unde ripa hæc nomen *pulchri littoris* meruerit: quo loco etiamnunc muri e grandibus lapidibus quadratis structi visuntur.

CAP. IV.

Ædificia a Cloaca Maxima ad Forum usque Olitorium.

DUravit in hæc usque tempora ad *pontem ruptum* vetus ædicula, *S. Mariæ Ægyptiacæ* nunc consecrata: quæ & ponti *S. Mariæ* cognomen dedit. Blondus hoc *templum Misericordiæ* censet, nempe *Asylum*; quippe qui *Asylum* non in Capitolio, sed inter Capitolium & Aventinum collocat; indignus, qui confutetur. Volaterranus autem *templum Bonæ Fortunæ* existimat: Fulvius *Pudicitiæ Patritiæ*: quod utrumque in Foro Boario fuit. At recte vidit Marlianus Forum illud eousque se non extendisse, nec *ædem Pudicitiæ Patritiæ*, quam Victor VIII. regioni adscripsit, facellum esse posse *S. M. Ægyptiacæ*: non enim locus viæ a Circo ad *pontem quatuor capitum* fuisset, quousque regio illa pertinebat. Ergo *Fortunæ Virili* illud adsignavit, cui Servius Tullius ædem fecit in ripa Tiberis. Dionysius l. IV. *Servius duobus templis conditis, altero Bonæ Fortunæ, ob perpetuum ejus favorem, in Foro Boario, altero Fortunæ Virili, sicut hodieque cognominatur, in ripa Tiberis, provectus jam ætate.* Sed Donatum hic sibi habet adversantem, qui *ædem Fortunæ Virilis* & *Fortis Fortunæ* eandem putat: quæ, quum extra urbem fuerit, hic esse nequiit. Ita enim Varro lib. V. *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* Quare ædiculam *S. M. Ægyptiacæ* illam *Bonæ Fortunæ* a Servio in Foro Boario dedicatam arbitratur, quod Forum ipse ad Tiberim pervenisse asserit, & utrumque pontem attigisse: verum tantam Foro illi amplitudinem fuisse superius negavi. Est & qui pro certo afferat, *Basilicam Caii & Lucii* fuisse, cum ob quadratam formam, de qua Vitruvius, tum ob duas hasce illic repertas inscriptiones, quas & Panvinius descripsit:

C. CAESARI. AVG. F. L. CAESARI. AG. F.

PONTIFICI. COS. AVGVRI. COS.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. PRINCIPI. IVVENTVTIS.

Quæ, quod aliunde huc tralatæ esse potuerint, nil certi adferunt, immo nec *basilicam* isthic fuisse indicant: sed tantum juvenibus istis statuas fuisse positas, forsan alia de causa. Tum & si basilicam illic conditam arguerent, non hujus, sed alterius alicujus in vicinia ornamentum esse potuerunt. Tandem Donatus prudenter sane ex humilitate, & rudi ædiculæ structura, opus hoc esse negat Augusti, nepotum nomine dedicatum. Quin & ipse & materiæ vilitatem, & humilitatem, parvitatem, formamque veterem structuræ diligenter intuitus, lubens fateor agnoscere me in ea vetustioris ævi simplicitatem, quum ignotus adhuc Romanis, qui post invaluit, luxus esset, & magnificentia.

Quare, rejectis ceteris, soli Marliani sententiæ accedendum videtur, statuendumque, *Virilis* hanc *Fortunæ ædem* esse, quam & *Fortis Fortunæ* esse censeo, licet Plutarchus lib. *de Fortuna Romanorum* dicat: *Quæ vero ad Tiberim dedicata est Fortuna Fortis, scilicet vi omnia vincendi prædita, & generosa, ei fanum in hortis populo a Cæsare legatis ædificaverunt*, &c. Quoniam *Fortem Fortunam* non a fortitudine, aut virtute, sed ab incerto rerum successu ita denominatam Cicero tradit lib. III. de legibus: *Vel Fors, in quo incerti casus significantur magis*: quod & fusius a Nonio explicatur *cap. de diff. verborum.* Adhæc *Fortis Fortunæ* dies festus in Junium incidit, teste Varrone, & Ovidio lib. VI. Fastor.

Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores,
Post septem luces Junius actus erit.
Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera Regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri discurrite cymba;
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronati juvenum convivia lintres.
Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc; quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

Ille vero *Virilis Fortunæ* primus Aprilis fuit, alioque ritu cultus. Sic Ovidius lib. IV. Fastor.

Discite nunc, quare Fortunæ thura Virili
Detis eo, gelida qua locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna Virilis
Præstat, & hoc parvo thure rogata facit.
Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver
Sumere, & expressis mella liquata favis.

Ergo *Fortis Fortunæ ædes* juxta Varronem extra urbem fuit in ripa Tiberis, ut pluribus in reg. XIV. dicetur: illa vero *Fortis Fortunæ* in ripa quoque Tiberis, & ab eodem Rege Servio condita secundum Dionysium in urbe; adeoque in ea regione, in qua ripa illa Tiberis tota fuit inter portas Trigeminam & Flumentanam. Quid tum? *S. M. Ægyptiacæ* fuisse hanc dicemus, uti Marlianus volebat? immo vero: non enim video, quid obstet: licet evidentiam non agnoscam certæ veritatis. Quod autem maxime probabile est, in re incerta, sequendum puto. Potuit tamen *sacellum* quoque *S. Stephani* fuisse, cujus rotunda forma non adeo a Fortunæ volubilitatis significatione aliena est: potuit & in hac ipsa ripa fluminis exstitisse, licet alio in loco.

Quod autem Panvinius *statuam Servii Tullii ligneam* in Fortunæ Virilis fuisse templo dicit, error manifestus est, quum ea in templo Fortunæ in Foro Boario exstiterit, ut e Dionysio liquet lib. IV. & Ovidio lib. VI. Fastor.

Verba quod attinet superius ex Ovidio allata,

Detis eo, gelida qua locus humet aqua,

utrum ea de vicino Tiberi, an de qua alia aqua,

accipienda ſint, incertum: nam hodie in tota illa ripa ne veſtigium quidem humoris exiſtit: forte olim, quum ſitus loci humilior erat, aquæ illic nonnulla copia fuit.

Contra *S. M. Ægyptiacæ* ædiculam parvula domus, non integra tamen, viſitur antiquiſſimæ ſtructuræ cum variis ſculpturis. Fulvius eam ſua memoria vulgo *Domum Pilati* appellatam tradit. Alii veriſimilius aliquanto *Nicolai di Renzo* fuiſſe putant, cujus veluti domini aliquando nomen recentiori charactere januæ cuidam inſcriptum legitur. Certum vero eſt, antiquiorem illam eſſe barbarorum invaſionibus, adeoque ætate ſua commendabilem. Quare utrumque ædificium, & hoc, & illud *S. M. Æg.* eo majoris faciundum cenſeo, quo difficilius in urbe luxu diffluente antiquæ ſimplicitatis, frugalitatis, & humilitatis ædificia in tam longam feramque poſteritatem durare potuere.

Inter *S. M. Ægyptiacæ* ſacellum, & *S. Georgii*, *Scholamque Græcam*, Blondus, Fulvius, aliique ætate ſua totum illum tractum meretricibus occupatum fuiſſe, veluti rem notatu digniſſimam, memoriæ prodiderunt: quod ſatis mirari non poſſum, omnes illas ædes eo potiſſimum tempore, quo Roma reſurgebat, ædificiiſque frequentabatur, dirutas, collapſaſque, & omne illud loci ſpatium in aream & deſerta vertiſſe.

Hac in regione *Velabrum* quoque *majus* a Victore nominatur. Rufus addit, *in Foro Olitorio*. Victor vero recentior *Velabrum* inſuper *minus* habet. Sed qua fide vel hoc, vel illud, excutiendum eſt. Nam ſi *S. Georgii* ædes in Velabro fuit, alterum de duobus Velabris inter Forum Magnum & Boarium fuiſſe neceſſe eſt, ideoque in reg. VIII. quæ & *Fori* dicta, in qua *Boarium* quoque fuit, non autem in XI. Liquet e Livio, qui lib. VII. dec. III. ait: *In Foro pompa conſtitit. Inde vico Thuſco, Velabroque, per Boarium Forum in Clivum Publicum*, &c. Recte igitur Victor vetuſtior, itemque Rufus, hac in regione ſolum *majus Velabrum* recenſuit: turpiterque lapſus eſt auctor illius in recentiore additionis, qua & *minus Velabrum* huic regioni adſcribitur.

Nec minus erroneum eſt *majus Velabrum* in Foro fuiſſe Olitorio: quæ ſententia ut confutetur, explicandum tantum eſt, quid *Velabrum* fuerit: vallis ſcilicet inter Palatinum, Aventinum, & Forum, quæ ſtagnantibus illic aquis fluminis olim navigabatur. Varro lib. IV. *Itaque eo* (in Aventinum) *ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem ſolvebant, cujus veſtigia, quod ea, qua tum itur, Velabrum, & unde aſcendebant ad imam novam viam lucus eſt, & ſacellum Larum; Velabrum dicitur a vehendo*, &c. Propertius lib. IV. eleg. X.

Qua Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Tibullus lib. II. eleg. V.

Et qua Velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulſa per vada linter aqua.

Licet enim vallem ejuſmodi, regionemve, tractu temporis, novis acceptis admiſſiſve in partem nominibus, coartatam, uti fit, concedamus, non tamen ad eam *Velabra* parvitatem deveniſſe credibile eſt, ut eorum *majus* particulam Fori *Olitorii* conſtituerit. At quam partem? num in arcum, an ſtatuam, an porticum, an baſilicam mutatum tranſiſſe dicendum eſt? Quod ſi illud Forum extra muros fuit, itidem & Velabrum tum extra muros fuiſſe dicendum erit. Atqui per hoc pompæ in urbe e Foro in Circum ductæ fuerunt. Ita enim Ovidius lib. VI. Faſtor.

Qua Velabra ſolent in Circum ducere pompas,
Nil præter ſalices, craſſaque canna fuit.

De quibus pompis reſpici Dionyſius poterit l. VII. ubi fuſe explicantur. Quoniam igitur pompæ per Velabra in Circum ductæ fuerunt, vias illas, ſeu tractus verſus Circum directos, vel etiam areas fuiſſe dicendum eſt, quorum utrumque, vel alterum ſaltem a Vico Jugario, vel Turario inceperit, ut in reg. VIII. oſtenſum eſt. De utroque *Velabro* Varronis hæc verba ſunt lib. IV. *Lautulæ a lavando, quod ibi ad Janum Geminum aquæ calidæ fuerunt. Ab his palus fuit in minore Velabro, a quo, quod ibi vehebantur lintribus, Velabrum, ut illud majus, de quo ſupra dictum eſt.*

Hinc colligere licet, locum illum, ubi aquæ olim ſcaturientes ad Janum Geminum initio V. C. lacum faciebant, poſt Fori tranſitum *Velabrum minus* fuiſſe, quod eapropter regioni Fori incluſum fuit. *Majus* autem in laxiore iſtius vallis ſpatio fuit, propius Tiberim, adeoque in Forum Boarium exiit, inter *S. Mariæ in Porticu*, ut puto, quo & muri pertingebant, & *Scholam Græcam*.

Adjicit hiſce P. Merula *Ficum Velabrenſem*, de qua Martialis lib. XI. epigr. LIII.

Altera non deerunt tenui verſata favilla,
Et Velabrenſi maſſa recocta Ficu

Ubi quum de maſſa ficubus recocta Poeta loquatur, non de arbore, ſed de fructu potius illud accipiam, qui illic venditus. Verum præferenda alia lectio, *recocta foco*: admittendaque Panvinii expoſitio eſt, de caſeo ibidem fumo indurato. Sed & de maſſa, quæ illic recocta & vendita fuerit, accipi poteſt.

Vicus Piſcarius, a Rufo hic recenſitus, tantum non certum mihi conjunctionis hujus vici cum Foro ejuſdem nominis argumentum videtur: atque ita *Forum Piſcarium* nonniſi in extremitate reg. VIII. eſſe potuit, XI. forte attingens, in qua ipſe Vicus fuit. Quoniam vero vici ſuas habebant ædiculas, ita & huic forſan adſcribenda *ædicula Junonis* eſt, Varronis forte *Junonium*, pro quo nonnulli ejus codices *Janum* legunt. Verba Varronis, ſunt: *Secundum Tiberim ad Junionium, Forum Piſcatorium*, &c. Sic & aliæ ibidem leguntur ædiculæ, *Dianium*, *Minervium*, &c. Juxta indicium igitur Varronis ædicula hæc in Foro Piſcario verſus Tiberim in exitu *Vici Piſcarii* fuit, adeoque in XI. regione. Forſan &, quia ædicula illa in extremitate vici ad Tiberim, ſicut in ejus capite Forum ad Velabrum, fuit, Varro ſub *Fori* nomine ipſum etiam *vicum* complexus eſt.

Sed & *Argiletum* hic fuit, qui tractus in Foro Olitorio incipiens in Vico Tuſco deſinebat. De principio ejus res certa eſt ex Servio in VII. Æn. ubi de Jani templo loquitur: *Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat, circa imum Argiletum juxta Theatrum Marcelli*. Item e Livio lib. I. *Janum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit*, &c. Verum de altero ejus capite, cui *Summo Argileto* nomen, certum indicium mihi nullum occurrit, licet illud Antiquarii ad Vicum Thuſcum ſtatuant: at nil probant. Marlianus Fabium Pictorem adducit, Scriptorem ſuppoſititium: cujus figmenti certum argumentum eſt, quod Vicum Thuſcum & Argiletum cum Cœliolo & Valle confundat, quæ inter Circum Maximum & Aventinum interjacet. Non nego tamen, ſi Argiletum in Foro Olitorio inceperit juxta Theatrum Marcelli, id eſt, inter *Sabellorum* Palatium & Tiberim, non potuiſſe illud ſecundum Tiberim eouſque extendi, ubi Vicus Thuſcus tranſit e Foro ad Velabrum, attingebat forte

ad pontem nunc temporis disjectum *S. Mariæ*. Verum quum simul sub eodem Theatro incipiens se met ulterius secundum flumen extendere non potuerit, ubi hodie statio Judæorum est, ita tamen ut muros veteres intrarit, non video. Sed hæc sufficiant. Interim utramque ripam Argileto non male assignari posse arbitror; non tamen ita pro certo id asserimus, ut alii faciunt, qui illud illam viam esse angustam pronuntiant, quæ humilibus tota fere occupata domibus a *quatuor capitum ponte* ad *S. M. Ægyptiacæ* ducit, in qua & porta exstitit Flumentana.

Nominis etymologia duplex occurrit: alii enim a *leto* illud *Argi*, qui hospes Euandri fuit, deducunt, de quo Virgilius lib. VIII. Æn. Alii vero ab *argilla* ibidem copiosa. Ita Varro lib. IV. *Argiletum sunt qui scripserunt ab Argo, seu quod is huc venit, ibique sepultus; alii ab argilla, quod ibi id genus terræ*. Servius in VIII. Æn. *Argiletum quasi Argilletum, multi volunt a pingui terra: alii a fabula*, &c. Argillam illic fuisse vicinæ arguunt figlinæ, quas prius in valle Circi Maximi fuisse Varro ait: *Quod is locus esset inter figulos*. Postea in alia valle, quæ sub Aventino est, ad Tiberim fuere. Nam e vasis eorum diffractis natus illic *mons testaceus*.

In Argileto multas fuisse *tabernas librarias* ex hoc epigr. III. Martialis lib. I. patet:

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi parve liber scrinia nostra vacent.

Idem eodem libro extremo Luperco dicit, librum ejus requirenti:

Quod pueris propius petas licebit:
Argi nempe soles subire letum.
Contra Cæsaris est Forum taberna.
Scriptis postibus hinc atque inde totis,
Omnes ut rite perlegas Poetas.
Illic me pete, &c.

Sed & alii artifices suas illic tabernas habuere. Hinc idem Martialis lib. II. epigr. XVII.

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis.
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet &c.

Ex his duobus ultimis locis quærit Donatus, quo pacto *Argiletum* a Theatro Marcelli ad Forum Cæsaris pertingere potuerit, & ad Suburram: victusque difficultate argumenti dilemma proponit, vel duo fuisse dicens Argileta, vel Martialem & Servium errasse. Ego vero Martialem illud affirmare nego: verum in altero epigrammate duas tabernas Luperco indicare diversas, in quibus libri sui venderentur, in Argileto nempe & in Foro Cæsaris. In altero tonstricem cum tonstrice alia comparat, quæ in capite Suburræ habitabat: item cum multis sutoribus, qui in Argileto; ita ut locorum illorum non faciat indicetve conjunctionem.

In Argileto *Q. Cicero domum* emit, ibidemque ædificavit. Cicero ad Att. l. I. epist. XIII. *Quintus frater, qui Argiletani ædificii reliquam dodrantem emit HS DCCXXII. Tusculanum venditat, ut, si possit, emat Pacilianam domum.*

Quum *Fori Olitorii* supra facta mentio sit, ipsa res poscere videtur, ut & situm ejus investigemus. Consentiunt autem omnes in eo Antiquarii, extra portam illud fuisse Carmentalem, ubi *area Montanara* nunc est, ex illis Asconii in orat. Cicer. *in Toga Candida*, de templo Augusti: *illam demonstrat, quæ est extra portam Carmentalem inter Forum Oli-*

A *torium & Circum Flaminium*. Verum si *Theatrum Marcelli*, & per consequens *area* quoque *Montanara* in regione IX. fuit, *Forum* illic *Olitorium* esse nequiit, & simul adscribi regioni XI. Ergo extra muros illud fuisse censeo, sed inter Theatrum Marcelli, Tiberim, & Portam Flumentanam, id est, in aliqua ejus spatii parte, quod est inter *Pontem* IV. *capitum*, *Palatium Sabellorum*, & *S. Mariæ in Porticu*. De Foro illo verba sunt Varronis lib. IV. *Forum Olitorium, hoc est antiquum macellum, ubi olerum copia*.

In Foro hoc, uti & in Capitolio fieri solitæ subhastationes, auctionesque bonorum. Ita Ter-
B tul. in Apolog. cap. XIII. *Sic Capitolium, sic Olitorium Forum petitur, sub eadem voce Præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione Quæstoris Divinitas addicta conducitur.*

Fuit & in eodem *Columna Lactaria, ad quam*, inquit Victor, *infantes lacte alendos deferunt*. De qua & Festus agit in *Lactaria*. Ritus illic forte aliquis superstitiosus observatus; vel, ut alii volunt, infantes illuc deportari soliti, quos matres exponebant, ut, quod locus is frequens esset, invenirent aliquem, qui eos tolleret, & lactari curaret. Quo & Tertullianus respexisse videtur, cum cap.
C IX. Apolog. ait: *In primis filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte matre extranea.*

Item *Jani Templum*, diversum ab illo, quod extra Portam Carmentalem a Numa factum, ut recte Fulvius observavit; illud enim Duilius vovit, & Tiberius dedicavit. Tacitus lib. II. Ann. *Et Jano Templum Tiberius dedicavit, quod apud Forum Olitorium C. Duilius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Pœnis meruit. Quadrifrontem* Janum illum fuisse Donatus ex Augusti conjicit nummis, a Guil. Choulio publicatis. At ego templum illud a Tiberio dedicatum *Janum illum quadrifrontem* Augusti
D fuisse haud asseverem: de quo Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Item Janus Pater in suo templo dicatus ab Augusto, ex Ægypto advectus, utrius manus sit, jam quidem & auro occultatus*. Hinc tantum conjectare licet, Augustum hanc Jani statuam posuisse in quodam templorum suorum, forte in quadrifronte: ubi postea Forum factum transitorium: nisi forte in templo Duiliano, quippe novo, nec adhuc dedicato positus videatur. Sed sufficiat nobis hoc Fori Olitorii templum distinxisse ab altero illo, quod extra Portam Carmentalem fuit, a Numa conditum: unde certo liquet *Forum Olitorium aream* non esse *Montanaram*.

E In Olitorio Acilius Glabrio *templum Pietati* dedicavit. Livius lib. X. dec. IV. *Ædes duæ eo anno dedicatæ sunt: una Veneris*, &c. *altera in Foro Olitorio Pietatis. Eam ædem dedicavit M. Acilius Glabrio Duumvir, statuamque auratam, quæ prima omnium in Italia est statua aurata, patris Glabrionis posuit. Is erat, qui eam ædem voverat, quo die cum Rege Antiocho ad Thermopylas pugnasset: locaveratque idem Senatusconsulto*. Valer. Maximus lib. II. cap. V. *Statuam auratam nec in urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius adspexit, quam a M. Acilio Glabrione Equestris patri poneretur in æde Pietatis. Eam autem ædem*
F *P. Cornelio Lentulo & M. Bæbio Tamphilo Coss. ipse dedicavit, quia pater compos voti factus Rege Antiocho apud Thermopylas superato*. Utrum vero idem hoc ac illud quod in Carceribus exstructum fuit, & ubi postea conditum Marcelli Theatrum, ut est apud Plinium, & de quo in principio reg. IX. nonnulla dicta sunt, affirmare non ausim. Alterum enim occasione pietatis a filia matri patrive exhibitæ, alterum ex voto Imperatoris in pugna ædificatum; illud C. Quintio & N. Attilio Coss.

hoc a M'. Acilio Duumviro, Cornelio & Bæbio Coss. Tum & Plinius illud prius jam collapsum fuisse, quum Theatrum in ejus vestigiis Marcelli ædificaretur, indicare videtur: hoc vero tot seculis superstes a Victore & Rufo recensetur. Quod si vero unum idemque fuit, major habenda Livio & Valerio fides, quam ceteris: & si factum illud non confictum est filiæ matrem lactantis, certe ipsa templi constructio minus vera est, quoniam Val. Maximus lib. v. cap. iv. absque ulla templi mentione eundem casum refert. Quidquid autem hujus fuerit, sufficit nobis situm ejus templi indicasse, si unum fuit in Foro Olitorio, ea parte, ubi Theatrum Marcelli, quæque Tiberi obversa fuit. Sin diversum hoc ab illo, & a Theatro disjunctum; Fori certe fines descripti sunt, in quo situm fuit.

Intra eosdem fines duæ quoque aliæ *ædes* fuerunt: *Junonis Matutæ*, & *Spei*. De prima Livius lib. iv. dec. iv. *Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt. Una Junonis Matutæ in Foro Olitorio vota, locataque quadriennio ante a C. Cornelio Cos. Gallico bello: Censor ædem dedicavit.* Sigonius hic vitium esse suspicatur, legendumque *Sospitæ*, pro *Matutæ*; quod idem Livius lib. ii. ejusdem dec. votum ejusdem Cornelii referens dicat: *Cos. principio pugnæ vovit ædem Sospitæ Junoni, si eo die hostes fusi fugatique essent.* Verum præterquam quod nimis magna variantia sit lectionis inter *Matutæ* & *Sospitæ*, ut Librarius adeo facile tantopere labi non potuerit, Victor quoque hac in regione Templum *Junonis Matutæ* recenset, & Rufus *Ædem Matutæ*: unde utrumque & *Matutæ* & *Sospitæ Junonis* Templum in Foro illo fuisse verisimile est: utrum autem a Cornelio in bello Gallio votum sit, explicatu difficile est.

Ædem Junonis Sospitæ illam esse puto, de qua Ovidius lib. ii. Fastor. ut reg. x. dictum:

> *Principio mensis Phrygiæ contermina Matri*
> *Sospita delubris dicitur aucta novis.*

Jam tum vero collapsum disparuisse idem porro docet:

> *Nunc ubi sint illis, quæris, sacrata Calendis*
> *Templa Deæ? longa procubuere die.*

Quare mirandum minime est, eam nec in Victore, nec in Rufo memorari.

Unde porro Junoni nomen *Matutæ* venerit, dubitatur, quum *Matuta* Latinorum Græcorum sit Leucothea, sive Ino. Sic Cicero in i. Tusc. Qu. *Quid Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetura nostris?* quod & lib. iii. de Nat. Deor. repetit. Idem dicit Ovid. lib. vi. Fast. & iii. Metam. Plutarchus Probl. xiv. & xv. &c. Quare pro *Inonis* forte male *Junonis* scriptum est. Marlianus hanc ædem putat eam, quæ ipsius ætate *S. Salvatoris in Mentuzza* dicebatur, in *area Montanara*, ad infima Capitolii: nullo alio argumento, nisi quod aliqua in cognomine similitudo soni sit: sed hujus opinionis ineptia ipso situ a Foro Olitorio remotissima facile confutatur.

Altera *ædes Spei* a Calatino dedicata est. Sic Cicero lib. ii. de leg. *Recte etiam a Calatino Spes consecrata est.* Livius lib. ii. pugnatum ad illam ædem dicit inter Romanos & Hetruscos: *Adeoque id bellum ipsis institit mœnibus, ut primo pugnatum ad Spei sit æquo Marte, iterum ad Portam Collinam.* Idem lib. i. decad. iii. fulmine tactam refert: *Ædem Spei, quæ est in Foro Olitorio, fulmine ictam.* & l. iv. ejusdem dec. incendio absumtam: *In Templo Fortunæ, ac Matris Matutæ, & Spei, extra portam late vagatus ignis.* lib. vero v. restitutam: *Creati sunt quinque viri muris* &c. *& Triumviri bini, uni sacris* &c. *alteri reficiendis ædibus Fortunæ, ac Matris Matutæ intra Portam Carmentalem: sed & Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumtæ fuerant.* Diodorus iterum arsisse refert ante bellum Actiacum: iterumque sub Tiberio instauratum a Germanico, Tacitus lib. ii. Annal.

Qui Victori & Rufo *Hercules Olivarius* est, hunc Panvinius ita describit: *Ædes Herculis Olivarii ad Portam Trigeminam.* Verum unde hæc acceperit, nescio. Dixi superius ædem *Herculis Victoris* ad hanc portam fuisse e Victore & Macrobio. De *Olivario* vero sanior Lipsii sententia est ad xv. Ann. Taciti, ubi cum Plauto in Captiv. dicente,

> *De compacto rem gerunt, quasi in Velabro Olearii,*

venditores illic olei habitasse ait, & cum Victore Templum hic ponit *Herculis Olivarii*. Ego non ædem eum hic habuisse existimo, sed statuam tantum, ex iis unam, quas Augustus in vicis posuit e collata stipe, (uti supra de *Sandalario* dixi *Apolline*, *Jove Tragœdo*, & *Elephante herbario*) collocatamque ad Velabrum, ubi Olearii mercaturam faciebant, qui pro parte sua stipem in hanc statuam contulerunt. Pancirollus nomen statuæ datum putat a corona *oleagina*, qua revinctum ei caput fuit: quod in ludis Olympicis *oleastro* victores coronatos Plinius lib. xvi. cap. xliv. auctor sit. Sed hac de re suum cuique liberum permitto judicium.

Sunt & plures notatæ a Victore & Rufo ædes, ut *Ditis Patris*, *Castorum*, *Lucus Semeles minor*, *Sacrarium Saturni cum luco*; de quibus nil habeo dicere. Virgilius lib. viii. Æn. *luci* quoque meminit *Argiletani* alicujus:

> *Nec non & sacri monstrat nemus Argileti.*

Sed Davus ego hic sum, non Oedipus.

Addit Panvinius *Ædem Apollinis Medici*, e Livio, ut puto, lib. x. decad. ix. sed hanc ad reg. xiii. pertinere suo loco ostendam. Ad eandem referendus quoque *Campus Trigeminorum* ab eodem huc allatus: nam Portam Trigeminam xi. non transiit. *Ara Accæ Larentiæ* in Velabro, quam idem Panvinius itidem hic recenset, quæ ad caput Viæ Novæ erat, & *non longe a Porta Romanula*, ut Varro docet, in *Minore Velabro* fuit, adeoque in reg. viii. ut illic dictum. Nec Varro *aræ*, sed *sepulcri* mentionem facit, ad quod non alia sacra, quam Parentalia fieri solita. Decepit scilicet Panvinium Victor ejus recentior, qui *Velabrum Minus* huic male adsignat regioni.

Instar prodigii autem est, quod in Notitia *Arcus Constantini* huic tribuatur regioni. Nam si xi. hæc regio Amphitheatro Titi adjungenda est, mirifice regionum ratio perturbabitur.

CAP. V.

Regio xii. cui Piscinæ Publicæ nomen, ut ab alii describitur.

Regio hæc non modo regioni Circi Maximi, sed ipsi quoque Circo contigua fuit, totum illud spatium continens quod inter Circum Maximum est & Thermas Antoninianas, cujus nobis nulla alia vetus descriptio superest, nisi solius Victoris, deperditis, quæ Rufus & de hac, & de duabus proxime sequentibus adnotarat.

Regio xii. Piscina Publica.

Vicus Veneris Almæ.
—— *Piscinæ Publicæ.*

—— *Dianæ*.
—— *Cejos*.
—— *Triari*.
—— *Aquæ Salientis*.
—— *Laci Tecti*.
—— *Fortunæ Mammosæ*.
—— *Colapeti Pastoris*.
—— *Portæ Raudusculanæ*.
—— *Portæ Næviæ*.
—— *Victoris*.
Horti Asiniani.
Area Radicaria.
Caput Viæ Novæ.
Fortuna Mammosa.
Isis Athenodoria.
Ædes Bonæ Deæ Subsaxanæ.
Signum Delphini.
Thermæ Antonianæ.
Septem Domus Parthorum.
Campus Lanatarius.
Domus Chilonis.
Cohortes tres Vigilum.
Domus Cornificii.
Privata Hadriani.
Vici XII.
Ædiculæ XII.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIMCCCCLXXXVI.
Domus CIIII.
Balineæ Privatæ XLIIII.
Lacus LXXX.
Horrea XXVI.
Pistrina XX.
Regio habet in ambitu pedes XIIM.

Victor recentior vel mutat, vel addit.

Pro vico *Aquæ Salientis*, ponit *salientis signi*, alias *aquæ salientis*.
Pro vico *Colapeti*, habet *Colafiti Pastoris*, alias *Colapeti*.
Septizonium Severi.
Ædes Isidis.
Domus numerantur CXXVIII. *alias* CXIIII.
Horrea XXVIII. *alias* XXVI.
Pistrina XXV. *alias* XX.

In Notitia:

REGIO XII.

Piscina Publica continet Aream Radicariam, Viam Novam, Fortunam Mammosam, Isidem Athenodoriam, Ædem Bonæ Deæ Subsaxanæ, Signum Delphini, Thermas Antoninianas, Septem Domos Parthorum, Campum Lanatarium, Domum Chilonis, Cohortes IIII. *Vigilum, Domum Cornificii, Privatam Hadriani. Vici* XIIII. *Ædiculæ* XVII. *Vicomagistri* XLVIII. *Curatores duo. Insulæ duo millia quadringentæ octuaginta septem. Domus* CXIIII. *Horrea* XVII. *Balnea* LXIII. *Laci* LXXXI. *Pistrina* XX. *Continet pedes duodecim millia*.

In Basi Capitolina duodecim hi vici sunt:

Vico Veneris Almæ.
—— *Piscinæ Publicæ*.
—— *Dianæ*.
—— *Cejos*.
—— *Triari*.

A —— *Signi Salientis*.
—— *Laci Tecti*.
—— *Fortunæ Mammosæ*.
—— *Colafiti Pastoris*.
—— *Portæ Raudusculanæ*.
—— *Portæ Næviæ*.
—— *Victoris*.

Panvinius addit, mutatve hæc pauca:

Fons Lollianus.
Ædicula Veneris Almæ.
—— *Dianæ*.
B —— *Fortunæ Mammosæ*.
Ara Lavernæ.
Pro *Septizonio Severi* ponit *Septizonium Vetus*.

Addi his possint

Area Piscinæ Publicæ.
Domus Laterani.

Duæ regiones, II. & XIII. utraque a montibus denominatæ, illa *Cœlimontium*, hæc *Aventinus*, satis clare demonstrant hujusce regionis limites radicibus istorum collium terminari, quum ea in C valle sita sit inter utrumque interjecta. Longitudo ejus a Circo Maximo porrigitur usque ad Thermas Antoninianas, quas complectebatur. Ambitu quidem regio hæc exigua fuit, verumtamen frequens incolis; quandoquidem in tam angusto circuitu ingens insularum domuumque numerus adnotatur.

CAP. VI.

Ædificia Regionis XII. *quorum aliqua certior notitia est*.

D Caput hujus regionis Ammianus, ni fallor, ad Circum Maximum fuisse indicat. Refert enim lib. XVII. Obeliscum Constantini urbi illatum *per Hostiensem Portam, Piscinamque Publicam, in Circum Maximum*. Via hæc a Porta Ostiensi, quæ nunc *S. Pauli* dicitur, ad Circum tendens, Aventinum in duos colles dividit, definitque in ipso lunatæ Circi extremitatis angulo; nec alia Obeliscus ille ad Piscinam & in Circum Maximum deferri potuit. Quare exiguum illud spatium, per quod ab exitu Viæ Aventini montis ad E Circum itur, regionem Piscinæ constituisse necesse est.

Quid autem *Piscina Publica* fuerit, Festus indicat his verbis: *Piscinæ Publicæ hodieque nomen manet, ipsa non exstat: ad quam & natatum, & exercitationis alioqui causa veniebat populus*. Idem & Martialis affirmat lib. V.

In Thermas fugio, sonas in aurem,
Piscinam peto, non licet natare:
Ad cœnam propero, tenes euntem, &c.

F Forsan in eorum gratiam & usum instituta fuit, qui natatus adhuc ignari periculose nimis in Tiberi discerent. Hac autem abolita, stagna, & similia loca, postea in Thermis Agrippæ ad exercitationem natatus ædificata. Meminit ejusdem & Cicero lib. III. epist. VII. ad Q. fratrem: *Romæ & maxime Appia ad Martis mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata; horti, tabernæ plurimæ; magna vis aquæ usque ad Piscinam Publicam*. Hanc ibi forsan factam conjicio occasione Viæ Appiæ, quæ illac transivit, primaque in urbem inducta fuit. Exactus

A actus ejus situs ignoratur; nec sciri potest, quoniam ætate Festi jam non amplius exstitit. Aream illic capacem fuisse inde licet colligere, quod eo omnia ferme negotia e Foro translata sint tempore belli Punici II. quum Hannibal urbi immineret. Livius lib. III. decad. III. *Coss. edixerunt, quoties Senatum vocassent, uti Senatores, quibusque in Senatu dicere sententiam liceret, ad Portam Capenam convenirent; Prætores, quorum jurisdictio erat, tribunal ad Piscinam Publicam posuerunt, & vadimonia fieri jusserunt, ibique eo anno jus dictum est.*

Earum rerum omnium, quæ in hac regione notantur, nullum exstat vestigium certum, nisi Ther-
B marum, quæ quod ab Antonino Caracalla factæ, Antoninianæ dictæ. De his Spartianus: *Thermas nominis sui eximias, quarum cellam solearem Architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri: nam & ex ære, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est. & tantum est spatii, ut id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici.* Serlius lib. III. Architecturæ ichnographiam ejus exhibet, quam e residuis descripsit, affirmatque longe illam artis præstantia Thermas superare Diocletiani, & quascunque in urbe alias. Sexti Aurelii de eodem Imperatore verba sunt: *Aucta urbs ma-*
C *gno accessu Viæ Novæ, & ad lavandum absoluta opera pulchri cultus.* De iisdem Thermis Olympiodorus: *Habebant in usum lavantium sellas mille sexcentas e polito marmore factas.* Ad has, aut etiam ad alias, forte pertinuerunt duæ e porphyrite sellæ in Lateranensi æde inferius perforatæ, in quis ex vetere instituto collocati Pontifices Maximi, quum inaugurarentur. Hasce balneorum fuisse sellas Martinellus recte judicat in *Roma Ricercata*, sive inquisita. Fortean ad mollitiem pro labris sellæ inventæ; vel labra inferioris, sellæ majoris dignitatis hominibus cessere. Thermas eas Eutropius *opus egregium* vocat lib. VIII. *Opus Romæ egregium fecit lavacri, quæ* (deest forte vox *Thermæ*) *Antoninia-*
D *næ appellantur. Magnificentissimas* fuisse Spartianus dicit in Severo: *Vixit diu in odio populi Antoninus, quamvis & vestimenta populo dederit, unde Caracallus est dictus, & Thermas magnificentissimas fecerit.* His Elagabalus addere porticus inceperat, quas Alexander Severus perfecit. Lampridius in Elagabalo: *Et lavacrum, quòd Antoninus Caracalla dedicaverat, & lavando, & populum admittendo, sed porticus defuerant, quæ postea ob hoc sub Decio Antonino estructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ.* Idem in Alexandro: *Antonini Caracalli Thermas additis porticibus perfecit, & ornavit.* Supersunt earum hodieque non exiguæ reliquiæ sub Aventinum & *S. Balbinæ*, retro *S. Nerei*, & *Ar-*
E *chilei*; ubi nil magis incorruptum, quam vetus *Antoninianarum* nomen animadvertitur, quippe quæ levi corruptela *Antonianæ*, & rusticius a quibusdam *Antignanæ* appellentur. Marlianus sua illic ætate ingentes & pulcherrimas columnas tantum non terra obrutas conspectas fuisse refert. Hodie vix aliquid operis lateritii superest, quod studiosis adolescentibus Seminarii Romani diebus feriarum pro receptaculo ad lusus & exercitia jocosa juvenilia inservit, aptis ad id genus lusuum variis, quæ supersunt, murisque distincta, conclavibus.

Sub *Thermas* magnificentissimum a *Caracalla Palatium* constructum fuisse idem Marlianus tradit, ejusque sua memoria vix aliqua agnosci potuisse
F vestigia. Quoniam vero nulla ejus apud Veteres extat mentio, neque hodie ullum ejus superest vestigium, nihil affirmo; hoc tantum addo, aliquod ejus videri indicium in proxima *S. Cæsaris* æde, quæ *in Palatio* quondam appellata fuit, ut ex inscriptione portæ vetere liquet marmorea. Sed id nullius fidei est, quum, ut sæpe dictum, rudis majorum nostrorum vetustas, omnia prisca monumenta grandiora *Palatiorum* nomine insigniverit: sic ut *Thermæ Antoninianæ* & ipsæ forsan *Palatii* appellationem obtinuerint, quæ ad Ecclesiam postea transierit *S. Cæsarii*, & occasionem præbuerit existimandi *Palatium* illic fuisse *Caracallæ*.

Martinellus in ea sententia est *Monasterium S. Cæsarii in Palatio* vetus fuisse *Oratorium* Palatio Lateranensi conjunctum, de quo, & non de illo in Via Appia, Anastasium loqui existimat, cum in Leone IV. ait: *Et in Monasterio S. Cæsarii, quod ponitur in Palatio*, &c. & hinc ad hoc Monasterium cognomen *in Palatio* per errorem derivatum. Sed qui insculpti visuntur literarum characteres ibidem in marmore, locutioque Anastasii, *quod ponitur in Palatio*, &c. cognomen potius simpliciter ecclesiæ illi datum denotans, quam veram aliquam ecclesiæ illius cum Palatio Lateranensi conjunctionem; tum quod illic Monasterium fuit, cui cum Palatio Pontificio, & Oratorio non bene convenit, plus apud me in contrarium valent. Ceterum Monasterium hic exstitisse certum est: & idem Martinellus Monasterium, quod Anastasius *S. Cæsarei de Corsas* ad *S. Sexti* appellat, hic fuisse, alibi asserit; cui familia *Corsa* nobilis olim Romæ, ac potens illis temporibus, nomen dedit; e qua vel devotæ virgines illud construxerunt, vel in eo consecratæ sunt. Cognomen autem *in Palatio* ab illius potuit accepisse cinia.

Sub Thermis *Via Nova* fuit, ejusdem Imperatoris opus. Spartianus: *Idem Novam Viam munivit, quæ est sub ejus Thermis, Antoninianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias.* Aurelius Victor: *Per eum aucta urbs magno accessu Viæ Novæ*, &c. Sed cur ei *urbs* hic *aucta* dicitur? an quia, ut hanc urbi includeret, prolata a Caracalla mœnia? an vero ornamentis per hanc aucta; an exæquatione, artationeve Clivi Aventini sub Thermis, spatium planitiei amplificatum, ut in ea *Via Nova* institueretur? Multi sunt, qui *Viam Novam* crediderunt, quæ a Foro incipiens prope ædem Vestæ ducebat in Velabrum; de qua in reg. IV. dixi, secutam eam infima Palatini a latere Circi Maximi, inde ad Piscinam Publicam, & Thermas Antoninianas sese protendisse. Sed in eo errant. Illa enim *Via*, licet *Novæ* nomen habuerit, antiquissima tamen fuit, & abusque Tarquinii Prisci ætate. Hæc autem rectius *Novæ* nomen sortita est, quippe diu post a Caracalla munita. Volaterranus eam Appiæ partem existimabat, quæ Brundusio ad ipsam Portam Capenam pertingens, ab eodem Caracalla intra civitatem prolata ducta sit inter Portam & Thermas, sub *Novæ* nomine: Appiam vero in urbem intrasse, & perrexisse recta ad Circum usque Maximum, fuisseque principem & celeberrimam viarum latissimamque, communis Antiquariorum opinio est, tametsi Appiæ initium Frontinus, Statius, aliique, extra portam statuunt, ut in reg. X. attigi; quodque etiamnunc negari non posse existimo. Quare si quis improprie *Appiam* appellare voluerit eam, quæ intra portam ei proximam via fuit, nomen hoc illi viæ tribuat necesse est, quæ recta, aut quasi recta, ut videtur, a Circo Maximo ad Portam Capenam quondam perrexit. Neque enim verisimile est, quum Appius extra urbem, Capuam usque, viam de suo nomine appellatam munierit, *Reginam viarum* dictam, quod pulcherrima & prælarga esset, intra urbem versus eandem portam non itidem viam fuisse latam & egregiam, usque ad tempora Caracallæ. Inter Viam Rectam, id est inter ædem *S. Cæsarii* & Antoninianas, longus

tractus est: quod si vero *Via Nova* sub illis Thermis fuit, illi certe vicina fuit, junctave, quo ipsa celebrior hoc pacto & frequentior evaderet. Quod de pulchritudine ejus Spartianus ait, qua omnes urbis vias superabat, Donatus de porticibus accipit, & suffultis columnis ad imaginem Fori ædificiis. Immo ego & ædificiorum aliorum excellentem pulchritudinem insignem huic viæ ornatum contulisse arbitror, quorum sine dubio sumtuosissimum *Thermæ* fuere. Fortean & illorum operum & porticuum residua postea *Palatii* nomen temporibus inferioris ævi acceperunt, & cum ecclesia deinde *S. Cæsarii* communicarunt.

Ceterum quum in Victore non *Via Nova*, sed *caput Viæ Novæ* legatur, situs ejus facilius mihi & certius expediri posse videtur. Nam si in regione XII. solum caput ejus fuit, reliqua pars, quæ muros secuta est, aut I. regionis, Portæ Capenæ, fuit; aut XIII. Aventini. Si I. (ut verisimilius, quum juxta Aur. Victorem in planitie esse debuerit) facile nonnihil intra Portam a Recta Via, nempe Appia sinistrorsum flexisse potuit, ubi Aventinus collis ab Appia discedere incipit; & inde per clivum ejus sub Thermas usque perrexisse. Nam quod in Notitia non *Caput Viæ Novæ*, sed *Novam Viam* legatur, nil obstat, aut me movet, quum plurimi in ea errores deprehendantur; sic ut major Victori, quam Notitiæ, fides habenda videatur.

Recte vero *Horti Asiniani* hac in regione adnotantur, quia in *Via Nova* fuerunt. Ita Frontinus lib. I. de Aquæductibus: *Anio Vetus pervenit in regionem Viæ Novæ ad Hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuitur*. Videntur igitur sub Aventino fuisse prope Thermas, & ad *caput Viæ Novæ*, quoniam regio XII. ulterius non porrigebatur. Donatus recte illos Asinii Pollionis fuisse censet, qui in Aventino Atrium Libertatis restituit, in eoque Bibliothecam primus publicavit. Hinc patet, Portam & Viam *Asinarias*, non *Asinianas* dictas, ut quidam putavere, nec cum his hortis quidquam habuisse commune. Illæ enim ad *S. Joannem Lateran.* fuere, teste Procopio, hi ad dextram Viæ Appiæ in Aventino.

Area Radicaria, & *Campus Lanatarius* Pancirollo nomen sortita videntur a radicibus, seu raphanis, illic vendi solitis, & lana. Fortean altera ex his aream illam grandem constituit, quæ exsiccata piscina publica illic superfuit.

Septizonium Severi, quod Victor hic nominat Panvinii, hoc in loco exstitisse nec ipse diffiteri ausim. Nam vel in hac, vel in I. regione fuisse certa res est. Atque ita, qui illa Victori attexuit additamenta, hic feliciter divinum egisse potuit: an egerit, incertum; potestque additio illa esse adulterina. In regione X. jam dixi, *Septizonium Severi* sub Palatino fuisse contra ædem *S. Gregorii* quod conditorium non fuit, sicut nec *Septizonium Vetus*: nam de tertio alia ratio est: ut illic exposui. Siquidem quod e Spartiano de sepulcro Severi attuli *specie Septizonii* exstructo, facile evincit, formam sepulcris id genus *Septizonii* fuisse, at non verum Septizonium. Cetera ibidem verba, *In Via Appia euntibus ad portam dextrum*, dextrum latus indicant viæ, quæ recta ad portam ducebat. Sic ut sepulcrum illud inter *S. Cæsarii* & portam *S. Sebastiani* fuisse videatur, adeoque in hac potius, quam in I. regione: fortean & extra portam ad dextrum Viæ Appiæ latus urbem petentibus. Quod si in urbe fuit, Servium crediderim, qui istis vixit temporibus, hoc sepulcro deceptum ad lib. X. Æn. dixisse: *Unde Imperatores & Virgines Vestæ, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulcra*. Nemini enim Imperatorum, excepto Trajano, cujus hoc A datum bonitati, nec ante, nec post illum, concessum scribit Eutropius, ut intra muros sepelirentur: quod singulorum scrutanti sepulturam verissimum esse apparebit.

Panvinius hic *Septizonium Vetus* notat. Sed hoc, ad quod Titus natus, hac in regione fuisse, nusquam legitur; nec, unde ille id hauserit, constat. Sepulcrum enim Septizonii specie in Via Appia fuisse ad portam, jam nimisquam manifestum est.

Isidem Athenodoriam Antiquarii Templum Isidis a Caracalla constructum putant, qui & duo inscriptionum fragmenta afferunt inter ædem *S. Sixti* B & Thermas Ant. effosa. In horum altero legas: SÆCVLO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDI SALVTARIS CONSECRATIO. in secundo vero: PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANÆ REIP. ARCANAQ. MORBIS PRÆSIDIA ANNVANT. QVORVM NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE. Addunt & illa Spartiani de Caracalla: *Sacra Isidis Romam deportavit, & Templa ubique magnifice eidem Deæ fecit*. Verisimile enim in nova quoque a se munita via Imperatorem numini huic Templum dedicasse. Hoc ut concedam, facile a me C impetrari potest: attamen *Isidem Athenodoriam* non ædem, sed statuam fuisse existimo, Deæ illi alicubi in publico positam, ut ceteris Dis fieri solitum: auctoremque, seu artificem, *Athenodorum* Statuarium Rhodium, celebrem Polycleti discipulum. De hoc Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. *Ex hic Polycletus discipulos habuit Argium, Asopodorum, Alexim, Phrynonem, Dinonem, Athenodorum*, &c. Fuitque is unus ex Statuariis, qui admirabilem Laocoontis statuam fecere, quæ olim in Titi domo, nunc in Vaticano ostenditur. De ea Plinius lib. XXXVI. cap. V. *De Consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus, &* D *Athenodorus Rhodii*. Quare cuum *Athenodorus* is Statuarius fuerit, non autem Architectus, opus ejus statua fuit, diu ante Caracallæ principatum facta, unde toti illi tractui forsan impertitum nomen est.

Ædes Bonæ Deæ Subsaxanæ non illa celebris quondam ejusdem Deæ existimanda est, quæ in Aventino fuit, quousque regio XII. non porrigebatur: sed alia, cui forte ad distinctionem *Subsaxanæ* cognomen datum. Ovidius lib. V. Fastor rupem Aventini describens, in qua Bonæ Deæ templum, *saxi* illi vulgare nomen fuisse indicat:

Est moles nativa: loco res nomina fecit:
Appellant Saxum: pars bona montis ea est.

E Quum autem regio hæc Aventino subjecta fuerit, pars ejus, quæ clivo proxima fuit, id est dextra a Circo ad portam tendentibus, recte *sub saxo* dici potuit. Quumque altera Bonæ Deæ ædes in illo saxo fuerit, optime, huic nomen *Subsaxanæ* convenit. Tandem cum nulla nisi unius templi Bonæ Deæ in urbe notitia exstet; Spartianus autem in Hadriano scribat, Imperatorem illum inter cetera ædificia *ædem Bonæ Deæ transtulisse*: ubi non restitutio, sed nova ædificatio indicatur, idque alio loco, non adeo a vero alienum videtur, Hadrianum e difficilis aditus Aventini montis saxo Bonæ F Deæ ædem in hanc planitiem transtulisse, ad quam facilior matronis accessus erat.

Fortuna Mammosa sine dubio nomen a grandioribus *mammis* accepit, aut a majore earum numero in aliqua ejus Deæ statua effícto. Quare nec ædem, nec ædiculam, sed statuam fuisse probabile est, quæ loco illi nomen dederit, ut de *Iside Athenodoria*, *Signo Delphini*, &c. idem dicendum,

existimandumve, alibi docuimus. Alias enim plerumque *ædes*, *ædicula*, *templum*, *sacellum*, aut simile quid addi solet.

Domus Hadriani privatæ meminit Capitolinus in Marco: *Jussusque in Hadriani privatam domum migrare invitus de maternis hortis recessit*. Ut in regione XII. eam fuisse credamus. Sola Victoris sufficere debet auctoritas: tum quod Hadrianus Bonæ Deæ ædem ex summo Aventino in planitiem transtulit, non procul eum a privata domo sua ædem hanc posuisse verisimile est. Sic ut & hæc domus *Subsaxana* dici potuerit.

Domus Chilonis cujus fuerit, non constat. Forte *Magii Chilonis* fuit, solo scelerato facinore suo nobilis. De eo Valerius lib. IX. cap. XI. *Consternatum etiam Magii Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum a Cæsare spiritum sua manu eripuit; vetus etiam Pompejanæ militiæ comes indignatus aliquem amicorum sibi præferri. Urbem enim a Mitylenis, quo se contulerat, repetentem, in Atheniensium portu pugione confodit, protinusque ad irritamenta vesaniæ suæ trucidanda tetendit*. Id ipsum facinus Sulpitius quoque in epist. XII. lib. IV. Familiar. Ciceroni perscribit. Hinc forsan domus ejus posteris nota, & illius situs. Pancirollus *Cilonis* hic legendum putat, eumque *Cilonem* innui, qui ab Aurelio Victore inter eos numeratur quos Severus Imp. ditaverit. Primæ lectioni uterque Codex Victoris patrocinatur, quibuscum & Notitia facit: nec Rufum discensisse inde suspicari licet. Contra Panvinii sententia eo ipso confirmatur, quod Imp. Severus *Ciloni* illi eximiam domum dono dederit, quæ sine dubio illic sita fuit ubi & cetera ejus Imperatoris fuerunt ædificia. Quod si vero tot concordium Scriptorum correctio nimis audax videtur, in Sex. Aurelio vitium esse statuendum erit, quod eo facilius admittendum, quia Cassiodoro in Chronicis amicus ille Severi inter Consules sub illo Imperatore factos non *Cilo*, sed *Chilo*, & *Libo*, legatur. Sed his aliorum est judicium.

Septem Parthorum domus, illorum fuisse Parthorum Pancirollus existimat, quos a Severo Romam deductos Tertullianus refert *de Habitu mulierum*, luxum eorum in vestitu, & conclavium ornatu reprehendens. De iisdem Sex. Aurelius, sive quicunque istius Epitomes auctor fuit, in Severo: *In amicos*, inquit, *inimicosque pariter vehemens: quippe qui Lateranum, Cilonem, Anulium, Bassum, ceterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, ac Laterani*: quas Severus prope sepulcrum suum una cum ceteris operibus habuisse probabile est. Hic præsertim illius, qui recentiorem nobis Victorem ita pulchre exornavit, adulterinæ plumæ dignoscuntur, qui in regione II. ubi habetur *domus Parthorum*, addidit *Laterani*: ex illis sine dubio male consideratis Aurelii Victoris verbis: *Quarum præcipuas videmus Parthorum, quæ dicuntur, ac Laterani*. Quas ille, cum diversæ domus fuerint, stupide conjunxit: tum quoque quod in regione hac legebatur *domus Parthorum*, & quod audiret *Lateranensem* Ecclesiam nominari, *domum* illam putavit esse *Laterani*, pluresque uni domui dominos assignavit. Sed litandum veritati. *Laterani domus*, cujus hic fit mentio, in hac regione fuit: *Lateranensis* in II. regione Laterani fuit antiquioris, a Nerone in fiscum redacta, ut illic dictum est: *domus* quoque *Parthorum* illic recensita diversa est ab hac, quam Severus *septem Parthis* dono dedit.

Domus Cornificii, si Pancirollo hic credendum, *Cornificii* fuit, quem hortatu Augusti ædem Dianæ construxisse Suetonius refert in Aug. cap. XXIX.

Addit hisce Panvinius *Aram Lavernæ*, de qua Varro lib. IV. *Hinc Porta Lavernalis ab Ara Lavernæ, quod ibi ara ejus Deæ*. Quod si conjectura ejus standum, portas ordine recensentis, & *Lavernalem* ultimam numerantis, in illa urbis parte, quæ hac regione Tiberi vicinior fuit, exstitisse censenda est, id est in monte Aventino, ut lib. I. ostendi: idque eo magis, quia *Ara Tutilinæ*, de qua Varro agit, in XIII. regione fuit, ex ipsius Panvinii sententia.

Festus in *Laverniones* de *Ara* & *Luco Lavernæ* hæc habet: *Laverniones fures Antiqui dicebant, quod sub tutela Deæ Lavernæ essent; in cujus luco obscuro, abditoque, soliti furta, prædamque inter se dividere. Hinc & Lavernalis porta est*.

Idem Panvinius & *Fontem Lollianum* hic collocat; de quo hæc exstat vetus inscriptio:

APPIO. ANNIO. BRADVA
T. VIBIO. BARO. COS.
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VVLPIVS. FELIX
N. CONFLONIVS. VITALIO
C. CLODIVS. SATVRNINVS.

Verum cur huic illum potius quam alii alicui regioni attribuerit, argumentum nullum reperio.

Vicus Colapeti in Basi Capitolina *Colafiti Pastoris* dicitur; quod & recentioris Victoris descriptor observasse videtur, qui hic adnotavit, *Colafiti, alias Colapeti Pastoris*.

CAP. VII.

Regio XIII. *Aventinus appellata, sicut ab aliis describitur.*

DUabus præcedentibus regio hæc superinstat; siquidem montis *Aventini* longitudo planitiei illi prætexitur, in qua *Piscina Publica* & *Circus Maximus* uno quasi filo longitudinis sita fuere. Descriptio Victoris hæc est:

Regio XIII. Aventinus.

Vicus Fidii.
—— *Frumentarius.*
—— *Trium Viarum.*
—— *Cæseti.*
—— *Valeri.*
—— *Laci Miliarii.*
—— *Fortunæ.*
—— *Capitis Cantheri.*
—— *Trium Alitum.*
—— *Novus.*
—— *Loreti Minoris.*
—— *Armilustri.*
Ædis Consi.
Vicus Columnæ ligneæ.
Minerva in Aventino.
Vicus Materiarius.
—— *Mundiciei.*
—— *Loreti Majoris, ubi erat Vertumnus.*
—— *Fortunæ Dubiæ.*
Armilustrum.
Templum Lunæ in Aventino.
—— *Commune Dianæ.*
Thermæ Varianæ.
Templum Libertatis.
Doliolum.
Templum Bonæ Deæ in Aventino.

Privata Trajani.
Remuria.
Atrium Libertatis in Aventino.
Mappa aurea.
Platanon.
Horrea Aniceti.
Scalæ Gemoniæ.
Porticus Fabaria.
Schola Caſſi.
Templum Junonis Reginæ a Camillo dicatum Veiis captis.
Forum Piſtorium.
Vici XVII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagiſtri LXXIIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Inſulæ IIMCCCCLXXXVIII.
Domus CIII.
Balineæ privatæ LXIIII.
Lacus LXXIIII.
Horrea XXVI.
Piſtrina XX.
Regio in ambitu habet pedes XVIMCC.

Alter Victor addit:

Ædes Tatii.
—— *Silvani.*
—— *Mercurii.*
pro *Armiluſtro* ponit *Armiluſtri caput.*
Horrea Domitiani Aug.
Porticui *Fabariæ* addit, alias *Fabraria.*
Emporium.
Templum Iſidis.
Clivus Publicus.
Ædes Herculis & Sylvani.
Sepulcrum Divi Tati.
Area publica.
Horrea Varganteii.
Area Pinaria.
Horreorum Galbianorum Fortunæ.
Vici XVIII. *alias* XVII.
Vicomagiſtri LXVIII.
Balineæ privatæ LXXIIII.
Lacus LXXVIII.
Horrea XXXVI.
Piſtrina XXX.
Ambitus regionis ped. XVIMCCC.

In Notitia:

REGIO XIII.

Aventinus continet Templum Dianæ & Minervæ, Nymphæa tria, Thermas Varianas & Decianas, Doliolum, Mappam auream, Platanones. Horrea Galbæ, Porticum Fabariam, Scholam Caſſii, Forum Piſtorium. Vici XVII. *Ædiculæ* XVII. *Vicomagiſtri* XLVIII. *Curatores* II. *Inſulæ duo millia quadrigentæ octoginta ſeptem. Domus* CXXX. *Horrea* XXV. *Balnea* LXIIII. *Lacus* LXXXVIII. *Piſtrina* XX. *Continet pedes ducenta novem millia.*

In Baſi Capitolina:

Vico Fidii.
—— *Frumentario.*
—— *Trium Viarum.*
—— *Ceiſeti.*
—— *Valeri.*
—— *Laci Miliari.*

A —— *Fortunati.*
—— *Capitis Canteri.*
—— *Trium Alitum.*
—— *Novo.*
—— *Loreti Minoris.*
—— *Armiluſtri.*
—— *Columnæ ligneæ.*
—— *Materiario.*
—— *Mundiciei.*
—— *Loreti Minoris.*
—— *Fortunæ Dubiæ.*

B Addit Panvinius:

Mons Aventinus.
Clivus Publicii.
Lauretum.
Spelunca Caci.
Lucus Lunæ in Aventino.
—— *Laurentinus.*
—— *Platanorum.*
—— *Loreti Majoris.*
—— *Loreti Minoris.*
—— *Hylernæ.*
C pro *Minerva in Aventino* habet.
Ædes Minervæ; alias *Palladis in Aventino.*
—— *Matutæ cum æreis columnis & atrio.*
—— *Victoriæ in Aventino.*
Ædicula Fidii, alias Fidei.
—— *Fortunæ Dubiæ.*
—— *Hylernæ.*
—— *Deæ Tutilinæ.*
Porticus Æmilia.
Atrium Minervæ.
Area Jovis Elicii.
Vortumnus, alias *ædes Vortumni.*
Statua Minuci Augurini annonæ Præfecti.
D *Odeum.*
Naumachia.
Campus Pecuarius, alias *Paſcuarius.*
Thermæ Privatæ Trajani.
Fons Sylvani.
Sepulchrum C. Ceſtii Septemviri Epulonum.
Columna P. Mancini Præf. annonæ.
Domus Vitellii Imp.
Ennii Poetæ.
Faberii Scribæ.
L. Licinii Suræ III. *Coſ.*

Merula attexit.

E *Domus Galli.*

Ego vero:

Area Evandri.
Navalia.
Ara & Lucus Lavernæ.
Ædis Floræ.
Caput Vici Sulpici citerioris.
Sepulchrum Aventini Regis.
Templum Fortunæ Dubiæ.
Domus Aquilæ & Priſcillæ.
—— *Marcellæ.*
Sacellum Cacæ.
Domus Phyllidis.
F *Fons Pici & Fauni.*
Ædes Apollinis Medici.
—— *Libertatis in A.*
Domus Maximi.
—— *Umbrici.*
Porticus inter Lignarios.
—— *extra Trigeminam, & poſt Navalia.*

—— *in Aventinum.*
Ædes Spei ad Tiberim.
Vicus Alexandri.

Confinia hujus regionis primo mons ipse constituit, cujus angulus prominet retro *Scholam Græcam*: ad sinistram vero *valli Circensi* imminet e regione Palatini, deinde & alteri *valli Piscinæ publicæ* contra Cœlium, retro Thermas Antoninianas, usque ad urbis mœnia. Ad dextram ab eodem angulo retro *Scholam Græcam* viæ imminet, quæ ad Tiberim est, quam regioni XI. adjudicavimus, usque sub Ecclesiam *Prioratus Romani Equitum Melitensium*. Sub qua, ubi salis albi officinæ sunt, planitiesque laxare sese incipit, regio de monte descendit, & intercedente vetere urbis muro, Portaque Trigemina, ab XI. reg. dirimitur, donec ad Tiberim pertingat, uti infra videbimus: cujus ripam secuta, montemque complexa testaceum, in eadem ripa cum muris hodiernis conjungitur, quibuscum dein ad *Portam S. Pauli* tendit, & Aventino deinde monte ad *Portam S. Sebastiani*, in qua desinit.

CAP. VIII.

Memorabilia in Aventino situs non omnino incerti.

A*Ventinus* ab Anco Martio primum ad incolendum populis a se victis Politorii, Tellenæ, & Ficanæ, quos Romam transtulerat, concessus fuit. Postea Camarini illic a P. R. collocati sunt, teste Val. Maximo lib. VI. cap. v. quos a P. Claudio devictos, & sub hasta venditos, P. R. magna cura conquiri, pecuniaque publica redimi, bonaque ademta iis restitui jussit.

Adscendebatur Aventinus per *Clivum Publicium*, qui male alicubi aliquando *Publicus* scribitur. Livius l. III. dec. III. *Quos cum ex Arce, Capitolioque, Clivo Publico in equo decurrentes quidam vidissent, captum Aventinum conclamaverunt.* His inductus Victoris recentioris ampliator regioni huic addidit, *Clivus Publicus*. Caput ejus idem Livius Foro Boario assignat prope Circum Maximum lib. VII. dec. III. *In Foro pompa constitit: per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde Vico Thusco Velabroque per Boarium Forum in Clivum Publicum, atque in ædem Junonis Reginæ perrectum.* Sic ut ad, vel prope saltem aditum hodiernum fuerit, quo a *S. Anastasiæ* ad *S. Sabinæ* adscenditur: cujus rei idoneum argumentum est *Vicus Publicius*, quem ad ima Palatini inter Forum Boarium & Circum Maximum ad Salinas pervenisse dixi: unde prope Circum Clivus ille vel recto, vel aliquantulum flexo ductu discedebat: item *ædes Floræ* a Publiciis extra Circum, adeoque in transitu inter vicum & clivum, seu potius in ipso clivi capite constructa. Nomen illi ab auctoribus, vel complanatoribus *Publiciis*. Varro l. IV. *Clivus Publicius ab Ædilibus pl. Publiciis, qui eum publice ædificarunt. Simili de causa Publicius Vicus, & Cosconius Vicus*, &c. Accuratior hic Festus: *Publicius Clivus appellatur, quem duo fratres L. & M. Publicii Malleoli Ædiles Cur. pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehicula Velia venire possent.* Ubi non modo origo nominis, sed & causa munitionis *clivi*, & *vici Publicii* indicatur, scilicet ut inter Aventinum & Palatinum, cujus Velia pars erat, vehiculi via esset. Eadem hac de re Ovidius dicit l. v. Fastor.

Parte locant Clivi, qui tunc erat ardua rupes:
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.

Quibus duobus locis, Ovidii, & Festi, omne convellitur eorum opinionis fundamentum, qui *Clivum* hunc supra Circum Floræ in Quirinali constituunt, ut in VI. regione exposuimus.

Hac nunc in Aventinum adscendentibus, media ferme via in duas alias dividitur, quarum sinistra partem collis dimidiam Circo Maximo imminentem legens ad antiquam *S. Priscæ* ædem ducit, ubi *Decii* olim *Thermas* fuisse Antiquarii existimarunt: quos quidam Architectus melior, quam literatus, deridet, numquam a *Decio Thermas* exstructas asserens. Attamen, præter Cassiodorum, apud quem in Chronico, *Decius lavacra publica ædificavit, quæ suo nomine appellari jussit*, non omnino mihi contemnenda Eutropii videtur auctoritas, qui de eodem Imperatore lib. IX. ait: *Romæ lavacrum ædificavit*: cui & Notitia Dign. Imp. suffragatur, quæ *Thermas Decianas* commemorat. Ceterum in Aventino eas fuisse nec affirmarim ipse, nec, unde id Pomponius Lætus, qui hoc tradidit, acceperit, explicuerim. Fulvius, & Marlianus, aliique, qui abhinc seculo vixere, aperte de ruderibus earum a se visis loquuntur: de quibus, quamquam ea jam nulla exstant, adeoque de iis nil certi statuere nunc licet: tamen eosdem consentientes, & oculatos testes, viros præsertim eruditos, falsi insimulare vix possumus: qui, si non *Decii* eas fuisse *Thermas* liquido agnoscere potuere, saltem Thermas fuisse e vestigiis facile colligere valuerunt. Nam quum a Victore *Varianæ* quoque hac in regione collocentur, ad has illa forte rudera pertinuerunt: quarum Thermarum conditor Varius Elagabalus Lampridio in ejus vita dicitur: *Opera publica præter ædem Elagabali, & Amphitheatri instaurationem post exustionem, & Lavacrum in Vico Sulpicio, quod Antonius Severi filius cœperat, nulla exstant.* Ubi non de *Antonini Caracallæ*, sed de *Antonini Getæ* lavacro eum agere, ut Donatus itidem vidit, ex his, quæ sequuntur, liquet: *& lavacrum, quod Antoninus Caracalla*, &c. In Aventino eas fuisse, præter Victoris indicium, tubulus quoque plumbeus arguit, ad Portam *S. Pauli* hoc in monte repertus, cui, teste Panvinio, inscriptum: AQVA TRAIAN Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIAN. CVR. THERMAR. VARIARVM. Qui locus licet aliquantum a dictis Thermis remotus sit, tamen tubulus iste vel aliunde ad eas aquas deferre potuit, vel inde acceptam aliorsum devehere. Nec dissimilis alia inscriptio in marmore, quam sua ætate Marlianus in ruderibus ad *S. Priscæ* inventam ait, quæ *id, quod Frontini verba, significabat*, nempe Aquam Claudiam in Aventino *Trajanæ* nomen adoptasse: cujus *aquæ Trajanæ* in Thermis *S. Priscæ* altera meminit inscriptio; altera vero ejusdem in Thermis Elagabali: unde *Thermas Elagabali* & ad *S. Priscæ* easdem esse si non certum, saltem verisimile est. Adhæc Lampridius Elagabalo *Decii* nomen tribuit, ut supra habuimus: *Postea ab hoc sub Decio Antonino exstructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ.* Sic ut utrumque nomen eidem convenire potuerit Imperatori. At si *lavacrum* hoc secundum eundem Lampridium in *Vico Sulpicio* fuit, & hic non in hac, sed in I. fuerit, juxta Victorem & Rufum, regione; omnis illa prior evanescit abitque disputatio. Unde Pancirollus Lampridium corruptum hic existimat, legendumque, pro *sub Decio*, *subdititio*: ut sit, *ab hoc subdititio Antonino exstructæ*, &c. Quare *Decianis Thermis* sua in Notitia constet fides, accedente, uti vidimus, Cassiodori & Eutropii testimonio. *Varianæ* vero in altera fortasse fuere montis parte, prope mænia, & portam Capenam; sub quibus forte etiam *Vicus Sulpicius* fuit. *Vicus* autem hic duplex fuit, *ulterior* & *citerior*: quorum priorem opinor extra portam

fuisse Capenam, alterum vero intra eandem, in ea I. regionis parte, quæ intra portam exstitisse dicitur. Ceterum non adeo mirum cuiquam videri debet, *Vici Sulpicii citerioris caput* huic XIII. regioni attribui; siquidem & *Viæ Novæ caput* ad XII. pertinuit.

Marmor exstat in æde *S. Priscæ* pervetustum, quod ibidem olim *Templum Dianæ* fuisse testatur, *Commune* a Victore appellatum, quia cunctis quondam Latinis populis commune fuit. At si ibi *Thermæ* fuere, Templum hoc alibi locum habuisse necesse est. Alii ecclesiam *S. Sabinæ* ei assignant, sed conjectura minime probabili. Nec Appianus hic quidquam juvat, a Marliano adductus, qui lib. II. de bell. civ. Cajum Gracchum tradit in *Templo Dianæ* in Aventino se muniisse, indeque per pontem sublicium trans Tiberim se recepisse. Nam ille locum tantum editum & præruptum significat. Donatus autem e Martiali lib. VI. epigr. LXIV. illi eam ædem Aventini parti tribuit, quæ Circum Maximum respicit:

Quique videt propius magni certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Quare non tam *S. Priscæ* ecclesiæ, cui editiora montis imminent, & ubi eapropter Gracchο sui defendendi non tam facilis ratio fuit, quam vicino Aventini vertici, me judice adscribenda est.

Ubi *S. Priscæ* Templum nunc est, olim *Aquilæ & Priscillæ* de gente Hebræa Christianorum Divique Petri hospitum, *Domus* fuit, qui ibidem & aram consecrasse dicuntur, diu post illa in honore habitam. Tandem ecclesia illic *SS. Trinitati* dedicata est, addito cognomine *Aquilæ & Priscillæ*: quo & *S. Priscæ* Virginis & Martyris & translatum cadaver esse erudite Martinellus docet tropæo primo Crucis p. XVIII.

Sura ille, cujus Martialis paulo ante meminit, ille forte *Sura Licinius* fuit, ter Cos. primum sub Nerva, secundum & tertium sub Trajano; ut est apud Cassiodorum in Chronico; ut & apud Fastorum Scriptores: cujus domum haud procul a *S. Priscæ* abfuisse existimo.

Dianæ Templum auctore Servio Tullio, publico populi Latini ære, exstructum fuit, ad instar Ephesini, de quo Livius lib. I. communibus totius Asiæ sumtibus conditi; addita fœderis icti lege singulari, qua de festis & induciis cavebatur. Hanc Græcis literis ære incisam usque ad suam durasse memoriam Dionysius tradit lib. IV. *Cornua* ei *bubula* affixa in memoriam bovis Sabinæ, astu a Cornelio Pontifice interceptæ, & pro victima mactatæ, Livius refert lib. I. Valer. Max. lib. VII. cap. III. & Plutarchus probl. IV. Ab hac æde Martialis sæpenumero toti colli cognomen *Dianæ* impertivit.

Alter adscensus directiore via e Clivo Publicio a *S. Sabinæ* ducit: quod quale olim Templum fuerit, non constat. Donatus *Junonis* id *Reginæ* fuisse putat. Ego vero, cum nullum hujusce ejus, alteriusve indicium reperiam, ita censeo, Domum S. Sabinæ, quæ illustris ac nobilis matrona Romana fuit, &, ut ex Actis ejus liquet, in Aventino habitavit, ibidemque, ut plerique existimant, Martyrii coronam obtinuit, a venerantibus ejus memoriam Christianis, ut fervor istius ferebat ævi, in Oratorium, sive Ecclesiam, commutatam: præsertim quum & sepulchrum ejus in pago Vindiciano subitaneo opere in Oratorium conversum sit, quemadmodum e Martyrologio constat ad III. Septembr. Adhæc Ecclesia illa antiquissima vix alio fuisse loco ædificata videri potest, quam qui Martyri illi pro arena, adeoque minime profanandus fuit.

A In Aventini jugo versus Clivum Publicium duo exstitere *Templa*, quorum *Lunæ* alterum sacrum. De hoc Ovidius lib. III. Fastor.

Luna regit menses: hujus quoque tempora mensis
Finit Aventini Luna colenda jugo.

Situs ejus in summo monte versus Forum Boarium fuit, & principium Circi. Ita Livius lib. X. dec. IV. *Forum ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit, & in posticis parietibus Cereris Templi affixit*. De quo superius aliqua dicta sunt. Alterum *Junonis Reginæ*, votum, ædificatum, dedicatumque a Camillo, Vejis expugnatis: in quod &

B ejusdem Deæ translata Vejis statua est. Meminit ejus idem Scriptor lib. V. *Per Boarium Forum in Clivum Publicium, atque in ædem Junonis Reginæ perrectum*: unde situs ejus vicinus ædi *S. Sabinæ* fuisse videtur: cujus quamplurimæ & pulcherrimæ columnæ marmoreæ facile veteris alicujus Templi se spolia esse arguunt, vel eo ipso loco, vel saltem in proximo conditi. Non enim illæ a primo ædis ejus auctore, nec ab illo Cardinale Petro Sclavo, imo nec ab Eugenio II. qui ejus instauratores

C fuere, illuc advectæ, exstructæque videntur: sed vel e *Templo Lunæ*, vel potius e *Templo Junonis Reginæ*, operibus ea parte urbis celebri fama, petitæ, usurpatæque fuisse. In idem Templum, bello Punico II. magna cum pompa duæ ejusdem Deæ Junonis statuæ delatæ sunt, e cypresso factæ. Livius lib. VII. dec. III. *Post eos duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur*, &c. *simulacra cupressea in ædem illata*.

Templum Bonæ Deæ in jugo fuisse Aventini, ubi Remus condendæ urbis auspicia captabat, Ovidius lib. V. Fastor.

D *Est moles nativa, loco res nomina fecit:*
Appellant saxum; pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Signa Palatinæ prima dedistis aves.
Templa Patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivi constituere jugo.

Eodem illud multi fuisse situ putant, ubi nunc ædes *D. V. Aventinæ* est, cultui dicata *Equitum Melitensium*: at nullo veri indicio. Contra, quod & Donatus iis opponit, locus ille præruptus *leniter acclivis* dici minime potuit, nec umquam fuit. Adhæc quo Aventini jugo fuerit, Ovidius non ex-

E primit; quare in hoc potius, quam in altero fuisse, quis est, qui expromat? Tam bene namque in illo esse potuit, qui Circo Maximo proximus; quique vel ad *S. Sabinæ*, vel *S. Savi*. Quod si locus ille vere *saxum* fuit, uti appellatum est, ac *moles nativa*, & templum *Bonæ Deæ Subsaxanæ* inde, uti supra reg. XII. dixi, nomen mutuatum est, in cujus sedem hoc transportatum, quo commodior matronis ad illud aditus esset, perquam probabile videtur, in illo Aventini jugo, quod Cœlio oppositum fuit, inter Circum Maximum & Thermas Antoninianas prius templum illud, quod regioni XII. novoque templo ejusdem Deæ imminebat, fi-

F tum fuisse.

Bonam Deam Macrobius lib. I. Saturn. cap. XII. *Majam* quoque, & *Faunam*, *Opem*, ac *Fatuam*, Fauni filiam pudicissimam, appellatam tradit. Lactantius lib. I. Inst. *Faunam* itidem & *Fatuam*, sed sororem & uxorem Fauni dictam tradit, fustibus ab eo occisam, quod ebriam deprehendisset: unde & in sacris ei amphora vini tecta offerri solita. Idem & Arnobius l. I. adversus Gentes innuit, & Plutarch. probl. XX. qui tamen aliquantum ab illis diversus. In templum ejus intrare, aut sacris ejus intervenire, maribus nefas; ut e sexcentis constat

Auctoribus. Clodius tamen intrare ausus est ancillæ habitu, ut Julii Cæsaris uxorem adulterio cognosceret. Ita Cicero de Harusp. resp. Plutarchus in Cicerone, &c. Obscænitates autem illius facti cœtu nocturno a feminis perpetrari solitas satyrice Juvenalis Sat. VI. perstringit: ad quem Scholiastes aliqua habet, quæ respici merentur. Dedicavisse hoc Templum Claudia fertur, Virgo Vestalis, de qua Ovidius lib. v. Fastor.

Dedicat hæc veteris Clausorum nominis heres,
Virgineo nullum corpore passa virum.

Restituit autem Livia Augusta:

Livia restituit, ne non imitata maritum
Esset, & ex omni parte sequuta virum.

De *Remuria*, ubi Remus auspicia captabat, ita Festus: *Remuria item in Aventino dicta, namque Aventinum, in quo habitaret, elegisse Remum dicunt. Unde vocitatam ajunt Remuriam locum in summo Aventino, ubi de urbe condenda fuerat auspicatus, alias Remorium quondam eum locum appellatum fuisse.* Marlianus totum quoque montem *Remorium* dictum existimat, sed sine auctore. Nam Plutarchus omnino contrarium dicit, in Romulo: *Remus partem Aventini locum natura munitum commodiorem ducebat, eique loco postea Remorio cognomen fuit.* Ergo, si pars tantum, non totus mons id nominis accepit. Utra vero pars ea montis fuerit, ne ab iis, quæ de Templo Bonæ Deæ diximus, diversa proferantur, facile pronuntiatu est, nimirum, quæ Piscinæ Publicæ imminens Cœlio opposita fuit.

Eodem in monte *spelunca Caci* memoratur, in quam Herculis boves furto interceptas abegit, Euandri ætate. Nomen ei Servius in VIII. Æn. a Græca voce κακός, id est *malus*, venisse ait. Fabulam notissimam Dionysius lib. I. Virgilius lib. VIII. Æn. Ovidius lib. I. Fastor. aliique fuisse referunt. Speluncam hanc Blondus in ea parte montis ponit, quæ Palatinum respicit, & Circum, supra *S. Mariæ* ædem *in Cosmedino*, cui *Scholæ Græcæ* nomen. Sed Marlianus, aliique hic ei contradicunt; quoniam Virgilius eam Tiberi vicinam describit:

Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat in amnem.

Et mox:

Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.

Sed & Solinus illic portam Trigeminam collocat: *Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen est, ubi Trigemina nunc porta.* Quod si tamen Virgiliani versus recte inspiciantur, alia eorum esse sententia videbitur. Euander enim ex *Ara Maxima*, in qua sacrificium obtulit, eam Æneæ indicans ait:

Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem,
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam:
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu.

Ergo non in parte Tiberi obversa esse potuit, sed opposita. Quin & si *Ara Maxima* ad *Scholam Græcam* posita fuisse, ut alii credidere, tamen inde conspici spelunca non poterat, obstante montis situ recta se in longitudinem porrigentis. Videamus igitur, an e Virgilio verus ejus speluncæ situs expromi possit. Habebat illa introitum, seu aditum, versus Palatinum: cum vero Hercules mugientes in ea audiret boves, Cacus adventu ejus perterritus ingenti eam saxo clausit,

A *Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis*
Dejecit saxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultosque emunit objice postes.

Hercules, ut frustra saxum removere conatus nil efficere se vidit, alium aditum aliquoties tentavit:

Ecce furens animis aderat Tyrinthius, omnemque
Accessum lustrans, huc ora ferebat & illuc,
Dentibus infrendens, ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem, ter saxea tentat
Limina nequicquam, ter fessus valle resedit.

B Tandem ea parte, quæ flumini objecta, acutam silicem advertit, quam dorso antri inhærere existimabat:

Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima nisu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

Hanc Hercules arripiens avulsam in Tiberim projecit, atque ita speluncam aperuit:

Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, & imis
Avulsam solvens radicibus; inde repente
Impulit; impulsu quo maximus insonat æther:
C *Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.*

Hac igitur intrans Cacum corripit, & strangulat; ac tum obversum Palatino ostium suapte apertum boves emisit:

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis:
Abstractæque boves, abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur.

D De secundo igitur speluncæ aditu, seu ostio, Solinus agit, vicinum portæ Trigeminæ dicens: *In crepidine montis, supra Navalia, ubi & ædes Herculis Victoris.* Primum enim in opposito latere versus Circum fuit, at non versus *Scholam Græcam*, ut Blondus putabat (nam tam longe a fluvio abfuisse non potuit) haud procul a *S. Priscæ*. Ovidius lib. I. Fastor. fabulam aliter aliquantum enarrans, Herculem vi ostium speluncæ aperuisse dicit: non tamen ideo illud flumen respexisse tradit, verum potius diversum indicat, nulla facta Tiberis mentione; nec saxum illud in flumen decidisse, sed in
E terra hæsisse subsidente ait:

Ille aditum fracti præstruxerat objice montis;
Vix juga movissent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris: cœlum quoque sederat illis:
Et vastum motu collabefecit onus.
Quod simul eversum est, fragor æthera concutit ipsum;
Ictaque subsedit pondere mollis humus.

Sed hæc suæ cujusque relinquentes opinationi, *Aram* ab Hercule *Jovi Victori* dedicatam prope novum illum aditum fuisse, in planitie scilicet ad portam Trigeminam, in reg. XI. e Dionysio ostendi-
F mus: prope quam & *Herculis Victoris ædem* fuisse Solinus & Victor in reg. Fori docent, quemadmodum & alia ejusmodi ad Aram ei Maximam consecrata est.

Hanc in Aventino fuisse Prudentius quoque lib. I. contra Symmachum testatur:

Nunc Saliis, cantuque domus Pinaria Templum
Collis Aventini convexa in sede frequentat.

adeoque in ea montis parte, quæ portæ Trigeminæ

imminebat. Verum, inquiet aliquis, si in colle fuit, cur eam ædem Victor in VIII. reg. una cum altera Fori Boarii recenset? Forte utraque parva, & situ conjuncta, sub unius Æditui fuere cura, adeoque & sub iisdem illius regionis Curatoribus. Auctor ejus *Octavius Herennius* existimatur. Macrobius l. III. Saturn. cap. VI. *Romæ Victoris Herculis ædes duæ sunt, una ad portam Trigeminam, altera in Foro Boario. Hujus commenti causam Masurius Albinus memorabilium lib. I. aliter exponit. Marcus, inquit, Octavius Herennius prima adolescentia tibicen, postquam arti suæ diffisus est, instituit mercaturam, & bene re gesta decimam Herculi profanavit. Postea cum navigans hoc idem ageret, a prædonibus circumventus fortissime pugnavit, & victor recessit. Hunc in somniis Hercules docuit sua opera servatum; cui Octavius, imperato a Magistratibus loco, ædem sacravit, & signum.* Utram hic Octavius consecraverit, non exprimitur. Verum de illa, quæ in Foro Boario fuit, hæc dici inde liquet, quia *decimam Herculi oblatam* dicit Macrobius, quæ ad *Aram Maximam* offerri solebat.

Scalas quoque *Caci* Antiquarii hic recensent, easque ad Portam Trigeminam ponunt, sub ipsa ejus spelunca. Verum quum de his nulla nisi in Solino mentio exstet, ubi de Roma quadrata agit, ad infima eas fuisse collis Palatini reg. X. exposui.

Ceterum, priusquam Caco & Herculi valedicamus, *Sacelli Cacæ*, quæ soror illius fuit, non oblivifcendum videtur. Hæc, ut ait Lactantius l. I. *Herculi indicium fecit de furto boum, divinitatem consecuta, quia prodidit fratrem.* Ædem ei dicatam Servius in VIII. Æn. scribit: *Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit; unde etiam Sacellum meruit, in quo ei per Virgines Vestæ sacrificabatur.* Hoc ad alterutrum speluncæ aditum positum, uti incertum, ita non inverisimile est.

Fuit & in Aventino ad Portam Trigeminam *Evandri Ara*, de qua Dionysius lib. I. *Illisque erectas vidi aras, Carmentæ quidem sub Capitolio ad Portam Carmentalem, & Euandro in alio colle Aventino dicto, non longe a Porta Trigemina.*

Tatii Regis sepulchrum itidem in Aventino fuit, in Laureto. Varro lib. IV. *Inde Lauretum ab eo, quod ibi sepultus est Titus Tatius Rex, qui a Laurentibus interfectus est, ab silvæ laurea, quod ea ibi excisa, & exædificatus vicus.* De *Laureto* illo hæc sunt Plinii lib. XV. cap. ult. *Durat & in urbe impositum loco, quando Loretum in Aventino vocatur, ubi silva lauri fuit.* Dionysius quoque l. III. refert Aventinum sylva omnis generis arborum vestitum fuisse, sed maximam partem lauro: unde & certum adhuc locum in urbe *Loretum* appellari: ibidemque duos fuisse *vicos*, a Victore memoratos, *Loreti minoris*, & *Loreti majoris*, *ubi erat Vortumnus*, negari non potest. Plutarchus vero in Romulo Tatium in *Armilustro* sepultum auctor est: *Ille Tatio quidem honorifice funus faciendum curavit. Sepultus est autem in Aventino. Sepulchri locum Armilustrum vocat.* Quid autem *Armilustrum* fuerit, Varro docet l. V. *Armilustrium ab eo, quod in Armilustro armati sacra faciunt: nisi locus potius dictus ab his; sed quod de his prius, id ab ludendo, aut lustro, id est, quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Ubi primo notandum *Armilustrium* & *Armilustrum* diversa esse. Prius enim nonnisi festum fuit, ideoque in Calendario vetere Maffejano a. d. XIX. Octobr. legitur, ARM. N. P. *Armilustrium nefastus primo*: alterum locus erat, in quo festum fiebat. Hinc idem Varro prius lib. IV. dixerat: *Armilustrum ab ambitu lustri locus.* Erat igitur *Armilustrum* locus, in quo stato die mense Octobri annuum festum celebrabatur, militibus armatis ancilia gestantibus certo quodam lusus genere locum ambientibus. Addit Paulus Diaconus in Epitome Festi: *Armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac, dum sacrificarent, tubis canebant.* Unde Donatus colligit, Salios in orbem se vertentes saltasse, de more ancilia circumferentes, galeis gladiisque armatos. Sed in eo errare mihi videtur. Saliorum enim festum non in XIX. Octobris, sed in II. Martii incidit, ut e Calendario eodem liquet, item ex Ovidio lib. III. Fastor. Plutarcho in Numa, & Dionysio lib. II. nec in eo *tubæ* adhibitæ, sed *tibiæ*; ad cantum tibicinum Salii se moverunt, ut ex eodem discere est Dionysio. *Ergo Armilustrium* diversum a *Saliorum festo* fuit, a militibus armatis ac saltantibus celebrari solitum: quod forte ad *Titi Tatii sepulchrum*, velut annuum parentale, institutum fuit: *Et civitas expensis publicis anno quolibet illi parentat;* ait idem Dionysius lib. II. Atque hæc de re incerta sufficiant.

Locum, seu situm loci, quod attinet, Volaterranus planitiem Testacei lusui huic militari aptissimam fuisse existimat: sed hæc nimis longe ab Aventino remota est, tametsi huic ipsi accensita regioni: dein milites non alio in loco, quam in Campo Martio exercitabantur. Marlianus autem non distinguit eum a *Circo Maximo*, quia Varro lib. IV. ait: *Armilustrum ab ambitu lustri locus: item Circus Maximus dictus.* Sed longe alia mens Varronis est. Plures enim adferens nominis origines, adfert inter cetera: *Armilustrum ab ambitu lustri locus*: tum his subnectit: *item Circus Maximus dictus, quod circum spectaculis ædificatus*, &c. unde nihil huic cum illo, nisi simile nominis etymon, commune esse liquet. Tatium supra e Plutarcho in *Armilustro* sepultum habuimus: ergo *Armilustrum* in Aventino fuit; quia & *Loretum* illic fuit, in quo Tatium sepultum supra vidimus. Idem & veteris inscriptionis fragmentum indicat, quod Faunus sua ætate ad *S. Alexii* in vineis repertum ait: SACRUM MAG. VICI. ARMILUSTRI. Ergo in summo Aventino primo *Lauretum* fuisse, dein duos ejusdem *vicos*, *sepulchrum Tatii*, & *Armilustrum* cum *vico* suo, si non certum, saltem probabile est.

In Aventino quoque, teste Surio & Lippomano, *domum* habuit *Euphemianus*, dives & nobilis civis Rom. *S. Alexii* pater, principatu Honorii. Servantur etiamnunc in hujus Sancti æde *scalæ ligneæ*, sub quibus ille, a peregrinationibus redux, ignotus suis in domo paterna vixit, & mendicus supremum vitæ diem clausit. Hinc opinio nata, domum hanc ad ædem illam sitam fuisse, quæ ædes primum *S. Bonifacio Martyri* fuit dedicata; qua de re adeundus Baronius ad Ann. CCCV.

Præter Laureta *Lucus* quoque hic *Laurentinus* a Panvinio statuitur de sententia Blondi, Marliani, aliorumque: verum hi omnes magno mihi in errore versari videntur, quod Varronem non recte intellexerint. Hic enim situm illum *Lauretum* dici ait *ab eo, quod ibi sepultus est T. Tatius Rex, qui a Laurentibus interfectus est*: deinde aliam addit rationem, (ubi forte vocula *aut* deest) *ab silva laurea, quod ea ibi excisa, & ædificatus vicus.* Eadem fere dicit Festus lib. XIX. *Tatium occisum ait Lavinii ab amicis eorum legatorum, quos interfecerant Tatiani latrones, sed sepultum in Aventiniensi laureto.* Blondus Plinium testem citat, cujus alium, quam qui supra allatus, hac de re agentem, & unde id colligi possit, locum non invenio.

In *Majoris Laureti vico Vortumnus erat*, ut ait Victor, sive templum, seu potius ædicula illius Dei. Consentit & vetus Calendarium, quod *festum Vortumni* in Loreto majore a.d. XIII. statuit Augusti. In

In recentiore Victore pro *Armiluſtrum* ſcriptum *Armiluſtri caput:* ac ſi *Armiluſtrum*, cujus ſpatium ſine dubio intra areæ alicujus ambitum reſtrictum fuit, in eam longitudinem exporrectum foret, ut reliqua ejus pars alii adſcriberetur regioni: unde animadvertere mihi videor Auctorem illius eundem errorem erraſſe, quem Marlianus, atque illud cum Circo Maximo confudiſſe.

De *Æde Minervæ*, ſeu *Palladis Aventinæ*, hæc Feſtus habet in *Scribas*: *Cum Livius Andronicus bello Punico ſecundo ſcripſiſſet carmen, quod a virginibus eſt cantatum, quia proſperius res P. R. geri cœpta eſt, publice attributa eſt in Aventino ædis Minervæ, in qua liceret Scribis Hiſtrionibuſque conſiſtere, ac dona ponere in honorem Livii, quia is & ſcribebat fabulas, & agebat.* Hinc colligere licet, ædem hanc Poetis & Hiſtrionibus fuiſſe dicatam quemadmodum hodieque multæ in Academiis arti alicui conſecratæ ædes ſunt. Ovidius l. VI. Faſt.

Sol abit e Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt;
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

Unde in ſummo fuiſſe Aventini jugo exiſtimare licet, non longe ab *Armiluſtro*: quod & vetus inſcriptio docet *in ruinis templi Dianæ in Aventino* reperta, indice Fulvio Urſino; utrum vero ædem *S. Priſcæ* hic deſignet, an alias aliquas antiquitatis reliquias, neſcio. Exſtat ea inſcriptio apud Gruterum p. XXXIX. 5.

LAPIS. AVSP. S. Q. CAECILIO. METELLO
PONT. MAX. SOLLEMNI CVM
PRAECATIONE. PAL. POP. ROM. CONIECTVS.
IN. FVNDAMENTA. PORTICVS. MINER.......
AVENTINIENS. AB. LATER. COLL.......
VIC. ARMILVSTRO.........
IN. HVNC. D. AVGVR. AVSPI.....
TEMPL. CONSECRA.........
M. CASCELL. AED. CVR.......

Ad hoc *Dianæ Templum*, quod, ubi nunc *S. Priſcæ* eſt, aut in proximo, ſitum fuiſſe dixi, *Phyllidis* alicujus domus fuit, de qua Propertius lib. IV. eleg. IX.

Phyllis Aventinæ quædam eſt vicina Dianæ.

Domus item hic *privata Trajani*, ſecundum Victorem: ad quam hæc pertinere videtur inſcriptio baſis cujuſdam vetus ſub *S. Priſcæ* effoſſa verſus Circum Maximum, & a Panvinio deſcripta:

HERCVLI
CONSERVATORI
DOMVS. VLPIORVM
SACRVM
M. VLPIVS
VERECVNDVS

Fuit & *ara* ibidem, & *lucus Lavernæ*, ad mœnia urbis, quantum conjicere licet, quia in proximo *Porta Lavernalis*, non procul a *Porta S. Pauli*, ut lib. I. indicaſſe memini, cum de ea porta actum eſt.

CAP. IX.

Notabilia ejuſdem montis ſitus plane incerti: & de Planitie Teſtacei.

Aventino Colli quidam nomen inditum exiſtimant ab *Aventino* Albanorum Rege, qui in eo ſepultus. Varro lib. IV. *Alii ab Rege Aventino Albano, quod ibi ſit ſepultus.* Livius lib. I. *Is ſepultus in eo colle, qui nunc eſt pars Romanæ urbis, cognomen colli fecit. Sepulchrum* hoc non in ſummo, ſed in imo colle fuiſſe Sex. Aurelius *de Origine Gentis Rom.* docet: *Poſt illum regnavit Aventinus Silvius: iſque finitimis bellum inferentibus, in dimicando circumventus ab hoſtibus, proſtratus eſt, ac ſepultus circa radices montis, cui ex ſe nomen dedit, ut ſcribit Julius Cæſar l. II.* Eadem ferme Servius in XI. Æneid. dicit: *Apud majores nobiles aut ſub montibus, aut in domibus ſepeliebantur: unde natum eſt, ut ſuper cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes locarentur columnæ.* Locus vero ſepulchri ignoratur.

Victor hoc in colle, ſeu regione, *Scalas* quoque *Gemonias* numerat: quas tamen juxta carcerem ſub Capitolio fuiſſe ſupra demonſtravi. Puto igitur hic vitium in Victore, & mentione ab eo facta *Scalarum* aliarum, eroſo vetuſtate codice, a librario deſcriptore, cui hæ notæ fuere, adſcriptum *Gemoniæ*. Vel etiam, ſi codex vitio caret, aliæ ibidem *Scalæ* fuere, quas vulgus ob ſimilitudinem, ut ſolet, *Gemonias* itidem appellarit; cujus rei certa cauſa ignorabilis eſt. Sic & in via Flaminia non longe ab urbe locus fuit, quem *Sepulchrum Neronis* appellarunt: quum tamen verum ejus *ſepulchrum* alibi fuiſſe certo conſtat, uti ſuperius indicatum. Forſan tabula illic aliqua fuit veras *Scalas Gemonias* exhibens; & hinc loco nomen. Sed hoc divinare eſt: nam certi, quod afferamus, nil ad manum eſt.

Ara quoque *Jovis Elicii* in Aventino ſitus incerti eſt. De ea Livius lib. I. *Jovi Elicio aram in Aventino dicavit,* (Numa) *Deumque conſuluit auguriis, quæ ſuſcipienda eſſent. Ad hæc conſultanda, procurandaque, multitudine omni a vi & armis converſa,* &c. Nomen ei ab *eliciendo*; Ovidius lib. III. Faſtor.

Eliciuntque cœlo te, Juppiter: unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Attamen Plutarchus originem vocis a Græco ἵλεως arceſſit, ac ſi *Propitium* dicas: *Atque Deum quidem poſtea ἵλεω, id eſt, propitium abiiſſe, & locus ab illo elicium appellatum,* &c. Indicavit eo ſcilicet Numa a Pico & Fauno ſe modum eliciendi e cœlo ad hanc aram Jovis didiciſſe; rituque & modis ridiculis auguriorum captandorum præcepta dedit, ut & impetrandorum fulminum. Quare in ſupremo aram hanc fuiſſe vertice Aventini nullus dubito, quo facilius elicientis Jovem carmen exaudiri poſſet: qua vero parte, ab alio lubens didicerim.

Didicerat artem eam numinis eliciendi bonus ille Numa a *Pico* & *Fauno*, quos ille ad *fontem* levandæ ſitis accedere ſolitos in ſpeluncam quandam, ſuppoſito pro aqua vino depoſitos, & hinc in ſomnum lapſos, ex præcepto Egeriæ vinculis conſtrinxerat, nec ante ſolvere voluerat, quam artem eum hanc docuiſſent. Pluribus fabulam exſecuti ſunt Plutarchus in Numa, Ovid. lib. III. Faſtor. & Arnobius lib. II. adv. Gentes.

Sed nec *fontis*, nec *ſpeluncæ* ullum hodie exſtat veſtigium: fuiſſe tamen in infimo colle ex his Ovidii conjicio:

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,
Quo poſſis viſo dicere, numen ineſt.
In medio gramen, muſcoque adoperta virenti
Manabat ſaxo vena perennis aquæ.

Forte irruentibus obruta ruinis jam ignorantur. Locum iis in clivo tribuam lubens Aventini Circi valli contiguo, ubi olim Figulos Varro officinas habuiſſe refert, quum nullæ adhuc aquæ peregrinæ in urbem introductæ eſſent. Aquæ enim

affluentia Figuli ad opera sua indigent. Sed relinquamus ea suis tenebris. Faunus autem ætate sua nonnullos illic exstitisse rivulos tradit, versus Tiberim. Atque ecce tibi ipsissima ejus verba: *Hodie rivuli hic aliqui cernuntur, e radicibus collis scaturientes, & in Tiberim delabentes: quo nonnumquam e Ripa nautæ accedere solent aquam petitum*. Quos quum numquam illic animadvertere potuerim, aquæ potius temporariæ fuisse, quam perpetui fontis rivulos existimem.

Victoriæ hic ab Euandro *ædem* positam Marlianus, aliique e Dionysio afferunt: unde & Panvinius hic addidit, *Ædes Victoriæ in Aventino*. Verum qui attente Dionysii verba examinarit, non in Aventino, sed in Palatino id factum dici, deprehendet.

Libertati quoque *Ædes*, *Atrium*, & *Bibliotheca* in Aventino dedicata. De *Æde* hæc adfert Livius lib. IV. dec. III. *Digna res visa, ut simulacrum celebrati ejus diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingi juberet in Æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex mulctatitia pecunia faciendam curavit, dedicavitque*. Item Festus: *Libertatis Templum in Aventino fuerat constitutum*. *Atrium* vel eodem tempore, vel postpaullo factum ex ejusdem Livii verbis lib. seq. patet, ubi de obsidibus Tarentinis ait: *Custodiebantur in Atrio Libertatis minore cura*. Dies illi sollemnis dicatus Iduum Aprilis. Ovid. lib. IV. Fastor.

Hac quoque, ni fallor, populo gratissima nostro
Atria Libertas cœpit habere sua.

Neque diu post instauratum, amplificatumque fuit a Pæto & Cethego Censoribus. Livius l. IV. dec. IV. *Atrium Libertatis, & villa publica ab iisdem refecta, amplificataque*. Erat in eo *Tabularium*: in quo tabulæ publicæ asservabantur, inprimis quæ ad Censores spectabant. Idem lib. III. dec. V. *Censores ex Templo in Atrium Libertatis adscenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negarunt, se prius quicquam publici negotii gesturos*, &c. Ibidem non diu post jussu Censorum sortes inter quatuor tribus urbanas jactæ, in quam earum libertini adsciscerentur. Idem lib. V. dec. V. *Hæc inter ipsos disceptata: postremo eo deventum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in Atrio Libertatis sortirentur*. Erat hic & affixa inter ceteras lex de Vestalibus incestis. Festus lib. XVI. *Probrum Virginis Vestalis, ut capite puniretur; vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur: lex fixa in Atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumta est, ait M. Cato in ea oratione, quæ de Auguriis inscribitur*. Restituit illud Asinius Pollio, sine dubio multo splendidius, & amplius. Suetonius Aug. c. XXIX. *Multaque a multis exstructa sunt, sicut a Martio* &c. *ab Asinio Pollione Atrium Libertatis*, &c. Ubi, quamquam novi ac recentis videtur esse ædificii commemoratio, quoniam tamen duorum Libertatis atriorum nulla usquam exstat mentio, restitutionem veteris Atrii a Suetonio designari existimo. Potuit nihilominus tota nova majoreque cum magnificentia fuisse ædificatio priore incendio, vel alio quopiam casu, penitus abolita. Isidorus l. V. cap. IV. Etymol. *In atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat*. De *Bibliotheca* vero Ovidius lib. III. Trist. eleg. I.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere passa sua est.

Ab eodem Asinio publicatam Plinius cap. XXX. lib. VII. refert: *In Bibliotheca, quæ primam in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est*. & cap. II. lib. XXXV. *Asinii Pollionis hoc inventum, qui primus Bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit*. Ab hoc forte opere, quod longe excellentissimum, & admiratione dignissimum fuit, Suetonius *Atrium Libertatis* construxisse eum dixit, quod tantum restituerat. Milites hic excubias egisse e primo Hist. Taciti apparet: *Amulio Sereno, & Domitio Sabino primipilari præceptum, ut Germanicos milites e Libertatis Atrio accerserent*.

In regione VIII. e Ciceronis epist. XVI. lib. IV. ad Atticum ostendi *Atrium Libertatis* in Foro non fuisse: id quod & nunc statuo. *Atrium* enim *Libertatis* præter Templum exstitisse e superioribus jam constat: in editiore item loco, e verbis Livii, *Censores in Atrium Libertatis adscenderunt*, &c. adeoque non in Foro, sed in Aventino. Sic, & quod Galba Serenum & Sabinum ad accersendos milites Germanicos, qui in *Atrio* erant, miserit, hi autem sero nimis occiso jam Galba advenerint, *Atrium* sat longo intervallo a Palatio disjunctum fuisse indicat: quod & Suetonius hisce verbis clarius ostendit: *Hi ob recens meritum, quod se ægros invalidos magnopere fovisset, in auxilium advolavere: sed serius itinere devio per ignorantiam locorum retardati*, &c. Tandem Victor Aventino illud adsignans omnem amplius dubitandi ansam præcidit. Pollionem vero non aliud ab hoc diversum in Foro, alibive, fecisse *Atrium*, inde constat, quod nusquam novum hoc a vetere aliquo cognomine distinguatur: tum vero necdum ætate Ciceronis, quum is illam ad Atticum epistolam scripsit, Pollio *Atrium* exstruxerat. Sed & Martialis nimis clare *Atrium* hoc in Aventino fuisse indicat, Pollionis Bibliothecam in *Atrio* eodem eidem Aventino adscribens.

Nec tamen hospes eris, nec jam potes advena dici;
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.

Situm ejus quod attinet, quamquam *Asiniani horti* prima specie *Atrio* vicini fuisse videntur, qui ad radices fuerunt Aventini, attamen nil inde colligi potest, quum *Atrium* in summo montis jugo fuerit: non secus ac Templum: quæ ambo inter ea, quæ incerti situs, referenda sunt.

De *Silvani æde*, quam Victor recentior exhibet, Donatus inscriptionem adfert in vinea prope Antoninianas erutam, sed mutilam, marmore in tria frusta diffracto, quorum duo tantum exstant extrema, illo, quod medium fuit, amisso; quod tamen ipse belle supplevit:

Numini domus Augustæ & San cti Silvani *salutaris sacrum*
Imp. Cæs. Nervæ Trajani Optimi Princ. Ger. Da *cici imagines argent.*
Parastaticas cum suis ornamentis & regulis & basibus *& concameratione ferrea*
C. Julius Nymphius Dec. annalis sua pecunia ponendas curavit, *donumque dedit*
In templo Sancti Silvani salutaris, quod est in hortis Aventinis & *prædio suo*
dedicavitque Idibus Januariis L. Vipsanio Messala Q. Pedone *Coss.*

Sed hic de *Templo* agitur non publico, sed privati prædii, hortorumque: tum prædium esse in Aventino, tunc temporis cultoribus ædificiisque frequentissimo, nullum potuit, verum potius extra urbem in agris vicinis. Quare marmor inde huc translatum videtur: aut, si alicunde translatum non est, agit quidem de *Templo Silvani* in eo prædio, sed non sequitur in Aventino illud fuisse: nam, quod Donatus de suo addidit in *hortis Aventinis*, incertæ conjecturæ est: sic ut Victoris recentioris de *Templo Silvani* hic recensito fides non admodum firmo innitatur testimonio.

Aram vel *ædem Deæ Tutilinæ* in Aventino fuisse Josephus Scaliger asserit in Not. ad Varron. itemque Panvinius: sed Varronis hoc verba non ita perspicue indicant. Ea sunt lib. IV. *Religionem Porcius designat, cum de Ennio scribens dicit, eum coluisse Tutilinæ loca*: deinde autem de Porta *Nævia* agit, & *Roduscula*, quas tum & ipsas Aventino adscribere oporteret.

Ennium item *Poetam* in Aventino *habitasse* Eusebius refert in Chronico: *Qui a Catone Quæstore Romam translatus habitavit in monte Aventino parco admodum sumtu, & unius ancillæ ministerio.*

Panvinius etiam hac in regione *ædiculam Fidii*, & *Fortunæ Dubiæ* collocat, quibus nonnihil lucis ejusdem nominis *Vici* hic a Victore recensiti subministrant. Addit & *ædem* ac *atrium Matutæ*: in quo primus erravit Blondus, qui dedicatam ædem eam a Camillo scripsit in monte Aventino; forte quia in eodem monte idem Camillus aliam ædem *Junonis Reginæ* exstruxit: sed Livius lib. v. *ædem Matutæ matris* eum *refectam dedicaturum, jam ante a Rege Servio Tullio dedicatam*, describit, non autem novam ædificasse tradit.

Mappa aurea quid fuerit, ignorare me fateor: forsan tabula aliqua picta, sculptave fuit, unde loco nomen. *Mappam* signum committendi ludos fuisse supra docuimus in *Circo Maximo*: unde aliquando pro ipsis ludis Circensibus ponitur. Sic Juvenalis Sat. IX.

—— *Interea Megalesiacæ spectacula Mappæ*
Ideum sollemne canunt.

Et Justinianus in collatione IV. Authenticæ tit. de Coss. *Post illum vero secundum aget spectaculum certantium equorum, quod in ipsam Mappam semel exhibendum*, &c. Quare *Mappa aurea* fortasse certamina Circensia picta, vel sculpta continuit.

Scholæ Cassii nusquam, quod sciam, exstat mentio. De hac tamen accipiendam P. Merula inscriptionem illam putat, quæ in porta exteriore *S. Alexii* visitur:

IN. HONOREM. DOMVS. AVGVSTI.
CLAVDIVS. SECVNDVS. COACTOR.
CVM. TI. CLAVDIO. TI. F. QVIR. SECVNDO
F. VIATORIBVS. III. VIR. ET. IIII. VIR. SCHO
LAM. CVM. STATVIS. ET. IMAGINIBVS
ORNAMENTISQVE. OMNIBVS. SVA. IM
PENSA. FECIT.

Sed hic de *Schola* a Tiberio Claudio exstructa agitur, quæ nihil ad Cassium attinet.

Platanon nemus platanorum fuit, simile forte illi, quod ad porticum Pompeii fuisse e Martiale lib. III. supra docuimus.

Vitellii etiam, seu potius uxoris ejus, *domum* in Aventino fuisse Tacitus indicat lib. III. Historiar. *Cur enim e rostris fratris domum imminentem Foro, irritandis hominum oculis, quam Aventinum & Penates uxoris petisset?*

Sed & *Maximus* de multis, quas possedit, unam

A quoque in Aventino habuit. Martial. lib. IX. Ep. LXXI.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ &c. Idem Martialis *Gallo* quoque *domum* in Aventino tribuit lib. X. epigr. LVI.

Totis, Galle, jubes tibi me servire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum, &c.

Faberii Scribæ domum in eodem monte Vitruvius commemorat lib. VII. cap. IX. *Tum etiam Faberius Scriba, cum in Aventino voluisset habere domum eleganter expolitam peristyliis, parietes omnes induxit minio*, &c. cujus forte porticus, cui *Fabariæ* nomen, pars reliqua fuit, legendumque pro *Fabaria*, vel *Fabraria*, *Faberia*: cui tamen Pancirollus a fabis illic vendi solitis cognomen hoc factum existimat.

B *Marcellam* etiam devotam divino cultui matronam Romanam in Aventino habitasse D. Hieronymus scribit in epist. CLIV. ad Desiderium: *Quod si exemplaria libuerit mutuari, vel a Sancta Marcella, quæ manet in Aventino, vel* &c. *accipere poteris.*

Idem & de *Umbricio* amico suo Juvenalis affirmat Sat. III. ubi migrationem ejus ex urbe Cumas describit:

C *Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum*
Hausit Aventini bacca nutrita Sabina?

Sed, ut tandem ex *Aventino* in *Testacei* planitiem descendamus, tempus est, quam inter veterem Portam Trigeminam & Ostiensem, hodie *S. Pauli*, hac in regione interjectam fuisse indiciis pluribus demonstrari potest, de quibus aliqua exponenda existimo.

Ac primum extra Portam Trigeminam vetera fuere *Navalia*, id est locus, quo naves appellere, & merces suas exponere solitæ fuere, flumen subeuntes. Festus: D *Navalis porta, item Navalis regio videtur utraque ab Navalium vicinia appellata fuisse.* Plutarchus in Catone: *Superbus tamen visus est, quod Consulibus Prætoribusque obviam progredientibus neque in terram descendit, neque cursum retinuit, sed prætergressus non prius destitit, quam classem in Navalia appulisset.* Hic autem illa fuisse, non autem in Transtiberina regione, ubi nunc sunt, utque Fulvio, Marliano, & aliis placuit, multis locis clarissime Livius docet, *emporium, porticus*, & cetera, quæ ibi ædificata sunt, opera enarrans: sic lib. v. dec. IV. *Ædilitas*, inquit, *insignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi & P. Æmilii Pauli*, &c. *Porticum unam ex*-E *tra Portam Trigeminam Emporio ad Tiberim adjecto, alteram ad Portam Fontinalem ad Martis Aram, qua in campos iter esset, perduxerunt.* Hanc *porticum Æmiliam* appellatam extra controversiam est.

Alia etiam ibidem non diu post instituta est a Marco Tutio & P. Junio Bruto Æd. Cur. ea parte, qua Forum lignarium fuit. Idem Livius lib. eodem: *Et iidem Porticum extra Portam Trigeminam inter Lignarios fecerunt.*

Idem lib. x. ejusdem dec. de operibus M. Fulvii Censoris loquens: *& Forum*, ait, *& Porticum extra Portam Trigeminam, & aliam post Navalia, & ad Fanum Herculis, & post Spei ad Tiberim Ædem Apollinis Medici.*

F Tum lib. v. dec. v. *Censores extra Portam Trigeminam Emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserunt, & Porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibusque adscensum a Tiberi in Emporium fecerunt, & extra eandem portam in Aventinum porticum silice straverunt.* Hanc ego non in clivo, ita ut per gradus contectos in montem adscenderetur, verum in planitie Navalium factam existimo, extra Portam Trigeminam; neque dextrorsum flumen ver-

sus, sed sinistrorsum versus ima Aventini, secundum cujus longitudinem constructa fuit, in eorum præcipue usum, qui negotiorum curis intenti quietiorem quærebant & tumultu vacuum secessum.

Ergo hic perpetuum *Emporium* fuit, porticibus instructum: & adscensus e flumine gradibus adjutus, exornatusque. *Ædem* quoque *Herculis*, & *Spei* Livius huic loco assignare videtur, ut & *Apollinis Medici*; quæ omnia ad illius ornamentum exstructa fuerunt opera, quod hic appellentium e mari descensus esset. *Emporium* vero mercibus, quæ subvehebantur, acceptandis condendisque serviebat, uti nunc etiam ad *Ripam magnam* ejusmodi visuntur ædificia. Fortean & variarum mercium illic Emporium fuit, quibus naves abiturientes oneratæ sint. Refert Fulvius ætate sua in ripa Tiberis sub Aventinum in veteri marmore lectum:

QVICQVID VSVARIVM INVEHITVR ANSARIVM NON DEBET.

quæ quidem inscriptio Emporio perquam conveniens est, ubi naves onera sua exponere solent.

Navalia quoque ibidem fuisse, receptandis navibus, quarum usus non erat, e Livio constat lib. v. *Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut si Rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in Navalibus collocari Senatus jussit* Quod *Navalium* nomen hinc forsan in totum contermimum vicum derivatum est.

Magna hic lignorum copia fuisse videtur, quæ in proximis sylvis aliisve scissa, fluminéque subvecta, hoc in loco venalia prostabant. Et hinc supra *inter Lignarios* in Livio habuimus; quibus & nunc, in usum pistrinorum præcipue, hic suus locus est.

Sic & *horrea Aniceti*, priori Victori memorata, item *Varganteii*, & *Domitiani* apud recentiorem Victorem, si modo vere illa olim exstiterunt, nusquam melius quam hac in urbis parte posita existimo: quo scilicet naves e Sicilia & Sardinia, horreis urbis appellatis, itemque ex Attica & Ægypto, frumentum adferentes appellere solebant. Nam in editis horrea illa Aventini partibus ædificata, quum alia in hac regione planities, quam hæc ad flumen nulla fuerit, affirmare dementia sit. Non tamen nego, horreorum istorum aliqua non tam frumento, quam aliis quibusvis mercibus condendis, dicari potuisse, quemadmodum & alibi monuisse memini.

Fortunæ vero *Horreorum Galbianorum Conservatricis*, quæ a Victore recentiore commemoratur, nec non *Genii* eorundem, inscriptio vetus meminit, a Panvinio descripta.

NVM. DOM. AVG.
SACRVM.
FORTVNAE CONSER
VATRICI HORREOR
GALBIANORVM
M. LORINVS FORTVNA
TVS MAGISTER
S. P. D. D.

NVM. DOM. AVG.
GENIO CONSERVATO
RI HORREORVM
GALBIANORVM
M. LVRINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S. P. D. D.

A Has ego inscriptiones fuisse statuarum iisdem in granariis positarum nullus dubito: quæ Victoris recentioris fidem confirmare forsan aliis videantur, apud me vero infirmant. Descriptor enim hic, quum ad exemplum veteris Victoris *Horrea* hæc cum ceteris recensere debuisset, minus caute e priore inscriptione vocem *Fortunæ* genitivo casu arripuit: unde liquet a marmore illum hoc auctarium mutuatum esse.

In Notitia *Horrea Galbæ* adnotantur: in eadem sub Præfecto urbis *Curator* quoque *Horreorum Galbanorum* ponitur. Sed Pancirollus ex allatis supra inscriptionibus non *Galbæ*, sed *Galbionis* fuisse ea

B horrea judicat, quem Prosperi Chronicon a Valentiniano adversus tyrannum Bonifacium missum esse refert. Ego vero ita existimo, si a *Galbione* illis nomen factum foret, non *Galbianorum*, sed *Galbioniorum* scribendum fuisse. Tum & in Notitia vitium foret in lectione vulgata: *Horrea Galbæ*. Ceterum quidquid hujus sit, Fulvius & Marlianus inscriptiones illas in vinea Marcelli Capizuchi repertas tradunt, quæ in planitie montis Testacei erat. In alia vero ejusdem planitiei vinea porrecta in longum ædificii grandioris frons visitur, quod ego veteris alicujus horrei majoris, vel plurium

C conjunctarum tabernarum residuum esse suspicor, ex januis fenestrisque pluribus, quæ in eo adhuc supersunt.


Hac eadem Aventini parte *Forum* quoque *Pistorium* exstitisse conjicio, quod in hac regione Victor collocat: nam in præruptis editisve collis nullus Foro commodus locus est: tum & belle Pistoribus cum horreis convenit, unde paratum frumentum ad coquendum. Forsan etiam idem illud *Forum* fuit, de quo supra Livius: *Et Forum & Porticum extra Portam Trigeminam*, &c. Potuit tamen & aliud in illo Emporio Forum exstitisse, inter tot vias, tabernas, & horrea, Mercatorum usibus

D destinatum. Tum & suspicari lubet, Forum hoc non diu ante a Domitiano inchoatum, a Trajano perfectum esse, sub quo *Collegium Pistorum* primum institutum videtur; quemadmodum ex his Sex. Aurelii Victoris in Trajano subodorari datur: *Romæ a Domitiano cœpta Fora, atque alia multa magnifice coluit, ornavitque: & annonæ perpetuæ mire consultum reperto firmatoque Pistorum Collegio*.

Statuam P. Minutio Augurino Præf. annonæ positam prope *Horrea* fuisse perquam versimile est; de qua Plinius lib. XVIII. cap. III. *Minutius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redemit, undecimus plebei Tribu-*

E *nus; qua de caussa statua ei extra Portam Trigeminam a populo stipe collata statuta est*. Idem lib. XXXIV. cap. V. *P. Minutio Præfecto annonæ extra Portam Trigeminam unciaria stipe collata, nescio an primo honore tali a populo, antea enim a Senatu erat*. At hoc loco de *columna*, non autem de *statua* Plinius loquitur, ut in altero: *Antiquior columnarum sicut*, &c. verba sunt Livii antecedentia. Quare dicendum videtur, priore loco de *Minutio Augurino* Tr. pl. agi: posteriore de *P. Minutio* (vel *P. Mancino*, ut Panvinius emendat) Præf. annonæ: aut si idem uterque Minutius fuit, statuam columnæ impositam existi-

F



mandum, cujusmodi in hisce visuntur numismatibus, ab Ant. Augstino Dial. IV. exhibitis: Diversa ab his Livius habet lib. IV. *L. Minutius bove aurato extra Portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi divisit*. Sed uti Lipsius lib. I. Elector. indicat, non levis hic suspicio mendi est: quandoquidem nec Roma, nec Italia illis temporibus, imo nec diu post consecutis, statuam auratam vidit, quemadmodum ex ipso Livio costat lib. X. decad. IV. Valer. M. lib. II. & Ammiano lib. XIV. Idem vero Lipsius in veteri libro se reperisse scriptum testatur *bn auro*, quod ipse explicandum putat, scribendumve, *bove* & *agro*. Fortean rectius, *binis æris*, locutione Livio familiari, nec ab *unciaria* Plinio memorata *stipe* abhorrente. Quod autem ad Plinii verba attinet, addendum mihi videtur, esse, qui *unciariam stipem*, æs in eum usum a volente populo semel collatum, exponant: mihi vero binis illud vicibus factum videri.

Tandem in ingenti illo Emporio magnum bajulorum fuisse numerum valdequam credibile est, quos apud Plautum in Captivis Sc. I. parasitus indicat:

Vel extra Portam ire Trigeminam ad saccum licet,
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.

Hinc liquet, quam bene Aurelianus e colle Aventino mœnia urbis in planitiem promoverit, ut tam præclarum Emporium iisdem includeret, una cum omnibus, quæ illic erant, horreis, tabernis, & ædificiis publicis, privatisque: quæ absque hoc murorum tutamine invasionibus obnoxia erant & objecta hostilibus.

Doliolum quid fuerit, oculis nunc usurpare licet: mons scilicet admirabilis e fragmentis vasorum figulinorum, testarumque, unde ei hodieque *Testacei* nomen est, comportatis enatus: olim etiam quam nunc major, quum mea ego ætate ingentem illic numerum curruum onerari viderim, qui terram inde ablatam in explendas, æquandasque, lutosas in vicinia vias deferebant. Causam nominis veram jam diximus: multæ enim illic figlinæ fuere, translatis eo ab Tarquinio forsan Prisco Figulis, cum Circum faceret, quod flumen in proximo esset ad cocta inde vasa devehenda. Et in hoc omnes consentiunt veteres Scriptores, ex eorum fragmentis huc abjectis montem illum surrexisse: illa enim vulgaris fabula, de tributis urbi a provinciis & urbibus subjectis in vasis figulinis apportatis, nimium anilis est.

Ipsis muris ad Portam *S. Pauli* inclusa insertave conspicitur ingens pyramis sepulchralis, *C. Cestii Monumentum*, opus totum e marmore quadrato. Olim illud extra urbis mœnia fuit, sed ab Aureliano muris ita inserta est, ut pars ejus extrorsum, pars vero introrsum vergat. Inscriptio ejus occidentem versus bipedalibus literis medio operi incisa *C. Cestium* auctorem præfert *Septemvirum Epulonum*: altera vero orienti exposita literis minoribus inferioreque loco *ex Testamento factum* dicit CCCXXX. *diebus*. Prioris hoc est exemplum:

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM.

alterius: OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCCXXX. ARBITRATV. PONTI. P. F. CLA. MELAE. HAEREDIS. ET. POTHI. L.

Vicus Fortunæ Dubiæ a Victore recensitus, ut & Templum ejusdem cognominis ibidem fuisse credatur, efficit. Veruntamen in sequente id fuisse regione mox indicabitur.

Panvinius hic & *Lucum Hylernæ* statuit, de quo Ovidio lib. VI. Fastor.

Adjacet antiquus Tiberinæ Lucus Hylernæ:
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.

In nonnullis autem exemplaribus *Tiberino* & *Hylerni* legitur: verum, quod nulla alia alicubi ejus exstet mentio, utrum hic locorum fuerit, an alibi, incertum est. *Hylerna* vero locus, vicusve fuit ad Tiberim, luco alicui vicinus, haud longe ab urbe, ut opinor: prope quem Ovidius *Nympham*, seu *Deam Carnam* fuisse tradit.

Ad tertium ab urbe lapidem in via Hostiensi ad Tiberim, adeoque non procul a tribus fontibus, quibus *Aquæ Salviæ* nomen, *vicus* fuit *Alexandri* dictus, forte ab Alexandro Severo. In hoc vico superius Obeliscum ex Ægypto jussu Constantii advectum in terram expositum esse memoravi.

Ambitus regionis a Victore pedum dicitur XVIMCC. id est, trium milliar. & trientis. In Notitia IXMCC. pedum esse dicitur, qui necdum duo milliaria conficiunt. Numerum hunc Pancirollus vero propiorem censet, quoniam Dionysius Aventino XVIII. stadiorum ambitum tribuit, quæ faciunt duo milliaria cum triente. Ego tamen Victorem vitio hic carere puto; siquidem Dionysius de solo montis Aventini ambitu loquitur; Victor autem de tota regione, quæ sine dubio majus spatium complexa fuit, quippe cui & Testaceus præter Aventinum assignatus sit.

CAP. X.

Regio XIV. *& ultima, Transtiberina nominata.*

Dividitur hæc regio a ceteris interlabente flumine; unde & recte ultimum locum obtinet. Describitur ea a Victore ad hunc modum.

Regio XIV. Transtiberina.

Vicus Censori.
—— *Gemini.*
—— *Rostratæ.*
—— *Longi Aquilæ.*
—— *Statuæ Siccianæ.*
—— *Quadrati.*
—— *Raciliani Majoris.*
—— *Raciliani Minoris*
—— *Januclensis.*
—— *Bruttianus.*
—— *Larum Ruralium.*
—— *Statuæ Valerianæ.*
—— *Salutaris.*
—— *Paulli.*
—— *Sex. Lucei.*
—— *Simi Publici.*
—— *Patratilli.*
—— *Restituti.*
—— *Saufeii.*
—— *Sergi.*
—— *Ploti.*
—— *Tiberini.*
Gajanium.
Insula ædis Jovis & Fauni, & ædis Æsculapii,
Naumachiæ.
Cornifcæ.
Horti Domitiæ.
Janiculum.
Maniæ Sacellum.
Balineum Ampelidis.

—— *Priscillianæ*.
Statua Valeriana.
—— *Sicciana*.
Sepulchrum Numæ.
Cobortes VII. *Vigilum*.
Caput Gorgonis.
Templum Fortis Fortunæ.
Area Septimiana.
Janus Septimianus.
Hercules Cubans.
Campus Bruttianus.
—— *Codetanus*.
Horti Getæ.
Castra Lecticariorum.
Coriaria.
Vici XXII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri LXXXVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIIMCCCCV.
Domus CL.
Balineæ privatæ LXXXVI.
Lacus CLXXX.
Horrea XXII.
Regio in ambitu habet
pedes XXXVIMCCCCXXXVIII.

Victor alter adjicit, mutatve:

Pro *Gajanium*, *Vicus Gajanarum*
Ædes Furinarum cum Luco.
—— *Isidis*.
pro *Cornifcæ*, *Diæ Gornifcæ*.
Horti cum domo Martialis.
Aræ XII. *Jano dedic*.
Area Vaticana.
Hippodromus.
Templum Fortunæ Liberum.
Castra Vetera.
Lucus Publicus.
Stadius Publicus.
Insulæ numerantur IIIMCDIX. alias CCCCMCCCCV.
Balnea CLXXXVI.
Pistrina XXXII. alias XXII.
Ambitus regionis continet
pedes XXXIIIMCDXXCIX.
Coriaria non legitur.

Notitia habet.

REGIO XIV.

Transtiberina continet Gajanum, Vaticanum, Frygianum, Naumachias V. *Hortos Domitios, Balneum Ampelidis, & Prisci, & Dianæ, Molinas, Janiculum, Statuam Valerianam, Cobortes* VII. *Vigilum, Caput Gorgonis, Fortis Fortunæ Templum, Aream Septimianam, Herculem Cubantem, Campum Brytianum, & Codetanum, Hortos Getæ, Castra Lecticariorum. Vici* LXXVIII. *Ædiculæ* LXXVIII. *Vicomagistri* XLVIII. *Curatores tres. Insulæ quatuor millia, quadrigentæ quinque, Domus* CL. *Horrea* XXII. *Balnea* LXXXVI. *Lacus* CLXXX. *Pistrina* XXIII. *Continet pedes triginta millia quadringentos octoginta octo*.

Basis Capitolina:

Vico Gemini.
—— *Rostratæ Aquilæ*.
—— *Longi Aquilæ*.
—— *Statuæ Siccianæ*.
A —— *Quadrati*.
—— *Raciliani Minoris*.
—— *Januclensis*.
—— *Brutiano*.
—— *Larum Ruralium*.
—— *Statuæ Valerianæ*.
—— *Salutaris*.
—— *Pauli*.
—— *S. Lucei*.
—— *Patratilli*.
—— *Laci Restituti*.
—— *Saufei*.
—— *Sergi*.
B —— *Ploti*.
—— *Tiberini*.

Panvinius addit:

Janiculus Mons.
Vaticanus Mons.
Navalia.
Lucus Vaticanus.
Templum Apollinis in Vaticano.
Templo Isidis addit, *Naumacbinæ*.
Ædes Dianæ Suburbanæ.
Ara Martis.
C *Statua Divi Julii in Insula*.
Circus Vaticanus, in quo Obeliscus
pedum LXXII. *erat*.
—— *Domitiæ in pratis*.
Obeliscus Magnus in Insula.
Naumachiæ adjungit *duæ*.
Campus Vaticanus.
Horti Cæsaris.
—— *Domitiæ*.
—— *Galbæ Imp.*
Albiona.
Prata Mutia.
D —— *Quinctia*.
Nosocomion, ubi ægroti curabantur in Insula.
Thermæ Septimianæ.
—— *Hyemales Aurelianæ*.
Sepulchrum Statii Cæcilii Poetæ.
—— *Hadriani Imp.*

Merula vero:

Ædiculæ Larum Ruralium.
—— *Statuæ Valerianæ*.
Horti M. Reguli Caussidici.
Domus Galli cujusdam.

E Addo & ipse:

Domus Symmachi Ur. Pr.
Sepulchrum Ludieni.
Forum Piscatorium.
Sepulchrum Scipionis.
—— *Honorii Imp.*
—— *Mariæ Augustæ*.
Lacus Philippi Imp.
Horti Ovidii.
Taberna meritoria.
Domus Aniciorum fratrum.
Horti Caji & Neronis.
Sepulchrum M. Aurelii Imp.
F —— *Equi L. Veri Imp.*
Clivus Cinnæ.
Prædiolum L. Pauli Poetæ.

Hujus describere regionis limites operæ pretium non videtur, quod eam Tiberis a ceteris distermi-net. Amplitudo ejus non se intra mœnia urbis

Transtiberina continuit, sed nonnihil extra portam Portuensem, multo vero magis extra Septimianam evagata est usque ad magnam Vaticani vallem, ejusque *Prata*, exadversum Augusti Mausoleum, ubi nunc *Ripetta* est.

CAP. XI.

Transtiberina vetus ab Anco Martio urbi addita.

A Ddidit urbi *Transtiberinam* Rex Ancus, *non inopia loci*, inquit Livius lib. I. *sed ne quando ea arx hostium esset*. Dionysius fusius de eadem differens lib. III. additam dicit, murisque munitam, præsidioque, ad tutelam navigantium, quod Hetrusci omnem trans flumen agrum obtinentes naves deprædari præternavigantium solebant. Idem & Procopius affirmat lib. I. de bello Gothico, qui & hanc causam addit, ne hostes urbi per flumen insidiarentur, molasque destruerent, de quibus suo loco. Eadem de caussa mos fuit institutus, ut cum Comitia Centuriata in Campo Martio haberentur, pars armata civium in Janiculo ad tutelam urbis excubias ageret. Ita Dio lib. XXXIII. *Veriti Romani, ne dum ipsi Comitia Centuriata agerent, hostes per insidias urbem aggrederentur, Janiculum occupantes, censuerunt non omnes simul ire in suffragia, sed ut semper aliqui armati per vices locum custodirent*, &c.

Primi, quibus id concessum loci, Politorii, Tellenarum, aliorumque urbi proximorum Latini nominis oppidorum incolæ fuerunt, quæ Ancus ad ampliandum P. R. agrum destruxerat. Eodem & Veliterni postea abducti, de quibus Livius lib. VIII. *In Veliternos, veteres cives Romanos, quod totiens rebellassent, graviter sævitum, & muri dejecti, & Senatus inde abductus, jussique trans Tiberim habitare, ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset, nec priusquam ære persoluto is, qui cepisset, extra vincula captum haberet*. Ubi duplex dubium occurrit; primum, utrum intra, an extra muros Transtiberinæ regionis relegati fuerint; uti de agro potius extra mœnia, verba illa, *qui cis Tiberim deprehensus esset*, significare videntur: alterum, utrum totus populus, an vero solus Senatus ita castigatus fuerit: quia non solum ex illis, *Senatus inde abductus, jussique* &c. de solo id Senatu accipiendum apparet, verum etiam ex iis, quæ sequuntur: *in agrum Senatorum coloni missi*, &c. Postea & Campani illuc missi, qui Hannibali faventes adversus P. R. rebellaverant. Idem Livius lib. VI. decad. III. *Locus ubi habitarent trans Tiberim, qui non contingeret Tiberim, datus est*. Hic autem locus a ripa Tiberis disjunctus nonnisi in Janiculo, ejusve clivo, esse potuit. Statio deinde illa, seu castra, militum classis Ravennatis fuit, uti reg. III. Misenensis. Ita enim plerique omnes Antiquarii ex Actis Martyrum statuunt, in quis Transtiberina sæpe *Ravennatium Civitas* appellatur. Negat id autem solus Hieronymus Rossus *in Indice Historiæ Ravennatis*, in voce *Transtiberim*. Certo tamen constat castra eorum militum in urbe fuisse; in hac autem potius quam in alia aliqua urbis regione fuisse, indicium nonnullum præbet illa *Civitatem* hanc *Ravennatium* appellandi consuetudo, ob illud, quod inter hanc & urbem intercedit, ope fluminis, divortium.

Tandem vilis illic & minuta plebecula habitavit, indice Martiale lib. I. epigr. CXVI.

Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi. Quid ergo? verna es.
Hoc, quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis, &c.

Unde Baronius lib. I. Annal. Judæos illic sedes suas habuisse suspicatur; quod & ex his Philonis de legatione ad Cajum probari posse videtur; ubi ita de Augusto loquitur: *Nec dissimulans sibi probari Judæos: alioquin non passus fuisset trans Tiberim bonam urbis partem teneri a Judæis, quorum plerique erant libertini, quippe qui belli jure in potestatem redacti ab heris suis manumissi fuerunt, permissi more majorum vivere*. Sed gens illa, quamquam superstitionis & impietatis apud Gentiles rea, non ita tamen vilis & contemta semper habita est, ut nunc solet, sic ut sulphuratorum, vitreorumque fractorum soli permutatores fuerint. Nam & alios eo se mercimonio tueri solitos idem Martialis lib. X. epigr. III. & lib. XII. epist. LVII. indicat. Neque tamen, quod ab Augusto Judæi libertini, bello ante capti, ob ingentem forte eorum numerum, in Transtiberinam semoti fuerint, obstat, quominus aliis quoque temporibus gens illa per universum terrarum orbem dispersa Romæ quoque passim sua habuerit domicilia; quippe ubi & aliis a ritu sacrorum P. R. aliena sacra colentibus habitandi facultas fuit: quemadmodum ex Aquilæ & Priscillæ domo sibi liquere Baronius in Annalibus putat. Hi enim sub Claudio urbe pulsi, & post reversi in Aventino domum habuere, ubi *S. Priscæ* nunc ædes est, & D. Petrum ibidem hospitio recepere. Quod & magis e SS. Petro, Martiale, Paulo, Luca, aliisque gente Judæis, religione vero Christianis, sed ea propter non alia conditione apud Gentiles usis, apparet. Post excidium vero Hierosolymitanum, in summum eos contemtum venisse quippe

Quorum cophinus, fœnumque supellex,

adeoque & trans Tiberim rejectos, perquam probabile est.

Ad eundem modum *Castra* quoque *Lecticariorum*, utpote contemtæ sortis hominum, in Transtiberina regione fuere; ut e Victore cognoscimus. Erant enim *Lecticarii*, uti nunc sunt bajuli sellarii, qui homines lectica, sellave, per urbem ferebant, uti docte Lipsius lib. I. Elector. tradit, quos plerumque servos fuisse privatorum Scævola JCtus docet *leg. uxori qui ff. de auro & arg. legato*; ut & Ulpianus *l. item legato ff. de leg.* 3. & *l. scire debemus* 29. *§. ult. ff. de verb. oblig.* nec non Pomponius *l. si ita ff. de legatis* I. item Papinianus *l. peculium legatum ff. leg.* 2. Præter illos alii quoque abjectæ conditionis fuere, qui publice mercede conducti eandem his operam præstabant, quibus ea servorum copia non erat, cum e Victore hic colligi potest, & e moribus hodiernis probari, quum non gestatorum modo, sed & carpentariorum, aurigarum, ceterorumque id genus hominum maxima copia sit, ea sibi ratione victum parantium. Forsan & *Lecticarii* hic de cerdonibus accipiendi sunt, quod genus oculis naribusque molestum trans Tiberim remotum fuisse Panvinius censet, ex Novella XLIII. cui & Artemidorus suffragatur lib. I. cap. LIII. *Coriariam exercere malum omnibus: corpora enim mortua abjectat cerdo, ideoque ab urbe secluditur*.

Foveas quoque & officinas *coriarias* ibidem fuisse e Victore suspicari licet, e voce *Coriaria*. Sic enim tam spurcum decuit opificium, ut e culti luxuique assueti populi R. oculis summoveretur. Forte in ripa Tiberis fuere, ob aquæ facilem ibidem usum, quæ nunc in altera ripa sunt, in tractu,

A seu vico, cui *Regulæ* nomen. Ad hasce allusisse Martialis videtur lib. v. epigr. LXIII.

Non detracta cani Transtiberina cutis.

qui locus Artemidorum eximie illustrat.

Plurimi item Antiquariorum *Naumachiam Cæsaris* in Transtiberina collocant, juxta ejusdem *hortos*. Sed mihi non probant: contrarium enim ex his Suetonii in Cæs. cap. XL. liquere puto: *Navali prælio in morem cochleæ defosso lacu biremes, & triremes, quadriremesque Tyriæ & Ægyptiæ classes magno pugnatorum numero conflixerunt: ad quæ spectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenæ aut inter vicos, aut vias, tabernaculis positis* B *manerent, ac sæpe præ turba elisi, exanimatique sint plurimi, & in his duo Senatores.* Hic nulla loci mentio fit: verum si ad superiora respicere voluerimus; *Athletæ stadio ad tempus exstructo in regione Campi Martii certaverunt per triduum*: dicendum videtur, in eadem quoque regione *Naumachiam* fuisse. Sed omnem hanc controversiam Dio dirimit, qui lib. XLIII. *Et tandem*, inquit, *navale prælium exhibuit, non mari, neque in lacu aliquo, sed in terra. Effosso enim quodam loco in Campo Martio aquam induxit, navesque introduxit.* De qua *Naumachia* ita existimandum est, quod ejus nulla alia usquam fiat mentio, post exhibita spectacula terram effossam C rursus fuisse exaggeratam & expletam, non secus ac stadio factum, & theatris antea temporariis, quæ post exhibitos ludos rursus destructa sunt. De hac illius repletione hæc habet Suetonius cap. XXXIX. in Cæsare: *In primis Martis Templum, quantum nusquam esset, exstruere, repleto & complanato lacu, in quo Naumachiæ spectaculum ediderat.* Unde, quod illic Templum Marti magnificentissimum Cæsar exstruere voluerit, *Naumachiam* in parte optima & celeberrima fuisse Campi Martii verisimile videtur.

Fuisse autem in Transtiberina *Naumachiam Augusti* Frontinus indicat lib. I. *de Aquæductibus*: *Quæ* D *ratio moverit Augustum providentissimum Principem perducere Alsietinam Aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imo parum salubrem, & numquam in usus populi fluentem, nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret? hanc proprio opere perduxit, & quod Naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus, & privatorum usibus concessit.* Hanc in Transtiberinam ductam esse ex illis, quæ in eodem Frontino mox sequuntur, constat: *Solent tamen ex Transtiberina regione, quoties pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ ex necessitate in subsidium publicarum salientium dari.* Quod si quis hæc Taciti E opposuerit lib XII. Ann. *Augustus structo cis Tiberim stagno*, &c. hoc temporarium fuisse sciat, in cujus complanato deinde solo nemus Mausolei sui sevit. Ita enim Suetonius cap. XXXIV. Aug. *Item navale prælium circa Tiberim, cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est.* Unde liquet verba illa Taciti, *structo cis Tiberim stagno*, Naumachiæ stabili opponi, quam postea Augustus trans Tiberim fecit, ut ex his patet Suetonii Tiber. cap. XXXII. *Bis omnino toto secessus tempore Romam redire conatus, semel triremi usque ad proximos Naumachiæ hortos subvectus est, disposita statione per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes submoveret.* Ubi horti proximi *Naumachiæ* iidem sunt, qui Frontino *Naumachiæ sub*-F *jacentes*. De eadem *Naumachia* loqui Tacitus videtur, lib. XIV. Neronis insanam intemperantiam referens: *Exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula, & cauponæ, & posita verum irritamenta luxus: dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent.* Nec aliter Statius lib. IV. Sylvar. ad Marcellum:

Atque ubi Romuleas velox penetraverit arces,
Continuo dextras flavi pete Tibridis oras,
Lydia quod penitus stagnum navale coercet.
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis.

Situs *Naumachiæ* illi valli adsignatur, in qua *S. Cosmi* Monasterium, corrupte vulgo *S. Cosimato* dictum. At si quis vallem eam accurate consideraverit, statim animadvertet vetera Transtiberinæ mœnia, nihil aut perparum ab hodiernis discedentia, quæ Urbanus VIII. fecit, vallem illam intra ambitum seu sinum suum fuisse. Contra Suetonius in Tiberii reditu *hortos* illos Naumachiæ proximos extra mœnia describit: quos & Statius eapropter *suburbanos* appellat. Unde & *Naumachiam* extra urbem fuisse consequitur: fortean in Judæorum campo: quam postea Aurelianus urbi addidisse videtur.

Ceterum *Horti* hi Suetonio, Statio, & Frontino memorati, non privatorum, aut hortulanorum fuere, sed ipsius Cæsaris Julii, quos ipse populo testamento reliquit. Suetonius cap. LXXXIII. *Populo hortos circa Tiberim publice, & viritim tricenos HS legavit.* Eadem dicit Dio lib. XLIII. *Et civitati relinquebat hortos, qui apud Tiberim erant, jubebatque distribui cuilibet triginta drachmas, ut scribit Octavius*, &c. Hinc tamen solum ad Tiberim eos fuisse liquet. Julius Obsequens autem lib. *de Prodigiis* eosdem extra portam Collinam indicat: *Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam de cœlo tacta.* Sed vel hos alios fuisse Cæsaris hortos, non illos Tiberi vicinos, populoque legatos, vel contextum Obsequentis hic corruptum esse necesse est; & pro *Collina* aliam portam substituendam, nisi forte *Sallustianos hortos* intellexit, qui postea Cæsarum fuere. De fulmine hoc Dio quoque lib. XLII. mentionem facit, solosque hortos Cæsaris nominat, non indicata vel porta, vel flumine. Sed Horatius hic nobis omne dubium expedit lib. I. sat. IX.

Trans Tiberim longe cubans prope Cæsaris hortos.

Quos eosdem, qui *Naumachiæ* paulo ante proximi fuisse dicti sunt, non est, cur dubitemus, adeoque hortos publicos: quos *Templum Fortis Fortunæ* nonnihil nunc illustraturum est.

Templum hoc in ripa fluminis a Servio Tullio exstructum Varro refert lib. v. *Dies Fortis Fortunæ appellatus a Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* In Transtiberina vero regione non Victor modo illud ponit, sed & Donatus in Terentii Phormionem act. v. sc. VI. *Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt. Hujus ædes trans Tiberim est.* Quare vel extra portam Septimianam, vel extra Portuensem fuisse certum est. Aliud huic Deæ Sp. Carvilius Consul dedicavit, qui, ut est apud Livium lib. x. de Hetruscis triumphans, *æris gravis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia: de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locavit prope ædem eidem Deæ ab Rege Servio Tullio dedicatam.* Alii prope ædem idem factum existimant Fortunæ Prosperæ a Servio in Foro Boario conditam: sed minus probabiliter, quum non *Prosperæ*, sed Fortuitæ, id est, ut ait Livius, *eidem Deæ*, Carvilius eam dedicaverit. non enim id ad solum *Fortunæ*, sed ad *Fortis Fortunæ* nomen referendum est. Sed ubicunque illud Carvilii templum fuerit, aliud *Forti Fortunæ* principatu Tiberii ædificatum Tacitus refert lib. II. Annal. *Ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar Dictator P. R. legaverat*, &c. *dicantur.* Hæc vel Servii Tullii vel Carvilii temporis injuria vel quo alio casu collapsa, refectaque, vel nova forsan,

forsan, nec in vestigiis veteris alicujus reposita videri possit, in hortis Cæsaris. Sic ut & hæc *Fortis Fortunæ ædes*, & *Naumachia Augusti* trans Tiberim ultra *portam* hodiernam *Ripensem* prope *Campum Judæorum* sita fuerint.

Die hujus Deæ *festo*, qui XXIV. Junii, ludere juventus Romana in Tiberi solebat cymbis, quem lusum eleganter Ovidio lib. VI. Fastor. descriptum in reg. XI. attuli, ut eum a festo die *Fortunæ Virilis* distinguerem: ubi & vicinitatem *ædis Fortunæ Dubiæ* his versibus indicat:

Convenit & servis; servo quia Tullius ortus,
Constituit Dubiæ Templa propinqua Deæ.

Unde inquirendi subnatum studium, ubi alterum illud templum fuerit, in quo diem festum servi eopse forte tempore egerint. Verum quum *Vicus Fortunæ Dubiæ* a Victore in reg. XIII. constituatur, uti jam supra habuimus; is autem sine dubio nomen ab cognomine templo acceperit, quæ quæso eorum vicinitas in tam disjunctis esse potuit regionibus, nisi vicum vico in utraque sibi ripa fluminis oppositum, adeoque cum *templum*, tum *vicum Fortunæ Dubiæ* in ripa Tiberis ad Testaceum extra urbem fuisse existimemus? Hoc pacto res facilis factu fuerit, ut eodem die & plebs *Fortis Fortunæ*, & servi *Fortunæ Dubiæ* festum in utraque sibi adversa ripa egerint. Sed & hoc, ut plurima alia, inter incerta referendum, & arbitrio alieno permittendum est.

Ludi Piscatorii vocantur, inquit Festus, *qui quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solent a Prætore urbano pro piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus*, &c. Forsan hi iidem, vel saltem ejusdem diei festi fuerunt. Sed ut hæc conjectura nil habet certi, ita certius aliquanto & probabilius *Forum* illic *Piscatorium* fuisse, a M. Fulvio Censore ædificatum, de quo Livius lib. x. dec. IV. *M. Fulvius plura & majoris locavit usus, portum, & pilas pontis in Tiberim*, &c. *& Forum Piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum*, &c.

Veterem *Tabernam Meritoriam*, in qua sub adventum in terras Redemtoris nostri J. C. fons olei miraculis nobilis usque in Tiberim fluxit, ab Eusebio l. I. Hist. Eccl. commemoratus, eo fuisse situ constat, quo nunc Basilica *S. M. Transtiberinæ* conspicitur. Patet id ex inscriptione, FONS OLEI, quæ eopse loco ad altare majus legitur. In cujus rei memoriam Calixtus I. Papa principatu Alexandri Severi templum illic condidit, ut est apud Anastasium, quod lætioribus amplificatum temporibus etiamnunc superstes est. Multorum contra opinio est, non eam fuisse Christianis facultatem, præsertim temporibus illis tristioribus persecutionum, ecclesias publicas solo superexstantes ædificare: quos Donatus l. I. cap. IV. egregie confutat. Addo & ego in Ecclesiam conversas Novati Thermas a Pio Papa sub Aurelio Imp. Nec aliud nobis persuadent plurimæ primorum S. Petri successorum Pontificum sanctissimæ constitutiones, ut Lini, ne mulieres nisi velatæ intrarent ecclesias: Hygini, ut Ecclesiæ sollemniter dedicarentur: item ne materia ecclesiis ædificandis parata in profanos usus converteretur: Urbani I. ut liceret ecclesiis ad reditus Clericorum annuos bona possidere immobilia, & quæ id genus plures: unde liquet, intermittentibus persecutionibus conditas a Christianis ædes fuisse sacras. Neque verisimile est in tanto Christianorum primæ ecclesiæ fervore hac in parte omne eorum studium refrixisse, nec sub lenissimo Vespasiani & Titi imperio, vel sub Hadriano, Antoninoque, extremaque M. Aurelii ætate, item sub Commodo & Severo, quum ecclesiæ multa quies esset, neminem ædificare ecclesiam ausum, quum tam largiter & animose vitam & sanguinem pro fide Christiana profunderent.

Tabernam diversoriam, vel popina, vel aliud quod simile ædificium, locari solitum, fuisse Papinianus docet istius ævi JCtus, *l. si fratres §. si quis ff. pro socio*; ut & Ulpianus *l. urbana* 198. *ff. de verb. sign.* specialius autem Julianus *l. si usufructus* 16. *§. item si domus ff. de usufructu*, tabernas meritorias esse, quæ vulgo diversoria, vel fullonica appellantur. Perplacet autem quod Ciacconius in Calixto I. ait, hanc eandem ecclesiam esse, de qua Lampridius in Alexandro Severo loquitur: *Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent: contra Popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit melius esse, ut quomodocunque ibi Deus colatur, quam Popinariis dedatur. Vixit enim tempore Alex. Severi Calixtus I. qui S. Mariæ Transtiberinæ ædem condidit.*

Fuere nonnulli, qui *Thermas Aureliani hyemales*, quarum Vopiscus meminit, inter Janiculum & *S. Francisci Ripensis* ædem olim fuisse, earumque ibidem hodieque superesse vestigia tradiderint. Rectius autem Donatus Vopiscum Aureliano consilium struendi tribuere, non autem cogitati perfectionem docet. Ita enim Vopiscus: *Thermas Transtiberina regione facere paravit hyemales, quod aquæ frigidioris copia illic deesset.*

Quod ad *Severianas* attinet, quas Panvinius aliique huic afferunt regioni, forte quod hic & *Porta*, & *Janus* fuit *Septimianus*, Victoris potius standum fide puto, qui eas I. regioni vindicavit. Quare rivuli illi aquæ vivæ, quos Blondus ad portam se vidisse *Septimianam* testatur, *Balnei* fuisse vel *Ampelidis*, vel *Priscillianæ* verisimile est, quorum hic Victor mentionem fecit.

Proxime portam *Septimianam Janus* cognominis fuit, a Victore hic recensitus, de quo forte Spartianus agit in Severo, nonnihil, ut puto, vitiosus: *Januæ*, (forte *Janus*, vel *Jani*, ut Lipsius emendat) *in Transtiberina regione ad portam sui nominis, quarum* (f. *cujus*, aut *quorum*) *forma intercidens statim usum publicum invidit*. Fieri tamen potuisse non nego, ut portæ alicui fuerint ædificio publico additæ nobis ignoto, quibus collapsis, mutatave earum forma, (hoc enim verba illa sibi velle videntur, *quarum forma intercidens*) ædificium illud *Jani* postea nomen obtinuerit. Sed, ut verum fatear, Lipsii probo sententiam, qui lib. I. cap. XXX. Elector. *Janos* hosce existimantis Arcus esse Compitalitios, de quibus Victor: *Jani per omnes regiones incrustati, & ornati signis*: quoque Cicero *transitiones per vias* exponit. Et ex horum forte numero, qui vel vetustate corruerunt, vel igne, vel alio aliquo casu, corrupti sunt, solus hic *Septimianus* restitit, cujus Victor noster meminit. Eidem & *Aream Septimianam* vicinam fuisse res ipsa docet.

De *duodecim Aris*, quid fuerint, quum nulla earum nisi in Victore hic exstet mentio, vix quid adferam invenio; nisi quod duodecim eas mensium fuisse symbola existimem, qui Jano sacri.

Sed jam tempus postulat, ut & de *Janiculo* nonnihil dicamus, quem hac in regione, & ex parte muri munitum fuisse constat. Nomen ei a Jano, qui in monte illo, maximeque in ea parte, quæ mœnibus cincta, urbem suam posuit, e regione Capitolii, quæ Saturni sedes. Ita enim Virgilius lib. VIII. Æneid.

Hic duo præterea disjectis oppida muris
Relliquias, veterumque vides monumenta virorum:
Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit urbem.
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Nec multum ab his diversa tradit Plinius lib. III. cap. V. Janiculo nomen *Antipolis* tribuens: *Saturnia, ubi nunc Roma est. Antipolis, quod nunc Janiculum in parte Romæ*. Verum nomen illud forte *Antipolis* ei proprium non fuit; quum ita dicta esse urbs illa potuerit, quod exadversum sita esset Saturniæ. Janiculus autem in longum porrecto jugo ipsum quoque Vaticanum nomine suo complectebatur, ut mox e Martiale videbimus. Rursus Vaticanum aliquando de toto Janiculo dictum præter Plinium Horatius quoque significat, ubi de Tiberi & Campo agit Vaticano lib. I. od. XX. ut Acro, & multo eo melius Porphyrius exponit. Sed verus ejus terminus ædes S. Spiritus in saxea fuit: & hinc deinceps principium Vaticani. Festus in *Janiculum* ita appellatum ait, *quod per eum, tamquam per januam P. R. primitus transivit in agrum Hetruscum*.

Sepulchrum Numæ in hoc monte fuisse Dionysius tradit extremo lib. II. item Auctor *de Viris Illustr.* in Numa, & Plinius lib. XIII. cap. XIII. sub Janiculo vero Livius lib. X. dec. IV. & Solinus cap. II. Inventum id casu post annum ab ejus morte DXXXV. ab homine agrum suum repastinante, ut e Cassio Hemina vetustissimo Annalium Scriptore Plinius excerpsit citato supra loco: *Cn. Terentium Scribam agrum suum in Janiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset. In eadem libros ejus repertos P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Q. F. Tamphilo Coss. ad quos a regno Numæ colliguntur anni* DXXXV. *& hos fuisse e charta majore etiamnum miraculo, quod tot infossi duraverunt annis*. Exsequitur deinde causas, cur tamdiu duraverint; quod scilicet in media arca lapis quidam foret quadratus, omni parte candelis involutus, cereis, an alius generis, dubium. Festus autem ait, *Candelis pauperes, locupletes cereis utebantur*: libris adhæc cedro illitis. Dein, quomodo exusti fuerint, narrat. Variat nonnihil Livius; cujus hæc sunt verba: *In agro L. Petilii Scribæ sub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ, octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inventæ sunt operculis plumbo devinctis, literis Latinis Græcisque utraque arca inscripta erat. In altera Numam Pompilium, Pomponii filium, Regem Rom. sepultum esse: in altera libros Numæ Pompilii esse. Eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum sepulti Regis habuerat, inanis inventa, sine ullo vestigo corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumtis: in altera duo fasces candelis involuti septenos habuere libros, non integros modo, sed recentissima specie: septem libri Latini de jure Pontificio erant: septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adjicit Antias Valerius, Pythagoricos fuisse. Vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodat fidem*. Subjicit deinde, libros hosce ex S. C. in conspectu populi in Comitio exustos. Multa hic mihi dubia animum torquent; ac primum, quo pacto tam præclari charique Regis monumentum per tot secula ita ignotum esse P. R. potuerit, ut & ipse situs ejus ignoratus sit. Dein, qui factum, ut contra morem solitum terra conditus sepultusque sit: (nam casu, seu illapsu terræ temporis injuria ac vetustate id non factum, sed dedita opera, revincti plumbo lapides arguunt.) Tum & cur trans Tiberim, loco inculto, nec ponte adhuc dum urbi juncto, translatum ejus cadaver, terræque mandatum sit. Adhæc quo pacto intra DXXXV. annorum decursum corpus humanum ita consumi potuerit, ut ne vestigium quidem ejus ossium, imo nec pulvis superfuerit. Item, quo pacto libri chartacei, tametsi cedro illiti, & omni cura custoditi, recenti specie esse potuerint: ut &, unde chartæ tunc usus, quam Plinius lib. XIII. cap. II. post Alexandrum M. inventam in Ægypto dicit, annis plusquam CCC. post Numam: &, licet inventa jam & in usu fuerit, unde rudi illo & paupere seculo charta Romam ex Ægypto delata sit, mosque illam cedro illinendi invaluerit. Tandem, quomodo lingua Græca tam familiaris tum temporis Latio fuerit, etiamsi Numa Pythagoræ auditor habitus sit, qui tamen multo ante Pythagoram vixit. Hæc & plura alia forsan me inducerent, ut fraudem atque imposturam hanc recentioris alicujus hominis fuisse suspicarer, nisi tam antiquos Scriptores nimiæ & inconsultæ damnare credulitatis nefas existimarem. Sed quidquid hujus fuerit, sufficit indicasse, ubi hoc sepulchrum fuerit, in ea scilicet Janiculi parte, quam Ancus Martius mœnibus urbis inclusit. Exactiorem vero situm inter incerta referimus.

Sepultus & in eodem colle *Ludienus*, seu *Ludius*, fulmine in Circo interemtus. Festus lib. XVIII. *Statua Ludiensis, qui quondam fulmine ictus in Circo, sepultus est in Janiculo: cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis Senatus decreto intra urbem relata, in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt*.

Ibidem & *Statii Cæcilii sepulchrum* fuisse Eusebius in Chronicis refert: *Statius Cæcilius Comœdiarum Scriptor clarus habetur* &c. *& juxta Janiculum sepultus*.

Quo loco situve *Horti Getæ* fuerint, quos Victor hic nominat, quod nemo Veterum eorum meminerit, vix aliquis divinando assequatur. Non displicet tamen Donati conjectura, qui ad portam eos *Septimianam* collocat, ubi & *Septimianus* patris Getæ *Janus* fuit. Siquidem Severus, teste Spartiano, *proficiscens ad Germanos exercitus, hortos speciosos comparavit, cum antea ædes brevissimas Romæ habuisset, & unum fundum*. Hos ipse ante imperium præstinatos forte postea filio Getæ dono dedit; a quo deinde ornati excultique nomen acceperunt.

Galbæ Imp. Hortos Suetonius Viæ Aureliæ attribuit, cap. XX. *Sero tandem dispensator Argius & hoc, & ceterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ tradidit*. Hic autem via Aurelia vetus intelligitur, quum nova ab Aurelia Imp. postea denominata tum necdum exstiterit. Hinc & extra portam *S. Pancratii* nunc appellatam sepulchrum illud fuisse liquet: de quo nil nobis amplius constat.

Duo porro hic *Campi* a Victore numerantur, *Bruttianus* & *Codetanus*. Prioris & *vicus* cognominis recensetur; unde *Campum* illi vicinum, adeoque vel intra, vel proximum mœnia fuisse suspicari licet. Quod si ea vox simplici litera *T* legenda est, ut in Basi Capitolina visitur, ab servis publicis *Brutiis* habitatum existimem, qui, ut apud A. Gellium legimus lib. X. cap. III. ad comprehendendos, ligandos, publiceque verberandos homines maleficos adhibebantur. Alter *Campus* a Festo sat luculente explicatur, cui *Codeta* dicitur: *Codeta, inquit, ager, in quo frutices existunt in modum codarum equinarum. Codeta appellatur ager trans Tiberim, quod in eo virgulta nascuntur, ad caudarum equinarum similitudinem*. Pancirollus *Codetæ* eum campum fuisse asserit liberti Veri Imperatoris, de quo Capitolinus: at mihi Festi auctoritas potior est. Quoniam vero Victoris non fuit animus agri Romani, sed urbis recensere campos, hunc quoque muris proximum fuisse arbitror, sive is ædificiis excultus, sive aliis urbis usibus dicatus fuerit. Ceterum extra portam Septimianam planities est satis ampla inter Janiculum & Tiberim: quam ego lubens alteri ex his campis tribuerim.

Hercules cubans, & *Caput Gorgonis*, fuere, ut & de aliis hujusmodi sæpius dictum, tabulæ signave publica, quæ locis quibusdam, in quis visebantur, nomen dedere: quod & de *statuis Valeriana* & *Sicciana* statuendum, unde & *vici* nomina mutuati sunt.

Corniscæ, cujus in vetustiore Victore nomen apparet, recentior *Diæ* adscripsit: forte ad exemplum antiqui lapidis, cui inscriptum; ut est apud Panvinium:

DEIVAS
CORNISCAS
SACRVM.

Festi verba sunt: *Corniscarum Divarum locus erat trans Tiberim cornicibus dedicatum, quod in Junonis tutela esse putabantur.*

His additur a recentiore Victore *Ædes Furinarum cum luco*: quicum vetus illa inscriptio convenit a Panvinio allata:

I. O. M. N. AVG.
SACRVM
GENIO FORINARVM
ET CVLTORIBVS HVIVS
LOCI TERENTIA NICE
CVM TERENTIO DAMA
RIONE FILIO SACERDOTE
SIGNVM ET BASIM
DE SVO POSVIT.

Varro singulari numero extulit lib. IV. ubi de Flaminibus agit: *Furinalis a Furina, cujus etiam in Fastis Furinales feriæ sunt.* & lib. V. *Furinalia a Furina, quod ei Deæ publice dies is: cujus Deæ honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua, & Flamen attributus: nunc vix nomen notum paucis.* Idem & lib. VI. ejusdem meminit. Festus in *Furinalia* eadem ferme habet: *Furnalia, sive Furinalia, sacra Furinæ, quam Deam dicebant.* Conveniunt hisce illa Calendarii Maffejani ad XXIV. Julii. FVRR. NP. LVDI. id est, *Furinalia nefastus primo ludi.* Non possum vero non mirari, numerum ejus numinis crevisse, idemque, ut e Varrone & Festo liquet, ex hominum memoria evanuisse. Forsan inscriptio allata non de Dea *Furina*, sed de *Forinis* agit, præsertim cum suus cuique loco genius adsignari solitus fuerit; quod & inscriptio indicat his verbis, *& cultoribus hujus loci.* Quare ex hac mihi inscriptione Victor recentior nomen illud accepisse videtur, insigni, si id, quod conjicio, verum est, errore. In Furinæ luco Auctor *de Viris Illustribus* Cajum Gracchum occisum refert: *Pomponio amico ad Portam Trigeminam, P. Lætorio in ponte sublicio persequentibus resistente in lucum Furinæ pervenit. Ibi vel sua, vel servi Euphoni manu interfectus.* Eadem fere habet & Plutarchus in vita Gracchorum, ubi Gracchum ponte transito in lucum Dis sacrum refugisse, ibidemque vel sua, vel servi manu interemtum refert. Unde trans Tiberim, nec procul a ponte sublicio eundem lucum exstitisse apparet. Meminit ejusdem & Cicero lib. III. de Nat. Deor. Furiam Deam illam fuisse exponens: *Cur non Eumenides? quæ si Deæ sunt, quarum & Athenis fanum est, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinæ. Furiæ Deæ sunt speculatrices, credo, & vindices facinorum & scelerum.*

Albionam agrum Festus explicat. *Albiona*, inquit, *ager trans Tiberim dicitur a luco Albionarum: quo luco bos alba sacrificabatur.*

Maniæ Sacellum Victor commemorat. Mater ea Larum existimabatur. Varro lib. VIII. *Videmus enim Maniam Matrem Larum, & Luciam Volum-*
A *niam Saliorum carminibus appellari.* Festus lib. XII. uberius explicat: *Manias*, ait, *Ælius Stilo dicit ficta quædam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiunt, quas alii Maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitantur parvulis pueris esse larvas, id est, Manes Deos, Deasque, quia aut ab Inferis ad Superos manant, aut Mania est earum avia materna.* Luculentius adhuc Macrobius lib. I. Saturnal. *Qualem nunc permutationem sacrificii, Prætextate, memorasti, invenio postea compitalibus celebratam, cum ludi per urbem in compitis agebantur restituti scilicet a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ ex responso Apollinis, quo præceptum est,*
B *ut pro capitibus supplicaretur: idque aliquamdiu observatum, ut pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniæ Deæ Matri Larium. Quod sacrificii genus Junius Brutus Consul Tarquinio pulso aliter constituit celebrandum. Nam capitibus alii & papaveris supplicari jussit, ut responso Apollinis satisfiere de nomine capitum, remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis: factumque est, ut effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus periculum, si quod immineret familiis, expiaret.*

Trans Tiberim *Domus* quoque *Symmachi* urbis Præfecti sub Valentiniano Imper. fuit, a populo
C exusta. Ita Ammianus lib. XXVII. *Quo instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur, & ambitioso ponte exultat, atque firmissimo, quem condidit ipse, & magna civium lætitia dedicavit, ingratorum, ut res docuit, apertissime, qui consumtis aliquot annis domum ejus in Transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt.* Hanc prope insulam fuisse suo loco exponemus: exstitisse vero & aliam ejusdem Symmachi in monte Cœlio superius jam dictum est.

Tribunal Aurelium in Transtiberina fuisse Marlianus suspicatur, his adductus in eam opinionem verbis Ciceronis in Orat. ad Quirites: *Ego cum homines in Tribunali Aurelio palam conscribi centu-*
D *riarique vidissem.* Quorsum vero ejusmodi in loco tam remoto & ignobili *Tribunal*? an quia viæ Aureliæ a Janiculo principium & caput? sed quid viæ, quæ extra urbem, & tribunali? In hoc *Tribunali* milites lectos & centuriatos Cicero ait: quod in Capitolio fieri solitum e Polybio discimus lib. VI. Quicum faciunt & hæc Varronis apud Nonium de propriet. sermon. *Manius Curius Consul Capitolio cum delectum haberet, nec citatus respondisset, vendidit tenebrionem.* Quare sicubi alibi fuisse videbitur, certe in quavis potius alia regione, quam in Transtiberina. Sed in Foro
E *Tribunal Aurelium* una cum Polleto collocavimus in VIII. regione.

Tribunal vero & carcerem hic fuisse, ubi nunc templum *D. Servatoris de Curte* existit, ex ipso nonnulli cognomine judicarunt: adstruuntque hanc suam opinionem pluribus argumentis: ac primo, quod in legg. XII. Tabb. adversus debitores in carcerem conjectos post LX. dies statuitur; *Tertiis nundinis capiti pœnas luito, aut trans Tiberim peregre venum ito.* Sed e voce *peregre* mihi longe potius ab urbe & Latio in Hetruria, quam in subjecta urbi Transtiberina venditi videntur. Alterum a Magi-
F stratibus petitum est, de quibus Pomponius Jurisconsultus *leg. 2. ff. de orig. juris* ita loquitur: *Et quia Magistratus vespertinis temporibus in publico esse inconveniens erat, quinque viri constituti sunt citra Tiberim, & ultra Tiberim, qui possent pro Magistratibus fungi.* Verum licet hi trans Tiberim Magistratu fungerentur, non sequitur tamen, ibidem eorum tribunal fuisse. Tertium Acta SS. Marii, Marthæ, & sociorum suppeditant: *Venerunt*, inquiunt, *in castrum trans Tiberim ad carcerem, & invenerunt*, &c. Verum de carcere privato hic agitur; quæ lon-

ge alia res est. Sic & in Actis S. Laurentii Christiani carceri mandati leguntur in ædibus *S. Hippolyti* in vico Patritio. Et Anastasius in S. Stephano tradit, Pontificem hunc cum duobus Episcopis, novem Presbyteris, & tribus Diaconis in carcerem conjectum *ad Arcum Stellæ*. Quartum ex oratione Ciceronis petitur pro Flacco: *Sequitur auri Hierosolymitani invidia. Hoc nimirum illud est, quod non longe a gradibus Aureliis hæc causa dicitur*, &c. At *aurum* hoc *Hierosolymitanum* tribunal in Transtiberinam inter Judæos transferre non potuit, quum hæc regio Judæis nondum assignata esset. De *Tribunali* vero *Aurelio* alias largiter disputatum est.

Aram Martis, quam Panvinius hic statuit, superius in Campo Martio fuisse ostendi. Quod si vero altera illa, quam extra portam Fontinalem Livius fuisse memorat, ab illa Campi Martii diversa fuit, in Transtiberina tamen eam exstitisse nullis argumentis probari queat.

Lacum Philippi Imp. Sextus Aurelius de Cæss. hic collocat: *Extructoque*, inquit, *trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat.*

CAP. XII.

Insula Tiberina.

PRiusquam ad Vaticanum progrediamur, ipsum intrandum flumen est: cujus insula huic quoque regioni adscripta est. Enata illa post ejectos Reges. Ita Livius lib. II. *Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit consecratus Marti, Martius inde campus fuit. Forte ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi, quem campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudere in Tiberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. Ita in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo, insulam inde paulatim, & aliis, quæ fert temere flumen, eodem invectis factam. Postea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area firmaque templis quoque ac porticibus sustinendis esset.* Nec diversus abit Dionysius lib. V. Verumtamen quidam hujus seculi Scriptor nimium in tuenda sua sententia pertinax, adeoque ludibrium eruditioribus debens, dum alios deridere & carpere non desinit, in eo, quod de rebus a veritatis similitudine abhorrentibus ex antiquis Historicis collegit, confecitque volumine, inter eas & hanc de enata hoc pacto insula enumerat, eamque ut ridiculam & impossibilem traducit. At ille mihi alveum Tiberis haud adeo diligenter considerasse videtur, qui inæquali altitudine quibusdam locis satis profundus est, aliis autem vixdum tantum aquarum habet, ut arenas contegat, solumque abscondat: unde plures in eo flumine insulæ cæcæ sunt, quæ siccioribus aliquando anni tempestatibus deteguntur, & apparent. Inter eas illa frequentissime conspicitur, quæ post ecclesiam *S. Joannis Florentinorum* est. Quod si igitur cæca isthic aliqua olim fuerit insula, quemadmodum nec impossibile factu, nec ut inverisimile ab adversario negari potest; quam facile, si copiam saccorum frumento differtorum & in Tiberim conjectorum consideraverimus, pars eorum restitare isthic loci, & advecto ab ipso flumine limo compacta insulam efficere: ne quid de immunditiis dicam, & purgamentis urbis, quæ isthuc dejici potuere, & sensim ac longo temporis tractu in altitudinem, molemque excrescere. Quod si accurate, & cum judicio, illa Livii expendantur: *In vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illic illitos limo; insulam inde paulatim, & aliis, quæ fert temere flumen, eodem invectis factam;* quibus & Plutarchus in Publicola consentientia dicit, nimis, quam ut hic describantur, multa; fatebitur sine dubio, rem non adeo absurdam hanc esse. Neque vero ædificia paleis ac stramentis inædificata, sed solido his subjacenti solo, quod & arte ac sudibus, palis, tignis, columnis firmari potuit; non secus ac Venetiis, alibique etiam sub aquis ædium fundamenta ponuntur, statuunturque. Et hæc videtur Livii esse sententia, quum ait; *Postea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area firmaque*, &c.

Quod si vero institutæ a Tarquinio Prisco in flumine molis, ubi cloaca maxima est, si non tota, saltem ex parte creditur historia, potuit illa fluminis aversi diversam in partem cursus, adeoque latentis sub aqua insulæ causa exstitisse; qua parte ante alveus fuerat profundior: hæc autem ingestis post frumentis a Tarquinio Superbo increvisse, atque intumuisse: sic ut manu casuque adjuta inde insula enata fuerit.

Fuit hæc deinde paulatim in speciem navis exædificata: cujus nonnulla exstant ex Tiburtino lapide vestigia in hortis *Fratrum S. Bartholomæi*, ubi & incisus visitur serpens. Ajunt in hanc illam formam effictam in memoriam navis, quæ serpentem, quem Æsculapium fuisse fabulantur, Epidauro Romam advexit. Plutarchus eam *Mesopotamiam* appellat in Othone, ubi Cæsaris statuam sponte conversam in orientem refert, quo in medio fluminis illam sitam fuisse indicare vult: *Et in Mesopotamia insula statuam C. Cæsaris, cum neque terræmotus, neque ventus fuisset, vespere conversam esse ad solis ortum.* Nec abludit in ejus descriptione Ovidius lib. XV. Metam. extremo:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis;
Insula nomen habet, laterum quæ a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

Eadem & in compluribus Martyrum Actis nomen *Lycaoniæ* obtinet.

Exstitit olim in hac insula celebre Æsculapii delubrum, quem Deum sævientis late pestis gravissimæ tempore jussu librorum Sibyllinorum legati a S. P. Q. R. missi Epidauro accivere. Hi pro Deo serpentem adduxerunt grandiusculum, qui in insulam exscendens & templo cultus fuit, & alimentis publice præbitis altus. Historiam facti Epitomator Livii lib. XI. breviter dilucideque ad hunc modum exponit: cum civitas pestilentia laboraret, missis legatis, ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in eorum navem contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere, eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco sedes Æsculapii constituta est. Distinctius adhuc & fusius a Valerio eadem historia describitur lib. I. cap. VIII. & ab Auctore *de Viris illustribus* in Æsculapio: nec non Ovidio lib. XV. aliisque compluribus. Ad hunc modum Diabolus, qui primos parentes nostros sub specie serpentis omnium miseriarum cumulo involvit, atque ideo punitus, & in odium generis humani adductus fuit, nihilominus eadem serpentis forma delectatus ab Græcis ita coli, & ab Romanis magno studio requiri, & cum sollemni sacrorum pompa applausuque recipi voluit, atque ab terrarum domino populo magna cum animi devotione coli, divinisque affici honoribus gestiit. Serpentem hunc Gentiles per multa secula vixisse tradiderunt, opinatique sunt; quam eorum simplicitatem Sacerdotum confirmavit nequitia, quotidianis eum sese alere appositis cibis mentientes. Plinius lib. XXIX.

cap. IV. *Anguis Æsculapius Epidauro Romam advectus est: vulgo pascitur & in domibus: ac nisi incendiis semina exurerentur, non esset fœcunditati ejus resistere*. Sed veritatem rei optime S. Prosper Aquitanus detegit lib. *de Promission. & Prædiction. promiss.* XXXVIII.

Templum hoc eopse loco situm olim fuisse fertur, ubi nunc *S. Bartholomæi* ædes est, in cujus hortis vestigia ejus nonnulla ad sua usque tempora durasse Fulvius & Marlianus tradunt. Nunc autem nihil illic, quod certum ejus aliquod indicium præbeat, videre est. Quod si Ovidium lib. I. Fastorum diligenter attendamus, in altera potius eam ædem insulæ parte collocare videtur:

Sacravere Patres hac duo templa die.
Accepit Phœbo Nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.

Nam, quod ait, *quam premit*, illam partem insulæ innuere videtur, quæ adverso flumini, & in ipsam incurrenti, objecta est, ibidemque templum statuere. Idem enim est, ac si dicat, *ubi eam premit*. Contra ea forma navis, quam insula obtinuit, diversum suadere videtur: nam ut illa adverso subvecta fluvio Æsculapium in puppe habuit, ita & insula eodem situ locoque templum accepisse verisimile est. Sed liberum ea de re suum cuique arbitrium esto. Inscriptum templo carmine Græco remedium adversus venena, quo Rex Antiochus uti solitus; ut est apud Plinium lib. XX. cap. ult. ubi & sententiam carminis refert. Exornavit idipsum tabulis pictis Lucretius Prætor, quas ex præda comparaverat. *Tabulis quoque pictis*, inquit Livius decad. V. l. III. *ex præda fanum Æsculapii exornavit*.

Additum templo & Nosocomium quidam putavere, in quo ægrotantes expositi, ut ab Æsculapio sanarentur; & hoc liquet ex Suetonio in Claudio cap. XXV. *Cum quidam ægra & affecta mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit*. At si simpliciter hic sola verborum ratio habeatur, in tota insula expositi videntur: sin autem Græciæ morem intueri voluerimus antiquum, in ipso Æsculapii id factum templo dicendum est, non autem in aliquo ad id exstructo seorsim Nosocomio. Quare de expositis in tota insula Claudii edictum accipiendum est. Ita Plautus in Curculione lenonem inducit desperabundum e templo Æsculapii egredientem, quod, cum opem ac restitutionem in melius a Deo isto exspectasset, quotidie morbum magis ingravescere sentiret. Ergo ait:

Migrare certum 'st jam nunc e fano foras,
Quando Æsculapii jam sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.
Valetudo decrescit, accrescit labor, &c.

Sic & Aristophanes in Plauto ægrotos in templo salutem, sanitatisque redintegrationem, exspectantes describit.

Prope fanum Æsculapii *Jovis Ædes* fuit. Ovidius lib. I. Fastor. statim post adductos supra versus:

Juppiter in parte est: cepit locus unus utrumque:
Junctaque sunt magno templa nepotis avo.

Quæ conjunctio non incommode de vicina situs in eadem insula accipi potest: sicut utrumque templum non tam conjunctum parietibus, quam loci situ fuerit. Hoc enim indicant verba illa: *Cepit locus unus utrumque*. Quare ædes hæc Jovis in altera forte insulæ parte fuit, ubi nunc *Xenodochium* est *Benfratellorum*. Non negarim tamen, proxime ædem Æsculapii, aut non procul saltem inde conditam esse potuisse: fortean & e regione, uti nunc contra ædem *S. Bartholomæi* ejusdem situm est Xenodochium: vel etiam utrumque templum olim in puppe fuit, utpote loco navis maxime conspicuo. Dedicationem fani Jovis quod attinet, ad hunc modum ejus Livius meminit lib. IV. dec. IV. *In insula Jovis ædem C. Servilius Duumvir dedicavit. Vota erat sex annis ante Gallico bello ab L. Furio Purpureone Prætore, ab eodem postea Consule locata*.

Minus incertus est *Templi Fauni* situs. Ovidius enim hunc denotat lib. II. Fastor.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

id est, in ea insulæ extremitate, quæ *pontem Sixti* respicit. Auctores fuere Domitius Ænobarbus & C. Scribonius Ædiles plebeji, qui multos pecuarios ad populi judicium adduxerunt; tres ex his condemnati sunt, & ex eorum mulctatitia pecunia ædem in insula Fauni fecerunt; ut est apud Livium lib. III. dec. IV. qui & biennio post dedicatam tradit lib. IV. Forma ei, qualis & Jovis ædi, prostyla, id est ex quatuor columnarum serie ab omni latere, oppositis his altioribus aliis columnis in quovis angulo. Ita Vitruvius lib. III. cap. I. *Hujus* (prostylæ) *exemplar est in insula Tiberina in æde Jovis & Fauni*. E quibus verbis dubium alicui nonnullum subnasci possit, unum & commune utrique templum hoc fuisse suspicanti. Verum quod alibi distincta duo fana fuisse legatur, ita Vitruvii accipienda verba sunt, ac si dixisset, *In æde Jovis, & in æde Fauni*.

De *Julii Cæsaris statua*, cujus superius facta mentio est, præter Plutarchum, idem tradunt & affirmant Tacitus lib. I. Histor. & Suetonius lib. V. in Vespasiano.

Ibidem & Simoni Mago a Romanis statuam positam Eusebius refert l. II. Hist. Eccles. cap. XII. & ante hunc Justinus Martyr in Apologia: *In amne Tiberi inter duos pontes est erecta statua, Latinam hanc habens inscriptionem; Simoni Deo Sancto*. Quam fabulam ut refutet, Baronius ad annum Chr. XLIV. hanc inscriptionem in eadem insula inter rudera repertam adfert:

SEMONI. SANGO. DEO. FIDIO. SACRVM
SEX. POMPEIVS. S. P. F. COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS. DECVR. BIDENTALIS
DONVM. DEDIT.

Nam ibi non de Simone Mago, sed de Semone, cui & Sangi & Fidii nomen, Gentilium Deorum aliquo agi, Baronius demonstrat: de quo & nos ad reg. VI. nonnulla attulimus. Utrum vero alia etiam illic Simoni Mago in insula Æsculapii posita fuerit; an vero Scriptores illi in nomine erraverint, similitudine decepti, nec Gentilium numinum satis gnari, cum ipsius Baronii, tum aliorum quoque eruditorum judicio permitto.

Eadem in insula Panvinius unum de maximis ponit *Obeliscum*: in quo & alios habet assentientes. Sed hujus mihi rei nullum aliud, nisi in recentiore Victore, exstat usquam indicium. Unde magis in diversam rapior sententiam, siquidem in antiquiore sex tantum grandium mentio fit obeliscorum: quorum duo fuisse ait in Circo Maximo, unum in Vaticano, unum in Campo Martio, & duo reliquos in Sepulcro seu Monumento Augusti.

Domus item hic fuit Aniciorum, saltem fratrum illorum trium, quorum duo simul Coss. fue-

re sub Honorio. Testis est Claudianus in Panegyrico in eundem Consulatum:

Est in Romuleo procumbens Insula Tibri,
Qua medius geminas interfluit alveus urbes,
Discretas subeunte freto, pariter minantes
Ardua turrigeræ surgunt in culmina rupes.
Hic stetit, & subitum prospexit ab aggere votum.
Unanimes fratres junctos stipante Senatu
Ire Forum, strictasque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de limine fasces.

Ubi & hoc notandum, mœnia urbis insulam versus ab utraque parte fluminis in turres desiisse rupibus impositas.

In eandem insulam e decreto Tiberii altioris fastigii & dignitatis homines damnatos capitis deportari solitos, &, priusquam carnifici traderentur, mensem integrum relinqui, Sidonius nos docet lib. I. epist. VII. ubi de Arvando Præfecto ait: *Sed ut judicio per hebdomadem duplicem comperendinato capite multatus in insulam conjectus est serpentis Epidaurii; ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus, & a rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauseantis exsputus, nunc ex vetere Senatusconsulto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit, uncum, & Gemonias, & laqueum per horam turbulenti carnificis horrescens.*

CAP. XIII.

Mons & Campus Vaticanus.

PArtem Transtiberinæ regionis *Vaticanus* constituit; qui mons licet a mœnibus urbis longiore disjunctis intervallo, nihilominus Campo Martio objectus erat. Unde ei nomen, num a vatum cantu & responsis, quibus obsecuti Romani Etruscos pepulere, ut est apud Festum, an vero a vagituum infantilium præside Deo, uti Varro voluit, an a vaticiniis, quæ illic fiebant, teste Gellio, incertum est; nec explorari verum ulla ratione potest. Sed nec tanti nobis faciendum est, ut in eo exquirendo multum operæ ponamus. Fuit is, uti jam diximus, pars Janiculi, sed latiore significatu. Hinc Martialis lib. I. villam Tullii Martialis describens, quæ in ea exstitit Vaticani parte, quæ ponti Milvio imminebat, Janiculum eum vocat, inquiens:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Janiculi jugo recumbunt.
Illic Flaminiæ, Salariæque.
Gestator patet essedo tacente,
Ne rota blando sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum:
Cum sit tam prope Milvius, sacrumque,
Lapsæ per Tiberim volent carinæ, &c.

Sed de hac villa infra pluribus agemus.

Rursus, nec minus lato sensu, totus ager Romanus, qui ultra Tiberim Vejentium agro conterminus erat, *Vaticanus* dictus, ut e Plinio constat, lib. III. c. V. ubi de Tiberi: *Citra* XIIIM. *passuum urbis, Vejentem agrum a Crustumino, dein Fidenate, Latinumque a Vaticano dirimens*, &c. ideoque & montes, qui illic erant, *Vaticani* appellati, quo nomine & Janiculum supra *Vaticanum* fuisse vocatum ostendimus. Ceterum strictiore significatu Vaticanus a Janiculo diversus erat ac divisus, quemadmodum etiamnunc inter Palatium Apostolicum & Ecclesiam *S. Onufrii* divisus distinctusque visitur. Unde & Campus Brutianus, itemque Codetanus, qui XIV. hac regione inclusi fuere, a Vaticano, velut extra numerum posito, discreti leguntur.

Campus igitur *Vaticanus*, stricto sensu proprioque, absque ullo peccati sive erroris metu, de ea planitie dici potest, quæ inter Vaticanum montem & Tiberim interjacet, cujusque hodie partem civitas Leonina, sive Burgum, occupat. *Vallis* ei nomen *Vaticanæ* Tacitus impertit lib. XIV. Annal. *Clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos Nero regeret*, &c. nisi forte (quod nec a ratione veri abhorret) *Vallem Vaticanam* Tacitus eam solam partem appellavit, quæ inter Vaticanum & Janiculum intersita est depressior. Idem & *infamem* eam vocat: *infamibus Vaticani locis*, &c. Quod aer illic semper insalubris esset, uti Lipsius explicat e simili Frontini loco lib. II. de Aquæductibus: *Ne pereuntes quidem aquæ otiosæ sunt: nam immunditiarum facies, & impurior spiritus, & causæ gravioris cœli, quibus apud Veteres urbis infamis aer fuit, sunt remotæ.*

Celebris ævo Plinii in Vaticano *ilex* fuit: utrum in monte, an campo, non exprimitur. Additus ei erat titulus literis Etruscis. Ita enim ille l. XVII. cap. XLIV. *Vetustior autem urbe in Vaticano ilex: in qua titulis æreis literis Etruscis religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.*

In Valle Vaticana Circus etiam Neronis fuit, nimirum in hortis ejus. Ita Tacitus lib. XIV. Annal. *Clausumque Valle Vaticana spatium, in quo equos Nero regeret, haud promiscuo spectaculo. Ultro mox vocari populus*, &c. Vallem hanc inter duos colles fuisse Janiculum & Vaticanum, ubi nunc Basilica illa ingens *S. Petri* est, ibidemque Neronem suos habuisse Hortos, ac Circum, ex Obelisco certum est, liquidumque; qui prius ad Secretarium templi, dein a Sixto V. in media area ante templum erectus est. Plinius lib. XXXVI. cap. XI. *Obeliscus in Vaticano Caji & Neronis Principum Circo ex omnibus unus omnino fractus est in molitione; quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus.* Sic ut pars tantum ejus, quem Nuncoreus faciundum curarat, ille, qui nunc visitur, sit obeliscus. Pergit enim Plinius: *Ejusdem remanet & alius C cubitorum, quem post cæcitatem visu reddito ex Oraculo Soli sacravit.* Unde colligitur, hunc centum cubitorum alteram & majorem fuisse diffracti Obelisci partem. Allatus hic fuit ex Ægypto jussu Caligulæ. Ita enim idem Plinius lib. XVI. cap. XL. ubi de navi agit, qua transvectus: *Abies admirationis præcipue visa est in navi, quæ ex Ægypto Caji Principis jussu Obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit.* Olim vero, sic ut & nunc, leonibus æreis suffultum fuisse liquet e Petrarcha lib. VI. epist. II. *Hoc est saxum miræ magnitudinis, æneisque leonibus innixum, divis Imperatoribus sacrum*, &c. In culmine pila erat ex ære, quam cineres Augusti continuisse creditum: verum Cicarellus in vita Sixti V. tradit, Fontanam Architectum, qui eam disrupit, deprehendisse fusam absque ullo foramine, per quod cineres in eam inferri possent: paucula tamen foramina minora in ea inventa, sed a bombardarum globulis inflicta; in quæ ventus nonnihil pulveris intulerat.

Quum vero Obeliscus adhuc ante Secretarium consisteret Ecclesiæ, meta ist hic Circi fuit: cujus altera pars in longitudinem versus *ædem S. Marthæ* extensa fuit; altera a gradibus occupatur & turri *basilicæ S. Petri*, summa cum ratione eo loci ædificatæ, ubi infinita vis olim Martyrum pro religione Christiana occubuit. De his Tacitus l. XV. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flam-*

mandi; aut, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens.

Eodem loco, ubi nunc Basilica ejus & sepulchrum existit, Apostolorum Princeps sepultus dicitur ab Eusebio, Hieronymo, Anastasio, aliisque: Anacletum vero ajunt successorem Templum ibidem in ejus memoriam, seu potius Oratorium exstruxisse Anastasius refert. Verum si corpus illic conditum D. Petri, aliorumque complurium Martyrum, & Pontificum, non video, quomodo & Cœmeterium illic simul esse potuerit Sanctorum, & Circus. An vero existimandum, bonum illum Neronem, postquam tot sanctos viros letho dedit acerbissimo, pœnitentia ductum Circum suum diruisse, & hunc ipsis in sepulturæ locum concessisse? Atqui & Plinii ætate Circus adhuc superfuit. An potius utrique rei serviisse dicemus, ut simul fuerit Gentilium Circus, & Catacumbæ Fidelium? Quod si veterem Obelisci situm attentius consideraverimus, qui ad metas Circi fuit, hunc nec ad Basilicæ extremitatem, qua occidentem solem respicit, neque ad eum locum, ubi Divorum corpora perpetua fruuntur quiete, pervenisse advertemus, quandoquidem hortorum privatorum Circus fuit, & non adeo vastæ magnitudinis: forsan & in extremo hortorum ambitu ab eo latere: unde usque ad clivum montis exiguus forsan aliquis locus fuit, seu possessio hominis privati Christianis dediti; ubi Cœmeterium primo factum; dein vero Templum a Constantino constructum. Fortean & Constantinus corpora illa Divorum nonnihil ulterius transtulit, loco ea collocans Basilicæ honestissimo. Non diu est, quod, quum fundamenta instaurarentur ad sustentandas columnas, quas Innocentius X. e marmore in earum locum substituit, quæ ante illic fuere e lapide Tiburtino, multa ibidem cadavera inventa sint, serie quadam & ordine circa corpora Apostolorum disposita, non secus ac solis radii circa solem effinguntur, aut ut in Mausoleo Augusti jam ante digesta monumenta memoravimus. Circi nullam dare meliorem licet descriptionem, quam quæ ab Martinello in *Roma Sacra* e Manuscriptis Grimaldi allata est; digna sane ob elegantiam, ut hic describatur: *Anno* CIↃ IↃ CXVI. *dum scalæ Sancti Petri amoverentur, apparuerunt muri antiqui reticulati crassi, qui videbantur fuisse e ruinis turrium Circi. Ibi repertus fuit æreus nummus Agrippæ Aug. Dum fundaretur hæc altera Vaticani Templi pars sub Paulo V. inspectum est Circi longitudinem fuisse palm. 720. Romanorum, latitudinem 400. Area, ubi ludi edebantur, lata p. 230. incipiebat ab infimis gradibus Basilicæ: desinebat, ubi nunc est Ecclesia S. Marthæ retro absidam ad occasum. Obeliscus erat in medio, qui locus nunc est retro Sacellum Chori. Extremus Basilicæ paries, & duplex columnatum Sanctissimi Crucifixi, & S. Andreæ, fundatum erat supra tres magnos parietes Circi Caji, & Neronis supra dicti. Similis erat Circo Caracallæ, qui hodie pro majori parte exstat: altis utrinque parietibus cinctus erat, ternis ab una parte, super quibus exstabant dictæ naves Crucifixi, & S. Andreæ, & ternis ab altera, ubi nunc est Cœmeterium Campi sancti, qui se in longum trabentes lateritii sustinebant olim arcuatos fornices, in quibus sedilia exstabant pro spectatoribus. Inter utrumque parietem spatium latum p. 42. semis erat. A capite ad pedes nullum impedimentum, sed tamquam tabulationes, & curritoria e ruinis ipsis conspiciebatur. Horum parietum postremum in Circum respicientem, dum terra fundamenti chori egereretur, mensurandam curavi. Altus erat paries ipse ab arca palmis 31. semis, latus p. 14. fundatus p. 30. Antiquæ Vaticanæ Basilicæ a Constantino M. fabrefactæ facies exterior, apsis, & muri extremi, ac illi super columnis surgentes, qui tecta gravi pondere sustinebant, e laterum tophorumque fragmentis Circo, adjacentibusque ædificiis eversis, celeri opera, rudique arte ædificati fuerunt. Basilicam ipsam brevi tempore a Constantino acceleratam fuisse fides oculata testatur. Capitella partim absoluta, partim imperfecta: bases multæ columnis absimiles: fenestellæ arcuatæ lateritiæ primum, postea Germanico opere marmoreæ effectæ. Limina ex magnis marmoribus, quæ ablata esse ex Circo, vel alterius ædificii ruinis, pars inferior terra obruta indicabat, cum sub uno ex his modice arcuato rosæ sculptæ erant; in altero literæ legebantur,* CVM SPECVLATOR, *quas judicatum est arcum, seu locum speculatorum ipsius forsitan Circi significasse.*

Horti igitur Circo adjuncti in illa planitie fuerunt, quæ inter Basilicam S. Petri & Tiberim intercedit media: &, ut Donatus ait, iidem & ante Caji fuerunt, & Agrippinæ majoris, quæ uxor Germanici fuit. De his Seneca de ira lib. III. cap. XVIII. *Deinde adeo impatiens fuit* (Cajus) *differendæ voluptatis, ut in xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis, atque aliis Senatoribus ad lucernam decollaret.* Ubi Donatus observat, verba ea *porticum a ripa separat:* vultque, ne, si xystus, porticus, & horti ripam Tiberis cum Circo conjunxissent, via ex Transtiberina ad pontem Triumphalem præclusa videatur, in planitie fuisse, quæ inter istius pontis residua rudera & Molem Hadriani, nunc *Burgum vetus & novum*, continet, & usque ad Basilicam S. Petri extenditur. Idem & Philo indicare videtur lib. de Legatione ad Cajum: *Excipiens enim nos in Campo ad Tiberim primum, cum exiret de maternis hortis*: quorum hæres deinde Agrippina fuit Caii soror, ac Neronis mater. Tacitus lib. XIV. Ann. *Vitare secretos Agrippinæ congressus, abscedentem in bortos, & suburbanum laudare.* Erat igitur Circus in extremis hortis, & ad viam, quæ a ponte Triumphali in Vaticanum ducebat, cui viæ deinde nomen *Aureliæ* fuit, ut alibi a nobis indicatum est.

Vicinum Circo *Templum* fuisse *Apollinis* Anastasius in vita S. Petri docet: *Sepultus est via Aurelia in Templo Apollinis juxta locum, ibi crucifixus est, juxta Palatium Neronianum, juxta Territorium Triumphale.* Idem in vita S. Cornelii: *Accepit corpus D. Petri Apostoli, & posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora SS. Episcoporum in Templo Apollinis in montem Aureum in Vaticano Palatii Neroniani*, &c. Templum vero hoc Blondus aliique postea in Ecclesiam *S. Petronillæ* commutatum tradunt, quæ nunc, ut ampliandæ S. Petri Basilicæ locus esset, diruta. Sed, ut hæc sententia vera esse potest, ita, quo confirmetur, nil habet certi verique. At hoc certum est, aut illic, aut saltem in proximo Templum illud fuisse: quin & perquam verisimile est, Neronem arti Musicæ addictissimum prope suos id construxisse hortos. Ceterum de quo *Palatio Neroniano* loqui Anastasium censebimus? non absurdum, fateor, statuere, Neronem in hortis suis ædes habuisse: verum *Palatii* nomen rudi isto seculo Anastasiano a vulgo imperito cuicunque veteri ædificio dari solitum supra plus semel indicatum. Atque ita facile fieri potuit, ut vel villæ suburbanæ domus, vel quod aliud Neronis ædificium ab Anastasio *Palatii* nomine designatum fuerit.

In vita S. Petri, sive ejus auctor S. Damasus est, ut vulgo fertur, sive quis alius, Ecclesia ejus ad Naumachiam ædificata legitur. Sic & Xenodochium a Leone III. ex adversum Ecclesiæ S. Petronillæ & S. Andreæ erectum, olim *Xenodochium ad Naumachiam* appellatum, Blondus asseverat.

Unde una omnium sententia est, Neronem ad hortorum suorum ac Circi latus Naumachiam egessisse, eam scilicet, quam Tacitus ab eodem tabernis undique adornatam tradit lib. XIV. Ann. Verum illic de Naumachia ab Augusto facta Tacitum loqui supra ostendimus. Baronius Tomo I. Annal. atque item Donatus, male a vulgo nomen hoc *Naumachiæ* Circo datum existimant, vel ob Euripum, qui illic fuit, vel ob ludos, licet non navales, qui illic edebantur, curules, & equestres: cum nullus Auctor extet antiquus, qui Neronem Naumachiæ alicujus faciat conditorem: Dio vero Neronem spectacula maritima in Theatro exhibuisse referat. Nec habeo ego, quod opponam: neque tamen scio, quid de *Naumachiis* plurali numero hic a Victore collocatis existimandum sit, quandoquidem unius tantum Augusteæ exstat in his locis notitia. Quare certius mihi nil occurrit, quam ut alium aliquem ex Cæsaribus Naumachiam aliam priori Augusteæ addidisse dicamus, vel in Victore vitium esse literæ immutatæ; quod facile factu fuit: siquidem, quum ex vulgi communi usu loca vicina Vaticano *ad Naumachiam* appellarentur, Librarius forsan aliquis ejusdem ævi in literam unam vel addidisse videri potest, vel immutasse, atque ad hunc modum ex una plures fecisse Naumachias. Qua ratione inductus Panvinius, ut ne quidem dubitandi locus esset, voculam *duæ* addendam censuit: multoque etiam turpius Notitiæ Descriptor *quinque*.

Hortos Domitiæ quod attinet, alii eos *Domitios* vocant: accipitque eos Paulus Merula de *Hortis Neronis*. Verum, quod Nero omni ævo cognomine hoc notior orbi exstiterit, quam nomine familiæ paternæ: horti vero illi non familiæ fuerint hæreditarii, sed ipsius Neronis proprii, in illius sententiam pedibus ego non ierim: verum potius affirmarim *hortorum Neronis* tempore Victoris nullum fuisse vestigium, quum & Circum & Hortos Neronis Constantinus, ut ædem D. Petri construeret, destruxerit. *Horti Domitiæ* Neronis amitæ diversi fuere, non tamen longe ab illis Neronis remoti, & ad Tiberim: ubi Hadrianus molem illam suam erexit, seu sepulcrum. Sic Capitolinus in Antonino: *Adriano apud Bajas mortuo reliquias Antoninus Romam pervexit sancte ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit*: id est, in sepulcro, quod sibi illic fecerat. Ita enim Dio in Hadriano explicat: *Sepultus est in ripa fluminis juxta pontem Ælium: illic enim sepulchrum conditum: jam enim Augusti monimentum repletum erat; nec quisquam amplius in eo sepeliebatur*. Ergo hic *horti Domitiæ* fuerunt, quorum postea Nero interfecta illa heres fuit. Suetonii verba sunt cap. XXXIV. in Nerone: *Nam necdum defunctæ bona invasit, suppresso testamento, ne quid abscederet*. Sic ad Neronem cum ceteris bonis horti quoque isti pervenere; & dehinc ad Cæsares alios; ut recte Donatus observavit. De Aureliano Vopiscus: *Displicebat ei*, inquit, *cum esset Romæ, habitare in Palatio, ac magis placebat in Hortis Sallustianis, vel in Domitiæ vivere*. Verum quod non adeo mihi verisimile videatur, Aurelianum hoc loco tam depresso, insalubrique, delectatum, non secus ac Sallustianis Hortis, credo ego alios alterius Domitiæ hortos a Vopisco innui, qui in monte Cœlio fuere, ut supra vidimus.

In his Domitiæ Hortis *Circum* olim fuisse, moli Hadriani vicinissimum, præter ceteros Blondus & Fulvius tradunt, ejusque sua memoria nonnulla exstitisse vestigia, nunc abolita. Ita enim Fulvius: *Exstat adhuc extra portam Castelli inter proximas vineas haud longe a Mole Hadriana* (Blondus *sub ipsam molem* dicit) *exigua Circi forma ex lapide nigro*

A *ac duro jam pene diruti*. Hunc Circum Blondus Neronis esse credit; sed minus recte: quin potius aut Hadriani, aut Aurelii, si tamen is in hisce habitavit Hortis, aliusve alterius Imperatoris, opus illud esse verosimilius existimo. De eodem Procopius lib. II. de Bello Gothico: *Stadium*, inquit, *ibi est ab antiquo, in quo Romani singulari certamine depugnabant*. Quod certamen sine dubio curule fuit, aut equestre: nisi Procopium ignorantia antiqui moris Romanorum, ævo ejus deliti, in errorem lapsum esse statuere maluerimus.

De *Mole Hadriani*, quam is sibi in sepulcrum erexit, jam supra nonnulla dicta sunt. Æmulatus
B in ea re videtur Augusti nobile Mausoleum, quod huic ex adverso situm, & Campo Martio majori objectum, sicut hoc minori. Tum quod illi horti a tergo aderant amœnissimi, Hadrianus quoque sibi monumentum hoc trans Tiberim in Hortis Domitiæ, & Campo minori ponte junxit. Forma, qualis & Mausoleo Augusti, quadrata huic fuit, rotundam quasi turrim peramplam complexa, & extrinsecus tota Pario marmore albissimo vestita turrim ornabant dispositæ in summo undique fastigio statuæ & signa hominum, equorumque
C cum quadrigis, quemadmodum e Procopio patet, qui lib. I. Belli Goth. eleganter hæc omnia describit: *Hadriani*, ait, *Romanorum Imperatoris sepulcrum extra portam Aureliam exstat jactu lapidis distans a mœnibus. Primus ejus ambitus quadrati figuram habet. Constat enim totus ex marmore Pario summa artificum diligentia ædificatus. In medio vero hujus quadrati rotunda moles assurgit excelsa altitudine, & tanta, ut in suprema ejus parte area sit, cujus diameter vix ictu lapidis transfigitur*, &c. Sed nil in ea mole admirabilius, quam quod intus tota oppleta sit, & obstructa; ita ut vix unis
D sufficiens scalis locus ad descensum sit in ejus interiora: sic ut munimento potius alicui bellico, quam monimento sepulcrali constructa videatur.

Postea sane, quum Imp. Aurelianus Campum Martium mœnibus complecteretur, eaque secundum Tiberim cum ponte Molis Hadrianæ conjungeret, vicinia hæc Honorium excitasse videtur, aliumve quem Imperatorem, ut ea mole in murorum urbis restitutione pro arce uteretur, pristina ei relicta forma, ut supra dictum est. Idem Procopius eodem lib. I. *Sepulcrum id prisci homines (visum enim id civitati) muris duobus ad ipsum a mœnium circuitu pertinentibus, eorum par-*
E *tem esse fecerunt: simile enim est præcelsæ turri ad ejus loci portam præeminenti. Erat igitur ibi munitio tutissima*. Hinc Bello Gothico, ut idem Scriptor pluribus locis refert, Romani & Græci ibidem se munierunt, & quo locus firmior, aptiorque ad tutamen esset, statuas convellerunt, ruperuntque; earum fragmentis adversus Gothos oppugnantes usi. Capta tamen & expugnata fuit aliquoties a Gothis, rursusque amissa. Dehinc semper ab Exarchis velut arx urbis custodita fuit, donec tandem a Crescentio Mentanio, cive Romano, absolutiorem arcis speciem accepit. Post & a Bonifacio IX. Pontif. R. diligenter munita, ut &
F a Pontificibus aliis compluribus, qui successere; in primis autem ab Urbano VIII. in morem hujus seculi adornata, validum urbis propugnaculum est.

In fastigio ejus ædicula est Michaeli Archangelo dedicata: quam Baronius in Notis ad Martyrologium a. d. XXIX. Sept. eandem esse putat, atque illam cujus Ado in Martyrologio his verbis meminit: *Sed non multo post* (sc. apparitionem S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano) *Romæ venerabilis etiam Bonifacius Pont. Ecclesiam S. Michaelis nomine constructam dedicavit in summitate Circi, cryptatim*

tim miro ordine altissime porrectam. Unde etiam idem locus in summitate sua continens Ecclesiam inter nubes situs vocatur. Idque argumentis minime ineptis. Non enim Bonifacius, qui eam construxit Ecclesiam, neque primus ejus nominis, inquit Baronius, esse potuit, neque secundus; siquidem ante hanc in Gargano monte apparitionem vixere. Ergo vel tertius, vel quartus, vel quintus fuerit necesse est, qui immediate S. Gregorio successere; quorum aliquis recenti alterius apparitionis in mole Hadriani visæ memoria excitatus, quantum probabili colligere licet conjectura, in sacro hoc loco Ecclesiam illam ædificavit. Addit & hoc, Molem hanc a Rudolpho Glabro, quem Massonius in vita Gregorii V. citat, *inter cœlos* appellatam: in quo ei mirifice cum Adone convenit, qui eam *inter nubes* dictam ait, ut paulo ante habuimus. Confert & Luithprandum lib. III. cap. XIII. qui de eadem Mole ait: *Munitio autem ipsa, ut cetera desinam, tantæ altitudinis est, ut Ecclesia, quæ in ejus vertice videtur in honorem summi & cœlestis militiæ Principis Archangeli Michaelis fabricata, dicatur Ecclesia S. Angeli usque ad cœlos*. Ad verba, *in summitate Circi*, Baronius respondet, Adonem per hanc vocem circularem ejus formam indicare voluisse, vel Circi Domitiæ extremitatem, qui Moli Hadriani tantum non conjunctus fuit. Contra Grimaldus, Donatus, aliique, Ecclesiam istam a Bonifacio constructam ædem *S. Angeli in Piscario* esse volunt, in summo Circo Flaminio conditam. Verum & hæc opinio a veritate aliena est. Non enim tanta istius Circi longitudo fuit, aut spatium, ut ad Forum Piscarium extenderetur, cujus situs depressior, & porticus illic Severi impossibile esse evincunt, ut sub hac Diaconia extremitas Circi Flaminii sepulta fuerit. Quod si quis primam illam Ecclesiam collapsam una cum Circo, & post aliam in planitie reædificatam, asserere voluerit, is sibi mera finget somnia, & hirco, quod ajunt, supponet cribrum. Adde, quod locutiones istæ hyperbolicæ, *inter nubes*, *inter cœlos*, & *usque ad cœlos*, minime in Circum Flaminium quadrent, cujus longitudo altitudini omnem vel tollebat, vel imminuebat admirationem, & occasionem superjectionis. Sed nec tempore Bonifacii III. Circus ille ita integer & firmus esse potuit, ut in ejus maxima eminentia, seu summitate, ecclesia erigi potuerit. Tandem & Luithprandi obstat auctoritas, qui eam ædem in summitate Molis Hadriani *S. Archangelo* consecratam apertissime tradit. Quare a Donato nimisquam subtilis, & a Luithprandi Adonisque ævo rudiore aliena distinctio adhibetur, inter voces *cœlos* & *nubes*, qua sibi alias fingit diversas summitates: quæ ratio duos nobis Pontifices suggereret, & duas in diversis summitatibus ædes æmulas in *S. Archangeli* honorem erectas: quarum altera *inter nubes*, & altera *usque ad cœlos* appellata fuerit: quo nil magis absurdum, aut a vero magis alienum, excogitari queat. Et quorsum hæc omnia? scilicet, ut negetur Adonem voce *Circi* molem illam rotundam significare voluisse. Quod non adeo mihi a consuetudine illorum seculorum remotum videtur, in his *Circi*, *Naumachiæ*, *Theatri*, *Palatii*, &c. nominibus mirifice errantium, eaque omnia confundentium: præsertim cum & vox *Circi* olim satis late patuerit, & omne id, quod rotundum foret, denotarit, ut alibi ostendimus.

Diaconiam S. Angeli in Piscario verisimile diu ante constructam, quum nempe S. Archangelus prima vice Romæ apparuit; idque ex annua festi diei celebritate, de qua carmen exstat Drepanii Flori Poetæ Christiani, volumini Christianorum Poetarum insertum, & a Baronio adductum in Notis ad Martyrologium a d. VIII. Maii. Atque hæc mea quidem sententia est; sua vero, qui dissentiet, per me licet, unusquisque utatur, fruaturque.

M. Aurelii sepulcrum inter Molem Hadriani fuit & *S. Petri Basilicam*, quantum conjectura assequi licet: unde & *Viæ Novæ*, & *Portæ Aureliæ* nomen. Liquet id ex Magni Caroli instrumento, quod libro I. citavimus; nec illius illic solum sepulcri mentio fit, sed & alterius aliquanto superioris: *A secundo latere monumentum, quod stat supra sepulcrum Marci fratris Aurelii: a tertio latere forma Trajana usque in porta Aurelia; & a quarto latere descendente de prædicto monumento usque ad alveum fluminis*, &c. Istius Marci Spartianus quoque meminit in Severo: *Illatus sepulcro Marci Antonini, quem ex omnibus Imperatoribus tantum coluit, ut & Commodum in divos referret*. Herodianus id nonnimis bene templum appellat lib. IV. *Composuerunt ipsum* (Severum) *in templo, ubi Marci, & superiorum Principum sacra vi suntur monimenta*. Locus autem ei nullus esse potuit, nisi inter Molem Hadriani & Transpontinam, ut mox patebit.

Alterum, cujus in illo instrumento fit mentio, pyramis forte fuit a Blondo, Fulvio, Marliano, aliisque memorata, quæ in via hodierna erecta inter Hadriani Molem & *Basilicam D. Petri* prope *S. Mariæ Transpontinæ* ædem, ab Alexandro VI. diruta est, sive ut viam illam in rectum dirigeret, sive ut molem Hadriani hoc obstaculo liberaret, quod totam militum cohortem post se latitantem posset obtegere. Ingentem vero hanc fuisse referunt pyramidem, Cestianæ non absimilem ad montem Testaceum positæ, verum multo ea majorem: cujus exteriori marmore Donnus I. atrium D. Petri constravit. Existimatur id Scipionis Africani sepulcrum fuisse ex his Acronis Horatii Scholiastæ in Epod. IX. *Cum Afri adversus Romanos denuo rebellarent, consulto oraculo responsum est, ut sepulcrum Scipioni fieret, quod Carthaginem respiceret. Tunc levati cineres ejus sunt in pyramide in Vaticano constituta, & humati in sepulcro ejus in portu Carthaginem respiciente*. Sed fides ejus parum certa habetur; siquidem Cicero in I. Tusc. Qu. & Livius lib. VIII. decad. IV. Scipionis sepulcrum in via Appia collocant: in quo tres fuisse statuas memorant, Africani nempe majoris, minoris, & Ennii Poetæ. Verum responderi queat, licet Africani majoris illic statua fuerit, aliud tamen ejusdem peculiare Linterni fuisse sepulcrum: atque ita & minoris Africani ibidem statuam fuisse, tametsi in Vaticano peculiarem habuit pyramidem. Dein Cicero in via Appia sepulcrum familiæ Scipionum exstitisse tradit, quod post utriusque illic Africani mortem conditum videri possit: cui exornando tres illæ, quas recensuimus, statuæ illatæ sint. Sed & hæc, ut cetera dubia, quisque suo arbitrio dijudicet. Pyramidis hujus effigiem in portis æneis D. Petri ab Eugenio IV. factis hodieque videre est.

Inter cetera, quæ in Campo Vaticano fuere, sepulcra, *equi* quoque illud fuit *L. Veri*; de quo Capitolinus: *Nam & volucri equo Prasino aureum simulacrum fecerat*, &c. *cui mortuo sepulcrum in Vatiano fecit*.

Mausoleum Honorii Imperatoris itidem in Vaticano fuit ad Atrium D. Petri. Paulus Diaconus lib. XIV. supplementi Eutropiani: *Apud urbem Romam vita exemtus est* (Honorius) *corpusque ejus juxta B. Petri Apostoli atrium in Mausoleo sepultum est*. Hujus forsan Mausolei pinus & pavones ex ære fuerunt, qui nunc in hortis *Pulcri Prospectus*, sive *Belvedere*, visuntur.

Mariæ vero ejus Honorii uxoris, filiæque Stiliconis, virginis etiamtum, cum decederet, *Mo-*

numentum in Basilica D. Petri inventum L. Faunus memorat anno MDXLV. in sacello, quod Rex Galliarum illic adornabat. Quum enim terra illic egereretur, arca marmorea inventa fuit, in qua cadaver, sed quod jam pessum ierat, exceptis pauculis ossibus, dentibus, & capillis. Reperta & cistula argentea cum multis minutiis pretiosis ad cultum muliebrem pertinentibus, ac vasculis: item alia ex auro, in qua gemmæ, & crystalli, accuratissime ab eodem Fauno recensitæ, & cognitu jucundissimæ, quem tamen devitandi fastidii ergo describere supersedeo. Vix autem mihi persuadere patior, fuisse id olim sepulcrum in ipso D. Petri templo, quod mos ille cadavera in templis sepeliendi tunc temporis necdum cognitus fuerit. Proximum tamen fuisse non negaverim; sicut & illud Honorii: post autem ruinis obtectum, ignoratumque, in recentiore illius templi renovati ampliatione ab Julio II. instituta, ambitu ejus fuisse inclusum.

Quod in Victore *Gajanium* legitur, in Notitia vero *Gajanum*, Pancirollus de Obelisco Caji accipit, qui olim in Circo ejus fuit, nunc autem aream D. Petri exornat.

Prata Mutia, sive agri illud jugerum, quod Romani Mutio in præmium virtutis dedere, postquam Porsennam aggressus est, in Transtiberina fuisse Livius ait lib. II. *Patres C. Mutio virtutis caussa trans Tiberim agrum dono dedere, quæ postea sunt Mutia Prata appellata*. Idem & Dionysius lib. V. scribit, qui & unius agrum hunc jugeri fuisse addit. Qua vero in parte trans Tiberim fuerit, utrum ad Janiculi radices, an Vaticani, an & alibi, nusquam legitur; conjicere autem locum velle, res inanis operæ est. Hoc saltem liquet ex nomine, quod tempore Livii & Dionysii, id est, sub Tiberio obtinuit, agrum hunc in prata conversum neque ædificiis, aliave re occupatum fuisse; adeoque & extra portam forte Portuensem, ubi pro pratis Naumachia fuit, & Horti; tum & planities inter montem & Tiberim non adeo magna: certe non longe ab culta illic ædificiis parte urbis remotum facile crediderim.

Plus nobis lucis ad cognoscenda *Prata Quintia* vetustas transmisit, quæ itidem trans Tiberim fuere. Non tamen in his una Antiquariorum sententia est. Livii verba sunt lib. III. *Spes unica imperii P. R. L. Quintius trans Tiberim contra eum ipsum locum, ubi nunc Navalia sunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ Prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute data invicem redditaque rogatus, ut, quod bene verteret ipsi reique publicæ, togatus mandata Senatus audiret, admiratus, rogitansque, satisne salva essent omnia? togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jubet. Qua, simul absterso pulvere, ac sudore, velatus processit. Dictatorem eum legati consalutant, in urbem vocant, qui terror sit in exercitu exponunt*, &c. Plinii vero, lib. XVIII. c. III. *Cincinnato aranti quatuor sua jugera in Vaticano*, &c. Unde Antiquarii vetustiores, Fulvius, Marlianus, aliique, conjiciunt, *Prata*, quæ hodieque in Vaticano extra portam *Castelli*, e regione *Ripettæ*, *Pratorum* nomen obtinent, *Quintia* fuisse. Verum Donatus, aliique, aliter censent, eaque extra Portam Portuensem collocant, ubi olim Navalia fuere. Plinium ex seipso explicant, ac *Vaticanum Campum* omne illud spatium appellatum volunt, quod trans Tiberim usque ad Vejentium agrum pertingebat. Quam opinionum diversitatem attentius considerans, situmque locorum cum Plinii & Livii verbis accurate conferens, non possum non in Fulvii & vetustiorum senten-

A tiam pedibus ire. Nam ut id omittam, quod & de *Pratis Mutiis* supra a me allatum est, *Naumachiam* illic ætate Livii fuisse, & *Hortos*, adeoque *Prata* ibidem *Quintia* esse nequivisse, Livius non indiscretim, sed exactissime locum indicans ait, *contra eum ipsum locum, ubi nunc Navalia sunt*: tum & Ager Quintii juxta Donatum ad latus fuisset mœnium civitatis; quem tamen Livius longius videtur removere. Nam si tam prope fuisset, fieri nequit, quin Quintius nonnihil de tumultu isto & clamoribus in urbe propter obsessum cum exercitu Consulem, pavoremque civium inaudisset. Attamen Livius admiratum Quintium inducit, rogi-
B tantemque, *satisne salva essent omnia*? Deinde si Quintius ad *Ripam* agrum suum coluit, facile cum legatis recta in urbem ivisse potuit per pontem Sublicium; sic ut naviculam ingredi necesse non habuerit, nec iter suum in urbem conscensu ejus, exscensuque remorari. Idem Livius: *Navis Quintio publice parata fuit; transvectumque tres obviam egressi filii excipiunt, inde alii propinqui, atque amici: tum Patrum major pars. Ea frequentia stipatus antecedentibus lictoribus deductus est domum*. Quæ omnia spatium satis amplum interfuisse indicant non modo
C inter agrum, sed & exscensum Quintii, & urbem: sic ut ea cuncta mirifice loco *Ripettæ* objecto conveniant. Navi enim, ut in Campum Martium transiretur, opus erat, quum illic locorum nec pons Ælius tum temporis esset, nec Triumphalis, nec Janiculensis; multo minus Palatinus; circumire vero tantum loci usque ad Sublicium nimisquam tardum erat. Præterea Campi Martii amplitudo occursui filiorum, deinde propinquorum amicorumque, atque item parti Senatus perquam commoda fuit & opportuna. Nihilominus aliorum sententia plus habere veri videtur, hoc innitens argumento; quod
D Livius non simpliciter dicat Campum Martium contra Navalia fuisse, verum *contra eum ipsum locum, ubi nunc Navalia sunt*: quibus verbis liquido significatur, Navalia illic ævo Livii fuisse, non autem tempore eo, quo Quintius vixit. Nihilominus negari nequit, Navalia non modo Quintii tempore, sed & sub ipsis Regibus, in planitie Testacei fuisse, postquam ab Anco Martio pons Sublicius factus fuit. Adhæc ad urbem jam grandem & frequentissimam magnam navibus commeatuum merciumque copiam devectam fuisse, certo certius est. Quin & Dionysius lib. III. ubi constructionem portus Ostiensis ab Anco factam expo-
E nit, expresse dicit, eo factum consilio, ut navium majorum onera illic exposita minoribus deinde Romam usque per flumen Tiberinum subveherentur. Neque vero Navalia propius urbem fuisse inde liquet, quod pons obstaret Sublicius transitum denegans. Verum duplicia fuerunt uti nunc, ita & olim Romæ Navalia: altera quæ flumen subeuntibus e mari dicata fuere; altera, quæ descendentibus e Sabinis inservierunt. Illa sub Aventino, post Sublicium, non procul a Testacei planitie: hæc autem, cum nullus in flumine adhuc alius pons esset, nisi Sublicius, non longe ab hoc ponte ad *Marmoratam* & ecclesiam rotundam *S. Stephani*, lo-
F co urbis commodissimo & frequentissimo. Ceterum postea cum pontium cum tempore numerus cresceret, quibus appulsus isthuc loci impediebatur, superius aliquanto retrahenda Navalia fuere: atque ita memoria Livii, obstante ponte Triumphali, inter hunc pontem & Ecclesiam *S. Rochi* in Campo Martio, exercitiis juventutis tum temporis celeberrimo, locus illis assignatus fuit. Confirmatur hoc abunde a Tacito, qui lib. III. Annal. Silanum refert Narnia cum Plancina uxore secundo flumine Romam descendentem *ad Tumulum Cæsarum* appulisse, id est, ad Mausoleum Augusti, quod eo

loci fuit, ubi nunc *S. Rochi* ædes est. Sic ut hinc satis liqueat, olim quoque non secus atque hodie illic exscensus factos. Ergo contra ea Navalia, quæ non Quintii, sed Livii ævo illic fuere, id est, in grandi illa planitie ad molem Hadriani *Prata* sua Quintius habuit, *Quintia* ab illo denominata, & a Plinio recte in *Vaticano* collocata, sed stricte sumto: siquidem hic de vicis, ac non de regionibus agitur, aut provinciis. Nam si latius, ut alii volunt, hic sumendus est Vaticanus, ubi speciatim de loco in ripa Tiberina sito, adeoque in oculis urbis, agitur, certe æque perspicue hunc locum designasse Plinius videri posset, ac si eum in Hetruria, aut Italia fuisse indicasset.

Clivum, qui nunc *Montis Marii* appellatione insignitur, olim *Cinnæ* dictum, ex inscriptione vetere probatur, quæ apud Gruterum integra exstat. Nobis partem tantum ejus attulisse sufficiet:

MONVMENTVM QVOT EST VIA TRIVMPHALE
INTER MILLIARIVM SECVNDVM ET TERTIVM
EVNTIBVS AB VRBE PARTE LAEVA IN CLIVO
CINNAE EST IN AGRO AVRELI PRIMIANI
FICTORIS PONTIFICVM, &c.

Horti Martialis, quorum Victor recentior meminit, quantum ego video, villa Tullii Martialis fuere, de qua supra. Poeta enim Martialis nil nisi domum in reg. VII. & villam habuit, ut ipse indicat lib. IX. epist. XIX. Epigrammate vero CLXXII. lib. I. non *hortos*, sed villulam Tullii describit in vertice Clivi Cinnæ sitam, ponti Milvio imminentis: de cujus bibliotheca epigrammma est XVI. lib. VII. Non autem verosimile est Victorem hujusce regionis circuitum eousque extendere voluisse, ut villulam tantummodo non magni momenti eidem includeret. Sed Descriptoris seu Scholiastæ

A hæc culpa est, qui, cum mentionem ejus in Martiale factam vidisset, ratus illam non in summo clivo, sed in ea parte montis esse, cui *Janiculum* nomen, sed strictiore significatu, quæque a Transtiberina regione disjuncta non est, adjungere & hanc voluit non villæ nomine, quod tam prope muros urbis inverisimile, sed hortorum ac domus, ut sic & ceteris scilicet additamentis suæ manus omnem porro fidem derogaret.

Fuit hic & *Julii Pauli Prædiolum*: de quo Gellius lib. XIX. cap. VIII. *In agro Vaticano Julius Paulus Poeta, vir bonus, & rerum, literarumque veterum impense doctus, prædiolum tenue possidebat. Eo sæpe*
B *nos ad se vocabat, & olusculis pomisque satis comiter copioseque invitabat.*

Hortorum Reguli Caussidici, quos Merula hic addidit, mentio exstat apud Plinium Cæcilium Epist. II. lib. IV. *Tenet se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis suis occupavit, ut est in summa avaritia sumtuosus, in summa insania gloriosus*. Locus autem, ubi fuerint, incertus est.

Possunt & ceteris aliis *Horti* hic adjici *Ovidii* ad Pontem Milvium. Ita enim Ovidius lib. I. el. IX. de Ponto:

C *Nec quos pomiferis positos in montibus hortos*
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ:
Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
Ad sata fontanas (nec pudet) addere aquas, &c.

Existimantur autem in eo fuisse fastigio, quod est ultra pontem Milvium, inter duas vias, quæ ibidem disjunguntur. Veruntamen non minus recte, fortean & verius, in opposito clivo fuere, quantum ex ipsis Auctoris verbis colligere est, in via Claudia supra tabernam, in ejusdem viæ prospectu sito.

LIBER OCTAVUS.

CAP. I.

Epilogi a Victore, Auctore Notitiæ, aliisque, regionum urbis descriptioni subjecti Enarratio.



Extrema regionum urbis descriptione Victor veluti per epilogum exactam narrationem *Senatulorum*, *Bibliothecarum*, *Obeliscorum*, *Pontium*, *Camporum*, *Fororum*, *Basilicarum*, *Thermarum*, *Janorum*, *Aquarum*, *Viarum*, multarumque aliarum id genus rerum instituit; de quibus, ut ea, quæ de his in regionibus singulis sparsim dicta sunt, uberiore luce illustrentur, accurate hoc libro agendum, eaque ordine recensenda putavi. Sunt autem

Senatula urbis quatuor.

Unum inter Capitolium & Forum, ubi Magistratus cum Senatoribus deliberabat.
Alterum ad portam Capenam.
Tertium citra ædem Bellonæ in Circo Flaminio, ubi dabatur Senatus legatis, quos in urbem admittere nolebant.
Quartum Matronarum in Monte Quirinali, quod Antonius Bassiani filius fecit.

Bibliothecæ XXVIII. *publicæ, & ex his præcipuæ duæ, Palatina, & Ulpia.*

(In Victore recentiore pro XXVIII. *undetriginta* memorantur.)

Obelisci magni VI.

Duo in Circo. Major est pedum CXXX. (in secundo Victore CXXXII.) *minor pedum* LXXXVIII. (in altero additur *semis*.)
Unus in Vaticano pedum LXXII.
Unus in Campo Martio totidem.
E *Duo in Mausoleo Augusti pares pedum* XLII. *& semis*. In recentiore additur, (*In Insula Tiberis unus*:) sed quod hæc additio numerum senarium hic positum excedat, corruptela nimisquam manifesta est.

Obelisci parvi XLII. *in plerisque notæ sunt Ægyptiorum.*

In altero adjectum: (*Circi octo, alias novem,*) verum non enumerantur.

Pontes VIII.

Milvius.
F *Ælius.*
Vaticanus, (in altero legas *Aurelius*, alias *Vaticanus*.)
Janiculensis.
Fabricius.

Cestius.
Palatinus.
Sublicius, (in altero *Aimilius, qui ante Sublicius.*)

Campi VIII.

Viminalis, (in secundo additum, *cum ædicula Fortunæ Parvæ.*)
Esquilinus.
Agrippæ, (in altero, *ubi Septa Agrippæ.*)
Martius.
Codetanus.
Bruttanus, (additum in altero, *Lanatarius.*)
Pecuarius, (in secundo, *Pascuarius*, alias *Pecuarius.*)
Unus extra numerum Vaticanus, (in secundo appositum, *Trans Tiberim.*)

Fora.

Romanum.
Cæsaris Dict.
Augusti.
Boarium.
Transitorium.
Olitorium.
Pistorium.
Trajani.
Ænobarbi.
Suarium. (alter addit, *alias Syarium.*)
Archemonium.
Diocletiani.
Gallorum.
Rusticorum.
Cupedinis.
Piscarium.
Sallustii.

Basilicæ XI. (in altero XIX.)

Ulpia.
Pauli, (alter, *L. Pauli in Foro.*)
Vestini.
Neptunii, (alter, *alias Neptumii, alias Neptuni.*)
Macidii, (recentior, *alias Matidii, alias Matidiæ.*)
(Idem addit *Julia.*)
Martiani.
Vascellaria, (additum, *alias Vastellaria.*)
Floccelli, (alter *Filicelli, alias Floccelli, alias Flosselli.*)
Sicini, (alter, *alias Sicimini.*)
Constantiniana.
Portia, (alter, *a Portio Catone facta.*)
Idem & sequentes addit: (*L. Paulli vetus, Argentaria, Opimiana, Æmilia, Fulvia, Mammæa, Antoniniana.*)

Thermæ.) recentior numerum addit XVI.)

Trajani.
Titi.
Agrippæ.
Syriacæ.
Commodianæ.
Severianæ, (alter subjungit, alias *Varianæ.*)
Antoninianæ.
Alexandrinæ, quæ Neronianæ.
Diocletianæ.
Constantinianæ.
Septimianæ.
Recentior addit; (*Olympiadis, Philippianæ, Trajanæ privatæ, Thermæ publicæ,*) ut ne quas earum omittat, quæ in regionum descriptione recensitæ sunt.

Jani (nuperus Victor addit, *Quadrifrontes* XXXVI.) *per omnes regiones marmoribus incrustati, & adornati signis.* (alter, *insigniis militaribus & signis.*

Duo præcipui ad arcum Fabianum, superior, inferiorque.

Aquæ XX. (alter XXIV.)

Appia.
Martia.
Virgo.
Claudia.
Herculaneus (recentior subnectit, *alias Herculaneus rivus.*)
Tepula.
Damnata.
Trajana.
Annia, (alter *Amnia, alias Annia.*)
Alsia, sive Alsientena, quæ & Augusta. (recentior, *alias Halsietina, alias Halsientina.*)
Cærulea.
Julia.
Algentiana.
Ciminia.
Sabatina.
Aurelia.
Septimiana.
Severiana.
Antoniniana.
Alexandrina.
Victor alter addit: *Anio novus,* (*Anio vetus, Albudina, Crabra.*

Viæ XXIX. (alter XXXI.)

Appia.
Latina.
Labicana.
Campana.
Prænestina.
Tiburtina. (alter, *vel Gabina.*)
Collatina.
Numentana, quæ & Figulensis, (alter habet, *alias Ficulnensis.*)
Salaria.
Flaminia.
Æmilia.
Claudia, (alter, *alias Clodia.*)
Valeria, (recentior, *Nova & Vetus.*)
Ostiensis.
Laurentina.
Ardeatina.
Setina.
Quinctia.
Gallicana.
Triumphalis.
Patinaria.
Ciminia.
Cornelia.
Tiberina.
Aurelia.
Cassia.
Portuensis.
Gallica.
Laticulensis. (alter *alias Janiculensis.*)
Idem his auctior, (*Flavia, & Trajana.*)

Capitolia duo, Vetus & Novum.
Amphitheatra tria, (alter, II.)
Colossi II.
Columnæ Cochlides II.
Macella II.
Theatra tria, (alter, *alias quatuor.*)

Ludi V. (alter, *sex*, *alias septem*, *alias* V.)
Naumachiæ V. (alter, *alias sex*.)
Nymphæa XI. (hic XII. *alias* XI. *alias* XV.)
Equi ænei inaurati XXIV.(alter, *octoginta quatuor*.)
Equi eburnei XCIV. (alter, CXXIV. *alia nonaginta quatuor*.)
Idem addit, (*Equi magni viginti tres*.)
Tabulæ & signa sine numero.
Arcus marmorei XXXVI.
Lupanaria XLV. (alter XLVI.
Latrinæ publicæ CXIV.

In Victore recentiore hæc addita:

Colossi ænei XXXVII.
—— *Marmorei* LI.
Vici CCCCXXIV.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri DCLXXII.
Curatores XXIV.
Insulæ XLVIMDCII.
Domus MDCCXXC.
Balinea DCCCLVI.
Lacus MCCCLII.
Pistrina CCLIIII.
Portæ triginta septem.

Pergit vetustior:
Cohortes Prætoriæ X.
—— *Urbanæ* IIII. (alter, *sex*, *alias quatuor*.)
Excubitoria XIIII.

Addit porro recentior:

Vexilla duo communia.
Castra Peregrina.
—— *Prætoria*.
—— *Misenatium*.
—— *Tabellariorum*.
—— *Lecticariorum*.
—— *Victimariorum*.
—— *Salgamariorum*.
—— *Salicariorum*.

Pergit prior:

Castra Equitum singulorum II.
Mensæ Oleariæ XXIIIIM. (alter LXXIIIIM. *alias* XXIIIIM.)

Hic autem definit: quibus alter adjungit;

Lucus XIIII.

Vestæ Cuperius.
Viminei.
Loreti minoris.
—— *Majoris*.
Platanorum.
Querquetulanus.
Cuperius Hostiliani, *alias Hostilianus*.
Cuperius Scholæ Capulatorum.
Lucus Mavortis.
—— *Vaticanus*.
—— *Furinarum*.
—— *Petilinus*.
Lunæ in Aventino.
—— *Lucinæ*, *ubi Terentum*.

Sed & in notitia diversus ab utroque Victore epilogus est. Atque eccum:

Bibliothecæ XIX.

Ex his duæ præcipuæ, *Palatina & Ulpia*.

Obelisci V.

In Circo Maximo unus altus pedes LXXXVIII. *semis*. *In Vaticano unus altus pedes* LXXI. *In Campo Martio unus altus pedes* LXXXII. *semis*. *In Mausoleo Augusti duo*, *singuli pedum* XLII. *semis*,

Pontes VII.

Ælius, *Aurelius*. *Milvius*, *Sublicius*, *Fabricius*. *Cestius*, *& Probi*.

Montes VII.

Cœlius, *Aventinus*, *Tarpejus*, *Palatinus*, *Esquilinus*, *Vaticanus*, *Janiculensis*.

Campi VIII.

Viminalis, *Agrippæ*, *Martius*, *Codetanus*, *Octavius*, *Pecuarius*, *Lanatarius*, *Brytianus*.

Fora XI.

Romanum Magnum, *Cæsaris*, *Augusti Nervæ*, *Trajani*, *Ænobarbi*, *Forum Boarium*, *Suarium*, *Pistorum*, *Gallorum*, *& Rusticorum*.

Basilicæ X.

Julia, *Ulpia*, *Pauli*, *Neptuni*, *Matidii*, *Marciana*, *Bascellaria*, *Floscuaria*, *Scinii*, *Constantiana*.

Thermæ XI.

Trajanæ, *Titianæ*, *Agrippinæ*, *Syræ*, *Commodianæ*, *Severianæ*, *Alexandrinæ*, *Antoninianæ*, *Decianæ*, *Diocletianæ*, *Constantinianæ*.

Aquæ XIX.

Trajana, *Annia*, *Alsia*, *Claudia*, *Martia*, *Herculea*, *Julia*, *Augustea*, *Appia*, *Alsietina*, *Setina*, *Cimina*, *Aurelia*, *Damnata*, *Virgo*, *Tepula Severiana*, *Antoniniana Alexandrina*.

Viæ XXIX.

Trajana, *Appia*, *Latina*, *Lavicana*, *Prænestina*, *Tiburtina*, *Nomentana*, *Salaria*, *Flaminia*, *Clodia*, *Valeria*, *Aurelia*, *Campana*, *Ostiensis*, *Portuensis*, *Janiculensis*, *Laurentina*, *Ardeatina*, *Setina*, *Quinctia*, *Cassia*, *Gallica*, *Cornelia*, *Triumphalis*, *Patinaria*, *Asinaria*, *Cimina*, *Tiberina*.

Horum Breviarium.

Capitolia duo. Circi duo. Amphitheatra duo. Colossi duo. Columnæ Cochlides duæ. Macella duo. Theatra tria. Ludi IIII. *Naumachiæ* V. *Nymphæa* XV. *Equi magni* XXIII. *Deaurati* LXXX. *Eburnei* LXXXIV. *Arcus marmorei* XXXVI. *Portæ* XXXVII. *Vici* CCCCXXIIII. *Ædes* CCCCXXIIII. *Vicomagistri* DCLXXII. *Curatores* XXIIII. *Insulæ per totam urbem numero quadraginta sex millia sexcentæ duo*, *Domus mille septingentæ octoginta*, *Balnea* DCCCLVI. *Lacus* MCCCLII. *Pistrina* CCLIIII. *Lupanaria* XLV. *Latrinæ publicæ* XLIIII. *Cohortes Prætoriæ decem*, *Urbanæ quatuor*, *Vigilum septem*: *quarum Excubitoria* XIIII. *Vexilla communia duo*. *Castra equitum*, *Salgamariorum*, *Peregrinorum*.

Quum vero hæc in multis a Victore & Rufo discrepent, facile, quam parum vera accurataque sint, vel hinc cognoscitur, quod ex octo pontibus septem tantum hic commemorentur; & inter montes septem urbis *Vaticanus* & *Janiculensis* nominentur, qui extra numerum, pro *Quirinali*, atque *Viminali*. Tum quod & triginta septem portæ sub Aureliano prolatis mœnibus numerentur, nimisquam evidenter vero repugnat.

Panvinius, uti solet, & hic nonnulla ab sua industria addit; inprimis autem ingentem ædificiorum numerum, locorumque, incertæ regionis. Nos, his fastidii vitandi gratia silentio præteritis, ea tantum ex illo describemus, quæ Victori adjecit.

Vici ab eo constituuntur CCX.
Vicomagistri DCCCXL.
Cohortes Prætoriæ XVII.
Horrea CCCXXVII.
Pistrina CCCXXIX.
Balnea CMIX.
Lacus MXCVIII.
Domus MMCXII.
Insulæ XLIMCCXII.
Luci XXXII. sic ut hi Victori ab eo additi sint:

Saturni.
Semeles minor.
Larum.
Minervæ vetus.
Victoriæ.
Petilinus major extra portam Flumentanam.
Fagutalis.
Esquilinus.
Mephitis.
Junonis Lucinæ.
Rubiginis.
Veneris Lubentinæ.
Laurentinus.
Hylernæ.
Publicus.
Egeriæ.
Camœnarum.

Fora dicit esse XIX. additque
Aurelium.
Cædicii.

Basilicas ponit XXI. in queis

Caii & Lucii Cæss.
Sempronia.

Castra XI. quibus adnumerat.
Gyptiana.
Vetera.
Campos XVII. quibus ab eo accensiti octo

Rediculi.
Martialis.
Cœlimontanus.
Furinarum.
Trigeminorum.
Volcani.
Jovis.
Licinii.

Thermas XX. quibus additæ novæ quatuor

Neronianæ.
Novati.
Hadriani.
Varianæ in Aventino.

Aquæ, quas primo a me loco memoratas oportuit, ab eo statuuntur XX. aliter quam a Victore dispositæ: unde a me cunctæ, ita uti ipse eas collocavit, recensebuntur.
Appia vetus.
Anio vetus.
Marcia, alias Aufeja.
Regula.
Julia.
Virgo.
Halsia, alias Halsietina, quæ & Augusta.
Claudia, Albudina, Cœrulea, Curtia, Augusta,
Anio novus.
Rivus Herculaneus.
Aqua Crabra.
Sabatina, vel Ciminia Trans Tiberim { *Aurelia* / *Septimiana.* }

A *Alexandrina.*
Damnata.
Annia.
Algentiana.
Severiana.
Antoniniana.
Setina.

CAP. II.

Tiberis.

B DE *Tiberi* tam multa multi scripsere, ut ea mihi tantum attingenda putem, quæ istius fluminis ad urbem pertinent. Plinii eundem lib. III. cap. V. describentis inter cetera & hæc sunt: *Nullique fluviorum minus licet inclusis utrinque lateribus: nec tamen ipse pugnat, quamquam creber, ac subitis incrementis, & numquam magis aquis, quam in ipsa urbe stagnantibus.* Altitudo riparum, quibus coercetur, hodieque agnoscitur: inundatio vero urbis non infrequens est: olim autem crebrior, quum solum urbis depressius esset, quod nunc ruderibus altius assurrexit; ut multis Veterum locis doceri potest.

C Dionysius ei in urbe latitudinem quatuor jugerum tribuit, id est, ut Plinius ea describit, pedum admodum nongentorum sexaginta, seu perticarum nostratium CXXVIII. quæ tamen latitudo hoc ævo in eo minime apparet. Verum optime Donatus a Dionysio non jugera dici, sed plethra observavit: Verba igitur Dionysii sunt: *Latitudo est quatuor fere plethrorum: profunditas navibus etiam magnis tranabilis: fluvius concitatus, & vorticosus, si quis alius.* Plethrum porro diversum est a jugero: nam centum tantum in longitudinem pedes D patet, uti Pætus Lucas cap. ult. lib. I. de mensuris & ponderibus ostendit. Ergo 400. circiter pedes, id est, cannas nostrates seu perticas 53. & tres palmos cum parte tertia Tiberis in urbe latitudo occupat. Hodie tamen multo angustior est. Licet enim pons *S. Mariæ* ubi insula propinqua fluminis alveum dilatat, 50. cannarum longitudinem habeat, atque item Milvius, ex dimensione Donati 56. cannas exsuperet, nihilominus in ipsa urbe, & longius ab insula angustior existit. Pons enim *S. Angeli* 43. tantum cannarum est, multoque etiam brevior ille *Sixti*. Quare Dionysius vocula illa *ferme* ita usus est, ut non certam se trade- E re ac dimensam latitudinem significet, sed vero proximam, & prout conjectura videbatur. Præterea & in pontium fabrica id ab Antiquis compendii gratia observatum videtur, ut angustiore flumen alveo coercerent: Aurelianum autem inter ipsos pontes ripis lapide munitis flumen dedita opera coartasse, quo major ei esset profunditas, murisque secundum flumen structis major firmitas ac securitas.

Profunditatem Tiberi tantam Plinius tribuit, quantam Nilo, experimento ab Obelisco sumto, quem Cajus Cæsar Romam devehi curavit. Ita enim F ille lib. XXXVI. cap. IX. *Quo experimento patuit, non minus aquarum huic amni esse quam Nilo.* Ceterum alveum ejus plurimi multo, quam vetus fuit, elatiorem nunc esse existimarunt, argumento ex civitatum solo ducto, quod ruderibus dirutorum ædificiorum multo nunc est, quam olim altius atque editius: unde & alveum fluminis magis exaggeratum putent. Verum errare eos ipsi pontes evincunt, quorum & arcus, & superior via, seu platea, parem nunc antiquæ altitudini cursum fluminis esse evidentissime demonstrant.

Varro ei optimorum piscium palmam adjudicat: cujus hæc sunt apud Macrobium verba lib. III. Saturn. cap. XVI. *Ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis.* Inter hos laudatissimus lupus erat, præcipue qui inter duos pontes capiebatur; ut est ibidem apud eundem Macrobium, & Plinium lib. IX. cap LIV. pontes vero hi erant Sublicius & Palatinus. Hic enim Cloaca maxima in flumen se exonerans, omnesque urbis immunditias eo deferens, pisci huic alimenti copiam subministrabat: qui & per ipsam sæpenumero cloacam adscendens magnam ejus partem penetrabat, ut alibi e Juvenale docuimus. Sunt, qui lupum hunc Tiberinum accipenserem esse putent: Jovius autem libro de piscibus Romanorum illum esse docet, cui nunc *spigolæ* nomen est.

Aqua Tiberina semper turbida est: verum si tempus in vasis consistendi detur, intra pauculas horas liquatur, potuque saluberrima est, omni terrena fæculentia in fundum subsidente; quemadmodum hoc Petronius pluribus ostendit, in eo, quem *de victu Romanorum* conscripsit, medico Syntagmate. Inventum hoc Hodiernorum Scriptor Antiquis ignoratum dicit, idque parte operis secunda Recentiorum repertis adscribit. At si prisci Romani annos totos CCCCXL. priusquam ullæ exteræ aquæ in urbem ducerentur. Tiberina ad potum, usufque vitæ quotidianos usi sunt, uti e Frontino liquet lib. I. de Aquæductibus, non video, qui fieri potuerit, ut, quum casu derelictam aquam ad claram liquidamque pelluciditatem suapte inclarescere viderent, id ipsum animum non adverterint, casumque consilio fuerint imitati, & aquam potius turbatam, quam pellucidam bibere præoptarint: quæ valetudini adeo noxia est, ut ante aliquammultos annos operarii in Salinis portus occupati, aquamque fluminis ita turbidam, ut hausta erat, bibentes, in gravissimos & exitiales morbos inciderint. Quare quum & ipsi Romani veteres eadem sine dubio incommoda perpessi expertique fuerint, minime mihi verisimile videtur, non ipsos quoque subsidendi spatium haustæ e flumine aquæ permisisse.

Nec modo ea mortales tactu juvat, æstate sese in flumine lavantes, sed & jecori commoda est, quod multas aquas habeat admixtas metallicas. Hanc ego vero potius ejus virtutem dotemque Veteribus incognitam fuisse existimaverim, qui luxu corrupti quotidie, & plus semel aliquando de die in Thermis & Balneis lavari soliti numquam id ipsum, nisi addiscendæ nationis ergo, in Tiberi factitasse leguntur.

Ante Tarquinii Prisci tempora Tiberis omnem illum tractum stagnantibus aquis opplevit, ut vetus fert opinio, qui inter Palatinum, Forum, & Circum maximum interjacebat: ita ut is omnis naviculis transiretur. Atque hinc Velabro nomen. Rex autem Tarquinius flumen molibus, & exaggerando solo coercuit, spatiumque illud terræ exsiccatum ædificiis exornavit. Describit hoc fuse in Fastis lib. VI. Ovidius:

Hic ubi nunc Fora sunt, udæ tenuere paludes,
Amne redundatis fossa madebat aquis
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed fuit ante lacus.
Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil præter salices, crassave canna fuit.
Sæpe suburbanas rediens conviva per undas
Cantat, & ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne Deus.
Hic quoque lucus erat juncis & arundine densus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, & aquas sua ripa coercet;
Siccaque nunc tellus; mos tamen ille manet.

Item Propertius lib. IV. el. II.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.

Nec non Servius lib. VIII. Aen. *Hac enim* (ad Lupercal) *labebatur Tiberis, antequam Vertumnus factis sacrificiis averteretur.* Tandem Solinus cap. II. *Quod alimquamdiu Aborigines habitarunt: sed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate postmodum reliquerunt.* Donatus hic a Tarquinio Tiberis alveum mutatum, uti Poetæ innuere videntur, non putat, verum cloacis, quas eum instituisse certum est, aquam stagnantem emisisse, quæ antea exitu carentes totum illum tractum inundabant. Quæ mihi sententia ejus mirifice probatur, multo cum judicio prolata, confirmataque. Fieri tamen potuisse non negaverim, ut flumen in varios contortum flexus inter S. Mariæ Ægyptiacæ & Scholam Græcam in hanc semet planitiem effuderit, lacumque ita fecerit: Tarquinius autem obstructa ripa, non mutato tamen alveo, cursui illius veluti frenos injecerit, & exundationes istiusmodi coercuerit, cloaca, ejusque exitu muro munita. Ille vero fluvii excursus expositione Romuli & Remi ad lupercal confirmatur: quæ tametsi fabulæ similior est, quam historiæ veræ, negari tamen nequit, fluminis ei exundationem antiquis illis temporibus originem præbuisse.

Quod alii Tarquinio Prisco, id ipsum Acro, Horatii vetus Interpres, in Arte Poetica Augusto assignat: *Tiberim*, inquit, *intelligimus: hunc enim derivavit Augustus, qua nunc incedit. Ante enim per Velabrum fluebat: unde & Velabrum dictum, quod velis transfretur.* Porphyrius ejusdem Poetæ alter vetus Scholiastes *Agrippam* ejusce rei auctorem facit. Augustum vero Tiberim purgasse, alveumque dilatasse Suetonius tradit cap. XXX. *Ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coartatum.* ubi non tam ampliasse alveum, quam cursum flumini laxiorem fecisse Augustus dicitur, impedimentis, quæ remorabantur, sublatis. Atque ita accidere facile potuit, ut hic Princeps, sive & Agrippa ejus nomine, atque auspicio, partem aliquam exsiccarit, quæ vel per hæc ruderum obstacula, vel collapso cloacæ vetere, & a Tarquinio exstructo muro, partem fluminis receperat, stagnabatque.

Deinde & Trajanus, ne quid urbis amplius a flumine acciperet detrimenti, fossam fecit, sed quæ nec ipsa semper suffecit. Plinius Cæcilius epist. XVII. lib. VIII. a Donato hanc in rem adductus, *Tiberi*, inquit, *alveum excessit, & demissioribus ripis alte superfunditur, quamquam fossa, quam providentissimus Imperator fecit, exhaustus, premit valles, innatat campis, quaque planum solum, pro solo cernitur*, &c.

Tandem Aurelianus non modo de integro repurgasse flumen, sed & ripas ejus muro muniisse legitur apud Vopiscum: ubi ipse Aurelianus ait: *Tiberinas exstruxi ripas: vadum alvei tumentis effodi*, &c. Muri in Tiberi vestigia hodieque nonnulla exstant ad pontem IV. *capitum*, & rotundam *S. Stephani* ædiculam: sed quod lapides hi grandiores sint, & quadrati, veteris potius fuisse muri videntur ante

Aureliani memoriam constructi: fortean istius, quem a Tarquinio Prisco institutum Augustus refecit atque restituit: quique a Plutarcho *pulchri littoris* nomine insignitur. Plura etiam veteris alicujus muri residua fragmenta ad *Ripam* conspiciuntur, calce & arena interstrati: quas ego Aureliani puto esse operis reliquias. Ripis hisce forsitan occasionem Aureliani præbuit murorum urbis novorum prolatatio secundum fluvium ab ponte usque *Sixti* usque ad eos muros, qui a porta *Populi* etiamnunc ad ipsam usque ripam pertendunt. Ripis porro tuendis Curatores dati, qui in vetere inscriptione ad pontem *S. Angeli* reperta, & a Grutero descripta, *Curatores riparum & alvei* appellantur.

Sunt ex Antiquariis nonnulli, qui reverentia Numinis Tiberini prohibitum olim atque interdictum putent, ne quis in ripa ædificaret: sed absque ullo certo argumento. Regulus enim ille, de quo Plinius epist. II. lib. IV. ait: *Tenet se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis occupavit*: ille, inquam, Regulus hoc facere non potuit, nec statuas in ripa collocare, nisi substrato prius solo, vel aggere, vel muro, vel simili aliqua alia substructione. Nec minus validum in contrarium argumentum e Claudiano peti potest, cujus mox verba allaturus sum.

Molas a primis usque Regum temporibus in flumine fuisse Procopius docet lib. I. de Bello Goth. ubi causas additæ urbi Transtiberinæ regionis adfert: *Cujus rei opportunitate Romani veteres illi ipsum hunc collem* (Janiculum) *& ei e regione fluminis ripam muris junxere, ne hostes vel molas disturbare licentius possent, vel flumen pertranseundo facile ulterius muris insidiari*, &c. Qui & postpaullo eodem libro Belisarii inventionem, quod ad molas, refert: *Sed postquam, ut diximus, per hostes fuere aquæductus hi interrupti, neque ex his defluens aqua molas de cetero exerceret*, &c. *Belisarius tamen, ut erat vir prudentiæ singularis, id ex necessitate excogitavit remedium, sub ponte ipso, cujus meminimus, pertinente ad Janiculi muros funes ex utraque fluminis ripa valide distensos ac deligatos transmisit. His lembos binos pari magnitudine nectit, constringitque bipedali distantes ab invicem spatio, quo maxime aquarum defluxus per pontis fornicem præceps descendit, vastosque & molares lapides in alterum lembum imponens media ipsa intercapedine machinam inde suspendit, qua molæ volvuntur*, &c. Ad quæ adversus contra nitentes illud adjicerem, molas hasce longa temporis intercapedine fuisse neglectas, obsoleto & ignorato post earum usu atque adornatione, quod facilior per aquæductus earum circumagendarum ratio esset; atque ita non minorem ex hoc novo invento, atque molarum institutione Belisario deberi gloriam quam primo earum inventori, nisi Veteres servorum asinorumque in molendo opera usi fuissent pro aqua: quemadmodum id eruditis non latet, fuseque expositum est a Demstro *in Paralip. ad Rosini Antiq.* lib. I. cap. IV. Quod autem Palladius lib. I. tit. XLII. & Vitruvius lib. X. cap. X. de molis in fluminibus adornatis agunt, alia res est; neque illi de aquæ instar lemborum innatantibus agunt, sed de his, quarum rotæ impetu adurgentis fluminis, sive torrentis, in orbem volvuntur: neque item de Tiberinis loquuntur, multoque etiam minus de Romanis. Videtur quidem, circa extrema Imperii tempora molarum in Tiberi usus invaluisse. Ita enim Prudentius lib. II. adversus Symmachum:

Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ Janiculo mola nota quiescit?

Attamen confirmare id pro certo non ausim.

Villarum hortorumque tanta olim in utraque ripa copia fuit, ut fidem ferme omnem superet. Plinius loco supra memorato, fortean tamen aliquantum supra verum. *Pluribus*, inquit, *prope solus, quam ceteri in omnibus terris amnes accolitur, adspiciturque villis*. Quicum consentiens Claudianus lib. II. de laudibus Stiliconis, ubi Gallos pacis beneficio ripas amnium villis exornantes describit, Tiberim in exemplum producit:

Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, nova culmina totis
Ædificet ripis, & sævum gentibus amnem
Tibridis in morem domibus prævelet amœnis.

Verum qui immensam civium Romanorum vim divitiarum considerarit, villas & prædia non in Latio solum & Hetruria, quæ ipsis nimis angusta, sed etiam extra Italiam in Africa, Græcia, ceterisque P. R. provinciis possidebant, non nimis admirabitur, vicini Tiberis ripas villis undique velut constipatas fuisse: nec ullam ferme aeris salubritatis habitam rationem, dum luxui & voluptati serviretur, idque iis præsertim temporibus, quibus non ea, quæ nunc locorum, quod ad cœli salubritatem, distinctio observata fuit. In his *Symmachi* quoque *villa* fuit, de qua ipse lib. III. epist. LV. *Ager autem, qui me interim tenet, Tiberim nostrum juncto aquis latere prospectat. Hinc libens video, quidquid frugis æternæ urbi indies accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adjiciat commeatus*. Nec non epist. LXXXI. atque item epist. LII. lib. II. ubi eam prope Hostiam fuisse indicat: *Urget Hostiense prædium nostrum militaris impressio*.

CAP. III.

Pontes.

Pontes Tiberi impositos octo Victor tradit: nec plures umquam fuisse reperio. Primus eorum & vetustissimus, ut ex ipso urbis meditullio initium sumamus, *Sublicius* fuit ab sublicis, unde factus erat: de quibus plura Festus in *Sublicium*. Auctor ejus Ancus Martius, ut urbi Transtiberinam jungeret. Ita Livius lib. I. Dionysius lib. III. aliique. Hic postquam tempore belli Etrusci sub Porsenna ægre multoque cum labore ruptus est, postea, ut facilius solveretur, absque ullis ferreis clavis refectus est. Plinius lib. XXXVI. cap. XV. de ædificiis absque ferro differens, *Quod item Romæ*, inquit, *in Ponte Sublicio religiosum est, posteaquam Coclite Horatio defendente ægre revulsus est*. Pontificum postea curæ tutela ejus demandata est. Varro lib. IV. *Pontifices ut Q. Scævola Pont. M. dicebat a posse & facere. Pontifices ego a ponte arbitror: nam ab his Sublicius est factus primum, & restitutus sæpe cum ideo sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant*. Principatu quoque Augusti ex ligno fuit; & hinc *roboreus* dictus Ovidio l. V. Fastor.

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Speciatim vero Consulatu Augusti decimo ligneus fuisse memoratur, & a Tiberi disjectus, apud Dionem lib. LIII. *Et Tiberis auctus pontem disjecit ligneum, effecitque, ut per civitatem navigari posset spatio trium dierum*. Sic & post excessum Augusti, quum Historiam suam scriberet, eundem adhuc ex ligno fuisse Dionys. tradit lib. III. *Et dicitur fecisse super Tiberim pontem illum*, (Ancus Martius) *qui a solis lignis*,

A

lignis, absque ferro vel ære sustineri potest, & usque ad præsens sacrum eum existimantes custodiunt. Id ipsum de suo etiam ævo Plinius testatur verbis superius adductis; quamquam eum non diu ante Principatum Othonis impetu fluminis diruptum Tacitus scribit lib. I. Hist. *Tiberis immenso auctu prorupto Ponte Sublicio refusus.*

Eundem & *Æmilium* appellatum non solum Victor nuperus indicat, sed & vetustior in regione XI. ubi ait: *Ædes Portumni ad Pontem Æmilium, olim Sublicium.* Nomen id autem jam tempore quoque Domitiani ei fuisse liquet ex his Juvenalis Sat. VI.

B

Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius Pons.

Meminit ejus & Lampridius in Elagabalo: *Cadaver Elagabali per Pontem Æmilium annexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim objectum est, ne umquam sepeliri posset.* Verum *Sublicium* etiam appellatum non solum e Victore probatur, qui extremo inter Pontes loco *Sublicium* collocat; sed & e Spartiano in Antonino Pio: *Opera ejus hæc extant Romæ, Templum Hadriani honori patris dicatum, Græcostadium post incendium restitutum, instauratum Amphitheatrum, Sepulcrum Hadriani, Templum Agrippæ, Pons Sublicius.*

C

Existimant aliqui e lapide eum factum ab Æmilio quodam Prætore, atque hinc ei nomen Æmilii hæsisse: verum quis ille Æmilius fuerit, aut quando vixerit, nemo est, qui explicare queat. Non potuit autem Prætor umquam id sibi sumere juris atque potestatis, ut ponti faciendo manus admoveret. Erat enim hoc Pontificum muneris: neque item quisquam e lapide eum construere poterat, quod religionis id prohiberet ratio; siquidem nonnisi augurato, certisque ritibus, ac sacrificiis, e ligno semper instaurabatur. Tum si usque ad Domitiani, forsan & Antonini Principa-

D

tum e ligno duravit, ecquis sibi Prætorum sub Augustis illis tantum sibi arrogare ausus sit auctoritatis, ut id inconsultis faceret Principibus; aut si permitterent, nomen ei suum traderet? Quare nomen ego *Æmilii* non ad quemquam referendum existimo Æmiliorum, qui e lapide eum fecerit, sed qui e ligno seu majore cum splendore & sumtu, vel nova aliqua forma insignitiorem restituerit. Forsan autem Æmilius ille Lepidus unus de Triumviris fuit: is enim Pontifex Maximus fuit: unde facile accidere potuit, ut ab sive dignitatis ac nominis ergo triumviralis, sive qua alia de caussa

E

nomen acceperit. Quod si is improbabitur, alter esse auctor nominis Æmilius Lepidus potuit, qui sub Augusto Censor cum Munatio Planco fuit anno sequente proximo, postquam eum Tiberis disjecit, de quo supra e Dione lib. LIV. Ut autem accuratius hac de re agamus, Victoris illa verba reg. XI. *Ædes Portumni ad Pontem Æmilium, olim Sublicium*, aut vera sunt, aut supposititia. Si vera, ea, quæ dicta sunt, recte se habent: sin minus, quum nil certi tum affirmari possit, utrum *Æmilius* Sublicius dictus fuerit, nec ne; quumque tamen uni ex octo pontium numero adscribi de-

F

beat, unus ex his quinque exstiterit, necesse est, nempe vel *Fabritius*, vel *Cestius*, vel *Palatinus*, vel *Janiculensis*, vel fortean quoque *Triumphalis*: (nam de *Ælio* aut *Milvio* ne suspicio quidem reliqua est, quum alter nimis longe ab urbe remotus sit, alter vero absque controversia post *Æmilium* ab Hadriano factus sit:) atque ita ne scintilla quidem clarioris nobis luminis affulgeat, pro vano quis fecerit, qui absque aliqua adurgente ac fontica caussa contextum sibi corrigendum existimarit.

Sunt, qui velint veterem Pontem Sublicium ligneum fuisse non eo primum loco, ubi nunc pilarum ad *Ripam* rudera supersunt, verum propius *Marmoratam* & *Scholam Græcam*, ut ita sententiam suam tueantur existimantium *Portam Trigeminam* non longe ab eadem absuisse Ecclesia, adeoque ipsum *Pontem Sublicium* intra civitatis ambitum exstitisse. At cum *Pontis S. Mariæ* vicinia, tum Victor ipse repugnant, qui non tantum in reg. XI. sed & hic, ubi pontes omnes recenset, *Sublicium*, qui sua ætate lapideus, eodem, quo nunc pilæ loco visuntur, collocat. Adde, quum *Sublicius* ab Anco Martio factus sit, id est, antequam Velabri paludosa a Tarquinio Prisco seu ripis obstructis Tiberis, seu Cloacarum ope exsiccata fuere, eundem prope *Scholam Græcam* esse non potuisse, ubi paludes transitum negabant: verum sub Aventino, ubi & tellus sicca, & Tiberis alveus arctior erat.

Ut tandem *Sublicium* absolvam, illud mihi pro certo confirmari posse videtur, Vespasiani atque etiam Antonini adhuc Principatu ligneum eum fuisse. Licet enim, quod ab Antonino refectus legatur, majoris splendidiorisque videatur operis argumentum, attamen in vetustis nummis, quos Sambucus Emblematum libro pro corollario adjecit, Antonini visitur numisma, cujus aversa pars pontem ligneum exhibet: unde facile concludere licet, *Sublicium* ab eo ex ligno restitutum; adeoque lapideum alterius auctoris esse. Hic autem jam lapideus multis post seculis, sub Hadriano nempe Pont. Max. ingenti fluminis exundatione disjectus fuit; uti videre est apud Platinam & Ciacconium, quo ego hoc ab Anastasio accepisse crediderim, quis eo tempore magno excursu Tiberis pontem Antonini proruptum fuisse tradit: qui utrum hic *Sublicius* fuerit, an qui jam *Sixti* dicitur, alterius examini explorandum expendendumque permitto.

In *Sublicio* mendici stipem petere soliti. Ita Seneca lib. de vita beata cap. XXV. *In Sublicium Pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.* Verum cur hic potius, quam alibi? an quia locus frequentior, & sic major capturæ spes? sic puto: nam & nunc major illorum in *Ponte S. Angeli* copia, quam usquam alibi.

Ex hoc Ponte sollemne erat a. d. XV. sive Eidus Majas Argeos in Tiberim jacere; ut ex Ovidio supra vidimus. Varro lib. VI. *Argei fiunt e scirpeis virgultis: simulacra sunt hominum triginta, & quotannis a Ponte Sublicio Sacerdotibus publice jaci solent in Tiberim*: ex instituto scilicet Herculis, qui hoc pro hominibus vivis antehac in flumen dejici solitis adinvenit, teste Dionysio l. I. E qua fabula etiamtum in flumine pontem fuisse colligi possit, nisi & ficta esset narratio, adeoque nil veri certique adferens, & a Dionysio nulla pontis mentio fieret, ætate Herculis in flumen homines dejici solitos referente, sicut postea factum scirpeis imaginibus. Macrobius autem l. I. Saturnal. cap. VII. tradit, Herculem Pelasgos ritum hunc docuisse, qui vicina Cutiliæ lacui tum temporis incolebant; & hinc ritum ad Romanos derivatum. Lactantius contra lib. I. Institut. non *Sublicio* hoc tribuit, sed *Milvio*: in quo ego vitiatum contextum puto, legendumque pro *Milvio*, *Æmilio*, qui idem atque *Sublicius*: atque ita nulla sit in his Auctoribus sententiarum diversitas.

Porro sexagenarios de *Ponte Sublicio* dejici solitos mera, uti Festus exponit in *Sexagenarius*, fabula est, e lege veteri nata, *sexagenarios de ponte repellendos*. At hic septorum pons intelligitur, ubi

suffragia ferebantur: ita ut ea locutio idem significet, quod jure suffragii privari.

Sequitur *Palatinus*, qui, ut ex instituto a Victore ordine colligitur, *S. Mariæ* nunc appellatur. Nomen ei forte a Palatino monte, qui ei objectus. Antiquarii illum *Senatorium* vocant: cujus sententiæ nullum certum video fundamentum. In Livio l. x. decad. IV. legas: *M. Fulvius* (Censor is erat) *plura, & majoris locavit usus: portus & pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus & L. Mummius Censores locaverunt imponendos*. Omnes hic Scriptores Pontem designari *Palatinum* censent, nec injuria: non enim alius intra urbis mœnia tum temporis e lapide pons fuit: unde & simpliciter a Livio absque proprio nomine descriptus est. Recens ei *S. Mariæ* nomen vel a proxima *S. Mariæ Ægyptiacæ* ædicula, ut communis fert opinio, vel a miraculis clara B. V. imagine, quæ in medio ponte sacellum obtinuit, donec a S. Benedicti sodalibus in ipsorum templum *S. Cosimati* nomine notum delata fuit; ubi magna hodieque veneratione colitur, & historia ipsius imaginis in tabula fuse descripta proponitur. Ex hoc ponte duo fornices ab anno MDXCVIII. in hanc usque diem collapsi disjectique visuntur.

Insula duos pontes habet: alteri *Fabricio*, alteri *Cestio* nomen. Initio hi lignei fuere; & per hos CCCVI. Fabios porta *Carmentali* egressos, viamque versus Theatrum Marcelli insistentes, atque hinc ad pontes in Hetruriam transiisse, valde mihi verisimile videtur: usus enim insulæ pontes exigebat. *Fabricius* ille dictus, qui urbem inter & insulam prope Hebræorum stationem medius est. Auctorem ejus Fabricium inscriptio vetus indicat, quæ in fornice conspicitur:

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM
COERAVIT. IDEMQVE. PROBAVIT.
Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS.
S. C. PROBAVERVNT.

Succinit Dio lib. XXXVII. *Et pons lapideus ad novam insulam conducens, quæ in Tiberi est, tunc extructus, dictusque est Fabricius*. Factum id paulo post Catilinariam conjurationem. Pontem vero hunc expresse lapideum factum Dio dicit, ut a ligneo priore distingueret. Vix enim credibile est, nullam ante hunc pontem insulam urbi conjunxisse ab V. C. usque ad extrema Reip. R. tempora. Dionis verba Porphyrius in Sat. III. Horatii lib. II. confirmat. Hodie illi IV. *Capitum* nomen datum, a quadrifronte Jano, qui in introitu areæ ad pontem in insula positus est.

Alter, qui Transtiberinam insulæ connectit, *Cestii* nomen habuit: a quo vero Cestio, incertum. Nam Cestium hunc dictum e solo solitoque a Victore observato ordine colligitur. Panvinius ab illo Cestio Gallo factum putat, qui sub Tiberio cum M. Servilio Consul fuit, ut est apud Tacitum lib. V. Annal. & Plin. lib. x. cap. XLIII. Ego vero tempore vigentis Reip. constructum existimem. Sub Tiberio namque non Consulis, sed ipsius Principis nomine fuisset insignitus. Inscriptiones, quæ hodieque utrinque in ejus margine visuntur, a Valentiniano, Valente, & Gratiano restitutum indicant; quarum hoc exemplum est.

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CAESARES. FL. VALENTINIANVS
PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG.
PONTIF. MAXIMVS. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRAN.
MAX. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. II. ET
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF.
SEMPER. AVG. PONTIFEX. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN.
MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI.
COS. II. P. P. P. ET. FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR
AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC.
MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB.
POT. III. IMP. II. COS. PRIMVM. P. P. P. PONTEM. FELICIS
NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI
ROM. CONSTITVI. DEDICARIQ. IVSSERVNT.

Ex iisdem inscriptionibus colligere licet, eundem esse pontem, quem Ammianus Marcellinus lib. XXVII. sub his Principibus a Symmmacho restitutum dicit, qui tum urbis Præfectus erat: *Quo instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur, & ambitioso ponte exultabat atque firmissimo, quem condidit ipse, & magna civium lætitia dedicavit, ignoratorum, ut res docuit apertissima, qui consumtis aliquot annis domum ejus in Transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt*. Ejusdem & ipse Symmachus mentionem facere videtur lib. v. epist. LXXVI. Bonoso &c. discussionem pontis ac basilicæ novæ præceptio Augusta mandavit, fusius autem l. x. epist. XLV. & XLVI. ubi ante Præfecturam suam inchoatum indicat ab aliis, & male fundatas pilas a flumine disjectas. Animadvertendum autem, Symmachi epistolas pontem hunc in secunda sua Præfectura absolutum indicare sub Theodosio & Honorio: inscriptiones autem sub Valentiniano, Valente, & Gratiano, quemadmodum & Ammianus habet. Unde inferri posset, duos a Symmacho refectos pontes esse, alterum sub Valentiniano &c. in prima Præfectura, qui ex inscriptionibus *Cestius* esse colligitur; alterum sub Theodosio & Honorio in secunda. Verum hic tenuis quædam lux ex inscriptione ipsa affulget, quæ mihi *Pontem Cestium* sub ultimis hisce Imperatoribus absolutum esse suggerit hisce verbis: PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI: quæ vel decessorem Gratianum denotant, vel saltem multo majorem natu, multoque majore veneratione prosequendum, quam is, qui inscriptiones posuit. In qua sententia eo magis confirmor, quod hic pons non ab uno, sed æquali sorte ab omnibus fieri jussus sit; Valentinianus autem & Valens, pater & patruus, sat multo ante Gratianum tempore vivis excesserunt. Unde Theodosii moderatio animi elucescit, qui, quamvis pons iste sub ipsius demum imperio perfectus fuerit, honorem ac decus nihilominus inscriptionis integrum ac illibatum decessoribus suis,

& in primis Gratiano concessit, cui imperium ac- A ceptum referebat. Ergo inscriptio inchoationem pontis, non autem absolutionem exprimit, CONSTITVI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT. Quod ad Ammiani verba attinet, quibus sub Valentiniano ceterisque Impp. pons dedicatus traditur, ne Scriptorem in hoc erroris arguamus, ita illa explicari possunt, ut beneficium potius Symmachi, quam exactissimum finiti operis dedicatique tempus significare videantur; qui quidem Symmachus alio tempore pontem restituere inceperit, alio vero absolverit atque perfecerit, nihil autem minus meruerit, quam ut ab ingratis Romanis pro hoc tam grandi beneficio eximiæ domus suæ incendium ac destructionem reportaret. Hodie illi a vicina ecclesia *S. Bartholomæi* nomen est.


Januclensis, sive *Janiculensis*, ex eo, quem Victor secutus est, ordine is esse videtur, cui nunc *Sixti* nomen: forsan ita olim a transitu appellatus, quem in Janiculum dabat. Diu is disjectus jacuit: tandem a Sixto IV. redintegratus est. Marlianus hanc in eo quondam visam inscriptionem tradit:

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. DIVI. NERVAE. NEPOTIS
TRAIANI. HADRIANI. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IMP. IIII.
COS. III. DERESIVS. RVSTICVS. CVRATOR. VALETRIARVM.
TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. R.R. RESTITVIT. SECVNDVM
PRAESIDENT. TERMINATIONEM. PROXIMAM. CC. PP. C. II.

Quam male descriptam ipsa res docet. Nam post PARTHICI deest nota F. id est filii. Nomen etiam DERESIVS corruptum, confusumque cum prænomine: pro VALETRIARVM reponendum ALVEI ET RIPARVM: ut liquet ex alia, & forsan eadem, sed emendatius descripta inscriptione; quam Dempsterus profert *in Paralip. ad lib.* VII. *cap.* XXXII. *Rosini Antiq.* illic enim legitur. C L. MESSIVS. RVSTICVS. CVRATOR. ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS. &c. Porro Marlianus, aliique, ajunt pontem hunc e marmore factum ab Imp. Antonino: sed nullo certo auctore, acceptaque per manus traditione. Quod si autem id verum foret, pons, qui in Martyrum Actis *Pons Antonini* dicitur, hic ipse foret; in quo plumbatis SS. Hippolytus & Hadria Martyres interfecti, quorum corpora isthic non procul ab insula relicta restitere, paulo post illum pontem factum enata. *Jussit eos adduci ad Pontem Antonini, & plumbatis cædi*, &c. *& relicta sunt corpora in eo-* D *dem loco juxta insulam Lycaoniam*. Sic S. Calepodii corpus de eodem ponte in Tiberim dejectum dici potest, contra eandem insulam. *Cujus corpus jactari præcepit in Tiberim ante insulam Lycaoniam.* Pro Januclensi atque Palatino, quorum nulla illic facta mentio, in Notitia Imp. *Fons Probi* legitur: quam Pancirollus ab Imperatore Probo nomen accepisse existimat, multorum pontium structore, teste Vopisco; utrum in urbe, an alibi, incertum.

Vaticani pilæ ad *S. Spiritus* visuntur: dictus hic & *Triumphalis*. Verum quod eo Fulvius, Marlianus, aliique plures afferunt, ab solis illum nobilibus transiri solitum, unde hoc habeant, aut quo E nitantur auctore, vel indicio, ignorare me fateor. *Triumphalis* sine dubio a Campo Vaticano dictus fuit, cui & ipsi cognomen *Triumphalis* fuisse e vita S. Petri constat.

Ælio Hadrianus Imp. qui eum fecit, nomen suum addidisse legitur apud Spartianum in ejus vita: *Fecit & sui nominis pontem, & sepulcrum juxta Tiberim.* Exadversum hic moli Hadriani situs, non alium nisi in hanc transitum dedisse videtur. Nunc ei, uti & moli ab Archangelo Michaele *S. Angeli* nomen est. Vetus ejus species ac forma in veteri nummo Hadriani exhibetur, quem Erizzus vulgavit, & nos hic subjicimus.



Milvius a M. Æmilio Scauro, quem Auctor de viris illustr. ejus auctorem fuisse testatur, nomen mutuatus est, *Æmilius* primum, dein corrupte *M.lvius* dictus, uti nunc adhuc corruptius *Ponte Molle* appellatur. Partis ejus superioris pilis incumbentis nil ferme antiqui operis est. Nicolaus V. Pont. Max. eum restituit. Multa ejus apud veteres recentioresque Scriptores mentio fit, quos recensere importunum existimo.

Sed & *Anio* quatuor pontes habuit, qui etiamnunc supersunt. Unus est *Salarius* in Via Salaria: alter *Nomentanus* in Nomentana: tertius *Mammulus*, quartus *Lucanus*, uterque in Tiburtina: quos ab his puto factos, qui vias illas silice stravere; nisi forte tempore vetustiores fuisse existimandi sunt. Egregium *Salarii* dextro lateri inscriptum epigramma conspicitur, quod eundem a Narsete restitutum testatur. Pontem porro isthic fuisse ab antiquissimis usque temporibus ad urbem a Gallis captam incensamque, Livius refert lib. VII. *Eo certe anno Galli ad tertium lapidem Salaria Via trans pontem Anienis castra habuere.* Quæ quamquam de loco accipi possint, ubi postea pons factus, tamen, si simpliciter, & recte, ni fallor, acceperis, pontem illic jam tum fuisse significant. *Nomentano* a via nomen inditum, in qua exstitit: nec hodie multum diverso nomine *della Mentana* dicitur. *Mammolus*, sive *Mammæus*, ab Alexandro Severo sive factus, sive restitutus, matri ejus Mammææ nomen debet. *Lucano* Tiberii Plautii nomen inscriptum, incertum primi constructoris, an redintegratoris. Et hic forte ille Tib. Plautius est, qui Claudii in Expeditione Brittannica comes fuit, de quo apud Gruterum vetus exstat inscriptio p. CCCCLIII. quæ illic respici poterit.

CAP. IV.

Aquæ.

F IN initiis urbis, quum ea solis montibus Palatino, Capitolino, Aventino, & Cœlio continebatur, cum Tiberis flumen, tum fonticuli ex illis scaturientes usibus civium sufficiebant. Verum quum ea & frequentia civium, & amplitudine numeroque montium cresceret, additis Quirinali, Viminali, & Esquilino ab flumine, planitie puteis opportuna, remotioribus, aliunde aqua adducenda fuit; quod tamen usque ad CCCCXLI. ab

v. c. annum non factum: uti e Frontino lib. I. de Aquæductibus tantum non verbo tenus excerpsimus. Tandem luxus, & vasta urbis amplitudo in thermarum, fontium, & naumachiarum, stagnorumque usum tantam earum copiam, tantisque sumtibus, perforatis sæpe integris montibus, exstructisque per incredibile longitudinis spatium fornicibus induxit, inductamque summa cura sartam tectam conservavit, quemadmodum ex eodem Frontino liquet, ut solus eorum aquæductuum intuitus atque consideratio omnes omnis ævi homines in stuporem rapiat, rapueritque. Atque hinc omnibus Romanæ magnificentiæ admirandis ab Dionysio lib. IV. & Strabone lib. V. aquæductus præferuntur, & cloacæ, viæque silice stratæ. Cassiodori verba sunt lib. VI. epist. VII. *In formis autem Romanis præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quod enim illuc flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos soliditate saxorum, quando tantus impetus fluminis tot seculis firmiter potuit sustineri.*

Veteres urbis scaturigines, unum si exceperis *Almonem* rivulum, qui extra *S. Sebastiani* & *S. Pauli* portas in Tiberim sese effundit, hodieque *Aquataccio* appellatur, omnes sub ruderibus oppressæ delitescunt. Olim vero *Aqua Mercurii* ad eandem *S. Sebastiani* portam fuit, ad radices Cœlii vel Aventini nata: *Stagnum Juturnæ* ad ima Palatini in Foro: *Fons Lupercalis* e specu itidem Lupercali dicto ex eodem monte scaturiens: *Lautulæ*, aqua calida in ipso Foro exsurgens ad infima Capitolii prope Janum Geminum: tandem & *Fons Pici*, *Fauni*que in specu sub Aventino exsurgens, olim sacer habitus, Nam de *Juturnæ fonte*, utpote extra urbem nimis longe sito, silendum hic existimo, uti & de *Petronio*, cujus in reg. IX. supra facta est mentio.

Aquæductuum e longinquo petitorum primus fuit *Aquæ Agrippæ*, quam Appius Claudius Cæcus Censor anno V. C. CCCCXLII. quo & Via Appia silice strata, in urbem deduxit. Livius lib. IX. *Censura clara eo anno Appii Claudii & C. Plautii fuit, memoriæ tamen felicioris ad posteros nomen Appii, quod & viam munivit, & aquam ad urbem duxit, eaque unus perfecit, quia ob infamem atque invidiosam Senatus lectionem verecundia victus collega Magistratu se abdicaverat: Appius jam deinde antiquitus insitam pertinaciam familiæ gerendo solus censuram obtinuit.* De ipsa Aqua Frontinus: *Concipitur*, inquit, *in agro Lucullano via Prænestina inter lapidem sextum & octavum, diverticulo sinistrorsum passuum* DXXC. *habet longitudinem a capite usque ad Salinas: (qui locus est ad portam Trigeminam) passuum undecim millium centum nonaginta: subterraneo rivo passuum undecim millium centum triginta, substructione supra terram opere arcuato proximo ad portam Capenam passuum* LX. Et mox; *Rivus Ripæ sub Cœlio monte & Aventino actus emergit, ut diximus, infra clivum Publicii.* Sic ut Aqua Appia e Via Prænestina ad Appiam Viam deflectens, & urbem ad portam Capenam intrans, quam supertransibat, eandem humectaret, unde supra *Madidam Capenam* ab Juvenale Martialeque dictam ostendimus. Hinc in vallem deducta, quæ Aventinum ab Cœlio dividit, ejusdem forte Aventini ima legens ad portam tendebat ejusdem collis retro *Scholam Græcam*: ubi vico, cui *Salinis* nomen, initium, ad Portam Trigeminam desinenti. Quod si quis portam *S. Sebastiani* egressus ad sinistram iter flexerit versus Viam Latinam, statim secundum muros diruti aquæductus vestigia animadvertet, qui illic mœnibus urbis jungitur. Quod si vero castellum ejus, in quo aqua in varios publicos privatosque usus distribuebatur, inter prominentiam Aventini & Scholam Græcam fuit, fortean ea ruderum moles est, de qua Anastasius in Hadriano ita loquitur: *Diaconiam Sanctæ Dei Genitricis, semperque virginis Mariæ Scholæ Græcæ, quæ appellatur Cosmedin, dudum brevem in ædificiis existentem, sub ruinis positam, restauravit. Nam maximum monumentum de Tiburtino tufo super eam dependens per anni curriculum plurimam multitudinem congregans, multorumque lignorum struem incendens, demolitus est.*

Mirum vero, quum tempore Appii Esquiliæ a Tiberi remotiores fuerint locis Aventini depressioribus, adeoque aquæ indigentiores, non huic quoque urbis ab eo parti fuisse prospectum, præsertim quum ex agro Lucullano ad viam Prænestinam adducta vicinior Esquiliis rectiorque via fuerit, quam ad Portam Capenam: nec video caussam, quæ mihi satisfaciat, cur alioversum ducta fuerit, nisi quod idem Frontinus eamdem de maxime humili loco emergentibus esse diceret; tum & ob imperitiam seculi in locorum metiendis altitudinibus peccatum; studioque subterraneos esse factos illius ductus, ut ita conspectui hostium eriperentur, subtraherenturque. Nam, uti supra vidimus, soli, de undecim millibus centum nonaginta, sexaginta passus opus arcuatum atque conspicuum habuere.

Idem Frontinus ramum ei Alsietinæ in supplementum additum tradit: *Jungitur ei ad Anienem veterem, in confinio Hortorum Torquatianorum, Alsietinæ ramus milliario * in supplementum ejus addito, cognomento decem Gemellorum.* At fieri non potuit ut aqua Alsietina, multo Appia humilior, quæque soli Transtiberinæ inserviebat, non ad potum, nisi urgente, quum pontes aliis aquis subtrahi reficerentur, necessitate; sed ad Naumachiam, & hortorum irrigationem, ramum suum cum Appia extra urbem adeoque extra portam Capenam communicaret, quum nullus pons fuerit, qui eam trans Tiberim traduxerit. Quare audacter confirmare aurim, vocem *Alsietinæ* a mala manu esse, proque ea *Virginis* esse reponendum, quæ & ipsa *Augusta* dicta, uti apud Dionem legitur; unde supplementum accepisse Appia potuit, aut saltem a vicino Virgini rivulo; quemadmodum & e mox sequentibus Frontini verbis colligi posse videtur: *Hic via Prænestina ad milliarium sextum diverticulo sinistrorsus passuum* DCCCLXXX. *proxime viam Collatinam accipit fontem, cujus ductus usque ad Gemellos*, &c. Fontem vero hunc Aquæ Virgini vicinum fuisse, nec negari potest, ut mox a me ostendetur, nec Alsietinam in proximo fuisse affirmari. Alibi eam Frontinus non *Alsietinam*, sed *Augustam* tantum vocat: ad Gemellos, qui locus est intra Spem veterem, ubi jungitur cum ramo Augusti. Sed & hic aliud se vitium prodit, non minus quam illud manifestum. Quod enim *intra Spem veterem* illic legitur, fieri non potuit, ut eo Aqua Appia umquam venerit, id est, ad usque *Portam Majorem*. Corrige igitur e superius allato Frontini loco, *Intra Anienem veterem*; id est, cis eum locum, ubi vetus Anio cum Aqua Appia conjungebatur: ubi scilicet extra portam Capenam, hortos, balneum, & lacum Torquati fuisse in I. regione docui.

Eutropius lib. II. ait, Appium Claudium *Aquam Claudiam* in urbem deduxisse: sed eadem aqua est, sive prænomine, sive nomine ejus insignita. Scriptor vere *de Viris Illustribus Anienem* vocat: in quo quidem errat, sed leviter.

Anio Vetus triginta novem post annis, id est V. C. CCCCLXXXI. a Man. Curio Dentato & L. Papirio Cursore Censoribus in urbem deducta est, ex manubiis hostium, ut ait Auctor *de Viris Illustr.*

vel, ut Frontinus, *ex manubiis de Pyrrho captis*. *Concipitur*, inquit idem Frontinus, *Anio vetus ſupra Tibur* XX. *milliario extra portam Romanam, ubi partim in Tiburtinum uſum diſtribuebatur, partim Romam deducebatur, quæ minus ſalubris in hortorum irrigationem, atque in ipſius urbis ſordida exiſteret miniſteria. Ductus ejus habebat longitudinem paſſuum* XLIII. *millium; ex eo rivus erat ſubterraneus paſſuum* XLII. *ſubſtructione ſupra terram paſſuum* DCCII. Idem poſtpaullo: *Incipit diſtribui vetus Anio vico Publicii ad portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellatur*. Adeo ut conjicere liceat, parcendorum ſumtuum gratia per aquæductum Appiæ in urbem deductum, quicum conjungebatur ad hortos Torquatianos, loco, cui *decem Gemellis* nomen fuit, ut ſupra habuimus: habueruntque ambo caſtella contigua extremo vico Publicio prope Salinas, ſic ut rudera illa, ſeu monumentum, de quo ſupra Anaſtaſius, forte duplex utriuſque aquæductus caſtellum fuerit.

Tepula diu poſt, anno nempe v. c. DCXXVIII. M. Plautio Hypſæo & Fulvio Flacco Coſſ. a C. Servilio Cæpione & L. Caſſio Longino Cenſoribus in urbem deducta eſt, teſte Frontino. *Concipitur*, inquit, *Via Latina* XI. *milliario diverticulo euntibus ab Roma dextrorſus ſub terra prius, deinde arcuato opere, Juliæ poſt admixta ab Agrippa. Hujus aquæ fontes nulli ſunt: venis quibuſdam conſtat, quæ interruptæ fuerunt in Juliam. Caput ergo ejus obſervandum eſt a piſcina Juliæ*. Et de hac quidem infra plura in *Julia*.

Martia deinde a Q. Marcio Rege Prætore deducta. Ita Plinius lib. XXXVI. cap. XV. *Sed dicantur vera æſtimatione invicta miracula, quæ Q. Marcius Rex fecit. Is juſſus a Senatu aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ ductus reficere, novam a nemine ſuo appellatam cuniculis per montes actis intra Præturæ ſuæ tempus adduxit*. Idem jam ante id Regem Ancum Marcium deſtinaſſe animo lib. XXXI. cap. III tradit, verum nec mihi, nec Donato hoc probare potuit: *Clariſſima aquarum omnium in toto orbe frigoris ſalubritatiſque palma præconio urbis Martia eſt, inter reliqua Deum munera urbi tributa*: & paulo poſt: *Horum amnium comparatione differentia ſupradicta deprehenditur, cum quantum Virgo tactu, tantum præſtet Martia hauſtu*. Hinc ita diſtributas Romæ aquas Frontinus refert, *ut Martia tota potui ſerviret, reliquæ vero aliis uſibus aſſignarentur*. Principium ejus Plinius loco ſuperius indicato ita explicat: *Vocabatur hæc quondam Aufeja, fons ipſe Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum, tranſit Marſos, & Fucinum lacum, Romam non dubie petens. Mox ſpecu merſa in Tiburtina ſe aperit* IX. *M. P. fornicibus ſtructis producta*. Frontinus vero de VII. tantum millibus ſupra terram loquitur. Strabo e lacu Fucino naſci eam ſcribit, cui hodie *di Celano* nomen. Nec in eo erraſſe omnino videri poſſit: inde enim exit; quamquam primum ejus fontem Strabo non obſervaſſe, atque hinc tacuiſſe merito dicendus eſt. Frontinus autem ita nobis ejus initia deſcribit: *Concipitur Martia via Valeria ad milliarium* XXXIII. *diverticulo euntibus ab urbe Roma dextrorſus millia paſſuum via Sublacenſi. Habet longitudinem a capite ad urbem paſſ.* LX. *millium &* DCCX. *ſemis*. Dicata deſtinataque potui civitatis, non uno eam loco intrabat. Ea enim, quæ Cœlio, & ei ſubjectis urbis partibus ſervitura erat, per *Portam Majorem* admittebatur, ut mox probabitur. Illius aquæductus, qui per Eſquilias diducebatur, multi etiamnunc arcus ſuperſunt, ut & caſtellum inter *S. Euſebii* & *S. Bibianæ*, cui tropæa Marii inſculpta ſupra vidimus. Horum autem arcuum rectus tractus facile introitum ejus aquæductus inter *Portam Majorem* & *S. Laurentii* fuiſſe indicat: illos autem Martiæ aquæductui ſub-

A ſtratos fuiſſe ex ipſorum altitudine, ſi quis modo eam accurate obſervaverit, certiſſima videbitur aſſeveratione poſſe confirmari. Aliam item ejus partem ſecundum muros ad Portam uſque Viminalem perrexiſſe, quæ retro thermas fuit Diocletiani, non modo e Frontino diſcimus, ubi ait: *Quæ ad libram collis Viminalis jungitur. Inter * euntes ad Viminalem portam deveniunt, ubi rurſus emergunt*: ſed & ex inſcriptione vetere, quæ in Porta S. Laurentii viſitur, illic ſecundum muros proceſſiſſe cognoſcimus.

Reſtitutam Aquam Martiam a M. Agrippa Plinius loco jam citato, atque item Dio lib. XLIX. do-
B cet: hic autem in multa eam urbis loca fuiſſe diductam addit. Hodie aqua Martia ductibus ſuis magna ex parte disjectis in Anienem illabitur, & cum hoc una in Tiberim. Atque utinam Pontifex aliquis exſurgat, qui reſtituat, ac in urbem reducat: non quod thermarum uſu, una cum linea veſte in illis lavari ſolita, ſublato Roma aquarum penuria laboret, ſed ut aquæ hujus adeo deprædicatæ bonitate hodieque frui poſſit. In his ductibus magna ſæpe pulcherrimi marmoris copia invenitur, quod alabaſtritis nomine notum eſt, & ex aqua & terra in marmoream duritiem conſtri-
C ctum conſtat.

Julia in Campo Lucullano ſurgebat *via Latina ad milliarium ab urbe* XII. deducta vero in urbem eſt ab Agrippa Auguſto & Lælio Volcatio Coſſ. a v. c. DCCXXI. De hac Dio lib. XLVIII. *Hoc eodem tempore aqua dicta Julia ducta canalibus in urbem fuit, foſſaque vota bello contra percuſſores tunc completa a Conſulibus*. Nomen ei ab inventore quodam Julio. Frontinus: *Acquiſitæque ab inventore nomen Juliæ datum*. Ceterum de ortu ejus hæc ejuſdem verba ſunt: *Juliæ ad caput menſura iniri non potuit, quoniam ex pluribus acquiſitionibus conſtat, & ad* VI. *ab urbe milliarium univerſa in piſcinam recipitur, ubi*
D *dat quinarias* MCCVI. Primum mixta Crabræ fluxit, at Agrippa illam ab ea diſcretam in urbem influere voluit: *Seu quia Crabræ uſum improbaverat, ſeu quia Tuſculanis poſſeſſoribus relinquendam credebat*: ut eſt apud eundem Frontinum. Veruntamen eam cum Tepula conjunxit, ut ſupra expoſui; forte quod neutra earum ſeorſim tam copioſa eſſet, quanta ceterorum ductuum aquæ, ſic ut in ſingulas expenſas illas facere operæ pretium non videtur. Hinc inferre licet, Juliam ex pluribus Tuſculani agri venis collectum fuiſſe, quæ primum in Marranam (quæ antiqua *Crabra* eſt) incidentes ſenſim proceſſere: ac deinde ab Agrippa per ſex M. P. ſpa-
E tium conjunctæ in piſcinam privatam aliquam illapſæ, nomen Aquæ Juliæ ab inventore, qui eas primus coadunaverat, acceperunt: non ſecus atque ab altera viæ Latinæ parte, (forte in territorio Marini) multo ante Tepulæ obtigiſſe jam diximus.

Hæ duæ aquæ igitur conjunctim in initio urbem intravere: ſeorſim vero ætate Frontini, ut ipſe lib. I. oſtendit: *Una autem Julia, Martia quoque, quæ Tepula intercepta, ſicut ſupra demonſtravimus, rivo Juliæ acceſſerat, nunc a piſcina ejuſdem Juliæ modum accipit, ac proprio canali ac nomine venit,*
F ** & a piſcinis in eoſdem arcus accipiuntur. Summus is eſt Juliæ, inferior Tepulæ, deinde Martiæ, quæ ad libram Collis Viminalis jungitur*. Item lib. II. ubi de ſingularum aquarum agit altitudine: *Tertium locum tenet Julia; quartum Tepula; dehinc Martia*. Arcus igitur Martiæ Tepulam etiam & Juliam ſuſtinebant, quæ altiores: quarum ſingularum pars aliqua per Portam Majorem urbem intrabat, ubi Pallantianos fuiſſe hortos regione v. diximus. Hic earum caſtella fuerunt, e quibus pars aliqua aquæ per Eſquilias diſtribuebatur, pars verſus Cœlium tendebat. Sic idem Frontinus: *Prius tamen pars Ju-*

Juliæ ad Spem veterem excepta castellis CCCII. *montis usibus diffunditur. Martia autem parte sui post hortos Pallantianos in rivum, qui vocatur Herculaneus, dejicit se per Cœlium.* Ibi & Julia nonnihil aquarum a ceteris mutuabatur: *Accipit autem post hortos Pallantianos ex Claudia quinarias* CLXV. Quicunque igitur extra *Portam Majorem* ad sinistrum ejus latus murum exactius considerarit, fragmento aliquo veteris eum aquæductus intersectum videbit tribus sibi superstantibus foraminibus, quorum duo altiora, (Juliæ sine dubio & Tepulæ olim inservientia) minora sunt: inferius aliquanto majus, per quod scilicet Aqua Martia urbem introiit. Advertet & minus alta, quam Claudia & Anio novus, quarum ductus vestigia illic in vicinia supersunt, multis partibus aquis ceteris, eodem ordine, quem Frontinus observavit, & de quo mox acturi sumus, altiora. Partem porro Juliæ aliam una cum Martia & Tepula secundum muros iisse usque ad Portam Viminalem jam supra exposui: ac fieri potuit, ut in castello, quod hodieque sub tropæis Marii, *ad S. Eusebii* superest, tria, quæ illic conspiciuntur, foramina ibidem quoque tres illas aquas distinctim effuderint. Nunc autem perquam verosimile est, vetustis arcubus seu ductibus corruptis disjectisque, atque item piscinis disturbatis, Juliam non secus ac Tepulam vetus naturaleque repetisse flumen, seu cursum, atque in Marranam esse derivatas.

Aqua Virgo ab eodem Agrippa quarto post tertium Consulatum anno, v. c. DCCXXXV in urbem deducta fuit C. Sentio & Sp. Lucretio Coss. Ita Frontinus. Plinius autem lib. XXXI. cap. III. *Agrippa & Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo* II. *mill. pass. via Prænestina juxta Herculaneum rivum, quem refugiens Virginis nomen obtinuit.* Quod ad initium, Frontinus aliquantulum discrepat. Is enim: *Concipitur ergo via Collatina ad milliarium octavum palustribus locis signino circumjecto continendarum scaturiginum caussa. Adjuvatus ex compluribus aliis acquisitionibus venit per longitudinem passuum* XIV. *mill.* CV. *ex rivo subterraneo pass.* DXI. *opere arcuato pass.* DCC. Veruntamen scaturigo maxima Aquæ Virginis, quæ in prædio *S. Mariæ Majoris*, *Salona* appellato, exoritur locis palustribus, sicut & Frontinus habet, vixdum duobus mill. pass. a via vetere Prænestina abest; unde Plinius vera dixisse probatur: neque tamen ideo Frontini corruptus esse contextus dici potest. Siquidem via Collatina, quam cum Cluverio Tiburtinæ proximam dixi, prædio Salonæ vicinior est, quam Prænestina. Quin & Frontinus alio quodam alibi a me adducto loco apertissime Prænestinam Collatinæ vicinam fuisse dicit: *Hic via Prænestina ad milliarium sextum diverticulo sinistrorsus passuum* DCCCCXXX. *proxime viam Collatinam accipit fontem*, &c. A *Salona* igitur aqua Virgo per aliud prædium, cui *Buccæ Leonis* nomen, transit, & ad pontem Nomentanum sinistram petens, non, ut alii existimant, versus portam Pincianam, sed declivitatem secuta montis versus Papæ Julii vineam prope murum distortum urbem intrat, juxtaque Pincii radices usque ad Ecclesiam pergit *SS. Trinitatis in montibus*. Hic in duos ramos dispescitur aquæductus omnino veteris, quorum alter in viam, quæ inde *de Condotti*, seu *Ductuum* nomen accepit, & Naumachiam Domitiani tendit: alter ad Fontem *Trevium*. Atque hi duo rami cum veteri Campi Martii planitiei, tum toti regioni VII. sufficientem aquæ copiam suppeditabant.

Amissam Pius IV recuperavit ac restituit; ante quem Nicolaus V. atque item Sixtus IV exiguam illam aquæ partem collegerant, quæ ad Pontem Salarium cogitur: quam ex acquisitionibus unam esse suspicari licet, de quibus supra Frontinus. Hujus quoque partem ego existimarim veterem in luco Annæ Perennæ fontem, qui, ut e Cluverio ostendi, ad Tiberim fuit cis Anienis confluentes. Martialis lib. I. Ep. CLXXI.

> *Et quod virgineo cruore gaudet*
> *Annæ pomiferum nemus Perennæ.*

Eorum porro arcuum, seu fornicum, qui sub monte Pincio non procul ab hodierno *Trevio* fonte initia sua habebant, inscriptio superius reg. VII. a me e Fulvio & Marliano allata est. Hos autem per DCC. passus usque ad Seminarium Romanum perrexisse ibidem ostensum est.

Virginis hæc aqua nomen obtinuit, ut Frontinus ait, *quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti, qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc virginem pictam ostendit.* Aliter supra Plinius. Cassiodorus autem lib. VII. epist. VI. *Currit aqua Virgo sub delectatione purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur.* Hanc autem sequioris ævi sententiam fuisse facile concesserim. *Augustæ* nomen ei ab Agrippa inditum. Ita Dio lib. LIV. *Aquam, quæ Virgo vocabatur, propriis sumtibus Agrippa adduxit, Augustamque nominavit.* Verum quod *Augustæ* deinde nomen alteri fuerit aquæ peculiari datum, Virginis hæc appellationem recepit retinuitque.

Alsietina scilicet illa fuit, quæ ab Augusto, eodem, aut non multum diverso tempore, in urbem deducta, *Augusta* dicta est. Frontinus: *Concipitur ex lacu Alsietino via Claudia milliario* XIV. *diverticulo dextrorsus pass.* VI. *millium* D. *ductus efficit longitudinem passuum* XII. *millium* CLXII. Hinc certo constat, e lacu, cui *Martignano* nomen, ad dextram viæ Claudiæ, petitam, ut recte Cluverius docuit: atque inde cuniculis subterraneis per viam Cassiam tabernam *Insulanam* transiisse. Ceterum non admodum salubris ea fuit. Hinc Frontinus: *Quæ ratio moverit Augustum providentissimum Principem producere Alsietinam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, immo & parum salubrem, & nusquam in populi usus fluentem; nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret, hanc proprio ære perduxit, & quod Naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus, & privatorum usibus concessit. Solet tamen ex Transtiberina regione* (forte in Tr. regione) *quoties pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ* (deest hic sine dubio aliqua vox) *ex necessitate in subsidium publicarum salientium dari.* Alibi, loco licet corrupto ac manco, de eadem videtur aqua Frontinus loqui: *Alsi* * *& inde advectus est in Naumachiam, non ejus causa videtur factus.*

Sed & alii aquæ *Augustæ* nomen accessit, quam Augustus in Martiam corrivavit, ejusdem bonitatis, salubritatisque, ut ita hanc adjuvaret æstate sicciore deficientem. Frontinus: *Idem Augustus in supplementum Martiæ, quoties siccitates egerent auxilio, aliam aquam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Martiæ rivum, quæ ab inventore appellatur Augusta. Nascitur ultra fontem Martiæ, cujus ductus, donec Martiæ accedat, efficit passus* DCCC. Postea illa in Claudiam derivata fuit, sed ita, ut utrique supplementum exhibuerit. Idem Frontinus: *Augustæ fons, quia Martiam sibi sufficere apparebat, in Claudiam derivatus est, manente nihilominus præsidiario in Martiam, ut ita demum Claudiam aquam adjuvaret Augusta, si eam ductus Martiæ non*

caperet. Sed hæc, quod non peculiaribus in urbem arcubus deveheretur, inter diversas a ceteris computata non est.

Claudiæ primus Auctor C. Caligula fuit, qui eum aquæductum inchoavit: nomen vero Claudius dedit, qui absolvit. Hæc bonitate Martiæ proxima judicata. Origo ei ex fontibus Cæruleo & Curtio via Sublacensi. Frontinus: *Alteri, quod ex fontibus Cæruleo Curtioque perducebatur, Claudiæ nomen datum. Hæc bonitate proxima Martiæ*. Suetonius autem cap. xx. in vita Claudii Curtio Albudinum adjungit: *Claudiæ aquæ gelidos & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est, simulque rivum Anienis, novo lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus*. De ortu ejus Frontinus: *Concipitur*, ait, *Claudia aqua via Sublacensi ad milliarium* XXXVIII. *diverticulo sinistrorsum intra passus* CCC. *ex dictis fontibus amplissimis & speciosis, Cæruleo, qui a similitudine appellatus erat, & Curtio. Claudiæ ductus habent longitudinem pass.* XLVI. *millium*.

Hæc, non secus ac Anio novus, altissima aquarum omnium fuit, quæ in urbem deductæ sunt, ut idem ait Frontinus. Sic & Plinius lib. XXXVI. cap. XV. *Vicit antecedentes aquarum auctus novissimum impendium operis inchoati a C. Cæsare & peracti a Claudio. Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes*. Hujus aquæductus pars aliqua hodieque superest extra portam *S. Joannis* via, quæ Tusculum & Marinum ducit: eodemque, sed humilius, aqua Felix in urbem deducta a Sixto V. Eadem aqua non longe a Porta Majore muros legens ad sinistram urbem intrasse videtur. Frontinus autem arcus ejus ad hortos Pallantianos finisse dicit, ubi pars quædam in tubulos distribuebatur, pars per arcus, post a Nerone factos, alios Cœlium pertransibat usque ad Templum Claudii, idque ea altitudine, ut facile inde in Palatinum atque Aventinum pergere potuerit. Hortos igitur Pallantianos paulo postquam urbem per *Portam Majorem* intraveris, sitos fuisse existimo; quamquam usque ad ipsam portam arcus illi sat longo per ipsos muros tractu animadvertuntur, sed obstructi: ad quam portam fortean divisio aquarum instituta fuit. Horum Neronianorum arcuum pars magna continuo ferme tractu non procul ab ipsa porta ad usque *S. Joannis* & *Pauli* procedere visitur: ubi in vinea contigua divisio forte incepit: siquidem partem ejus alteram Aventinum versus super arcum, qui ædi *S. Thomæ* eapropter *in formis* appellatæ, sed dirutæ adhæret, supra reg. II. indicavi: alterius vero sub *S. Joannis* & *Pauli* in valle, quæ Cœlium a Palatino dividit, alii hodieque visuntur arcus, quibus aqua Claudia in Palatinum transmittebatur.

Arcus hi Neroniani lateritii sunt: illi vero, qui extra murum ex magnis lapidibus quadratis constructi sunt, indicare videntur, reliquos quoque non minore magnificentia quondam fuisse exstructos: ceterum quod hodie non tales appareant, temporibus id infelicioribus adsignandum, quibus e viliore materia restituti sunt. Et forsan restitutio hæc illa est, quam Theodoricus Rex mandavit, de qua consulendus Cassiodorus lib. VII. epist. VI.

Anio novus & ipse rivus ex Aniene deductus fuit via Sublacensi XLII. mill. p. ab urbe, super aquæductum Claudiæ, sed altiore multo canali. Sic enim Frontinus: *Anio novus Sublacensi via ad milliarium* XLII. *in suo rivo excipitur ex flumine*. Quod ad bonitatem attinet, subjicit idem Frontinus: *Quod cum terras cultas circum se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluviarum injuria, limosum & turbulentum fluit: ideoque a faucibus ductus interposita est piscina limaria, ubi inter amnem & specum consisteret, & liquaretur aqua. Sic quoque, quoties imbres supervenerunt, turbida pervenit in urbem*. Multo præstantior *rivus* erat *Herculaneus*, qui eum intrabat. Idem: *Jungitur ei rivus Herculaneus oriens eadem via ad milliarum* XLIII. *e regione fontium Claudiæ trans flumen, viamque, natura purissimus; sed mixtus gratiam splendoris sui amittit*. Ductus Anienis ab eodem Frontino ad hunc modum describitur: *Ductus Anienis novi efficit passus* LXIII. *mill.* CCC. *opere supra terram pass.* IXMCCCC. *& ex eo substructionibus, aut opere arcuato superiori parte pluribus locis passus* XIIMDCCC. *& propius urbem a* XII. *milliario substructione rivorum pass.* DCIX. *opere arcuato passus* VIMCCCCLXI. Romam, uti dictum, una cum Claudia intrabat, atque ita & ipse suum ad *Portam Majorem* habuit castellum primum, unde per urbem deinde dividebatur. Atque unus quidem ejus ramus ad ima perveniebat Aventini. Frontinus: *Pervenit in regionem Viæ Novæ ad Hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuitur. Rectus vero ductus secundum Spem Veterem veniens intra Portam Esquilinam in alios rivos per urbem deducitur*. Restituit hunc Anienis novi aquæductum ipse Frontinus, cui hanc Nerva Imp. curam commiserat, ut ipse de se testatur: separavitque eum a reliquis, quemadmodum & ceteras discrevit, quæ prius in urbe inter se permixtæ naturæ bonitatem aliena corruptam mixtura amittebant.

Atque hæ quidem omnes aquæ sunt, de quibus Frontinus egit: de quarum ductibus, eorumque extra urbem residuis, accuratius disputandi facultas nulla est, quod non modo omnis aquæductus a sexto extra urbem milliario plures aquas sustinuerit, ut ipse affirmat Frontinus, sed quod eos per omnem agrum Romanum ultra sextum milliare investigandi labor non modo operosus, sed & inanis sit; quoniam magna eorum pars diruta, & terra obruta est. Altitudines earum aquarum Frontinus ita distinguit: *Altissimus est Anio novus: proxima Claudia: tertium locum tenet Julia: quartum Tepula: dehinc Martia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquat: sextum tenet locum Anio vetus: sequitur hanc libram Virgo: deinde Appia. Omnibus humilior Alsietina, quæ Transtiberinæ regioni & maxime subjacentibus locis servit*. Qui quidem ordo si accurate expendatur examineturque ad hunc quidquid superest veterum aquæductuum, vero maxime affinis esse deprehendetur.

Cunctæ igitur aquæ Frontini memoria novem fuere: at Plinius tantum septem numerat lib. XXXVI. cap. XV. ubi de cloacis agit, in quas illæ omnes recipiebantur: *Per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo*, &c. Verum hic nil est difficultatis. Julia enim & Tepula, quæ ante a Frontino conjunctæ fuerunt, a Plinio pro una recensentur: dein & de cloacis agens non Transtiberinas indicat, sed urbanas: ita ut Alsietina, extra Transtiberinam non procedens ab eo memorari significarive non potuerit.

Sed & post Frontini tempora plures in urbem aquas deductas esse constat. Victor enim XX. Notitia Imperii XIX. numerat. Verum quod in his lapsus in errorem proclivis sit, puresque unius aquæductus numerari fontes possint; uti de Cæruleo supra vidimus: tum quod multi aquæductus veteres nova ab aliis Imperatoribus acceperint nomina, qui aquas illas ad aliquod balneum, lacum, fontemve protraxerint; quemadmodum illi aquæ Martiæ ramo accidit, quem Trajanus in usum Thermarum suarum ad Aventinum deduxit, cui & *Aquæ Tra-*

janæ nomen inde acquisitum fuit, illud mihi quod ad aquarum numerum tutissimum videtur, ad eum, quem Procopius refert, confugere. Is enim lib. IV. Bell. Goth. *Romæ Aquæductus decem & quatuor numero sunt cocto ex latere per priscos homines ædificati, ea latitudine, & simul profunditate, ut equitans vir aliquis ipso cum equo per eos superne evadere liberius queat.* Huic enim viro, qui cum Belisario multum Romæ temporis contrivit, & quantum e scriptis ejus colligere est, diligentissime omnia pervestigavit, fidem denegare ab omni mihi ratione videtur alienum. De quatuordecim igitur aquis novem Frontino memoratæ sunt: supersunt igitur adhuc quinque aliæ, quæ ex illis, quas Victor recensuit, indagari poterunt.

Aqua Trajana ex his prima esto: de qua jam aliquantulum diximus. Hanc novam, ac Frontino posteriorem esse liquet e Trajani numismatibus, in quibus AQVA TRAIANA fonte exprimitur humanam speciem præ se ferente jacentis cum urna. Hanc ad Campum Vaticanum, qui nunc *Burgum* appellatur, devenisse ex Actis Donatianis liquet Burgi rerum a Carolo Magno *Ecclesiæ D. Petri* concessarum, cujus particula a me superius lib. I. allata est: *A tertio latere forma Trajana usque in Porta Aurelia*, &c. Item ex Actis Julii Senatoris, ubi legas: *Dehinc jussu Vitellii Antoninus ductus est a carnificibus via Aurelia juxta formam Trajanam, & capite plexus.* Quæ forma sine dubio grandis ille aquæductus subterraneus fuit, quem cap. ult. *de antiquis Veiis* inter *Formellum*, uti appellatur, & *castellum insulæ* reperiri dixi. Atque ego quidem in ea sum opinione fontium illius unum fuisse, qui nunc in confiniis inter *Campagnanum & Formellum* exsurgens utriusque limites distinguit, & venerabilem Ecclesiam *S. Mariæ Sorbicæ* subterlabens *Valcæ* deinde fluvio conjungitur.

Sabatinam e lacu *Sabatino* quondam, nunc autem *Bracciano*, vel *Anguillario* nominato, seu potius e pluribus ad illum lacum exorientibus scaturiginibus, natam vetus demonstrat aquæductus, qui fere totus integer: per quem deinde Paulus V.

A in Transtiberinam aquam a se *Paulam* denominatam deduxit, e variis scaturiginibus collectam. Aqua illa satis turbida est, sed in scaturiginibus limpida & pura: unde vitium illud terræ, quam aquæductus subtransit, assignatur. Quin & Dominicus Castellus Architectus, cui per Carolum Maderrium deductionis hujus cura commissa mandataque fuerat, aliquando in familiari mihi colloquio indicavit, deprehendisse sese, veteres istius aquæductus interiores margines crasso validoque latere undique obsepsisse, munisseque ne per rimas humor aliquis circumjectæ telluris penetrare, atque ita aquam inficere posset.

Ciminia procul dubio e monte Cimino venit. B Lacus enim Cimini aqua minus salubris atque etiam nimisquam remota erat; nec tam longinqui ductus impensas merebatur. Ad ima vero Cimini montis scaturigines uberes sane ac luculentæ fuere, præsertim in agro Soriano & Vignanello. Panvinius hanc & *Sabatinam* unam fuisse existimat eandemque verum, quo inductus argumento, non videre me lubens agnosco, quum vetus Sabatinæ aquæductus totus repertus sit, & a monte Cimino longe remotus, neque adeo in ipsa recta ab Cimino Romam via. Quia nec ullum ejus trans lacum Braccianum vestigium apparet. Vicinior *Ciminiæ Aqua Trajana* fuit, ad quam fortassean conjuncta C transiit.

Damnatam Donatus, & recte quidem me judice, eandem atque *Crabram* censet, cui hoc nomen, quod eam Agrippa antea ab Julia secluserat, *seu quia usum improbaverat*, &c. Eandem nunc *Marranam* appellari communis ferme omnium sententia est. Auctor vero ejus Romam deductionis ignoratur: veruntamen quod ita sine sumtibus ac simpliciter ad urbem deducta sit, hortorum tantum usibus, aliisque vilioribus inservisse opinio est. Tum nec tota adhibita; verum pars ejus recta in Anienem illabitur.

Antoniniana fons fuit, quem Caracalla Martiæ D addidit. Liquet ex inscriptione veteri in porta S. Laurentii.

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS. ANT. PIVS. FELIX. AVG. PARTHIC.
MAXIMVS. BRIT. MAXIMVS. PONTI. M. AQVAM. MARCIAM.
VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS
ET. PERFORATIS. MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO
ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONINIANO. IN. SACRAM. VRBEM.
SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Hic igitur præter novem Aquas a Frontino expositas quinque, alias habemus, adeoque in universum quatuordecim. Quod si vero hæc ultima inter præcipuos Aquæductus non esse recensenda videatur, nec *Augusta* quoque in illis locum habuerit, quippe quæ & ipsa cum Martia conjuncta fuerit. Sed pro hac *Algentiana* tum substitui poterit; quæ qualis fuerit, nulla possum ratione assequi. Videtur tamen ex monte Algido prope Tusculum, (qui hodie *Rocca di Papa* dicitur) Romam deduci potuisse. Certe in edita Algidi parte nascitur illa aqua, quam Cardinalis Aldobrandinus in Tusculanum suum deduxit, quibus hortis ab eleganti prospectu *Belvedere* nomen: ubi admirabiles ingenii artisque lusus exhibet. Non igitur a veri quadam specie alienum, fontem hunc e loco tam vicino ab Imperatorum aliquo ubertate & altitudine aquæ ejus permoto in urbem inductum fuisse.

De ceteris a Victore & Auctore Notitiæ memo-

A ratis, ac præsertim de hisce, quæ ab Imperatoribus denominatæ sunt, ut sunt *Aurelia Septimiana*, *Severiana*, *Alexandrina*, nil aliud dicendum pronuntiandumve occurrit, quam ramos forsan Aquæductuum veterum fuisse, quibus Imperatores hanc vel illam aquam in aliam urbis partem abduxerint in novos usus: cujusmodi *Trajanam* fuisse superius ostensum est, in Aventinum a Trajano traductam. Ita & Alexandrinam Lampridius innuere videtur F non novam fuisse aquam, sed e veteri ab Alexandro Imp. in Thermas suas translatam: *In his Thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur.* De Septimiana & Severiana illud constat, a Septimio Severo nomen illis venisse: ceterum duas hunc Imperatorem aquas in urbem deduxisse, & neutrius aliquam ab Historicis factam mentionem nonnimis credibile videtur. Multas sane ille Thermas, Balnea, & ædificia in Transtiberina construxit, ut & ad portam Capenam: in quæ plures veterum aquarum

aquarum rami deduci potuere, qui nova nomina ista produxisse existimandi sunt.

Supersunt *Annia*, & *Herculanea*. Quod ad Aniam, valde mihi Pancirolli placet sententia, qui *Aniam* dicendam, & Anienis aquam esse opinatur. Certe quod nulla *Anienis veteris* vel *novi* mentio a Victore antiquo fiat, suspicio non adeo levis est, veterem longo seculorum tractu corrupto antiquo nomine *Anniam*, vel *Aniam* dictam: novum vero ab *rivo Herculaneo*, qui cum eo conjunctus fuit, *Herculaneam* appellatam. Quam si admiserimus, perquam frigida nobis & innania additamenta Victoris recentioris occurrent, in quo *Anio novus*, *Anio vetus*, *Albudina*, *Crabra*, legitur, ut ita scilicet aquarum numerum suppleret, quas alibi invenire non poterat.

In Notitia præterea *Alsia* legitur, & *Setina*; utraque mihi ignota, &, ut dicam, quod sentio, non creditæ, quum Setia & Alsium multo, quam ipsa Roma, depressiore loco olim sita fuerint. Quin & in ea sum opinione, errorem nobis Librariorum has aquas suppeditavisse, pro *Alsietina*, de qua supra, *Alsia*, *Setina* scribentium.

CAP. V.

Cloacæ.

QUod si in multis urbis Romanæ antiquitatibus incerto gressu procedendum fuit, certe in *Cloacis*, quæ sub terram positæ oculis omnino hominum subtractæ fuere, certi quid atque explorati dici vix potest, veniamque eo mereatur justiorem. Dicemus tamen, quantum indagare licuit. Primæ opus Tarquinii Prisci fuerunt, ut paludes exsiccaret, aquasque derivaret, sive pluvias, sive fontanas, e collibus in valles proximas delabentes. Livius lib. I. *Infima urbis loca circa Forum, aliasque interjectas collibus convalles, quia ex pluribus locis haud facile evehebant aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis siccat*. Idem & lib. III. Dionysius affirmat. Hæ pluribus ramis inter Capitolium, Palatinum, & Quirinalem distinctæ nonnisi in Foro concurrere, conjungique in unum potuere; unde unico dein ductu aqua in Tiberim emissa est. Quoniam vero, ut ex eodem Livio constat, *veteres cloacæ primo per publicum ductæ*, perquam verisimile est, *viam* eapropter *novam* e Foro ad Tiberim ab eodem Tarquinio factam, cui deinde licet antiquissimæ idem semper mansit nomen. Quod si ibidem Rex inter Cœlium quoque & Palatinum cloacam aliquam instituerit, hanc una cum aliis in Forum deductam vix putem, quum via ejus multo compendiosior recta in Tiberim fuerit, per vallem Circi.

Maximam, id est illam, quæ a Foro in Tiberim ceterarum aquas detulit, opus *Tarquinii Superbi* fuisse e Livio discimus. Is enim lib. I. Foros in Circo faciendos, Cloacamque maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis sub terram agendam, quibus duobus operibus vix nova hæc magnificentia quidquam adæquare potuit. Quorsum igitur Priscum Tarquinium suas direxisse dicemus; quem Velabri & Fori loca stagnantia desiccasse, & viam novam, antequam fatis concederet, absolvisse constat. Sed hæc difficultas facile explicari potest. Quum Roma montibus Viminali, Esquilino, & parte Quirinalis aucta esset, novi cloacarum rami adhibendi fuerunt, qui convalles inter istos montes desiccarent. Hos a Superbo, vel etiam a decessore Servio Tullio additos perverosimile est. Dionysius lib. IV. de Tarq. Superbo: *Conatus est, ut opera ab avo imperfecto relicta complerentur, nempe cloacarum ductus ab eo cœpti ad Tiberim*, &c. Quoniam vero illa a Prisco inter Forum & flumen facta cloaca fortean minus capax erat omnium istarum recens collectarum aquarum, Superbo necessitas imposita fuisse videtur, ut eam de integro reficeret, & in majorem amplitudinem magnificentius reformaret. Præter Livium vero Dionysius quoque *Cloacam maximam* Superbo adscribit, ubi de plebe agit in Circo & Cloacis opus faciente: *Quærebant aliqui specus, alii subterraneas foveas, & Cloacam majorem sordium civitatis receptaculum, devastantes arcus intus inventos* &c. ubi fortasse arcus denotat a Prisco Tarquinio antea constructos.

Post & aliæ institutæ sunt *Cloacæ* a *M. Catone* & *Val. Flacco* Censoribus. Livius lib. IX. dec. IV. *Opera deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus sternendos lapide, detergendasque, qua opus esset, cloacas. In Aventino, & in aliis partibus, qua nondum erant, Censores faciendas locaverunt*. In Aventino, quod is natura declivis, cloacis opus non fuit, multoque minus in angusta, quæ montem flumenque intercedit, planitie. Quare illas, quas Livius in Aventino factas refert, in convalle, quæ inter montem & Circum est, factas existimo. Inter *Cloacæ Maximæ* exitum pontisque Sublicii pilas duo alia veterum cloacarum ostia conspiciuntur, per quorum unum *Marrana* nunc Tiberim intrat, postquam vallem Circensem pertransit. Et forsan hæ fuerunt illæ a Catone & Flacco in Aventino institutæ cloacæ.

Tandem & *Agrippa* sub Augusto non solum veteres detersit, quam ob rem Dio navigatum ab Agrippa Tiberim tradit, sed & novas fecit: sic ut Roma tota pensilis subtus navigaretur. Ita Dio eodem loco: fusiusque Plinius lib. XXXVI. c. XV. *Præterea cloacas operum omnium dictu maximum suffossis montibus, atque (ut paulo ante retulimus) urbe pensili, subterque navigata a M. Agrippa in Ædilitate sua, per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium more rapere atque auferre omnia coacti*. Harum ab Agrippa factarum cloacarum forsan una fuit, quæ in Campo Martio ab ipso ædificiis exornato Aquam *Treviam*, ab eodem in urbem deductam, prope Ripettam in Tiberim deducit, ubi & molam circumagit. Tum & illa quoque ejusdem fuisse existimanda est, quæ, cum recens illa a Gregorio XV. inchoata, & ab Urbano VIII. perfecta a Tiberi ad *Cursum*, & inde ad montes Quirinalem & Pincium, magno cum vicinarum cellarum aquis alias oppletarum levamine atque emolumento deduceretur, ad Pantheon ex obliquo occurrit a vico clavario versus Ecclesiam *S. Ignatii* ad Quirinalem tendens, multasque alias cloacas veteres hinc & inde recipiens, quarum nonnullæ aquas deferebant, & ex his una capite peramplo reperta, quum frontispicii Ecclesiæ *S. Ignatii* fundamenta jacerentur. Hinc & veteris fluminis Petroniæ, & tot aliarum olim in urbe scaturiginum, quæ nunc amissæ, frustra quæruntur, perit admiratio. Sed & alia nuper detecta cloaca fuit inter *Ulmum* & *Pasquinum*, primum repurgari jussa, dein neglecta. Atque ita, non modo qua collibus divisa fuit, sed & in ipsa Campi Martii planitie factis per Agrippam cloacis, Roma pensilis fuisse deprehenditur.

Temporibus quoque minus vetustis *Gregorium* IX. Pont. Max. veteres cloacas repurgari, novasque fieri curasse Platina refert, quas partem hodiernarum constituere necesse est, adeoque multo, quam veteres illæ fuere, depressiore situ.

Eximie eas extollit atque admiratur Plinius loco jam indicato: *Inſuper mole imbrium concitati vada & latera quatiunt*, (aquæ tranſeuntes) *aliquando Tiberis retro fuſi recipiunt fluctus, pugnantque diverſi aquarum impetus, & tamen obnixa firmitas reſiſtit. Trahuntur moles internæ tantæ non ſuccumbentibus caveis operis: pulſant ruinæ ſponte præcipites, aut impactæ incendiis; quatitur ſolum terræmotibus, durant tamen a Tarquinio Priſco annis* DCCC. *prope inexpugnabiles*, &c. Nec minus magnifice de his loquitur Dionyſius lib. III. *Mihi ſane tria magnificentiſſima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii; Aquæductus, Viæ ſtratæ, & hæ Cloacæ, reputanti non ſolum utilitatem operum, verum etiam impenſarum magnitudinem, quam vel hinc licet conjicere, quod, ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, & non traſmittentes aquas Cenſores mille talentis purgandas locaverint*: id eſt, DC. millibus ſcutatorum aureorum, quæ ſumma tanta eſt, ut cujuſvis animum queat perturbare atque obſtupefacere. Nec diſſentit Strabo, qui earum deſcribens amplitudinem lib. v. ait: *Duro concameratæ lapide pervias carris ſtramentorum ſemitas reliquerunt*. Cui ſuccinens Plinius inquit: *Amplitudinem cavis eam feciſſe* (Tarquinius Priſcus) *proditur, ut vehem fœni longe onuſtam tranſmitteret*. Et his quidem cloacarum harum concameratis arcubus non modo hodieque totæ viæ & areæ ſuſtentantur, ſed & immenſæ altitudinis ædificia, omnis omnino ruinæ ſecura. Quare veriſſimum illud earum encomium fuit, quod Theodoricus Rex illis impertiit apud Caſſiodorum lib. III. Var. ep. XXX. *Quæ tantum viſentibus conferunt ſtuporem, ut aliarum civitatum poſſint miracula ſuperare. Videas illic fluvios quaſi montibus concavis clauſos per ingentia ſtagna decurrere. Videas ſtructis navibus per aquas rapidas cum minima ſollicitudine navigari, ne præcipitato torrenti marina poſſint naufragia ſuſtinere. Hinc Romæ ſingularis, quanta in te ſit, poteſt colligi magnitudo. Quæ enim urbs audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua poſſunt ſimilitudinem reperire?* Hæc vero Romanorum magnificentia id unum habuit infelicitatis, quod oculis ſubtracta non eum, quem debuit, in animis hominum excitare potuerit ſtuporem. Nam hunc quidem multo majorem promeruiſſe videri debet, quam nunc Venetorum urbis inter aquas directæ fundatæque viæ incutiunt: ſiquidem tam vaſtæ amplitudinis urbs ſupra flumina & arcus, &, ut ita loquar, ſupra abyſſos aquarum ſedem ſuam poſuit. Quo & reſpexiſſe illud in Apocalypſi Vaticinium videtur, ubi Roma Gentilis adhuc deſcribitur, & multo ebria ſanguine Martyrum, ad inſtar *meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas*, &c. Quamquam ſenſu myſtico ſive occultiore *Aquæ* de populis accipi ſoleant, quibus imperitabat. *Aquæ populi ſunt, & gentes, & linguæ*. Sed & quod ad ſimplicem ac literalem, ut vocant, interpretationem aquæ hic denotari videntur, quibus ſuperinædificata Roma fuit. Et hoc quidem Vaticinium barbaræ gentes implevere, quæ urbem & imperium Romanum velut inundantes obruerunt, & Romæ tandem magnitudini magnificentiæque finem impoſuerunt.

F I N I S.

C. CESTIVS L. F. POB. EPVLO PR. TR. PL.
VII VIR EPVLONVM

OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO DIEBVS CCCXXX
ARBITRATV
PONTI P. F. CLA. MELAE HEREDIS ET POTHI L.

INSTAVRATVM AN. DOMINI MDCLXIII

C. CESTIVS L. F. POB. EPVLO PR. TR. PL.
VII VIR EPVLONVM

INSTAVRATVM AN. DOMINI MDCLXIII

FACIES PIRAMIDIS CESTIANÆ ORIENTALIS

FACIES PIRAMIDIS CESTIANÆ OCCIDEN

Scala palmorum 160

10 20 40 60 80 100 120 140 160

I II III IV

V III

IV II I

OCTAVII FALCONERII

DE

PYRAMIDE C. CESTII

EPULONIS

DISSERTATIO.



SÆpenumero cum animo meo reputavi, quodnam ex omnibus tam multis ac tam præclaris in urbem Romam Alexandri VII. P.M. meritis primas ferret: sed numquam mihi non ceteris omnibus anteferenda visa illa, quæ in exornanda urbe æterna ab illius animi magnificentia atque granditate multis ac variis plane modis profecta sunt. Nam licet ea sit ipsius beneficiorum magnitudo, ut verbis exprimi vix queat, quæ singulis Pontificatus sui annis, ac maxime primis, liberalissima manu urbi contulit, eamque a gravissimis annonæ caritatis, pestis, inundationum Tiberis, ceterisque id genus calamitatibus admirabili sua prudentia atque liberalitate vel liberavit, vel sublevavit, splendor tamen & magnificentia ejus in excolenda ædificiis civitate multo illis aliis videntur antecellere. Fateor quidem illa tum, cum præstabantur beneficia, plus profuisse civibus: verum hæc eo magis suspicienda sunt, quod illa ab necessitate expressa videri possint, hæc absque controversia ipsi ejus animo ad magnificentissimum beneficii genus propenso assignanda: illa exigui temporis fructum attulerint, hæc universæ posteritatis voluptati perpetuæque urbis elegantiæ serviant: sic ut ad pristinum jam Roma decus, & fortasse-an ad majorem vetere pulchritudinem ab Alexandro VII. videri possit excitata. Vicit hic optimus Pontifex, quantum in ipso fuit, fati legem; & quum providentiæ, clementiæ, justitiæque suæ fructum ultra vitam suam in posteros propagare non posset, felicitatem tamen Pontificatus sui in omne ævum proferre studuit, effecitque quod cogitavit. Atque ita non nos modo, sed & immensa posteritatis series, non sine dulci quadam eorum, qui tum vixere, invidia, magnificentia nunc ejus fruimur atque liberalitate, multo cum stupore simul atque voluptate nobilissima quotidie pulcherrimaque Alexandri opera publica intuentes.

Ex his autem nescio, annon ea, quæ priscæ Reip. monumenta vetustate collapsa & ab ipso in pristinam formam ac splendorem restituta, novis omnibus, quibus urbem exornavit, ædificiis anteferenda sint: in quibus non suæ gloriæ, sed antiquorum ducum ac principum virorum nomini ac famæ velificatus est, eorumque pietatem, benignitatem, fortitudinem, decoraque alia, quorum hæc publica in urbe fuere monumenta, quantum in ipso fuit, sarta tecta esse voluit, ut haberet Resp. Rom. quo jure summo gloriari semper posset, & posteritas quod imitari: æmulatus in eo veterum Romanorum animi magnitudinem, quibus etiam multo tenuiora vetustatis vestigia tuendi semper cura fuit. *Colit*, inquit alicubi Seneca, *etiamnum casam in Capitolio victor omnium gentium populus*: in qua stramentis tecta primis urbis initiis habitasse Romulum conditorem fama erat. Sic & miris laudibus Alphonsi Aragonum Regis factum in cœlum fertur, qui deficientibus in obsidione Cajetæ lapidibus, quibus ad explosionem tormentorum opus erat, quum ad manum esse veteris villæ rudera dicerentur, quæ quondam existimabatur fuisse Ciceronis, abstinere ab oppugnanda tormentis urbe maluit, quam tam clari viri pusillum licet monumentum violare. Sed his multo in Veterum laudes pronior Alexandri VII. animus fuit, quicum nescio an quisquam omnium, quot umquam fuere, Romanorum Pontificum conferri jure possit: quippe non modo omni cura atque diligentia sculpta inscriptaque marmoribus antiquorum Romanorum facta atque monumenta, prout ea in dies fors fortuna offerebat, in commodum publicum amplexus est atque conservavit, verum etiam longo temporum tractu læsa atque vitiata redintegravit, & ab interitu atque oblivione vindicavit. Huic enim tam nobili Pontificis nostri animo famigeratissimi per orbem terrarum Panthei porticus splendorem se debere suum lubens agnoscit, quæ prius variis privatorum obscurata ædificiis, vix frontem liberam spectatoribus ostentare poterat, nunc autem ab utroque latere adeuntibus patet, remotis, quæ obstabant. Hæc igitur spectandi voluptas, hæc stuporis delectatio (quis enim sine stupore tantæ altitudinis ac tam pulchri operis intueri columnas queat?) magnificentiæ accepta ferenda est Alexandri VII. qui non modo columnas, quæ supererant, pristino nitori restituit, sed & illas, quas barbarorum furor convellerat abstuleratque, ejusdem magnitudinis ac formæ alibi sub terra repertas eodem retulit: insigni fortunæ dispensatione, ut hæ in illius tempora Pontificis per tot secula occultatæ servarentur, cujus animi celsitudo tanti decoris magnitudini sufficeret atque responderet. Et en alterum non minus tanto dignum Pontifice præclarum consilium, atque urbis ornamentum, instaurata Cestii pyramis: opus unum e magnificentissimis priscæ vetustatis, eo magis admirandum quod privati quondam civis, sed quod cum publicis præstantissimisque merito possit comparari, & si

quod aliud Antiquitatum Romanarum cognoscendi cupidis longe gratissimum. Multa namque, dum hoc restituitur, inventa sunt, illuc spectantia, cognituque dignissima: quæ mihi cum Republica literaria communicanda explicandaque visa sunt: ut, quemadmodum Alexander VII. urbem æternam illius reddidit instauratione exornationeve, Nardini quoque nostri Roma vetus hoc ornamento illustraretur atque enitesceret. Nec in eo rem ingratam illis me facturum puto, qui horumce studiorum elegantia solent delectari. Visuri enim sunt & ipsius sepulchri hujus exactissimam delineationem descriptionemque, & priscæ picturæ nonnullas, quæ in eo conspiciuntur, reliquias, earumque expositionem cogniturí. Addam & inscriptionum, tam quæ ipsi insculptæ pyramidi, quam quæ in basibus e terra, cum illa restitueretur, erutis repertæ sunt, interpretationem: ut ita neque doctæ curiosorum hominum investigationi, neque diligentiæ meæ quidquam deesse videatur.

Quum igitur consilium illud laudatissimum a P. Max. captum esset, decretumque Cestii hoc sepulchrum ruinam jam minitans restituere, atque illi reddere soliditati firmitatique, qua nunc enitescit, detergenda & exhaurienda undiquaque terra fuit, ut ad operis crepidinem perveniretur, quod cum aliquanta pyramidis parte alicubi ad XXII. palmorum altitudinem aggestione terræ ruderumque abscondebatur. Quod dum fit, reperta hic illic sparsim jacentia columnarum fragmenta operis striati, quæ compositæ ad latus pyramidis occidentale supra sat rudibus ex lapide Tiburtino ibidem repertis crepidinibus erectæ sunt: inventæ & bases, itemque elegantis operis capitula, ut e delineatis eorum formis videre est. Eodem tempore, duæ etiam bases quadratæ e marmore repertæ sunt, super una quarum pes adhuc visitur æreus, unde totius altitudo statuæ colligi potest, quam XIV. vel XV. fuisse palmorum existimo. Positam hanc C. Cestio ex inscriptione liquet, quæ in utraque basi eadem est: unde & duas eidem fuisse positas statuas consequitur; præsertim cum mos ille Antiquis haud inusitatus fuerit, sic in altero eorum pontium, qui ad *Insulam S. Bartholomæi* ducunt, duplex eodem exemplo ad latus inscriptio exstat, quæ illum a Valentiniano, Valente, & Gratiano restitutum testatur: & ad illius antiqui moris imitationem ab utroque armamentarii illius nobilissimi latere, quod Pont. Maximus noster sanctissimus Centumcellis exædificari jussit, eadem inscriptio cognoscitur. Hanc ego utramque basin sustinendis C. Cestii statuis dicatam, sitam olim fuisse arbitror in utroque orientalis hujusce pyramidis lateris angulo, qua viam Ostiensem prospexit, super crepidinibus ex eodem lapide Tiburtino, ex quo fuere illæ, quæ oppositis columnis subjectæ: nisi quod id discriminis in iis fuerit, quod illæ sex palmos, hæ eadem latitudine duplex quod ad longitudinem spatium occupent: unde non inverisimilis mihi duci posse conjectura videtur, quum bases istæ ab omni latere exactissime in media parte crepidinis, quæ in fronte, collocatæ fuerint, alteram illam pyramidi viciniorem crepidinis partem alias duas columnas habuisse, quæ duabus illis reliquis, quæ adhuc exstant, responderint: sive eæ aliorsum absportatæ fuerint, sive etiamnunc in proximo alicubi nec dum effossa terra obrutæ delitescant.

Pyramidi crepido e Tiburtino lapide substrata est trium palmorum & dodrantis altitudine: opus sustinens, quod CLXV. palmos cum besse altum in quadrum ad CXXX. palmos protenditur, laminis undique marmoreis candidissimis obtectum, sesquipalmi crassitie, reliquus ab omni latere paries XXXVI. palmos crassus est. Quo statim supra crepidinis planitiem conclave continetur XXVI. palmos longum, latum XVIII. altum XIX. Fornix ejus, seu concameratio, ex eo genere est, quod a vasis vinariis nunc nomen habet; tota non secus ac parietes, nisi qua temporis injuria corrupti sunt, subtilissimo incrustati plasmate, ea, ni fallor, ratione, quam Vitruvius lib. VII. cap. VI. in incrustandis parietibus adhibendam præcipit, qui picturis adornandi sint: nimirum ut contusis in minutissimum pulverem marmorum ramentis, cribratisque perdiligenter, parietes eo primum, qui grossior est, obducantur, dein ordine illis, qui subtiliores, purioresque, aptis ad id instrumentis oblinantur. In eodem conclavi distinctis, ut ita dicam, quadris depictæ mulierum visuntur effigies, item vasorum, & ornamentorum, cujusmodi in cavernis & specubus pingi sculpive solent. De quibus mox uberius agemus suo loco, quum illas æri incisas curiosorum oculis exhibituri sumus.

Pyramis, ita uti nunc visitur, exactissime item in ea, quam hic damus, tabella expressa ac delineata est; nisi quod in illis duo pulvini duplices conspiciuntur, in duobus orienti soli objectis angulis, ut eorum vetus, uti mihi verosimillimum videtur, eo melius appareat situs.

Sed transeamus ad ea tandem accuratius explicanda, quæ in hoc opere maxime occurrunt notabilia. Ac primum quidem ipsa ejus forma pyramidalis observanda videtur, quæ e Veterum fuit instituto, ut e Servio constat in hæc Virgilii lib. XI. Æn.

—— Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

Apud majores, inquit Servius, *nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. Unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ.* Atque eadem forte de caussa Scipioni Carthaginis eversori monumentum in Campo Martio in speciem pyramidis factum, ut ex Acrone discimus in Od. IX. Epod. Horatii: cujus vestigia, teste Fulvio lib. IV. cap. 31. non procul ab Hadriani mole ad usque Pontificatum Alexandri VI. duravere, qui monumenti illius residua diruit, ut e mole dicta in palatium sibi *S. Petri* viam faceret, cui nunc *Burgo novo* nomen; marmora vero, quibus contectum olim atque incrustatum erat, a Pontifice Domno I. ablata, & his atrium S. Petri stratum, idem Fulvius, nec non Faunus, aliique, memoriæ prodidere. Meminit & alterius pyramidis marmoreæ Guilielmus Choul *de Religione Romanorum*, in numismatis L. Caldi expositione. Verum e sequenti inscriptione, quam in ea legi, OPVS ABSOLVTVM DIEBVS CXXX. EX. TESTAM. C. CORNELII TRIB. PLEB. SEPTEMVIRI. EPVLONVM, satis liquet eandem hanc *Cestii* esse, licet *Cornelii* pro eo nomen Choulius habeat: quem exigua Antiquitatum Romanarum notitia, quas fortasse numquam oculis usurpavit suis, errorem hunc errare fecit, inscriptionem illam e Dominico, ut puto, Flocco Florentino sub Fenestellæ nomine (quemadmodum Ant. Augustinus Dial. VIII. indicat) latitante vitiose, ita uti illic in Comm. de Magistratibus Roman. legitur, describentem. Sed hunc a Choulio commissum errorem eo minus miror, quod quoddam quasi fatum hujus pyramidis inscriptionum fuerit, ut ab maxima Descriptorum parte male lectæ fuerint, descriptæque. Inprimis autem non ferenda negligentia istius hominis est, qui *in Roma subterranea*, nuperrime typis edita,

utramque inscriptionem superiorem & inferiorem ad hoc exemplum nobis exhibuit.

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO.
PV. IV. PL. VII. EPVLONVM.

item:

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO
DIEBVS. CCCXXX.
ARBITRATV. POMPEII. P. F.
CLOMELAE. HAEREDIT.
ET. P. OST. LO.

B Sed hoc sollemne quasi est, ut in rebus indagatu facillimis maximi in verum errores committantur, seu negligentia propria non accurate inspicientium, seu credulitate inconsulta ex aliis temere describentium, quos in re tam manifesta notaque peccasse ne quidem suspicantur. Et hæc tot circa Veterum monumenta discordium falsarumque sententiarum ac opinionum causa & origo est. Sic de hac ipsa pyramide, cui nomen *Cestii* bipedalibus ferme literis inscriptum est, ea memoria Andreæ Fulvii lib. VI. cap. 31. opinio vulgi fuit, Remi hoc monumentum seu conditorium esse: cujus opinionis aliam caussam nullam video, quam quod pyramis hæc dimidia sui parte extra muros urbis promineat, dimidia altera introrsum vergat C Quin & hac forsitan opinione majorum nostrorum memoria Petrarcha permotus inductusve fuit, ut in epistola quadam Remi adhuc superesse sepulcrum affirmaret.

Quapropter ut de his optima fide suis a me locis descriptis inscriptionibus aliqua in medium adferam, aliorum, a quibus earum facta mentio fuit, inertia effecit, ac neglectus. Non enim ita steriles sunt, ut nullam suppeditare queant observatiunculam. Sic statim in illa superiore earum pyramidis partium, quæ Orientem & Occidentem D prospiciunt,

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR.
PL. VIIVIR. EPVLONVM.

cognomen illud EPVLONIS notatu mihi observatuque dignissimum videtur, idque ea de caussa, quod mox post illa dignitatum Prætoriæ & Tribunitiæ ornamenta illud VIIVIRI EPVLONVM eidem tribuitur, ac si EPVLO & SEPTEMVIR EPVLONVM diversæ res essent. Prima ego statim fronte existimavi, hanc illius duplicis additi cognominis esse rationem, quod Epulonum Col- E legium, quibus epulum vel Jovi, vel cui alii Deorum præparandi cura incumbebat, in duo hominum genera distinctum foret, quorum alterum veluti dignitate inferius simplicem *Epulonum* appellationem obtinuerit, alterum vero tamquam Collegii principum seu capitum, *Triumvirorum* primum, post *Septemvirorum Epulonum* nomen habuerit: quemadmodum & nunc fieri amat, ut, qui dignitate in Collegiis excellunt, ab reliquo Collegii corpore titulis distinguantur. Et hæc quidem cogitatio, ut exactius in ceteras inscriptiones inquirerem, effecit, in quibus muneris hujus sive sacerdotii mentio fit; utrum & in illis Epulones a Septemviris E- F pulonum discernerentur, gradusque quasi dignitatis inter eos constituerentur. Sed ut verum fatear, nulla a me in opere Inscriptionum Gruterianarum reperta est, in qua simpliciter *Epulonum* exstet exemplum: verum contra ea *Septemviri Epulonum* indiscretim tam ab summæ quam ab inferioris dignitatis hominibus usurpatum nomen deprehendi. Sic *Septemviri Epulorum* leguntur fuisse Tiberius & Nero Imperatores: item Dolabella, L. Cornelius Sylla, A Munatius Plancus; ut & Tiberius Plautius Silvanus, qui & Consul. fuit, & Claudii Imp. in expeditione Britannica ducum præcipuus. Rursus ignobiliores aliquot, ut Cajus quidam Sallius Aristænetus, & Cajus Popilius Carus Principatu Antonini Pii; ac tandem liberti, ut ex hac patet inscriptione:

VINICIO. COCTAEO. CALAT.
VIIVIR. EPVL. LIBERTO.
OPTIMO. PATRONVS.

Et cum hoc quidem vilioris conditionis hominum genere communicatum postea sacerdotium illud videtur, quam Commodus absque ullo meritorum respectu summas dignitates abjectissimis & nullius pretii hominibus contulit. Nam ante ea tempora *Septemviri Epulonum* dignitas magno cum honore conjuncta fuisse videtur: quantum ex epist. Plinii 11. lib. 11. colligere est. Hic enim Ariano per literas successum accusationis significans, qua Marium Priscum ab Afris peculatus reum prolixissima oratione adortus fuerat, inter cetera, quæ se nonnihil perturbassent, dignitatem quoque rei numerat; eamque ita describit: *Stabat modo Consularis, modo Septemvir Epulonum, jam neutrum.*

Hac igitur rejecta confutataque sententia, nulla mihi alia vero propior videtur, quam quod EPVLONIS cognomen C. Cestius a familia sua mutuatus sit, quæ forsan illo Septemviratus Epulonum honore sæpius perfuncta jus quasi quoddam illius sibi cognominis adsciscendi arrogandique vindicaverit: quemadmodum istiusmodi quid aliquammultis accidisse familiis legimus, ut ab dignitatibus nomina acceperint. Sic in Genutia & Minutia *Augurini*, in Mutia *Auguris*, in Quintia *Flaminini*, in Furia & Ovinia *Camilli*, in Annia *Fecialis*, in Julia *Sacroviri*, in Licinia *Popæ* & *Sacerdotis* cognomen agnoscitur. Fitque mihi hoc commentum eo credibilius, quod vox hæc EPVLO statim post tribus POB. id est Publiliæ, vel Popilliæ (ita Panvinius mavult lib. 11. de Rep. Rom. probatque multis Auctorum locis) indicationem, id est, eo loco, ubi in antiquis inscriptionibus plerumque cognomen poni solet: quemadmodum ex illa in lateris orientalis inferiore parte incisa inscriptione id ipsum liquet:

OPVS.ABSOLVTVM.EX.TESTAMENTO.DI-
EBVS. CCCXXX.
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLA. MELAE. HEREDIS ET.
POTHI. L.

Ex hac vero inscriptione discimus, pyramidem hanc arbitratu L. Pontii heredis & Pothi Liberti factam fuisse: quod perquam familiare Romanis fuit, ut antiqua nobis marmora indicant; in quibus aliquando sepulcra arbitratu heredum simpliciter facta leguntur, aliquando vero a libertis, aliisque ibidem nominatis. Id ipsum etiam e Digestis probari potest, præcipue autem ex lib. VI. de Condic. & Demonstr. & leg. XI. ejusdem tituli, quemadmodum nos Kirchmannus docuit l. III. *de Funer. Rom.* Hinc & inter cetera præcepta, quibus Tiresias apud Horatium lib. II. Sat. v. Ulyssem heredipetam instruit, & illud:

—— *Sepulcrum*
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue.

Præterea observandum tempus, quo monumentum hoc absolutum dicitur, diebus nempe CCCXXX. id est, necdum toto anno: quod sane in tanta ac

tam magnifica structura meritissimo admirandum est. Tum & consuetudo notanda, quæ apud Veteres frequens, ut heredibus suis in testamentis diem præscriberent, intra quam vel hi, vel queis monumenti cura demandata erat, id ipsum perficerent. Sic leg. XLIV. *de Hered. instit.* *Paterfamilias duos heredes instituerat* in diebus certis: & clarius lib. VI. *ff. de Condition. instit.* *Si quis ita institutus sit: si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo mortis ejus fecisset.*

In *Roma subterranea* legas existimatum, monumentum hoc ceteris quoque Epulonibus commune fuisse: verum non exprimitur, utrum ea Bosii, an aliorum sententia sit, qui operi isti adornando manus commodavere. Sed cuicui hæc imputanda sit, non video quo illa subnixa fundamento se tueri queat atque sustentare. Quare in illa confutanda oleum & operam perdere nil opus est.

Expositis, quæ extrinsecus notabilia, ad interiora pyramidis properemus, id est, ad picturas, quas supra in ipso conclavi conspici diximus: quo nunc aditus nonnimis magnus per ipsum molis parietem occidentalem nuper patefactus est; cum antea per fenestram adiri solum posset, quæ in septentrionali latere cernitur, multo hoc recentiore introitu altior. Hac Bosius introisse videtur cum ceteris, qui extremo seculo proximo nomina illic sua parietibus carbone inscripsere. Conclave hoc forma, ut vocant, bislonga est, ut ex apposita mensura facile cognosci potest, angustioribus ad introitum lateribus fornicata. In parietibus continua serie areas quasdam pictas cernere est sex palmos altas, tres latas cum semisse: quæ singulæ aliis angustioribus multo nempe palmum unum cum quadrante latis, sex cum semisse altis distinctæ sunt: hæc autem arearum series sua quasi basi sustentatur, alta palmos duos cum semisse, lineis diversicoloribus a tænia distincta, & flosculis subinde exiguis exornata. In areolis majoribus, in medio scilicet, effigies & vasa visuntur ab omni parte, in minoribus autem singulis oblongiuscula veluti candelabra sibi superimposita, elegantissimi operis, pulcherrimisque coloribus adornata cernuntur, quibus tota illarum altitudo occupatur. Effigies, quæ supersunt integræ, sunt quatuor, utroque in latere binæ, sibi invicem eodem situ oppositæ, ita ut sedens sedenti, stans stanti respondeat. Altitudo singularum palmum efficit cum quadrante. Vasa vero quinque supersunt, quorum duo in dextro latere, unum in fronte, tertium in sinistro latere, quartum & quintum ad sinistram introitus sunt; forma ac magnitudine diversa: unumquodque vero suæ impositum basi, seu crepidini. Ordo utrorumque suis distinctus est a me numeris ea serie, qua ab introitu ad sinistram disposita cernuntur. Fornix & ipse in quadrum parte sui inferiore redactus est tæniis duabus diversicoloribus sesquipalmo ferme a se invicem discretis. In medio fornice supremo aliud est quadrum duplex ejusdem formæ, in quo imaginem fuisse C. Cestii depictam perquam verisimiliter Bosius in *Roma subterranea* tom. I. pag. CCCCV. existimat; vel saltem aliam aliquam effigiem, quæ ab homine aliquo corrupta sit, partem illam spe thesauri aut alia de causa pertundente. Totum certe illud medii fornicis spatium perruptum est, ut ita ad superiorem pyramidis partem aditus esset. Eo vero spatio, quod inter utrumque quadrum intersitum est, proxime prioris angulos totidem alatarum mulierum effigie cernuntur, plane sibi similes, sesquipalmum fere magnitudine adæquantes, dextra coronam, sinistra sertum tenentes. Quoniam vero vestitum earundem, ut & quatuor ceterarum, ex-

A acte describere operosum nimis, ac tantum non impossibile est, ea, quæ manibus tenent, & si quæ alia scitu non injucunda, accuratius exponere, atque oculis in hisce tribus, quas adjunximus, tabellis subjicere visum est: quarum prima conclavis partem dimidiam, ita uti nunc est, exactissime delineatam exhibet: reliquæ vero duæ vasa & effigies feminarum majore forma summa cum diligentia ac fide descriptas, iis præsertim in rebus, quæ virorum eruditorum in indagandis antiquis ritibus turbare possint conjecturas. Nec in eo mihi tantum sumere volui, ut meo ipsius judicio acquiescerem; verum ubi picturæ injuria temporis B corrupto pariete læsæ erant, vestigia earum artis hujusce peritorum ope persecutus sum punctulis a reliquo corpore integro id, quod corruptum erat, discernendo, ut ita suum sibi cuique liberum relinqueretur judicium de universo, quod vellet, conjectandi, statuendique.

De picturis hisce sententiam suam Julius Mancinus, celebris Pontificis Max. Urbani VIII. Medicus, in Syntagmate inedito *de Picturis urbis Romæ* exposuit, esse forsan Fabiorum alicujus, vel Pacuvii Poetæ opus, qui teste Plinio lib. XXXVI. c. IV. templum Herculis in Foro Boario pinxit: C existimans sine dubio C. Cestium multo antiquiorem fuisse, quem tamen toto & amplius post Pacuvium seculo vixisse ex inscriptione liquet, quæ basi insculpta est. Neque sane id ipsum affirmare sustinuisset, si animum modo advertisset, cognossetque, Epulones ætate Pacuvii tres tantum fuisse; qui postea ab *Sylla* sine dubio, ut Panvinius lib. II. de Rep. Rom. sat validis probat argumentis, aucti numero, & e Treviris Septemviri facti sunt. At si hic conjecturæ locus est, Arellio potius eas tribuerim picturas, nobili tum temporis Pictori, qui paulo ante Augusti Principatum Romæ floruit: quemque Plinius lib. XXXV. c. X. acriter D castigat, quod artem corruperit, Dearum habitu feminas exprimendo, quarum subinde amore flagraverat.

Idem Mancinus rudioris hasce ævi, ac velut pueritiæ Picturæ Romanæ opus esse dicit: in quo multum ab eo dissentio; quippe qui in iisdem, utut ex parte vetustate corruptis, præcipue vero in illis quatuor effigiebus, eam elegantiam vetustatemque agnosco, ut nonnisi ab insigniter perita & artifice manu profectas existimem.

Sed pergamus ad earundem expositionem. Perquam mihi probabile videtur, illos, quorum curæ monumentum hoc commissum fuit mandatumque, E ea in illo effingi potissimum curavisse, quæ quammaxime ad tuendam post mortem memoriam sacræ dignitatis facerent, quam C. Cestius Septemvir Epulonum, dum viveret, obtinuerat. Qua de dignitate, quum a Rosino, aliisque, e Livio, Gellio, & Macrobio, fuse disputatum sit, hoc tantum, quod maxime huc facit, attingam, Septemvirorum Epulonum munus fuisse, ea, quæ ad epulum Deorum, præcipue Jovis, instruendum pertinerent, curare: ac tum, sive premente Remp. calamitate aliqua, sive lætiore vultu fortuna res Romanas intueretur, insignique bearet F victoria, sollemne fuisse, ut lectisternia fierent; quemadmodum e permultis Livii locis ostendi probarique potest. Ad hujus igitur sacri ritus apparatum hæc omnia, quæ hic picta sunt, lubens referam: nec diffitebitur, puto, aut dissentiet, quicunque modo diligenter id, quod binarii numeri signata nota effigies manu gestat, consideraverit. Patina hæc grandiuscula, in qua inter viridia herbarum folia quiddam luteo colore distinctum enitescit, quod non aliud esse quam libum existimo, seu placentam, qua plerumque Romani, præ-

ſertim in ſacris conviviis, ſeu cœnis, veſci ſoliti. Sic Jo. Bruyerinus, qui *de re cibaria* Commentarios edidit, lib. VI. cap. VII. ex Athenæo placentæ quoddam genus fuiſſe docet, quo ſolo in pervigiliis, (id eſt, cœnis ſacris, uti dixi, nam hæ ſemper pervigiliis conjunctæ fuere) Veteres uſi ſint. Omnino igitur femina illa in hac patina cibos oſtentat, quos a Romanis in ſacris epulis Dionyſius Halic. lib. II. adhiberi ſolitos tradit: nimirum *ἀλφίτων μάζας, καὶ κόπανα, καὶ ζέας, καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχὰς. καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτὰ, καὶ εὐδάπανα, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα*, id eſt, *ex farina pultes, placentas, farra, fructuumque primitias, & cetera id genus tenuia, vilia, & ab omni inepto luxu ſumtuque remotiſſima*. Neque vero hic omittendum arbitror, quippe quod nonnihil ad propoſitum noſtrum faciat, inter ceteros ritus, qui in ludis ſecularibus uſurpari ſolebant, quo tempore inprimis lectiſterniis & epulis Deorum locus erat, etiam illum fuiſſe, ut ei, qui tum ſacris præeſſet, primitiæ hordei, farris, & fabarum offerrentur. Quem ritum Panvinius erudite explicat lib. *de ludis ſecularibus*, numiſma Domitiani in ludos ab ipſo factos ſeculares cuſum exponens: cujus in averſa parte Imperator exprimitur ſedens ante templum in ſuggeſto, & duabus ad latus ſtantibus figuris diſtribuens, quod in tribus diverſis vaſculis, ad pedes poſitis, inerat, addita inſcriptione FRVG. AC. A POPVLO; id eſt, *fruges acceptæ a populo*. Eadem hæc noſtra mulier ſiniſtra vas nonnimis magnum tenet, unica anſa; quare non diſſimile urceolis, quorum in miniſtrando ſuper cœnam potu olim, ſicut & nunc in Gallia, uſus erat. Vaſa quod attinet grandiora, quæ ſuis quæque areolis delineata ſunt, formaque ab iis diſtant, quæ in ſacrificiis adhiberi ſolita, eadem eſſe credo, de quibus Varro agit lib. IV. de L. L. aitque ea in ſuam uſque memoriam Deorum menſis impoſita: *Vas vinarium grandius ſinum a ſinu: quod ſinum majorem cavationem, quam pocula habebat. Depeſta* (vel *Lepeſta*, ut Scaliger corrigit) *etiamnunc in diebus ſacris Sabineis vaſa vinaria in menſam Deorum ſunt poſita*.

In *tibiis*, quas tertia figura manibus tenet, parvulæ quædam exſtantiæ cernuntur, quarum, ni fallor, ut in tubarum quodam genere, ad gravandum acuendumve ſonum uſus erat: tum & foramina itidem ad ſonum edendum facta, ſat longo intervallo a ſe invicem diſcreta: unde & antiquitas earum agnoſcitur, quippe quæ ab iis, quæ tempore Horatii uſurpabantur, multum differebant. Ita enim ille in Epiſt. ad Piſones:

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco.

Tibiis hiſce Romani veteres in ſollemnibus conviviis utebantur eadem de cauſſa, qua & in ſacrificiis, aliiſque ſacris ac ſollemnibus celebritatibus; quibus & hæc a Macrobio lib. I. Saturn. accenſetur epulorum ſollemnitas: *Sacra celebritas eſt, vel cum ſacrificia Dis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebratur*. Sic & in vetere Calendario, quod marmori inciſum in Farneſiano ſervatur Palatio, ſub menſe Septembri EPVLVM MINERVAE, & Novembri IOVIS EPVLVM legitur. In his epulis, teſte Mario Victorino lib. I. Art. Grammat. quod egregie huc facit, tibiæ longæ adhibitæ fuere; cujuſmodi ſunt illæ, quas mulier hæc noſtra manu tenet. Quare valdequam ingenioſe ex hoc more locum Suetonii in Othone Turnebus lib. XVII. Adverſ. c. XX. illuſtrat, ubi Otho repentino, dum auguria captat, in terram turbine proſtratus, irato æſtuans animo ſæpius exclamaſſe dicitur, *τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; quid mihi namque cum longis tibiis*? ritus ſacros hiſce verbis denotans, quibus tum operabatur. Sed & ex quarta imagine, ſive effigie, ſi id, quod ſuſpicor, illa indicare videtur, ut mox habebimus, nonnihil ad ſententiæ meæ confirmationem peti poſſit. Inſidet illa ſediculæ, tripodi non diſſimili, tenetque manu, quod ego, poſtquam diu multumque diligenter conſideravi, aliorumque ſuper eo ſententias exploravi, nil aliud eſſe exiſtimo, quam tabellam ſcriptoriam, ſeu volumen potius, ut e quadrangulari ejus figura colligere eſt, ut & manus poſitu, quæ volumen illud ſubtus ſubire manifeſte conſpicitur, nec non ex intentione vultus in illud veluti legentis defixi.

Hoc poſito, conjecturam meam (nil enim niſi mera conjectura eſt) in medium proferam, quid id ſibi volumen, ſeu liber, velit: eſſe ſcilicet Librorum Sibyllinorum indicium, ad quos Romani re dubia, imminenteque Reip. periculo, confugere ſoliti, ut Deorum cognoſcerent voluntatem: quinam eorum, & qua ratione placandi forent: unde dein lectiſternia indicta cum epulis, ut e ſexcentis Livii & aliorum locis probatu facile eſt. Epulonum enim muneris eſt & officii, admonere Pontifices, ac docere, ſi quid in ritibus ludorum, ſacrorumque peccatum, neglectumve eſſet, ut hoc corrigerent atque emendarent. Docet hoc Cicero *de Aruſp. reſponſis*, hiſce verbis: *Voſque Pontifices, ad quos Epulones Jovis Opt. Max. ſi quod eſt prætermiſſum aut commiſſum, adferunt, quorum de ſententia eadem revocata celebrantur*. Tum & hoc afferri poſſit, veterem non Romanorum & Græcorum, ſed & primis Eccleſiæ temporibus Chriſtianorum, & ante hos Hebræorum conſuetudinem moremque fuiſſe, ut in epulis ſacris divinas laudes canerent. Quod & a Romanis, quippe ſuperſtitioſiſſimis in cœnis quoque privatis factum. Quare tanto probabilius eſt, eos id ipſum in iis quoque epulis factitaſſe, quæ ad eorum opem favoremque dubiis Reip. temporibus impetrandum publice inſtituebantur: ſive etiam in pervigiliis, quæ magnam noctis partem, priuſquam ad epulas accederetur, occupabant, uti Wolffgangus Lazius obſervat lib. II. de Rep. Rom. cap. 5. Forſan & ad carmina ſecularia pertinere videri poſſit, quæ centeſimo quoque anno Græco Latinoque ſermone a pueris puelliſque cani ſolebant: cujuſmodi exemplum exſtat apud Horatium. Eo enim die feſto de ritibus præcipuis lectiſternium erat cum pervigilio. Sic Herodianus, ubi de ludis ſecularibus agit, quos anno V.C. DCCCCLVII. Romani ſub Severo & Antonino Caracalla octavum celebravere, vidiſſe ſe ait, *ἱερουργίας τε καὶ παννυχίδας ἐπιτελεσθείσας εἰς μυστηρίων ζῆλον*: id eſt, *ſacrificia*, (non *ſupplicationes*, ut Politianus vertit) *& pervigilia ad imitationem myſteriorum Cereris*.

Quod autem mulier hæc ſedentis habitu ſit, non fruſtra eſt. Nam hinc mihi poſſe videtur inferri, Veteres olim in lectiſterniis aſſidere ſolitos, quemadmodum non modo in captandis auguriis factum, ut Plutarchus docet in vita Marcelli, & Servius ad hæc Æneid. lib. IX.

—— Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat:

verumetiam in Deorum adoratione, votis faciundis, aliiſque ſacris ritibus ac cerimoniis. Teſtis eſt D. Auguſtinus lib. VII. *de Civ. Dei* e Varrone, & Macrobius lib. I. cap. X. Saturnalium, aſſidentibus ad Opis, quam Romani terram eſſe exiſtimabant, vota concepta. Liquet & e Propertio l. II.

el. XXVIII. ubi Jovi amicam tum morbo correptam, recuperata ejus beneficio priſtina valetudine, gratam & memorem futuram ſpondet, aitque,

Ante tuoſque pedes illa ipſa adoperta ſedebit.

ut & e Tibullo lib. II. el. VII.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo.

Verum præcipue ex Plutarcho, Auctore in ritibus Romanis verſatiſſimo *Quæſt. Rom.* cujus hæc ſunt verba: Ἡ καθάπερ καὶ νῦν προσευξάμενοι καὶ προσκυνήσαντες ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιμένειν καὶ καθίζειν εἰώθασι. Explicat autem hic idem Scriptor ritus ejus originem in vita Numæ, ubi inter cetera ab hoc Rege ad imitationem inſtituta Pythagoricorum etiam illud numerat, τὸ καθῆσθαι προσκυνήσαντας, *in adoratione aſſidere*. addita hac ratione: τὸ δὲ καθίζεσθαι προσκυνήσαντας οἰωνισμὸν εἶναι λέγουσι τῆς βεβαιότητα ταῖς εὐχαῖς καὶ διαμονὴν τοῖς ἀγαθοῖς ἐπιγίνεσθαι. *Sedere in adorando omen ac augurium eſſe dictitant, confirmatarum ſimul precum, & perpetuitatis omnium bonorum.* Hinc Tertullianus acerbe in illos invehitur, qui ſuo ævo veterem Gentilium ritum in Chriſtianiſmo adhuc obſervabant, & ſedentes adorabant: *Porro*, inquit, *cum perinde faciant nationes adoratis ſigillaribus ſuis reſidendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur*. Neque mihi multum a vero diſceſſura illa videtur conjectura, effictas eadem de cauſa maximam Dearum partem ſedentes; ut in nummis antiquis a me ſæpius obſervatum memini, præſertim in illis, quos vel turbata, vel recuperata Imperatorum ſuppeditavit valetudo, expreſſa in iiſdem ſalute Dea cum ara, & patera in manu.

His addo, quæ ex prima petita figura eſt, conjecturam aliam, multo mihi quidem vero propiorem, ſed multis obnoxiam objectionibus. Sedet & illa, habetque, ut mihi videtur, ante ſe id genus menſæ, quod *monopodium* Veteres appellarunt, unico pede ſuffultum. Livius lib. XXXIX. & Plinius lib. XXXIV. c. III. Romam illud poſt bellum Aſiaticum introductum referunt: nonnullaque iſtiuſmodi Philander *in Vitruv.* lib. VI. inſculpta ſe vidiſſe teſtatur in marmoribus antiquis, rotunda; unde & a Cicerone, Martiale, & Juvenale *orbes* appellantur. Nec temere hæc iis tributa figura eſt, aut abſque occulti alicujus ſenſus ſignificatione. Tradit enim Plutarchus orbes hoſce ad imitationem rotunditatis orbis terræ, unde alimur ac ſuſtentamur, effictos. Verum nonnemini nimis anguſtus ejus circuitus videbitur, quam ut pro menſa accipi commode poſſit: neque id ego negaverim. Veruntamen, quod ejuſdem exiguitatis aliæ in Notitia utriuſque Imperii inveniantur, & pauxillulo majores in marmoribus, quibus duo treſve cœnantes accumbunt, non alienum id a Pictorum conſuetudine videtur, quibus indicaſſe, quod volunt, ſufficere ſolet, neglecta accuratiſſimæ proportionis ac dimenſionis ratione. Præterea & hoc notandum eſt, Veteres in ipſorum cœnis ac conviviis ad ſingulos miſſus menſas quoque mutaſſe, quemadmodum Bayfius lib. de Vaſculis multis Auctorum adductis teſtimoniis luculentiſſime probat. Et hinc per tralationem *primarum*, *ſecundarum*que *menſarum* vocabula ipſis tributa, prout inferebantur, ferculis. Unde facilis duci conjectura poteſt, eaſdem menſas, quo commodius transferri poſſent, contractiore ſpatio fuiſſe: præcipue, ſi illorum vera ſententia eſt, qui ex Homeri variis locis deprehendiſſe ſe exiſtimant, ſuam cuique convivarum menſam poſitam fuiſſe ſingularem. Poſitus ejuſdem figuræ, actioque, manum ad menſam protendentis, ſedentiſque conjecturam confirmat: nil

A enim magis certum, quam Veterum conjuges ſedentes cibum cepiſſe, quum mariti in lectulis accumberent: eratque hic ritus in lectiſterniis ſollemnis, ut idem, qui ſupra, Lazius docet lib. II. *de Rep. Rom.* cap. V. In iis enim Juppiter, aliique Dii jacentes accumbebant, Juno & Minerva menſis aſſidebant. Victoriæ itidem, quæ in lacunari ſeu fornice cernuntur, ad indicandam ſacri epuli ſollemnitatem celebritatemque faciunt; quippe quæ in aliis quoque ſacrificiis, conſecrationibus, & id genus aliis a Sculptoribus effingi ſolitæ, ut e marmoribus ſuperſtitibus abunde liquet. Eſt & apud Fulvium Urſinum nummus antiquus

B familiæ Oppiæ, in qua Victoria conſpicitur manu patinam tenens pomis aut aliis iſtiuſmodi eduliis inſtructam. Tum vero & Plutarchus in Sertorio inter alia cœnæ ſollemnis a Metello bello Sertoriano datæ, demiſſas machinis Victorias refert ferta & coronas aureas ferentes. Sic & hæ noſtræ corollas dextra gerunt cum tæniis dependentibus, cujuſmodi in Titum Flaminium utpote liberatorem ac ſervatorem ſuum a Græcis congeſtas Paſchalius l. IV. de Coronis cap. VIII. ex Appiano refert. Idem tamen Paſchalius ibidem affirmat, corollas iſtiuſmodi a conviviis abeſſe ſolitas, quod luctum ſignifica-

C rent. Verum contrarium e Platone *in Conviv.* doceri demonſtrarique poteſt, ubi Alcibiades inducitur ebrius accedere in convivium, Socratemque ſe tæniis coronare velle dicit, quibus ipſe caput revinctus erat. Tum & in vetere marmore, quod in nobili Commendatoris de Puteo Muſæo aſſervatur, effigies expreſſa eſt menſæ adſiſtens, manuque tæniam iſtiuſmodi geſtans, apprime hiſce ſimilem noſtrarum Victoriarum. Porro utrum & illæ *tæniæ* appellandæ ſint, quas Victoriæ ſiniſtra gerunt, ſicut illæ, quæ de corollis dependent, an vero *infulæ* potius, quod illis affines videantur, quas Servius *in X. Æn.* ad hunc modum deſcribit:

D *Infula faſcia in modum diadematis, a qua dependent vittæ ab utraque parte*; jam tempus inquirendi opportunum non eſt. Sufficit ſententiam meam indicaſſe probaſſeque, utraſque ſacerdotii indicium eſſe, ac præſertim *tænias*, quas Heſychius στέμματα τῶν ἱερέων, διαδήματα ἀρχιερατικὰ, *inſignia ſacerdotum, & diademata pontificalia*, appellat. Hæ igitur in Victoriarum manibus conſpicuæ ſacrdotium Ceſtii Septemviri Epulonum denotant: niſi quis ſimpliciter tantum epulas & convivia ſacra indicare velle cenſeat.

Supereſt, ut & de illis nonnihil dicamus orna-

E mentis, quæ in minoribus ſive anguſtioribus delineata areis ſupra vidimus: quæ licet ad candelabrorum ſibi invicem impoſitorum ſpeciem proxime accedant, nihil tamen ad reliquam picturam pertinere putem; verum luſus tantum eſſe artificum, reprehenſos a Vitruvio lib. VII. cap. III. qui genus hoc picturæ, utpote regulis artis repugnans, damnat, præſertim in candelabris. Verba ejus ſunt: *Item candelabra ædicularum ſuſtinentia figuras ſuper faſtigia eorum ſurgentes ex radicibus cum volutis, colliculi teneri plures habentes in ſe ſine ratione ſedentia ſigilla, non minus etiam ex colliculis flores dimidiata habentes ex ſe exeuntia ſigilla, alia*

F *humanis, alia beſtiarum capitibus ſimilia*. Horum luſuum omnis generis undique petita exempla plura, ſingulari optimorum artificum ſtudio depicta, exſculptaque, & impreſſa paſſim circumferuntur, & in porticibus Palatii Vaticani, alibique viſuntur.

Sed & hoc obſervatu mihi non indignum viſum, ſolas in his picturis feminarum effigies expreſſas eſſe, nullas virorum: unde aliquis, non ad ſacros eas epularum & lectiſterniorum ritus eſſe referendas, ſuſpicari queat, ſed aliud quid ignotum nobis deno-

denotare. Verum suspicio hæc nullis, quæ contrarium affirment, suffulta argumentis, nimisquam imbecilla mihi videtur, quam ut allatam a nobis sententiam convellat. Quare, quum nulla nobis certa rituum sit notitia, qui in conviviis illis sacris usurpari soliti sint, immo nec apparatus reliqui, aut ministrorum, aliorumve, quis adesse necesse erat; quumve nil sit, quod certius afferri in contrarium queat, non inverisimile, licet ignotum, nobis videri debet, feminas præcipue, ut in aliis sacris ac festis sollemnibus, ita & in his adfuisse: quas in conviviis alias ministrare solitas certo constat, & e marmore antiquo, quod in vinea Justiniana exstat ad portam Flaminiam, probari potest. Nec potum tantum ab his præbitum, Wolff. Lazius l. III. *de Rep. Rom.* docet, sed & puellas adhibitas, quæ tibias inflarent, Guilielmus Stuckius tradit l. III. *Antiq. Convival.* quibus Græce αὐλητρίδαις nomen, id est, *tibicinibus*. Sed & Suidas feminarum meminit, quæ δειπνοφόροι sint appellatæ, id est, ut ipse interpretatur, αἱ φέρουσαι τοῖς κατακεκλιμένοις ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τὰ δεῖπνα: *quæ cibum iis inferrent, qui in templo Minervæ epularentur*. Præterea e Tacito lib. XV. Ann. probari possit, feminas aliquando solas lectisternia celebravisse. *Mox petita*, inquit, *a Diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano, & Cereri, Proserpinæque, ac propitiata Juno per Matronas primum in Capitolio, deinde apud proximum mare. Unde hausta aqua templum, ac simulacrum Deæ prosperfum est, ac lectisternum ac pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant.*

Ex his omnibus probabiliter inferri posse puto id quod in initio supra dixisse memini, tabulas seu picturas hasce in C. Cestii sepulchrum non nisi memoriæ dignitatis ejus Septemviralis ad posteros propagandæ destinatas fuisse. Quæ tamen mea conjectura, quod incertis nitatur argumentis, judicio mihi potius benivoli lectoris permittenda visa est, quam pro re certa venditanda. Quis enim in hac antiquitatis caligine certi aliquid possit polliceri? Veriorem tamen eam existimo illa alterius cujusdam sententia, qui ritus quosdam funebres, & illum præsertim, cui *Instaurationi funeris* olim nomen fuit, picturis hisce indicari censuit, quod hic in tertiæ effigiei manibus tibiæ cernantur, tum & in secundæ sinistra vasculum, aquæ lustrali inserviens: nec non & florum calathisci, ut ille quidem opinatur, in manibus duarum reliquarum sedentium. Verum præterquam quod hi calathi non sint, ut lector ex ipso poterit primo earum rerum intuitu facillime cognoscere, sententiæ huic satis alias ingeniosæ vestis multicolor adversatur, & unius ex hisce feminis alia limbo diversicolori prætexta, non multum ab eo vestitu abludente, quem Catullus in Argonaut. Parcis tribuit:

His corpus tremulum complectens undique vestis
Candida purpurea talos incinxerat ora.

Qui in eo imitatus Orphea est. Hic enim eodem modo in hymno Parcarum:

Πορφυρέοισι καλυψάμεναι ὀθόνῃσι.

id est, *purpureis velatæ tunicis*. Forsan & illius generis, quæ in epistola Gallieni apud Trebellium Pollionem in vita Claudii Gothici *limbatæ* appellantur. Atqui, si quid aliud, moribus hoc repugnat Romanorum, quorum feminæ in luctu ac funeribus nigra olim, dein vero sub Imperatoribus alba veste indutæ fuere: quum crescente indies luxu, adscitisque multi pretii vestibus, candida eviluit, & luctui apta visa est: quemadmodum hoc ipsum pluribus erudite docet Jo. Kirchmannus lib. II. cap. XVII. *de Funeribus Antiquorum*. Quod ad *tibias* attinet, frequens earum & varius apud Romanos usus fuit. Ita enim Ovidius lib. VI. Fastor.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis;
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Quare satis firmum inde argumentum peti non potest, picturas hasce rem funeris potius, quam sacerdotii indicare. Quin &, si exactius rem ipsam expendere voluerimus, etiamsi tibiæ ad funera aliquando pertinuere, hic tamen nihil minus significasse deprehendemus, quod eæ in juniorum funeribus adhiberi solitæ fuerint, ut ex his Statii liquet VI. Thebaid.

Tibia, cui teneros suetum deducere manes.

Magis autem perspicue e Lactantii, seu Lutatii Placidii veteris Scholiastæ ejus, expositione, qui hoc addit: *Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur*. Quo & illa Propertii respexere lib. II. Eleg. VII.

Ah, mea tum quales caneret tibi, Cynthia, cantus
Tibia, funesta tristior illa tuba?

Nec obstat, quod picturæ hæ ad sepulchri sint adhibitæ ornamentum, adeoque ad rem funebrem pertinere videantur: quum satis constet, Romanos veteres monumenta sua omni genere cultus exornasse, quibus nil omnino cum funebribus commune est: ut sunt ludi, sacrificia, prælia, bacchanalia, & id genus alia; quemadmodum ex urnis sepulcralibus, nostra & majorum nostrorum memoria ex terra erutis, facile probatu est, quas Fabricius in descriptione urbis cap. XXI. fuse enarrat. Quin contra ea diversæ sententiæ assertores rogari jure queant, quid Victoriis in monumento hominis loci, qui, quantum e veterum constat Historicorum scriptis, nullo umquam munere functus est militari, neque se inter claros bello duces ipse numeravit? Neque enim, quum se *Septemvirum Epulonum* inscriberet, si qua tali dignitate effulsisset, ipse hoc tacuisset: cujus etiam ne nomen quidem apud quemquam Veterum memoratum reperitur, ut in notulis, quas ad inscriptionis basibus, uti dictum, insculptæ illustrationem, ne quid huic dissertatiunculæ deesse videretur, addidi, mox ostensurus sum. Inscriptio vero hæc est:

M. VALERIVS. MESSALA. CORVINVS.
P. RVTILIVS. LVPVS. L. IVNIVS. SILANVS.
L. PONTIVS. MELA. D. MARIVS
NIGER. HEREDES. C. CESTI. ET
L. CESTIVS. QVAE. EX. PARTE. AD
EVM. FRATRIS. HEREDITAS.
M. AGRIPPAE. MVNERE. PER
VENIT. EX. EA. PECVNIA. QVAM
PRO. SVIS. PARTIBVS. RECEPER.
EX. VENDITIONE. ATTALICOR.
QVAE. EIS. PER. EDICTVM.
AEDILIS. IN. SEPVLCRVM.
C. CESTI. EX. TESTAMENTO.
EIVS. INFERRE. NON. LICVIT.

Ex hac inscriptione abunde patet, Cestium nostrum, cui hæc pro monumento erecta pyramis fuit, non esse illum Cestium, qui sub Tiberio cum Gn. Servilio Cos. fuit, quemadmodum Panvinius lib. II. de Repub. Rom. & Lipsius in

Tacit. lib. VI. Annal. minus recte opinati sunt. Non enim, qui in ea memorantur, viri ad Tiberii Principatum pertigere, præsertim M. Agrippa, quem idem Panvinius in Fastis A. V. C. DCCXLI. fato functum tradit, id est, nono ante Chr. n. anno: sic ut ad summum vix dimidium tempus imperii attigerit Augusti. Sed ut hæc assertio nostra certissima est, ita nil incertius hoc Cestio, quis fuerit, qua fortuna usus sit, quid rerum gesserit. Altissimum enim de illo apud Scriptores veteres silentium est. Et tamen e tam nobili & magnifico monumento, quod & ipsa formæ raritate commendabile est, satis liquido constat virum illustrem fuisse, potentemque. Quin & ipsa familia Cestia, tametsi non patricia, non ignobilis tamen fuit, aut abjecta. Nam & *mala Cestiana*, quorum Plinius meminit lib. XV. cap. XIV. item Galenus lib. XIII. cap. XIV. a Cestiorum aliquo nomen accepisse verisimile est: & *Cestiani* cognomen, familiæ sive Plætoriæ, sive Lætoriæ, in nummis antiquis adscriptum, ejusdem originis est. Sed & tribum Cestiam fuisse ex antiquis quibusdam inscriptionibus non temere colligit Panvinius, in quibus legas tres hasce literas CES. Adhæc Pons quoque, qui nunc insulam D. Bartholomæi Transtiberinæ jungit, olim *Cestius* dictus: qui & ipse sine dubio *Cestiorum* alicui, forsan huic ipsi Cestio nostro nomen debet. Non enim ei a *Cestio Gallo* nomen inditum Nardinus recte argumentatur, qui sub Tiberio Consul fuit, (quæ Pancirolli sententia est) quoniam sub Imperatoribus non privatorum, aut Magistratuum, sed ipsorum Imperatorum nomina ædificiis publicis impertiebantur. Ceterum aliorum quoque quorundam *Cestiorum* mentio fit apud Veteres, præsertim apud Senecam in Controversiis. Legitur & *C. Cestii* nomen in marmore antiquo apud Boissardum parte VI. cui eleganti manu exstantibus mediocriter figuris insculptæ viri & feminæ effigies, cum hac inscriptione:

HAVE HAVE
HEROTION
ET VALE
AETERNOM
C. CESTIVS FILIÆ
P. C.

At quis hunc eundem nostrum affirmare ausit? cur non libertum potius hujus C. Cestii fuisse suspicemur, quemadmodum libertorum ejus nomina in duabus aliis exstant inscriptionibus apud Gruterum pag. DCCCLXVII. vel *C. Cestium*, illum lictorem, de quo Cicero in Verrinis? Sed vero propius sit eum fuisse, qui eques Romanus dicitur ab eodem Cicerone, a quo in Orat. pro Flacco ad defensionem hujus citatus testis legitur, si tamen aliqua videtur conjectura recta temporum ratione posse confirmari. Joannes Glandorpius, qui diligentissime de familiis scripsit antiquis Romanorum, in Onomastico Rom. duorum tantum meminit *Cestiorum*, qui Tiberii Cæs. Principatum antecesserint. Eorum alter *Cestius* ille fuit, quem Seneca in Suasoriis ait, oblitum duxisse se aliquando, *Ciceronem*, cui infensus erat, *nescisse literas*, a filio Ciceronis tum temporis Asiam Procos. obtinente, cœnæ adhibitum, & virgis cædi jussum: unde dictum hoc in vulgus abiit: *Cicero patri de corio Cestii satisfecit*. Alter is est, quem Plutarchus refert ad Pompejum in campos Pharsalicos adventantem ab aliis, quod claudicaret, & senectæ ætate esset, risu, a Pompejo vero omnibus honoris ac benivolentiæ indiciis exceptum, ita ut consurgens quoque ei ob viam ierit. Sed hic non *Cestius* a Plutarcho, verum *Sestius* nominatur. Unde mirari satis nequeo, quare eum Glandorpius ad familiam *Cestiam* retulerit: nisi forte *Sestiam* & *Cestiam* eandem fuisse familiam existimarit. Veruntamen ut nil sit aliud, certe prænomen *Titi*, quod illi Plutarchus tribuit, satis manifeste docet, arguitque, non hunc C. Cestium nostrum esse, de quo isthic sermo est: qui quum adeo veteribus Historicis omnibus ac Scriptoribus ignoratus sit, mirandum sane non est, licet multi multa de pyramide hac attulerint, neminem umquam eorum de ipso quidquam Cestio in medium protulisse.

M. VALERIVS MESSALLA CORVINVS, sive *Messala Corvinus*, ut in nonnullis aliis inscriptionibus legitur, & a Glandorpio ac Manutio probari videtur, cujus hic fit mentio, filius mihi Oratoris Messalæ esse videtur, & ipse insignis Orator, de quo Cicero multa cum laude loquitur in epistola, qua eum Bruto commendat: cujusque exstat præclarum apud Tibullum elogium in panegyrico, quem carmine heroico in ipsius laudem composuit. Hic initio contra Augustum stetit: dein ei conciliatus, & in intimam admissus amicitiam, in prælio ad Actium navali dextro cornui præfuisse creditur. Meminere ejus tamquam viri inter omnes memoriæ illius illustrissimi, quidquid ferme Historiæ Romanæ Scriptorum fuit. Eusebius in Chronicis circa medium Augusti Principatum fato functum adnotat.

Sed & in filium tempus competit, qui cum Cn. Lentulo Getulico eo anno Consul fuit, quo Servatorem nostrum nonnulli natum existimant.

P. RVTILIVS LVPVS, quantum e temporum ratione colligi potest, (nam multi ex familia Rutilia prænomine *Publii*, & cognomine *Lupi* fuerunt) is est, qui initio belli civilis Prætor fuit, &, secundum Glandorpium, Tribunus pl. Marcellino & Philippo Coss. Meminit hujus Cn. Pompejus M. in epistola ad Lentulum & M. Marcellum Coss. quæ inter Ciceronianas exstat. In hac significasse se ait Publio Lupo & C. Coponio Prætoribus, ut se cum copiis, quas collegissent, Coss. adjungerent. Quamvis autem Rutilii illic non legatur expressum nomen, nihilominus hunc ipsum esse e Cæsare liquet lib. I. de Bell. Civ. ubi, cum de compluribus egisset Pompeji partes secutis, postquam is Brundusium se contulisset, subjicit: *L. Manlius Prætor cum cohortibus sex profugit, Rutilius Lupus Prætor Tarracina cum III. quæ procul equitatum Cæsaris conspicatæ, cui præerat Bivius Curius, relicto Prætori signa ad Cæsarem transferunt.*

L. IVNIVS SILANVS, non est, qui prima mihi fronte videbatur, quem Claudius Imp. sibi generum destinaverat, postea Agrippinæ artibus matrimonio Octaviæ frustratus. Ætas enim ejus juvenilis obsistit; de quo Tacitus XII. Annal. *Juvenemque alias clarum insigni triumphalium, & gladiatorii muneris magnificentia*. Sic ut heres ille Cestii esse nequierit jam sub Augusto defuncti. Verum potius ille, quem Plinius lib. II. cap. XXXV. Proconsulem fuisse dicit Cn. Octavio & C. Scribonio Coss. A. V. C. DCLXXVIII. Ex hac inscriptione turpis Glandorpii & nonnullorum aliorum Criticorum apparet error, qui *Syllanum* ipsum appellant, velut a *Sylla*, ac non potius a *Silus* derivato nomine: quam ultimam originem erudite Antonius Augustinus ex ipsa vocis significatione probatum it lib. de Fam. Rom. *Silus* enim teste Festo dicitur, qui nasum crispatum habet; unde & galeæ *Silæ* dictæ. Fuit id Sergiorum etiam, & Liciniorum olim cognomen.

L. PONTIVS MELA non modo heres C. Ce-

stii fuit, sed & curæ ejus commissa monumenti exstructio est, quippe cujus illud arbitratu factum, sicut & Pothi liberti, quemadmodum supra vidimus. Cognomen ejus, ut liquet e marmore, MELA est, non CLAMELA, vel CLAMELLA, ut nonnulli crediderunt Antiquarii, qui in illa pyramidiis inscriptione CLAMELAE posuerunt, absque ulla distinctione puncti, quod nunc clarissime in ea agnoscitur, una cum aliquo inter primam & sequentes duas syllabas intervallo. Nemo tamen turpius Glandorpio impegit, qui cum cognomina in familiis secundum seriem disponere solitus sit alphabeti, Pontiæ cognomen CLAMELLAE addit ante illa Cominii, Fregellani, & Herennii: quum id ipsum, si veram lectionem MELA vel MELLA cognovisset, post illa Luciani & Maximi collocare debuisset: sed hunc facile agnoscere errorem suum potuisset, si *Melæ* cognomen non modo *Anniæ*, *Aquiliæ*, & *Pomponiæ* familiæ, sed etiam *Pontiæ* adhæsisse animadvertisset, ut in hac inscriptione, quam nobis Gruterus p. DCCCLXXXV. exhibet;

DIS MANIBVS
L. PONT. C. F. MELL.
L. PONTIVS
EVTYCHVS SIBI.

atque item tribus Claudiæ fuisse, ut in hac altera ibid. p. c. literis CLA. significatæ:

CONCORDIAE
C. AQVILIVS. C. F. CLA. MELA

Quæ tribus una ex antiquissimis exstitit, hocce Virgilii versiculo nobilissima lib. VII. Æn.

Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens.

D. MARIVS NIGER quis fuerit, expiscari nullo modo potui, quum nulla ejus vel in Historia Romana, vel in marmoribus antiquis mentio facta reperiatur: immo neque quisquam eo cognomine in familia Mariorum.

L. CESTIVS ambiguum est, fuerit ne is ipse, cujus in numismatibus nomen legitur, an hujus filius. Fulvius sane Ursinus libro de Famil Rom. familiam Cestiam nummo aureo illustratam voluit, cujus altera pars Africam proboscide elephanti pro galea caput tectam exhibet, altera sellam curulem, cum eodem galeæ ex proboscide genere ei imposito, addita inscriptione supra sellam, CESTIVS: infra C. NORB. a lateribus vero S. C. & PR. unde Ursinus L. Cestium Prætorem fuisse colligit. Addidit & aliud itidem ex auro numisma Car. Patinus, in recentiore & aucta ejusdem libri editione, in cujus altera parte caput femineum cernitur, revinctis fasciola seu diademate capillis. Supra eam legitur C. NORBANVS, & infra L. CESTIVS. In aversa parte Mater Deum cernitur

Sedibus in curru bijugos agitare leones,

cum S. C. L. Cestius hic ad nostrum referri non incommode potest, quod is una cum C. Norbano Prætor fuerit; Norbanus autem, teste Fulvio Ursino in Familia Norbana, Prætor primum in Sicilia, dein Legatus M. Antonii, ac tandem, ut ex Fastis constat, cum Appio Claudio Pulchro A. V. C. DCCXV. Consul fuerit, & quatuor post annis triumphaverit; adeoque eodem quo C. Cestius tempore vixerit Quod si quis autem Norbanum hunc alium fuisse existimet, qui cum L. Scipione Africano XLV. annis ante hunc Consul fuit, nolim ego cum eo ferram contentionis reciprocare: facileque concesserim L. Cassium, qui in nummis illis supra memoratis exprimitur, patrem potius C. Cestii nostri, quam fratrem fuisse: præsertim si Cajus hic noster ante Augusti decesserit Principatum, uti non inverisimile est. Atque ita Lucius hic frater ejus & heres is forte fuit, quem Appianus ait, nullo, ut Græci sæpe solent, addito prænomine, proscriptionis tempore in villa apud fidos quosdam servos suos delitescentem, quum centuriones armatos huc illuc cum recisis proscriptorum capitibus cursitare videret, tædio continui, quo agitabatur, metus, imperasse servis, ut rogum accenderent, in eumque se magno animo conjecisse, ut ita liquido a se conditum dominum servi affirmare possent.

Exstat & alterius L. Cestii mentio in hac a Kirchmanno lib. III. *de Funer. Rom.* allata inscriptione;

L. CESTIVS. HILARVS. VIXIT. A. XXXV.
APPAIENA. AMABILIS. ET.
Q. MINVCIVS. FAVSTVS
POSVERVNT. DE. SVO.

Verum cum e tota inscriptione, tum ex ipso *Hilari* cognomine perspicuum est, non hic de aliquo ex ipsa agi familia Cestia, verum de servo vel liberto istius familiæ, qui more tum sollemni prænomen nomenque patronorum adsciscere sibi soliti.

Sed de his jam plus satis. Videamus, ecquid e sequentibus exsculpere possimus boni. QVAE EX PARTE AD EVM FRATRIS HEREDITAS M. AGRIPPÆ MVNERE PERVENIT. Considerandum enim hic, quo pacto non institutus una cum ceteris heres, partem tamen hereditatis munere adierit Agrippæ. Quod mihi dupliciter accidere potuisse visum est. Potuit enim C. Cestius pro sollemni temporum istorum consuetudine amicos potentiores, imo & ipsum Cæsarem, heredes instituendi, M. Agrippam ex parte aliqua heredem bonorum suorum scripsisse. Exstat illius consuetudinis illustre exemplum apud Dionem lib. LIII. ubi Sextum quendam Pacuvium, sive Apudium, post multa fœdæ adulationis specimina, publice aliquando professum tradit, Augustum sese pari portione, id est ex semisse, cum liberis heredem instituisse; ut hoc dediti Principi animi indicio benignitatem ejus venaretur, atque munificentiam. Quidquid autem hujus fuerit, perquam mihi credibile videtur, Agrippam, utpote opibus affluentem, nec alienæ liberalitatis indigum, magnitudine animi adductum L. Cestio partem suam hereditatis concessisse: & hunc, ne ingratus videretur, publice id testatum voluisse, ideoque hic addidisse M. AGRIPPAE MVNERE: ut ita partem illam se fraternæ hereditatis Agrippæ liberalitati acceptam referre agnosceret. Altera ratio est, quæ mihi & verisimillima videtur, quod Cestius, ut familiæ suæ de tam potenti patrocinio prospiceret, quum de magnitudine animi Agrippæ securus esset, heredem eum fiduciarium illius partis fecisse, quæ ad fratrem pertineret; quemadmodum sæpius olim factitatum e multis Digestorum locis manifestum est, præcipue l *Sejus Saturninus ad Senatus Consult. Trebell.* Agrippa vero eandem deinde L. Cestio reddiderit: unde recte L. Cestius eam *munere Agrippæ ad se pervenisse* dicere potuit. Conjecturam hanc meam mirifice confirmant illa *§. primi Instit. de fideicomm.* fidei scilicet commissa temporibus istis raro vim suam sive jus obtinuisse, *qua nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat*: ut illic legitur. Et hinc

fidei commissi nomen, *quia nullo vinculo juris, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur*. Quamobrem Augustus, sive aliorum persuasus auctoritate, sive aliis de caussis, quæ ibidem recensentur, nempe, *quia per ipsius salutem rogatus quis diceretur, aut ob insignem perfidiam*, statuit, ut in posterum Consulum interveniret auctoritas, ne fides testatarii circumveniretur: & post illum Claudius Imp. Prætores creavit, quibus speciatim hæc cura demandata fuit, quique, quod huic rei præessent, *fidei commissarii* appellati sunt, ut liquet e *l. 2. §. deinde ff. de orig. juris*. Sic ut, quum Cestius forte diem suum ante hanc ab Augusto latam legem obiisset, quo tempore in aliena erat potestate hereditatem vel retinere, vel restituere fiduciariam, Agrippa hac sua integritate fideque L. Cestio occasionem justissimam suppeditaverit publice profitendi, partem illam fraternæ hereditatis Agrippæ se debere beneficio. Quo & illa vox, PERVENIT, spectare videtur, quæ & in illis textibus, ubi de hereditatibus agitur, familiaris est, accipiturque de his, quæ ex fideicommisso percipiuntur. Exemplo sunt *l. in fideicommissi §. cum Pollidius ff. de usuris*, & *l. quidam cum filiusfamilias 46. ff. de hered. instituendis*.

EX VENDITIONE ATTALICORVM. Panni, seu vestes aureæ, quibus Attalicis nomen ab Attalo Pergamenorum Rege, earum, ut Plinius ait lib. XXXVII. cap. I. inventore, apud Romanos in usu esse cœperunt una cum ceteris Asiaticis delitiis, post annum V. C. 564. sive post bellum Asiaticum devicto Aristonico. Ac primum quidem ad corporis cultum adhibitæ, dein crescente indies luxu ad quosvis usus, & omni divitiarum ac magnificentiæ Romanorum publicæ privatæque ostentatione ac pompa: de quibus multi multa, nemo tamen accuratius Propertio, qui pluribus earum locis mentionem fecit: ut lib. III. el. XVII. ubi ad vestitum requiruntur:

> *Attalicas supera vestes, atque omnia magnis*
> *Gemmea sint ludis.*

Vel lib. II. el. XIII. ubi ad strata lectorum funebrium adhibentur:

> *Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.*

Item lib. IV. el. V.

> *Sectaque ab Attalicis putria signa toris.*

Vel lib. II. eleg. XXXII. ubi ad ornamentum faciunt ædificiorum; ac Cynthiam ipse reprehendit, splendorem ac magnificentiam urbis contemnentem:

> *Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis*
> *Porticus aulæis nobilis Attalicis.*

Nec Romæ tantum, sed & in provinciis Attalicorum usus invaluit. Quare Cicero inter alias rapinas & hanc Verri objicit; *Quod ille*, inquit, *Attalica tota Sicilia nominata ab eodem peripetasmata emere oblitus est?*

Erant igitur Attalicæ vestes panni ex auro pretiosissimi, quibus, ut nunc in pannis solet Babylonicis, seu tapetibus, omnis generis intextæ fuerunt effigies: & hinc illa Propertii, *putria signa*. Quare & pretiosiores fuisse hodiernis existimo, quod signa seu effigies illæ magis exstarent, adeoque plus auri absumerent. Huc facit, quod L. Faunus refert, in æde D. Petri, quum Papa Julius II. opus illic novum moliretur, arcam repertam, qua Maria Stiliconis filia, Honorii Imp. uxor, condita fuerat. Hic ex veste & panno, quo caput ejus velatum fuerat, XL. libras pondo

A purissimi auri extractas fuisse. Ut autem ratio cognoscatur, quare C. Cestii heredibus licitum non fuerit vestes ejus Attalicas inferre monumento, quarum in hac inscriptione fit mentio, sciendum, Veteres ad coercendos nimios, qui in his mortualibus olim fiebant, sumtus, leges sumtuarias in bene institutis Rebuspublicis ferre solitos, & modum illis certum præfinivisse. Ita Solon primum apud Athenienses id ipsum lege cavit: quem Cicero Romanos in legg. XII. tabb. imitatos esse tradit lib. II. de legibus. Quoniam vero maxima
B istorum sumtuum pars vestibus sive in sepulcrum inferendis, sive cum cadavere una cremandis, continebatur, inprimis hac de parte cautum, ut ex his Ciceronis apparet: *Extenuato igitur sumtu tribus riciniis & vinculis*: vel, ut in aliis legitur codicibus, *clavis purpureis*. Neque dubitandum mihi videtur, quin *ricinium* de aliquo vestitus genere accipiendum sit; quidquid contra ea Turnebus, Junius, aliique viri pereruditi afferant; præcipue vero Jacobus Gutherius *de Jure Manium* lib. I. cap. XVII. qui quidem, me judice, non satis justa de causa veteres XII. tabularum Interpretes reprehendit, quod *ricinium* genus esse vestis existimarint; quod
C ipse panni, velive genus fuisse asserit, quo matronæ in luctu usæ sint. Verum defendit illos sat validis argumentis Jacobus Gothofredus, nec non Rosinus, itemque Lipsius lib. I. cap. VII. *Quæst. Epistolic.* qui non modo veterem a Virgilio VI. Æn. memoratum morem adfert his versibus:

> *Purpureasque super vestes velamina nota*
> *Conjiciunt.*

Quem forte Legislatores respexere: verum etiam ipsius se Festi tuetur auctoritate, a Gutherio, aliis-
D que, ad confirmandam sententiam suam adducti: *Ricæ, & riculæ vocantur parva ricinia, ut palliola ad usum capitis facta*. Atque item: *Recinium omne vestimentum quadratum ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt*. Quem Scriptorem mox ille perquam ingeniose in sequentibus corrigit, pro *Vir togam, qua mulieres utebantur*, &c. reponens, *Ver. togam*. id est, *Verrius, togam qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo*. Sic ut totius hujus loci sensus sit, *ricinium* secundum veteres XII. tabb. Interpretes quodvis esse vestimentum quadratum: verum secundum Verrium togam muliebrem clavo purpureo prætextam. Quemadmo-
E dum autem ex his duobus Festi locis manifestum est, *ricam* & *ricinium* quod ad formam atque usum diversa, sed quod ad materiam non dissimilia fuisse, quum ambo ex lana succida alba texi consueverint, ita non video, quare Gutherius, quum in XII. tabb. *tribus riciniis* legatur, legem illic non de quodam vestimenti genere loqui velit, sed de panno, velove, quod mulieres capite gestarint, ac si illic *tribus ricis*, seu *riculis*, & non *tribus riciniis* legeretur. Quin & Varronis verba, quæ ipse pro se adducit, mulieres in adversis rebus, aut luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea in institu-
F tum ponunt, *ricinia* sumunt; si simpliciter & ut oportet accipiantur, *ricinium* vestem aliquam nigram potius significant, quam pro delicatis & sumtuosis in luctu matronæ sumserint. Atque ita Lipsii confirmatur opinio, Decemvirorum animi sententiam non fuisse interdicere, ne matronæ plusquam tribus vestibus nigris ad funus accederent, ut alii illi, quos supra memoravi, credidere, sed ne plures tribus istiusmodi vestibus in funere cremarentur, aut cum defuncto sepelirentur, *ricinium* existimantis non lugubrem vestem esse, sed ad ornatum factam, ac tum quidem temporis pretiosam, magnique æstimatam, adeoque in ipsa lege suo no-

mine expressam. Nec dissonant a verbis legis, *tribus riciniis*, & *clavis purpureis*, verba Verrii apud Festum supra descripta, *ricinium togam prætextam esse clavo purpureo* indicantia.

Non ita tamen hanc illius sententiam probo, ut & in hoc assentiam, id ipsum sequentibus in Festo verbis probari, *Unde reciniati Mimi planipedes*. Neque enim induci possum, ut credam, Mimos spectaculis ad voluptatem inventis operam commodantes illo vestitu usos, qui ad funera pertinuerit.

Quemadmodum igitur luxus funebris in XII. Tabb. lege coercitus fuit in *riciniis*; ita & sensim ad cetera vestium genera interdicti transiit severitas, quæ modo sumtuosa essent: atque ita & Attalicæ, de quibus hæc agit inscriptio, tempore Cestii vetitæ fuere: quæ utrum eædem ac toga prætexta, qua Septemviri quoque Epulonum uti leguntur, an vero aliud vestimenti genus fuerit, non multum ad nostrum facit institutum. Sed & aliæ leges sunt sumtuariæ in hanc rem Rom. Imperatorum: inter hasce vero tertia decima *ff. de religios. & sumt.* Ulpiani, qui sub Alexandro Severo vixit: *Non oportet autem ornamenta cum corporibus condi, nec aliud quid hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt*. Ubi Glossa hac *ornamentorum* voce vestes quoque significari notat: quæ lex etiam in Græcam conversa Linguam in Corpore Constitutionum Imperatorum Constantinopolitanorum exstat lib. LIX. tit. X. quod Joannes Leunclavius publicavit.

PER EDICTUM ÆDILIS: qui Magistratus non secus ac Prætores edicta proponebant publicabantque, secundum quæ de rebus his vel illis jus dicturi essent. Notissimum id cum aliunde, tum e lege speciali Cod. *de Ædilitio edicto*. Verum quidem est, id non ad omnes pertinuisse Ædiles, quorum tria erant genera, *Plebis*, *Curules*, & *Cereales*: sed ad *Curules* tantum, uti ex omnibus ferme illius edicti titulis liquet. Priusquam igitur aliquid certi de hoc in inscriptione nostra memorato edicto statuamus, videndum erit, ad quod Ædilium genus sumtuum funebrium cura pertinuerit, contra quorum edictum heredibus Cestianis Attalica in monumentum ejus inferre non licuerit: e quorum divenditorum pretio statua ei postea posita dicitur. Ego vero diu multumque pensitatis eorum scriptis, qui de Magistratibus scripsere Romanorum, quodnam cujusque Ædilis munus fuerit & officium, ita censeo, Ædilis plebis hoc edictum fuisse. Ædiles namque plebis, quorum summa fuit auctoritas, obviam ire luxui soliti, & quidquid bonos civitatis poterat mores antiquos corrumpere. Ita & cupedias in tabernis vendere vetuerunt, & obsonia cariora: ita & dictis factisque contumeliosos puniverunt: fœneratorum avaritiam coercuerunt: mensuras & pondera, ne qua in his fraus fieret, examinarunt: & quæ alia id genus plura. Quare & his maxime convenire mihi videtur luxui & sumtibus in funera nimiis modum statuere, & ne vestes pretiosæ monumentis inferantur interdicere; idque edicto speciali, cujus hic fit mentio. Quoniam vero vox *Ædilis* hic singulari numero effertur, videtur edictum hoc unius tantum, & non plurium nomine fuisse propositum, ac si ad alterum e duobus hæc cura pertineret, ad alterum cetera alia.

EX TESTAMENTO EJUS. Erat hæc vana & insana Gentilium cæcitas, ut cum defunctorum corporibus ea simul in rogum inferrent, quibus illi in vita maxime fuerant delectati, ac si quemadmodum in hac vita, ita & apud inferos iis etiam fruituri essent. Sic de viris triumphalibus Romanis Polybius lib. V. refert, in veste eos triumphali crematos fuisse. Sed & Christianorum natio ab hac vanitate minime immunis fuit. Nam & hi, sed ad luxum, & divitiarum ac magnificentiæ ostentationem magni pretii ornamenta sepulcris intulere, quemadmodum Mariæ uxoris Honorii Imp. accidisse supra vidimus; quæ singula, ne longior sim, recensere supersedeo, ad L. Faunum lectorem remittens, qui lib. V. cap. X. accuratissime & minutim ea omnia descripsit. Hinc factum, ut, quod heredibus, circa Attalica, a Cestio in testamento mandatum fuit, a multis item aliis circa res alias usurpatum fuerit, quibus in vita delectabantur. Patet hoc e multis legibus Codicis Justinianei, nec non ex una Codicis Visigothorum, quem Pithœus publicavit, lib. II. tit. II. Sed multo clarissime ex testamento matronæ cujusdam, cujus verba Scævola adfert *l. ult. §. ult. ff. de auro, argent. Funerari me arbitrio viri mei volo: & inferri mihi, quæcunque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex smaragdis*. Et hi quidem tam vesani homines merito Luciano ludibrium debuere, qui cum Nigrino Philosopho Platonico ita differit: Αὖ δὲ καὶ μεταξὺ λέγοντος αὐτοῦ γελᾶν προήχθην, ὅτι καὶ συγκατορύττειν ἑαυτοῖς ἀξιοῦσι τὰς ἀμαθίας, καὶ τὴν ἀναλγησίαν ἔγγραφον ὁμολογοῦσιν, οἱ μὲν ἐσθῆτας ἑαυτοῖς κελεύοντες συγκαταφλέγεσθαι τῶν παρὰ τὸν βίον τιμίων. Dum is hæc loquitur, non potui non eos ridere, qui stultitiæ suæ monumenta una secum sepeliri volunt, & insaniam suam inscriptione testantur; quorum nonnulli & vestes, quas in vita in maximo pretio habuere, una secum cremari jubent, &c. Diversa sane vetulæ istius sententia fuit, cujus astutiam Horatius refert lib. II. Sat. V.

—— Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata; cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres:
Scilicet elabi si posset mortua.

Eaque propter sapienter Veteres lege sanciverunt, ut in rebus ceteris ultimæ testatoris satisfieret voluntati, si quid exigeret: at in sumtibus nimiis nulla ejus ratio haberetur; ut liquet e dicta *lege ff. de religios. & sumt. §. hic actio: Sciendum est, nec voluntatem testatoris exsequendam, si res egrediatur justam sumtuum rationem*.

Et hæc sunt, quæ ad illustrationem monumenti Cestiani mihi in mentem venere: cujus argumenti difficultas id ab æquo, spero, lectore impetrabit, ut, quæ præter ceteros, qui id ipsum tractavere, attuli, æqui bonique consulat; atque ita cogitet, ut id absolute quis exsequatur, ea illi omnia, quæ cum ab Antiquis, tum a Recentioribus, qui innumero fere jam nunc numero sunt, Scriptoribus de viris hic nominatis, ritibusque antiquis dicta, colligenda esse: unde facile accidere queat, ut uno aliquando aliquis Auctoris loco, quem casu forte offenderit, multo ea melius illustret, quam nos potuerimus pluribus, quos dedita opera in ipsum pervolvimus. Erit igitur hoc, quod ajunt, Catone contentus benivolus lector; cum tantum dictum sit, quantum suffecerit, non autem, quantum dici potuerit: præstabitque mihi illud Aristotelis præceptum lib. I. Eth. ab Lambino in hunc modum Latine versum: *Est hominis eruditi, tantam in unoquoque genere subtilitatem desiderare, quantam rei ipsius natura recipit*.

F I N I S.


OCTAVII FALCONERII

AD

CAROLUM DATUM, V. Cl.

EPISTOLA

De latere ex ædificii veteris ruderibus eruto, quum paries ad instaurandum Panthei porticum A. CIↃIↃCLXI. dirueretur.





Nil quidquam, Carole, vir eruditissime, ab hisce, qui veritati sive in scientiarum atque artium cognitione, sive in humaniorum literarum studiis investigandæ tempora impendunt sua, utilius & conducibilius facere possunt, quam ut ea, quæ veluti minoris momenti ac ponderis a plerisque rerum antiquarum studiosis negliguntur spernunturve, accuratiore cura complectantur & examinent. Quum enim absolutissima scientiarum & artium ratio non in vulgari consistat eruditione, sed in illa interiore ac recondita, sæpenumero evenire solet, ut ex parvis dictu contemtisque plus acquiratur cognitionis, quam ex iis, quæ in omnium oculos animosque magnitudine sua splendoreve incurrunt, eosque ad se advertunt. Quare qui ad optatum scientiæ scopum pervenire desiderat, & id, quod sibi proposuit, assequi, nil ei abjectum, vile, & contemtibile videri debet, quod cum eo, quod tractat, argumento conveniat, eive aliqua ex parte respondeat. Nil enim verius illo Sophoclis in Oedipo Tyranno dicto:

E

> —— τὸ δὲ ζητούμενον
> Ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τ' ἀμελούμενον.

id est,

> *Quo quæritur, acquiritur: effugit autem, quod negligitur.*

F

Nec quisquam est, qui modo non omnium earum, quæ ante nos gestæ sunt, rerum rudis sit, & imperitus, qui ignoret, quantum quæ ab aliis, velut levicula, inaniaque, neglecta fuere spretaque, ad detegenda sæpe abstrusissima & maxime stupenda naturæ secreta, contulerit emolumenti:

> *Hisce solent nostræ consurgere fontibus artes.*

Ita hirundinum nidis e luto & palea compaginatis vetustissimos mortalium tuguria ad arcendas cœli injurias invenisse, & hinc ad absolutissimam ædificandi scientiam gradum factum Polydorus Virgilius existimat. Neque item te ipsum fugit, Galileum clarissimum illud communis patriæ lumen, quum e lampadis in æde majore Pisana pendentis

motu post longam tandem observationem animadvertisset, eodem temporis spatio tam maximos quam minimos arcus terminari, quos huc & illuc inclinato motu faciebat, egregias tandem illas & nobiles de pendulorum motu ac proprietate hausisse observationes: unde & artibus mechanicis nova lux affulsit, tempusque, quod ad instar Protei Homerici injecta sibi indies ab humano ingenio vincula indignabundum excutiebat, arctioribus innexum vinculis fuit, quam quibus in imo Tartaro Patrem Saturnum, qui temporis symbolum est, ab ipso constrictum Jovi Cynicus apud Lucianum exprobrat.

Quare quum jamdudum in eam sententiam pedibus ierim, fieri non potuit, quin, quum ædes dextrum celebratissimæ Panthei porticus latus obtegentes diruerentur, veterisque muri lateritii fragmentum novem circiter palmos latum detegeretur, secundum idem porticus vergens latus, e vestigio, quodnam illud olim fuisset ædificium tam conspicuo & tam huic urbis miraculo vicino loco situm, diligentissime indagarem. Ergo & opus ipsum, structuræque genus atque rationem, attentius considerare cœpi, si qua forte lucis inde scintilla alluceret, cui aliquando serviisset usui. Sed vanus omnis meus fuisset labor, ni e re parvula, & quæ facile se nostris subducere potuisset oculis, ad altiores mihi via facta esset contemplationes. Quamquam enim & arcus illic, seu fornicis, ut & columnarum, quibus sustentatus fuerat, vestigia nonnulla apparerent, nil tamen inde certi bonique expiscari potuissem, nisi me later adjuvisset, seu tegula quædam; quorum tum laterum insignis magnitudo, copiaque illinc effossa, & in aream templi congesta, oculos meos, curiosissimos harum elegantiarum exploratores, in se converterat. Lateres hi, quantum ex integro, quem domi meæ servo, judicare licuit, nullius ex tribus illis sunt magnitudinis generibus, quibus veteres Græcos in ædificiis suis usos esse Vitruvius scribit; verum illius, qua Philander in vinea Joannis Mileti extra portam Latinam sua memoria erutum laterem vidit, latum undiquaque duos pedes cum sextante, crassum vero uncias duas cum triente: cui inscriptum:

TEG. C. COSCONI
FIG. ASINI POLL.

Unde recte infert, Romanos veteres tribus illis Græcorum laterum generibus non contentos, alio etiam aliquando, prout res ferebat, usos fuisse, ad ædificii scilicet vel elegantiam, vel amplitudinem accommodato. Leguntur autem in meo integro, tum & in aliorum fragmentis literæ *majusculæ* vulgo appellatæ, nomen artificis indicantes, ambitu quodam circulari ad instar sigilli alicujus circumscriptæ, uti ex illius descripta hic effigie liquet. Quod si ego solo illo figuli nomine, ad exemplum Philandri, aliorumque, in id genus e terra coctis operibus, contentus nil aliud ex hoc latere elicuissem, nullum, fateor, ad Antiquitatum Rom. studiosos emolumentum rediisset. Sed plus aliquid hinc exsculpendum ratus sex septemve partim fractos, partim integros lateres domum meam deferri jussi, in quibus aliquid scriptum reperiretur, quibus cognitis in uno eorum forte fortuna invenisse me puto, murum illum veteris aquæductus partem fuisse, quo Aqua Virgo ex aquæductu majore in Thermas Agrippæ deducta sit, ab ipso primum Agrippa exædificatus, deinde vero ab Hadriano Imperatore instauratus atque restitutus; quemadmodum postpaullo probaturus sum. Esse autem & officii mei, & mutuæ nostræ conjunctionis

A existimavi, hanc meam ea de re dissertatiunculam, veluti pignus amoris erga te mei atque observantiæ, ad te potissimum mittere, qui & eorundem studiorum teneris desiderio, & grata, ni fallor, sumes manu, quidquid tibi veterum elegantiarum curiosissimo in eo a me genere exhibebitur.

Sed ut ad rem tandem ipsam accedamus: in minore sive interiore inscriptionis circulo legitur: TIT. ET GALL. COSS. id est, *Titiano & Gallicano Consulibus*. Incidit horum Consulatus in decimum annum Imperii Hadriani, qui est V. C. DCCCLXXX. uti Panvinius existimat. Iisdem Coss. apud Cassiodorum *juxta Eleusinam civitatem in Ce-*
B *phiso fluvio Hadrianus pontem construit*. Ille vero Gallicanum præponit, adeoque ordinem eorum invertit: quod & in Prosperi Aquitanici Chronico a Labbæo edito factum observavi. Rursus in Idatii Fastis ab eodem Labbæo rursus editis is, qui in hoc latere, ordo servatus est: & hunc Panvinius quoque in prima Fastorum editione secutus est, ubi legas, . . *Cornelius Titianus* . . . *Gallicanus*. In secunda vero, nescio quam ob caussam, eundem mutavit, scripsitque: *Gallicanus*. . . *D. Cælius Titianus*. Sed hic ego mihi nec inquirendum, nec examinandum existimo, utris
C magis accedendum, ac major habenda fides sit, Cassiodoro, ac Panvinio, an istius temporis inscriptionibus: erraverintne Figuli homines imperiti & rudes, an Scriptores, e quibus hæc Cassiodorus hausit, & ad nos transmisit, quosque Panvinius in Fastis adduxit. Inter publicatas sane a Grutero inscriptiones lapis est, in quo mentio fit *Gallicani Consulis ordinarii*. Ita enim illi appellari soliti, qui Kal. Jan. Consulatum inibant, ut ab *suffectis* distinguerentur, qui reliquis mensibus in ordinariorum locum succedebant: quorum quidem Principatu Commodi quinque & viginti uno anno fuisse perhibentur. Inscriptio vero apud Gru-
D terum hæc est:

BRVTIA. AVRELIANAE. CN.
FILIAE. MVSOLAMIAE. VIRON. ET. L TE
RIAE. C. F. NEPTI. MARCELLINO. ET.
MARINAE. HER. GALLICANI. CONSS.
ORDINARI. QVAE. VIXIT. ANN. XXXVII.
MENS. X. DIES XVIIII. OB. MERITA.
HONESTATIS. ET. CONCORDIAE.
CONIVGALIS. L. VITALIS. V. C. PROTEC.
ET. NOTARIVS. VXORI. AMANTISSIMAE.
ET. SIBI.

E *Cœlius* hic *Titianus*, de quo nunc agitur, is esse Panvinio videtur, qui prius Tutor Hadriani, dein Præfectus prætorio fuit. Sed hanc ejus sententiam Salmasius in Notis ad Hist. Aug. Scriptores prolixe confutavit; ubi inter cetera probare conatur, *Titianum* illum, de quo Spartianus in vita Hadriani agit, quique in optimæ fidei manuscripto codice, nec non apud Xiphilinum *Attianus* scribitur, ab hoc *Titiano* nostro diversum esse: cujus tamen idem Spartianus in eadem vita alio loco ad hunc
F modum meminit: *Titianum ut conscium tyrannidis & argui passus est, & proscribi*. Hunc autem collegam *Gallicani* in Consulatu fuisse censet. Adhibet autem ad confirmandam hanc sententiam suam istiusmodi argumenta, quæ omnino probabilia videantur: nihilominus ego Casauboni potius opinioni faveam, suo tamen cuique liberum hac de re judicium permittens. Quidquid igitur hujus sit, hoc certe liquido constat, lateres hosce imperante Hadriano confectos, atque adeo & ipsum ædificium, cui exstruendo inserviere. Aquæductum

illud fuisse dixi, quod variis mihi cum argumentis tum conjecturis probatu facillimum videtur. Ac prima quidem adest Spartiani auctoritas, qui ædificia ab Hadriano restituta in ejus vita commemorans, *Romæ*, inquit, *instauravit Pantheon, Septa, Basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, Forum Augusti, Lavacrum Agrippæ; eaque omnia veteribus & propriis nominibus consecravit*. Quam Hadriani consuetudinem vetera ædificia ac monumenta suis priscis restituendi nominibus Georgius Fabricius aut non advertisse animum, aut oblitus fuisse videtur; quippe qui in *Roma sua Thermas Hadriani* inter *S. Mariæ* ædem, quæ supra Pantheon est, & ipsum Pantheon collocat: cujus rei nullum aliud apud quemquam Veterum, neque in marmoribus ac numismatibus antiquis exstat vestigium. Quamquam vero & a Donato, & ab Antiquariis aliis Thermarum Hadriani mentio fiat, quum tamen nil certi affirmare ausint, neque ullum conjecturarum, quas proferunt, sit pondus, satis liquere arbitror, omnem illorum de Thermis Hadriani opinionem uni inniti Rufi & Victoris testimonio, qui soli Veterum earum meminere in reg. XI. illas statim post Alexandrinas recensentes. Harum vero rudera nonulla etiamnunc visuntur in Palatio Medicæo Magni Hetruriæ Ducis. Et hinc forte nata fama est, quæ Fauni memoria urbem pervagabatur, fuisse illas eo loco, ubi nunc S. Ludovici Gallorum ædes est. Verum quam debili innitantur fundamento, qui soli Victoris & Rufi contextui, corrupto sæpe, & variis additamentis alienæ manus inquinato, inædificant, satis superque Nardinus in *Roma vetere* mihi videtur ostendisse. Id autem & huic loco accidisse hinc suspicari libet, quod in MSS. Victoris exemplaribus multa in his Thermis deprehendatur varietas. Tres ego codices consului in Bibliotheca Vaticana, & inter hos illum Pyrrhi quondam Ligorii literis quadratis, non tamen perantiquum, in quo plane ut in Victore Panviniano Thermæ Hadriani Neronianas proxime præcedunt; has autem Neronianas postilla *Alexandrinas* appellatas ibidem adnotatur; quod sine dubio a Librario illi aliquo assutum est. In duobus reliquis, quorum alter ante annos amplius trecentos scriptus est, nulla earum facta mentio cernitur: tantum Thermæ *Agrippinæ* mox post Alexandrinas commemorantur: certo, ni fallor, indicio, easdem illas creditas fuisse atque Hadrianeas, adeoque in Ligorii codice *Thermas Hadriani* recensitas, suppressa mentione *Thermarum Agrippinæ*. Verum utcunque fuerit, nil id est auctoritatem fidemque Spartiani, qui summa diligentia res gestas Hadriani Imp. commemorans, nullum ejus opus ipsius inscriptum nomine refert: *Cum opera publica infinita fecisset, numquam ipse nisi in Trajani, patris templo nomen inscripsit*. Quæ mihi verba adeo clara & perspicua videntur, ut ne dubitandum quidem existimem, quin, quod paulo superius dixi, Hadrianus nullas suo nomine Thermas construxerit, verum per has *Hadriani Thermas* illæ indicentur, quas ipse vel instauravit, vel ampliavit, ut Titi factum Thermis a Trajano, & Neronianis ab Alexandro Severo major pars credit Antiquariorum. Quin & Marlianus & Nardinus in ea sunt sententia, Hadrianum *Thermas* etiam *Titi* vel restituisse, vel ornasse, quod in loco quodam, vicino *S. Martini in montibus*, cui ætate Fulvii nomen *Hadrianello* fuit, duæ illæ nobiles inventæ statuæ sint Antinoi, quæ nunc partem Vaticani, *Belvedere* dictam, exornant. Ego vero, ne omnino Victoris Rufique auctoritatem rejiciam, qui *Hadriani* illas non in regione III. collocant, sicut hasce *Titi*, sed in IX. malim eas *Agrippæ* videri ab Hadriano, uti supra vidimus, instauratas. Neque vero quemquam moveat, quod Spartianus loco supra indicato nullam hujus aquæductus faciat mentionem; quia illius restitutio illa balneorum Agrippæ ab ipso commemorata instauratione continetur, quorum hic aquæductus pars erat, opus non adeo longi tractus, quum præcipuus Aquæ Virginis ductus in proximo fuerit, tum nec tanti momenti vel sumtus, si cum ipsis Thermis comparetur; sic ut facile a Scriptore illo absque ulla indiligentiæ culpa negligi & silentio transiri potuerit; præsertim cum alio loco satis aperte ostenderit, aquæductus de integro ab Hadriano variis in locis institutos fuisse infinitos: *Aquarum etiam ductus infinitos hoc nomine nuncupavit*. Fornices sive arcus Aquæ Virginis secundum frontem terminabantur septorum, si qua Frontino fides est, qui lib. x. de Aquæduct. *Arcus Virginis*, ait, *initium habent sub hortis Lucullianis, finiuntur in Campo Martio secundum frontem septorum*. Septa vero olim erant, ubi nunc ferme Seminarium Romanum est, quemadmodum pluribus id nec invalidis argumentis Nardinus contra Donatum ceterosque probat Antiquarios, qui varia septis loca tribuerunt. Nam Fulvius ea & Blondus in *Area Columna* collocarunt; Marlianus aliique prope *fontem Trevium*. Inter cetera autem argumenta & hunc Frontini locum adducit, & illis Aquæductus reliquiis opinionem suam confirmatum it, quas Donatus secundum frontem Ædis *D. Ignatii*, quum fundamento collocando terra egereretur, detectas refert, minutatimque describit. Ex hujus amplitudine, quæ quatuor palmos latitudinis obtinebat, & septem altitudinis; tum & e columnarum striatarum ornamentis, capitulisque operis Corinthiaci, epistylio marmoreo, & loculis statuarum, nonnisi Aquæ Virginis esse ductum potuisse colligit, omnino Plinianam in eo operis ab Agrippa in Ædilitate facti descriptionem agnoscens. Hinc acceptus aquæductus minor, de quo agimus, rectaque ad aream Panthei hodiernam, prout vero simillimum videtur, pergens in Thermas Agrippæ descendebat, cujus fragmentum illud veteris muri vestigium est, quod in via *Ciambella* contra *Ciantorum* ædes visitur, vel potius breviore via ad easdem Thermas tendens ea illis parte miscebatur, quæ mea quidem opinione in grandibus illis fornicibus adhuc superest, qui hodieque retro Pantheon in horreo quodam lignario, vicinisque ædibus visuntur, eo plane situ, quo, si quid Fulvio credendum, memoria ejus fuerunt: *prægrandia*, inquit is, *vestigia Thermarum Agrippæ prope Pantheon, in fronte templi Minervæ*. Quæ verba, quamquam non adeo magni ponderis, tamen apta ad hanc, quam profero, tuendam sententiam visa sunt, quum nulli rudera illa alteri possim operi assignare, nisi Agrippæ Thermis, quas a *via Ciambella* usque ad prædictum processisse locum minime illis inverisimile videbitur, quibus veterum Thermarum laxitas non est ignota, aut illa vasta disjectarum Thermarum Caracallæ ac Diocletiani spatia visu umquam usurparunt. In hoc autem non possum non a Nardino dissentire, licet judicium ejus præ ceterorum omnium Antiquariorum judicio semper plurimi fecerim, faciamque. Hic enim arcus illos porticus Boni Eventus adsignat, Marcellinum Ammianum in eo testem sibi adjungens, qui Claudium Præf. urbis ingentem porticum construxisse scribit proxime Agrippæ Thermas, eamque ab vicina boni Eventus æde eodem nomine dedicasse. Quod ut credam vix induci possum; quia, cum porticus illius frons, quantum nunc colligere licet, secundum partem Panthei

Panthei posteriorem porrecta fuerit, atque ita eodem modo, atque æquali operis magnitudine versus *viam Ciambellam* pergere debuerit, eo quidem situ, quem ego intra Thermarum fuisse spatium existimo, exiguum sane Thermis spatium superfuisset, quæ procul dubio, licet minus amplæ istis aliis, nihilominus tantum loci, quantum dixi, occupare debuerunt, præsertim postquam ab Hadriano instauratæ sunt, quem vix id instauratoris decus adsciscere sibi voluit, nullo addito Thermis Agrippæ incremento. Quod autem spatium earum Thermarum circa rudera, quæ in *via Ciambella* visuntur, sensim restringatur, reliquæ sane, quæ retro Pantheum sunt, minime illis contiguæ dici poterunt, uti Ammianus voluit, qui, (& est hoc mihi ad conjecturam meam tuendam efficacissimum) si loco illo indicato porticum illam indicasset, cujus reliquias tam propinquas ipsi videmus Pantheo, non *lavacro Agrippinæ contiguam* dixisset, sed Pantheo, quod, ut ita loquar, attingit, quodque opus est infinitis partibus nobilius celebriusque Thermis Agrippæ; quæ post illas a Caracalla & Diocletiano constructas haud adeo conspicuæ fuerunt. Quapropter ego & templum & porticum Boni Eventus seu citra seu ultra duas illas vias sita fuisse existimem, quæ ab duobus Panthei angulis illa ad *Cæsarinos*, hæc ad *Existimatas* pergunt, ita ut recte *contigua Thermis* porticus illa dici potuerit: quam interea & structura, & materies in arcubus retro Pantheon, & in illis *viæ Ciambellæ* eadem, idemque progressus, unius ea duo operis membra fuisse arguant. Sed ut, unde digressi sumus, revertamur: si quis aquam Virginem non in tantam assurgere potuisse altitudinem objecerit, ut ad eam in Thermas Agrippæ super fornices ducere necesse fuerit, facile illi obviam iri poterit, omnisque difficultas tolli, soli veteris multo depressioris cum hoc hodierno instituta comparatione: quæ statim apparebit ex ipsis præcipui aquæductus arcubus ad frontispicium ecclesiæ S. Ignatii repertis, de quibus supra: qui tamen cum omni sua altitudine palmis aliquot solo hodierno humiliores depressioresque fuere. Quare murum illum, in quo lateres nostri inventi sunt, partem istorum arcuum memorati fuisse crediderim aquæductus. Neque vero mirum cuiquam videri debet, nullum hic canalis repertum vestigium, quem, quod aquam in eam, ad quam consurgere poterat, altitudinem deferre debebat, supra primum fuisse ordinem credibile est, qui jam sub solo occultatur hodierno, non secus ac alter ille, quem Donatus eandem aquam deferentem describit. Secundus autem hic arcuum seu fornicum ordo, quamquam alias non inutilis, inferiori forsitan adjectus fuit, qui ad conducendam aquam erat necessarius, quo majus aquæductui accederet ornamentum: & ne ad magnificentissimum illud & plenum majestatis Pantheon comparatus evilesceret. Et hunc ego ordinem ab Hadriano additum censeo, quum veterem Agrippæ ornare vellet aquæductum. Sed nec hoc mihi silentio prætereundum videtur, vidisse me, inter cetera rudera & fragmenta illius muri, candidi marmoris frustum sesquipalmum longum, crassum ferme dimidium, cui literis perelegantibus, & totam crassitiem occupantibus inscriptum: AGRIPA. Hoc autem tum neglectum, & frustra dein a me sæpius quæsitum, cum ceteris simul ablatum asportatumque fuit ruderibus. Quod si tamen nec sic satisfacio, lubens ego meliora docentibus cedam, & opinionem vero propiorem amplectar, dummodo quodnam aliud tam propinquum vicino ædificium esse potuerit, cui hic murus infervierit, nisi is, quem dixi, aquæductus. Nam vestigia ejus

A & tractum pervestiganti tam prope, qua ambitum templi pertransiit, accedere visus est, ut vix tres quatuorve palmos ab eo abfuerit.

Quod ad alterum inscriptionis circulum attinet, TERT. D. L. EX. F. CAN. OP. DOLI. I. hanc ego ita explico: *Tertullus Decii Libertus ex figulina Canonis operis doliaris prima*, vel, *operum doliarium prima*. Illud EX F. interpretandum *ex figulina* patet e Veterum consuetudine hac in operibus in eam sententiam nota utentium: quemadmodum e latere quadrato liquet, eruto e ruderibus ædiculæ, quæ in Castris Prætoriis olim fuit. Exstat hæc inscriptio apud Gruterum:

B

EX. ÆDICVLA. AVGVSTORVM
OP. DOL. EX. FIG. C. PANISEI.
HERMETIANI. ET. VRBICI.

Quamquam enim illic, ut in multis aliis, EX. FIG. & non EX. F. scriptum legitur, nil obstat: non enim novum illud in vetustis inscriptionibus. Sæpe enim C. pro Col. A. pro Æd. *ædilis*, S. pro SER. *servus*, notatum observatur, ut multa id genus alia. Sic & in alio apud eundem Gruterum

C latere legas:

EX FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

Ubi F. significat *figulina*. Item *opus doliare*, quod hic notatum OP. DOLI. in eadem illa inscriptione Gruteriana scriptum OP. DOL. plenius autem in alio, qui penes me est, legitur:

OPUS DOLIAR. L. BRUTIDI AUGUSTALIS.

Ut autem vox *Canonis* melius intelligatur, notan-

D dum & animadvertendum est, gentes omnes, ac populos Imperio Romano subditos vario tributorum genere dominium iis, quibus orbis terrarum, terminis circumscriptum agnoscere venerarique coactos. Sic Leptitani ex Mauretania tributum in oleo solvebant. Galli & Hispani in equis, Lucani in porcis, Calabri in bubus, & quod magis ad nos, Umbri, Anconitani, & Campani tria Romanis millia vecturarum calcis vivæ pendere coacti fuere: Tusci vero nongentas octoginta, ut est lib. III. Cod. Theod. tit. *de calcis coct.* Notatque Pancirollus ad Notitiam utriusque Imperii. Alias vox Canon apud Historiæ Augustæ Scriptores certam

E cujusvis rei denotat quantitatem, præsertim vero frumenti, sustentandæ in unum pluresve annos urbi sufficientem. Patet id ex Cod. Theodosiano tit. XV. *de Canone frumentario urbis*. Sic Spartianus in vita Severi: *Rei frumentariæ, quam minimam reliquerat, ita consuluit, ut excedens vita septem annorum canonem pop. Rom. relinqueret*. Item Lampridius in Elagabalo: *Jusserat & Canonem Pop. Rom. unius anni meretricibus, lenonibus, exoletis intramuranis dari, extramuranis alio promisso*. Nec non Vopiscus in Edicto Aureliani, quod in vita Firmici adfert: *Canon Ægypti, qui suspensus per latro-*

F *nem improbum fuerat, integer veniret, si vobis esset cum Senatu concordia, cum equestri Ordine amicitia, cum Prætorianis affectio*. At ab inferioris ævi Scriptoribus vocabulum illud de quovis tributo accipitur, quod populus olim Imperatoribus pendebat. Et hinc ego in linguam nostram vernaculam vocem *Canonis* defluxisse crediderim, quo vectigal annuum persolvitur soli dominis ab his, qui in alieno solo ædificant. Sic ea usus est Cassiodorus Theodorici Regis nomine Ampelio & Liveriæ scribens, ubi inter cetera recte admini-

ſtrandarum provinciarum, quibus præerant, monita & illud adjicit: *Tranſmarinorum igitur Canonem, ubi non pauca fraus fieri utilitatibus publicis intimatur, vos attente jubemus exquirere*. & poſtpaullo in eadem epiſtola; *Telonei quin etiam canonem nulla faciatis uſurpatione confundi*. A voce κανὼν derivatur κανονικὸν, quod Meurſius in Gloſſario Græco-barbaro *tributum ordinarium* interpretatur. Quæ interpretatio egregie confirmatur inſigni bullæ aureæ Iſaaci Comneni Imp. loco, quem Theodorus Balſamo in Comm. ad Photium tit. I. *de fide* adducit: ubi Imperator quantum Sacerdotum quiſque in ordinatione Epiſcoporum & Archiepiſcoporum ſolvere deberet, exponens, hæcce ſubnectit: *ὡσαύτως καὶ ὑπὲρ τῦ κανονικῦ ἀπὸ τῦ ἔχοντος χωρίυ λ΄. καπνες νόμισμα ἐν χρυσῦ· ὁμοίως ἀργυρᾶ δύο, κρίον ἕνα, καρπῶν μοδίυς ἕξ, οἴνυ μέτρα ἕξ, ἀλεύρυ μόδια ἕξ, καὶ ὀρνίθια λ΄.* id eſt; *ſic & pro tributo ordinario is, qui agrum triginta jugerum poſſederit, aureum nummum ſolvet, item duos argenteos, unum arietem; frugum ſex modios; ſex vini menſuras: totidem farinæ modios; & triginta gallinas*. Hinc *Canonici ſolidi* appellati, qui pro tributo pendebantur, ut Salmaſius in not. ad Hiſt. Aug. ex his Caſſiodori obſervat: *Superbia deinde conductorum Canonicos ſolidos non jure traditos, ſed ſub iniquo pondere imminentibus fuiſſe projectos*. Sed & *Canonicarii* illi dicebantur, qui tributum exigebant, ut ex ejuſdem Caſſiodori epiſtolis patet, & ex Authentica CXXVIII. Imper. Juſtiniani, ubi *Canonicarios* appellat tributorum fiſcalium exactores. His igitur duobus ita ſtabilitis confirmatiſque, gentes ſcilicet ac nationes populo Rom. varia contuliſſe pro tributo, levia & vilia quandoque dictu, ut calcem vivam, & ſimilia, tum & *Canonem* de tributo accipi, tempore ajo Hadriani populum, civitateſve fuiſſe, quæ quotannis Imperatori pro tributo, vel ad operum publicorum inſtaurationem certam coctorum laterum quantitatem conferre debuerint; has autem, commodi ſui gratia, Romæ plures figulinas habuiſſe, ubi tegulas lateresque coquerent in hunc uſum; eoſque lateres nomine artificum notarent, ut *ex figlina Canonis operis doliaris*: ut ex his colligendo huic tributo & operibus præfecti inita ratione colligere poſſent, num hi ſuum hujus illiuſve anni tributum contuliſſent, aut quantum ad illius adhuc deeſſet ſupplementum. Quod ut facilius in tanta figlinarum multitudine, & rei tam vilis ad explendum tributum copia, poſſent reſciſcere, injunctum ſingulis, ut & numerum officinarum adnotarent, ut, *ex Figulina* I. II. III. & ſic porro. Quare minime a vero alienum videtur in ſupra allata inſcriptione.

EX FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

numerum ſenarium, qui extremus, *figulinam ſextam* indicare. Quis autem ille populus, quæve civitas, civitateſve iſtæ fuerint, quibus id oneris impoſitum ſit, difficile exploratu eſt: verum ſi quis conjecturæ locus, ex Hetruria fuiſſe exiſtimem; ubi teſte Plinio prima omnium Italorum ex argilla vaſa fingi cœpta, quum hanc illuc artem Eucarus & Eugrammus Corintho intuliſſent, Demarati Corinthii in fuga comites. Atque ita perquam probabile eſt, uſum ejus artis in Hetruria frequentatum, adeoque tributum hoc alicui ex Hetruria civitati impoſitum. Id ipſum & Varro apud Plinium teſtatur, artem hanc in Italia, & præcipue in Hetruria ad ſummum perductum. Sed hæc, uti dixi, conjectura eſt; quam ego lubens politiſſimo tuo exquiſitiſſimoque judicio committo. Vides, quam aperte ſententiam meam, & quam libere cum de muro iſto, tum & de latere hoc, ejuſque inſcriptione expoſuerim. Quod ſi in eo verum aſſecutus non ſum, id certe obtinuiſſe me exiſtimo, ut ex hac tibi inſcripta Diſſertatione liqueat, quanti te faciam, & in eo cum omnibus eruditis, qui ingenium tuum admirari non ceſſant, conſentiam. Iis autem, quibus de re tam parvi momenti nimis multa dixiſſe videbor, tempuſque meum male collocaſſe, illud reponam, ſi, quod apud Ciceronem exſtat, *Neſcire, quid antequam naſcereris actum ſit, id vero eſt ſemper eſſe puerum*, vere ab eo dictum eſt, non modo majoris momenti rerum veterum indagationem, verum etiam minimarum, ab illorum nos hominum caterva ſecernere, qui nulla rerum ante ſe geſtarum cura contacti, ac ſi quotidie naſcerentur, contumelioſam *ſemper puerorum* appellationis notam tanto viro mereri viſi ſunt. Vale.

F I N I S.

ISAACI VOSSII
DE
ANTIQUA
URBIS ROMÆ
MAGNITUDINE.

INDEX
CAPITUM.

CAPUT I.

De Menſura mœniorum veteris Romæ.

CAPUT II.

De triginta ſeptem Urbis Romæ portis totidemque viis. De tribubus.

CAPUT III.

Qualia fuerint mœnia Romæ antequam a Sylla, vel potius ab Auguſto Cæſare ampliarentur.

CAPUT IV.

Occurritur quibuſdam argumentis quæ huic tantæ magnitudini adverſari videntur.

CAPUT V.

Quantus fuerit veteris Romæ cum ſuburbiis ambitus.

CAPUT VI.

Quando Roma fuerit maxima & hominum in Roma multitudo.

CAPUT VII.

Quomodo urbs & civitas & mœnia Romana paulatim decreverint.

ISAACI VOSSII

DE

ANTIQUA URBIS ROMÆ

MAGNITUDINE.

CAP. I

De Menſura mœniorum veteris Romæ.



SÆpius miratus ſum pleroſque eos, qui de Urbe ROMA & antiquis ejus ſcripſere mœnibus, adeo ea anguſto incluſiſſe ſpatio, ut illa nunquam undecim millium ambitum exceſſiſſe exiſtiment. Cum enim veteres iſti, qui ſuperſunt, muri hanc fere conficiant menſuram, & nuſquam hoc tempore alii compareant, rem factam ſe habere putant, ſi audacter affirment iſtam orbis quondam dominam non laxioribus unquam clauſam terminatamque fuiſſe mœnibus. Errorem ſuum vel exinde cognoſcere potuiſſent quod communi ſcriptorum conſenſu conſtet jam anno urbis conditæ CCXCI. murum hujus urbis parem aut etiam aliquanto ampliorem habitum fuiſſe Athenienſium aut Syracuſiorum mœnibus, quæ in ambitu CLXXX. vel etiam ducenta, ſi aliquos ſequamur, continebant ſtadia, quæ viginti quinque paſſuum conficiunt millia, vel ut minimum XXII. cum ſemiſſe. Nimis autem abſurdum fuerit exiſtimare, domita poſtmodum tota Italia, Græcia, Africa, Ægypto, Hiſpania & Gallia, toto denique uſque ad Eufratem ſubacto Oriente, & in infinitum propemodum poſt tot triumphos creſcente civitate, adeo nihilominus decreviſſe urbem, ut non niſi quartam partem ejus, quam prius obtinuiſſet, areæ ſuis circumſcriberet mœnibus. Quapropter non inutilem ſpero me præſtiturum operam, ſi quod omnibus urbibus & omnibus ubique contigit rebus publicis, idem quoque Romæ contigiſſe oſtendero, certiſque documentis palam fecero, urbem illam, florente populari regimine & libertate integra, non ad eam modo quam diximus, quamque ſuperſtites etiamnum teſtantur muri, verum ad vicies minimum majorem provectam fuiſſe amplitudinem: eandem vero, everſa libertate & oppreſſa primum a Sylla & deinceps a Pompejo & Cæſaribus republica, ita paulatim eſſe diminutam, donec tandem in eam, quam Juſtinianei, qui hoc tempore ſuperſunt, declarant muri, deficeret menſuram. Animus non eſt ea hic repetere quæ jam ſæpius ab aliis occupata fuere, nec exponere quibus initiis & progreſſibus urbs & civitas Romana ad tantam provecta ſit magnitudinem. Primum fuiſſe Syllam qui poſt Reges produxit pomœrium complures ſcribunt. Sed aliud pomœrium, aliud murum ampliare, ut poſtea dicemus. At vero jam diu antea muros urbis prolatos fuiſſe colligo ex Horatio, cum in Arte ſcribit tibias antiquis Romanis admodum fuiſſe ſimplices, minimeque ſpiſſa theatrorum ſedilia, ſed vero


Poſtquam cœpit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius feſtis impune diebus,
Acceſſit numeriſque modiſque licentia major.

Cum enim ex Livio lib. VII. conſtet primos ludio-
C nes ex Hetruria accitos fuiſſe anno Urbis CCCXC. clarum ſatis ſit de quo tempore hæc Horatii verba intelligenda ſint, ut dubitandum minime ſit, quin ſæpius eodem manente pomœrio, urbe tamen & civitate creſcente, creverit etiam murorum ambitus. Ab Auguſto vero aucta fuiſſe conſtat mœnia. Quænam autem & quanta fuerit hæc ampliatio, licet antiqui non prodiderint ſcriptores, ex eo tamen quod murus prior ad centum & octoginta protenderetur ſtadia, & quod aperta eſſet pars urbis ad Campum Martium, ſatis veriſimiliter poteſt confici. Antiqua nempe mœnia a decimo viæ Oſtienſis milliari lapide uſque ad Anienem flu-
D vium excurrebant. Quod vero ab Aniene uſque ad Tiberim interjacet ſpatium, id ſupplevit Auguſtus. Nondum iſte exſtabat murus cum ſuam Dionyſius Halicarnaſſenſis ederet hiſtoriam; is quippe veteris tantum mentionem fecit muri, qui non excedebat viginti quinque paſſ. millia, ut paulo ante monuimus. Sed vero cum Auguſtus poſt illud tempus, quo iſta ſcribebat Dionyſius, totis XXIV. imperarit annis, manifeſtum eſt, eo demum tempore aucta ab illo fuiſſe mœnia. Ut vero ſciamus tempore Auguſti hoc quod diximus augmentum acceſſiſſe mœnibus Romanis, adſcribam ver-
E ba Plinii, idque eo lubentius, quod illa non intellecta multis viris doctis & antiquitatum Romanarum ſtudioſis multorum fuerint cauſa errorum, dum ea vel temere corrigunt, vel ineptis interpretamentis in abſurdos conantur abducere ſenſus. Sic itaque ille lib. III. cap. V. *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Cenſoribuſque Veſpaſianis anno conditæ* DCCCXXVIII. *paſſ.* XXX. M. *Complexa montes ſeptem ipſa dividitur in regiones quatuordecim. Compita earum* CCLXV. *Ejuſdem ſpatii menſura currente a milliario in capite Romani fori conſtituto ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero triginta ſeptem, ita ut duodecim portæ ſemel numerentur, præ-*
F *tereanturque ex veteribus ſeptem quæ eſſe deſierunt; efficit paſſuum per directum* XXX. M. DCCLXV. *Ad extrema vero tectorum cum caſtris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paulo amplius ſeptuaginta mil. paſſuum.* Hæc eſt conſtans fere veterum librorum ſcriptura, niſi quod & in vulgatis, & in longe pluribus manu exaratis codicibus in primo commate non XXX. M. ſed vero XIII. millia & CC. inſuper exhibeantur paſſus. Hujus autem varietatis, qualis & in multis quoque aliis oc-

currit locis, non aliunde petenda est causa, quam quod tempore Theodosii & postea non defuerint complures qui Plinii exemplaria depravarunt, & nulla scriptoris habita ratione, suorum temporum mensuras pro mensuris substituerunt veteribus. Verum id esse satis colligas e scripto de mensura orbis terræ, quod anno xv. regni sui fieri curavit Imperator Theodosius, quodque in multorum passim occurrit Bibliothecis; quia tamen nondum quod sciam editum, non pigebit ipsa adscribere verba.

Post congregatam Epistolam de quæstionibus decem artis Grammaticæ, cogitavit ut liber de mensura provinciarum orbis terræ sequeretur, secundum illorum auctoritatem, quos sacratiss. Theodosius Imperator ad provincias prædictas mensurandas miserat. Et juxta Plinii Secundi præclaram auctoritatem ipsarum dimensionem volo supplens ostendere. Sed duabus causis contra temporum rationem scripturam missorum Theodosii verbis Plinii Secundi ordine scribendi propono, eo quod illi in duodenis novissimis versibus diligentius antiquis fecisse se affirmant, & quod exemplaria codicum naturalis historiæ Plinii Secundi, quæ scrutatus sui nimis a scriptoribus ultimorum temporum dissipata prævidi. Sermones quidem prædictorum missorum quia minus vitiose scripti sunt quantum potuero corrigere curabo. At ubi in libris Plin. Secundi corrupte absque dubio numeros fieri cognovero, loca eorum vacua interim fore faciam, ut si non invenero certa exemplaria, quicunque repererit emendet. Nam ubi dubitavero num certi necne sint numeri, sicut certos caraxabo, ut prædictus quisque veros viderit, veraciter corrigat. Nulli stuporem præbere debet quando numerus millium inter Plinium Secundum ac missos Imperatoris dissentit, quoniam illi, sicut prædixi, quod intentius vere hoc opus perfecerunt quam veteres testantur.

Non est itaque obscura ratio quamobrem in multis Plinii exmplaribus extrita veteri mensura alius substitutus sit numerus continens mensuram murorum quos fecit Justinianus, quique hodie etiamnum magna ex parte supersunt. Quod si quis dubitet, illum vel ipse redarguet Plinius, cum statim postea modum explicat, quo inita fuerit hæc mensura. Cum enim ut Dionysius Halicarnassensis scribit, difficile admodum fuerit mœniorum ambientium Romam colligere mensuram, quod propter ædificia intus & extus cingentia non ubique pateret aditus ad murum, rationem explicat qua mœniorum haberi potuerit longitudo. Dicit itaque suo tempore portas Romæ fuisse triginta septem, æqualibus intervallis distantes a lapide milliario in media urbe constituto. Hinc patet mœnia illa, quæ describit hoc loco Plinius, in semicirculum fuisse disposita, & eandem prorsus habuisse figuram, quam Fabius Pictor antiquæ tribuit civitati seu agro Romano, cum eum arcus formam, cujus chorda esset Tiberis, reddidisse testatur. Si exactus iste fuisset semicirculus, facilis fuisset dimensio. Dato enim intervallo a milliario ad portas, id est, data semidiametro, datur quoque semircirculus. Sed propter obliquitatem Tiberis non constabat quantam partem circuli absumerent mœnia. Rectam vero diametrum invenire & hoc quoque difficile, cum in Transtiberina regione eadem quæ in ipsa Roma occurreret difficultas, quod omnia ædificiis essent occupata. Eadem ratio obstabat, quominus & portarum intervalla cognoscerentur. Quamvis illæ ut æquali a milliario aureo distabant mensura, ita quoque paribus a se invicem distarent intervallis, quo tamen exactior fiat calculus & minor committatur error, dicit tutissimum fuisse ut duodecim portæ semel simulque numerentur per directum, neglectis & præteritis septem antiquis portis milliario viciniori-bus, & hac ratione mensores Vespasianorum collegisse longitudinem muri xxx. M. & pass. DCCLXV. quem paullo ante triginta millium passuum rotundiore dixerat numero. Sit itaque milliarium aureum, quod in capite fori Romani prope Tiberim positum, A. Ipse BC. Mœnia Romæ qualia sub Augusto & Vespasiano erant BDEG. In hoc muro notentur XXXVII. portæ, quæ conficiunt XXXVI. intervalla. Si in exactum semicirculum disposita fuissent mœnia, haberemus tria æqualia & æquilatera triangula, qualia sex integer continet circulus, facilisque omnino fuisset dimensio. Verum quia, ut diximus, non constabat quantam circuli partem mœnia absolverent, dicit duodecim portas, id est, duodecim portarum intervalla, simul numerata fuisse mensura currente per vicos rectiores, quod eo facilius fieri poterat, quod Augustus & Nero vicos, qui antea enormes erant, direxerant. Quamvis vero ea dimensio alibi quoque fieri potuerit, ponamus tamen eam institutam fuisse a C versus E per vicos CFE. Cum vero omnes portæ æqualibus a milliario, id est, a centro urbis, abessent intervallis, clarum est data recta CFE, dari quoque perpendicularem AF & residuum ejus FG & similiter arcum seu curvaturam muri CGE, quæ cum tertiam longitudinis muri contineret partem, oportet ut fuerit passuum decem millium & insuper CCLV. cum toties muri teste Plinio longitudo fuerit triginta millium & DCCLXV. passuum. Ex hoc porro Plinii loco certo & manifeste cognoscitur mœniorum Romæ amplitudo. Sed & hoc quoque cognoscitur a me-



dio urbis, ſive a milliario conſtituto in capite fori, ad ſingulas portas invervallum fuiſſe decem millium paſſuum, ita ut tota diameter paſſuum fuerit viginti millium. Hinc quoque patet mœnia Romana ambitu ſuo non totum impleſſe & abſolviſſe ſemicirculum. Si enim diametrus fuerit viginti millium, neceſſum eſt ſecundum rationes Geometricas, ut dimidius circulus contineat triginta & unum millia & inſuper paſſus 428$\frac{4}{7}$. Deſunt ergo paſſus 663$\frac{4}{7}$. Tantillo nempe ſpatio mœnia Romana ſemicirculo minora fuere. Jam vero ſi ſcire velimus utrum hæc Veſpaſiani juſſu facta dimenſio recte inſtituta ſit, optime id noſtro cognoſcere poſſimus ſeculo. Quippe cum nulla ædificia & nullæ excelſæ moles facultatem metiendi impediant, & notus ſit ſitus fori Romani, in cujus capite prope Tiberim collocatum erat milliarium; auſim promittere futurum ut ſi quis a foro Romano veluti centro deſcribat ſemicirculum ad ripas Tiberis decem utrimque diſtantes paſſuum millibus, ambitum illum aliquanto minorem inveniat ſemicirculo, ita ut ad cognoſcendam Plinianæ menſuræ veritatem vel ſolum hoc ſufficiat argumentum.

CAP. II.

De triginta ſeptem Urbis Romæ portis totidemque viis. De tribubus.

CUm in antiquiore Roma nulla portarum in tractu Tranſtiberino apud ſcriptores occurrat mentio, ſiquidem & nullus præter Sublicium erat pons, qui tamen & ipſe belli tempore diſſolvebatur; minime dubitandum quin triginta ſeptem iſtæ portæ, quas memorat Plinius, omnes in eo, quem hactenus deſcripſimus, fuerint muro, &, niſi fallor, manifeſte id ipſum Plinii indicant verba. Cum ille muro tribuat longitudinem triginta millium & præterea paſſuum DCCLXV. & ex eo quod addit, ſufficere ut duodecim portæ ſemel numerentur, ſatis manifeſte conficitur æqualia fuiſſe portarum intervalla, ita ut inter ſingulas portas ſpatium intercesſerit paſſuum DCCCLIV $\frac{\text{VII}}{\text{XII}}$ Quæ ſane juſta & legitima eſt menſura. Stultum vero fuerit in ambitu undecim vel tredecim millium tantam portarum multitudinem fingere. Portas quoque triginta ſeptem Romæ fuiſſe affirmat P. Victor ad finem ſcripti de regionibus urbis. Sed cum Valentiniani tempore compilator iſte vixerit, non potuit ſic ſcripſiſſe aut ſenſiſſe, itaque libenter ab aliquo e Plinio additum exiſtimo. Porro ſi quis numerum portarum, quæ in antiquis marmoribus & apud Feſtum & alios memorantur, ſimul componat, inveniet verum eſſe quod ſcribit Plinius. Sed & ex viarum numero idem deprehendi poteſt. Si quis enim vel earum ſolum, quarum apud antiquos ſcriptores ſupereſt memoria, ſubducat numerum, plures quam triginta inveniet, neglectis etiam iis, quas in Tranſtiberina conſtat fuiſſe regione.

Sed & ex tribuum numero facile aliquis colligat quanta olim fuerit Roma, ſi urbanas cum illis componamus tribubus, quæ in agris, id eſt in ſuburbiis, habitarent. Sub Regibus & poſtea quamdiu Romana ſtetit Reſpublica, nunquam plures quam quatuor tribus fuere urbanæ, quæ Romæ, quatenus ſeptem continetur montibus, fixum haberent domicilium. At vero in agro ſuburbano primo quidem XVI. dein XXI. mox XXVI. deinceps XXXV. tandem etiam poſt bellum Marſicum quadraginta quinque numeratæ fuere tribus. Tot & etiam plures fuiſſe, licet ex antiquis ſatis colligere poſſimus monumentis, propter antiqui tamen numeri religionem, non plures quam triginta quinque dicebantur. Quamdiu vero hic numerus ſubſtitit, uſque ad tempora Sullana, omnes iſtas tribus Romæ habitaſſe certis confici poteſt teſtimoniis; neque obeſt quod eaſdem per totam Italiam diſperſas poſtmodum fuiſſe conſtet. Sub Regibus nempe quando ager Romanus nuſquam ultra decimum octavum a foro Romano extendebatur lapidem, iſte nihilominus ſufficiebat ager alendis tam ruſticis quam urbanis tribubus. Aucta deinceps Republica Romana, cum ex victis aut dedititiis Italiæ populis innumeri civitate donarentur, creſceretque non numerus tantum, ſed & amplitudo & frequentia tribuum, nec alendæ tantæ multitudini Romanus ſufficeret ager; neceſſum fuit ut victarum gentium agri aut toti, aut ex parte, victoribus cederent. Suadente itaque utilitate diviſi inter victores fuere agri, victique ad augendam civitatem Romanam per tribus fuere diſperſi, miſſis Roma novis colonis, qui & agrorum curam haberent, & ſimul *illos*, qui in provinciis remanſiſſent, (ſi quid forſan rerum novarum molirentur) comprimerent. Hac ratione factum eſt ut tribus, quæ antea Romæ erant, diviſæ fuerint, & partim Romæ agitarent, partim vero per provincias diſpergerentur. Quamvis autem in provinciis plurimum verſarentur, præcipui tamen etiam Romæ ſuos habebant lares, ad quos comitiorum tempore revertebantur. Hæc cum multis ſcriptorum teſtimoniis vera eſſe cognoſcamus, non eſt ut dubitemus, quin Romæ omnes quas diximus tribus præcipuam ſuam habuerint ſedem, & cum in provinciis, coloniis & municipiis, tribuum nomina & ſtationes fuiſſe dicuntur, id ea qua monuimus ratione eſſe accipiendum.

CAP. III.

Qualia fuerint mœnia Romæ, antequam a Sylla, vel potius ab Auguſto Cæſare ampliarentur.

UT hæc quæ deſcripſimus, ita quoque antiquiora mœnia non totam ambiiſſe urbem, ſed a parte Hetruriæ Tiberim loco muri fuiſſe habitum, præter multos alios non uno in loco teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis. Idem lib. VIII. anno urbis conditæ CCXCI. ſcribit iſthoc tempore muros urbis Romæ non fuiſſe majores mœnibus Athenienſium. Conſtat vero illa fuiſſe ſtadiorum CLXXX. aut circiter. Ad itineris diurni longitudinem porrecta fuiſſe teſtatur Ariſtides in Panathenaica. Iter vero unius diei licet non eadem ſemper accipiatur ratione, quippe ſi per multos dies continuandum ſit iter, σταθμοὶ ſeu manſiones viginti ut plurimum paſſuum abſolvuntur millibus, ſed ſi unius diei iter ſeorſim ſpectes, multo patet latius. Itaque Strabo itineri diurno ſtadia adſignat ducenta & quinquaginta & aliquando etiam plura quam trecenta. Procopius cum decem & ducentis id componit ſtadiis. Sed vero Græci antiquiores, ut Herodotus in Melpomene, & Dicæarchus, & complures alii itineri diurno terreſtri ducenta tribuunt ſtadia, quæ viginti quinque paſſuum conficiunt millia. Qui Syracuſarum mœnibus æqualem faciunt ambitum Athenarum, conſentiunt, quippe & illis CLXXX. ſtadiorum tribuitur ambitus. Habemus itaque antiqui muri Romani longitudinem porrectam ad millia XXII. & paſſus quingentos, aut etiam millia XXIV. ſi ſta-

dia septem cum semisse cum singulis componamus passuum millibus. Sed & hoc quoque paret muros a Sulla & postea ab Augusto ampliatos sex millibus & passibus DCCLXV. aut si alterum sequamur calculum octo millibus & passibus CCLXV. productiores fuisse istis antiquis.

Unde incœperit & ubi desierit antiquus iste murus, multis dictu admodum videtur difficile. Cum ne eorum quidem mœniorum, quæ construxit Augustus, quæque describit Plinius, ullæ hac tempestate supersint reliquiæ; nemini mirum videri debet, si prisci istius muri nulla hoc tempore compareant vestigia, præsertim cum sua quoque ætate illa inventu difficilia fuisse testetur prædictus Halicarnassensis. Parum hic juvant scriptores antiqui, e quorum silentio satis manifestum veteres Romanos stante libertate & durante Republica non magnam murorum gessisse curam, confisos potius virtute & multitudine civium. Crebra quidem prolati pomœrii occurrit mentio, sed nihil hoc ad muros, cum constet non tantum post Reges exactos, sed jam quoque antea, crescente civitate crevisse quoque mœnia extra pomœrium, quod septem montium ambitu etiam cum amplissimum esset terminabatur.

Sed vero omnis dubitatio & difficultas cessabit, si Dionysium Halicarnasseum & Plinium sequamur, & veteris istius muri initium promoveamus ad decimum viæ Ostiensis lapidem, unde demum ad CLXXX. stadia procurrebat ad Anienem, æquali semper intervallo a milliario distans aureo. Non ulterius procedebat murus tempore Reip. exstructus. Spatium enim quod Anienem & Tiberim interjacet sine mœnibus fuisse tempore Hannibalis & postea, constat ex historia. Alterum vero confirmat Pompejus Festus: *Puilia saxa esse ad portam*

A *quæ sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor. Quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, via Ostiensi, ad lapidem undecimum.* Neque enim proba videtur lectio vulgata. Verum multo magis ipsum hoc confirmat intervallum, si enim murum hunc ab initio undecimi lapidis, sive a Ficana, ut habet Festus, persequaris usque ad Anienem, habebis stadia CLXXX. seu tot quot diximus pass. millia. Quod si isti longitudini adjicias id quod Augustus huic muro addidit, producendo eum ab Aniene iterum ad Tiberim, invenies reliqua quæ supersunt octo passuum millia. Supra enim Fidenas & Crustumerium excurrebant mœnia Augustea. At vero prius aperta erat via ad Campum Martium, nulB loque præcingebatur muro. Proposuerat quidem Cæsar obstruere hunc hiatum, sed Augustus demum perfecit. Clarum hinc fit quanto spatio mœnia urbis ampliare voluerit Nero Cæsar, cum in animo habuit ea Hostiam usque producere. Cum enim ad Ficanam murus iste jam antiquitus fuerit promotus, facile colligere possimus illum non magnam admodum rem præstiturum fuisse, si quod voluit perfecisset, & veteres muros Ostiam usque continuasset. Verum si ea tantum parte, non autem circumcirca murus fuisset ampliatus, conveC nientem non habuisset circinationem, ut mirum non sit prætermissum fuisse opus. Sed neque hoc mirum cuiquam debet videri, quod jam sub Regibus & mox postea tanta fuerit Urbis & mœniorum incrementa Ostiam versus, parum tamen crescente urbe ab ea parte qua Anio fluit. Non tantum propter utilitatem ex vicinia maris, ut plerunque fieri solet, sed & ratione situs id contigisse, quia nempe planior & ædificationi aptior sit ista agri Romani portio, docent nos Festi schedæ: *Posticum Palatii dicta est ea regio urbis quam Romu-*



lus obversam posuit, ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus & qua mollissime adibatur urbs: cum Etruscorum agrum a Romano Tiberis discluderet, cæteræ vicinæ civitates colles aliquot haberent oppositos. Perperam vulgo legitur *Pectuscum Palatii*, & alieno prorsus uti multa alia insertum loco. Ab aruspicibus nempe inditum nomen, qui cum cardinem vocarent eam lineam quæ decumanum ad angulos secaret rectos, posticam dixere istam cardinis partem, quæ a centro designationis meridiem spectaret. Posticum itaque Palatii seu postica linea ea erat, quæ a foro Romano Ostiam versus tendit.

CAP. IV.

Occurritur quibusdam argumentis quæ huic tantæ magnitudini adversari videntur.

POmœrium vel ipso attestante vocabulo extra muros & solis Palatini montis radicibus terminatum primitus fuisse uno consensu fatentur plerique. Prolatum deinceps fuisse a Regibus & præcipue Servio Tullio & hoc quoque constat. Ampliatis ab illo & ab aliis postmodum mœnibus, pomœrium jam non tantum extra sed etiam intra muros fuisse & hoc quoque plerique testantur scriptores. Ex iisdem quoque clarum pomœrii terminos nunquam excessisse septem colles: siquidem constat ne Aventinum quidem usque ad tempora Claudii Cæsaris intra pomœrium fuisse. Religione prohibitos ne produceretur pomœrium scribit Dionysius Halicarnassensis. Nempe vetabant augures, pontifices & reliqui sacerdotes, quorum intererat ut multa ædificiis vacua in media urbe & Palatino vicina relinquerentur loca, apta captandis auguriis, lustrandis agris & circumeundis muris, exhibendis ludis & spectaculis, ædificandis circis, unde non modicum redundabat emolumentum. Dicitur quidem Sulla protulisse pomœrium, ideoque auxisse pontificum & augurum collegium; sed tamen jus antiqui pomœrii mansisse vel ex eo colligas, quod ne Aventinus quidem collis ejus ætate intra pomœrium fuerit receptus, & quod exteriores muri quos descripsimus ita ædificiis fuerint obruti, ut nullum omnino ibi pomœrium fuisse videatur. Hinc satis ut puto clare conficias, pontificum & augurum, quorum in potestate erat terminos ponere, prævaluisse autoritatem, idque obtinuisse, ut Roma non mœniorum laxitate, sed pomœrii finibus terminaretur, & ut quidquid extra pomœrium & septem esset colles suburbiis accenseretur. Si sic statuamus, cessabunt omnes fere controversiæ, quæ complures doctos & antiquitatis studiosos hactenus exercuerunt viros, cum vix quidquam in veterum occurrat scriptorum libris, quod non facile hac ratione intelligas.

Quando itaque urbem septem circumscribi & contineri collibus scribunt veteres, hoc de pomœrio, id est, præcipua ejus intelligendum est parte: utpote quæ palatium & atria comprehenderet nobilium. Ut vero ait Ovidius Jovis describens regiam ad exemplum civitatis Romanæ, *Plebs habitat diversa locis*, ita quoque quidquid extra pomœrium esset, extra urbem esse credebatur, nulla habita mœniorum ratione quæ inconspicua erant & ipsis ædificiis depressiora. Inde est quod Aristides in *Orat. de laudibus Romæ*, ne digna quidem ea existimaverit quorum faceret mentionem, & neget Romam alia habiisse mœnia, quam Euphratem & Phasin & cæteros Romani imperii terminos. A populo & plebe Romana & insuper ab infinita gentium multitudine habitabatur quidquid esset extra pomœrium. Ibi vivebant omnes orbis Romani populi vicatim divisi, ut idem habet Aristides, ibi totæ nationes simul & confertim habitabant, ut Cappadocum, Scytharum, Ponticorum, & aliarum complures, ut apud Galenum loquitur Polemo. In Transtiberino suburbio agebant Judæi & Ægyptii. Alibi Catti, Germani, Daci & Britanni, denique longe maxima urbis pars erant exteri, ut testatur Seneca, & *mundi fæce repleta*, ut Lucanus. Innumeræ quoque erant ibi nobilium villæ, quæ tamen licet intra mœnia essent, suburbana nihilominus dicebantur.

Ampliandum tamen hoc in loco judicium, ut rem totam conficiamus. Nam si hic subsistamus, quid sentiemus de Plinio, qui cum omnium quotquot fuere urbium longe maximam faciat Romam, utpote cui tribuat ambitum majorem LXX. pass. millibus, terminari tamen eam ab Oriente affirmat aggere Tarquinii Superbi sito inter portam Collinam & Esquilinam, ideoque vix duobus pass. millibus distantem a media Roma? Quid item dicemus de Dionysio Halicarnasseo, cum scribit post Reges non ampliatum fuisse pomœrium, religione non permittente, cum tamen idem anno Urbis CCXCI. mœnia Romæ æquasse aut etiam superasse affirmet muros Athenarum aut Syracusarum? Adeone sui existimemus oblitos fuisse utrosque scriptores, ut nescirent quid scriberent? Vulgus tamen antiquariorum sic censet. Sed nos scimus errare eos quam plurimum, cum antiquæ urbis mensuram ex hodiernis conantur colligere reliquiis, & aggerem Tarquinii, quem hoc in loco memorat Plinius, tam vicinum aureo fuisse contendunt milliario, ut non nisi duobus ab eo passuum abfuerit millibus, cum decem minimum abfuisse ex ipso possit confici Plinio. Quærat aliquis, an ergo Tarquinii tempore tanta jam fuerit Roma, ut agger iste adeoque ipsæ urbis portæ & muri civitatis totis decem pass. millibus a medio remoti esse potuerint foro? Quamvis ex eo quem adduximus Dionysii loco haud obscure cognoscamus non defuisse olim inter Romanos qui sic crederent, & præsertim inter sacerdotes & augures, quorum intererat rebus & operibus suis religionis ergo majorem quam par sit adscribere vetustatem; licet etiam necesse sit jam tum quoque magnam admodum fuisse Romam, utpote in qua centum & triginta civium numerarentur millia; vix tamen mihi persuaserim aggerem istum Tarquinii, quando primum fuit exstructus, pluribus quam quatuor millibus a primo remotum fuisse milliario. Sed quomodo inde ad decimum migravit lapidem? Respondeat pro me Livius, qui de pomœrio agens lib. I. sic scribit: *In urbis incremento, semper quantum mœnia processura erant, tantum termini consecrati proferebantur.* Cum vero agger iste Tarquinii medius esset Collinam inter & Esquilinam portas, necessum quoque fuit, ut prolatis mœnibus & portis urbis simul quoque medius produceretur agger seu murus. Dixeris hac ratione non eundem fore aggerem. Quidni? præsertim si ex iisdem reædificatus fuerit lapidibus; ut plerunque fieri solet. Licet vero id non sit, nihil tamen obest, cum ex augurum & pontificum arbitrio nomina imponerentur, & solenne omnibus semper seculis & locis fuerit, ut si quando portæ & mœnia promoventur & ampliantur, antiqua ut plurimum serventur nomina. Si exempla petas, & illa quoque accipe. Lucum Camœnarum & antrum Egeriæ, quod Numa solebat frequentare, quamvis verus eorum hoc tempore ignoretur situs, illud tamen constat haud longe extra por-

tam fuisse Capenam, quæ tunc admodum mediæ urbi erat vicina. Crescente deinceps sub Consulibus civitate & promotis ad decimum lapidem mœnibus & portis urbis, simul quoque migravit fons & antrum Egeriæ & Camœnarum silva ad decimum quintum lapidem. Ariciam quippe omnia hæc fuere translata ad nemus Dianæ, quod quam latissime patebat, adeo ut finitimum esset mœnibus & extremis Romæ suburbiis. Manium Egerium primum e Romanis sacerdotibus tractum hunc nemorensem Dianæ consecrasse constat e Festo. Sed vero Cato Originum II. vocat hunc Bæbium Egerium. Verba ejus hæc sunt apud Priscianum lib. IV. *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Bæbius Tusculanus dedicavit dictator Latinus*. Pari ratione cum multa alia veteris pomœrii loca, tum quoque lacus Juturnæ & clivus Virbii una cum urbis mœnibus fuere prolata. Clivus Virbii erat prius ad quartum lapidem vicinus Esquiliis vico Patritio & aggeri antiquo, quæ præcipue loca a tenuioris conditionis hominibus aut etiam a mendicis tenebantur. Iste Virbii clivus & ipse quoque ad colles migravit Aricinos, & factus est statio mendicorum, Judaicorum præcipue. Judæis quippe sacerdotes luci nemorensis totum locarant Aricinum saltum, unde Juvenalis & ipsam quoque silvam ejectis Camœnis dicit mendicare. Notanda vero ad hunc Juvenalis locum verba veteris Scholiastæ: *In via Appia ad portam Capenam, id est ad Camœnas. Madidam ideo, quia supra eam aquæductus est, quem nunc appellant Arcum stillantem. Primum enim usque ibidem fuerunt portæ, quæ porta Capena vocabatur*. Nempe eo, quo iste interpres scribebat, tempore porta Capena ad illum redierat locum, quo sub primis fuerat Regibus, quoque nunc fere visitur. At vero tempore Juvenalis dicit portam istam vicinam fuisse Ariciæ & luco Camœnarum ad decimum ab urbe remotam lapidem, ut ostendimus, quemadmodum & cæteræ urbis portæ, quæ postmodum diminuta Roma esse desierunt, ita ut sex vel septem in unam coaluerint. Quin & amplius addo, crescente perpetuo pomœrio & mœniorum amplitudine & ipsos quoque crevisse montes & quam latissime finium suorum protulisse terminos. Semper quidem augures & sacrorum antistites voluerunt ut universa Roma septem contineretur montibus; sed redundante civium & incolarum copia, cum pauci isti colles tantam non caperent multitudinem, primo quidem exædificata fuit tota ea planities, quæ ultra Aventinum Ostiam versus jacet. Mox deinceps agri, qui longius a flumine absunt & crebris assurgunt collibus, & illi quoque inhabitari cœperunt, & urbi accesserunt. Mansit nihilominus antiquæ religionis mos, ut Roma non nisi a septem comprehendi diceretur montibus: singulis quippe montibus augures & sacerdotes complures adjecere colles, qui velut appendices iisdem accederent; ita ut uno eodemque omnes censerentur nomine. Esquilino itaque monti addiderunt Cispium & Oppium montes, qui utrique complures continebant colles. Idem Cœlio, Quirinali & aliis contigit montibus, ut facile aliquis ex sacris Argeorum colligat libris, quorum fragmenta servavit nobis Varro quarto de L. L. libro. Frustra sunt qui in illis, quæ hoc tempore supersunt, mœnibus tot montium capita seu juga invenire conantur, aut ex Rufi & Victoris de regionibus urbis libellis priscam satagunt explicare magnitudinem, cum illorum ætate ne vicesima quidem antiquæ urbis pars superfuerit. Vel solæ Esquiliæ majores erant, quam sit totum illud, quod hodiernis includitur muris, spatium. Illud quippe ne totos quidem septem amplectitur colles, cum major horum extra muros exulet portio. Si neglectis amfractibus & laciniis muri ambitum persequaris, ne integra quidem decem passuum conficies millia: imo ne septem quidem, si omittas eam partem, quæ est ad Tiberim, ubi nullus olim murus. Tiberis quippe erat loco muri, ut Dionysius Halicarnassensis & alii passim testantur. Tantillo tamen spatio complures totam quanta olim fuit includunt Romam, ita ut necesse sit illam nusquam fuisse, cum domus Neronis totam istam occuparet aream. Instant tamen nonnulli & quia nulla alia murorum hoc tempore supersunt vestigia præter ea quæ Bellisarius exstruxisse dicitur, ideo etiam Romam laxioribus unquam inclusam fuisse negant mœnibus. Verum an ideo Capitolium non fuit, quia nullæ nostra ætate comparent reliquiæ? Antiqua mœnia, qualia sub primis fuere Regibus, una cum septem portis Plinii & Vespasiani seculo esse jam desierant. Quæ postea fabricata fuere vix erant conspicua tempore Dionysii Halicarnassensis. Aureliani murus non supererat ætate Justiniani. Si antiquiora, quæ decem, ut ostendimus, a milliario aureo aberant pass. millibus, scrutari & inquirere velimus mœnia, aperienda est tellus ad sexaginta vel plurium pedum profunditatem, & sic demum fieri poterit ut & illa & alia muris editiora ædificia in conspectum veniant. Et nos quoque olim ad quadraginta fere pedes tellurem vidimus subrutam summaque ibique columnarum vix emergentia conspeximus capita, ut vel hinc aliquis cognoscat, quam frustra illi sint qui antiquam Romam in hodiernæ urbis quærunt superficie. Longo tempore non ædificia tantum, sed & integræ subsidunt urbes, nec quidquam profuere insanæ operum substructiones ut non altius & profundius illa rerum domina terras subierit, quam olim supra fundamenta exstiterit. Non quidem negaverim superesse etiamnum vetusta quædam monumenta supra terram multum eminentia, cujusmodi sunt pyramides in Ægypto, murus Sinensium, & in ipsa Roma Amphitheatrum, Pantheum, columnæ Trajani & Adriani, & alia nonnulla; verum id soli minus cedentis & saxei factum est beneficio & simul quod ipsa olim fundamenta multum supra terram exstarent; nam sane omnium harum molium culmina multo altiora fuisse quam vulgo existimant, certis colligi potest documentis. Septizonii, quod Severi esse creditur, ne quarta quidem altitudinis superest portio. Venientibus ex Africa in ipso mari culmen ejus olim conspiciebatur. Septem quippe adsurgebat zonis totidemque columnarum ordinibus invicem sibi superstructis, collium Romæ & simul totidem planetarum præ se ferens imaginem. Ut vero credam etiam pyramidas depressiores esse quam olim fuerint, facit mensura hodierna, quæ non respondet altitudini ad latitudini antiquæ. De muro Sinico seu potius Serico licet certi nihil habeam, fieri tamen potest, ut & ille quoque instauratus fuerit sicubi subsideret. Ut ut sit, in vanum laborant, qui antiquæ Babylonis aut Nini scrutantur reliquias, vix enim aliter fieri potest ut non urbes istæ ducentis aut pluribus infra telluris superficiem depressæ sint pedibus utpote in molli & riguo exstructæ solo. Quotidiana quin etiam docent experimenta quælibet communia quoque ædificia, in quibuslibet fere locis, habita tamen ratione soli & ponderis prementis, seculi spatio minimum uno, aliquando etiam duobus aut tribus pedibus præsertim in molli solo subsidere, & quidem quanto altiora solidiorisque fuerint operis, tanto profundius deprimi. Tiberim vero fuisse terminum Romæ,

opus non eſt ut moneamus, cum in eo plerique conveniant antiqui ſcriptores. Quod vero dicunt, niſi Tranſtiberina regio accenſeatur Urbi, jam verum non eſſe ut forum Romanum & milliarium aureum fuerit in media Roma & umbilico urbis, in eo omnino fugit illos ratio. Oſtendimus mœnia Romana in ſemicirculi formam cinxiſſe urbem: atqui omnes in eo conſentiunt Geometræ, idem eſſe ſemicirculi centrum, quod circuli: cum centrum non tantum dicatur id punctum, quod in medio circuli ſeu figuræ, ſed & quod in ipſo figuræ occurrat ambitu, uti in ſemicirculo; aut etiam quod ſit extra figuram, ſi minor ſemicirculo fuerit ſectio. Quod vero exiſtimant caſtra prætoria, quorum in ſupra memoratis Plinius meminit verbis, olim in eodem fuiſſe loco ubi nunc viſuntur, id manifeſte vel ex ipſo Plinio falſum eſſe evincitur, cum illa longe extra mœnia in fine collocat ſuburbiorum. Conſtat plura fuiſſe caſtra prætoria, pluribuſque in locis diſperſa, quamvis non ignorem Tiberium Cæſarem prætorianos in una conduxiſſe caſtra. Sero demum ſub iis qui poſtea regnarunt Imperatoribus una cum mœnibus migraſſe ad illum in quo hoc oſtenduntur tempore, clarum fiet ex iis quæ poſtea dicentur.

CAP. V.

Quantus fuerit veteris Romæ cum ſuburbiis ambitus.

POſtquam mœniorum Romæ amplitudinem expoſuit Plinius, addit quoque menſuram quam totius civitatis computatis quoque ſuburbiis colligat ambitus, neglecta tamen ut ante Tranſtiberina regione, utpote quæ Romæ non accenſebatur. Patet id exinde quod menſuram ineundam eſſe dicat ab eodem milliario, & quidem per vicos, id eſt per directum, nulla habita obliquitatis Tiberis ratione, quippe ſic multo major emergat menſura. Planum eſt itaque ex iis quæ diximus, ſi longitudini mœniorum addas quoque iſtud ſpatium quod Tiberis alluit, id eſt millia paſſuum viginti, habituros non ambitum totius urbis millium quinquaginta & præterea paſſuum DCCLXV. Immenſa licet hæc videatur magnitudo, non tamen ſibi conſtabit Plinius, cum hoc ipſo in loco ſcribat, *nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari*. Ipſe quippe Babylonem ſexaginta millia paſſuum in ambitu habuiſſe affirmat. Itaque ſecundum hanc menſuram area Babylonis exceſſiſſet aream urbis Romanæ tertia ſui parte. Ut itaque Babylonis magnitudinem ſuperet Roma, dicit addenda eſſe ſuburbia & extrema urbis tecta. Conſtat vero illa non tantum uſque ad Oſtiam, verum etiam uſque ad mare excurriſſe. In altera vero parte, quæ a mari eſt remotiſſima, ad Nomentum fere producebantur ædificia. In ſpatio intermedio pene ad Tibur, & in via Appia ad Ariciam fere extendebantur ſuburbia. Egreſſis quippe Roma, prima occurrebat Aricia, & qui illic erant, jam non amplius verſabantur Romæ, ut docet Arrianus ad Epictetum. At vero Bovillæ ſitæ ad undecimum lapidem, ut habet vetus interpres Perſii, ſuburbium erat Romæ & contiguum mœnibus, quæ decimo, ut oſtendimus, terminabantur lapide. Itaque apud Suetonium corpus Auguſti a Nola Campaniæ Bovillas uſque portant decuriones. A Bovillis vero equeſter ordo ſuſcipit urbique infert. Si itaque ſtatuamus ſolis quatuor paſſuum millibus extra mœnia excurriſſe ſuburbia, & ponamus calculum, inveniemus eorum ambitum quadraginta quatuor paſſuum millium. Cui menſuræ ſi addamus ſpatium quod ab Oſtia ad Nomentum pene protendebatur, id eſt millia viginti octo, habebimus univerſum Romæ veteris ambitum millium LXXII. unde manifeſtum ſit recte ſe habere menſuram Plinianam, cum ſupra LXX. huic adſignat paſſuum millia.

Si quis ita componat veteris Romæ aream additis ſuburbanis cum area antiquæ Babylonis, quam quadratam fuiſſe conſtat, inveniet Romam tribus undecimis partibus majorem fuiſſe Babylone. Sed Plinius ſuburbana Babylonis, veluti ignota, neglexit. In tanta tamen urbis vaſtitate nulla hic habetur ratio totius Tranſtiberinæ regionis, quæ extra urbem cenſebatur. Domus quippe Neronis ab ea parte, qua fluebat Tiberis, cingebat & terminabat totam Romam. Ipſe itaque Plinius l. XXXIII. cap. III. poſtquam de Theatro Pompeii eſſet locutus, addit: *Et quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis urbem?* & iterum lib. XXXVI. cap. XV. *Bis vidimus urbem totam cingi domibus principum Caii & Neronis, & hujus quidem, ne quid deeſſet, aurea.* Noti ſunt verſiculi:

Roma domus fiet. Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat iſta domus.

In latitudinem domus hæc producebatur uſque ad Eſquilias. Plures porticus triplices milliarias, id eſt ſingulas mille paſſuum continebat. Cætera vide apud Suetonium. Facile inde conficias, nullam, ne in tota quidem Europa, eſſe tam amplam civitatem, quam fuerit domus iſta Neronis.

Multum vero amplitudini Romæ accedet ſi & Tranſtiberinum quoque huic ſubjungamus tractum. Non ille longum tantum Janiculi comprehendebat jugum & vicinos huic colles, ſed, ſi nonnullis credendum, Ocriculum uſque, ad intervallum nempe XXXVI. mill. paſſ. in via Flaminia Romana excurrebant ædificia. Verum cum nullum idoneum ſatis hujus rei hactenus invenerim teſtem, aliis hoc libenter inveſtigandum relinquam. Interim habitatiſſimam fuiſſe hanc viam nemo prudens negaverit, cum conſtet triumphantes hac urbem ingredi ſolitos, unde & triumphalis dicta, & totam Romam in hac videndam ſe obtuliſſe, ut canit Martialis. Nec ſane poſt Appiam viarum reginam ullam aliam Flaminia illuſtriorem fuiſſe viam, immenſa rudera & perpetui viarum ſatis oſtendunt aggeres; præſertim ſi quis terram ſubruat.

Omnibus tamen his merito quis objiciat, cum conſtet Auguſtum urbem in quatuordecim diviſiſſe regiones, & totidem quoque agnoſcat Plinius, fieri non poſſe ut Tiberis fuerit Romæ terminus, cum decima quarta regio a pleriſque trans Tiberim ſtatuatur. Verum ego audacter vel ex ſola hac Plinii deſcriptione auſim affirmare nullam Auguſti vel Plinii ætate XIV. urbis regionum fuiſſe trans Tiberim. Quod ſi quis alium quoque petat teſtem, audiat Tacitum Annal. XV. ubi agit de incendio Neronis: *Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus dejectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta.* Si enim ætate Neronis XIV. urbis regio non fuit cis Tiberim, putidum ſane fuiſſet monere eam intactam ab igne perſtitiſſe.

In marmore Capitolino, quo recenſentur vici quinque Urbis regionum, reliquarum enim regionum deſcriptiones in eo non comparent, memoratur etiam regio urbis decima quarta, ſed non additur eam fuiſſe Tranſtiberinam. Occurrit in hoc lapide vicus Janucleníis, quod omnino accipiendum videtur de vico XIV. regionis Ciſtiberinæ, a qua per pontem Janucleníem via patebat ad Janiculum. Onufrius Panvinius omnes vicos qui in hoc marmore recenſentur tranſtulit in ſcriptum P. Victoris de regionibus urbis, invitis, ut puto, antiquis libris, in quibus nulla vicorum comparent nomina. Qua quidem in re miror ejus imprudentiam, quod nulla cæterarum urbis regionum habita ratione quinque tantum regionum vicos in-

& plurium contignationum fuiſſe domos, quam noſtra fieri ſoleant ætate. Quo autem pares tanto ferendo oneri, ex cæſis parietes ſtruebantur lapidibus. Lateritii enim operis parietes in urbe fieri lex vetabat, ut lib. II. c. VIII. docet Vitruvius, hanc etiam addens cauſam: *In ea autem majeſtate urbis & civium infinita frequentia, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cum recipere non poſſet area plana tantam multitudinem in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipſa coegit devenire. Itaque pilis lapideis, ſtructuris teſtaceis, parietibus cæmentitiis altitudines exſtructæ contignationibus crebris coaxatæ, & cœnaculorum ſummas utilitates perficiunt & deſpectationes. Ergo menianis & contignationibus variis alto ſpatio multiplicatis, populus Romanus egregias habet ſine impeditione habitationes.* Iſtam tamen ſublimitatem coercuit Auguſtus & poſtea Nero, modum ædificiorum ſtatuentes LXX. pedum altitudinem.

Jam vero, ſi quis non plebis & vulgi ſequatur judicium, ſed conſulat cordatos & qui de rebus bene judicant, inveniet eos fere in eo conſpirare, ut exiſtiment numerum incolarum in utriſque urbibus, Pariſiorum nempe & Londinenſi, non excedere ſexties centena hominum millia. Quod ſi quis non contentus hoc numero plures exiſtimet, frequentiorem quoque efficiet Romam. Poſito itaque hoc calculo habebis centies & quadragies centena hominum millia, ſive ut vulgo loquuntur quatuordecim milliones, quantam multitudinem ne tria quidem ampliſſima orbis Chriſtiani poſſint conferre regna, ut ex iis quæ poſtmodum dicentur fiet manifeſtum.

CAP. VII.

Quomodo urbs & civitas & mœnia Romana paulatim decreverint.

DIſperſa ut diximus per totum imperium civitate Rom. non eſt ut quiſquam miretur ipſam paulatim periiſſe Romam; verum ut ſub Regibus & Monarchis omnia ad ſpeciem creſcunt & ampla magis & magnifica videntur, ita quoque ſub Auguſto major viſa eſt Roma, aucto in infinitum pene civium, inquilinorum, & hominum ab exteris gentibus advenientium numero, introductis prætorianis & cætera domus Cæſareæ pompa, inſtauratis in auguſtiorem modum templis & ædificiis publicis, ampliatis denique civitatis mœnibus. Plus etiamnum ornatus ab illis qui ſubſecuti ſunt acceſſit Cæſaribus, ſiquidem conſtat ex incendio Neronis pulchriorem prodiiſſe Romam. Omnia tamen hæc ornamenta vix quidquam aliud præſtitere, niſi ut citius periret Roma. Recte itaque ſcriptor ille, qui ſub Trajano floruit, ſenectam Romæ inchoat ab Auguſto, optimo alias principe, ſi triumviratus auferas annos.

Quod autem putant plerique ſub Aureliano Cæſare majorem fuiſſe Romam quam unquam alias, id tantum abeſt ut verum ſit, ut ne dimidiam quidem antiquæ magnitudinis partem Aureliani tempeſtate ſuperfuiſſe exiſtimem, & ne quartam aut ſextam forſan incolarum partem. Laxis quidem ille & firmis muris Romam cinxiſſe dicitur, ſed nimium laxando & ampliando mœnia ſæpe perire civitates, crebris ſatis conſtat experimentis. Vopiſcus L. fere paſſuum millia in circuitu habuiſſe ſcribit, quæ tamen non ipſum, ſed Probum perfeciſſe affirmat Zozimus. Idem addit mœnibus antea caruiſſe Romam: quod licet de Transtiberina accipi poſſit regione, quæ mœnibus carebat, utpote deficientibus jamdudum antiquis iſtis ſtructis ab Anco Martio, malo tamen de tota accipi Roma, idque eo libentius quod jam tempore Dionyſii Halicar. mœnia Romæ fuerint admodum obſervatu difficilia. Inde eſt quod Ariſtides, ut diximus, credidit Romam carere mœnibus. Sic quoque Cairum Ægyptiam & multas alias urbes mœnibus carere putant complures, quod illa lateant urbanis undique obruta ædificiis. Si Aureliani tempore extiterunt, qualiacunque demum illa fuerint quæ Plinii ætate etiamnum ſupererant mœnia, & murus ductus fuit ab ea parte qua fluit Tiberis, jam habemus L. paſſ. millia, & plura ſi obliquitatem Tiberis perſequamur. Sed vero muri iſti antiqui non ſupererant, ut puto, tempore Aureliani abſorpti proculdubio ab aliis ædificiis urbanis. Conſtat præterea hoc regnante tractum Transtiberinum Urbi fuiſſe accenſum. Quod ſi ſit, oportet ampliores quinquaginta paſſuum millibus fuerint iſti muri, omnino itaque alia & prorſus nova, ſed anguſtiora, exiſtimo ea fuiſſe mœnia, quæ inſtituit Aurelianus & perfecit Probus. Ponamus quadraginta octo aut novem fuiſſe paſſ. millium. Attamen de hac quoque menſura tria cum dimidio auferenda ſunt paſſ. millia, illo ſiquidem tempore decima ſexta ſui parte decreverant millia paſſuum, ut non niſi XL. quinque ut plurimum relinquantur millia. Hanc veram mœniorum Aureliani exiſtimo fuiſſe menſuram, quam ſi quis cum antiquiore conferat Roma, non niſi dimidium priſtinæ laxitatis inveniet, & minus etiamnum, ſi mœnia iſthæc fuerint lacinioſa, & non ad normam directa.

Poſt abſolutos a Probo Imperatore muros uſque ad conditam CPolin. interceſſere anni plus minus quinquaginta. Breve quidem hoc ſpacium, ſed ſi afflictiſſimam Romani populi ſpectes conditionem, vix ulla infeliciora invenias tempora. Nihil tamen æque perdidit Romam, quam CPolis. Si vis ſcire quantum ea damni intulerit, ſpectes magnitudinem ejus, quæ utique e ruinis veteris ſuſcitata fuit urbis, ut non immerito dixeris, non a Barbaris, ſed prius a Conſtantino everſam fuiſſe Romam. Quantum autem poſtmodum decreverit Roma, id demum patuit octoginta annis poſt conditam CPolin. quando nempe urbe a Gothis capta menſus eſt ejus mœnia Ammon Geometra & reperit ea in ambitu habuiſſe millia paſſ. XXI. uti teſtatur Olympiodorus apud Photium. Hujus menſuræ ſi colligas aream, & componas cum capacitate murorum Aureliani, invenies ne quintam quidem laxitatis continuiſſe partem.

Denique everſis ſæpe & demum ſub Juſtiniano reparatis a Belliſario urbis muris, rediere tandem ad eam menſuram qua ſub primis quoque fuere Regibus, vix ſolum cingentes pomœrium, & ne undecim quidem paſſuum millia ambitu ſuo abſolventes. Ipſam vero hodiernam ſi ſpectes Romam, illa fere tota Campo ſubſidet Martio, & ne ducenteſimam quidem urbis antiquæ continet partem, ut mirer non defuiſſe complures noſtro hoc ſeculo doctos viros, qui eam cum antiqua auſi fuerint comparare Roma.

De mœniorum & urbis Romanæ magnitudine hæc dicta ſufficiant, unde quis facile conficiat, recte ſe habere locum Plinii, minimeque audiendos eſſe iſtos, qui eum quid ſcriberet neſciiſſe exiſtimant. Merito hoc convitio notaſſent Plinium, ſi quemadmodum ipſi volunt ſcripſiſſet, & ad amplificandam ſupra omnes alias quæ unquam fuere urbes Romæ magnitudinem mœnia ejus deſcripſiſſet & tredecim tantum iis adſignaſſet millia. Non effugit multorum ineptam reprehenſionem Lipſius, quod XXII. paſſuum millium longitudinem mœnibus Romæ adſcripſerit, ac ſi nimia ea fuiſſet menſura. Sed profecto ne ſic quidem culpa vacaſſet Plinius, quem utique latere non potuit exceſſiſſe hanc menſuram Carthaginis, Antiochiæ, Seleuciæ, aliarumque urbium & præcipue Babylonis muros, quos ipſe in ambitu LX. millia paſſuum habuiſſe ſcribit.

FINIS.

OLAI BORRICHII
DE
ANTIQUA
URBIS ROMÆ
FACIE
DISSERTATIO COMPENDIARIA.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.
Urbis Romæ laus, situs & magnitudo.
CAPUT II.
De Urbis populique Romani divisione, & septem Urbis montibus.
CAPUT III.
De prima Urbis regione, quæ regio Porta Capena dicta.
CAPUT IV.
De secunda Urbis regione, quæ regio Cœlimontana appellatur.
CAPUT V.
De tertia Urbis regione.
CAPUT VI.
De quarta Urbis regione.
CAPUT VII.
De quinta Urbis regione.
CAPUT VIII.
De sexta Urbis regione.
CAPUT IX.
De septima Urbis regione.
CAPUT X.
De octava Urbis regione.
CAPUT XI.
De nona Urbis regione.
CAPUT XII.
De Urbis regione decima.
CAPUT XIII.
De undecima Urbis regione.
CAPUT XIV.
De Urbis regione duodecima.
CAPUT XV.
De Urbis regione decima tertia.
CAPUT XVI.
De regione Urbis decima quarta.
CAPUT XVII.
De flumine Tiberino, Romanis pontibus, aquæductibus, cloacis, viis.

SE-

S E R I I S

ANTIQUITATUM ROMANARUM

Candidatis gaudere, & rem bene gerere.



Taliam Italiam, non unus clamat Achates,

in ea ut præ cæteris eminet Urbs Urbium Roma, ita venientibus eo plerumque accidit idem, quod pratum æstivum intrantibus, in quo dum bos gramen quærit, simul quærit ciconia serpentem, nidum avicula. Scilicet alii eo se referunt, ut splendorem Aulæ Ecclesiæque Pontificiæ considerent, alii ut nuncupata impleant vota, ut numismata antiqua, bibliothecas, marmora, pyramides intueantur, nonnulli ut illustrium Artificum imitentur manus, non pauci etiam ut vestigia prisca tot Heroum antiquorum, tot Martyribus cruentatam olim harenam oculis coram usurpent. Neque nova ejusmodi cupido: quippe & Trojanos olim, recedentibus obsessoribus, juvabat ire & Dorica castra, desertosque videre locos. *Vox erumpentium:*

Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles,
Classibus hic locus, hic acies pugnare solebant.

Sed ea voluptas modica: major ex contemplatione locorum affulget lux universæ Gentis Romanæ historiæ, quæ neque clare satis intelligi, nec perspicue explicari potest, nisi accersito hinc luculento testimonio. Quot loca in Tullio, Livio, Suetonio, aliis, desperata relinquerentur, nisi succurreret interpretibus topographia? Id unum me movit, ut ex tot egregiis scriptoribus, qui de Romana Urbe commentati sunt, accedente fide oculata, seligerem hunc veluti fasciculum, & curiosorum usui libens meritoque consecrarem. Constat utique, nihil unquam par habuisse Romanæ magnificentiæ ulla per orbem terrarum imperia, nihil secundum; jacet antiqua illa ad Tigridis confinia Babylon, cineribus suis immutescit Persepolis, squalet Pella, una duntaxat Roma altior continue mansit ruderibus ruinisque suis, & more phœnicis ex proprio se cinere reseminavit, viva hodieque, & florens, non in tot modo illustribus scriptis, sed & in ipsa, cui insedit olim, insidetque, gleba, quam qui attente inspicit, non potest non infinita pene observare illustrandis Romanorum rebus, scriptis, gestis deservientia; non potest non clarissime refellere commenta quorundam male nata, & in iis, quæ sive de amplitudine domus aureæ Neronis, sive de immenso, quem illustris Vossius fabricatur, murorum Romanorum quondam ambitu circumferuntur. Ut præteream, in solis Romanæ Urbis hortis plus etiamnum conservari elegantiarum antiquarum, quæ Criticos, Philologos, Poetas instruant emendentque, quam in reliquis omnibus per Europam universam Emporiis. Sed ne multa; patet hic semita, per quam (ceu speraverim) proficere licet etiam illis, qui Urbem nondum intrarunt; illis autem præcipue, qui intrabunt, & vestigiis hic signatis pressius insistent. Hafniæ Februar. 17. *Anni* 1687.

OLAUS BORRICHIUS.

OLAI BORRICHII
DE
ANTIQUA URBIS ROMÆ
FACIE
DISSERTATIO COMPENDIARIA.

CAP. I.

Urbis Romæ laus, ſitus & magnitudo.



Eretur Urbs Roma, orbis quondam, & plurimarum hodieque nationum cultiorum ſacra Domina, non perfunctorie ab iis expendi, qui vel inter gentes politiores nomen Eruditorum jure ambiunt, vel ſeculorum hiſtoriam ſolide laborant intelligere, vel denique Romam ipſam aliquando cum cura ſpectare. Cæterum, licet poſt calamitates varias a Brenno, Alarico, Genſerico, Totila, Carolo Borbonio illatas, non ingloria reſurrexerit, in ſcriptis tamen Antiquorum, in numiſmatis, marmoribus literatis, ruderibuſque ſuis majeſtatem veterem evidentius tuetur: adeo ut, ſi quis in ipſa Urbe priſcam Urbis faciem contemplari deſideret, vocandi ſint in ſubſidium Antiquarii mortui, *Fulvius*, *Boiſſardus*, *Blondus*, *Panvinius*, *Fabricius*, *Lipſius*, *Roſinus*, *Dempſterus*, *Pyrrhus Ligorius*, *Marlianus*, *Alexander Donatus*, *Famianus Nardinus*, alii. His accedant Inſcriptionum veterum & numiſmatum libri; atque ex Auctoribus priſcis *Plinius* ſenior, *Plutarchus*, *Dion*. E *Halicarnaſſeus*, immo ſcriptorum Romanorum fere omne genus. Plenius tamen & acuratius nemo iſta ſacra attigit *Donato*, & *Nardino*: in quibus ut tempore poſterior, ita inquirendi ſedulitate prior *Nardinus* palmam cæteris eripit; quem tamen cum immatura mors ante ultimam manum operi additam interceperit, nonnulla, ut fit, fefellerunt, quod ex ſollicita (cum in illa Urbe Urbium anno MDCLXVI. quo tempore in lucem prodiit *Nardini* ſcriptum, verſarer) contemplatione videor mihi obſervaſſe. In reliquis induſtria *Nardini* ſatis laudari nequit. Nos certiora, quantum in illa caligine permiſſum eſt, delibabimus, non ad omnes vicos, aquas, locorum varietates diffuſi, ſed illuſtriora tantum attingentes, ex quibus lux clarior hiſtoriæ rebuſque Romanis poſſit affulgere.

2. In Latio ergo, ad Tiberim fluvium, Urbem hanc initio condidit, non Romulus, (utcunque receptiorem illam ſententiam eſſe conſtat) ſed jam aliquot ante eum ſeculis Saturnus, Saturniamque appellavit: diu poſt colonia Græca Arcadica ab Evandro illuc deducta firmamentum novum addidit, & ad genium linguæ ſuæ Romam appellavit; quam jam ante Latini incolæ Valentiam nuncupa-
C re cœperant. Sunt qui & Pallanteum tum vocatam exiſtiment, imitatione Arcadici oppidi Pallantii. Hæc fuſius *Fabius Pictor*, *Plutarchus*, *Plinius*, *Solinus* & *Halicarnaſſeus*. Nobis hinc ſuffecerit iſta *Halicarnaſſei* adduxiſſe: *unde colligitur*, inquit, *Romam bis conditam fuiſſe, ſemel quidem paullo poſt bellum Trojanum, iterum vero decima quinta ætate poſt priorem Urbem conditam. Quod ſi quis longius ſpectare, & remotiora tempora expendere velit, & tertia quidem Roma bis antiquior reperietur, condita priuſquam Æneas & Trojani in Italiam advenirent*. Ita primus Urbem hanc condiderit non diu a diluvio Saturnus; (quem Noachum fuiſſe &
D tranſiiſſe in Italiam ſpecioſis argumentis contendit *Edmundus Dicbinſon*) ſecundus, Evandrus Arcas circa tempora belli Trojani; tertius, Romulus, qui ab Evandro decimus quintus Urbis dominus, eandem ſive injuria temporum flammarumque, ſive frequentioribus Tiberis inundationibus rurſus collapſam marcentemque ad priſtinam ſpeciem excitavit, immo illuſtriorem reddidit tum murorum, tum Martiæ gentis firmitate, unde idem quoque conditor appellatur. Quo modo non difficulter inter ſe conciliantur illa Poetarum: *Virgil.* Æneid. VIII.

> *Hanc Janus Pater*, (de Janiculo) *hanc Saturnus condidit Urbem*:

(de Palatino monte loquitur.) *Idem* Æneid VIII.

> *Tum Rex Evandrus, Romanæ conditor arcis.*

Manilius lib. V.

> *Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Urbem.*

Incidit autem hæc Romuli ædificatio in annum ſeptingenteſimum quinquageſimum tertium ante natum Salvatorem Chriſtum, ex calculo *Dionyſii Petavii*.

3. Sed & hæc ipſa Romuli Urbs, utcunque
F ſpecioſa videri potuerit, minuta fuit, montis Palatini radicibus laxius terminata, & ne totis quidem quatuor hominum millibus initio frequens. Quadratam fecit Romulus, ſive ad τετρακτὺν Pythagoræ reſpiciens; ſive, quod credibilius, ſitu loci invitante: nam vel adhuc Palatinum ad quadrum magis accedere, quam figuram aliam, oculi fidem faciunt. Qui circularem Urbem Romuli crediderunt, loco *Plutarchi* male expenſo in errorem abrepti ſunt: quid quod *Plutarchus* ipſe alibi diſerte quadratam decernat, & clariſſime *Ennius* & *Halicarnaſſeus*. Nec ſulcus deſignandi operis a Romu-

lo, secundum *Tacitum*, descriptus, nisi quadratus esse potuit. Ut taceam, circularem ibi murum, ob nimiam hinc Aventini, hinc Capitolini viciniam, salvis munitionum legibus collocari nequiisse.

4. Capitolinus mons non a Romulo, sed a Tito Tatio Urbi adjectus est, notante *Tacito;* quicquid etiam in contrarium afferat *Marlianus*. Mons Quirinalis, Viminalis, & Esquilinus a Servio Tullio additi putantur; ab Hostilio (si *Livio* credimus) Cœlius, qui Albanis permissus incolis: ab Anco Martio Aventinus, & pars Janiculi. Janiculum autem ideo una inclusum, ne cacumina ejus, si ab hoste occuparentur, Urbi humiliori machinarentur stragem. Non inficiandum tamen, discrepare quandoque Auctores inter sese, dum certo laborant definire, quisnam Regum montem quemlibet Urbi incluserit: diversitas sententiarum ex eo nata, quod, Urbe in singulos tantum non annos nova capiente incrementa, novus subinde mons ab hoc Rege suburbii duntaxat nomen meruerit, ab ejusdem successore Urbi prolatatis finibus fuerit adjunctus, sive, ut *Solini* lingua utar, incorporatus. Muro autem spectatissimo ex saxis nativis quadratis surgente Urbem munire aggressus est Tarquinius Priscus; dilatavit absolvitque Servius Tullius: a quo ad usque Aurelianum Imperatorem ægre invenies ampliata Urbis mœnia; utcunque hic refragentur *Panvinius*, *Marlianus*, *Rosinus*, aliique, eo decepti, quod existimaverint quamvis pomœrii dilatationem murorum quoque dilatationem flagitare. Probe *Halicarnasseus*, (quem Augusti Tiberiique principatu Roma vidit, totis XXII. annis historiæ Romanæ concinnandæ incumbentem) *Hic ultimus Regum*, inquit, (de Servio Tullio loquens) *Urbis circuitum protulit, facta duorum quoque collium adjectione. Ulterius postea non transiit murus, vetantibus, ut ajunt, religionibus.*

5. Quis ergo & quantus erat Urbis circuitus a Servio ad Valerianum? longe minor, & angustior hodierno; neque enim ille Servii murus vel collem Hortulorum, vel Campum Martium, vel grandem illam circa montem testaceum planitiem, vel Cestii sepulcrum, vel Tiberinam insulam, vel agri Transtiberini tantum, quantum hodie, vel Burgum Vaticanum, sive civitatem Leoninam incluserat, quæ omnia jam illo ambitu inclusa cernimus, nec extra muros hodiernos fere porrigebatur usquam. Aureliani autem murus eidem pene glebæ, cui hodiernus, incumbebat: nisi quod & castrum Prætorium, & amphitheatri castrensis extimam partem, hodie exclusa includeret, & Burgum Vaticanum excluderet hodie inclusum. Castrum autem Prætorium extra portam Capenam perperam collocant nonnulli; recte *Panvinius* extra portam Nomentanam ponit, quæ hodie ad portam Piam conspicitur, cujus castri ibi hodieque cernuntur vestigia. Erat autem tantum septicollis antiqua Roma, hodierna quodammodo decem collium est: quippe collem hortulorum (quem hodie Montem Pincium, & *Trinita de Monti* appellant) Cœliolum, & Janiculi magnam partem una ambitu suo complectitur, ut de testaceo monte, sive doliolo, etiam hodie intra mœnia spectato, & satis grandi, non nativo quidem illo, sed ex testulis figulorum surgente, nihil hic adjiciam. *Verbo*, Servii murus ad X. circiter milliaria Italica in ambitum protendebatur, (quicquid de XXIII. milliaribus contendat *Lipsius*) Aureliani & hodiernus ad milliaria XIV. Nec quenquam terreat illud *Vopisci*: *Aurelianus*, inquit, *muros Urbis Romæ sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ambitus ejus teneant*. Sed ampullatur more suo *Vopiscus*, nisi mendum subsit, & pro *quinquaginta* substituenda *quindecim*. Neque enim ulla hodie vestiga ruderum tam prodigiosi muri usquam in campis Latii apparent, cum etiamnum Servii murus variis locis evidentibus se se ostendat monimentis. Quin ex fabrica & vetustate multarum portarum adhuc durantium facile colligimus murum Aureliani vix hodierno quidem fuisse ampliorem. Id fatemur, suburbia Romæ oppido longe processisse, monente *Halicarnasseo*; neque tamen ita prodigiose, ut jactant ex Antiquariis nonnulli, qui sine fide Auctorum veterum asseverant suburbia illa hinc Ocriculos, illinc Tibur, istinc Ostia & mare attigisse. Nam id vel hoc *Martialis* refellit lib. VII.

Quicquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Thusci tibi, Tusculique mittunt,
In tota mihi nascitur Subura.

Ubi clare docet *Martialis* ne suburbia quidem ad tertium ab Urbe lapidem exporrecta fuisse; nam rus appellat, ubi situm erat marmor tertium, id est, ut notum, ubi columna milliaria tertia erigebatur; tertia nimirum ab aureo milliario, quod in foro Romano stabat ad ædem Saturni. Quod si nunc ratio ineatur, a milliario aureo, hoc est a prima columna marmorea capite inaurato excubante in foro Romano, ad marmor secundum, quod parum ultra muros urbanos provectum fuisse amplitudo Urbis satis declarat, mille passus numerantur: ab hoc secundo ad tertium, iterum mille, quo loco rus fuisse *Martialis* declarat, & non suburbium. Unde evidenter conficitur suburbium ista parte Urbis vix ultra mille & ducentos passus potuisse ab urbanis mœnibus recedere.

6. A tempore Aureliani mœnia quidem a Barbaris hinc inde diruta sæpe leguntur, & jam ab Honorio, Theodorico, Narsete, Pontificibus Romanis resarta, sed ampliata fuisse a seculo Aureliani nequaquam; nisi quod Pontifices Rom. posteriores quiddam adjecerint. A Belisario refecta quoque legimus, contracta autem, aut ampliata non item; cernas adhuc murum quandoque vel ad XX. passus ex saxis quadratis surgentem, sed quæ præ vetustate tophis jam arenaceis similiora in pulverem se manu fortiter premente redigi patiuntur, & ex Servii ævo durare se adhuc tacite significant. Cernas alibi capitella murorum ex nitido marmore elaborata, ævi posterioris sed floridi argumentum. Reliquiæ secula infelicia produnt, e latere cocto perfunctorie hinc inde consarcinato excitatæ.

7. De muris Romanis loquenti portarum, quæ ad Aurelianum usque nobiliores fuere, oblivisci non conveniet. Ducatur ergo exordium a porta Flumentana, quæ Capitolium inter & Tiberim statuta, vicinior tamen Tiberi, exundantis alvei Tiberini injurias non raro patiebatur, tradente *Livio*. Huic proxima Carmentalis, sita inter theatrum Marcelli, quod hodieque perseverat, & Capitolium; hæc clausa mansit, & scelerata nuncupata est, ex quo, a dextro ejus Jano, notante *Livio*, profecti trecenti Fabii ad Cremeram ceciderant. Dum dextrum Janum dicimus, intuemur consuetudinem veterem Romanorum, quibus aliæ portæ simplices erant, aliæ duplices, seu bipatentes, qualis hæc Carmentalis fuisse traditur. Ex portis ejusmodi geminis antiquis sola hodie restat *porta major* jam dicta, (quæ olim Labicana) & post Aureliani dilatationem *porta* D. Paulli, quæ Ostiensis quondam vocata. Fuit & talis antiqua

porta Portuensis, quam Urbanus VIII. dejecit anno MDCXLIII. Portæ Carmentali proxima erat *Catularia*, sub radicibus montis Quirinalis sita, in summo fastigio patebat *porta salutaris*. Ei vicina erat *Collina*; (quæ promotis ab Aureliano muris & ipsa ulterius promota, nomenque *salariæ* inditum) sequitur *Nomentana* sive *figularis*, quæ hodie clausa non procul a *porta Pia* conspicitur. Nomentanam excipit *Viminalis*, qua exibatur ad castrum Prætorium, quod in extremo collis Viminalis extra muros Servii erat situm. Ab ea non procul distabat *Gabiusa* & *Collatina*, hodie clausæ; prope est *Tiburtina*, quæ hodie *porta S. Laurentii* nuncupatur; a qua non procul aberat *Esquilina* quæ alii non serviebat propemodum usui, quam educendis ad supplicia sontibus; ac proinde tanquam supervacanea obstructa fuit. Sicut & hodie obstructa cernitur ei proxima, quam *portam inter Aggeres* nominabant. Inde aperit se *porta*, quæ hodie *Major* appellatur, *Labicana* olim, quantum colligere licet, appellata.

8. A *porta majore* proxime venitur ad *Cœlimontanam*, hodie *portam D. Johannis* appellant; hinc ad *Asinariam*, hodie clausam qua Urbem introiit olim cum exercitu adveniens Belisarius, ut *Procopio* credimus. Hinc *Ferentinam* quidam collocant, sed ambigua fama. In proximo pandebant se se olim *Nævia* & *Roduscultana*, seu *Rauduscultana*, hodie solo nomine cognitæ. *Latina* tamen, quæ proxime sequitur, *Piacularis* quoque olim appellata, manifesta sui adhuc prodit indicia, sed nunc ob viciniam Capenæ obserata torpet. *Capena*, hodie *D. Sebastiani* dicta, magnificentiæ antiquæ clara ostendit argumenta; & ne dubitetur eam esse veram & madidam illam *Capenam* (de qua *Juvenalis* Satyr. III. de Hannibale loquens:

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:

fluviolus Almo præterfluens, vicinus aquæ ductus supra caput euntium pendens, jamque olim, quod rimas ageret, in subeuntes destillans, & denique via Appia inde ferens, eam esse indubitato evincunt. Capenam sequebatur olim *Lavernalis*; & hanc *Trigemina*, quæ in angusto illo spatio inter abrupta Aventini & Tiberim, paullo infra templum D. Mariæ Aventinæ hodie dictum locata fuit. Ferunt scriptores quidam antiqui Horatios olim cum Curiatiis pugnaturos porta trigemina exiisse; cæterum cum tempore Horatiorum ad Aventinum muri Romani nondum porrigerentur, credibile est Horatios porta *Trigonia* (quæ in muro Romuli Aventinum spectabat) egressos, adeoque posteros similitudine Trigoniæ & Trigeminæ deceptos nomina distincta confudisse. Dicta autem est porta Trigemina etiam *porta Navalis*, quia prope aderant navalia Romanorum, inter Aventinum & Tiberim, non in regione Transtiberina, ut nonnullis persuasum. Prosequendo hinc Tiberim, & transeundo pontem sublicium, pervenitur in regione Transtiberina ad *portam Portuensem*, hodie ob muros promotos itidem promotam; inde in cacumine Janiculi aperitur *porta Janiculensis*, sive *Aurelia* antiqua, hodie S. Pancratii: hinc descendendo versus Flumentanam iterum in Transtiberina adhuc regione, non procul ab Insula Tiberina pandebat se olim *porta Septimiana* antiqua, per quam in Vaticanum campum iter erat, atque ita antiquum Urbis murum absolvimus.

9. Ab Aureliano vero promoti muri effecere, ut portæ quædam antiquæ promoverentur ulterius, retentis tamen nominibus solitis, quales erant *Nomentana*, *Viminalis*, *Gabiusa*, *Portuensis*, *Septimiana*; quædam novæ accederent, qualis *Aurelia*, *Flaminia*, *Pinciana*, *Ostiensis*; nam pons Ælius, qui hodie S. Angeli vocatur, pons publicus non fuit, nec publica ibi porta, sed via tantum privata ad Mausoleum Hadriani ferens. Porta Aurelia nova sita erat ad pontem Triumphalem, cujus adhuc pars quædam cernitur integra, despectantibus ex ponte S. Angeli; dicta eadem quoque *porta Triumphalis*, a qua incipiebat via Triumphalis, quæ & via Regalis appellata. Obduces, portam Capenam fuisse triumphalem; nec id quidem inficiandum, antiquioribus Romanorum seculis ita vocatam: extra illam sane erat templum Martis, in quo senatus dabatur Legatis hostium in Urbem non admittendis; erat & via Appia, quæ ad Capenam incipit, id temporis triumphalis, & maxime quidem iis, qui ex Oriente via Appia revertebantur triumphaturi. Postea cum & *campus Martius* speciosissimis ædificiis superbire inciperet, Legatis hostium, & triumphaturis jam in templo Bellonæ, jam in circo Flaminio datus senatus, ubi tum coronæ & dona militibus distribuebantur; inde mox secutus triumphantis in Urbem ingressus sive Carmentali, sive Flumentana porta, sive denique alia quadam *Macello Corvorum* hodie dicto vicina; & hanc postea *Triumphalem* vocatam, promotamque ab Aureliano ad pontem ipsum Triumphalem arbitrantur. Fuisse vero amplam Triumphalem portam ex eo conficias licet, quod Pompejus & Alexander Severus ea ingressi sint triumphantes, junctis currui elephantis quatuor; non diffitendum tamen, Pompejum, ut *Plinio* credimus, in transitu portæ equis uti coactum, ante & post elephantis: sed Severi seculo forsan ut alia, ita quoque porta illa amplior augustiorque reddita fuit. Porta Flaminia eo fere loco visebatur, quo hodie patet *Porta del Popolo* appellata. Pinciana hodieque veteri suo nomine gaudet. Collatinam alii vocatam putant, manifesto errore, quippe Collatinam videbat collis Esquilinus, Pincianam collis Hortulorum. Porta *Ostiensis*, hodie S. Paulli, aliis credita est *antiqua trigemina*, sed improvide; trigemina enim sub radicibus Aventini erat, ex adverso S. Mariæ Aventinæ. Ostiensis procul inde ad pyramidem Cestii spectatur. Verum cum *Plinius* portas Romanas numeret XXXVII. quid fiet reliquis? Apparent quidem adhuc hinc inde in muris portæ aliæ atque aliæ, jam occlusæ, nominis incerti, reliquas haud dubie resarta toties mœnia obliterarunt. Ut taceam, & privatas aliquot in muro Capitolii portas fuisse, & non paucos suspicari, mendum in Pliniana recensione delitescere. Præter autem nominatas hodierna Roma quinque adhuc portas ostendit in Burgo Vaticano; Itali suo more vocant, *la porta Cavallegieri*, *delle fornaci*, *la pertusa*, *Angelica*, *del Castello*. Mitto, intra muros urbanos *portam S. Spiritus*, qua intratur via, *Longara* dicta; mitto *Septimianam* novam, qua eadem platea exitur.

10. Postquam e murorum portarumque difficultatibus eluctati sumus, de *postmurio*, ut *Festus* loquitur, seu *pomœrio* paucis monendum. *Livius* ita: *Pomœrium*, inquit, *verbi vim solam intuentes, postmœnium interpretantur esse; est autem magis circa murum locus; quem in condendis urbibus quondam Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis augurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjunguntur, & extrinsecus puri aliquid pateret soli. Hoc spatium, quod nec habitari, nec arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam murus post id, pomœrium Romani appellarunt, & in Urbis incremento, semper quantum mœnia processura*

erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. Audiatur & *Gellius*: *Pomœrium*, inquit, *est locus intra agrum effatum per totius urbis circuitum pone muros, regionibus certis determinatus, qui faciat finem urbani auspicii*. Quid multis? Pomœrium erat locus sacer intra & extra muros, in quos rerum gerendarum religiose captabantur auspicia. Ex notato *Livii* loco colligere se posse arbitrantur plerique Antiquarii, quoties muri promovebantur, toties quoque promotum fuisse pomœrium, & contra; sed secus est, Romanis non ita religiose Hetruscorum superstitioni addictis. *Antiquissimis Romuli pomœrium*, ex *Gellio*, *radicibus Palatini terminabatur. Protulit id Servius Tullius Rex, item L. Cornelius Sulla*. Bene *Livius* ambitum Urbis docet a Tullo Hostilio, ab Anco Martio, a Servio Tullio dilatatum, adjectis aliis atque aliis collibus, sed pomœrii dilatati laudem non nisi Servio Tullio soli attribuit. Esto tamen, dilataverint pomœrium Sulla, Cæsar, Oct. Augustus, Claudius, Trajanus, parte aliqua, quam divinare, tacentibus Antiquis, nefas, muros certe protulisse leguntur nusquam. Quod si muros promovisset Sulla, Cæsar, Octavius, neutiquam scripsisset *Halicarnasseus*, *Murum a Servii Tulii tempore non progressum esse ulterius, vetantibus id religionibus*. Aurelianus muros ampliavit, nec eo tempore ampliavit pomœrium, tradente *Vopisco*. Quod adjungitur, *sed postea*, Salmasius tanquam spurium e textu extrudit. Quoties autem proferebantur pomœria, non æqualiter extra omnes mœnium partes dilatabantur, sed ad arbitrium proferentis, id quod facile monstraverit Aventinus, mœnibus urbanis inde ab Anco Martio inclusus, qui tamen post Sullam, post Cæsarem, extra pomœrium fuit, a Claudio demum, secundum *Gellium*, intra receptus. Neque tamen Claudium muros protulisse usquam apud Veteres legimus, sed pomœrium cippis metisve saxeis terminasse, vetus saxi apud *Boissardum* docet Inscriptio.

CAP. II.

De Urbis populique Romani divisione & septem Urbis montibus.

1. ROmulus jam statim ab initio conjunctus Tatio Romanos milites plebi mistos in tres dispescuit tribus, alios Ramnenses appellans, alios Titienses, alios Luceres; nomina Hetrusca, & desita intelligi, quicquid alii interpretari conentur. Mox singulas tribus divisit in Curias decem. Ex his XXX. Curiis equites selegit trecentos, ita ut ex Curiis singulis legerentur equites decem; adeoque non soli Ramnenses in tribu sua equites numerabant, sed & in sua Titienses, & in sua Luceres. Mox Romulus tribubus singulis suum præfecit tribunum, singulis curiis suum curionem, singulis decuriis suum decurionem. Ita populo, inquit *Halicarnasseus*, *diviso in tribus & curias, & agro in* XXX. *æquales partes distributo, unicuique curiæ unam partem sortito tribuit; sed prius exemit quantum ad ministeria sacrorum & templorum sufficeret, & partem aliquam quæ esset juris publici reservavit*. Crescente populo tribus duplicavit Tarquinius, monente *Festo*, quod augure Navio vetante novas formare non auderet. *Livius* centurias duplicatas narrat. Erat singulis Curiis suus curio, qui sacra administrabat, erat suum templum, in quo imagines Deorum, quibus sacrificabatur. Templa hæc XXX. Curiæ veteres *Tacito* appellata, non sparsa per urbem cernebantur, ut hodie Christianorum, sed extra parœcias suas in uno montis Palatini loco quasi conglobata: diceres Judæorum synagogas. Forsan templum unum fuit oppido amplum, sed in XXX. conclavia divisum, ne locum alias satis angustum multiplicatis tot suggrundiis amplificaret. Et velut in his templorum curiis populus ad sacra facienda conveniebat, ita mox locus, ubi congregabatur senatus, Curia pariter appellatus. Probe Varro: *Curiæ*, inquit, *erant duorum generum, nam & ubi sacerdotes curabant res divinas, ut Curiæ veteres, & ubi senatus humanas, ut Curia Hostilia*. Porro quemadmodum singulæ Tribus in Romuli Urbe seorsim habitabant, sic & in iis singulæ Curiæ limitibus suis & nominibus spectabantur discretæ. A Tribubus ad consulendum vocatis nomen invenere comitia Tributa, a Curiis Curiata, a Centuriis Centuriata. Postquam autem crescente pene in immensum populo Curiæ illæ (seu templa) Palatinæ non caperent affluentem multitudinem, Curiæ novæ, Auctore *Festo*, ad compitum Fabricii, id est, non procul a porta Capena ædificatæ, in quas XXVI. Curiæ veteres translatæ sunt, quatuor, jubentibus ita religionibus, in Palatino relictis. Illam in Curias populi divisionem ad usque Augusti tempora utcunque durasse, licet minus accuratam, & quasi moribundam, fidem faciunt Fornacalia Romanorum festa ab *Ovidio* descripta, in quibus jubebantur in sua singuli curia sacrificare ad mores antiquos rite imitandos.

2. Urbs jam a succedentibus Regibus paulatim amplior reddita, tandem muro suo septem colles ambire cœpit, unde septicollis non profanis tantum, sed & sacro Scriptori appellata. Et cernuntur ibi hodieque septem illi colles. *Palatinus* sive a palare, sive a balatu gregum, sive denique a Pallante (nam pro omnibus stant auctoritates) dictus hodie infelicia vastissimorum Palatii Imperatorii ædificiorum ostendit rudera, & in dorso hortum illustrem Farnesianum. *Capitolinus*, ante Saturnius appellatus, quod ibi fuerit Urbs, aut Arx Saturnia, inde Tarpejus a Virgine Tarpeja, quæ a Sabinis cæsa, ibique sepulta traditur, tandem Capitolinus dictus a capite humano cujusdam Toli ibidem, ut docet *Arnobius*, reperto: sicut loco, quo Byrsa Carthaginiensis sita, inventum quondam equi caput, unde hodieque videas numismata prisca Carthaginis, imagine capitis & colli equini insignia. Hic ergo collis Capitolinus, ut est biceps, altero hodie vertice, qui septentriones spectat, fert monasterium Franciscanorum, & templum *Ara Cœli* nominatum, quo olim loco admirandum illud Jovis Capitolini templum superbissime se ostendebat; altero, qui nunc mons caprinus appellatur, domum Ducis Caffarelli, ad cujus ultimum marginem a meridie spectare adhuc licet rupem Tarpejam e saxo nativo surgentem, unde sontes olim præcipites dati. Inter utrumque verticem humilior sinus est, ubi hodierna Curia Romana emicat, olim ibi asylum, templum Vejovis, quercetum, & tabularium visebantur. *Cœlius* hodie vertice suo gestat basilicam Lateranensem; sicut *Aventinus* templum D. Sabinæ; *Quirinalis*, hodie mons Caballinus dictus, palatium summi Pontificis ostendit; *Viminalis* templum D. Laurentii in Panisperna; *Esquilinus* templum D. Mariæ Majoris, & templum S. Crucis Jerosolomitanæ. Ab his septem montibus, auctore *Varrone*, dies ille vocatus septimontium, quo sacrificia celebrabantur.

3. Tandem Servius Tullius invalescente civium numero Urbem in quatuor regiones seu tribus urbanas dispescuit; Suburanam, quæ Cœlium, Carinas, & Aventinum complectebatur; Esquilinam, quæ Esquilias; Collinam, quæ Viminalem

& Quirinalem occupabat; Palatinam, quæ Palatinum, Capitolium, & vicina. Credibile est, partem Urbis Transtiberinam id temporis Suburanæ tribus fuisse, & Campum Martium, licet nondum tum intra mœnia receptum, pertinuisse ad Palatinam. Ad ultimum denique, Octav. Augustus Urbem populis frequentiorem in XIV. Regiones divisit, monente *Suetonio*, & vicos supra mille, quæ omnia accurate satis persequitur *Publius Victor*, & *Sextus Rufus*, viri Consulares, eo haud dubie instituto, ut juri dicundo præfecti eo expeditius controversias inter Curatores & Vicomagistros cujusvis Regionis deciderent. Erat autem singulis vicis sua ædicula, seu templum minutum, ex *Suetonio*. Vespasiano vero Censore regiones in compita divisæ sunt, tradente *Plinio*, quorum numerus ad CCLXV. pervenisse memoratur. Neque vero quodvis trivium, aut quadrivium pro compito habendum, sed illud solum, in quo Janus quadrifrons cum signo Larium spectabatur. In his compitis Vicomagistri ludos edebant Compitalitios, si verus *Asconius*.

CAP. III.

De prima Urbis regione, quæ regio Portæ Capenæ dicta.

1. Regionis primæ pars longe maxima extra portam Capenam spectabatur, nonnihil intra. Inter extramuranea conspectiora hæc numerantur: *Templum Martis*, situm in clivo non procul a via Appia, ad quod milites salvi e bellis redeuntes arma sua suspendebant, secundum *Propertium*: in eo senatus olim dabatur Legatis hostium, ut quibus Urbem ingredi prohibitum, dabatur & triumphaturis; neque enim hi cum exercitu in Urbem admittebantur, nisi dato prius extra muros senatu. Unde non absurda conjectura est, ad hoc templum unum fuisse ex quatuor illis senaculis, seu senatulis, quæ recenset *Victor*, quorum unum etiam fuisse constat in circo Flaminio, ad ædem Bellonæ. Cum ædem nomino, nescius haud sum, aliud olim fuisse templum, ædem aliud: templum enim dicebatur solum id ædificium, quod præcedentibus auguriis requisitis sacrificatum erat, ædes quod sine auguriis. Postea tamen etiam apud antiquos scriptores templum & ædem eodem passu ambulare observamus, & sine discrimine utramque vocem usurpari.

2. Vicinum huic templo *Martis saxum* eminebat, *manale* appellatum, quod cœlo præter solitum squalido & sicco per Urbem insigni veneratione & pompa gestabatur, unde gentilis superstitio celerem sibi pluviam spondebat, &, quod mirere, obtinebat, si *Festo* & *Nonio* fides. Extra hanc portam manabat *Aqua Mercurii* vocata, cujus quotannis XV. die Maii in templo Mercurii ad Circum maximum ædificato sacratæ urnam mercatores singuli domum asportabant, intinctisque laureis frondibus se suasque merces aspergebant religiose. Rem erudite persequitur in Fastis *Ovidius*. Itidem extra portam hanc sepulchrum exstabat Horatiæ, sororis Horatiorum, nam Horatii ipsi in territorio Albano, ubi ceciderant, sepulti, auctore *Livio*. Ad hanc portam sita erant templa Honoris, & Virtutis, juncta simul; intra Urbem fuerint, an extra, non satis compertum. Struxit hic ædem Tempestati Metellus, postquam in mittenda sub jugum Corsica luctatus pene cum tota classe vi ventorum periisset. Fuere quoque extra hanc portam thermæ Severianæ, Commodianæ, lavacrum Elagabali, lacus & palatium

A Vespasiani, in quo Martyres pro tribunali examinati olim a tyrannis Ethnicis leguntur.

3. Extra hanc portam occurrit hodie templum D. Sebastiani, in cujus cryptis aditus patet ad specus illas subterraneas, in quibus Christiani olim cum sacris suis delituerunt; quales etiam spectare licet extra portam S. Laurentii, item extra portam S. Pancratii, & alibi. Ab hoc templo ubi versus campos progrediare, incides in sepulcrum Cæciliæ Metellæ Crassi, magnificum hodieque monumentum. A sinistris occurrit circus Caracallæ, pene adhuc integer; ex cujus fere medio cum non ita pridem obeliscum eruerent Romani, hodie in

B Circo agonali, *la piazza Navona* appellato, erectum, mirum est quod cum *Angelono Nardinus* obeliscum in extremitate Circi illius collocet, quando non solum situs obeliscorum in Circis aliis contrarium doceat, (quod obelisci repræsentent malorum situm in navibus) sed & scrobs etiamnum in medio fere Circi Caracallæ apparet, unde obeliscus ille fuit evulsus. Ut taceam, non deesse numismata vetera, quæ cum Circum hunc repræsentent, obeliscum in medio propemodum constituant, ita tamen, ut, pro more, versus obtusiorem Circi extre-

C mitatem aliquanto magis inclinet. Hinc Circum exercitiis militaribus Prætorianorum destinatum fuisse non satis provide arbitrantur nonnulli Antiquariorum, qui & hic prope collocant *Castra Prætoria*. Cæterum illa extra portam Viminalem, non procul a *porta*, hodie *Pia* dicta, non tantum Antiqui collocant, sed & hodierna illic rudera persuadent.

4. Ab hoc Circo non procul aperit se memorabilis illa vallis olim Ægeria (hodie *la Caffarella*) dicta, quam mediam intersecat fluviolus Almo, & ipse celebris; quippe in scaturigine sua prima

D aqua ejus sancta olim habita fuit, quod ob insitam virtutem, mineralem vocant, scabiem bestiarum emendaret; progressu sanctior quippe ubi ad viam Appiam manando profluxerat, in undis ejus Sacerdotes Cybeles statuam Deæ suæ reverenter abluebant: ipse fluviolus, quod Acis Cybelæ adamatus fertur, vulgo hodieque nuncupatur *Aquataccio*. In hac valle spectatur adhuc luculus Camœnarum, & specus Ægeriæ (quo Numa ad nocturnos cum Dea congressus, & Sacerdotes ad sacrificandum Deæ fidei ventitabant) immo & levia quædam templi Camœnarum vestigia. Sacrum hoc nemus, & fons Musarum, qui hodieque biben-

E tibus saluberrimam, ceu expertus sum, ministrat aquam, tandem *Juvenale* styli nasum exercente, cesserat in jus & ditionem Judæorum, unde illud ejusdem:

> —— *ejectis mendicat sylva Camœnis;*

mendicabant enim relegati ab Urbe Roma Judæi, quibus ante captas Solymas inter cives Transtiberinos locus in Urbe erat non inglorius; sed ex quo sacra eorundem in ventos & ludibria vertisse visus est Titus Vespasianus, inter gentium contemptissimas viluere, calcati ubique infames, & in-

F ter hominum mendicabula æstimati; nec iis fere alia, quam cophinus, fœnumque supellex. Camœnatum autem illa ædes illustris quondam, & statuis doctorum superba, in quibus, observante *Plinio*, visa quoque Accii Poetæ statua, grandis illa & procera, cum Poeta ipse corporis esset brevissimi.

5. In via Appia, regina illa viarum, extra portam Capenam, arcus Drusi eminebat, visebantur & sepulcra Calatini, Scipionum, Metellorum, Serviliorum, ex *Cicerone*: nec imprudenti consilio ibi constructa; ita enim ab ultro citroque commeantium turba novo quotidie plausu manes eo-

rundem excepti. Sepultus quoque via Appia Thessalus Medicus, qui, ut erat gloriosus, monumento suo, notante *Plinio*, inscribi jussit *Jatronicen.* Ad secundum ab hac via lapidem ædes Dei *Ridiculi* (sive, ut tum loquebantur, *Rediculi*) cernebatur, quod Hannibal ibi castra ponens nescio quo irrisu ostentisque superne auditis exterritus recessisset. In campo Rediculi corvus olim magna pompa tumulatus; apparatum vide sis apud diligentissimum *Plinium*. Viæ Appiæ vicina erat Latina, ex qua Belisarius Neapoli cum copiis adveniens deflexit versus Urbem in viam Asinariam, ut in tecta illa & profunda semita oppido improvisus superveniret. Per eandem portam Asinariam admissus quoque in Urbem ab Isauris proditoribus Totilas. In via Latina ad quartum lapidem templum erat Fortunæ muliebris, & quidem ibi celebratissimum quoque Fortunæ simulacrum, quod bis hæc verba elocutum memorat *Valer. Maximus*: *Rite me Matronæ vidistis, rite dedicastis*. Consecratum legitur, postquam preces uxoriæ maternæque Coriolanum frementem Urbe avertissent: unde credibile fuerit, Coriolani ibi castra fuisse, cum Volscis præfectus Urbi ferox immineret. In hac prima regione cum *Victor* & *Rufus* numerent domos CXXI. insulas MMMMCCL. quid per domos & insulas intelligendum? sunt autem proprie *domus* ædificia contigua, ut in urbibus nostris, cum ædes ædibus proxime junguntur; *insulæ* vero, secundum *Sext. Pompejum*, *domus, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, sed circuitu publico privatove cinguntur, a similitudine earum terrarum, quæ in fluminibus, aut mari eminent*. Hinc cum post horrendum illud Neronis incendium, auctore *Tacito*, provisum fuerit, ut non in commune parietum, sed propriis quæque muris ambirentur ædes, oppido probabile fuerit, ex eo tempore Urbem longe pluribus, quam ante, insulis abundasse. *Nardinus* tamen in illa *Victoris* & *Rufi* recensione credit per insulas intelligi domunculas, & viliores casas, per domos magnificentiora ædificia, & palatia; vel insulas ibi designare domos privatas, in quibus plures simul familiæ vivunt, domos, in quibus non nisi una: cæterum cum & *Victor* & *Rufus* hæc scripserint post Neronis de Insulis decretum, simillimum vero est, paruisse Romanos, & ex eo tempore veris insulis, secundum explicationem *Sexti Pompeii*, Urbem replesse.

CAP. IV.

De secunda Urbis regione, quæ Regio Cœlimontana appellatur.

1. Regio hæc intra muros portæ Capenæ, Latinæque sumebat initium, inde ad vallem templo S. Crucis Hierosolymitanæ proximam protensa regyrabat, ædemque sacram Lateranensem, & totum pene Cœlium montem complexa ad confinia amphitheatri Titi Vespasiani terminabatur. Inter regionis hujus nobilissimos vicos erat Subura, mercium varii generis, delitiarum, quin & lupanarium ferax, quam & *Victor* & *Rufus* in regione Cœlimontana collocant, & Suburra tribus, quæ Cœlium complectebatur, facile persuadet; ut labi necesse sit eruditissimum *Alex. Donatum*, qui Suburam hodiernam, quæ secundum latus Quirinalis & Viminalis longo tractu procurrit, Antiquorum Suburam fuisse arbitratur. Cæterum incipiebat Antiquorum Subura ab eo loco, ubi hodie templum cernitur D. Petri & Marcellini; totamque illam planitiem inter Cœlium

A & Esquilias depasta ad amphitheatrum Titi finiebatur: nec audiendus *Panvinius*, qui eam in planitie inter Cœlium & Palatinum collocat, a *Nardino* solide confutatus. Curiam Hostiliam eo sitam fuisse loco, quem occupat hodie templum D. Joannis & Pauli, affirmat *Blondus*, cui fidem habebimus, donec auctoritates diversum pervicerint. Fuere & in Cœlio hospitia Peregrinorum, hoc est, cohortes militares Germanæ, Illyricæ, Batavæ, in usum Imperatoris, & Reipubl. pretio conductæ; quippe locum incolebant proximum templo, hodie *Navicellæ* dicto. Nam, ne quis miretur, alios habebat Roma milites, quam qui castro Prætorio clau- B debantur. Quid quod, post destructum a Constantino Castrum Prætorium, custoditum sit Palatium a septem cohortibus Armeniorum, quibus & sua debebantur hospitia. Sunt qui hic quoque collocent hospitia classiariorum Misenatium: sed fuere ea in Esquiliis, sicut classiariorum Ravennatium in regione Transtiberina.

2. Rotundum illud & antiquissimum templum in Cœlio, quod D. Stephano jam sacrum est, Fauni olim ædem fuisse plures volunt: sed quid Deo illi rustico cum superbissimo operis Corinthii templo? certe *Blondus* refert, suo seculo ex templis C Romanis nullum eo fuisse magnificentius, ita omnia interius marmore & opere Musivo incrustata nitebant. *Donatus* templum Claudii facit, sed *Frontini* testimonio refellitur. *Nardinus* vel thermas urbanas putat, vel armamentarium, vel denique macellum. Sed thermas in loco adeo arcto publicas fuisse, cui persuadebit? & quid macello cum fritillis Musivariis? nec structura armamentario convenit, nec angustia operis. Restat, ut templum agnoscamus, cui dedicatum fuerit, dubitemus. Ubi templum nunc est, *de Santi quattro* dictum, credibile est mansiones & hospitia fuisse Albanorum militum, qui Romanis stabant præsidio; nam capiendo Albano populo, cui jam ante Tullus D incolendum dedit Cœlium, collis *sanctorum quatuor* sufficere non poterat. Quo loco nunc se se attollit ædicula D. Mariæ Imperatricis, olim alter se campus Martius pandebat, quoties campo Martio Tiberino, ut solebat, inundato spectabantur Equiria, ex *Victore*, *Rufo*, *Ovidio*. Ubi olim surgebat domus Plautii Laterani, (qui inter capita conjurationis a Nerone mori jussus) hodie erectum splendet templum Lateranense. Baptisterium illud vicinum columnis porphy- E reticis splendens, sunt qui cum vulgo Romano credant, serviisse baptismo Constantini, sed parum secure, si quidem vera sunt illa *Photii*: *Eusebius Pamphilus*, inquit, *in Vita Constantini Magni, docet ipsum non Romæ, sed Nicomediæ baptismo tinctum fuisse, & distulisse hactenus, quod in votis haberet, in Jordane baptismum admittere*.

3. Non procul ab æde Lateranensi domus erat Veri, in qua natus educatusque Imperator Marcus Aurelius; adeoque eodem loco credibile est erectam fuisse statuam illam equestrem æneam operis consummatissimi, quam annis ab hinc pluribus F in proximo ad *scalam sanctam* loco erutam hodie in area Capitolina videmus, magnum artificii Quiritium, eo quoque seculo, argumentum. Collocant præterea Auctores in Cœlio sanctissimum Dianæ sacellum, quod Cicero a Pisone sublatum queritur; collocant templum Isidis, templum Deæ Carnæ, ludum matutinum, ludum Gallicum, (literarumne an gladiatorum, parum liquet) antrum Cyclopis, id est, compitum ejus nominis, ab appicto parieti Cyclope dictum, spoliarium Samarium, domum Vectilianam, in qua occisus Commodus, qui eo migraverat, negans in Palatio se potuisse dormire,

notante *Lampridio*. Collocant & hic macellum publicum unum, alterum in Esquiliis; neque enim plura erant Romæ ædificia hujus nominis, licet aliis atque aliis locis in foris, emporio, alibi, venderentur edulia. Hoc autem differebant a nostris Antiquorum macella, quod in antiquis promiscue carnes piscesque prostarent, docente *Plauti* Aulularia, in nostris solæ carnes. Cœlium ornavit & domus Mamurræ, columnis e solido marmore Carystio & Lunensi superbiens; domus Symmachi; domus Junii Senatoris, in qua conflagrante nihil intactum, excepta sola Tiberii statua relictum; o castum ignem! qui tam sancto capiti pepercit. Ibidem domus Claudii Centimali ex decreto Augurum solo æquata, quod auguria captanda impediret. Tandem in Cœlio vetus urbanos muros stationes erant quinque cohortium nocturnorum vigilum, quales quoque sex aliæ in Urbe stationes erant, dispositæ universæ, ut tum transeuntes, tum evocatæ nocturna incendia, effractores, fures, latrones arcerent, somnosque civium tuerentur, hamis & aqua instructæ.

CAP. V.

De tertia Urbis regione.

1. REgio tertia proxima fuit Cœlimontanæ, sita in Australi parte Esquiliarum, aliis vocata *Isis & Moneta*, aliis *Isis & Serapis*. In hac regione caput erat Suburæ, sc. ad Amphitheatrum Titi; unde cum ibi habitaret Stella Poeta, in prima Subura habitasse *Martiali* traditur; reliquum Suburæ in regione secunda totum consumebatur. In vicinia quia fundum & concavitas humilior inter Cœlium & Esquilias spectantibus e Palatino simile quiddam habet carinæ navis, hinc jam olim, notante *Virgilio*, tractui illi *Carinarum* nomen tributum. Est autem Carinarum multo maxima pars in regione quarta, reliquum (*pars Ceriolensis* appellatum) in tertia. In hac late splendet hodieque Amphitheatrum Flavium, a Flavio Vespasiano cœptum, a Tito vero dedicatum, quamquam *Martialis*, adulanti propior, Domitiano illud adscribat. *Coliseum* vulgus Romanum nunc appellat, a colosso haud dubie, ante Amphitheatrum jam olim erecto. Ut internoscatur autem, quam sæpe aliam atque aliam faciem induerit Romæ eadem telluris gleba, istic loci, ubi Vespasianus Amphitheatrum suum collocavit, paullo ante stagnum, maris instar, aureæ domus Neronis spectabatur, unde *Martialis*:

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Ante ævum Neronis propemodum ibidem, nempe ad locum *Metæ sudantis*, ubi forum postea Vespasiani visum, emporium erat, & nundinæ variarum mercium nono quovis die, præsertim edulium, mellis, pomorumque; sicut in planitie montis testacei emporium erat mercium aliarum, maxime peregrinarum, & navigiis inservientium. Sed crescentibus in Urbe litibus & controversiis cum forum non sufficeret, in hoc quoque loco impeditæ nundinæ transierunt in caput viæ sacræ, & totam, qua patebat, Suburam. Ad Amphitheatrum officinæ erant, ubi machinæ variæ, & pegmata sponte crescentia conficiebantur, ubi etiam ex fœno fingebantur homines, quibus post objectatis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur, ubi alii aliique pro Amphitheatri usibus apparatus tentabantur. Pegmata illa ita prosequitur *Seneca*;

A *Machinatores*, inquit, *qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus, quæ cohærebant, aut quæ discebant, sua sponte cohærentibus, aut his quæ eminebant, paulatim in se recedentibus*. De pegmatis plura apud *Dempsterum*, aliosque. Mihi pegmatis impositi non dissimiles visi sunt Elagabali convivis, de quibus pene ridicule *Lampridius*: *In ebrios, inquit, amicos ursos exarmatos immittebant, vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat,*
B *eosque reflabat, prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes.*

2. Ad Amphitheatrum locus erat, *petra scelerata* dictus, ad quem sæpe in Christianos flagris & carnifice ferro sævitum. Dubitat *Nardinus*, idemne saxum fuerit, in quo stantes servi captivi, quos de lapide emptos dicebant, venundabantur, in quo bona proscriptorum hastæ & voci stans clamator præco vendenda subjiciebat: sed credibilius vel in foro Romano, vel in compito quodam frequentiori, ad Janum aliquem bifrontem, quo a negotiatoribus concurrebatur, stetisse saxum illud divitibus infaustum. Non procul ab Am-
C phitheatro locus fuit, cui nomen *Busta Gallica*, quod Galli post oppressam Urbem, tandem a Camillo cæsi, ibi rogo generali conflagrarint. Porticum Liviæ inter Amphitheatrum & Esquilias structam fuisse vero simillimum apparet; alii eo loco ponunt, ubi hodie rudera conspicimus Templi Pacis, sed decipiuntur; nam vidit porticum eam *Plinius* ingenti vite adumbratam: quin & *Plinius* junior fatetur se eandem vidisse stantem, quam tamen videre nequierant, si loco, ubi Templum Pacis surgit, constitisset. Nempe Vespasianus jam ante tecta omnia removerat, ut Templum Pacis, quod ipsius opus agnoscimus, ibi ab-
D solveret, unde liquet utrumque simul durasse. Templum Isidis & Serapidis in horto Templi B. Mariæ Novæ collocat *Fulvius*, sed in emporio fuisse versus Amphitheatrum, fidem facit *Vitruvius*. Templum, sive statua Monetæ huic erat vicina.

3. Credunt Antiquarii viam, quæ pone Templum Pacis orta ad *Templum D. Petri in vincula* ducit, sceleratum illum vicum esse, in quo Tullia Tarquinii Superbi uxor per stratum in via parentem ferox carpentum egerit, eoque clivum Virbium (aliis Orbium, quibusdam Urbium) ibi esse vicinum. Sed quia Regia Servii Tullii,
E quo illa propere contendebat, non fuit in regione tertia, sed quinta, a foro in Regiam, per hanc viam, iter fuisset alienissimum; adeoque cum ratio & auctoritates clivum Virbium ponant ubi hodie videmus clivum *Templi D. Luciæ in silice*, (alias Suburanum dictum) a quo pila Tiburtina non procul abfuit, necesse est ibi, ex *Livio*, conspectum Tulliæ fuisse parentis corpus, & cum pergeret in via scelerata (quæ inde ducit versus hodiernam Suburam) calcatum. Vicina *templo D. Petri in vinculis* cernimus adhuc grandia thermarum Titi vestigia, quas cum operose ampliasset Trajanus, effectum est, ut accessiones illæ nomen
F thermarum Trajanarum invenerint; in quibus postea templum Æsculapio struxit Diocletianus. Extenderunt se eo, ubi hodie aperitur *Templum D. Martino de monte*. Adjunxit etiam quiddam his thermis Hadrianus; inventusque ibi venustissimus ex marmore Antinous, Hadriano olim tantopere adamatus; qui nunc quoque una cum admirabili illa, *Plinio* quoque laudata, Laocoontis statua in horto Vaticano (*Belvedere* appellato) omnium animos illicit & oblectat. Palatium Titi,

quod

quod ad sinistram *Templi Mariæ in silice* collocant, modicum initio, post operose amplificatum ex eo patet, quod ibi statuam Laocoontis modo attactam fodientium curiositas non ita pridem invenerit, quam diserte narrat *Plinius* in domo Titi sitam fuisse.

4. Quæ in eodem clivo rudera hodie eminent, *sette sale* appellata, vel oportet fuisse insignia quædam thermis Titi olim servientia aquæ castella, quæ jam ante hortis aureæ domus Neronianæ servierint, vel, quod credibilius, nymphæum a M. Aurelio ædificatum, de quo *Marcellinus*. Quæ rudera ex adverso *Templi D. Matthæi in Merulana* adhuc videntur, thermarum Philippi Imp. vestigia creduntur ostendere. Hic *Victor* ponit *Præturam præsentissimam*, quæ quid fuerit, divinando assequi perdifficile, nisi placeat conjectura, fuisse ibi domum seu Curiam Amphitheatro proximam, ubi a Prætore, Ædilibus, Quæstoribusque de ludis amphitheatralibus indicendis disponendisque consultabatur; nam certum est, ultimis Imperii Romani seculis, jurisdictionem Prætoris urbani ad sola spectacula, ad equos Circenses emendos, ad bestias e longinquis regionibus ad ludorum solennia accersendas fuisse redactam, reliquis muneribus in Præfectum Prætorio translatis. Forsan ex hac Curia ludos futuros proclamare solitus est Prætor, sicut ex *Curia Calabra* in Capitolino monte sita Pontifex minor & Rex sacrificulus dies & ferias menstruas. Curiam antiquam ad *Templum D. Petri in vincula* ponit *Blondus*, quam tamen in Palatino fuisse ex *Tacito* facile conficitur. In emporio scholas capulatorum, fuariorum, lignariorum, coriariorum, aliorumque id genus artificum sellulariorum verisimilitudo collocat. Erant autem hæ scholæ variorum artificum collegia, quæ nos *Laugshuse* appellamus, instituta jam olim a Numa, suppressa deinde a Republica, & tandem post novem annos a Clodio, tribuno plebis, restituta.

CAP. VI.

De quarta Urbis regione.

1. Regio quarta occupabat Viam sacram, Templum Pacis, Arcum Titi Vespasiani, Forum Nervæ, & vicina. Via sacra, cujus caput erat ad metam sudantem hodieque conspicuam, transiit inde ad Colossum stantem inter hortum *Templi D. Mariæ novæ* & Amphitheatrum; hinc reflexa, per locum, ubi nunc est Templum D. Mariæ novæ, non vero per arcum Titi, perrexit ad latera Templi Pacis, & Templi Faustinæ, (quod hodie vocant *Templum D. Laurentii in Miranda*) desiitque per arcum Fabianum in Foro Romano. Sacra dicta est, vel a fœdere inter Romulum & Tatium ibi percusso, vel quod eo itinere usi sint sacerdotes, tum aliarum ceremoniarum, tum edulium sacrorum conficiendorum gratia, quod *Festo* notatum. Ad templum Faustinæ Regia erat, in qua sacra a Rege sacrificulo peragebantur, & reliqui Pontifices a Pontifice maximo sacrorum causa convocabantur. Illuc mense Octobri cauda equi in campo Martio Marti prius sacrificati deportabatur adeo subito, ut in ignem Regiæ sanguis inde destillaret adhuc calens, capite interim equi a Suburanis & sacræ viæ incolis fustibus cæso, & mox muro Regiæ affixo. Immolabatur autem equus Marti, quod per effigiem ejus Troja capta esset, vel quod eo genere animalis delectari Mars putaretur, auctore *Festo*. In eadem Regia solebat Flaminica, hoc est, femina sacerdos maxima, Jovi arietem immolare omnibus nundinis, ex *Macrobio*. Regia hæc Marti potissimum erat sacra, inque ea, secundum *Plutarchum*, lancea stabat Mars appellata; hinc statuam Martis olim Romæ nihil aliud fuisse quam hastam *Varro* auctor est. Forsan templum hoc fuit Martis Quirini, quod *Servius* in ipsa Urbe collocat. Dum Regiæ hujus mentio injicitur, subit animum Regia Numæ, quæ tamen in regione octava fuit, inserviitque tandem Templo Vestæ, loco atrii.

2. Vicinum Regiæ fuit signum Veneris Cloacinæ, cui Templum ejusdem Deæ annectit *Panvinius*. Proximum *Templum Cosmi & Damiani*, quondam Remi templum fuisse docet *Victor*, Romuli & Remi simul fuisse putat *Anastasius*. Templi Pacis rudera omnibus patent. Fuit autem illud Templum inter alia opera, quæ ut stupori proxima admirabatur olim apud *Marcellinum* Ormisda Persa: reliqua illi admirabilia visa sunt, Capitolini Jovis Templum, Amphitheatrum, Thermæ, Pantheon, Templum Veneris & Romæ, Theatrum Pompeii, Odeum, Stadium, Forum Trajani. Conflagravit Templum Pacis tempore Commodi, si *Herodiano* fides, non defendentibus tot spoliis, quæ Templo Jerosolymitano erepta ei intulit Titus Vespasianus. Intulit enim, auctore *Josepho*, nobilissima quæque Templi sancti deposita, si Legem & Vela templi purpurea excipias, in Palatio custodita. Hæc spolia post in Africam transportavit Gensericus Vandalorum Rex; Belisarius deinde illic rapta secum Constantinopolin transtulit in triumphum; Justinianus tandem Jerosolymæ restituit, si *Procopio* fides. Remansisse tamen apud se credunt Romani Arcam fœderis, ceu ligneam, eoque raptori Genserico neglectam, quam in æde Lateranensi semel tantum quotannis religiose ostendunt, sed Arcam Jerosolymitanam esse, leve hactenus argumentum. Enimvero nec memorat *Josephus* eam inter spolia reliqua Romam esse translatam, nec vel vestigium ejus ostendit Arcus ille triumphalis Titi, in quo tamen & tubæ jubilæum sonantes, & mensa, & candelabrum templi in marmore manu artifice expressa sunt, res haud dubie momenti levioris, quam erat Arca fœderis. Ostendere alii laborarent ex II. Machabæor. cap. II. Arcam fœderis hodie nusquam inveniri, quod incluserit eam Jeremias speluncæ montis Nebo, non ante generalem populi congregationem, seu forsan judicium universale in lucem prodituram: ego id duntaxat urgeo, arcam hanc Lateranensem, utpote annulis non nisi orichalceis leviter inauratis distinctam, veram Arcam fœderis non posse æstimari. Nec juverit exceptiuncula, non esse quidem illam antiquissimam, sed secundam aliquam a Zorobabele fabrefactam. Nam ut quis largiatur, Arcam etiam a Zorobabele structam fuisse, cum templum instauraret, non tamen effecerit, ut credamus Zorobabelem argento & orichalco Arcam vinxisse, cum in promptu id temporis fuisse conditoribus (exceptis vasis aureis & argenteis) ad centum auri, & ultra sexcenta argenti talenta prodat Esdras cap. VIII. vers. XXVI. præter sumptus ex ærario Regio conferendos. Neque vero ausus fuisset Zorobabel ignobiliora substituere, annellos etiam aureos in Arca requirente ipso Deo, Exod. XXV. ut reliqua verborum parcus omittam.

3. Sed ut ad templum Pacis revertamur, in eo Bibliothecam fuisse memorat *Gellius*; statuam Nili ex basalte collocatam *Plinius*, ludentibus circum XVI. liberis, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis ejus intelligebantur. De imagine Jalysi ibidem inter alias egregias pictu-

ras spectata audiamus *Plinium: Est in ea*, inquit, *canis mire factus, ut quem pariter casus & ars pinxerint: non judicabat Protogenes se exprimere in eo spumam anhelantis posse, cum in reliqua omni parte, quod difficillimum erat, sibi ipsi satisfecisset: displicebat autem ars ipsa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longius a veritate discedere, spumaque ipsa pingi, non ex ore nasci, anxio animi cruciatu, cum in pictura verum esse, non verisimile vellet: absterserat sæpius, mutaveratque penicillum, nullo modo sibi approbans: postremo iratus arti, quod intelligeretur, spongiam eam impegit inviso loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optabat, fecitque in pictura fortuna naturam. Propter hunc Jalysum, ne cremaret tabulas, Demetrius Rex, cum ab ea parte sola posset Rhodum capere, non incendit.*

4. In via sacra non tantum visa est Regis sacrificuli domus, sed & ei vicina domus Pontificis maximi, quam publicam esse oportebat, nam diversa fuisse hæc munera constat, sicut apud *Dionem* inter ἀρχιερέα & βασιλέα τῶν ἱερέων discrimen est. *Augustus*, ut *Dio* memorat, *creatus jam Pontifex Max. domum publicam non accepit, sed cum omnino publicam esse Pontificis domum oporteret, ædium suarum partem ipse publicam esse jussit, ac Regis sacrificuli domum Virginibus Vestalibus dedit, quod ipsarum ædibus contigua esset.* Ante domum Pontificis Maximi sacellum quoddam instar tumuli decori ac venusti ex consulto Senatus instructum prominebat auctore *Plutarcho*. Scipioni Nasicæ, qui optimus a Senatu appellatus est, publica domus in sacra via data, ex *Pomponio*, ut facilius posset ab omnibus consuli. Hadrianus Imp. in via sacra Romæ & Veneri duo splendidissima fabricavit Templa, proxime sibi juncta; unde *Dioni* pro uno æstimantur, quorum luculenta adhuc vestigia eminent in horto D. Mariæ novæ. In templo *Romæ* sacro Urbs æterna & sanguine colebatur, & incenso thure, ac si Dea & ipsa fuisset, observante *Prudentio*. Vestigia jam nominata ex Templis Solis & Lunæ restare credit *Marlianus*, sed auctoritas Veterum eo magis inclinat, ut credamus *Templum Solis* vicinius fuisse Amphitheatro.

5. Quo loco erectum jam cernitur *Templum D. Mariæ novæ*, vestibulum fuit aureæ domus Neronianæ, in quo Neronem spectatorem stetisse memorant, raptato in aera Simone Mago, & ad preces D. Apostoli Petri in Viæ sacræ stratum elisa cervice præcipitato. Saxum utrumque, cui inter precandum genua impressisse D. Petrum fama est, parieti Templi ejusdem hodieque impactum cernitur, & patet ad oscula venerabundæ plebis, durantibus adhuc alte signatis genuum vestigiis; si quidem vestigia illa non potius sculptoris manum, quam crura D. Petri designent. In summa via sacra ad radices Palatini habitavit olim Ancus Martius, ubi postea templum Laribus surrexit, (& id prope sacellum Deæ Orbonæ constructum, ne conjugiis orbitatem induceret) sicut aliud *Febri* dicatum in Palatino, & *Malæ Fortunæ* in Esquiliis. In capite Viæ sacræ *sacellum Streniæ* collocant Auctores. In hanc rem *Symmachus*: *Strenarum usus*, inquit, *adolevit auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auspices primus accepit*. Proximus est sacello Streniæ vastissimus ille pedum cx. aliis pedum CXX. Colossus, quem ante in vestibulo aureæ domus locaverat Nero; qua incendio hausta, laxatis quoque compagibus cecidit Colossus; post non inde procul, sed ita ut paulo vicinior esset Amphitheatro, a Vespasiano in Via sacra restitutus, & adhuc in propiorem Amphitheatri viciniam, nempe in Emporium ipsum ab Hadriano translatus, ingenti elephantorum XXIV. molimine, ita ut in totius Viæ sacræ conspectu sublimis emineret, sicut in conspectu Arcus Titi *meta sudans*. Erat autem *meta sudans* in Emporio moles sublimis obelisco similis, fonte intus saliente animata, unde aqua per fastigia metæ eluctata guttatim ad latera iterum defluebat, & sitim Amphitheatralis populi levans, & fastidia. Æreum fuisse hunc obeliscum sunt qui opinentur, sed marmoreum fuisse docet *Plinius*, idemque probant disjecta ejus membra, quæ in Capitolio nunc mutila spectamus. *Plinius* ita: *Ea statua*, inquit, *indicavit interiisse funditus æris scientiam, cum & Nero largiri aurum argentumque paratus esset, & Zenodorus scientia fingendi cælandique nulli Veterum postponeretur*. Cæterum rediisse postliminio illam æris fundendi scientiam, satis, opinor, fidem facit statua equestris Marci Aurelii in Capitolio hodieque pene trimphans. Colosso caput initio Neronis impositum, ex *Suetonio*, sunt qui post caput Titi impositum velint, sunt qui mansisse caput Neronis putent ad principatum usque Commodi, qui suum denique imposuit, notante *Spartiano*.

6. De statua ærea Clœliæ, quæ in Tiberim se effudit, obsidente Urbem Porsenna, *Seneca* pulchre: *Equestri*, inquit, *insidens statuæ in sacra via, celeberrimo loco Clœlia exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus in ea illos Urbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equo donavimus*, Stabant & in hac via elephanti plures ænei, curribus etiam triumphalibus juncti, a Senatu Imperatoribus decreti. Arcus Titi ibi adhuc durat cum hac inscriptione: SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AVGVSTO. *Faunus* Inscriptionem aliam notat in proximis Arcui ruinis inventam, & forsan secundæ Arcus faciei insculptam: S. P. Q. R. IMP. TITO. CÆS. DIVI. VESPASIANI. FILIO. VESPASIANO. AVG. PONT. MAX. TR. POT. X. IMP. XVII. XIIII. P. P. PRINCIPI. SVO. QVI. PRÆCEPTIS. PATRIÆ. CONSILIISQ. ET. AVSPICIIS. GENTEM. IVDEORVM. DOMVIT. ET. VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE. DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVS. AVT. FRVSTRA. PETITAM. AVT. INTENTATAM. DELEVIT.

Credit *Angelonus*, a quo nec *Nardinus* dissentit, Arcum hunc erectum vivo adhuc Tito, nec obstare, quod Inscriptio *Divum* Titum appellet, solitum enim & Divi nomen viventibus attribui Augustis; de quo non tantum magnopere dubito, illo *Taciti* Annal. lib. XV. firmatus: *Reperio*, inquit, *in Commentariis Senatus, Cerialem Anicium Consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum Divo Neroni* (sc. post conjurationem detectam adhuc vivo) *quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tamquam mortale fastigium egresso, & venerationem hominum merito, quod ad omina olim sui exitus verteretur*; *nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit*; sed una certus sum, e vivis sublato Tito Arcum hunc ædificatum, quod Apotheosis ejus manifeste in ipso Arcus tholo se prodat, ubi Titus aquilæ dorso incumbens in cœlum a cineribus evolare parat; in quod mirum, nec *Angelono*, nec cætera diligentissimo *Nardino* observatum. Ab Arcu Titi ad *templum* hodie *D. Mariæ Liberatricis* recta *vicus* porrigebatur in radicibus Palatini, *sandaliarius* appellatus, utpote statua Apollinis Sandaliarii celebris, & frequens librariorum officinis; in quo versus forum Romanum Vulcanale eminebat: ex cujus adverso Lupercal ostendebatur, & paullo adhuc propius foro Comitium, in quo Horatii

Coclitis ſtatua, quæ de cœlo tacta fuit. Vulcanale autem area erat altari inſtructa, quam Vulcano olim dedicaverat Tatii ſuperſtitio. *Halicarnaſſeus* templum Vulcani areæ adjungit, incertum an certa fide, quod ex *Vitruvio* templa Martis & Vulcani extra Urbem fabricanda: ſed an *Vitruvii* leges Romanis perpetuæ fuerint, adhuc in ambiguo eſt. De Vulcanali *Feſtus*: *Statua*, inquit, *Ludii ejus, qui quondam fulmine ictus in Circo ſepultus eſt in Janiculo, cujus oſſa poſtea, ex prodigiis Oraculorumque reſponſis, Senatus decreto, intra Urbem relata, in Vulcanali, quod eſt ſupra Comitium, obruta ſunt, ſuperque ea columna cum ejus effigie poſita eſt*. In Vulcanali templum ſpectabatur Concordiæ minutum, æreumque: ſpectabatur lotos Romulea Urbi æquæva, & cupreſſus æqualis, circa ſuprema Neronis tandem prolapſa & neglecta, teſte *Plinio*. Lupercal autem fuit ad templum D. Mariæ Liberatricis, in angulo Palatini ſeptentrionali.

7. Præterea, in radicibus Palatini reſplenduit *templum Fortunæ Sejæ*, de quo ita *Plinius*: *Nerone Principe*, inquit, *in Cappadocia repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Sejam appellant, a Servio Rege ſacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam ſpecularium modo, tanquam incluſa luce, non tranſmiſſa*. Unam ſimilem ex phengite columnam adhuc Roma oſtendit in *templo S. Mariæ de' Capitelli*, duas Venetum templum D. Marco ſacratum. Vicum ſandaliarium inter & viam ſacram extendebatur *Sacriportus*, qui Janus bifrons erat, vel arcus aliquis ſimilis, in quo ſcripta Auctorum recitabantur: aderat & ibi *forum Cupedinis*, cujus hinc nata origo: Numerius Cupe, teſte *Varrone*, & Macellus Romanus, nobiles olim latrones in exilium acti, boniſque ipſorum publicatis, domus utriuſque in publicum uſum ceſſit, dirutiſque ædificiis, eduliis vendendis deſtinata eſt. *Carinæ veteres*, excepto Ceriolenſi tractu, magnam olim partem vici *Pantani* hodie dicti occuparunt. In Carinis habitavit Pompejus, Balbinus, Marcus Manilius; fuit & ibi *templum Telluris*, eique vicina domus Spurii Caſſii, a populo diruta ob regni affectati ſuſpicionem. Ad porticum Liviæ magnificum ſurrexit *templum Concordiæ*, in quo, ex *Plinio*, ſardonyx ille Polycratis, quem tamen *Herodianus* ſmaragdum fuiſſe opinatur, repoſitus fuit. *Forum Nervæ* ad radicem fuiſſe collis Quirinalis oſtendunt adhuc vaſtæ illæ columnæ, quæ hodie templo ſerviunt D. Baſilii, olim Baſilicæ fori ejus ſtatumina. Atque, ut hic de Foris velut in tranſcurſu pauca delibemus, *Forum* Romanis jam olim commoda erat in Urbe planities mercibus diſtrahendis, litibus decidendis, negotiis peragendis, & rationibus Regum, Conſulum, Decemvirum, Prætorumque in publico ſub Jove frigido audiendis deſtinata. Sumente jam paullatim incrementa Urbe, eoque, invaleſcentibus controverſiis, non capiebat multitudinem Forum Romanum, quod ante unicum diu ſuffecerat, ut proinde neceſſe fuerit alia atque alia adjungere. Hinc additum legimus Forum Cæſaris, inde Auguſti, poſtea Nervæ, & Trajani. In ſingulis erecta Baſilica, ſive Curia, ut litigantes contra aeris injurias muniti ſub tecto agerent. Hinc cum Fora ſæpe minuta, & Baſilica grandis illuſtriſque eſſet, factum, ut Baſilica Fori nomen velut abſorberet, adeoque ubi Baſilicæ Trajani, Nervæ, Auguſti, Cæſariſque nomina audieris, Fora eorundem par eſt intelligas. Forum tamen Romanum in Baſilicæ nomen tranſiiſſe nondum compertum, haud

A dubie propter amplitudinem. Sed cur *Forum* Nervæ quod aliis Palladium dicitur, *tranſitorium* vocatum? Sunt qui eo factum exiſtiment, quod a Foro Romano ad Trajani Forum illac eſſet tranſitus. Sed quo tranſitus erat, antequam Forum Trajani conſtrueretur? nam ante Trajani tempora Forum Nervæ ſpectatum eſt: an forſan *tranſitorium* appellatum eſt demum poſt Trajanum? ſed vero Fora omnia tranſitoria erant, & quoties a Foro Romano in Forum Trajani via trita & communi ibantur, iter erat non minus per Forum B Auguſti, quam Nervæ. Hariolari reſtat, *tranſitorium* dictum a Baſilica ſua, per cujus arcus, ut hodieque apparet, non clauſos porta, ſed patentiſſimos ad alias vias tranſitus erat opportunus. *Donatus* tranſitorium credit a Jano quadrifronte, qui iſtic arcubus patentibus admittebat tranſeuntes; ſed provide *Nardinus* advertit Janum Fori Nervæ marmoreum fuiſſe, & in templum quatuor portarum, quæ claudi potuere, converſum, id *Martiali* quoque obſervatum. Poſſet adhuc obducere *Donatus*, Jani portas frequentiſſime tamen patuiſſe in commodum tranſeuntium, nec niſi pacato Romano Orbe, quod rarum oppido, clauſas. Sed vero ita patebant Jani portæ, ut ne quidem ſe-C miadapertæ relinquerentur, quod ex marmoribus & numiſmatis antiquis liquidum eſt. Memini me non tantum Romæ in hodierno Capitolio, ſed & Florentiæ in vetuſto marmore cœmeterii *D. Mariæ a Flore*, portas templi Jani ita patentes vidiſſe, ut armatus quidam, forſan Mars ipſe, in rima ſemiclauſarum valvarum altera manu gladium vibret, crumenam oſtendat altera; ſed ita, ut vix niſi ipſe ſolus ob ſtrictiorem locum ſimul poſſit tranſire; unde augurari facile eſt, ſimilem Janum non potuiſſe publicum tranſitum permittere.

8. Sed ut de Janis hic paulo plenius agatur, D aliud longe erant Jani compitalitii, aliud Jani templa. Jani compitalitii, in compitis urbanis frequentiſſimi, moles erant ſaxeæ quadratæ, nullis plane januarum clauſtris munitæ, arcubus quatuor laxe patentibus viſendæ, negotiatorum omne genus admittebant, uſu quidem ſimiles hodiernis Byrſis, non autem vel capacitate, vel forma, eoque plurimi tales Romæ per compita frequentiora & fora varie ſparſi, & Jani ſtatuis inſigniti; hinc *Victor*: *Jani*, inquit, *per omnes regiones incruſtati & ornati ſignis*. Hos *Cicero* alicubi *tranſitiones pervias* appellat. Talis Janus marmoreus in Foro boario conſpicitur, pene integer. Tem-E pla autem Jani templis aliis urbanis non erant admodum diſſimilia, valvis ſuis & januis æratis munita, ex columnis ſtriatis opere Corinthio ſurgentia, in quorum faſtigio caput Jani jam duarum, ut Numæ tempore, jam quatuor, ut poſt Numam, frontium late eminebat. Et initio quidem templum Jano ſtruebatur nullum, ſed Romuli & Tatii ævo porta erat duntaxat, Janualis dicta, a ſigno Jani affixo. Hinc Varro: *Tertia*, inquit, *porta Janualis dicta a Jano, & ideo ibi poſitum Jani ſignum, & ejus inſtitutum a Numa Pompilio, ut ſcribit in Annalibus L. Piſo, fuit, ut ſit clauſa ſemper, niſi cum bellum ſit*. Hoc ſi-F gnum Jani poſtea in Foro fuit, manſitque cum ſua porta etiam tranſpoſitis alio muris intactum, in Jani venerationem, inque minutum tandem templum converſum eſt. Appoſite *Procopius*: *Foro in medio*, inquit, *ex adverſo Capitolii ſacellum exſtat Jani, quod totum ex ære conſtructum fuiſſe ſatis conſtat. Caput ſtatuæ ejuſduntaxat bifrons, ita ut facies altera in orientem ſolem, altera in occiduum divergat. Portæ utrinque ex ære in faciem alterutram verſæ*. Cur bi-

frons? Ad rem *Servius*: *Postquam Romulus*, inquit, *& Titus Tatius in fœdera convenerunt, Jani simulacrum duplicis frontis effectum, quasi ad imaginem duorum populorum*. Nisi mavis, Janum, ut conditorem gentis Italicæ, ipsum adeo Noachum fuisse, ipsique geminam attribui faciem, quod mundum ante diluvium & a diluvio inspexerit, hoc modo veluti geminum. Postea Numa aliud Jani templum ad imum Argiletum condidit, extra portam Carmentalem, juxta theatrum Marcelli, duobus brevissimis templis, ut loqui amat *Servius*, simul conjunctis propter Janum bifrontem. Ex quibus postea in unum transformatis grandius templum surrexisse vel inde conjicimus, quod in eo Senatus haberi potuerit, & ex Senatusconsulto ibi facto, docente *Festo*, trecenti Fabii in Vejentem agrum frementes eruperint. Tertium Jani templum ad Forum olitorium, hoc est, inter theatrum Marcelli & Tiberim C. Duilius struxit, Tiberius dedicavit, auctore *Tacito*. Sed quodnam Jani templum clausum vidit Roma pacato Orbe terrarum? *Livius* Argiletanum, *Varro* & *Procopius* æreum illud in Foro Romano; unde credibile putamus, clauso uno clausum fuisse & alterum. Sed de quonam Jano loquitur *Tullius*? cum ita: *Sed*, inquit, *toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam viris ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis Philosophis in schola disputatur*. Quem Janum notat *Horatius*? cum ita insit:

—— hæc Janus summus ab imo
Perdocet.

& alibi:

—— omnis res mea Janum
Ad medium fracta est.

Utrique de Janis transitoriis sermo est, in quibus fœneratores & negotiatores magno numero quotidie lucri cupiditas versabat: fuisse autem tres ejusmodi in Foro Janos, summum, medium, & imum, ex *Livio* colligitur, & duos ante Basilicam Paulli stetisse fidem facit *Acron* in Horatium.

CAP. VII.

De quinta Urbis regione.

1. REgio quinta, *Esquilina* dicta, Arctoam Esquiliarum partem complexa in humili illo sulco inter Cœlium & Esquilias ad templum S. Crucis Jerosolymitanæ cœpit, inde progressa hinc versus portam *Majorem* dictam, hinc Suburam hodiernam, per Viminalem ad thermas usque Diocletiani se se extendit, iisque a sinistra relictis in murum urbanum terminata est. Esquiliæ *Varroni* ab excolendo dictæ, quod a Servio Tullio variis lucis sacris excultæ fuerint, Fagutali, Mephiti, Junonis Lucinæ, Larium & Sacello Querquetulano. Et licet Cœlius mons olim Querquetulanus dictus fuerit, nil obstat tamen, quo minus lucus Querquetulanus cum sacello & porta ejusdem nominis humile illud inter Cœlium & Esquilias occupaverit, ut ita dicam, intermontium; quod tamen templum Lateranense ab æde S. Crucis Jerosolymitanæ dividit, ita ut sacellum Querquetulanum rectius pertinuerit ad Esquilias, lucus autem Querquetulanus ad Cœlium. Lucum Esquilinum ad templum D. Matthæo hodie sacrum collocat verisimilior conjectura, sicut Fagu-

A talem, ob fagum Jovi sacram, ibique nascentem ad *Templum D. Petri in vincula*. Mons Esquilinus septem olim colliculis seu clivis attollebatur, hodieque conspicuis, quorum quatuor Oppii montis cacumina dicebantur, quod mons Oppius pars magna esset Esquiliarum. *Templum S. Crucis Jerosolymitana* a Constantino superstructam traditur palatio Sessoriano: quæ in hortis ejus hodie visuntur rudera politissimo marmore referta creduntur nonnullis reliquias Templi Veneris & Cupidinis ostentare; sed credibilius, vestigia esse partis Basilicæ Sessorianæ. Ad sinistram S. Crucis Amphitheatrum Castrense ex latere quidem cocto,
B sed nitido opere Corinthio surgit, muro urbano hodie impactum; in quo milites olim cum bestiis pugnando ad humanas se cædes reddebant paratiores: Tiberius aliquando ludos hos transtulit Circejos, de quo apud *Suetonium* legas: *Circejos petendit, ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, Castrensibus ludis non interfuit solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit*. In muris urbanis, qui hortum S. Crucis ambiunt, cœpit agger Tarquinii Superbi, continuatus inde ad portam Collinam, crebrior turribus, quam ille Servii Tullii murus, & fossa centum pedum latitudine, triginta vero altitudine munitior, quod
C parte illa, quæ in Gabinos prospiciebat, Urbs esset infirmior, & hostium magis exposita injuriis, observante *Halicarnasseo*, *Plinio*, *Strabone*, aliis. Inter portam hodie Majorem & hortum S. Crucis, extramuranum vivarium olim fuisse, in quo bestiæ in usum spectaculorum custodiebantur, aperte adhuc rudera ostendunt, nec *Procopius* dissentit, ut hallucinari eos necesse sit, qui vivarium ad castrum Prætorium in Viminali extra mures collocant. Ad vivarium per dextrum Janum portæ Majoris exibatur, hodie clausum, cum sinister pateat.

D 2. Hortos & Circum Elagabali extra theatrum Castrense monstrat adhuc situs evidenter, & visum sibi Circum docet *Pyrrhus Ligorius*, etiam suo seculo magnificum, in cujus medio surgebat Obeliscus ille insignis hieroglyphicis distinctus, quem hodie fractum area Cardinalis Francisci Barberini in Quirinali ostentat. Circum hunc Aureliano tribuunt alii, quem haud dubie refecit exornavitque Aurelianus, nequaquam primus construxit. Extra portam Majorem, olim *Labicanam* dictam, *Templum Quietis* in via Labicana collocat *Livius*, extra Collinam *Augustinus*. Forsan fecuit se per χιασμὸν alicubi via utraque, in
E cujus bivii confinio Quieti ædes sacrata. Intra portam hanc figlinæ olim sudabant, auctore *Festo*, post extra portam geminam in planitiem montis Dolioli transportatæ. Cernitur hodie in horto Cornariorum antiqua fabrica lateritia decagona, quam alii Basilicam Caii & Lucii autumant, ab Augusto structam; cæterum cum *Vitruvius*, seculi illius Architectus, Basilicis formam tribuat non aut decagonam, aut rotundam, sed longiusculam, & ad minimum duplo longiorem, quam latiorem, cautiores alii *Templum Minervæ Medicæ* arbitrantur;
F nisi malis cum *Nardino veterem Naumachiam* existimare, quam in Nemore olim Caii & Lucii ab Augusto ædificatam memorat *Dio*; quam eandem *Victor* & *Rufus* lacum Promethei appellant. Ad *Templum D. Bibianæ* palatium *Licini* surrexisse auctor est *Anastasius*, & proxima rudera confirmant: illac transiit vicus, quem ab imagine vel statua ursi pileo ornati *Ursi pileati* nominarunt. Inter D. *Bibianam* & D. *Eusebium* via, qua a D. Maria Majore ad Templum S. Crucis Jerosolymitanæ recta itur, castellum adhuc cernitur *Aquæ Martiæ*, in cujus fornicibus superioribus trophæa illa marmo-

rea ante aliquot annos sita erant, quæ in Capitolio nunc spectamus erecta, *Mariique de Cimbris trophæa* esse suspicamur, tum quod jam olim *vicum* ibi *Cimbrium* appellarint, teste *Petrarcha*, tum quod arcus illi tam simpliciter triumphales Marianis temporibus oppido conveniant: nam postea erecta Cæsarum trophæa magnificentissimis arcubus & exquisito statuarum dimidiatarum (*bassos relievos* hodie appellant) apparatu late splendescunt. *Suetonius* ita: *Cæsar*, inquit, *trophæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris, atque Theutonis olim a Sulla disjecta restituit*. Obducent, trophæa Marii de Cimbris jam olim in Capitolio fuisse erecta; sed vanum hoc esse docet *Plutarchus*, qui sola illa de Jugurtha trophæa a Boccho Numidarum Rege in Capitolio disposita memorat. In Capitolio ergo stabat *simplex*, & unum trophæum Marii, victoriæ Numidicæ indicium; ad castellum *Aquæ Martiæ* inventum *duplex*, quod reportata de Theutonis & Ambronibus ad Aquas Sextias, de Cimbris ad Vercellas, victoria, duplicis palmæ duplex cuperet exstare monumentum. Quid quod *Val. Maximus* suo ævo bina Marii in Urbe trophæa conspexerit? Cæterum nec habes, Mari, cur trophæa illa Cimbrica adeo gloriose jactes: quicquid enim in prælio Vercellensi gestum est prospere, Collegæ tuo Catulo, & Soli eo die flagrantissimo, potius quam tibi acceptum referendum est. Bœorix Cimbrorum Rex, teste *Plutarcho*, & aciem peritissime instruxerat, & eo te redegerat desperationis, ut in ipso pugnæ fervore, manibus in cœlum sublatis, alias parcus Deorum cultor, hecatombe promissa victoriam anxie sollicitares. Nam virtuti tuæ quid debeatur, ex eo constat, quod tum calores insueti, ardentissimusque durante prælio Sirius Cimbros magis perculerit, quam ferrum Marianum, tum quod ferventissima exarserit circa Catuli legiones pugna; unde & signa militaria, tubæque hostiles in victoris Catuli castra relatæ sunt, & æneus ille Cimbrorum taurus, quem cum ipsis icturi fœdera jurare sueverant, in domum Catuli (visus ibi *Plinio*) deportatus est, magnum utique victoriæ Catulianæ argumentum.

3. Ad Mariana illa monimenta *Honoris & Virtutis Templa* collocat *Vitruvius*, sine postico a Mutio facta, ibidemque domum Æliorum ponit *Val Maximus*. Horti Mæcenatis, quos *Blondus* satis improvide in Quirinalem transfert, Esquilias olim exornabant, auctore *Horatio*: structi ubi ante Servium Tullium putei erant extramurani, in quibus pauperculorum comburebantur cadavera, vilissimorum autem & pauperrimorum relinquebantur putredini; quos puteos cum *Festus* suo etiam seculo extra portam Esquilinam collocet, necesse est, dilatatis a Servio muris, locum ultra Esquilias alium ustulandis projiciendisque plebejorum cadaveribus postea destinatum fuisse, cum corpora plebeja nunquam Romæ desiderata sint, flammis, aut putore abolenda. De puteis antiquissimis ita *Horatius*:

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca,
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum, &c.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus ——

Adjice illud *Festi*: *Puticuli*, inquit, *sunt appellati, quod vetustissimum genus sepulturæ in puteis fuerit; & dicti puticuli, quod ibi cadavera putescerent*. Sed ad hortos iterum Mæcenatis cœperunt illi, quo loco hodie spectatur *Templum D. Martino in Monte* sacrum, & pene ad usque muros urbanos progressi sunt. In his turris edita surgebat, ex qua Nero incendium Romæ ludibundus intuebatur.

A Mæcenatianis hortis propinqui erant Lamiani, ex *Philone*, de quibus ita *Suetonius*: *Cadaver Caligulæ*, inquit, *clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est*. Hic ne Divini Maronis ædes prætereamus addendum illud *Ælii Donati*: *Virgilius*, inquit, *habuit domum Romæ in Esquiliis, juxta hortos Mæcenati*. In campo Esquilino ferro in reos capitalis criminis animadversum. *Suetonius* ad rem: *Claudius*, inquit, *civitatem Romanam usurpantes in Campo Esquilino securi percussit*. Sed id temporis locum hunc extra Urbem B fuisse, vel ex illo *Taciti* colligimus: *In P. Martium*, inquit, *Consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco animadvertere*. Nec aliter capiendus *Taciti* locus alius: *Plautius Lateranus*, inquit, *raptus in locum servilibus pœnis sepositum manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii*. *Lipsius* hunc supplicii locum ultra secundum ab Urbe lapidem collocat, doctus illo *Plutarchi*: *Abjecerunt*, inquit, *quo solent eos, quos Cæsares supplicio dedunt, is vero locus sextertium vocatur, dictum quasi semitertio ab Urbe lapide semotus*. Cæterum nimium C ab Urbe sane remota censebitur aliis emortualis illa scena, nisi judices numerandi initium a columna milliaria in Foro Romano statuta ducendum, adeoque non ita procul a muris urbanis remota æstimabitur. Hodie Romæ non ad pontem Ælium tantum in reos animadvertitur, sed & a Pontifice Alexandro VII. non ita pridem gladio animadversum fuit extra portam D. Pauli, in eos etiam, quos sive cum fratribus, sive consanguineis amicisve aliis peste infectis clam versatos compertum, instituto in speciem crudeli, sed eventu Romæ salutari, quo venefica grassatoris morbi violentia D paullatim suffluminata quievit, quæ tum Neapoli & vicinis cum immensa civium strage incubuerat.

4. In Esquiliis *Vicum Palloris* & *Vicum Ustrinum* statuit *Rufus*, quos eo loco fuisse credi par est, ubi antiqui plebejorum cadaverum putei fœtebant, quod per alterum pallentia deportarentur cadavera, in altero urerentur: nisi malis Vicum Palloris ab Hostilii facto denominandum, *qui*, commemorante *Livio*, *in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori & Pavori*. Neque dubium hæc loca Tulli Hostilii ævo extra muros urbanos fuisse, eoque Templo Pavoris accommodatiora, E quando & institutum Lacedæmonis *Timoris ædem* extramuranam esse jusserit. Domus Servii Tullii in hac regione statuitur tum a *Victore*, tum *Rufo*, editiori loco fundata, qua se olim colliculus Cispius attollebat, paullo supra *Templum D. Laurentio in Fonte* hodie dedicatum; ideo structa in edito, ut in subjectum *vicum patritium* evidens pateret despectus. Opportune *Festus*: *Vicus Patricius*, inquit, *sub Esquiliis fuit, quod ibi Patritii habitarent, jubente Servio Tullio, ut si quid adversus Principem molirentur, e locis opprimerentur superioribus*. In Vico Patritio non tantum sacellum erat Isidis Patritiæ, sed & *Templum Dianæ*, viris nequaquam intran- F dum, de quo *Plutarchus*: *Cur Romæ*, inquit, *cum Dianæ multæ sint ædes, eam solum, quæ in angiportu, qui Patritius dicitur, viros ingredi nefas*. Mox subjungit: *Id factum, quod vir ob violenter constupratam in ea fœminam a canibus laceratus fuerit*. Institutum hodieque Romæ, Massiliæ, & alibi frequentatum, quo Templorum sacella quædam statis diebus solis fœminis patent, statis, solis viris. In hoc Vico crypta Nepotiana patebat, afflictis Christianis asylum: in ejus clivo ædes surgebat Deæ Mephiti, quam ideo hoc loco adoratam credibile est, ut mephitim sive fœtorem ex puteis cadaverum

plebejorum vicinis emergentem ab Urbe verteret. A Mephitim autem eandem esse, quæ Juno alias vocatur, vel illa *Servii* confecerint: *Mephitim*, inquit, *Junonem volunt, quam aerem esse constat; novimus autem putorem non nisi ex corruptione aeris nasci*. In Vico Patritio, ubi circiter *Templum* est *D. Laurentii in Fonte*, Circi olim vestigia *Fulvio* conspecta sunt: cumque *Alexander ab Alexandro* in eodem etiam Vico *Ludos Florales* institutos memoret, credit *Nardinus* in hoc loco fuisse celebratos. Verum enimvero Circum Floræ in regione sexta evidentia collocant scriptorum testimonia. Hic ut se expediat *Nardinus*, ingeniose duplices fingit *Ludos Florales*, B alios mense Aprili, eosque impudicos in Circo sive theatro Vici Patritii celebratos, alios Majo, eosque venatorios in Circo Floræ regionis sextæ. Sed subtilius est commentum hoc, quam solidius; etenim primo *Alexandri ab Alex.* auctoritas Ludos Florales in Vico Patritio collocans, cum nulla Veterum se muniat auctoritate, imbelle telum est; accedit, quod de loco ipse dubitet. Vox ejus: *Ludi Florales*, inquit, *quos in Vico Patritio, aut proximo celebrabant*. Secundo duplices non erant Ludi illi Florales, sed pars eorundem prima in finem Aprilis incidebat, pars ultima in Maii initium. C *Ovidius* clarissime:

Mater ades florum ludis celebranda jocosis,
Distuleram partes, mense priore, tuas:
Incipis Aprili, transis in tempora Maii,
Alter te fugiens, cum venit alter, habet,
Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensum,
Convenit in laudes ille, vel iste tuas,
Circus in hunc exit, clamataque palma theatris,
Hoc quoque cum Circi munere carmen eat.

Ut obiter hic moneam, *Rosinum* ex his versibus improvide ostendere parare, Florales Ludos primum mense Aprili celebratos fuisse, postea in Majum D fuisse translatos; nam de translatione illa *Ovidius* ne verbum quidem facit, sed exordium Floralium Aprili, exordium Majo constanter assignat. Verum ad *Nardinum*. Tertio *Ovidius* uno textu sermonis meretricios & venatorios illos ludos conjungit, nullo locorum discrimine annotato. His accedit, quod venationes illæ non fuerint sævientium bestiarum, sed lepusculorum, caprearumque, animalium non nisi in Venereis bellicosorum, unde iterum *Ovidius*:

Cur tibi pro Libycis claudantur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus? E
Non tibi, respondi, sylvas cessisse, sed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.

5. Sed obducat *Nardinus*, Catonem e theatro ludorum Floralium discessisse, *Valerio Maximo* auctore, non e Circo Floræ, adeoque collocandum in Vico Patritio theatrum Floralium, in regione autem sexta Circum Floræ. Verum salva res est; Circus enim non est, nisi theatrum oblongius, ut adeo curæ non fuerit sive *Valerio*, sive *Martiali*, circum a theatro religiose hic distinguere. Quid quod, si presse discrimen urgeat *Nardinus*, hoc F ipso causa cadat; nam cum diserte Circi vestigia sibi in Vico Patritio conspecta *Fulvius* memoret, non autem theatri, *Nardinus*, ut opinioni suæ indulgeat, oculatum *Fulvii* testimonium rejicit, & theatrum ibi sine ulla auctoritate Veterum ex ingenio collocat. Sed audiri de eis ludis meretur *Valerius Maximus*: *Cum ludis Floralibus*, inquit, *quos Mænius ædilis faciebat, M. Catone spectante, populus, ut mimæ nudarentur, postulare erubuisset, Cato, cognito illo ex amico suo Favonio, e theatro discessit, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret, populusque eum abeuntem ingenti plausu prosecutus priscum morem jocorum in scenam revocavit*. Quin immo hic ipse locus *Nardinum* valide premit; nam Cato, opinor, antequam theatrum ingrederetur, explorate noverat, meretrices ibi nudari, sed una sciebat & venationes leporum dari, caprearumque, missilia cicerum fabarumque spargi, & alia ludicra celebrari: hæc ad spectaculum Catonem invitaverant, non illa meretricia, alioquin in suetam sibi severitatem iniquior merito fuisset æstimatus; ut proinde acumen suum perdat *Martialis*, cum ita:

Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

Non enim venerat, ut impudica illa oculis usurparet: sed ipse vetus Urbis incola oblivisci non poterat, alia ibi geri oculos modestos oblectantia. Certe & funambulos Floralibus ludis inductos docet in Galba *Suetonius*, & in Carino *Vopiscus*. Quod elephantorum ludicrum cum olim non satis assequerer, illustris *Gombervillæus* Parisinus ex antiquo numismate significavit, elephantos, quod in uno funiculo divaricata nescirent colligere crura, duabus chordis parallelis incedentes duxisse choreas. Quale numisma fuisse, in quo elephantum funambulum vidit *Peirescktus*, credibile.

6. *Ædem Junonis Lucinæ* eo loco fuisse, ubi hodie *Templum D. Mariæ Majoris* superbit, non inconvenienter ex *Varrone* colligitur; & ex *Ovidio*, lucum Junonis Lucinæ sub eodem clivo versus *Templum D. Laurentii in Panisperna*. Inter *Templum D. Viti in Macello* & *Templum D. Antonii* magnificum illud *macellum Livianum* fuisse non ex *Anastasio* tantum elicimus, sed ex eo quoque, quod *Faunus* ibi inventa scribat ævo suo in ruderibus infinita vasa excipiendo animalium sanguini convenientia, immensum ossium cornuumque bestiarum numerum, evidens lanienæ argumentum. Huic vicina cernebatur olim *Basilica Sicinini*, de qua ita *Marcellinus*: *Constatque*, inquit, *in Basilica Sicinini ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum*. Et huic proxime in muro spectatur adhuc arcus rudi opere ex Tiburtino lapide exsurgens cum Inscriptione:

GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI.
CVIVS. INVICTA. VIRTVS. SOLA. PIETATE. SVPERATA. EST. M. AVRELIVS. DEDICATISSIMVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

Extra *portam D. Laurentii*, olim Tiburtinam dictam, campus Veranus aperitur, in quo *Templum D. Laurentio* sacrum Roma adhuc veneratur. De eo *Anastasius Bibliothecarius*: *Constantinus Augustus*, inquit, *fecit Basilicam B. Laurentio Martyri in via Tiburtina, in agro Verano super arenarium cryptæ*. Dum subit memoriam crypta hæc Laurentiana, Romæ subterraneæ pars non minima, paucis monere visum est, *Romam*, quam vocant *subterraneam*, (de qua operose *Bosius*, *Severanus*, & *Aringhus*, sed alio, quam ego, instituto) non esse id, quod rerum ignari vulgo existimant. Persuasum enim multis est, tempore, quo ab Imperatoribus Romanis in Christianos, tanquam gentem maleficæ superstitionis, fero & excogitatissimo quoque tormentorum apparatu sævitum est, sacrum hoc, sed afflictum genus in subterraneis ædium suarum cellis vitam occulte transegisse; inde actis ad domos aliorum Christianorum secretis cuniculis aliis atque aliis paullatim convenisse, &

ſacra ſuæ in arcanis hiſce obſcuræ telluris peregiſſe compitis: adeoque invaleſcente in Urbe domina Chriſtianorum numero Romam tot cuniculis ſuffoſſam, veluti penſilem ſeculis aliquot duraſſe, veneficis illis percuſſoribus Ethnicis ignaris, ſub pedibus ſuis cœtum calcari, qui vota faceret vero Deo, cum in Urbe ſplendide viventes Vejovi thura offerrent. Cæterum, initio, non diſſimulandum, Romam jam olim penſilem dici potuiſſe, non tamen, quod Chriſtianorum artibus cuniculiſque ſubtus concamerata hiaret, ſed ob infinitum prope cloacarum ſubterranearum & numerum & ſpectatam mihi non ſine horrore amplitudinem. Verum Chriſtianorum illi cuniculi maximam partem (ſi excipias cryptam Nepotianam in vico patritio, item puteos in domo Pudentis, item ad Thermas Novatianas Titianaſque occultos labyrinthos) in ſuburbiis erant, ab oppidanis muris procul remoti, ut perluſtrantibus hodieque liquido apparet. Nec in ſuburbiis tantum, ſed & in agro Romano ab urbe remotius hinc inde tumultuario opere diſcurrunt. Ex quo efficitur, ut eo propendeam, ſpecuum horum plures ab Ethnicis, quam Chriſtianis excavatos fuiſſe, nec occultandis hominibus ſerviiſſe initio, ſed rubram ex ipſis per Architectorum miniſteria egeſtam arenam, ædificiorum neceſſariam ruderationi. Nam cum ad Urbem illam Urbium ſtruendam conſervandamque pene immenſi ſimilis arenæ cuniculi requirerentur, quæ calci intrita, id quod Romæ adhuc ſolenne, jungendis laterculis & intermediis murorum hiatibus implendis deſerviret, aliunde terra illa commode advehi non poterat, quam ex vicino Urbi agro, in quo accommodatiſſimam ſtruendis muris terram reperiri *Vitruvius* agnoſcit. Hinc opportune *Anaſtaſius*, ut ſuperius monui, *D. Laurentii ædem* ſcribit fundatam ſuper *arenarium* cryptæ. Quid quod Romæ in plurimis hodieque Palatiorum antiquorum ruderibus terra conſpiciatur, ſimillima illi, quæ ex cryptis *D. Laurentii*, *D. Sebaſtiani*, *D. Pancratii*, aliiſque eruitur, argumento haud dubio, ex ſcrobibus ſuburbanis, quæ etiamnum talem ſubminiſtrant, hauſtam eam eſſe. Sed cur in tectis cuniculis agendis ſe laſſarent operarii, cum laboris minus exantlaretur in ſcrobibus ſubdialibus? Cæterum neceſſitas jubebat tectos eſſe, ne pluvio cœlo interrumperentur labores, ne cavernæ implerentur aqua pluvia; præcipue vero, quia conveniens illa ædificiis terra non in ſummo cortice hæret, ſed habet ſuas quaſdam venas, nunc ſe mergentes in profundum, nunc iterum verſus auras ſurgentes, quas ſequi ligone neceſſe eſt, haud aliter atque in fodinis metallorum. Similes cuniculi extra urbem Pariſiorum ſpectantur plurimi, ex quibus ſaxa & argillam quotidie eruit operariorum ſudor. Nec diſſimiles ad Bathonium urbem Angliæ, & Turonium Galliæ conſpexiſſe me recordor. Trajecto ad Moſam imminet mons, totus ad ædificiorum ſaxa perfoſſus, amplioribus longe cavernis intus dehiſcens, quam Neapolitana illa crypta, quam *Pauſilypum* vocant. In dorſo tamen geſtat cœnobium Franciſcanorum, & agros frumento atque vineis conſitos. Illos cuniculos cum non ita pridem pertranſirem, ad milliare Italicum variis anfractibus errantes, mirari deſii multitudinem cryptarum Romanarum, cum Trajecto, mediocri oppido, conſervando tanti montis viſcera notarem ægre ſufficere. Igitur nihil credibilius, quam cuniculos hos Quiritium magnam partem a promiſcua operariorum Romanorum plebe in profundum actos eſſe, & quidem diu ante Chriſtianum nomen Orbi auditum; ſed Chriſtianos, ut aperta declinarent pericula, opportunitate eorundem uſos, ſe in iis ſubinde abdidiſſe, & adjeciſſe denique alios atque alios in iis ductus, ut in illis & tutius ſacris ſuis operarentur, & mortui ſecurius quieſcerent; ſicut conſtat, agreſtes Trajectini agri totum aliquando Hiſpanorum exercitum declinaſſe in montis illius ſpelæis occultatos; & Spartacum in mæandris Veſuvii cum multis legionibus gladiatorum delituiſſe. Sed ne id quidem prætereundum, adeo anguſtos quandoque in cryptis Romæ ſubterraneæ inveniri ductus, ut vix trimo puerulo concedant tranſitum, nedum totis Chriſtianorum cœtibus huc illuc permeaturis. Neque vero id ullo pacto veriſimile, ſuburbiorum Romanorum cuniculos Ethnicis Romæ habitatoribus ignotos fuiſſe: ubi enim tantam egeſtæ materiæ molem (quæ vel Pontinas impleret paludes) relinquerent Chriſtiani, inſciis urbanis? quot Chriſtiani a ſacris ſuis quotannis ad Ethnicam religionem deſciſcebant, cryptarum ejuſmodi conſcii? Diſerte *Plinius* epiſt. LXXXXVII lib. X. *Alii*, inquit, *ab indice nominati eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negaverunt: fuiſſe quidem, ſed deſiiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, Trajane, Deorumque ſimulacra venerati ſunt; ii & Chriſto maledixerunt.* Quin & Imperator Claudius Chriſtianos ad effodiendas in cryptis viæ Salariæ arenas damnavit edicto, ſi verus, apud *Caniſium*, Metellus Tergeſenſis. His adjice ſepulcri Alexandri Martyris (qui, imperante Antonino, ad meliorem vitam ex Roma ſubterranea abiit) inſcriptionem in cryptis ſuburbanis repertam, & ab *Aringho* in *Rom. Subterran.* annotatam: O. TEMPORA. INFAVSTA. QVIBVS. INTER. SACRA. ET. VOTA. NE. IN. CAVERNIS. QUIDEM. SALVARI. POSSIMVS. Immo vero & Paganos in ſuburbanis iſtis hypogæis quandoque ſepultos fuiſſe ex eo colligas, quod in cryptis Sebaſtianeis ipſe marmor offenderim cum Inſcriptione: CORNELIAE. SVCCESSAE. CONIVGI. cum loco cinerum. Neque enim vel crux aderat, nota Chriſtianiſmi, vel aliud Chriſtianum redolens; nec Chriſtiani mortuos comburebant, quod factum hic cinerarium teſtabatur.

Sed ut e diverticulo ad Eſquilias redeamus, in iis Perſii Propertiique domos venerabimur, ſicut ibidem Ethnici *Ædem malæ Fortunæ* venerati ſunt, de qua *Cicero*: *Ara vetus*, inquit, *ſtat in Palatio Febris, & altera in Eſquiliis malæ Fortunæ, deteſtatæque.* In Viminali D. Laurentio hodie Templum ſurgit, & quidem celebre, quo loco ſanctum illum Martyrem craticula ignita uſtulatum referunt: olim illic Thermæ Olympiadis otioſorum lotionibus perſtrepebant; in quarum vicinia, verſus D. Vitalem, patebat lavacrum Agrippinæ, matris Neronis, & ad radicem D. Laurentii Templum Sylvani, cum porticu. De altari Jovis Viminei (quod ad Thermas Diocletiani ratio collocat) ita Feſtus: *Viminalis & porta*, inquit, *& collis appellatur, quod ibi vicinium fuiſſe videtur ſylva, ubi eſt & ara Jovi Vimineo conſecrata:* cui & Templum ibidem attribuit *Rufus*. Campum Viminalem hodie *Villa Peretta* ea parte complectitur, qua latus claudit Thermis Diocletiani. Ad latus *D. Laurentii in Damaſo*, Nymphæum Gordiani cum inſcriptione marmorum ibi repertorum merito collocatur. *Caſtrum Prætorium* ut indubitato ſtatuatur extra portam Nomentanam, Viminalemque, non extra Capenam, ut perperam aliis creditum, allegare juverit illa *Suetonii*: *Nero*, inquit, *offerente Phaonte ſuburbanum ſuum, inter Salariam & Nomentanam viam, circa quartum milliarium*, &c.

equum conscendit, quatuor solis comitantibus, inter quos & Sporus erat, statimque tremore terræ, & fulgore adverso pavefactus audiit ex proximis castris clamorem militum, & sibi adversa, & Galbæ prospera ominantium. Hinc clarissime elucet, Neronem via Nomentana progredientem, ex castris Prætoriis ad dextram Nomentanæ sitis, clamores militum tumultuantium exaudisse: nam per portam Capenam, ut aversissimam Urbis partem, illuc transitus non erat. Clarius adhuc antiquus in Juvenalem *Scholiastes*: *Juxta aggerem*, inquit, *primus castra posuit Sejanus, id est, super Diocletianas, quæ dicta sunt Castra Prætoria.* Scilicet *castra Prætoria* collocat extra Thermas Diocletianas, quas hodieque inter portam Nomentanam conspicamur; nam *castra Prætoria* extra muros erant usque ad Aurelianum, qui dilatatis hac parte mœnibus castra quoque muro inclusit. Extra portam Viminalem sacellum Deæ Næniæ ponit *Festus*; extra Collinam, sed in regione Esquilina, *Templum Veneris Erycinæ*, *Victor*; ad quod castra olim metatus Sulla, cum civium cædes & sanguinem spiraret. Antiquissimo autem instituto Veneri templa extra Urbem excitata narrat laudatque *Vitruvius*: extra Collinam (quo cum duobus equitum millibus olim confidentissime provectus Hannibal trepidæ Urbi ferox insultabat) Honori Templum surgebat; ibidemque, sed paullo vicinius portæ, aliud Templum erectum stabat Herculi. Extra Nomentanam seu Numentanam ponendum *lucum Pœtilinum* ratio persuadet, ut proinde emendandum merito mendum sit, quod in *Livium* temere per librarios irrepsit: *Ita producta die*, inquit, *in Pœtilinum lucum extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non esset, Concilium Populi indictum est.* Legendum, *portam Numentanam*, nam egressi porta Flumentana Capitolium facillime conspiciunt.

8. Extra *portam* hodie *Piam* via Nomentana illustre templum spectamus B. Agneti consecratum, cui vicinum est antiquum rotundæ structuræ sacellum, vulgo *Templum Bacchi* creditum, in quo cum opera quædam Musiva (quæ hactenus in Urbe vigentia morte sua ante hos XVIII. annos destituit Musivarius ingeniosissimus Calandra) resplendeant, & præcipue nobilis ille marmoris leucosticti Thebaici, hodie porphyretici dicti, sarcophagus Bacchica quædam schemata ostendat, sepulcrum Bacchi otiosi quidam Antiquitatis spectatores solent nominare. Verum insculptæ sarcophago figuræ, Cupido alatus uvas corbe ferens, item tres alati Cupidines nudis pedibus cumulum uvarum calcantes, cum suppositis vini receptaculis, aries, pavones alis plaudentes, vir barbatus cum fæminis aliquot, non tantum vindemiam repræsentant, sed talia quoque sepulcris olim Christianorum insculpta diserte monstrat *Bosius* in Roma subterranea. Rectius proinde sacrarium hoc rotundum *baptisterium Constantiæ*, Constantini sororis, initio fuisse æstimatur *Anastasio*, & postea ejusdem sepulcrum, ut ex *Marcellino* colligi videtur. Ita ad januam *Templi Lateranensis* porphyreticum cernimus sarcophagum, qui Helenæ, matris Constantini, ossa diu traditur asservasse. Sed ut ad personatum Bacchi sepulcrum redeamus: quid uvis pressis, obducet aliquis, cum nomine Christiano? immo hoc velut sacro hieroglyphico docebant, se in morte quidem ad instar uvarum calcari, atteri, abjici, sed ex attritis tamen consumptisque suis corporibus immortalem prodire animam, sicut ex attritis pressuque exhaustis uvis vina generosissima solent prolectari. Videas & frequenter Christianorum sepulcris insculptum cum balæna Jonam, in spem cum Jo-

A na olim superas in auras evadendi. Quin & Aquisgrani cum marmoreo monumento Caroli Magni, Principis utique, si quis unquam, Christiani, raptum Proserpinæ affabre insculptum conspicarer, non diu mecum luctatus sum, antequam assequerer summi Principis institutum, ita nimirum Divum genus a caligante sepulcro raptari, ut spem relinquat fore, uti cum *Claudiano* in Rapt. Proserpinæ,

Rursus corporeos animæ insinuentur in artus.

aut cum *Ovidio*:

B —— *repetat Proserpina cœlum.*

Sed cur sepulcralia Christianorum marmora inscriptionibus horridula sunt, etiam Romæ parum Romanis? legas enim alibi: SPIRITO. SANCTO. alibi: SI. QVIS. SEPVLCRVM. HVNC. VIOLAVERIT. CVM. IVDA. PARTEM. HABEAT. alibi: QVI. BIXIT. pro vixit; alibi: MATER. CRISPINA. FILIBVS. DIONYSIO. ASILEO. BENE. MERENTIBVS. pro, filiis. Nec vacat adducere plura, quæ offerunt pavimenta Templorum suburbicariorum Ro-
C mæ, & ipsa *Roma subterranea* Aringhi. Itane rudes literarum erant sacri illi cruciarii? Quid simulasse juvat? erant Christianorum plerique id temporis non tantum plebeii, sed & rebus Divinis magis intenti, quam humanis, ut qui crederent calamistros illos sermonis professioni suæ parum convenire. Hinc apud *Arnobium* Christianis objicitur: *Trivialem & sordidum esse eorundum sermonem, barbarismis & solœcismis res ipsorum obsitas*; apud *Minucium Felicem* male audiunt, tamquam *indocti, impoliti, agrestes, studiorum rudes, literarum profani, homines artium sordidarum.* Quin & *Origenes*, effutiente *Celso*, Christianos tradit *ἐριουργοὺς*,
D *σκυτοτόμους, κναφεῖς ἀπαιδεύτους, ἀγροικοτάτους, ἀνδραποδώδεις, ἀναισθήτους*, quibus operose hic respondere parum attinet, quod disertissime olim hoc labore defuncti sint *Lactantius*, *Origenes*, *Tertullianus*, & Patrum longe plurimi; eo quoque disputationis calore aliquando provecti, ut in aspera adversus humaniores literas desinant judicia; quod vel unum docuerit, fervidius altercando veritatem quandoque periclitari. Audiri meretur *Arnobius*: *Cum de rebus agitur*, inquit, *ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur, nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates, maxime cum scia-*
E *mus etiam quosdam sapientiæ deditos non tantum abjecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatius atque uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem, & sophistica se potius ostentatione jactarent.* Hæc quidem ita Ecclesiæ primitivæ præsertim sellularios artifices,& jam ante delibatum Christianismum ætate provectos a crimine barbarismorum vindicant, ut hodiernis Musarum sacrarum cultoribus ignaviam oris & stribliginem inficetam nequaquam condonent. Argumento sint iidem sacri Patres, qui ubi in phaleras cincinnosque eloquentiæ
F Paganæ ardentissime declamant, ita nihilominus ipsi oratorios movent lacertos, ut nihil pene in scriptore Ethnico reperias expictum cultius, politius, magnificentius. Sed & ne Christianis ruditas scribendi rubori sit, certum est, nullo non ævo Quiritium, sculptores marmorum sibi excidisse, licet quandoque, ut a morte Hadriani, gravius. Hinc legas in marmoribus priscis monumentorum, quæ Principis Justiniani collegit sedulitas, P. CALVIVS. P. F. IVSTVS. MANCIPS. OFICINARVM. AERARIARVM. QVINQVE. Item:

Item: ME. VIVVS. FECI. MIHI. HOC. MONVMENTVM. Item: DEANAE. NEMORENSI. SACRVM. id est, Dianæ. Alibi CONTRASCRIBTOR, pro contrascriptor; alibi, COMMANICVLIS. SVIS. pro commanipulis, rectius commanipularibus suis. Sed ante omnia id apparet in antiquo & haud dubie optimi ævi marmore quod in palatio Ducis Cæsii exstat, ubi nitidissimis characteribus, iisque grandibus ita legas: INGRATAE. VAENERI. SPONDEBAM. MVNERA. SVPPLEX.

9. Sed ad institutum iterum; baptisterio huic, sepulcroque Constantiæ imminent rudera grandis alicujus ædificii, quæ an antiqui cujusdam hippodromi monimenta cum *Fauno* & *Marliano* æstimanda sint, an potius monasterii vetustissimi reliquiæ, non satis equidem liquet; apparet tamen quodammodo inde, monasterium fuisse, quod Antiquorum nemo hippodromum ibi statuerit; accedit, quod rudera non satis in longum porrigant fabricam, id quod tamen hippodromi usus requisivisset. Paullo ultra *Templum B. Agnetis*, Nomentana via, in villa Phaontis liberti histrioniam exercere dedidicit Nero, invisumque Superis spiritum infelix Tragœdus effudit. Via salara vel salaria vidit olim *Lucum Lavernæ*, si quidem verus *Acron* in *Horatium*: *Laverna*, inquit, *via salaria lucum habet, & est Dea furum, & simulacrum ejus fures colunt*. Ad ripam Anienis superato ponte salario, collis surgit hodieque, mons sacer olim dictus, in quem plebs Romana urgentibus fœneratorum injuriis secessit, ut ex *Livio*, *Halicarnasseo*, & aliis constat. In hac regione Nymphæum Alexandri Severi collocant Antiquarii, de loco præcise definito ambigitur. Fuere autem *Nymphæa* fontes artificiosi, aquam quaquaversum per obliquos, rectos, intortosque canaliculos varie spargentes, cum adjunctis ædificiis recreationi dicatis, ut ex *Philandro* in *Vitruvium* colligitur. *Suidas* interpretatur lavacra; *Rhodiginus* balnea sexus duntaxat fæminei; *Zonaras* publicas ædes nuptiis celebrandis destinatas, quas nostri *Compagnie* appellaverint; *Festus* γάμον, id est, ipsas nuptias; alii receptacula aquæ, seu fontanæ, seu putealis, seu pluviæ. Ex quibus satis apparet, Græcis nuptiarum ædes *nymphæa* appellari, sed Romanis artificiosa diversi generis lavacra.

CAP. VIII.

De sexta Urbis regione.

1. Regio sexta, *Alta semita* appellata, montem Quirinalem complectebatur, incipiensque a foro Nervæ pergebat ad *Templum D. Vitalis*, hinc progrediendo thermas Diocletiani, portam Collinam, Pincii montis partem, forum Grimanum, hortum palatiumque Pontificium, hortum Columnensium, & columnam Trajani ambitu suo includens, in foro Nervæ iterum terminabatur. Qua hodie a columna Trajani ad palatium Pontificium in Quirinali ascenditur, versus editam illam turrim, quæ *Torre de Conti* appellatur, *Balnea Paulli*, de quibus *Juvenalis* cecinit, ferbuisse declarat adhuc nomenclatura loci, licet corrupta, vulgus enim *Bagnanapoli* appellat. In horto Aldobrandini Dio Fidio surgebat ædes. Erat autem *Dius Fidius* Sabinorum Deus, *Santus* quoque, & *Sabo*, & *Sangus*, sive *Sancus* vocatus, fidei præfectus, per quem jurare soliti Veteres, *Me Dius Fidius*, sc. juvet, quomodo Galli hodie rectius, *ma foi*. De hoc *Sango* apposite *Ovidius* VI. Fastor.

Quærebam nonas Sanco, Fidione referrem,
An tibi Semo Pater; cum mihi Sancus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero: sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inde Quirinali constituere jugo.

Livius lib. VIII. *Bona Semoni Sango censuerunt consecranda, quodque æris redactum est, ex eo orbes ærei facti, positi in sacello Sangi, versus ædem Quirini*. Tectum hujus ædis superne apertum erat, ex *Varrone*, ut videretur Dium, id est cœlum, unde illud *sub Dio* accersit natales. Mirari hic subit, *Augustinum* l. de Civit. Dei, *Eusebium* lib. II. Hist. Eccles. cap. XII. & *Justinum Martyrem* in Apologia scribere: *In amne Tiberis inter duos pontes erectam statuam Latinam; hanc habentem inscriptionem: SIMONI SANCTO DEO;* ac si Romani Simoni Mago statuam & divinos honores decrevissent. Enimvero visitur hodieque in eadem Insula idem marmor, in conclavi quodam *Templi D. Bartholomæi*, quod eo loco olim erutum in hæc verba literatum est: SEMONI. SANCO. DEO. FIDIO. SACRVM. SEX. POMPEJVS. S. P. F. COL. MVSSIANVS. QVINQVENNALIS. DECVR. BIDENTALIS. DONVM. DEDIT. Ut constet sanctos alioquin venerandosque Patres similitudine soni deceptos sibi excidisse, nec nisi Diis proprium esse, nunquam errare. In templo Sangi colum & fusum Tanaquilis conservatum fuisse refert *Plinius*. *Nardinus* vidit quoque Inscriptionem superius attactam, sed legit in eadem SEMONI. SANGO. manifeste contra fidem marmoris, in quo SANCO extat, non SANGO, ut ipse coram observavi. Fuere, queis Sancus hic *semipater* etiam vocatus, sed *Semo pater* legendum docet *Gruterus*, *Heinsius*que.

2. *Templum Quirini* antiquum non procul aberat a *Templo D. Vitalis*, cujus marmora ante seculum, & quod excurrit, in Capitolium translata gradibus *Templi Aræ Cœli* inserviunt. Conditum fuit hoc Templum, ex quo occasionem fabulæ præbuerat Eques Romanus Julius Proculus, sancte adjurans vidisse se Romulum jam e vivis sublatum recta in cœlum euntem, &c. Nam a morte cœpit primum Quirinus appellari, sicut enim hodiernis Pontificibus cum novo imperio nomen quoque novum assumitur; ita olim in Deorum numerum relatis alia sæpe & sanctiora nomina attributa legimus. Hinc Io post fata transiit in Isidem, Melicerta in Portumnum, Æneas in Jovem indigetem, Romulus in Quirinum. Neque tamen omnibus (quod persuasum *Dempstero*) in apotheosi immutatum est nomen, nec enim vel Herculi, vel Augusto, vel mille aliis id accidit. De Quirino ita *Ovidius* II. Fast.

Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit,
Sive quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra Deus;
Sive suum Regi nomen posuere Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

Ibidemque vox ejus ad Proculum:

—— prohibe lugere Quirites,
Nec violent lacrymis Numina nostra suis,
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamque colant.

Julianus in Cæſaribus. *Λέγεται γὰρ μεθ' Ἡρακλέα παρελθεῖν ἐκεῖσε* (ſc. in cœlum) *καὶ ὁ Κυρῖνος, ᾧ δὴ χρὴ καλεῖν αὐτὸν ὀνόματι, τῇ θείᾳ πειθομένους φήμῃ.* Sed ſi ita eſt, cur ante mortem vocatus eſt Quirinus a divino *Marone* Æneid. 1?

—— Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt.

Conſtat ratio *Maroni*; Jupiter enim vaticinans voces has in ſinum Veneris de Ænea ſuo ſollicitæ effundit, ut cui fatorum conſcio ignotum eſſe nequierit, Romulum olim gubernaturum, & Quirinum ab obitu appellandum. Romulus ergo ab exceſſu in hoc Templo religioſe cultus, & Quirinus appellatus eſt. De myrtis Quirinalibus curioſe *Plinius* lib. xv. cap. xxix. *Inter antiquiſſima*, inquit, *delubra habetur Quirini, hoc eſt ipſius Romuli: in eo ſacræ fuere myrti duæ, ante ædem ipſam per longum tempus, altera patritia appellata, altera plebeja: patritia multis annis prævaluit, flacceſcente plebeja exuberans & læta: quamdiu Senatus floruit, illa vigens, plebeja retorrida ac ſqualida: quæ poſteaquam evaluit, flacceſcente patritia Marſico bello, languida auctoritas Patrum facta eſt, ac paulatim in ſterilitatem emarcuit majeſtas.* Non procul ab æde Quirini ſolarium horologium ſtatuit L. Papyrius Curſor, duodecim antequam cum Pyrrho bellatum eſt annis. Q. Marcius Philippus diligentius ordinatum poſuit. Nihilominus etiam tum nubilo tempore incertæ fuere horæ, donec Scipio Naſica primus aqua divideret horas æque noctium ac dierum, idque horologium ſub tecto dedicavit anno Urbis DXCV. Tam diu Populo Rom. indiſcreta lux fuit, tradente *Plinio* lib. VII. cap. ultimo.

3. Ad ædem Quirini pulvinar Solis cultum olim fuiſſe teſtis eſt *Quintilianus* lib. 1. Inſtit. cap. VII. Conſtat & ab ea non procul remotam fuiſſe porticum Quirini negotiis & deambulationibus celebrem, quam in valle Quirini cum collocet *Nardinus*, & non potius in colle, parum juvatur illo *Juvenalis* Sat. II.

—— officium cras
Primo ſole mihi peragendum in valle Quirini,
Quæ cauſa officii? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet.

Quis enim credat infames illas nuptias, ubi vir nubit, in publica porticu celebratas, & non potius in loco obſcuriori vallis ædilem metuente? In valle Quirini *ædem Fortunæ publicæ* ſtatuunt, ex *Ovidii* Faſt. lib. II. ſed emendatiſſima *Heinſii* editio ita legit:

Qui dicet, quondam ſacrata eſt colle Quirini
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Sic vetus Kalendarium: FORTVN. PVBLIC. PR. IV. COLL. His adde *Feſtum*, *Rufum*, & *P. Victorem* in colle ponere. *Nic. Heinſius* putat *Ovidium* ſcripſiſſe, *in colle Quirino*, neque forſan abſque ratione. Templo Quirini, ſecundum *Livium*, vicina fuit *ædes Salutis*, cujus rudera *Nardino* illa æſtimantur, quæ in horto Cardinalis Columnæ marmorum mole & fabrica prorſus admirandæ omnium hodieque in ſe oculos convertunt; Antiquarii plures magnificas has reliquias ex *templo Solis* Aureliani ſupereſſe conjiciunt, quod equidem haud dubie in Quirinali fuit; cæterum operis hujus architectura ſuperbiſſima, baſes columnarum exquiſitiſſimæ, marmorum illa delicatior ſculptura ſeculum Aurelianæo antiquius politiuſque palam oſtendunt; cum vel ex Gallieni Severique arcubus, aliiſque reliquiis hic inde in Urbe reſtantibus, etiam iis, quæ Aureliani ævum nonnihil

A præceſſere, conſtet, illos exaſciatorum operum artifices jam diu ante defeciſſe. Quin vel nummos Aurelianæi ævi adhuc obvios ſi intueare, ſculpturæ ignorantiam deprehendes. Si tamen *Templum Solis* hic fuiſſe pertendas vehementius, & Aurelianum undique conquiſiviſſe artifices, ita nos huic opinioni accommodabimus, ut exiſtimemus Templo illi vicinum fuiſſe magnificum aliud ædificium, cui rei fidem facient plurimæ illæ ſubterraneæ cellæ, quæ in Templo non requiruntur, & ab altera illa fabrica aliquo diſtant intervallo, in quarum una ſtirias ſaxeas e fornice pendentes conſpicias, argumento, aquam pluviam longo ſeculorum tractu B per laterculorum hiatus minutiſſimos penetrantem longa quiete in ſaxeas has pyramides obriguiſſe. *Alex. Donatus* magnifica illa rudera ex *ſenaculo muliebri* reſtare arbitratur. Et certe *Lampridius* clare: *Fecit & Elagabalus*, inquit, *in colle Quirinali ſenaculum*, (ita legunt *Caſaubonus*, *Gruterus*, *Salmaſius*, *ut a potu poculum*, *cum alii* ſenatulum) *in quo antea fuerat conventus matronalis ſolennibus duntaxat diebus*. Sed audiamus decreta hujus gynæcoſynedrii. Pergit *Lampridius*: *Sed Semiamirica facta ſunt ſenatus conſulta ridicula de legibus matronalibus, quæ quo veſtitu incederent, quæ* C *cui cederet, quæ ad cujus oſculum veniret: quæ pilento, quæ equo ſagmario, quæ aſino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum: quæ ſella veheretur, & utrum pellicea, an oſſea, an eborata, an argentata: & quæ aurum, vel gemmas in calceamentis haberent*. In ſenatu muliebri haud dubie de feſtis etiam matronalibus actum, ut præcipue de illo *Bonæ Deæ*, & *Cypriæ Veneris*, in quibus phallos, ſeu maſcula faſcina, notante *Arnobio* lib. v. per Urbem religioſe circumferebat matronalis gravitas. Cæterum, licet ſenaculum muliebre non procul remotum fuerit ab hoc loco, majeſtas tamen operis ſeculum Elagabali antevertit; ut mittam a *Lam-* D *pridio* non tam notari novam fabricam ab Elagabalo tentatam, quam veterem in illuſtriorem uſum matronarum converſam.

4. Ubi hodie Aula Cardinalis Mazarini cernitur, olim *Thermæ Conſtantinianæ* fervebant; id quod non rudera modo, ſed & marmoris ibidem inventi luculenta Inſcriptio, & ſtatuæ Conſtantini filiorumque iſtic loci repertæ ſatis declarant. Inſignes illi duo marmorei equi, qui pomœrium jam Palatii Pontificii nobilitant, efficiuntque ut mons olim Quirinalis, hodie Caballinus vocetur, non ſunt illi, quos a Tiridate Rege Armeniorum principatu Neronis Romam translatos conſtat, E ut plures voluere, quippe æneos illos fuiſſe *Rufus* aperte teſtatur: ſed hos Alexandria translatos Conſtantinus in thermis ſuis huic loco vicinis collocaverat, ut probe *Panvinius*. Cumque antiqua Inſcriptio alterum opus Phidiæ eſſe tradat, Praxitelis alterum, detegitur error Antiquariorum, qui bucephalum ab Alexandro Magno edomitum a Pictorum Statuariorumque nobiliſſimis hic expreſſum pertendunt; quippe ex hiſtoria temporum liquet, Phidiam multis ante natum Alexandrum annis vita exceſſiſſe, & Praxitelem floruiſſe infante adhuc Alexandro, quod & erudite jam pridem vidit *Alex. Donatus*. Pene quo loco ſpi- F rare adhuc videntur celebres iſti caballi, erecta olim ſtabat pila Naris, hoc eſt, columna fluvium Narem repræſentans, (ut in Capitolino monte hodie ſtatuæ coloſſeæ Nili & Tiberis oſtentantur,) ad quam varii generis merces proſtabant. Nec inde procul domus *Lampadii*, Romanæ Urbis præfecti, quam plebs infima, ut eſt ſæpe furori propior, facibus & malleolis, docente *Marcellino*, concremare inſtituerat.

Vicinam horto Dn. Columnenſium ædem ſtruxe-

rat Deo Serapidi Caracalla, ut cui deditum oppido fuisse memorat *Spartianus*. Erat & in Quirinalitem plum vetustissimum, sed humile, tribus distinctis cellis, sive sacellis, Jovi, Junoni, & Minervæ dicatis, conspicuum, notante *Varrone* lib. IV. de L. L. ad cujus exemplar postquam in Capitolio simile aliud excitatum esset, Quirinale illud meruit nomen Capitolii veteris, situm sive in horto Cardinalis Barberini, sive proximo Pontificis, ut ex *Martialis* lib. V. cap. XXIII. manifestum evadit; ita enim ille:

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

nimirum ex circo Floræ eminens hic locus antiqui Templi Jovis facile poterat conspici. Cumque ex *Solino* lib. I. Numa habitarit in Quirinali, & ex *Eusebio* Capitolium struxerit, quod de veteri intelligendum scite monet *Al. Donatus*, credibile est eum ad hoc Capitolium proxime habitasse, adeoque eodem pene loco, quo illustre illud Pontificis Romani palatium hodie eminet. Sacrarium Saliorum Collinorum, quos Numa instituerat, quibusque ancilia sacra cœlo olim delapsa commissa erant, in Quirinali fuit, ex *Halicarnasseo*, sicut Palatinorum in Palatino. *Templa Apollinis, & Clatbræ*, cancellorum Deæ, in horto Pontificio videntur sedem sibi elegisse. Infra Quirinalem, qua jam se aperit *Forum Grimanum, la piazza Grimana* dictum, *circum Floræ* collocant Antiquarii, ruderibus solennis figuræ plene confirmati. Huic vicinum, sed in clivi tamen Quirinalis radicibus spectabatur *Floræ templum*, & inter hoc ipsum atque secundam *ædem Quirini*, quæ ad fontem *di Trevi* conspicua erat, sudarunt olim officinæ minii, ex *Vitruvio*. Ad S. Susannam ducebat vicus Mamurri, cui plumbea Mamurri, insignis anciliorum Magistri, statua nomen dederat; nec inde procul ostendebatur insigne mali Punici, de quo *Suetonius* in Domitiano: *Regione Urbis sexta*, inquit, *ad malum Punicum, domo, quam postea in Templum Flaviæ gentis convertit*, in quo & reliquiæ ejus tumulatæ; de quo iterum *Suetonius*: *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo via Latina funeravit, sed relliquias templo gentis Flaviæ clam intulit, cineribusque Juliæ, filiæ Titi, quam ipsa educaverat, commiscuit*. En funebrem ambitiosissimi Principis apparatum! qui vivus familiæ suæ aliquid Divini inesse credi postulavit, sibique non Domini tantum, sed & Dei titulum impotenter attribuit. Quo nomine tamen & ab aliis Dynastis varie peccatum: Alexander Magnus in numismatis Jovis se filium jactavit, Ammonis cornibus ubique visendus, quibus & capiti impositis convivia iniit, monitore *Athenæo*. Successores ejus, Seleuci, Ptolemæi, Lysimachi, Antigoni, in nummis omnes cornuti, quasi Jovii, honore utique manifesto, donec cornuum decus in ludibria uxoriorum vertit somniorum interpres *Artemidorus*. Sed ecce tibi alios impotentis potentiæ titulos! Quid frequentius in nummis & historia hæredum Alexandri occurrit, quam Soteres, Epiphanes, Cerauni, Dionysi, Dei? Ptolemæus cum uxore Berenice ab Ægyptiis ab obitu consecratus legitur titulo: Θεῶν Σωτήρων. Patres Conscripti Romæ a Prusia Bithyniæ Rege in aditu Curiæ ita salutati: Χαίρετε Θεοὶ Σωτῆρες. Cajus Cæsar Petro Petronio Syriæ præfecto statuam imperavit Jerosolymis locandam cum nomine; ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. unde illud in Evangelio lucem fœneratur βδέλυγμα templi. Quid memorem in historia Mithridatem Deum, Chosroen Deum, Carum Deum, Arsionen, Cleopatram Σωτεῖραν, Juliam Junonem, Hadrianum Herculem, & Olympium Diocletianum, Maximianum Herculem debellatorem. Priamus & alii antiqui Trojæ Domini Reges Regum appellantur *Straboni*, Tigranes Armenus *Appiano*; Cleopatra Regum Regina *Dioni*, filiusque Cæsario Rex Regum: Indorum Rex sexcentorum Regum Dominus *Straboni*. Mitto Patris Patriæ titulos Ciceroni, & Parentis Patriæ Jul. Cæsari, successoribusque per venerationem oblatos; ut addam Cyrum apud *Pausaniam* Patrem hominum appellari, Antoninum Pium Deum hominumque Parentem, Augustum *Ovidio* vocari Patrem Orbis, Liviam Orbis Genitricem. Successere, declinante imperio, tituli *felicissimi, piissimi, beatissimi, invictissimi, victoriosissimi, maximi*, donec ultimo Cæsarum Pontificumque tituli in Domnos desinerent.

5. Sed ad Quirinalem redeamus. Intra Collinam portam Vicum Fortunarum fuisse, ex *Rufo* & *Vitruvio* exsculpimus, in quo *templum* unum *Fortunæ reduci* surgebat, unum *Fortunæ liberæ*, unum *statæ Fortunæ*. In propinquo vastæ illæ Diocletiani thermæ se se ostendunt, quarum partem hodie occupat Carthusianum & amplum monasterium, & amplissimum templum; partem, scilicet calidariorum Diocletiani unum rotundulum in *templum D. Bernardi* vertit Majorum pietas; reliqua vel ruinam sen fere, vel minantur, quæ ante spatiosissimo ambitu hinc *fontem Terminorum* dictum, & granaria publica, inde villam Perettam, & tot hortos vineasque complexa urbis pene speciem referebant. Huc immigraverant urbanæ deliciæ, ludi, ambulacra, scholæ, colymbethræ, tandem etiam bibliotheca Ulpia, ex foro Trajani, docente *Vopisco* in Probo, istuc translata. Sicut & in alias thermas paulatim, Urbe relicta, exercitiorum omne genus derivatum, de quo erudite in Arte Gymnastica *Mercurialis*. *Circus*, qui hodie vestigia sua prope Collinam portam in angustiori valle Quirinalem inter & Pincium ostendit, *Sallustii* erat, (cujus hieroglyphicis insignis obeliscus in hortis Ludovisianis ostenditur) eique a dextris adhærebat *Forum Sallustii*, a sinistris in clivo Pincii collis *hortus Sallustianus*, quem cum ab Aureliano intra muros receptum constet, Vespasiani sane ævo extra muros fuisse *Tacitus* Hist. lib. III. aperte testatur: *Ii tamen*, inquit, *conflictati sunt*, (sc. manipuli Vespasiani, qui ad Salariam portam contra Vitellianos velitabantur) *qui in partem sinistram Urbis ad Sallustianos hortos per angusta & lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diei saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur*. Hic Vespasiani miles ad hortos Sallustii pervenerat, a maceriis horti lapidibus arcebatur, nec tamen Urbem adhuc intraverat. Serviebat florentissimus Sallustianus hortus (in quo & sacellum Veneri erectum) recreationi & delectabili otio Cæsarum. Nero, ex Annal. *Taciti* l. XIII. eo quandoque secessit: Nervam ibi suprema occuparunt fata, si credimus *Eusebii* Chronicis: Aureliano sordebat palatium, ut istic aurigaretur, ita enim *Vopiscus*: *Displicebat ei, cum esset Romæ, habitare in palatio, & magis placebat in hortis Sallustii, vel Domitiæ vivere; milliarensem denique porticum in hortis Sallustii ornavit, in qua quotidie & equos & se defatigabat, quamvis esset non bonæ valetudinis*. Milliarensem vocat, quam *Suetonius* in Nerone appellat millenariam. *Milliarensis*, ut apposite *Salmasius*, *est millenaria, a millenis scilicet columnis, ut centenaria porticus, quam ἑκατόνστυλον Græci, sic milliarense genus nummi a millenario numero dictum, quod Græci μιλιαρήσιον ap-*

pellant. Porticus illius vestigia in hortis Ducis Muti adhuc apparent. In his hortis duos giganteæ altitudinis homines olim sepultos tradit *Plinius* lib. VII. cap. XVI. *Procerissimum*, inquit, *hominem ætas nostra, Divo Claudio Principe, Gabbaram nomine, ex Arabia advectum* IX. *pedum, & totidem unciarum vidit. Fuere sub Divo Augusto, semipede addito, quorum corpora ejus miraculi gratia in conditorio Sallustianorum asservabantur hortorum, Pusioni & Secundillæ erant nomina*. Cumque *Faunus* suo seculo ibidem obeliscum inter & viam, quæ ad portam ducit Pincianam, inventum referat inter vasa varia sepulcralia & ossa caput quoddam inusitatæ magnitudinis, parum fortasse aberrabimus, si illud Pusioni attribuamus, quod cranio Secundillæ, ut muliebri, adeoque molliori in putorem laxato, ultra tredecim secula duraverit. Ut taceam, vel hoc *Plinii* loco confici, hortum Sallustianum Augusti ævo extramuranum fuisse, nam conditoria & sepulcra in Urbe tum non permittebantur. Quin & Circum Sallustii hodie intramuranum olim mœnibus exclusum diserte monet *Livius*: *Ita*, inquit, *abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares circo* (sc. Flaminio) *inundato extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris* (sc in Sallust. hortis sitæ) *parati sunt*. Enimvero Flaminius ille Circus in humili Capitolium inter & Tiberim situs loco non raro inundabatur stagnante fluvio; hinc ut Populo, cui præter panem & Circenses nihil adeo in deliciis, secundum *Juvenalem*, obtemperaretur, in vallem sub Quirinali Apollinares ludi interea translati sunt. Fuisse quoque in colle Hortulorum hortos Lucullianos nemini dubium, sed in ea tamen collis parte, quæ nonæ adscribitur regioni, docente *Rufo* & *Victore*, non quæ sextæ, ut Sallustiani: ita ut collis Hortulorum in clivo gestaverit Sallustianos, in dorso Lucullianos, & sparsim alios privatorum civium hortos minutulos, unde & colli nomen, qui post ab habitatore Pincio, Senatore Romano, mons Pincius nuncupatus, cujus palatium Belisarius postea insedit, docente *Anastasio*. Statim intra portam Collinam aderat *Campus sceleratus*, in cujus subterraneo specu tumulabantur Vestales vivæ, stupri compertæ. At enim in Urbe non tumulabatur quisquam: respondet in Problem. *Plutarchus*: Vestalibus hoc permissum (quarum & multa sepulcra ad radices Palatini non ita pridem effossa constat) etiam incestis, quippe sacris corporibus, quæ vel violenter exturbare, vel occidere religio. Diserte *Festus*: *M. Cato in ea Oratione, quæ de Auguribus inscribitur, adjicit quoque Virgines Vestales sacerdotio exauguratas, quæ incesti damnatæ vivæ defossæ sunt, quod sacra Vestæ matris polluissent, nec tamen licet nocentes extra Urbem obruebantur, sed in campo proxime portam Collinam* (ubi hodie villa Mandosia est) *qui sceleratus appellatur*. De hac re ita *Halicarnasseus*: *Ut mortuæ*, inquit, *deportantibus, lugentibus, & antecedentibus amicis cognatisque usque ad Collinam portam vectatæ intra muros in monumento ad id parato sub terram cum apparatu mortuis consueto deponuntur*. Eadem *Plutarchus*, *Servius*, alii. Domum Pomponii Attici Tullio familiarissimi in Quirinali collocat *Corn. Nepos*; Priapi statuam æneam *Prudentius*; templum *Fortunæ primigeniæ Livius*. Extra portam Salariam prædium *Valerius Martialis* possidebat, de quo ipse lib. X. epig. LVIII.

Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.

Quod sacellum Quirini extrane murum fuerit, an intra, non satis liquet; id liquet, ex *Festo*, portæ Collinæ fuisse vicinum. *Nemus festorum Lucarium* ubi fuerit, expedit ita *Festus*: *Lucaria festa*, inquit, *in luco celebrant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo, quod victi a Gallis, fugientes e prælio se ibi occultarint*. Ad pontem Salarium, ubi Anien Tiberii committitur, lucum Annæ Perennæ ponit *Cluverius*, sed ex conjectura. Non tamen inde procul fuisse ex Julii Martialis (non Valerii Martialis) villa in Janiculo, ex adverso pontis Milvii sita, e qua facile prospectabatur, colligimus ex *Val. Martial.* lib. IV. ep. LXIV. Quin & *Ovidius* Fast. III.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.

Vicinus fuisse *monti sacro*, de quo superius, ex eo persuadetur, quod sacra ibi facta esse appareant in honorem Annæ illius vetulæ, quæ plebi ob injurias fœneratorum istuc secedenti alimenta ministrarat, quo etiam inclinat *Ovidius* Fast. III. Conferatur *Macrobius* Sat. XII. cap. II.

CAP. IX.

De septima Urbis regione.

I. Cœpit hæc *regio*, *viam latam* dixere Veteres, ad Circum Floræ, ubi hodie *la piazza Grimana*, interque vicum *Madonna de Constantinopoli* dictum & murum horti Pontificii in Quirinalis radice situm *fontem Trevi* accedebat, hinc antiquum Quirinalis murum legens, inter hortum & palatium Columnensium pergebat ad *templum Madonna di Loretto*, ad *Macellum Corvorum*, ad radices Capitolii; inde reflexa inter *Collegium Romanum* & *Templum Minervæ* procedendo rursus vicina fontis Trevi præteribat, donec in angulo collis Hortulorum ad cloacam Bufali perveniens, ejusque montis radices secuta, denique in *piazza Grimana* cursum finiret. Pila Tiburtina, de qua ante, regionis septimæ, ex fide *Victoris*, incola, sita in declivi illo loco, qua ex foro Grimano fons Trevi aditur, fuisse merito æstimatur, dicta, sive quod ex Tiburtino saxo (unde & hodie magnificum illud ad ædem Vaticanam surgit hecatonstylon) structa esset, sive quod, ut similius vero, a Tiburtinis oleum & fructus ibi distrahentibus frequentaretur. Pilæ huic proximus habitabat *Martialis*, ut ipse lib. V. epigr. XXIII. attestatur:

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Martialis domui vicinum legimus *Templum novum Quirini*, ab Augusto structum, & LXXVI. columnis, numero annis vitæ Augusti respondente, exornatum, quod notatum *Dioni*. *Vitruvius* lib. III. cap. I. meminit templi Dorici Quirini, cujus architectura dipteros octastylos, quod haud dubie hoc ipsum fuit; nam antiquum illud Quirinale templum a Numa, secundum *Halicarnasseum*, ædificatum, ut ferebant tempora, rude columnas non agnoscebat; nec a Papirio Dictatore, ex *Livio*, refartum ad eam majestatem, inter illa etiam tum apud Romanos architecturæ incunabula potuit assurgere. Nam sacellum Quirini, quod ad Collinam cum *Festo* posuimus, adhuc aliud est, adeoque *Martialis*, cum ait,

Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares,

docet prædium suum extra Urbem fuisse, & domum sive lares in Urbe, hoc est, ad novum Quirini templum; in qua domo satis curtam sibi

ſupellectilem (ut eſt ſæpe bonæ mentis ſoror paupertas) eſſe declarat lib. IX. epigr. XIX.

Eſt mihi, ſitque precor longum, te præſide, Cæſar,
Rus minimum; parvi ſunt & in Urbe lares.

Verſus *fontem Trevii* forum Archemorium cum vico cognomine occurrebat, circiter quo loco *templum D. Nicolao* ſacrum erigitur; cæterum qua ſe nunc patulis effundit gurgitibus *fons* ille *Trevii*, non erat olim exitus famoſiſſimæ illius *Aquæ Virginis*, licet uno id ore atteſtentur Antiquarii; ac proinde nec *Templum Juturnæ*, nec ſepta ibi collocanda. Enimvero exitum Aquæ Virginis & *Victor* & *Rufus* collocant in regione nona, non hac ſeptima. Aperte *Frontinus* lib. I. *Arcus Virginis*, inquit, *initium habent ſub hortis Lucullianis*, (id eſt, ad cloacam Bufali, ſub monte Pincio) *finiuntur in Campo Martio, ſecundum frontem ſeptorum*, hoc eſt, ad *ſeminarium Romanum*. *Aquam* hanc *Virginem* in thermarum ſuarum, hortorum, ſtagni, & univerſæ adeo Urbis commodum Romam traduxit Agrippa. *Plinius* lib. XXXVI. cap. XV. *Agrippa vero*, inquit, *in ædilitate ſua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis lacus* DCC. *fecit, præterea ſalientes* CV. *caſtella* CXXX. *complura etiam cultu magnifica. Operibus iis ſigna* CCC. *ærea, aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo ſpatio*. Vitiatos, hos arcus inſtauravit Claudius, ut ex Inſcriptione marmoris apud *Marlianum* conſtat. Quando ergo aquæ hæ in thermarum Agrippæ ornamentum Romam profectæ ſunt, neceſſe eſt eas ulterius perrexiſſe, quam ad *fontem Trevii*: inde enim digreſſæ per *Forum Sciarræ* (*piazza di Sciarra*) thermaſque Agrippæ, per frontem *Templi D. Ignatii*, inter Minervam tandem & ſeminarium Romanum (ubi olim *Septa* fuiſſe docebitur) in caſtellum colligebantur aquaticum; atque ex eo per brachia ductuſque varios in diverſos uſus hinc inde diſpenſatæ manabant. Quid quod fornicatus ille & magnificus æquæductus, quem ad frontem *Templi D Ignatii* erutum deſcribit *Al. Donatus*, marmore incruſtatum, columnis ſtriatis operis Corinthii ſuperbientem, quatuor palmos fauce interiori latum, ſeptem altum, aliud eſſe non potuit, quam major ille aquæ Virginis ramus. Etenim abſonum fuerit credere, tantæ amplitudinis & magnificentiæ molem in uſum duntaxat *Templi Matidiæ* fabricatam; cui Aquæductus diametri aliquot digitorum ſuffeciſſet; qualem, ſed plumbeum ad Pantheon quoque conſtat repertum cum Inſcriptione: IN TEMPLO MATIDIÆ.

2. De loco *Templi Solis* inter Antiquarios non convenit. Ab Aureliano ſtructum conſtat. *Vopiſcus* enim: *Aurelianus*, inquit, *Romæ Soli templum poſuit, majore honorificentia conſecratum*. Nec poſuit tantum, ſed & ſplendide locupletavit. Pergit *Vopiſcus: Tunc illæ veſtes, quas in Templo Solis videmus, conſertæ gemmis, tum Perſici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ, quod poſtea nec ulla gens detulit, nec Romanus Orbis vidit*, ſc. capta ſunt. Dracones id temporis inter ſigna militaria Perſarum numerabantur. Apud Parthos erant cohortes millenariæ, & ſuus cuique cohorti draco attributus: draconum ideo ſimulacra, ut hoſtibus terrorem incuterent. A Parthis ad Romanos translatum commentum, de quorum draconibus & draconariis paſſim *Marcellinus*, aliique id ætatis ſcriptores. Neque eſt, quod dubites hinc derivatum velitum genus, quod alias dimachos, noſtri *Dragoner* appellare conſueverunt. Porro *Vopiſcus Templum Solis magnificentiſſimum Aurelianus conſtituit, in quo multum auri, gemmarumque*. Sed quid Aureliano cum Sole? Mater ejus in Templo Solis ſacerdos fuiſſe traditur: neque alium, ſi fides *Salmaſio*, Deum coluere Illyrii, Pannoneſque (& Panno fuit Aurelianus) quam Solem, quem Belenum Apollinemque vocabant, ſicut eundem Perſæ vocabant Mithram, Emiſſeni Alagabalum, Palmyreni Malachbelum, quaſi Regem Belum; nam Belum Syri, Phœnices, & Eoæ gentes plurimæ colebant. Templo huic porticus additas memorat idem *Vopiſcus*: *In porticibus Templi Solis*, inquit, *fiſcalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, ſed pretio*. Scilicet fiſcalia vina, id eſt, a fiſco gratis donanda populo deſtinarat Aurelianus, ſed præventus morte novi generis liberalitatem exercere nequiit. Sed quod *Nardinus* regionis ſextæ cap. VI. & regionis ſeptimæ cap. IX. templum Solis a *Vopiſco* in ipſo Quirinali collocari aſſeverat, id nuſquam eſſe putamus; in Aureliano *Vopiſci* certum eſt non inveniri, ut proinde accedamus *Rufo* & *Victori*, qui in regione ſexta ſedem ei aſſignant; quam non procul a palatio Columnenſium ad radices Quirinalis fuiſſe loci ratio perſuadet. Ad *Templum D. Marcelli* in via Flaminia, hodie *il Corſo* dicta, *Templum Iſidis exoratæ* caput extuliſſe fidem facit marmoris non ita pridem ibi effoſſi inſcriptio. *Via lata* frequentata olim arcubus triumphalibus Gordiani, Marci, & Veri, aliiſque, quo referunt arcum Domitiani, quem extra portam aliquam Urbis ponit *Alex. Donatus*, ad *Macellum Corvorum Nardinus*, ſine tamen evidenti teſtimonio. *Martialis* ita lib. VIII. epigr. LXV. de Arcu Domitiani:

Hic ubi Fortunæ reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat, &c.
Grande loci meritum teſtatur, & altera dona:
Stat ſacer edomitis gentibus arcus ovans, &c.
Hæc eſt digna tuis, Germanice, porta triumphis,
Hos aditus Urbem Martis habere decet.

Nonnihil tamen confirmat *Nardinum* illud *Martialis* lib. X. ep. VI.

Totaque Flaminia Roma videnda via.

Unde conſtat, redeuntem in Urbem, Victori ſimilem Domitianum hac inceſſiſſe, effuſo extra urbem in viam Flaminiam populo, adeoque non ſine ſpecie aliqua veri hic quoque arcum triumphalem ei erectum ſuſpicari licebit. *Templum* autem *Fortunæ reduci* ædificavit Domitianus a bello Sarmatico reverſus, ſi credimus *Dioni*. Sub Quirinali ad *Templum Lucenſium* forum olim ſuarium erat, latus ei claudente porticu Conſtantini. Locati hac regione *equi Tiridatis ænei*, quos, quia nulla hodie veſtigia ſui Romæ relinquunt, vel fractos a victoribus Barbaris credi par eſt, vel a Conſtante cum ſtatuis & monumentis aliis infinitis Conſtantinopolim translatos.

3. Sunt qui *Campum Agrippæ* collocent eo loco, quo Pantheon hodie ſuperbit, ſed manifeſto errore, quod Campum Agrippæ *Rufus* & *Victor* adſcribant regioni ſeptimæ, Pantheon vero nonæ. Nec rectius *Al. Donatus* ad fontem Trevii ponit; neque enim vel porticus Vipſana, vel diribitorium, vel Septa ibi fuere, ut alibi monſtrabitur: nec ſi Vipſana ibi fuiſſet porticus, inde conficeretur, ibidem quoque fuiſſe Campum Agrippæ; rationi convenientius ſtatuetur, inter Collegium Romanum & Capitolium fuiſſe; ubi & *Septa Agrippina*, & Diribitorium, & porticulam Polæ, quæ omnia ſerviere Campo Agrippæ, fuiſſe non eſt dubium. Porticum hanc tradit ibi fuiſſe *Dion*, adjungitque: *Et ipſe Auguſtus publicavit Campum Agrippinum, excepta porticu, & diribitorio*. De Septis Agrippinis ita in Alaxandro *Lampridius*: *Baſilicam Alexandri-*

nam instituerat, inter Campum Martium & Septa Agrippiana; unde si Campus Martius ad Pantheon terminabatur, necesse est *Septa Agrippæ* ultra Minervæ templum fuisse remota, (ut Basilicæ locus esset) adeoque fere medio loco inter Collegium Romanum & *Templum Jesu* sita. Fuit autem *Diribitorium*, ex *Dione*, domuum earum, quæ sub uno tecto erant, omnium maxima, sita fere ubi hodie eminet Collegium Romanum: in ea militi stipendia numerabantur, & forsan donativa exercitui, tum congiaria populo, quanquam huic usui servire potuerint & Septa, & Campus. Nonnumquam in Diribitorio celebrati ludi scenici, ut in theatris, sole nimium ardente, quo tendunt illa *Dionis*: *Tum primum*, inquit, *Senatoribus pulvinaria subdita, usufque pileorum Thessalonicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent, qui sicubi esset vehementior, Diribitorio foris & tabulatis instructo usi sunt*. Non procul a *Templo Minervæ* Arcum, sed operis rudioris vidit proxime superius seculum, vocavitque *Arcum Camiglianum*; quem proinde Antiquariorum vulgus Camillo olim excitatum credidit, lapsu evidenti, quod ævum Camilli arcus triumphales ignoraret: ex arcubus porticus Polæ, aut Diribitorii relictum fuisse, verisimilior conjectura est. A Diribitorio aliquanto remotiorem fuisse, licet in eadem regione, Vicum Æmilianum constat vel ex eo *Suetonii* in Claudio: *Cum Æmiliana pertinacius arderent, in Diribitorio duabus noctibus mansit, ac deficiente militum & familiarium turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis convocavit, ac positis ante se cum pecunia fiscis, ad subveniendum hortatus est, repræsentans pro opera dignam cuique mercedem*. In hoc vico cœpisse incendium Neronianum apparet ex eo Taciti lib. xv. *Prædiis Tigellini Æmilianis proruperat incendium*.

4. *Rufus* in hac regione collocat *Vicum sugillarium priorem*, rectius, opinor, *sigillarium*; unde & *Merula* hic *sigillaria* ponit, hoc est, locum, ubi sigilla, libri, lances, aliæque res curiosæ divendebantur. De *sigillariis* in Claudio *Suetonius* ita: *Essedum argenteum sumptuose fabricatum, ac venale ad sigillaria redimi, concidique coram imperavit*, sc. impensis supervacuis offensus. Iterum *Suetonius* in Nerone scribit: *Sporum Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conventus mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa sigillaria comitatus est*. Libros ibi divenditos ostendit *Gellius* lib v. cap. iv. *Apud sigillaria*, inquit, *forte in libraria ego & Julius Paulus Poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus*. Et lib. ii. cap. iii. docet, *librum Æneidos secundum mirandæ vetustatis emptum in sigillariis* xx. *aureis*. Tandem ad radices Capitolii, loco, cui vulgus nomen fecit *Macelli Corvorum*, antiquissima adhuc in muri vetusti pariete exstat Inscriptio: C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AD. FL. HONORIS. VIRTVTISQVE. CAVSA. SENATVS. CONSVLTO. POPVLIQVE. IVSSV. LOCVS. MONVMENTO. QVO. IPSE. POSTEREIQVE. EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST. Quem locum extra muros fuisse vel inde conficitur, quod in Urbe nemo olim sepeliretur, nisi rarissimo privilegio: neque vero privilegium aliud hic concessum legitur Poblicio, quam locus publicus sepulturæ; sed fuisse intra mœnia, id vero nusquam expressum. Ibidem forsan & genti Claudiæ permissum sepulcrum, de quo *Suetonius* in Tiberio: *Agrum insuper*, inquit, *trans Anienem clientibus, locumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit*. Nisi forsan extra portam monumentum hoc locandum existimes Carmentalem, quippe, quam ad radices Capitolii Tiberim spectantes sitam nemo dubitaverit.

CAP. X.

De octava Urbis regione.

1. HUic regioni octavæ nomen *Fori Romani* attributum, non quod extra illud Forum non porrigeretur, sed quia a potiori accedebat nomenclatura. Fuit autem hæc regio omnium in Urbe celebratissima & magnificentissima, in qua eminebat Forum Romanum, Forum Cæsaris, Augusti, Trajani, Capitolium, & his vicina. Et quidem Fori Romani per excellentiam & antiquitatem sic appellati sedes erat inter Capitolinum montem & Palatinum, ita ut despectantibus e Capitolio versus Arcum Titi, dextram vallis partem Capitolium inter & Palatium comprehenderit; non enim vel ad Arcum Titi, vel ad Templum Pacis, vel Templum jam dictum Cosmi & Damiani, ut nonnulli opinantur, pertingebat. Hodie & Forum illud, & locus Viæ sacræ cum annexis ignobili nomine *Il Campo Vaccino* contaminantur. In hoc Foro Metius Curtius Sabinorum Princeps cum Romanis conflixit, quod *Livio* notatum. Fuit autem hoc Forum magnam partem cinctum porticibus, quarum columnæ ex lapide Tiburtino; neque enim ante annum Urbis DCLXI. ulla, teste *Plinio*, in publico visa est columna e marmore. Tarquinius, quintus Rex Romanorum, porticuum harum auctor, ut & tabernarum annexarum, quarum plures argentariæ; in nonnullis literarum ludi, annotante *Livio*. In dorso porticuum cancelli, e quibus populus ludos spectabat (quod ex *Cicerone* colligitur) nondum inventis theatris, aut amphitheatris, quæ postera secula, crescente civium multitudine, erexere. Taceo Deorum templa, quæ in Foro plura cernebantur, sed minuta; taceo *Comitium*, quod ab uno latere Foro imminebat, Rostris & Curiæ Hostiliæ proximum, in quo coibant equites Romani cum populo curiatim, ad sanciendas leges, legendosque sacerdotes, & quandoque lites decidendas; quemadmodum centuriatim conveniebant in Septis Campi Martii ad eligendos Magistratus. In Comitio deliberabatur sub Dio, ad usque annum, quo Hanibal minax in Italiam descendit, secundum *Livium*; in Comitio (horis feriatis, ut credi par est) pila lusit Cato eodem, quo repulsus est, die, ut refert *Seneca*. Sed quemadmodum tectum fuit Comitium per initia belli Punici secundi, ita & Forum ipsum velis tegi cœpit, ludorum tempore, a Cæsare, ne spectatores injuriis aeris nimis exponerentur, ceu *Plinius* observat. Eo haud dubie modo, quo Montispessuli per æstivos calores plateæ celebriores obteguntur hodieque ad arcendos solis ardentissimi æstus. Statuæ Heroum, Deorumque, quibus superbiit olim Forum Romanum, infinitæ propemodum erant, de quibus *Plinius*, & alii. In illis xii. *Dii Consentes* inaurati stabant, sex mares, totidem fæminæ, secundum *Varronem*; dicti, quod in eo, quod gerendum esset, consentirent, doctore *Festo*; hos *Martianus Capella* Jovis Senatores appellat, Consiliarios Jovis *Arnobius*.

2. Fuisse autem Forum Romanum duplo fere longius, quam latius, oppido credibile est disciplinam *Vitruvii* sequentibus. In medio ejus, sed propius radicibus Palatini, Rostra olim eminebant, hoc est sedile editius, columnis aliquot superstans, & rostris navium Antiatium circumcinctum, un-

de Consules, & Magistratus alii, jam in scelera improborum civium concionabantur, jam laudes prædicabant defunctorum, jam denique de gravioribus Reipubl. negotiis disserebant. Perorantis vultus Capitolio obversus, ut Jovem Capitolinum testem dictorum invocaret; nisi quod Gracchus novo more non ad Capitolium, non ad Senatum, & Comitium, sed ad populum se converteret, *Plutarcho* advertente. Hæc Rostra a medio Foro in viciniam ædium suarum transtulit Jul. Cæsar, ad angulum Palatii. Statuas equestres Pompeii, Cæsaris, Augusti, in Rostris positas, quod docet *Suetonius*, oportet vel minutas fuisse propter angustias loci, vel, quod verisimilius, ad Rostra collocatas. Stabant autem Rostra vetera ante Curiam Hostiliam, quod *Varro* docet, in vicinia Comitii, Græcostaseos, & Senaculi. Conflagravit Curia hæc, cum corpus P. Clodii tumultuose in eadem cremaretur, tradente *Asconio*; refecit eandem Faustus Sullæ filius, sed iterum, ut Sullæ nomen obliteraretur, destructam restituere cœpit Jul. Cæsar. Augustus vero absolvit, & Curiæ Juliæ nomen indidit, si verus *Dion*. In Curia hac statuam Victoriæ Ferentinis ademptam locavit Augustus, & spoliis Ægyptiis exornavit. Columnas illas marmoreas, quas in campo vaccino conspicamur, reliquias fabricæ Comitii facit diligentissimus *Nardinus*, nisi forsan Curiæ Juliæ vestigia relinquam. Vicina Græcostasis diversorium erat exterorum Legatorum, ut *Varro* notat; in quo ædiculam æneam Concordiæ a C. Flavio erectam admonet *Plinius*. Sed aliam postea ædem Concordiæ Opimius construxit, de qua *Plutarchus: Supra omnia*, inquit, *plebem afflixit Templum Concordiæ ab Opimio constructum. Itaque per noctem quidam subscripserunt hunc versum:*

Opus Vecordiæ Templum Concordiæ fecit.

Ad Comitium ficus olim Ruminalis germinabat, sub qua lupæ rumam, hoc est, mammam, docente *Varrone*, suxerant olim Romulus & Remus; non procul a Templo hodie D. Mariæ Liberatricis appellato, ubi forsan inventa nobilis illa ænea statua lupæ geminos puerulos lactantis, quam hodieque in Capitolio videmus. Locus, sive spelunca, in qua sub Palatino monte eos nutrierat lupa, Lupercal ob eandem caussam *Ovidio* dicta est, licet aliam nominis rationem afferat *Servius*. Transeo Basilicam Opimii, transeo Portii, in qua Tribuni plebis jus dicebant, secundum *Plutarchum*, transeo Templum Romuli, Templum Deorum Penatium, in quo duo hastati juvenes videbantur habitu sedentium repræsentantes Deos Penates Trojanorum, ceu tradit *Halicarnasseus*, ut iterum admirer vanissimam gentis Romanæ superstitionem in exstruendo *Templo Urbis*, de quo *Prudentius*:

Delubrum Romæ, colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenque loci ceu Numen habetur.

Smyrnæi primi auctores superstitiosi inventi; secuti Alabandenses; tandem & Hadrianus Imperator in ipsa Urbe Urbis Templum exstruxit, quod *Dion* memorat. Et hæc omnia in Foro Romano: ubi præterea visum Templum Castoris & Pollucis; quod in vestibulum palatii convertit Caligula, tum ut Deos videretur habere janitores, ut *Dion* existimat, tum ut inter duos fratres medium adeuntibus se adorandum præberet, quod adjicit *Suetonius*. Ad Templum Castoris negotiabantur cives, mancipia ementes vendentesque, quod *Senecæ* notatum. In propinquo Templum Cæsaris, in quo

A a morte divinis celebrabatur honoribus, teste *Dione*: immo & alia ei vivo consecrata sunt templa, aræ, simulacra, ut ex *Suetonio* discimus.

3. Ab altera Fori Romani parte sub Capitolio pandebatur vicus jugarius, in quo colebatur Juno Juga, quæ matrimoniis præerat; aderat & Templum Opis atque Saturni, ubi ærarium olim civium, (hodie *Banco* dictum) quanquam & aliud Templum Saturni in Foro collocent Antiquarii. Crescente populi multitudine, accessit Templo Saturni nova fabrica, sanctius ærarium appellata, de quo *Livius: Aurum vicesimarium, quod in sanctiori ærario ad ultimos casus servabatur, promi* B *placuit.* Ad templum Saturni stabat milliarium aureum. Fuit & Æquimelium in vico jugario, area videlicet, in qua Spur. Melius reus affectati regni habitaverat, domo ejus in perennem oppressæ nefariæ spei memoriam diruta. Proximus jugario Thuscus erat vicus, unguentariis, lanariis, negotiatoribus statio; ubi signum Vertumni Hetruscorum Dei eminebat; quem Deum invertendarum rerum, hoc est, mercaturæ, facit *Asconius*; *Propertius* & *Ovidius* dictum putant ex eo, quod ad sacrificia quondam Tarquinii Tiberis extra ripas suas effusus in alveum redierit, atque adeo se C converterit. Hic prope vicus *Via nova* appellatus, in quo Ajo Locutio, ut nocturna voce adventum Gallorum indicanti, surgebat ara, docente *Tullio*. In foro Romano ad lacum Juturnæ, hoc est, ad fontem parvum, sed profundum, hodie obliteratum memorabile illud cernebatur Vestæ Templum media fere inter Capitolium & Palatium via, ex *Halicarnasseo*, ubi custodiebantur sacra Romanorum, & ignis Vestæ perpetuus, cum Penatibus Diis & Palladio, quæ omnia Æneas Troja extulerat secum in Italiam; Numa autem, si *Halicarnasseo* fidem debemus, Romæ instituit; custodes illius sacri ignis primo quatuor, D inde sex virgines, Vestales ob eam causam appellatæ; quas in sacerdotio suo castissimas esse oportebat: nam in levioris criminis reas flagris animadvertebatur, stupri compertas ad portam Collinam vivas defodiebant Pontifices, de quo varia *Plutarchus*. In interiori Templi Vestæ recessu locus erat, *penus* nuncupatus, in quo *Palladium* abscondebatur, nulli nisi Vestalibus & Pontifici spectandum. Vestalium maxima pectori affixum gerebat simulacrum capitis Jovis, sicut in horto Matthæi, & pinacotheca Putanei Romæ mihi conspectum. Ad Templi hujus latus splendebat Basilica Julia in E qua caussæ centumvirales disceptari solitæ; quibus in forum quandoque translatis obstupuit pene Portius Latro, (ut est apud *Quintilianum*) veritus fore, ut eloquentia sua, quæ intra parietes erat luculenta, sub Dio contabesceret. Ad pedem Capitolii versus Forum, Arcus Imp. Severi illustrem adhuc inscriptionem conservat; cui vicina olim duo Templa, Vespasiani alterum, altrum Concordiæ; de hoc intelligendus *Cicero*, cum ita: *Equites Romani*, inquit, *qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterant*. Adibatur enim gradibus pluribus, ut in clivi parte fabricatum, paullo infra, ut credibile, octo illas columnas marmoreas, quas hodie descen- F dentes e Capitolio a dextris conspicamur semisepultas. A sinistris scalarum, formidabilis ille carcer Tullianus adhuc superest, in minutulum Templum jam conversus, sed in quo antiqua carceris facies, & locus, qui *robur* olim appellabatur, cum infimo ergastulo aperte cognoscitur omnia ex saxo Tiburtino firmissime compacta. Huc præceps olim actus Jugurtha Rex Numidarum nudo corpore: *Quam frigidum*, inquit, *Quirites, vestrum balneum est!* quod *Plutarchus* in Mario commemorat. In hoc carcere necati rei unco pro-

trahebantur in scalas januæ adhærentes, Gemonias appellabant, a gemitu sic dictas, ut *Rhodigino* visum. Hunc unum carcerem agnovit Roma primis seculis; Ecclesiasticis postea *Mamertinum* nuncupatum; tandem adjunctus alter, fere quo loco nunc erigitur theatrum Marcelli.

4. In medio Foro Romano lacus Curtius hiabat, sive is a Metio Curtio Sabino dictus, sive, quod credibilius, a Marco Curtio, Equite Romano, qui ut tolleret pestilentiam Urbi ingruentem, se cum equo in gurgitem ejus dedit præcipitem. Hæc vorago postea exsiccata æneum Domitiani equum sustinuit; ad quam cloaca maxima, quæ adhuc quodammodo navigabilis, decurrebat. B In medio propemodum Foro columnæ variæ surgebant illustrium gestorum memoriam complectentes, pila Horatia, columna Menia, columna Duilli, qui Pœnos primus classe devicit, columna Julii Cæsaris, columna palmata Claudii Imp. columna horarum index: stabat & Prætoris sedes *puteal* dicta, Marsyas marmoreus, ubi vadimonia sistebantur, templum Jani bifrontis æneum totum, docente *Procopio*, sed quadrifrontis in Foro transitorio, de quo *Servius*: *Captis Phaleris*, inquit, *civitate Thusciæ, inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor; propter quod in Foro transitorio constitutum est illi sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere*. C Ab oriente Fori cerneres tabernas argentarias, signum Veneris Cloacinæ, stationes notariorum municipalium, basilicam Paulli, statuam Marforii. De Cloacina, olim Cluacina, Venere illud ex *Plinio* adjiciendum: *Ita traditur myrtea verbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos eo in loco, qui nunc signa Veneris Cloacinæ habet: cluere enim Antiqui purgare dicebant*. Nam dictam ita a simulacro in cloaca maxima per Tatium reperto, quod *Lactantio* visum, parum verisimile expendentibus cloacas primum cœpisse Romæ Tarquinio Prisco rerum potiente, D hoc est, diu post Tatium, de quo plura *Livius* & *Plinius*. Dum Basilicam Paulli refero, non alienum fuerit hic declarasse, Basilicam primis Romanorum seculis fuisse magnificentiorem in Urbe domum, (*Statius* Regiam appellat) columnis & simulacris variis superbam, figuræ oblongæ, spectantem orientem, exercendis judiciis & negotiatorum conventibus destinatam, non admodum dissimilem Byrsis hodiernis: & hæ Basilicæ post ævum Constantini sæpe in Templa Christianorum vertebantur. Prima Basilicarum in Urbe Roma E fuit Porcia, a Catone exstructa, secuta Basilica Paulli Æmilii, Julia, Pompeii, Sempronia, Sicinini, Trajani, Caii & Lucii, Opimii, Matidii, Constantini, aliæ. Inde subbasilicani *Plauto* vocantur, qui versantur sub Basilicis, plane ut *Cæsari subrostrani* appellantur, qui sub Rostris otiose inambulant, rumorum aucupes.

5 Descendenti e Capitolio in Forum Romanum, a sinistris occurrebat Forum Jul. Cæsaris, atque illud non tam rebus venalibus destinatum, quam, invalescente civium numero, dicundo juri & negotiis aliis urbanis expediundis, quemadmodum *Appiano* credimus. F In hoc Foro illustre Templum struxit Cæsar Veneri Genitrici, ut per Æneam, & Julum stirpis suæ capiti, addita imagine Deæ pulcherrima, & ad latus ejus effigie Cleopatræ. Atrium hujus Templi ut erat splendidum, fortassis & Basilicæ nomen in illo Foro invenit. Ante Templum Veneris statua Cæsaris ænea late eminebat, & illa, ut splendor accederet, inaurata: stabat & equus fissis ungulis ad humani pedis figuram, illi persimilis, quo vehi solebat, ut qui nec alium sessorem admittebat quam Cæsarem, more

A olim bucephali. Hoc loco cum Senatum advenientem sedens excepisset, indignationem venerabili ordini expressit, de quo *Suetonius*. De statua Cæsaris hic posita ita *Plinius*: *Græca res est*, inquit, *in statuis nihil velare: at contra Romana, ac militaris, thoracas addere. Cæsar quidem Dictator loricatam sibi dicari in Foro suo passus est*. Sed & idem Cæsar thoracem ex Britannicis margaritis factum Veneri genitrici in templo ejus dicavit, eodem *Plinio* auctore. Forum Augusti huic proximum, itidem propter judiciorum multitudinem institutum, minus fuit sed pulcherrimum; in cujus porticibus statuæ ducum Romanorum effigie triumphali spectatæ, ut in posteris imitationem virtutis accenderent, tradente *Suetonio*. Visus & in ipso Foro Augusti eboreus Apollo, quod *Plinio* debemus, haud dubie, ut literarum amorem Quiritibus commendarent; visa ibidem ædes Marti ultori vota, Philippensi bello, quod ei cum Bruto & Cassio intercessit. Et hæc sunt tria illa Fora, (Romanum, Cæsaris, Augusti) de quibus Martialis:

Causas, inquit, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Sed præter hæc tria Domitianus quoque Forum in propinquo molitus est, (quod in quarta regione plures collocant, quidam in octava) non absolvit, Nerva succedens ultimam addidit manum, ut e *Suetonio* colligitur. Cur hoc *transitorium* sive *pervium* appellatum sit Antiquis, jam ante disquisiimus. In hoc Jani templum illustre, nec minus templum Minervæ emicuit, ut vel hoc nomine Forum Palladium *Martiali* nuncupetur, etiam ante opus perfectum. Exornavit hoc Forum Alexander Severus, *statuas colossеas, vel pedestres nudas, vel equestres Divis Imperatoribus locans omnibus, cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in Foro suo e marmore collocavit, additis gestis*, ut scribit *Lampridius*. In hoc Foro supplicia quandoque de sontibus exigebantur, quod vel Vetronii Turini exemplum docuerit; quem utcumque purpuratum suum & clientem Alexander Severus hic palo alligatum fumo lignorum viridium ustulavit, ut favorem Principis sui aliis vana fiducia venditantem, tuba inter tormenta accinente: *Qui fumos vendidit, fumo punitur*, quod & ipsum *Lampridius* recenset. *Forum*, præter hæc, *Ulpium*, sive *Trajanum* ubi fuerit, nemo ambigit, attestante adhuc nobili illa columna marmorea, quæ hodieque ibi durat, magnificentiam Principis; legiturque luculenta inscriptio, belli Dacici victorias complexa. Quod Forum ut eo capacius instrueretur, pars etiam montis Quirinalis vicinior in planum descendere jussa est. Hoc opere nihil fere in tota Urbe olim splendidius. Vox *Cassiodori*: *Trajani Forum vel sub assiduitate videre, miraculum est*. Et Gellii illud est: *In fastigiis Fori Trajani simulacra sita sunt circum undique inaurata equorum atque signorum militarium, subscriptumque est: ex manubiis*. Columnam autem illam, quam ibi conspicamur, *Dion* tradit ab ipso Trajano, sive in ostentationem, sive in sepulchrum ædificatam esse, inscriptio tamen columnæ docet Senatum populumque Romanum Trajano posuisse. Credibilius posuisse Trajanum, sed ut veneratio aliqua a senescente licet Senatus populique majestate accederet, passum ita inscribi. Fuit in hoc Foro, ut in aliis basilica, & templum; sed atrium Templi de basilica intelligendum. In atrio ergo splendida illa statua Trajani equestris ænea omnium oculos morabatur,

rabatur, docente *Marcellino*: in atrio, hoc eſt in baſilica, cauſæ pro tribunali a Conſulibus, ut ex *Gellio* liquet, cognoſcebantur; in atrio manumittebantur ſervi, ex *Sidonio*, & quidem Calendis Januariis id ſolenne, quod obſervat *Marcellinus*. Templum ipſum cui Deo Deæve ſacratum fuerit, non perinde conſtat; hariolari reſtat, vel Apollini dedicatum, vel Palladi, quod inſtructiſſimam in eo bibliothecam erexerit Trajanus, literarum Diis acceptam. Eam frequentavit *Gellius*, ut ipſe monet; eam laudat *Vopiſcus*, aliique. Duplicem autem fuiſſe bibliothecam Ulpiam conſtat ex *Sidonio*, Latinam, Græcamque, & forſan cœnaculis diſtinctam; ideoque alii bibliothecam appellant, alii bibliothecas. Idem de Ptolemæi bibliotheca Alexandrina putandum, quæ & nomine bibliothecarum quandoque venit, nec immerito, alia enim in Bruchio Urbis, alia in Serapæo, quemadmodum *Gellio*, *Marcellino*, & *Tertulliano* conſtat, pandebatur. Bibliothecam Trajani poſtea in thermas ſuas tranſtulit Diocletianus, ut colligunt Eruditi ex illo *Vopiſci*: *Uſus*, inquit, *ſum præcipue libris ex bibliotheca Ulpia, ætate mea in thermis Diocletianis.* Magnificam illam ſtatuam, quam luculenta inſcriptione ſuperbam in foro Trajani *Cl.Claudiano* divino Poetæ erexere Imp. Honorius & Arcadius, in atrio templi ejus collocatam fuiſſe credibile eſt, ut præſentes ibi Muſas, quas ita tenere adamarat, a morte velut triumphans intueretur; certe in atrio ſtabat ipſa Trajani ſtatua, ut ſplendorem a vicinis libris mutuaretur. Alias in ipſo foro locavit Marcus Antonius ſtatuas nobilium, quos bellum Germanicum conſumpſerat; Alexander Imp. plures ſummorum virorum addidit; quas inter fuerit, opinor, eborea illa Nicomedis, & Auguſti altera ex electro, de quibus *Pauſanias*. In Ulpio hoc foro Hadrianus Imp. ut captaret benevolentiam populi, ſyngraphas eorum, qui fiſco debebant, docente *Spartiano*, coram exuſſit; Marcus Antoninus autem ibidem ornamenta ſua Imperialia, pocula aurea, cryſtallina, murrhina, gemmas, quas in repoſitorio ſanctiore Hadriani repererat, in uſum belli Marcomannici publica auctione divendidit; Commodus iſtic congiarium dedit, Poetæ recitarunt. Ipſius Trajani cineres in urna aurea ſub baſi illius in ſpiram ſe verſantis columnæ ſepultos memorat *Caſſiodorus*.

6. Velabrum Romæ duplex erat, majus, & minus; hoc regionis octavæ, illud propius Tiberi undecimæ; inter utrumque forum piſcarium. Minus inter vicum jugarium & forum boarium ſtatuitur, & quidem non incommode eo loco, ubi hodie *templum* ſurgit *D. Georgii in Velabro* dictum. Nomenclatura ei a *vehendo*, ſi credimus *Varroni*; *quia*, inquit, *olim ex Urbe in Aventinum paludibus diſcluſum vehebantur ratibus*. Fortaſſe convenientius a *velis* nauticis, de quo *Propertius*:

Qua Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Has paludes ſubſtructis cloacis Tarquinius Priſcus exſiccavit. Ideoque in propinquo ſtabat Vertumni ſignum, quod, monente *Propertio*, atque *Ovidio*, Tiberis ante in has paludes exundans *verſus* eſſet in ſuum alveum. In Velabro aram ſacrificatam Accæ Laurentiæ tradit *Cicero*; ſacrificatum Manibus ſervilibus *Varro*; delubrum Laribus erectum *Tacitus*; & Templum Fortunæ a Lucullo fabricatum *Cæſar*. Circenſes pompæ e Capitolio deſcendentes per Velabrum procedebant ad Circum maximum, quod *Ovidius* prodidit; interea viæ publicæ ornabantur peripetaſmatis; immo ne ſacra

A ſimul deportata profanis conſpicerentur oculis, ſuperne etiam vela iis obtendebantur, id quod ex *Aſconio*, *Macrobio*, *Plutarcho* poteſt exſculpi. Nolim intelligi, vela in his ludis obtenſa fuiſſe tectorum faſtigio, alias enim ſplendorem pompæ debilitaſſent, ſed currui ſacrorum vectori, cui propterea nomen *thenſæ* attributum. Clare *Diomedes*: *Thenſas*, *Deorum vehiculum*. Et Gloſſ. vet. *Thenſa* ἅρμα θεῶν. *Tullius* de Haruſp. reſponſ. *Te appello Lentule*, inquit, *cujus ſacerdotii ſunt thenſæ*, *curricula*, *præcentio*, *ludi*, *libationes*? In Velabro olim frequentes lanii, piſtoreſque, & haruſpices, ex *Plauto*; immo olei propolæ; unde proverbium
B *Plautinum*: *Quaſi in Velabro olearii*, de iis, qui ex compoſito ad augenda rerum pretia conſpirant. Exeuntibus Velabro patebat forum boarium, in cujus area bos ex ære Æginetico fuſus conſpiciebatur, ſecundum *Plinium*; & bubuli generis negotiatio frequens erat. Viſus hic aliquando bos in tertiam domus contignationem ſua ſponte aſcendens, quod ut prodigio ſimile *Livius* annotat. In hoc foro cerneres ſacellum Pudicitiæ Patritiæ, ex *Livio*, & Herculis ſacellum, *quod nec muſcæ*, tempore *Plinii*, *nec canes intrabant*. Sacraverat hunc Herculem Evander, triumphalemque vocabat populus, quod per triumphos veſtiretur habi-
C tu triumphali, docente *Plinio*; plane ut in Eccleſia Romana Divæ Virginis genitricis ſtatuæ certis feſtis apparatiſſimo veſtium cultu exornantur. Sed cur tanto aſſertori ſuo non dedicavit Evander templum auguſtum potius, quam minutum aliquod ſacellum? Reſpondebit *Varro* lib. I. de vit. pop. Romani: *Omnia*, inquit, *Regiis temporibus delubra parva facta ſunt*; nempe ſuadebat inopia temporum. Hinc & *Plinius* lib. XXXIV. cap. VII. *Lignea*, inquit, *aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris Romæ dicata ſunt*, *uſque ad devictam Aſiam*, *unde luxuria*. Videres & templum Matutæ, templum-
D que Fortunæ, de qua ultima *Juvenalis*:

—— at te
Nos facimus, *Fortuna*, *Deam*, *cœloque locamus.*

In illo Fortunæ templo, cum diu poſt conflagraret, ſtatua Deæ lignea, ſed inaurata remanſit incolumis, obſervante *Halicarnaſſeo*. In hoc foro adeſt hactenus Janus quadrifrons marmoreus, non templum, ſed arcus negotiatoribus deſerviens. Jam olim ludis gladiatoriis hoc forum calebat, docente *Val. Maximo*, & id humanum; ſed quam inhumana ſuperſtitione ibidem gentis illius, cujus bel-
E lo illigati erant, marem & fœminam vulgo defoderunt? Rotunde *Plinius*: *Boario vero in foro*, inquit, *Græcum Græcamque defoſſos*, *aut aliarum gentium*, *cum quibus tum res eſſet*, *etiam noſtra ætas vidit*.

7. Mons Capitolinus octavæ itidem regionis erat; forma ei oblonga, & fere illa, quæ calceo humano convenit. Adibatur olim ea parte, qua forum Romanum & viam ſacram ſpectat: quippe poſtica obvertebatur Campo Martio tum extra muros conſtituto, in quo hodie Urbs magnam partem ſita eſt, reliqua enim antiquæ Romæ templis, ruderibus, hortiſque occupantur. Et olim
F quidem tres in montem videntur patuiſſe aditus, (quod ex *Tacito* colligitur) a regione fori Romani omnes; duo per arcum Tiberii, ſiniſter quidem per extimum rupis Tarpejæ ambitum, dexter verſus curiam Calabram & templum Junonis Monetæ, utrique enim in auſtrali Capitolini montis vertice locus erat: tertius aditus, qui triumphalis, ab arcu Severi hodieque durante verſus clivum Capitolinum ducebat, a dextris primum relinquens carcerem Tullianum & domos alias in clivo con-

ſtructas; a ſiniſtris templum Jovis Tonantis; inde pergens verſus aream Intermontii Capitolini ferebat ad Tabularium Senatus, templum Vejovis, & aſylum inter duo querceta minutula patens; & tandem ad dextrum montis verticem magnificum illud Jovis Capitolini templum omnium oculos invitabat; ubi jam templum *Ara Cœli* cognominatum (cui adhæret Franciſcanorum monaſterium) duplici aditur via, altera, quæ a Campo Martio fert, & illa ſplendidiori, gradibus CXX. marmoreis ſuperba; altera, quæ ab arcu Severi, eaque minus faſtoſa, minus expolita. Olim adibatur Capitolinus mons, & quidem potiſſimum qua parte rupes Tarpeja eminet, gradibus centum, a clivo tamen forum Rom. ſpectante incipiendo. Erat autem rupes Tarpeja vertex Capitolinus auſtralis, (ubi arx quondam) Tiberi vicinior, unde præcipitabantur olim ſontes, criminum graviorum manifeſti, quo reſpexit *Horatius*, cum ita:

Tune Syri, Damæ, aut Dionyſi filius audes
Dejicere e ſaxo cives, & tradere Cadmo?

Sed habet omnis ætas, quod in antiquo monte Capitolino admiretur: ſubſtructiones ejus inuſitatæ magnitudinis & firmitatis, & hinc *Plinio* inſanæ viſæ: aditus, per quem triumphantes in templum Capitolini Jovis eluctabantur, amplus, & ſingularis artificii, ut qui aſcendentes etiam elephantos per tot gradus ſecure admitteret. Diſerte *Suetonius*: *Aſcenditque*, inquit, *Julius Cæſar Capitolium ad lumina, elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus*. Et jam ante junctis currui elephantis in Capitolium aſcenderat Pompejus. Templa ibi magnifica, inque illis tria Jovi dedicata; unum *Jovi Tonanti* ſacrum, quod Auguſtus periculo fulminis in Cantabrica expeditione liber ædificavit; alterum in Intermontio, hoc eſt, humiliori inter duos vertices area *Vejovi* dicatum, tertium *Jovi Capitolino* proprium, quem optimum maximum vocare ſolebant, quod & vellet & poſſet omnibus prodeſſe; & quidem optimum antequam maximum, quod majus eſſet prodeſſe, quam viribus maximis pollere. Frons templi hujus ſpectabat meridiem, porticus ejus triplici columnarum ordine reſplendens: in templo ſacella (cellas vocabant) tria, medium Jovis, duo a latere ejus, Junonis & Minervæ, & ſingulis ſua veſtibula, ut *Halicarnaſſeo* credimus. Arſit quidem hoc templum Sullanis temporibus, negligentia cuſtodum, ſed reſtituit Sulla, advectis ex templo Jovis Olympii, quod Athenis inchoatum erat, columnis, quod *Plinio* notatum; Lutatius Catulus a morte Sullæ dedicavit. Arſit iterum civili bello Vitelliano, reſtituit Veſpaſianus; arſit tertium paucis poſt annis, reſtituit Domitianus accerſitis, ut docet *Plutarchus*, e Græcia pentelici lapidis columnis, quas adhuc in *Ara Cœli* nitentes conſpicamur. Ornamenta templi hujus quod attinet, in illo Tarquinii ærea lumina erant, argentea vaſa in cella Jovis, in faſtigio templi ſimulacrum Jovis quadrigis auratis impoſitum, cum vicinis clypeis inauratis. Everſa Carthagine laquearia templi primum inaurata, tradente *Plinio*; tegulæ æreæ prius, ſed a Catulo auro illitæ: in templo dona ſplendida, coronæ aureæ, aureæ Victoriæ, candelabra aurea, fores laminis aureis obductæ, (quas Stilico tandem diripuit) dona ſignati auri ingentia. Inter rariora artis opera laudantur *Plinio*, canis ex ære vulnus ſuum lambens in cella Junonis, indiſcreta veri ſimilitudine, Hercules Capitolinus, Apollo coloſſi ſpecie, Jupiter Carvilii, capita duo a Lentulo Conſule dicata, ſtatua Jovis triſulcum fulmen dextra vibrans, Tarquinii ævo cretacea,

A adeoque feſtis diebus miniari ſolita, indice *Plinio*, tandem, *Martialis* ævo, aurea, pallium purpureum ab Indis miſſum, cujus intuitu omnium, etiam Imperatoris ipſius veſtes purpureæ decolorarentur; in cella Jovis ſtatua Scipionis Africani, quæ, quotieſcunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum, inde petebatur, atque illi, quod *Valerio Max.* viſum, inſtar atrii Capitolium erat. Sed quid Scipioni cum Jove? Creditum P. Scipioni patri, uxorem liberos deſperantem ex accubitu ingentis anguis gravidam Scipionem Africanum enixam eſſe, eoque illum fuiſſe Diæ originis; quin B conſueviſſe eundem noctis extremo, priuſquam dilucularet, in Capitolium ventitare, inque cella Jovis diu morari ſolum, quaſi conſultantem de Republ. cum Jove: æditiuoſque ejus templi ſæpe demiratos, quod ſolum id temporis Capitolium ingredientem canes, ſemper in alios ſævientes, neque allatrarent, neque incurrerent, id quod pluribus proſequitur *Gellius*, *Livius*, *Plutarhus*. In cella Minervæ altare erectum ſtabat Juventæ & Termino, ut Diis Capitolio, Tarquinii Priſci ævo, egredi renuentibus, cum cæteri abitum molirentur, de quo *Halicarnaſſeus*, & *Auguſtinus*. C Ante cellam Minervæ ſtabant tres Dii Nixii, parturientibus adorati, ut *Feſtus* refert. In templo ſubterraneum erat conclave, in quo tres illi libri a Sibylla Cumana redempti cuſtodiebantur per Decemviros, quos deflagrante Capitolio una exuſtos memorat *Halicarnaſſeus*; ut mirum videri poſſit, quomodo Romani ex eo ad libros Sibyllinos provocarint. Sed nimirum reſtituto Capitolio, per Legatos conquiſivere Romani, quicquid librorum Samos, Africa, Italia, Erythræ, Ilium nomine Sibyllarum venditabant, quod *Tacitus* annotavit, inque iis, ut credi par eſt, multa fabuloſa. D Sarcire detrimentum hoc parabat Auguſtus, de quo ita *Suetonius*: *Quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis ſub Palatini Apollinis baſi*. Quos utcunque non a Cumæa vate profectos, & ob hoc ipſum ſuſpectiores cum exuſſerit tandem Principatu Honorii Stilico, ex confeſſione *Rut. Numatiani*, neſcio cur Sibyllina Oracula adhuc Orbi ceu magnam partem ſincera obtrudantur.

E 8. Sed ut ad Capitolium redeamus, magnificentiam templi Jovis opt. max. & alia declarant: in eo cuncta trophæis aureis, armis, ſpoliiſque hoſti detractis referta, tabulæ pictæ ingentis pretii, omnium ibi Deorum ſimulacra, Regum Romanorum ſtatuæ, coronæ aureæ plurimæ: aliam miſerat Attalus pondo CCXLVI. aliam Philippus Macedonum Rex pondo C. aliam Lampſaceni pondo LXXX. aliam Alabandenſes pondo L. Ariſtobulus donarat vitem auream quingentorum talentorum, Hiero Victoriam auream pondo CCCXX. Auguſtus in cellam Capitolini Jovis XVI. millia librarum auri, gemmaſque, & margaritas quingenties HS. una donatione contulit; adeo ut hodierna ædes ſacra Lau- F retana, licet opulentiſſima donariis Principum, victam ſe libenter fateatur; quod & ipſum de Mechæ fano haud dubie quis aſſeruerit. In hoc templo ſtatua Jovis curuli ſellæ inſidebat; fulmen in manu ejus aureum pondo L. ſceptrum præſto, in capite radiata corona, in gremio ejus aurea corona a triumphantibus depoſita. Ipſe Jupiter cultu triumphali togaque palmata induebatur: & ex templo ejus prætores, conſules, triumphantes prætextam togamque pictam accipiebant. In quam rem *Lampridius* in Alex. Servero: *Prætextam*, in-

quit, *& pictam togam nunquam nisi Consul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut Prætores, aut Consules. Quanquam Gordianus senior primus Romanorum Principum suam propriam habuerit, cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* In porticibus templi vel in vestibulo cœnabant triumphantes, ut *Zonaræ* placet, non in templo interiori; ideoque Scipio Africanus, apud *Appianum*, Capitolium ascendit finita pompa, & amicis epulum ex more dedit ἐς τὸ ἱερόν, id est, ad templum, sive in templi porticibus.

A Vix adeo reverenter usus fuisset templo Capitolino Hannibal, si triumphanti patuisset Capitolium, cum spei audaci proximus immineret, de quo *Varro* apud *Gellium*: *igitur Dictatorem*, inquit, *Carthaginiensium magister equitum monuit: mitte mecum Romam equitatum; die quinto in Capitolio tibi cœna cocta erit.* In depressiori illa area inter utrumque Capitolii verticem, (ubi nunc Curia, statua equestris Alex. Severi, domus Senatoria) asylum olim patebat, lucus duplex, templum Vejovis, fana, & statuæ plurimæ. Asyla loca erant in urbibus, in templis religione sacra, ad quæ rei confugientes ab hostibus insequentibus vi legis defendebantur. Tale hic loci instituerat Romulus, ut Urbem brevi frequentiorem redderet, de quo in Fastis *Ovidius:*

B

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Coronabant Asylum duo minuti luci quercubus, unde coronæ quernæ ob cives servatos distribuebantur, consiti. Duravit hic Asyli jus diutissime; quanquam enim Tiberius, judice *Suetonio*, aboleret jus moremque Asylorum, quæ usquam erant, illud tamen videtur restringendum ad Asyla Provinciarum, secundum illud *Taciti*: *Crescebat enim* inquit, *Græcas per urbes licentia atque impunitas Asyla statuendi; complebantur Templa pessimis servitiorum.* Hinc frænata illa Græcorum libertas edicto Tiberii, de Romanis nulla erat quæstio. Asylum autem Romanorum non patebat duntaxat servis, quod putat *Halicarnasseus*, sed & ingenuis. Rotunde *Livius*: *Asylum aperit Romulus; eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit.* Atque ne Romani majorum stemmata nimia fiducia ostentarent, *Juvenalis* captata hic sagaciter occasione Sat. VIII. ita se ingerit:

D

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis Asylo.

Vicina Asylo ædes sacra Vejovis, quem parvum Jovem fuisse arbitratur *Donatus*; hoc est, imberbem adhuc, & nondum vel fulmine, vel sagittis armatum, nondum tela sua in gigantes exercentem. Atque eadem mens *Ovidio* videtur fuisse. Sed *Gellius* lib. v. cap. XII. *Quum Antiqui*, inquit, *Jovem vel Dijovem a juvando nominassent, eum contra Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet, (nam Deos quosdam ut prodessent celebrabant, quosdam ne obessent placabant) Vejovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi facultate. Ve enim particula, ut in vegrande, vesanus, vecors, privativa est. Simulacrum igitur Dei Vejovis, quod in æde est Romæ inter Arcem & Capitolium, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum.* Hic Vejovi sagittas adfuisse notamus; nec fulmen defuisse docebunt illa *Amm. Marcellini*: *In Tagetis Tusci libris legitur, Vejovis fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitrum, nec majores aliquos possint audire fragores.* Et *Papias* jam ante, quod *Grotio* & *Vossio* placuit, scripsit: *Vedius* (pro Vejove) *Pluto, vel Orcus, malus Divus.* Et mihi oppido credibilis *Gellii* sententia, vel hoc nomine, quod peregrinatores, qui nostro seculo in Chinam & Americam (ubi gentiles tenebræ ita invaluere, ut apud Quirites olim) penetrarunt, aras & templa quam plurima Vejovi, id est improbo & maligno dedicata observarint Genio, ut a quo sibi timent maxime. Ita *Averruncum* & *Robigum* invocabant Quirites, ut mala a frugibus amoverent, teste *Gellio*; ita Pallori & Pavori, docente *Livio*; item Febri, de qua *Plinius*, ut invisis Numinibus templa struxerant; quin & Lavernam, Deam furum, Bellonam, Furias inter Divas reposuerant. Ad rem *Prudentius*:

Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrasse Deas, Febrem, Scabiemque sacellis.

Intellexerint ergo Quirites nomine Vejovis Jovem Stygium, de quo *Virgilius* Æn. IV.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi.

Quem eundem *Silius Italicus* l. VIII. Jovem nigrum appellat: quo traxerit aliquis Horatianum illud:
Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

C

Collocatur & in Intermontio *Tabularium*, in quo Acta publica Tabulæque antiquæ custodiebantur, fere quo loco hodie sellulariorum Artificum collegia habentur, fabrorum, carpentariorum, sutorum, tabernariorum; utrum tamen ibi fuerint tria illa tabularum ænearum millia, quæ Vespasianus, tradente *Suetonio*, post incendium restituit, non ita liquidum est; ut quas in porticibus templi Jovis Capitolini major collocet verisimilitudo; quod templum illud constet deflagrasse. Bibiliothecam ibidem publicam ponit *Eusebius*, *Orosius*que, dubium a Sulla, an Cæsare, an Augusto, an alio instructam; *Ovidius* suo ævo Romæ agnovit bibliothecam Palatinam, item illam, quæ ad theatrum Marcelli patebat, & denique Asinii Pollionis, quam in atrio Libertatis vidit mons Aventinus. Post visa & alia in Templo Pacis, alia in Foro Trajani; sed Capitolina fortassis a Domitiano vel cœpta est, vel promota, de quo *Suetonius*: *Quamquam bibiliothecas incendio absumptas impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emandarentque.* Fuisse quoque in monte Capitolino Athenæum illa videntur testari, quæ *Sext. Aurelius Victor* in Hadriano tradit: *Ceremonias*, inquit, *leges, gymnasia, doctoresque curare occœpit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret.* De loco, juverit illa *Codic. Justinianæi l.* XI. tit. XVIII. de studiis liberalib. Romæ recognoscere: *Sin autem*, inquit, *ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii Auditorium constituti...* Et mox: *Nihil penitus ex illis privilegiis consequantur, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti sunt.* Quia ergo Athenæum in Capitolio fuit, saltem posterioribus Imperatorum seculis, credibile est in Intermontio, ob bibliothecæ viciniam, collocandum. Favissæ Capitolinæ, cellæ quædam, & cisternæ erant sub terra in area Capitolina, ubi reponi solebant signa vetera, quæ ex eo templo collapsa erant, & alia quædam religiosa e donis consecratis, quæ verba *Gellii* sunt lib. II. cap. X. Similia *Festus*.

E

F

9. Sed quis numerabit omnes Capitolii statuas, omnes ædes sacras, omnes illustres picturas? templum Fidei, ædem Dii Fidii sponsoris, sacellum Jovis conservatoris, statuam Dei Summani mittimus, ut de Curia Calabra paucis transigatur. Hanc viderunt Quirites ad saxum Tarpejum: proximam

casæ Romuli, de quo ita *Macrobius*: *Antequam*, inquit, *fasti proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nunciaret. Itaque sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idque Pontifex calata, id est vocata in Capitolium plebe juxta Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat*. Sed cur casa Romuli in Capitolio, cum ibi non habitarit? credibile, voluisse Romulum exstare hoc monumentum stramine tectum in conspectiori urbis loco, ut cives subinde recordarentur, ex quam humilibus surrexissent initiis; quemadmodum & Agathocles olim, ut ostenderet fortunam magnam reverenter habendam, fictilia vasa aureis in mensa sua permiscuit, memor parentis figuli. Propinquum Curiæ Calabræ fuit Templum Junonis Monetæ, (quo olim loco Manlius habitabat, & jam ante Rex Tatius, si vera tradit *Solinus*) & monetæ officina, secundum *Livium*; qui & ita de Manlio: *M. Manlius Capitolinus*, inquit, *perduellionis & affectati regni reus, in Petelino luco extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium* (quod adversus Gallos masculé defenderat) *non erat, condemnatus, postea de saxo Tarpejo dejectus: ita ut locus idem in uno homine & eximiæ gloriæ & pœnæ ultimæ fuerit*. Et monstratur hodieque in australi vertice montis Capitolini infamis illa Tarpeja rupes, sortita nomen a Vestali Virgine Tarpeja, quæ arcem Sabinis prodidit, ibi sepulta: nam septentrionalis vertex a capite Toli ibidem invento speciatim Capitolium appellatur, ubi olim templum illud Jovis opt. maximi. Varia quidem hic contra obducunt *Marlianus* & *Al. Donatus*, sed quibus, meo quidem judicio, a *Nardino* satis efficaciter occurritur. Nos revertimur ad ædem Junonis Monetæ: Monetæ a monendo nomen, *quod nota inscripta* (ex *Isidoro* hæc) *moneat nos auctoris & valoris*. Junoni autem hoc nomen adhæsit, quod Romanos ex Arce commonuisset ante Urbem a Gallis captam, ut propter terræ motum rem divinam sue facerent. *Suidas* aliam nominis rationem affert: Romanos bello Pyrrhi, & Tarentino de pecunia, cujus egentes erant, sollicitos, a Junone admonitos fuisse, pecuniam non defuturam justitiam & arma colentibus. Ædes Concordiæ in Capitolio quondam statuam Victoriæ in fastigio suo gerebat, hoc est, simulacrum hominis alati trophæa manu circumferentis. Sed Jovis statua ibi præ cæteris illustris, quæ ideo in orientem facie conversa, ut consilia contra Urbis & Imperii salutem inita, judice *Tullio*, illustraret. Memorat quoque *Servius* argenteum anserem illic positum, in memoriam illius, qui strepitu suo adventum Gallorum nunciarat. Et jam diu ante *Maro*:

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.

Jovis Feretrii templum in Capitolio fuisse nemo dubitat, ut quod omnium primum ibi Romulus sacravit, sive a feriendo hoste, sive a ferendis spoliis ita appellatum; idem ab Augusto refartum fuisse perhibet *Livius*; in quo tamen loco Capitolii præcise fuerit, ambiguum. Idem judicium est de templo Veneris Erycinæ, (in quo quænam vota concepta sint, docet *Juvenalis*:

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater.)

Veneris calvæ, Fortunæ primigeniæ, Jovis custodis, Dii Fidei, Sponsoris, Opis, Isidis, & Serapidis, Martis Bisultoris, Jovis, & Herculis, Dianæ, & Jovis, Augusti, aliisque, quæ ibi ab Antiquis collocantur, eo numero, ut mirum sit, qui potuerit minime amplus collis tot ædificia recipere: nisi placeat, vel fuisse pleraque oppido minuta, vel aliis dirutis patuisse aliis locum. Taceo quatuor illas columnas æneas ex rostris Ægyptiorum navigiorum conflatas, quas ab Augusto alibi erectas Domitianus in Capitolio statuit; taceo rostratam Julii Cæsaris, triumphales statuas Bocchi, in quibus Jugurtha aureus, ut docet *Plutarchus*; taceo illud *P. Victoris*: *In Capitolio omnium Deorum simulacra celebrantur*, ut illud tantum *Plinii* in Panegyrico adjiciam: ***Paullo ante***, inquit, ***aditus*** *omnes, omnes gradus, totaque area* (Capitolii) ***hinc*** *auro, hinc argento relucebat*, ***seu potius polluebatur, cum injusti Principis***, (Domitiani) ***statuis permixta Deorum simulacra sorderent***. Multa tamen in Capitolino monte refecit atque exornavit Domitianus, de quo adulanti propior *Martialis* ita:

Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis;
Quid pro Tarpejæ frondis honore potest?

CAP. XI.

De nona Urbis regione.

I. Regio nona, quæ *Circus Flaminius* inscribitur, tota olim extra muros urbanos erat; jungebatur cum septima ad radices montis Pincii, hinc accedebat fontem Trevi, templumque Ignatii: post ad templum Jesu progressa, subque Capitolio procedens, planitiem Montanaræ & antiquam portam Carmentalem attigit, atque paululum progressa ad palatium Savelli, tandem ad portam Populi retrocessit, Campum Martium & prata Flaminii simul complexa. In hac regione illustria fuere multa; in quibus initio porticus Octaviæ sororis Augusti occurrit, magnificum ædificium, ad theatrum Marcelli exstructum, duobus templis Junonis & Apollinis prætensum; exornabant hunc locum nobiles statuæ, referente *Plinio*, Apollo Philisci Rhodii, Juno Polycleti, Jupiter Timarchidis, Dædalus Polycharmi, Æsculapius, Diana, & novem Musæ incerti. Juvat hic sagacitatem Architectorum recognoscere: Nec *Saurum*, inquit Plinius, *nec Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones. Quidam & opibus præpotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes; qua negata hoc tamen alio loco & modo usurpasse; sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculpta nominum eorum argumenta, rana, atque lacerta*. Pari solertia Ferrantem Imperatum fefellit patrum memoria Nicol. Antonius Stelliola, qui librum suum de Naturali Historia Neapoli anno 1599. evulgari passus est, Imperati nomine, cum ipse arcanis notis se Auctorem apud Jesuitas declarasset, narrante *Thoma Cornelio Consentino*. Ita Petrus Castellus librum suum de Horto Farnesiano alii edendum vendidit, & tamen ex initiis versuum in fronte libri collectis Auctorem se ejus ostendit, monstrante *Canonico Corvino*. Sed & in Octaviæ porticibus schola fuit, & curia, & denique bibliotheca, quam in Marcelli honorem & memoriam dedicavit Octavia mater Marcelli, quem Augustus adoptarat, ut summæ spei juvenem, sed immaturo fato raptum, de quo *Virgilius*:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent . . . .

Hujus Marcelli theatrum magnam partem adhuc durat post tot secula; quo loco antea carcerem ædificarat Claudius Decemvir; in quam rem *Plinius*: *Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam: quo miraculo salus matris donata filiæ pietati est, ambæque perpetuis alimentis; & locus ille eidem consecratus est Deæ, C. Quinctio, M. Acilio Coss. templo pietatis exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est*. Festus putat templum hoc pietatis erectum in ædibus reæ fæminæ, non in carcere; forsan ad carcerem habitarat, ut utrique scriptori constet ratio. Hodie *Mons pietatis* Romæ publica domus est, designatque idem quod apud Belgas *Banck van leeninge*, aut *Lombarden*. Ante carcerem a Cl. Decemviro structum nullus in Urbe alius repertus est excepto Tulliano. Ad rem *Juvenalis*:

Felices proavorum atavo, felicia dicas
Secula, quæ quondam sub Regibus atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.

Hic prope templum Jani gemini a Numa consecratum; in quo colebatur Janus *digitis ita figuratis*, ex observatione *Plinii*, *ut trecentorum sexaginta quinque dierum nota per significationem annui temporis & ævi se Deum indicaret*. De qua per flexum digitorum supputatione varia *Rhodiginus*.

2. In propinquo extra portam Carmentalem stabula erant quatuor illarum factionum in Circis aurigantium, in quibus qui panno *cæruleo* vestiebantur, factionis erant Venetæ, qui *viridi*, prasinæ, qui *albo*, albatæ, qui *rubro*, russatæ. Colores hi quatuor anni tempora referebant, ut erat hoc aurigationis ludicrum Soli anni flexus moderanti sacrum. Viridi colore designabatur ver, russato, sive russo, vel russeo æstas, albo autumnus, Veneto hyems, quod *Cassiodoro* debemus; nisi forsan rectius *album* hyemi, ut nivibus omnia operienti, tribuamus, & Venetum autumno, ut in uvas cœruleas abundantissime se effundenti, quod putavit non sine caussa *Corippus Africanus*. Harum factionum etiam Principes quidam Romani studiosissimi erant, Caligula Prasinæ, Venetæ Vitellius, ut ex *Suetonio* constat. Domitianus quatuor his factionibus quintam adjecit, *purpuream*. Sed de his plura *Bulingerus*, *Savaro*, *Mercurialis*. Circus Flaminius superiori ævo conspectus *Pyrrho Ligorio*, *Fulvio*que, hodie obliteratus, locum illum occupabat, quem hodie *Templum S. Catharinæ de Funari* premit, structus, secundum *Festum*, a Flaminio illo, quem Hannibal fudit ad Thrasymenum, licet campus ipse jam ante destinatus Circensibus ab alio Flaminio antiquiore, si *Plutarcho* debemus fidem. In hoc Circo quotannis stato die ludi Apollinares celebrabantur, Apollini domitori pestilentiæ sacri, ex *Livio*; instituebantur & quandoque nundinæ, quod *Tullius* profitetur. In eodem plura templa collocantur; id quod non de ipsa Circi area capiendum, sed de lateribus exterioribus quibus sacræ illæ ædes acclinabantur. In his erat ædes Herculi magno custodi Circi Flaminii dicata, a Sulla olim condita, ob Oraculum Sibyllæ; erat altera Herculi Musagetæ sacra, dedicata a Marco Fulvio Nobiliore, eo instituto, ut doceret Musarum quietem a fortissimo Numine defendendam esse, de quo *Eumenius*. Hinc ille Fulvius apud *Ciceronem* traditur Martis manubias Musis consecrasse. Nempe hederæ sunt Musæ, quæ statuminibus indigent, quibus erigantur; erectæ statumina sua beata viriditate coronant. Collapsam hanc ædem videtur instaurasse Martius Philippus. In ea omnes Musarum statuæ Ambracia advectæ, monitore *Plinio*. Ad eundem Circum ara Neptuni, ut in cujus tutela equi, qui in hoc Circo exercebantur. Item ædes Junonis Reginæ, & Dianæ, ædes Castoris, ut equorum domitoris; ædes Martis, ædes Jovis statoris, delubrum Domitii, templum Bruti Callaici, in quo Mars colosseus sedentis figura visus *Plinio*. Ad Circum templum Bellonæ, ante cujus vestibulum columna illa bellica memorabilis, de qua *Ovidius*:

Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti,
In Regem & gentes cum placet arma capi.

Mittebat hastam illam cruentam Consul tempore Reipublicæ versus regionem hostilem, ut *Dion* attestatur. In templo Bellonæ senatus dabatur triumphos ambientibus, & Legatis hostium; neque enim victoribus Urbem intrare licebat, ante decretum senatus; neque hostilibus nunciis, ut fraudium suspectis.

3. Vidit Urbs Roma eodem tempore tria stabilia theatra, Pompeii, Marcelli, & Balbi; amphitheatra duo, Flavium, sive Vespasiani, & Statilii Tauri. Differebant, quod theatra in hemicycli formam constructa fuerint, addita scena ad ludos dramaticos; amphitheatra vero in formam circuli, ad ludos præcipue gladiatorios. In omnibus sedilia ad latera senim crescentia, ut spectandi licentia pluribus indulgeretur. Et quidem Romæ ad usque tempora Pompeii Magni temporaria erant hæc receptacula, ne severitas Urbis ludicris sæpius repetitis enervaretur, docente *Vellejo*. Pompejus autem e bello Mithridatico reversus stabile & saxeum ædificavit theatrum, & ne Censoriam notam luxus nomine sustineret, ædem Veneris Victricis editiori loco supra caveam construxit, atque dedicaturus novam molem, professus est se templo Veneris gradus spectaculorum subjecisse, ad declinandam haud dubie invidiam. Vestigia Pompejani hujus theatri adhuc, licet tenuia, exstant ubi hodie surgit palatium Ursinorum; evidentiora vidit superiori seculo *Fulvius*. Hoc quamvis amplissimum olim opus, ut quod ultra hominum quadraginta millia facile caperet, Nero tamen unico die totum inauravit, quod *Plinius* tradit, ut Tiridati Armeniorum Regi, qui per id tempus Romæ agebat, potentiam suam & opulentiam declararet. Arsit imperante Tiberio, restituere cœpit Princeps, sed Caligula absolvit; iterum incensum refecit Claudius; rursus deflagrantem scenam instauravit Titus Vespasianus; tandem iterum haustum incendio sub Philippo, anno Urbis millesimo, ludis secularibus, ceu scribit *Eusebius* in Chronicis, quis ex eo statim reparaverit, ambiguum: id constat ex *Cassiodoro*, Theodoricum Gothorum Regem vetustate pene solutum novissime refecisse. Appendices hujus theatri erant curia, & porticus; & quidem porticus ideo theatris adjungebantur, indicante *Vitruvio*, ut haberet spectator populus, superveniente pulvia, quo se reciperet; in curia Pompeii imago; hic a Bruto & Cassio, cæterisque conjuratis, inspectante senatu, confossus Julius Cæsar, de quo *Suetonius*. Vicina theatro Pompeii porticus Philippi, (ædificarat Martius Philippus, Augusti vitricus) ampla & picturis nobilis, in qua eminebant Helena Zeuxidis manu delineata, Liber Pater, Alexander puer, & Hippolytus tauro emisso expavescens Antiphili, atque bellum Iliacum Theodori, quod *Plinio* observatum.

4. Pantheon, (hodie *la Rotunda*) inter magnificentissima Urbis antiquæ opera merito æstima-

tum, ab Agrippa Jovi ultori sacratum est, in cujus fronte adhuc legas: M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT. dictum, ut putat *Dion, quod in simulacris Martis & Veneris multas deorum imagines acciperet, vel quod forma convexa fastigiatum ostenderet similitudinem cœli*. Utrum autem porticus templo æquæva sit, ambiguum, quod continuitas utriusque fabricæ non ita stricta videatur. His accedit major in porticu architecturæ elegantia, quam in templo, ut appareat templum ævi paullo antiquioris, porticus Agrippini, hoc est Augusti, eoque nitidioris. Hodie e plano Urbis gradibus XI. descenditur ad Pantheon, olim septem ascendebatur. Ratio discriminis, platearum jam altitudo, & ex tot ruderibus antiquis pavimentorum elevationes. Jam olim non porticus modo, sed & ipse templi fornix tegulis æneis constratus erat: eas templo eripuit Constantius, & in Siciliam cum aliis ornamentis Urbis secum abduxit; resarsitque aliquatenus hoc damnum Gregorius III. notante *Anastasio*. Quæ autem tabulæ æneæ & laquearia porticum aut operuerant, aut exornarant, ab Urbano VIII. partim in basilicam Vaticanam translata sunt, partim in tormenta bellica castelli *S. Angelo* dicti transformata. De quo hodierna etiam templi Inscriptio testimonium perhibet, quæ ita: *Urbanus* VIII. *Pont. Max. vetustas ænei lacunaris reliquias in Vaticanas & bellica tormenta conflavit, ut decora inutilia, & ipsi prope famæ ignota fierent in Vaticano templo Apostolici sepulcri ornamenta: in Adriana arce instrumenta publicæ securitati, anno Domini* MDCXXXII. *Pontif.* IX. Ostium templi amplum & magnificum hodieque durat, ex ære, ut apparet, Corinthio elaboratum; ut taceam columnas illas ex marmore solido quibus innititur porticus, vastæ & pene stupendæ amplitudinis simul & longitudinis, omnium oculos in se convertere. In columnis templi caryatides olim agnovit *Plinus*, hodie non obvias. Erant autem caryatides, columnæ onera gravia sustinentes in figuras mulierum effictæ; quod genus in virili sexu atlantes seu telamones appellant, quibus limina sustinentur; inventum Spartanorum, qui mancipiorum in bello captorum statuas ad januas suas quasi in servitium perpetuum solebant collocare. Sed de caryatidibus diserte *Vitruvius*: *Carya civitas Peloponnesi*, inquit, *cum Persis hostibus contra Græciam consensit. Postea Græci per victoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere, ut non uno triumpho ducerentur, sed æterno servitutis exemplo gravi contumelia pressæ pœnas pendere pro civitate viderentur. Ideo qui tunc Architecti fuerunt, ædificiis publicis designaverunt earum imagines oneri ferundo collocatas, ut etiam posteris nota pœna peccati Caryatidum memoriæ traderetur*. Alio supplicii genere Romani afflixere Bruttios, de quo *Gellius*: *Primi*, inquit, *totius Italiæ Bruttii ad Hannibalem desciverunt. Id Romani ægre passi, postquam Hannibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, Bruttios ignominiæ causa non milites scribebant, nec pro sociis habebant, sed Magistratibus in provincias euntibus parere & præministrare, servorum vice, jusserunt. Itaque hi sequebantur Magistratus, tanquam in scenicis fabulis, qui dicebantur lorarii, & quos erant jussi, vinciebant, aut verberabant; quod autem ex Bruttiis erant, appellati sunt Bruttiani*. Sed ad Pantheon; habuit, quod in eo ad censuram vocaret *Ludovicus Demontiosus Gallus*, de quo scriptum ipsius consulendum. Solum illud templum hodie Romæ hypæthron est, seu subdiale, lumine per apertum fornicem admisso; licet aliud etiam in hypæthris requirat *Vitruvius*. Statua Veneris in Pantheo eminens auribus gestabat margaritam Cleopatræ alteram, in duo segmenta divisam, alteram enim ipsa obsorbuerat, de quo ita *Plinius*: *Comitetur fama unionis ejus parem, capta illa tantæ quæstionis victrici Regina dissectum, ut esset in utriusque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna*. Neque hoc templum ab injuriis temporum liberum fuit, instauratum sæpius, jam ab Hadriano, jam Antonino, jam Severo. Sed cur Pantheon invadentibus Urbem tot Barbaris non succubuit, non exustum, mutilatumve est, in illa generali cæterorum templorum, etiam Jovis Capitolini, ruina? Credibile, nullam gentem adeo efferam fuisse ex iis, quæ Urbem expugnarant, quin alicui saltem Deo thura & preces offerret, id cum opportune in Pantheo fieri posset, ut communi Deorum omnium domicilio, parcitum majestati loci, in quo nemo non suum Deum inveniret.

5. Non procul a Pantheo eminebat hortus Agrippæ, cui adhærebant thermæ magnificæ ejusdem, Luxus nomen Romanis thermæ, licet initio sanitatis conservandæ instrumenta. In iis corpora lavabantur, hora una ante Cœnam. Apparatus ibi multiplex, de quo *Vitruvius*: numerus, si *Victori* fides, in tota Urbe supra octingentas tandem assurgebat. In iis spectatiores thermæ Principum, Neronis, Hadriani, Domitiani, Antonini, Philippi, Severi, Commodi, Decii, Diocletiani, Aureliani, Gordiani, Taciti, aliorum, quas sola fere nominis inscriptione sibi servata populo utendas publicabant. Taceo privatas civium locupletiorum, domesticis natas delitiis. In antiquissimis laudantur thermæ M. Agrippæ, in nobilissimis Antonini, in spatiosissimis Diocletiani. De thermis Agrippæ ita Dion: *Moriens Agrippa populo hortos & balneum a se denominatum legavit, ut gratis lavarentur*. Inter statuas ornamento loci ab Agrippa erectas celebrior apoxyomenos Lysippi, quam oppido sibi dilectam cum in cubiculum suum transtulisset Tiberius, victus clamore populi apoxyomenon reposcentis, publico restituit, ut *Plinius* memorat. Accedebat his thermis stagnum, atque euripus, & medio inter utrumque loco sylvula, in qua nobilis illa statua leonem cadentem repræsentans manu Lysippi elaborata oculos invitabat, ceu *Strabo* refert. Et ne horto, thermis, stagnoque deessent salientes undæ, Agrippa ramum *Aquæ Virginis* eo transtulit. Nero cum delitiis loci invitaretur, non raro ibi convivatus est splendide, quod *Tacitus* notat, & tandem vel magnificas thermas hisce vicinas struxit, vel has ipsas abolito nomine Agrippæ Neronianas jussit appellari, de quibus ita *Martialis*:

Quid Nerone pejus? quid thermis melius Neronianis?

In propinquo olim palus Capreæ, Romulo fatalis; & non procul templum *boni Eventus*.

6. Sed ut Campum Martium, antea *Tarquiniorum agrum* vocatum, plenius intueamur, duplex ille erat, major & minor; major, tota illa planities, quæ a via Flaminia ad pontem Ælium distenditur; minor, quæ ponte Ælio exeuntibus a sinistris cernitur versus pontem Sixti. In utroque hoc Campo spectatiora recensebantur, via Flaminia, mausoleum Augusti, horologium, columna, templum & forum Antonini, septa, arcus aquæ Virginis, villa publica, porticus Polæ, porticus Constantii, porticus boni Eventus, porticus Gratiani, porticus Pompeii, Philippi, Octavii, Octa-

viæ; templum Minervæ, Neptuni, Juthurnæ, Fortunæ equestris, Bellonæ, Apollinis, Herculis custodis, Isidis, Serapidis; diribitorium, bustum Cæsarum, thermæ Agrippæ, Neronis, Alexandri, pantheon, moles Hadriani, curia Pompeii, theatrum Pompeii, Marcelli, Balbi, amphitheatrum Statilii Tauri, & Trajani, hecatonstylon, carcer Claudii Decemviri, circus Flaminius, circus Agonalis, campus, horti & stagnum Agrippæ, forum olitorium, suarium, alia. Et hæc quidem de Campo Martio in universum, strictius tamen nonnunquam Auctores locum in eodem campo structuris vacuum, & tyronum militarium exercitiis destinatum, gramine hinc inde vestitum Campi Martii nomine designant. Et in hoc *Solitaurilia* olim celebrata, hoc est sacrificia Martis honori dicata ex sue, ove, & tribus tauris, docente *Livio*; quæ nonnulli, ut propius ad nomenclaturam hostiarum accedant, *Suovetaurilia* appellant, ac si nomen ex sue, ove, & tauro conflatum esset. De hoc campo *Vegetius*: *Romani*, inquit, *Martium Campum vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum sudorem pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursusque laborem natando* (in Tiberi) *deponeret*. Stabant & hic lignei equi, quos Romani tyrones a dextris, a sinistris (tradente eodem *Vegetio*) etiam armati inscendere pernici agilitate jubebantur, manu gladios evaginatos ferentes; neque enim stapedes illa ætas invenerat, sed sera denique posteritas, quod *Pancirollo* observatum. Sed & hic locus Equiria spectabat, hoc est, ludos, quos Marti per equorum cursum Romulus instituerat, monente *Festo* Simile quiddam primis esuritionum publicarum diebus hodieque imitantur Romani, nisi quod præter equos, etiam ad velocissimum tum cursum Judæi in via Flaminia (hodie *il Corso*) instigentur. Veterum autem Equiria videntur in Circo Agonali (jam *Piazza Navona* appellato) instituta fuisse, loco antea herboso & longiusculo, sed tandem ab Alex. Severo in splendidiorem Circi speciem formato. Circus autem hic Alexandrinus jam olim Agonalis nuncupari suevit, sive a Deo Agonio, rebus agendis præsidente, quo inclinat *Festus*, sive a ludis agonalibus ibidem celebratis, ad imitationem Græcorum, de quibus *Lic. Archias* Poeta Grajus:

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,

Ab Agonali non ita procul, ubi hodie surgit templum D. Augustini, bustum Cæsarum fuisse rudera adhuc quodammodo declarant. Hic primum cadaver Oct. Augusti ustum est, & postea aliorum quoque Cæsarum in Urbe occumbentium, denique & imagines eorum, qui a morte consecrabantur. Propius viæ Flaminiæ Mausoleum Augusti. *Suetonius* ita: *Inter viam*, inquit, *Flaminiam ripamque Tiberis illud opus exstruxerat Augustus sexto suo Consulatu, circumjectasque sylvas & ambulationes in usum populi jam tum publicarat*. Strabo: *Quorum*, inquit, (monumentorum) *omnium magnificentissimum est Mausoleum; agger ad amnem supra sublimem albi lapidis fornicem congestus, & ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus. In fastigio statua Augusti Cæsaris; sub aggere loculi ejus, & cognatorum ac familiarium. A tergo lucus magnus admirabiles habens ambulationes. In medio autem campo busti ejus ambitus ex albo saxo in orbem cinctus ferreis cancellis, & populis intus consitus*. In hoc Mausoleo conditi cineres Marcelli, Agrippæ, Germanici, Augusti; & in vicino nemore cineres libertorum. Additi Mausoleo in splendorem obelisci duo, sed minusculi: major omnino alius in vicinia horologio sciaterico gnomonis loco deserviens, pedum CXVI. si *Plinio* fides; in cujus basi *Fulvius* olim legebat:

CAESAR D. F. AVGVSTVS PONT. MAX.
IMP. XII. COS. TRIB. POT. XIV. AEGYPTO IN POTESTATEM POPVLI ROM. RED. SOLI DONVM DEDIT.

Audiatur & *Plinius*: *Ei, qui est in Campo*, (Martio) inquit, *Divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora, paulatimque per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus decresceret, & rursus augesceret, digna cognitu res, & ingenio fœcundo*. Ubi *Salmasius* pro *Romæ* legit *brumæ*, ut intelligat *Plinius* diem, quo bruma committitur. Hodie obeliscus ille per aliquot cellas privatarum ædium distentus, sed varie disruptus jacet in Campo Martio, ad templum S. Laurentii in Lucina. In propinquo olim mons citorius, sive citatorius, in quo a præcone citabantur ordine suo centuriæ, ut septa ingrederentur ad ferenda suffragia. Erant autem *septa* locus amplis tabulatis primum, postea marmore inclusus, in quo stans Populus Rom. suffragia ferre consueverat, docente *Servio*. Ad comitia enim vocatus populus, & in tribus vel centurias distributus, stabat in Campo Martio, donec singulæ seorsum centuriæ per angustum pontem in septa (sive ovile, ut alii vocant) evocarentur, ut candidatis haud innotesceret, quorum sententiis vel rejicerentur, vel potirentur voto. Hinc cum Marii servus in septis olim deprehenderetur, domino præturæ candidato, ad ambitum spectare res visa est. Alioquin in *septis* quandoque spectacula a Principibus data, & frequens ibi margaritarum, mercium rariorum, lapidumque pretiosorum negotiatio, quod vel ex *Martiali* colligitur. Ad *septa* late eminebat *villa publica*; hic diversorium illustre publicum Legatis hostium (ut quibus nisi accersitis Urbem ingredi vetitum) aperiebatur. Vox *Livii*: *Macedones deducti extra Urbem*, inquit, *in villam publicam, ibique iis locus, & lautia præbita*. In hac quatuor legiones Marianarum partium fidem suam secutas obtruncavit Sylla, tradente *Val. Maximo*, ut vel ex eo loci amplitudo cognoscatur: nisi forsan cum nonnullis legas ibi *via publica*, cum octo millia civium eo loco cecidisse narret *Liviana* epitome. Malim tamen retinere antiquam lectionem, vel ob auctoritatem *Lucani*, cujus illa:

Tunc flos Hesperiæ, Latii tunc sola juventus
Concidit, & misera maculavit ovilia Romæ,

ubi tamen per licentiam metri septa sive ovilia cum proxima illi villa confudit. Villæ propemodum adhærebat porticus Europæ, a pictura filiæ Agenoris, quam Jupiter abstraxit, denominata, clara ambulationibus & buxetis, de qua *Martialis* ita:

An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?

6. Non fuisse admodum remotam a septis aram Martis vel ex eo *Livii* conjicere licet: *Comitiis*, inquit, *confectis, ut traditus antiquus mos est, Censores in campo ad aram Martis sellis curulibus consederunt*. Quæ forsan postea vestita templo est,

nam diserte Dion: *Templum Martis in campo fulmine tactum fuit*. Sed ara Terenti subterranea Tiberi vicinior; de illa *Festus*: *Terentis*, inquit, *locus in campo dictus, quod in eo loco ara Ditis Patris occultaretur, vel quod profluentis Tibiris ripas aquarum cursu tereret*. Enimvero Diti & Proserpinæ ut Diis infernis aræ statuebantur sub terra ad pedes fere viginti, & ludis tantum secularibus aperiebantur, ut inter sacra trium noctium colerentur. Ausonius ita:

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Martialis quoque:

Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

Oportet autem matronam illam centum, & eo amplius, annorum fuisse, de qua ita *Martialis*:

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

De voce *Terenti* varia *Rutgersius*. *Festus* adjicit, instituta illa sacra ad mala, quæ Populo Rom. ingruebant, avertenda. Absolvit in hoc campo amphitheatrum suum *Statilius Taurus*, Augusti clarus amicitia, inque eo, cum dedicaretur, munus gladiatorium exhibuit, ceu tradit *Dion*. Posuit & in campo amphitheatrum Trajanus, quod invito populo Hadrianus destruxit, si vera docet *Spartianus*. Ibidem in gratiam Augusti splendorem Urbis amantis theatrum molitus est Corn. Balbus, adjuncta crypta, in qua fortassis operi se se præparabant actores. Erat & in Campo Martio, præter alia templa, præter statuas illustrium virorum, quas Augustus e Capitolio (propter locum ibi arctiorem) illuc transtulit, a Caligula postea convulsas, sepultura primariorum aliquot hominum, Agrippæ, Drusi Germanici, Hirtii Pansæ, Sullæ, Juliæ uxoris Pompeii, quamquam initio solos Reges (docente *Appiano*) in Campo Martio sepeliri fas esset. In Campo minore (cujus partem populo Rom. donavit Taratia Caja, sive Suffetia Virgo Vestalis, ex *Gellio*, partem Flaminius quidam Priscus, ex *Plutarcho*, unde pratis Flaminiis nomen) spectabatur olim via quædam celebris, (*rectam* appellabant) ubi hodie *la strada Julia*, & altera non minus splendida, quæ *triumphalis*. *Nardinus* suspicatur *rectam* & *triumphalem* fuisse unam eandemque, sed triumphalem oportebat ducere a ponte triumphali ad Capitolium, recta autem, hodie Julia dicta, non parum a Capitolio abducit. Vocatur & hic campus hodie *Campo di fiore*, an a florum ibi olim varietate & gloria, ut *Fulvius* putat, an a Flora meretrice, ambiguum est. Mihi tamen *Fulvii* placet sententia; audiatur igitur in hanc rem *Lactantius*: *Flora*, inquit, *cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum Rom. scripsit hæredem, certam pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia: quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit*. Quod si a Flora (quam eandem Accam Laurentiam fuisse putant) nomen huic campo adhæresceret, haud dubie hic locum *Circi Floræ* cum adjuncto Floræ templo posuisset Antiquitas: cum utrumque in Quirinali regionis sextæ fuisse vestigia hodieque & scriptorum consensus declarent. Non procul a Pompeii porticu aliud hecatonstylon vidit ætas *Propertii* & *Martialis*: atque in proximo platanona, hoc est minutum nemus platanis consitum, ambulationibus otiosorum & lascivientium celebre, ut ex *Ovidio* colligitur. Inter platanos hinc inde bestiarum e saxo simulacra, unde illud *Martialis*;

A *Proxima centenis ostenditur ursa columnis,*
Exornant fictæ qua platanona feræ.

& fons superimposito tritone late strepitum lymphæ propagans, de quo *Propertius*. Addidit & ornamentum colossus: diserte *Plinius*: *Talis*, inquit, *in Campo Martio Jupiter, a Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate theatri*. Nec omittenda hic via Flaminia: quæ pene a latere Campi Martii decurrit, (hodie *il Corso*) cujus initium ad aream Sciarræ, finis demum Arimini. B Hæc via triumphos etiam vidit Imperatorum ex Occidente advenientium, Vitellii, Domitiani, Honorii, aliorum, concurrentibus ad spectaculum magno numero urbanis, quo tempore, secundum illud Martialis,

Totaque Flaminia Roma videnda via,

pegmata, fenestræ, ambulacra, viæ hujus spectatoribus ubique perstrepebant. Et proinde non injuria varii hic olim triumphales arcus erecti, quorum adhuc nonnulla hinc inde rudera conspiciuntur. Inter viam Flaminiam & Campum Martium illustris illa porticus Argonautarum surrexit, C cujus reliquiæ æstimantur XI. adhuc superstites, sed attritæ columnæ marmoreæ. Collocatur & hic templum Neptuni, vicinum haud dubie, ob illa Dionis: *Agrippa*, inquit, *& porticum Neptuni propter victorias navales exstruxit, & Argonautarum pictura decoravit*. Nec inepte hic prope collocaveris *Trigaria*, hoc est, locum edomandis equis (ut qui sub tutela Neptuni) & curulibus exercitiis destinatum. In proximo cernitur adhuc magnifica illa columna, quam Antonino Pio Senatus Romanus decrevit, a morte demum Principis erecta, quod vel Marci & Commodi successorem gesta eidem simul insculpta ostenderint. D Ambiit hanc columnam forum Antonini, & templum ei constructum, additique sacerdotes, & spectata haud dubie ibidem, ut in aliis foris, basilica. Non procul basilica Marciani, balneum Narcissi liberti Claudii Imp. templum Isidis Campensis, cujus statuæ & obelisci adhuc in Urbe hinc inde cernuntur. Eversum illud a Tiberio, ob tentatam in eo a sacerdotibus Memphiticis illustris matronæ pudicitiam, narrante *Josepho*: sed iterum sub aliis Principibus restitutum. In hoc campo *ædem Larium* bello Antiochi Æmilius Regillus prætor curandam vovit, secundum *Macrobium*; si tamen votum impleverit. E Ubi hodie Conventus est doctorum *della Minerva* appellatus, templum olim Minervæ sacraverat Pompejus subacto Oriente, cujus rudera *Fulvio* spectata. Aliud Minervæ templum non procul inde ab Augusto ædificatum, quod Chalcidicum nuncupabant, in imitationem templi illius Minervæ ænei, quod Chalcidenses quondam exstruxerant. An autem Romanum hoc Minervæ templum æneum fuerit, an Minervæ statua duntaxat in eo ænea, dubium; licet nihil impediat æneum fuisse totum, tum propter divitias temporum ingentes, tum ob templi parvitatem, ut erant templa pleraque illorum temporum minuta: F unde mirari desinimus, cur scribat *Diodorus Siculus* varia Ægyptiorum priorum templa ex auro conflata fuisse. Ad castellum aquæ Virginis stadium fuisse docet *Martialis*; utrum autem Domitiani illud fuerit, qui stadium, & odæum, & naumachiam instituit, non perinde constat. Naumachiam tamen Domitiani inter montem Pincium & viam Flaminiam collocant *Blondus* & *Fulvius*, inducti vestigiis ruderum. *Suetonius* duntaxat: *Edidit*, inquit, *Domitianus pugnas navales pene justarum classium*,

classium, effosso & circumducto juxta Tiberim lacu, atque inter maximos imbres prospectavit. Non procul inde, sed editiori loco Pincii montis, horti olim Luculliani, & illi gliscente luxu sumptuosissimi: ad radices Pincii tumulatus Nero, quod ex *Suetonio* compertum. In planitie sub Pincio pons Milvius, de quo *Tacitus: Pons Milvius*, inquit, *eo tempore celebris nocturnis illecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quo solutior Urbem extra lasciviret.*

CAP. XII.

De Urbis regione decima.

1. Regionem decimam Urbis Romæ constituit mons *Palatinus* cum radicibus suis, non amplus ille quidem, ut qui fere totus hodie consumitur Farnesiano horto, sed diversis tamen temporibus, variis ædificiis, templis, viis, monimentis prisci ævi celebris. Et primis quidem temporibus ultra montis Palatini radices non protendebatur Urbs ipsa; post affluente populo laxior, caput rerum, & domum Principis jugo suo gestavit. Ad radices hujus montis (qua Septentriones spectat) olim *Lupercal*, spelunca nimirum ficui Ruminali proxima, & Pani Lycio luporum abactori ab Evandro sacrata, ut *Halicarnasseus* auctor est; *Ovidio* placet nominis ratio a lupa Romuli Remique nutrice, cujus effigiem æneam ibidem seposuere, hodieque in Capitolina arce spectandam, si *Fulvio* credimus. Equidem spectata ibi etiam mihi est; verum fabrica ejus egregia videtur politius ævum loqui, quam fuit Q. Ogulnii, a quo, secundum *Livium*, collocata. De ficu ruminali vicina ita *Plinius*: *Sub ea*, inquit, *inventa est lupa præbens rumen (ita vocabant mammam.)* Locum, ubi ea ficus germinavit, & spelunca visa fuit, *germalum* vocavere, docente *Varrone*, a germanis fratribus ibi inventis sic appellatum. In radicibus Palatini decretum olim a Romulo Jovi Statori templum cum signo Victoriæ, quod & *Cicero* testatur; & quidem ea parte, qua Palatinus respicit Forum Romanum, ut ex *Appiano* conficitur. Qua autem mons idem respicit Circum maximum, restabat adhuc, ævo *Halicarnassei*, una ex casulis Romuli, sæpius refecta & resarta. An ibi tugurium Faustuli fuerit, an proxime, non perinde constat, nisi quod ita *Solinus*: *Ubi tugurium*, inquit, *fuit Faustuli*, (a quo Romulus & Remus educati) *Romulus mansitavit, qui auspicato fundamenta murorum jecit*. Erat & altera Romuli casa in Capitolio. Sed & in Palatini radicibus, versus Aventinum cornus olim germinavit, sacra habita, quod eam Romulus jactando plantasset. Ponunt & hic *scalas Caci*; quas tamen cum *spelunca Caci* in Aventinum transferre oportet. In ipso Palatino ante ædes Apollinis crypta olim visa, seu cisterna, in quadrum formata, ad similitudinem Romæ quadratæ Romuli, quæ recipiebat instrumenta illa, quæ solebant boni ominis gratia in Urbe condenda ab Hetruscis adhiberi, ut *Festo* credimus. In Palatino fuisse *Curiam veterem* sacrorum exercitiis dicatam jam ante significavimus, eamque in plura conclavia distinctam, unde a quibusdam nomen illi adhæret *Curiæ veteres*, & Vicus *Curiarum veterum Victori* notatur. Hic, & fortassis in abdito Curiæ, locus lindus *sacrario Saliorum Palatinorum*. Hos Numa e patritiis elegit, numero XII. juvenes omnes, ut auctor est *Halicarnasseus*, quorum munus, servare in penetrali quodam mysteria Urbis, sacra ancilia, apices, trabeasque, immo lituum Romuli augura-

A lem. Unde *Val. Maximus*: *Deusto*, inquit, *sacrario Saliorum nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum est*. In hoc sacrario, quoties bellum genti alicui indicebatur, movebantur a Saliis ancilia, tradente *Servio*. Ad sacrarium domunculæ Saliorum, quas mansiones Saliorum Palatinorum appellat vetus inscriptio apud *Appianum*. Quin ante Romuli tempora Evander hic templa ædificarat varia, teste *Halicarnasseo*, & inter ea unum Pani Arcadum Deo, de quo *S. Aur. Victor*, unum *Cereri*, ejusque sacris pedissequis, unum B *Victoriæ*, imperatis ibi sacrificiis annuis. Collocatum & hic *templum* Fidei a Rhoma filia Ascanii, nepte Æneæ, refert *Festus*, quam proinde nupsisse uni successorum Evandri credibile fuerit, atque adeo pietatis suæ monimentum in Palatino reliquisse.

2. Missis aliorum, & præsertim *Varronis*, de voce *Palatini* sententiis, illam non inconvenientem censemus, quam *Virgilius* affert de Arcadibus ibi considentibus duce Evandro:

Delegere locum, & posuere in montibus Urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

C In Palatino natus est Oct. Augustus ad locum *capita bubula* appellatum, ubi a morte ejus erectum sacrarium, teste *Suetonio*, habitavitque in propinquo, ubi prætorium ejus, ut *Dion* perhibet; & jam olim ibi habitaverat Romulus, non tamen in jugo ejus, sed radicibus. Domus Augusti modica, Hortensio ante habitata, nec laxitate, nec cultu conspicua; porticus ibi breves Albanarum columnarum, & sine marmore ullo aut insigni pavimento conclavia, quemadmodum testatur *Suetonius*. In recessu hujus domus erectum Apollini Palatino templum, inque ejus basi reconditi libri Sibyllini. Additæ porticus, in quibus bibliotheca D Græca & Latina, de quo plenius *Dion*, *Propertius*, *Suetonius*, *Naso*, alii. Bibliothecæ videtur præfuisse ille laudatus *Martiali* Sextus, de quo ita:

Sexte Palatinæ cultor facunde Minervæ, &c.

In templo dactyliotheca, Marcelli Octaviæ filii donum; lychnuchus pensilis ab Alexandro Magno olim, expugnatis Thebis, direptus; cortinæ aureæ ab Augusto donatæ. Patebat hoc templum recitatoribus Poetis. Nec eo templo duntaxat splendebat domus Augusti, sed & templo Vestæ, illo ignis sacri custode perpetuo. Dum *templum* voco hanc *ædem Vestæ Palatinæ*, *Ovidio* laudatam, E non immemor sum illius *Gellii*: *Nisi in loco*, inquit, *per augures constituto, quod templum appellabatur, factum senatus consultum justum non fuit; propterea & in Curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia, quum profana ea loca fuissent, templa per augures constituta sunt, ut in iis senatus consulta more majorum justa fieri possent, inter hæc id quoque scriptum Varro reliquit: non omnes ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum esse*. Explicate *Servius*: *Nisi in augusto loco*, inquit, *consilium senatus habere non poterat. Unde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret Senatus, ubi erant Virgines, nam hæc fuerat* F *regia Numæ Pompilii. In atrium sane Vestæ conveniebatur, quod fuerat a templo remotum*. *Ovidius* tamen ita:

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.

Quicquid autem illud est, id indubitatum, ædem Vestæ sequenti ævo templum quoque appellatam; nam non modo *Ovidius* hic proxime subjungit:

A *Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuiſſe*
Dicitur ——

& mox de eadem æde Veſtæ:

Par facies templi ——

ſed & *Lucanus* de eadem:

—— *& quorum lucet in aris*
Ignis adhuc Phrygius, nullique aſpecta ſuorum
Pallas, in abſtruſo pignus memorabile templo.

B Conflagravit tandem Palatina hæc domus, ſed ab Oct. Auguſto reſtituta eſt. *Dion* : *Cum*, inquit, *palatium incendio periiſſet, refectam domum Auguſtus publicam eſſe juſſit, ſive quod ad eam ædificandam populus contuliſſet pecuniam, ſive quod Pontifex Max. eſſet, ut ſimul in propriis ac publicis ædibus habitaret*. Tiberius domui Auguſtæ addidit jam Imperator & ſuam, eoque opus hoc locupletavit veluti poſtico, cum facies anterior Palatinæ ædis, & veſtibulum reſpiceret ſacram viam, & locum, ubi hodie rudera templi Pacis conſpiciuntur. In domo Tiberiana (ex qua tamen forum conſpici poterat) habitavit poſtea Antoninus Pius, Lucius C Verus ibidem educatus eſt. Amplificavit hanc Imperatoriam ſedem Caligula, & ad forum uſque promovit, æde Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata, ut docet *Suetonius*. Adjectæ tum longiſſimæ porticus, & templum Caligulæ nomini proprium, & in templo ſimulacrum ejus aureum iconium, quod amiciebatur quotidie veſte, quali ipſe Imperator uteretur, ut iterum *Suetonius*. Et quidem ſpecioſiſſima hæc domus incendio iterum hauſta eſt, principatu Neronis; ſed Nero ſpecioſius eandem juſſit reſurgere, ea præſertim parte, qua ſpectat Cœlium & Eſquilias, auream domum, ceu vocabant, molitus. Exornavit quoque (diruta iam aurea domo) Domitianus D ſollicitior porticuum, in quibus ſpatiari conſueverat, earundem parietes lapide phengite diſtinxit, e cujus ſplendore, per imagines, quicquid a tergo fieret, provideret, quod *Suetonio* obſervatum. Veſtibulum Palatii & laxum, & magnificum; vox Gellii : *In veſtibulo*, inquit, *Palatinarum ædium omnium fere ordinum multitudo opperiens ſalutationem Principis conſtiterat*. In Palatinis his ædibus alibi cœnatio ſive triclinium Jovis, alibi Apollinis, alibi diæta Mammeæ, alibi cœnatio Domitiani *Mica* dicta, alibi cœnatio Mercurii, ſive Hermæ- E um; ab Elagabalo etiam inſtituta ibi triclinia verſatilia. Hic & ſpectatæ balineæ publicæ ſub Domitiano; plateæ palatii ſtratæ ſaxis Lacedæmoniis & porphyreticis, quod annotat *Lampridius*, Fortaſſis & ibi viridarium, in quo montem niveum æſtate ſtruebat Elagabalus; item lararium duplex, in quo Deorum Larium & magnorum aliquot virorum imagines: ibi altiſſima illa turris ab Elagabalo ædificata, cui ſubſtratæ aureæ gemmatæque tabulæ, in quas ſe præcipitaret, dicens mortem ſuam etiam pretioſam eſſe debere, de quo *Lampridius*. Imperante Commodo iterum arſit, teſte *Dione*, Palatina arx, cum libellis, qui ad Princi- F patum pertinebant, pene omnibus, & ipſo Veſtæ templo, ſed reſarſit damnum Commodus, & ſucceſſores ſubinde vitiatas ævo lacunas ſupplevere, etiam Theodoricus Gothorum in Italia Rex, quod notatum *Caſſiodoro*.

3. Ad ſplendorem Palatii Imperatorii multa pertinebant. Ad veſtibulum duæ inſignes lauri, cum corona quercea. De lauris *Dion* : *Tunc*, inquit, *decretum fuit poni laurum ante ædes ejus Regias, & querceam ſupponi coronam, tanquam inimicorum victori, & ſervatori civium*. *Ad coronam illam querceam exſtabat inſcriptio* : OB CIVES SERVATOS, *de quo Ovidius*. Offerebatur hæc corona aliis quoque Imperatoribus, ſed eam initio recuſavit Tiberius, ut & ſuave illud *Patris Patriæ* cognomen, diſſimulationibus ſuis involutus. Claudius Imp. victis Britannis navalem quoque coronam faſtigio Palatinæ domus juxta civicam erexit, quaſi domiti Oceani argumentum, notante *Suetonio*. In cubiculo Imperatoris ſtabat *Fortuna aurea*, ſimulacrum & veluti pignus Imperii, de qua *Jul. Capitolinus* in Antonino Pio. Coloſſus ingens in templo Apollineo Auguſti, quem ita depingit *Plinius*: *Vidimus certe*, inquit, *Apollinem in bibliotheca templi Auguſti Tuſcanicum*, L. *pedum a pollice; dubium, ære mirabiliorem, an pulchritudine*. Hujus caput hodieque oſtenditur in triclinio Conſervatorum in Capitolio, non ſine admiratione ſpectantium. Quod cum nonnulli caput coloſſi Neroniani in via ſacra erecti arbitrentur, vel eo errare cenſendi, quod caput hoc æneum ſit, Neronianum vero marmoreum, ut ex *Plinio* conſtat. Non inficior, caput illud coloſſi Neroniani varie mutatum fuiſſe, & ſublato vultu, jam Solis imaginem trunco impoſitam, jam Titi, jam Commodi Imp. caput; ſed vero abſonum foret coloſſo marmoreo caput niſi marmoreum applicare. In Palatina etiam bibliotheca aliquid ſingulare: audiatur *Plinius*: *Literas*, inquit, *Græcas veteres fuiſſe eaſdem pene, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in Bibliotheca cum inſcriptione tali* Ναυσικράτης τιταμένυ Ἀθηναῖος κόρα, τᾷ Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν. Dolendum, periiſſe hoc profundæ antiquitatis monimentum, cum pepercerint fata vetuſtiſſimæ Iſidis tabulæ, quam Auguſtæ Taurinorum inter cimelia Principis ſpectavi. In templo Apollinis lychnuchi pentiles, arborum mala ferentium modo ſplendentes viſi *Plinio*. Sacrarium, quod in Palatino locatur a *Dione*, an aliud fuerit a templo Veſtæ, ut ſacrorum, ſc. *Palladii* & *ignis ſacri* cuſtode, non perinde conſtat; niſi malis, templum domui Auguſtæ proprium fuiſſe, & in ejus vicinia atrium nepotibus Auguſti erudiendis dicatum, de quo *Suetonius*: *Verrius Flaccus*, inquit, *ab Auguſto nepotibus ſuis præceptor electus, tranſiit in palatium cum tota ſchola, docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatii tunc erat*. In editiori loco palatii lararium Auguſti eminebat, quod ipſe Princeps Syracuſas appellare conſuevit, ubi verſabatur, narrante *Suetonio*, ſi quando ſecreto, aut ſine interpellatione agere aliquid inſtituiſſet. A morte Auguſti, templum quoque ipſi ut Divo in Palatino decretum a Senatu, a Tiberio & Livia abſolutum. Neque defuit ibi templum magnæ Matris Deum, quam Cybelen vocabant, cujus forma informe ſaxum Peſſinunte Phrygiæ allatum, ut ex *Cicerone* conſtat. Conterminum ædi Cybeles templum Junonis Soſpitæ, templum Victoriæ, templum Fidei, templum Jovis Victoris, templum Febris, de quo *Tullius*: *Febris enim fanum*, inquit, *in Palatio videmus*. Audiendus & *Valerius Maximus* : *Febrem*, inquit, *ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in ſumma parte vici longi exſtat, inque ea remedia, quæ corporibus ægrotorum annexa fuerant, deferebantur*. Accedat idem *Valerius Max.* de ſacello Deæ Viriplacæ : *Quoties*, inquit, *inter virum & uxorem aliquid jurgii interceſſerat, in ſacellum Deæ Viriplacæ, quod eſt in Palatino, veniebant, & ibi invicem locuti quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes revertebantur*. Ægre enim

ad divortia Quirites descendebant, nec nisi gravi caussa impulsi; quo tamen decreto in hæc verba ex lege XII. tabularum solvebantur conjugia: RES TUAS TIBI HABETO. Velia altius erat Palatini fastigium, sub illo varia ædificia, quæ stare in subvelia dicebantur; in hac subvelia templum Jovi Statori surgebat, quod Romulus olim voverat, non perfecerat: vovit diu post Attilius Regulus, senatus absolvit. Quid Elagabalus Principum impurissimus molitus sit in Palatino, referat *Lampridius*: *Elagabalum* (id est, Solem, cujus nomen assumpserat) *in Palatino monte juxta ædes Imperatorias consecravit, eique templum fecit, studens & Martis typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens, ne quis Romæ Deus nisi Elagabalus coleretur. Templum hoc eo in loco constituit, in quo prius ædes Orci fuit*, hoc est, Plutonis, quem colebant Quirites, fere ut Sinenses hodie Dæmonem, ne ab eo lædantur. In Palatino situm fuit & *Cæsarum templum*, quo de cœlo tacto, capita omnibus statuis simul deciderunt, Augustique sceptrum e manibus excussum est, docente *Suetonio*, haud dubie ut ostenderetur Quiritibus, aliud & potentius esse cœlesti domino imperium, adeoque frustra templum strui Cæsaribus, ut qui nec se, nec templa sua valeant custodire. Mittamus templa Palatini cætera, inter quæ *templum hujusce diei, delubrum Minervæ, templum Jovis propugnatoris, ædes Fortunæ respicientis, sacellum Mutini Titini*, obscœni Dei, *templum Lunæ noctilucæ*, alia, quæ minuta fuisse oportet, Palatino multis vastis ædificiis non sufficiente. His accedit, quod ædificiis præterea etiam abundaverit; ibi magnifica domus Oratoris Crassi, Q. Catuli, L. Crassi, (in qua columnæ Hymettii marmoris, ex *Plinio*) Gracchorum, Cn. Octavii, Æmilii Scauri, Hortensii Oratoris, Ciceronis, (a Clodio exusta, & in templum Libertatis imaginariæ ab eodem conversa, raptis in societatem vicinorum ædibus, sed post reditum Ciceronis in integrum restituta) Clodii, quem Milo occidit, M. Antonii, aliorum; quorum multitudinem ne quis magnopere admiretur, intueri oportet, non omnes eodem tempore durasse, sed eandem aream per tot secula variis habitatoribus, variis structuris fuisse infessam. Hodie ex toto illo fortunæ strepitu nihil adeo superest præter rudera & cellas aliquot subterraneas; ab oriente Palatinum ingreditur, ut apparet, vetustus aquæductus, cujus pedamenta adhuc obvia: versus amphitheatrum Titi durat etiamnum nobilis ille arcus triumphalis Constantini, sed qui nitore artificii cum arcu Severi nequit contendere.

CAP. XIII.

De undecima Urbis regione.

1. UNdecima hæc Urbis regio, *Circus maximus* dicta, simile quiddam habebat literæ Pythagoricæ, quippe extra portam Flumentanam exorta, ad radicem Aventini, ubi schola Græca, in duo veluti brachia dividebatur, quorum sinistrum constituebat vallis illa Aventinum inter & Palatinum, quæ *Circorum* hodie vocatur, ubi situs adhuc Circi maximi observatur, excurrens ad templum S. Georgii; dextrum angusta illa via Aventinum inter & Tiberim, desinens ad portam olim trigeminam. In hac regione nihil tam celebre, quam *Circus* ille *maximus*, in valle Mur-

A tia olim, aliis Martia dicta, visendus. Nomen ei, secundum *Servium*, vel a circuitu, vel quod ubi post metæ erant olim gladii ponebantur, quos ludentes circumibant; nam a Circe venefica cum *Tertulliano* accersere originem quis credat? convenientius *Varro* dictum vult, quod circum spectaculis ædificatus sit locus, ubi ludi fiunt, & quod circum metas feratur pompa, equique currant. Figura ei, sicut & reliquis Romanorum Circis, nequaquam ad circuli rotunditatem accommodata, sed oblonga, & ovo propior, qualis in numismatis & hodie in Circo agonali repræsentatur; maximi nomen adhæret, vel propter magnitudinem præ reliquis urB banis Circis, vel quod ludi ibi fierent potissimum Diis magnis, Jovi, Junoni, Minervæ, atque Neptuno, quem Consum appellabant. Imperante Tarquinio Prisco locus hic ei assignatus, divisa & Patribus Equitibusque loca, ubi spectacula sibi quisque faceret; spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes, ut diserte *Livius*. Longitudo Circi hujus erat stadiorum trium cum dimidio, latitudo jugerum quatuor, a duobus lateribus & uno minore (non autem ab extremitate obtusiori, ubi carceres) cingebatur area Circi interior Euripo, recipiente aquam ad C decempedalem & latitudinem & profunditatem. Ad marginem Euripi exteriorem sedilia, quorum inferiora saxea, reliqua lignea, sensim versus fastigium recedentia, ut in theatris statariis, & Anatomicorum palæstris; in illis, seculo *Halicarnassei*, locus erat centum & quinquaginta millibus spectatorum. In obtusiori extremitate fornicati carceres, unde equi curribus juncti ad cursum, & homines, feræque belluæ ad pugnam emittebantur, omnes uno clausi repagulo. Exterius ambibat Circum simplex porticus, in qua infra officinæ negotiantium, supra cellæ: aditus in cellas, seu foros spectatorum per ostia officinarum; hinc in ea D multitudine hominum inconfusi accessus recessusque. Dissentire in nonnullis creditur *Plinius*, cujus illa vox: *Circus maximus*, inquit, *a Cæsare Dictatore extructus longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis jugerum quaternum ad sedem* CCLX. *millium*. Veterum imaginaria tantum hæc discordia est *Plinium* inter & *Halicarnasseum*: quippe *Plinius* interiorem Circi aream in longum protensam vult ad tria stadia, *Halicarnasseus* fabricam exteriorem una considerando longitudinem paullo ultra exporrigit; sic latitudo interior unius erat stadii, sed annumerata exteriori E quoque porticuum structura, jugerum quatuor. Sed quomodo dicitur *Halicarnasseo* Circus admittere posse hominum millia centum & quinquaginta, *Plinio* millia ducenta & sexaginta, & novissime *Victori* trecenta & octoginta quinque millia? Distinguenda tempora: de Tarquinii & Reip. seculis intelligendus *Halicarnasseus*, quamvis videatur loqui de suo, hoc est, Augusti ævo. Julius Cæsar, ut ex *Suetonio* liquet, amplificavit, addito Euripo; forsan versum unum aut alterum graduum adjecit. Certe capacissimum fuisse tandem illud *Juvenalis* testabitur.

F *Totam hodie Romam Circus capit.*

Claudius marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina & lignea antea fuerant, exornavit, & propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. Iterum ampliavit Trajanus. Ad rem *Dion*: *Circum collapsum*, inquit, *ampliorem atque elegantiorem restituit Trajanus, ut populum Rom. capere posset*. Quin & Constantinus Imp. Circum hunc mirifice excoluit, docente *Sexto Aurelio Victore*.

2. Obtusior Circi extremitas *carceres* dicta, quod ibi quasi carceribus inclusi starent equi, donec Magistratus signum daret emittendorum. In carceribus XII. portæ, ita clausæ, ut uno impetu, docente *Cassiodoro*, aperiri possent universæ, præter portam magnam, quam in medio portarum oportet patuisse, quoties pompæ Circenses intrabant. Sex tamen portas quavis vice patefactas fuisse, videntur persuadere sex illæ factiones colorum, quæ a tempore Domitiani in ludis Circensibus noscitabantur, cum ante essent tantum quatuor. Euripus Circensis ampla erat fossa aquam vehens profundam, in tutelam spectatorum, & delitias. Tutabatur spectatores ab incursu frementium bestiarum: hinc Cæsar Dictator, cum Pompejana dedicatione templi Veneris Victricis pugnarent in Circo viginti, aut, ut alii, XXVII. elephanti eo furore, ut vexaretur populus, docente *Plinio*, Euripis postea harenam circumdedit. Recreabat populum, postquam a succedentibus Imperatoribus in eodem repræsentarentur naumachiæ, natarent delphini, necarentur crocodili atque hippopotami; (quamquam & id in Euripis temporariis extra Circum quandoque fieret) *Elagabalus*, ut tradit *Lampridius*, *fertur in Euripis vino plenis* (nequid insaniæ deesset) *navales Circenses exhibuisse*. Nisi malis, illos Elagabali Euripos fuisse tantum schema Euriporum domesticum, sed minutum, in quo imaginem parvularum triremium inter se pugnantium exhiberet. Nero, ut est apud *Suetonium*, Euripum hunc sustulit, equiti loca addens; restituisse tamen videtur succedentium Cæsarum cura, ut nihil deesset gaudio spectatoris populi, id quod *Cassiodoro* notatum. In Euripum Circensem quomodo pervenerit optata aquæ copia tempore ludorum, ambiguum est; *Nardinus* repletum putat aqua in vicinia stagnante, sed quænam in vicino aqua stagnabat? alii credunt aquæductum peculiarem ei negotio destinatum; id quod licet fieri non incommode potuerit, crediderim tamen vel aquam Mercurii ad radices Aventini fluentem, vel Almonem fluviolum ad portam Capenam brachiolo in Urbem se insinuantem, & hodieque, ut coram spectavi, hortulos, ubi olim Circus maximus, irrigantem huic instituto suffecisse. Inter Euripum & dorsum Circi locus utrinque erat vacuus dictus, *harena*, cursui equorum & bestiarum conflictui dicata; in dorso, sive *spina*, ut vocabant, varia ornamenta, & primo quidem ad spinæ initium duæ perticæ crassæ cupressos forma imitantes, & ad ejusdem finem itidem duæ, appellabant *metas*; per longitudinem spinæ passim erecta saxa ovorum ad instar figurata, in honorem Castoris & Pollucis, quos ex ovo prodiisse tradidit Antiquitas. Serviebant hæc *ova* notandis currentium equorum spatiis. Tandem & in media spina, propius tamen extremitati Circi obtusiori, erigebatur antenna, sive malus nauticus, atque ita totus Circus referebat non inique navem; an illam, qua Janus Pater vectus traditur in Italiam, viderint alii. *Metæ* ligneæ quidem erant, sed a Claudio Imp. tandem inauratæ. Ad *metas* ara Consi, de qua *Tertullianus*: *Ara*, inquit, *Conso in Circo adfossa est, ad primas metas sub terra; hæc ara in Circo maximo alias operta ludis Circensibus aperitur*, ut ait *Plutarchus*. Erat autem *Consus* Deus consilii, unde hi ludi *Consualia* dicti. Sunt qui *Consum* faciant Neptunum equestrem, in quibus est *Livius*, *Halicarnasseo* alium a Neptuno genium interpretante. Id liquet, ludos Circenses Neptuno equestri dicatos fuisse; unde non mirum, visa in Circo & Castoris & Pollucis, ut Deorum marinorum, natalitia ova, & delphines in *spina* columnis impositos, tamquam Neptuno sacros, & Circum universum fabricam navis repræsentasse, in qua malus ille nauticus ab Oct. Augusto in obeliscum Ægyptium conversus, ut testatur *Suetonius*. Quanquam secundum, eumque longe majorem Circo intulerit postea Imp. Constantius, ex Ægypto quoque advectum, si credimus *Marcellino*. Et quia obelisci apud Ægyptios Soli, cujus radios utcunque referebant, sacri erant, hinc ad majorem Circi obeliscum Soli templum surgebat minutum, docente *Tacito*. Cernebantur & in *spina* statuæ variæ Deorum columnis impositæ; visa *Livio* ara Deæ Pollentiæ, cernebantur columnæ Sessiæ, Messiæ, atque Tutelinæ; & quidem *Sessiæ* a sementationibus, *Messiæ* a messibus, *Tutelinæ* a tutelis fructuum, ceu explicat *Tertullianus*. Ad Euripum Matris Deum statua; in spina autem sacellum & ara Veneri Murtiæ dicata; templum Juventutis in spina fuerit, an ad exteriores Circi porticus, non perinde liquidum. Aream Circi ludorum tempore sternere solebant harena lapidis candidi, sed minio & chrysocolla stravit Caligula, atque Nero, ut auctor est *Suetonius*; & quidem, opinor, chrysocolla, hoc est, ærugine nativa, ut pavimentum Circense tum temporis imitaretur colore campestrem viriditatem; minio, hoc est, nativo cinnabari, ut viriditas illa hinc inde velut floribus rubellis distingueretur. In hac area Circi septenis curruum circuitionibus de victoria certabatur; quas Domitianus ludis Secularibus, quo facilius missus peragerentur, ad quinas revocavit. Pompa ludos præcedens oppido splendida, teste *Halicarnasseo*; in qua portatæ imagines Deorum, introductæ clarorum virorum statuæ, vectæ carpentis nobilibus fœminæ illustres, producti in harenam elephanti, ostentati factionum, *prasinæ*, *Venetæ*, *russatæ*, *albatæ*, tandem & *auratæ*, *purpureæ*que, apparatus. Sed & præter aurigationes in Circo quandoque certamina gymnica exercita, commissæ jam cum hominibus feræ bestiæ, jam inter se se invicem, institutæ venationes, repræsentatæ naumachiæ. Scaurus in ædilitate sua pantheras CL. Circo intulit; Pompejus Magnus CCCCX. D. Augustus CCCCXX. attestante *Plinio*. In hoc Circo cognitus a leone Androclus, de quo apud *Gellium* luculenta exstat historia; hic Hadrianus plures bestias confecit; hic tertio Consulatu Cæsaris Dictatoris elephanti XX. contra pedites quingentos, & iterum totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus contra quingentos pedites & equites totidem pugnavere, ut memorat *Plinius*. Hic Imperator Probus, tradente *Vopisco*, amplissimam dedit venationem, indulgens populo, ut cuncta diriperet. Hic Gordianus feras Libycas uno die centum exhibuit, ursos uno die mille, fatente *Jul. Capitolino*. Spectabant e caveis exsultantes lætitia cives, cancellis invicem separati, ne quisquam alteri sedendo crearet molestiam. Sedilia honoratiorum tomento Lingonico in mollitiem farta, plebejorum autem linogrostide, gnaphalio, junco, & cæsis harundinum comis, ut ex *Martiali*, *Suetonio*, aliisque colligitur. *Martialis* ita:

Tomentum concisa palus Circense vocatur,
Hoc pro Lingonico vellere pauper emit.

Per circum clamatores servi nuces fractumque cicer solebant circumferre, sed & aquam sitienti populo vendendam. In exteriori Circi margine pavimentum albo lapide stratum, in quo tumulati cineres Tribunorum militarium, qui in acie contra Volscos ceciderant, in Circi area jam ante cremati. In porticibus Circi exterioribus permissa olim lupanaria, in quibus per summum dedecus

Claudii etiam Imp. uxor Messalina inventa est, exprobrante ita *Juvenale:*

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Scilicet Palatino monti, qua Orientem spectat, contigua per id tempus erat altera Circi extremitas, unde *Tacitus* refert incendium illud Neronianum (quo Circus etiam conflagravit) in ea Circi parte ortum, quæ Palatino Cœlioque montibus contigua erat. Hinc facile & expeditum iter Messalinæ e Palatio ad proximas Circi maximi porticus. Novissime, antequam e Circo digrediamur, illud adjiciendum, ludos Circenses, etsi præsente populo, nondum cœpisse, nisi emissa primum, aut protensa a Magistru in scenam mappa; *Cassiodorus* morem derivatum putat a Nerone, prandium aliquandiu die Circensi producente, hinc indignatum populum signum faciendi initii vehementius flagitasse, & Neronem, ne non favere clamantibus videretur, mappam, qua forte inter prandendum manus exterit, projecisse in publicum, ut libertatem ordiendi concederet. *Cedrenus* consuetudinem deducit a Consulibus in Circo ludorum die prandentibus, & a prandio mappam in argumentum exordii ludorum in publicum projicientibus. Credibile, Neronem jura Consulum hic abrogasse, ut suam quoque hoc pacto auctoritatem declararet.

3. Ad exteriorem Circi maximi faciem hinc inde varia olim templa, ut nulla usquam gens Deos majori reverentia coluit, quam Romana. Stabat ergo hic inter spectatiora templum *Liberi*, *Liberæ*, & *Cereris*, dedicatum a Tiberio, quod *Tacitus* agnoscit. *Libera* eadem, quæ alias Proserpina, Bacchi, qui *Liber*, conjux, quam triformem fingunt Poetæ, & de ea intelligendum illud *Claudiani*:

Ecce simul ternis Hecate variata figuris
Exoritur.

Proximum *Bacchi*, *Cereris*, & *Proserpinæ* templum ab A. Posthumio Dictatore fabricatum, secundum *Halicarnasseum*, nisi forsan utrumque in unum coaluerit, sacellis distinctum non procul a Circi carceribus. *Vitruvius* ad Circum aliud adhuc templum *Cereris* collocat, & aliud *Herculis* a Pompejo Magno ædificatum, & in utroque fastigia Thuscanica. Prope hunc Circum Q. Fabius Gurges templum Veneri Murtiæ erexit, docente *Livio*; neque enim hic intelligitur sacellum Veneris, ut minutius, quod in *spina* ponunt, cum illud *Livii prope* id non permittat. Non omittendum hic *Mercurii templum*, quod Circum spectabat, monitore *Ovidio*, cujus aram Circum inter & Aventinum erutam vidit *Franc. Passeri*, notante *Angelono*, ejusque latera caduceo & petaso Mercurii insignita. *Ara maxima* in foro boario erecta (decus octavæ regionis) spectabat quoque Circum, quanquam subterranea, & cryptæ inclusa, unde Hercules æneus inauratus, qui hodie in Capitolio aperto capite cernitur, ævo *Fulvii* effossus. Subterraneam tamen fuisse, florente Roma, parum verisimile, cum ita *Servius*: *Ingens*, inquit, *est ara Herculis, sicut videmus hodieque*. In hac regione videbat antiqua Roma salinas, id est, promptuaria salis per Tiberim invecti; has collocat *Frontinus* ad portam trigeminam: & *Solinus*: *Cacus*, inquit, *habitavit locum, ubi Salinæ nomen, ubi porta trigemina*. Ibi hodieque sal esculentus in candorem purgatur; sicut & in radicibus Palatini ad Titi arcum vetusta rudera in nitrum reformantur. Ad portam trigeminam aram Jovi inventori sacravit Hercules, eique ob inventos boves a Caco abstractos juvencum sacrificavit, ut *Halicarnasseus* docet, sed aram maximam in foro boario sibi dedicatam voluit, quod & a Romanis religiose custoditum. Erant autem Romæ ædes Herculis victoris duæ, una ad portam trigeminam, altera in foro boario, tradente *Macrobio*, in quibus haud dubie memoratæ jam aræ. Id in sacris Herculis peculiare, quod epularentur sedentes; quod lectisternium fieret nullum; quod omnes ibi sacra facerent aperto capite, ritu Græco; quod denique per Italiam Herculis sacris interesse non liceret fæminis, postquam ab Italia sitiens frustra aquam olim petiisset, de quo idem *Macrobius*. Ad pontem olim *sublicium*, postea Æmilium dictum, cujus adhuc restant in Tiberi substructiones, & pedamenta aliquot, *ædes Portumni* visebatur, quam eandem esse, quæ ibi hodie antiquissima & rotunda ad ripam durat, nomine *templi S. Stephani*, credunt nonnulli. *Nardinus* mavult, *sacellum* hoc fuisse *Volupiæ*, ex illo *Varronis*: *Navalia, ad Volupiæ sacellum*; alii *templum Herculis*, in quo ara superius attacta: ego propemodum in eam inducor sententiam, antiquos Christianos, propter viciniam portæ trigeminæ, eique propinquam Caci domum, hoc *templum Herculis* æstimasse, eoque cum plura Romæ templa postea S. Stephano sacrata sint, hoc appellasse *templum S. Stephani in Caco*, ut hodieque appellant. Suadet id munus, quod adhuc in eodem templo quandoque obitur; scilicet quemadmodum ibi antiquus Cacus ab Hercule oppressus fuisse creditur, ita hodie antiquior ille Cacus, & vere κακὸς δαίμων ab hominibus eodem funesto incola obsessis istic loci sacris ceremoniis Herculeo ausu solet vel oppugnari, vel expelli: cujus experimentum, me præsente, tentatum. Translatæ istuc duæ puellæ nubiles, non deformes illæ quidem vultu, sed clamoribus Stentoreis & ejulatibus novi inusitatique generis formidandæ; quæ a ministris publicis in pavimento templi destitutæ jam velut in orbem agebantur volutationibus insanis, jam ventre in altum sublato, capite pedibusque humo illisis, falcatam referebant lunam, mox spumare, vociferari, grunnire, convulsionibus circumagi, & mille formas imitari videres, sacrifico interea injecta capillis furentium manu, conceptis verbis (exorcismos appellant) in maleficum hospitem severo vultu concionante. Tenuit hæc pugna horam integram, & quod superat, donec tandem utraque mitior agno quievit, & profusis innumeris ructibus ad eleemosynam ab adstantibus plorando eliciendam se se accinxit. Mihi tragœdia furori uterino, sed vehementi similior visa, quam choragio inimici genii, quod linguarum ignotarum peritia deficeret; quotiescunque a sacrifico animose imperabatur recitatio nominis Salvatoris, nulla frementibus alia vox excidit, *io non voglio*; refractariæ quidem & Ceritæ indolis argumentum, sed non statim obsessæ, nisi quid aliud sacrorum Consultis persuasum.

4. Sed e diverticulo in viam. Ad ripam Tiberinam, ubi sublicii pontis rudera aliquot reliqua sunt, *Navalia* Romanorum constituuntur, judice *Varrone*, non procul ab exitu *cloacæ maximæ*. Ad *pontis rupti S. Mariæ* marginem *templum* eminet *S. Mariæ Ægyptiacæ* dictum, antiquissimum illud, sed cujusnam olim Dei fuerit, ambiguum. *Blondus* asylum Romuli ibi constituit, sed illud in monte Capitolio fuisse multa persuadent. *Volaterranus* facit *templum Bonæ Fortunæ*, *Fulvius Pudicitiæ Patritiæ*, quod in foro olim boario regionis octavæ: rectius forsan *Marlianus* cum *Nardino* agnoscit *templum Fortunæ Virilis*. Quicquid autem

id eſt, in vetuſtiſſimis templis Romanorum habetur; ad cujus veſtibulum cum variæ inſcriptiones Armenæ legantur, non inique colligitur, ſerviiſſe ævo Chriſtianorum priorum huic nationi fidem Chriſtianam amplectenti. *Velabrum majus* in hac regione ponit *Victor*, & quidem *Rufus* in confinio fori olitorii, ut credibile ſit, fuiſſe loco humiliori inter *ſcholam Græcam* ſic dictam, hodie vacuam, & *templum S. Mariæ in porticu*. *Forum piſcarium* cum vico cognomine in hac regione vidit antiqua Roma, & confirmat *Rufus*; vicinum illud Tiberi, ne piſces itinere vexarentur. *Argiletum*, vicus a foro olitorio ducens, ubi *imum Argiletum* vocabatur, ad confinia, ut apparet, vici Thuſci, ubi *ſummum*, aſcendebat; in imo Argileto *theatrum Marcelli*, docente *Sergio*; quod hodieque perſeverat. *Argileto* nomen ab Argo Evandri hoſpite ibi ſepulto, ut putant *Varro* & *Virgilius*: vel ab argilla, quæ ibidem copioſa; ultima nominis ratio prævalet, diciturque potius quaſi argilletum (ut fimetum, frutetum, harudinetum) ab argilla candida ibi reperta, unde & figlinas ibidem agnoſcit *Varro*, & *Servius* conſpirat. In Argileto frequentes tabernæ, præſertim librariæ, ut ex *Martiali* exſculpimus. *Forum olitorium* extra portam Carmentalem ſtatuitur, adeoque extra muros antiquos, ſed inter theatrum Marcelli, Tiberim, & portam Flumentanam: in eo, ut & in Capitolio, bona proſcriptorum haſtæ ſubjiciebantur, ceu monet *Tertullianus*. Ibidem ſtabat *columna lactaria*, ad quam credibile eſt ſepoſitos fuiſſe infantes expoſititios, ut a matribus abdicati lac peregrinæ mammæ exorarent; fere quomodo expoſititii hodie in Urbe Roma ad clathros noſodochii S. Spiritus deſtituuntur. De *templo Jani* ad forum olitorium, quod voverat C. Duilius, dedicavit Tiberius, actum ſuperius. Dedicavit & M. Acilius Glabrio Duumvir in foro olitorio *ædem Pietatis*, inque ea ſtatuam auratam poſuit memoriæ parentis, qui eam prius voverat eo die, quo cum Antiocho ad Thermopylas feliciter conflixit, quod *Livio* annotatum. De *æde Junonis Matutæ* in eodem foro nonnulla habet *Livius*, niſi malis *Inonis Matutæ*, quod Ino Græcis Leucothea, Romanis Matuta appellaretur, ſecundum *Tullium*, non ita Juno. Cernebatur illic & *Spei ædes* a Calatino conſecrata, quam tandem fulmine tactam conflagraſſe memorat *Livius*; reſtituere Triumviri, Germanicus dedicavit, monitore *Tacito*. Ad *Velabrum majus*, ubi, ſecundum *Plautum*, olearii negotiabantur, collocandus videtur *Hercules olivarius*, ſive ſtatua Herculis, quam huic regioni aſſignant *Victor* & *Rufus*: dictuſne *olivarius* ob illud *Plinii*: *Olympiæ oleaſter conſpicitur, ex quo primus Hercules coronatus eſt, & nunc cuſtoditur religioſe*: an ſtatua fuerit in ornamentum loci ab Auguſto collocata, non eſt promptum definire; illud juverit ex *Suetonio* addidiſſe: *Omnes*, inquit, *ordines Calendis Januarii ſtrenam in Capitolio etiam abſenti Auguſto jaciebant, ex qua ſumma pretioſiſſima Deorum ſimulacra mercatus vicatim dedicabat, Apollinem ſandaliarium, & Jovem tragœdum*. Nec inique Hercules olim inter Deos, nec aliud Bœotiis *tutelare Numen*, quam Hercules, ſi *Athenæo* placeat aſſentiri. Præluſit his honoribus vivus, cum & Orbem purgaret monſtris, & deſperatos ægros, inque iis Alceſtim tanquam Apollo ſecundus a morte vindicaret, teſte *Plutarcho*.

CAP. XIV.

De Urbis regione duodecima.

I. AMplectebatur hæc regio, quam *Piſcinam publicam* nuncupabant, totam illam planitiem, quæ Circum maximum & thermas Antoninianas interjacet, media inter Cœlimontium, hoc eſt, regionem ſecundam, & Aventinum, qui decimam tertiam conſtituit. De nominis ratione ita *Feſtus*: *Piſcinæ publicæ nomen*, inquit, *bodieque manet, ipſa non exſtat, ad quam & natatum, & exercitationis alioqui cauſa veniebat populus*. Opportuna ea piſcina genti Mavortiæ, ut tyrocinia natationum in bellis ſæpe utramque paginam facientium illic deponerentur; nam Tiberis rapidus & minax niſi provectioribus in hoc ſtudio. Mæcenas, ut *Dion* memorat, primus Romæ natatorium aquis calidis refertum inſtituit, ſed illud ægris & delicatis aptum; *piſcina publica* recipiebat omnes, ubi in frigida natabatur, tum ut corpora indurarentur ad fortuitos caſus, tum ut in perſequendo hoſte, fugiendoque, ſi qua neceſſitas ingrueret, ab obſtantibus fluminibus non impedirentur. De hac illa *Martialis* in moleſtum recitatorem intelligenda:

In thermas fugio, ſonas ad aurem,
Piſcinam peto, non licet natare.

An ſtagantibus piſcina hæc redundaverit aquis, an ab Aqua Appia, quæ prima in Urbem tranſlata eſt, receptis, ambiguum; id conſtat, Prætorum Urbis tribunalia ad *piſcinam publicam* collocata fuiſſe, bello Punico ſecundo, quod *Livio* notatum, & Senatorum ad portam Capenam; haud dubie ut in harena, quod dicitur, caperent conſilium, ſi ſubito cum legionibus ſe illic, quod factum meminerant, oſtentaret Hannibal. In hac regione nihil adeo relictum hodie ex antiquo illo ſplendore, præter *thermas Antoninianas*, & eas, demptis marmoribus, & cultu omni, laceras, atque nutantes: videas tamen muros ex latere coctili celſos, amplas in pavimentis teſtudines, canalium, quibus in diverſos aqua diſtribuebatur alveos, veſtigia; locus hodie Patribus Soc. Jeſu paret, deſtinatur ludicræ tyronum, hortis feriatis, recreationi. Auctor magnifici quondam operis Antoninus Caracalla, de quo *Spartianus*: *Thermas*, inquit, *nominis ſui eximias reliquit, quarum cellam ſolearem Architecti negant poſſe ulla imitatione, qua facta eſt, fieri; nam & ex ære, vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur, quibus cameratio tota concredita eſt, & tantum eſt ſpatii, ut id ipſum negent fieri potuiſſe docti mechanici*. Atteſtatur inſignis ſuperioris ſeculi Architectus *Serlius*, qui ex reſtantibus parietinis ſimulacrum antiquæ fabricæ depinxit, nihil in thermis Romanis huic operi par fuiſſe, ne quidem Diocletiani lavacra, utcumque tot millium Chriſtianorum ſudore erecta. Numerabantur in his thermis ſellæ in uſum lavantium mille ſexcentæ, & illæ quidem ex marmore polito omnes, ſi *Olympiodorum* audimus. Ex quibus fuiſſe duas illas, quæ hodieque in templo Lateranenſi conſpiciuntur, ſellas Porphyreticas, inaugurationi Pontificis Romani quondam dicatas ſuſpicatur *Nardinus*; quod parum veriſimile, propter ſummam hujus duritiem, quæ in ea multitudine omnium manus fatigaſſet, accommodatius huic operi Parium marmor, ut molle, & colore, humano corpori nudo ſimilius. Fuerint Lateranenſes illæ, forſitan Poppeæ ſedilia parturientis, ut ſunt pertuſo fundo, inſtituto obſtetricibus laudato. Sane Neroni in delitiis erat porphyrites. Diſerte

Suetonius: *In eo*, inquit, *monumento Neronis solium porphyretici marmoris*, *superstante Lunensi ara*. Thermis Caracallæ porticus adjicere cœpit Elagabalus, perfecit Alexander, referente *Lampridio*; quarum reliquiæ adhuc spectantur a tergo templi Nerei & Achillei, nudæ tamen spectatissimis illis, quas *Marlianus* superiori ævo ibi recognovit, columnis. Sed ut hic verbo attingantur thermæ Antiquorum, fuere illæ calentes luxuriantium Quiritum balineæ, quarum imaginem sequi instituunt balneatores nostri, neutiquam assequuntur. In iis varia, ex arbitrio Principis struentis, forma, varia partium dispositio, area ampla quadrata triplici distincta ambitu; in primo gymnasia exercitiorum diversi generis; in secundo platanones, & xysta, ad exercitia, quæ sub Dio fiebant; in intimo denique ipsa thermarum fabrica, ubi atrium, xysti, porticus spatiosæ hybernis athletarum destinatæ velitationibus, antequam balineas inirent. Taceo reliquum apparatum exquisitissimum, theatridia, apodyteria, hypocausta, caldaria, tepidaria, frigidaria, basilicas, natationes, diætas, exedras, bibliothecas, musæa, ephebæa, corycæa, sphæristeria, conisteria, elæothesia, alia, de quibus fuse *Andr. Baccius*, *Hieron. Mercurialis*, & *Fulvius Ursinus*. Institutæ primum in Urbe Roma thermæ in privatos illustrium civium usus, quales erant Agrippæ in Campo Martio, sed quas tandem moriens legavit populo, ut *Dion* refert: hinc Imperatores laxiori spatio & superbiori structura thermas moliti, in speciem magnificentiæ easdem ita vulgabant, ut populo interdiu paterent, quandoque etiam noctu. Spectatissimæ omnium Caracallæ & Diocletiani thermæ, sed & Urbs vidit Neronianas, postea Alexandrinas dictas, item Hadriani, Domitiani, Commodi, Severi, Philippi, Decii, Gordiani. Erant & civibus privatæ suæ balineæ, (frequentior hæc vox Antiquis, quam balneæ) in quibus ad lassitudinem deponendam, ad curas mitigandas, ad pinguedinem corpori addendam frequenter calda abluebantur. Excitatus quidem primo sudor in *caldaria* cella, qui aqua calente abstersus, post fotum in *tepidaria* corpus, & tandem in *frigidaria*, ut sensim ad temperamentum nativum rediret, unctum quoque in *unguentaria*. Pomeridianum tempus lavationibus his attributum, & quidem æstate hora octava, hyeme nona, hoc est, hora tertia ante Solis occasum, paullo ante cœnam: delicatiores hic variis frictionibus & expolitionibus corporum indulgebant, unde illud *Lucillii*.

Rador, *subvellor*, *desquamor*, *pumicor*, *ornor*,
Depilor, *& pingor* ——

Impulit honestas, ut discretæ essent viris fæminisque balineæ, moremque hunc indicat *Vitruvius*, *Gellius*, & *Fulv. Ursinus* libro de triclinio. Sed nos iterum ad *piscinam publicam*.

2. Ad thermas Caracallæ palatium ejusdem statuit *Marlianus*, de quo ut nihil *Victor*, nos rem relinquimus in medio; nisi placeat conjectura, fuisse non procul a thermis, ubi hodie *templum* cernitur *S. Cæsarii in Palatio* dictum. Verum de *Via nova* ibidem, res certa. *Spartianus* ita: *Idem*, inquit, (Caracalla) *novam viam munivit*, *quæ est sub ejus thermis*, *Antoninianis scilicet*, *qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias*. Hanc a porta Capena cœpisse, & ad usque Circum maximum perrexisse, oppido verisimile, ut esset intrantibus in Urbem, qui ab Oriente veniebant, illustrior & magnificentior; quemadmodum hodie Augustæ Taurinorum platea, quæ a porta Occidentem & Gallias spectante ducit ad

A palatium Principis, omnium tota Urbe splendidissima est, porticibus & columnis ad veterum consuetudinem renidens. *Hortos Asinianos* in hac regione ponit *Victor* quidem ad *Viam* hanc *novam*, ductus illo *Frontini*: *Anio vetus*, inquit, *pervenit in regionem Viæ novæ*, *ad hortos Asinianos*, *unde per illum tractum distribuitur*. Sed quomodo potuit *Frontinus* meminisse *Viæ novæ*, si ea demum cœpit imperante Caracalla? *Frontinus* sub Vespasianis & Nerva floruit, Trajani obiit principatu, diu ante Caracallæ tempora. Restat, ut arbitremur, fuisse quidem *Viam* illam *novam* ante Caracallam, sed non ita munitam ædificiis, non ita

B superbam cultu. *Asiniani* hi *horti* vel ex eo æstimantur fuisse Asinii Pollionis, quod hic in Aventino habitaverit, *atrium*que *Libertatis* instaurarit, addita illustri bibliotheca publica. Et quidem horti Romanorum initio modici, ut ille Tarquinii Superbi in Esquiliis, in quo capita eminentium papaverum decussit. Cultiores horti Marliani; Luculliani in monte Pincio sumptuosissimi: celebres & Pompejani, Serviliani, Sallustiani, Cæsaris, Agrippæ, Statilii Tauri, Mæcenatis, Caii & Lucii, Lamiæ, Neronis, Domitiæ, Getæ, Spei veteris, Pallantis, Gallieni, aliorum. In hac regione *sep-*

C *ptizonium Severi* collocat *Victor*; *Alex. Donatus* inter Cœlium & Palatinum, qua via Appia flectit ad arcum Constantini. Erat autem *septizonium* superba moles, septem veluti zonis, vel præcinctionibus, vel columnarum ordinibus in aera surgentibus visenda: & quidem in Urbe duo celebrantur septizonia, alterum *vetus* in regione tertia, prope quod natum fuisse Titum Vespasianum memorat *Suetonius*; alterum *novum* sub Palatino, quod a Severo fabricatum, de quo *Spartianus*: *Opera ejus* (Severi) *publica*, inquit, *præcipue Romæ exstat septizonium*, *& thermæ*. Tertium suspicatur *Nardinus* fuisse ad portam Capenam via

D Appia, & illud tantum similitudine quadam ad verum septizonium accessisse, in quo sepultus sit Severus. Ut tertium hoc agnoscat *Nardinus*, movetur illo *Spartiani* in Geta: *Illatusque est*, inquit, *majorum sepulchro*, *hoc est Severi*, *quod est in Appia via euntibus ad portam dextrum specie septizonii exstructum*. Sed illud testimonium non satis liquido evincit, aliud fuisse septizonium in via Appia, aliud sub Palatino; nam illud quod erat in via Appia, vel intra, vel extra portam Capenam, putat frustra *Nardinus* non esse idem, quod sub Palatino; frustra putat viam Appiam non etiam fuisse intra Urbem; cum omnes viæ magnæ per

E Italiam sparsæ terminarentur in Urbe ad milliarium aureum, prope ædem Saturni sub Capitolio. Clare *Suetonius* in Othone: *Descendensque*, inquit, *per ædes*, *quæ Tiberii vocantur*, *gradiebatur in Forum*, *ubi stabat columna aurea*, *in qua incisæ omnes Italiæ viæ finiunt*. Testatur idem *Plutarchus* in Galba. Cur ergo hic multiplicanda sine auctoritate Veterum septizonia? ducebat via Appia a Capena ad Palatinum, & ultra, licet nonnihil incurvato in Urbe, ut fit, itinere. In eo spatio situm septizonium, quod & spendori Urbis serviit, & postea Antoninorum sepulchro,

F Obduces, sepulchrum Severi *Spartiano* non vocari septizonium, sed sepulchrum specie septizonii exstructum. Probe, septizonium enim illud Severi non fuisse distinctum in septem zonas præcise, sed tantum in tres, vel quatuor, (utcunque nomen retinuerit germano ad Titi ædes septizonio commune) oculati testes fidem facient; in quibus *Marlianus*: *Tanta est*, inquit, *trium septizonii ordinum* (quos durantes adhuc suo ævo conspexit) *altitudo*, *ut majorem habuisse non fiat verisimile*. Id ipsum testatur *Philander* in Commentariis *Vitruvianis*.

Ita videmus sepulchrum Scipionis Africani, quod A Eugenius Papa in porta Vaticani templi ænea expressit, in quatuor tantum zonas dividi. Occurrit *Nardinus*; nihil aliud propositum fuisse Severo, cum septizonium faceret, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret, testante *Spartiano*. Agnosco, sed ut occurreret, tanquam magnificum opus, & illustre sepulcrum. Nec aliud propositum fuit Calatinis, Serviliis, Metellis, Scipionibus, (de quibus *Cicero*) in via Appia extra portam Capenam sepultis, quam ut venientibus ab Oriente monumenta sua occurrerent, & suavem gestorum suorum memoriam refricarent. Credibile ergo illud *Casauboni*: *Sepulchrum Antoninorum*, B *& septizonium ejusdem mausolei partes fuisse*. Nec juverit dixisse, Severum in Urbe non esse sepultum, vetante lege XII. tabularum; cum & Trajanum, & Tubertum, & C. Fabricium, & gentem Ciniam, Claudiamque in Urbe sepultam constet; nam quod ad *Procopium*, non est ejus semper sacrosancta auctoritas. Hujus regionis incola quoque fuit *Isis Athenodoria*, sive illa ædes sacra Isidi dedicata, quales Roma plures vidit, præsertim Caracallæ principatu; sive, quod similius vero, statua Isidis, ab Athenodoro Statuario illustri, de quo *Plinius*, fabricata. In primis illud C Isidis templum memorabile, quod in Campo olim Martio nitebat, ubi hodie conventus Dominicanorum, ex cujus horto evulsum vidi obeliscum Ægyptium, atque plures vitulos ex lapide lydio affabre factos, sed fere truncatos. Et ante hos XL. annos effossa ibidem statua Serapidis (is maritus Isidis) sinistra ferens literam Taauticam, cujus inferior pars T significabat Ægyptiis, ut apud *Socratem* & *Sozomenum* legimus, VITAM VENTURAM.

3. *Templum Bonæ Deæ* olim quidem ædificatum in clivo saxeo Aventini, ceu cantat *Ovidius*; postea ab Hadriano translatum ad montis ejusdem D radicem, ut *Spartianus* refert, haud dubie, ut adeuntibus Romanis nuribus accessus esset mollior & facilior; atque ideo refertur a *Victore* ad regionem duodecimam, cum esset quondam decimæ tertiæ, vocaturque hic *ædes Bonæ Deæ subsaxanæ*. *Bona Dea* Antiquorum variis donatur nominibus; *Macrobio* jam Maja, jam Fauna, jam Opis, jam Fatua appellatur; hanc Fauni filiam pudicissimam alii faciunt, alii sororem ejusdem, & uxorem, quam cum semel ebriam deprehendisset, fustibus necarit, unde in sacrificiis ejusdem ostensus vini cadus, sed coopertus. Hanc ædem ingredi viris nefas erat, ita fæminarum tantum sacrificiis lita- E batur. Hinc P. Clodius, incestus ille trium sororum stuprator, cum psaltriæ habitu aliquando clam hanc ædem ingressus adulterium commiserit, acriter vapulat apud *Tullium*. Ritus fæminarum nocturnos ibidem celebratos, & illos parum pudicos attingit *Juvenalis*, & alii. De hostia *Bonæ Deæ* grata ita *Juvenalis*:

Atque bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam.

In illo cratere, sive amphora, quæ *mellaria* dicta, F *vinum*, quod sacrificantes cum ebiberent, *lac* solebant appellare, de quo *Macrobius*. Inter sacrificandum a myrto abstinebatur, ut Veneri sacra; supra caput Bonæ Deæ protensa vitis: sed id vel præcipue notari meretur, quod serpentes in hoc *Bonæ Deæ templo* nec terrentes, nec timentes sæpe observarentur, quod *Macrobio* notatum; haud dubie placitum antiquo serpenti tragœdiam illam suam, qua Evam blandiloquus circumscripsit, ex intervallo hic recognoscere. Quid fuerit *Fortuna mammosa*, quam huic regioni attribuit *Victor*, non caret dubio; verisimile, fuisse statuam fæmineam (unde vico nomen) vel amplitudine, vel numero mammarum insignem; qualem ex marmore *Terræ Matri magnæ* affingunt, obviam hodieque Romæ, & vel XXX. uberibus tumentem. *Domus Chilonis*, quæ hic inter illustres recensetur fueritne Chilonis Magii, qui M. Marcello datum a Cæsare spiritum pugione eripuit in portu Atheniensium, de quo *Val. Maximus*, an Cilonis, amici quondam Severi Imperatoris, in medio relinquitur. *Domus septem Parthorum* dicta, quæ in hac regione agnoscitur, videtur a Severo Imper. donata hospitibus Parthis, qui ejus principatu in Urbem advenerant, vestium sumptuosissimo apparatu, de quo *Tertullianus*, superbientes. Sed nec defuit in hac regione (sive rectius forsan in vicino Aventino, ad portam Lavernalem, ubi fere hodie aperitur porta S. Paulli) *ara Lavernæ*, Deæ furum; unde *Laverniones* Antiquis dicti fures, auctore *Festo*, quod essent sub tutela Deæ Lavernæ, in cujus luco obscuro solebant furta sua prædamque inter se dividere. Preces Laverniorum tacitas ad hanc *aram* depingit ita *Horatius*:

—— pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanctumque videri;
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Hinc fraudium architecti & fures *nebulones* Latinis dicti, quod nebuloso cœlo impunius grassentur, ceu *Nonius* observavit: enimvero nebulæ non raro fures faciunt, & accommodatiores illis nebulæ, observante *Homero*, quam noctes, licet enim & suæ *tenebrionibus* nocturnis vices, invitant tamen magis nebulæ, ut incustoditæ, quam noctes defensæ excubiis.

CAP. XV.

De Urbis regione decima tertia.

I. DEcima tertia regio, *Aventinus* dicta, complexu suo ambit non modo Aventinum montem, sed a sinistra terminatur pene ad radices Palatini, ad Circum maximum, piscinam publicam, murosque Romanos: a dextra incipit ad scholam Græcam, quam vocant, pergit ad templum Malthensium, vicinumque Tiberim, includit montem testaceum, sepulchrum C. Cestii, portam S. Paulli, & tandem ad portam S. Sebastiani, hoc est, Capenam desinit. Atque ut inde ordiamur, *mons Aventinus* infelix diu inauspicatusque habitus, quod Remus ibi condendæ Urbis gratia auspiciis operatus, aves irritas haberet, a Romuli auspicio superatus, ut *Gellio* placuit; unde diu omnes, qui protulere pomœrium, montem istum exclusere, quasi avibus obscœnis ominosum. Claudius Cæsar tandem, auctore *Gellio*, intra pomœrium recepit, quamvis multis ante seculis habitatum variis populis a Romanis hinc inde superatis, de quo *Val. Maximus*. Ascendebatur quondam Aventinus ab urbanis per *clivum Publicium* etiam curribus, quod *Varroni* notatum, eo propemodum loco, quo a templo S. Anastasiæ via hodie ducit ad templum S. Sabinæ. *Ovidius* ita de hoc clivo:

—— qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.

Ad sinistrum Aventini latus, in vicinia templi S. Priscæ, *Decii thermas* constituunt nonnulli Antiquarii, earumque rudera sibi conspecta pertendunt.

dunt. Et quidem credimus *Eutropio* atque *Cassiodoro*, Publica a Decio Imp. lavacra Romæ exstructa fuisse, sed ea in eo Aventini loco collocare, non ita securum, nisi accedas *Pomponio Læto*, qui id tradit, & *Marliano*, cui, præter rudera, fortassis lectæ ibidem inscriptiones, id ipsum confirmantes. Fuerint ergo *thermæ Decianæ* a sinistris *clivi Publicii*, & *Varianæ* in vico Sulpicio regionis primæ, non inde procul. De Varianis *Lampridius*: *Opera Varii Elagabali publica*, inquit, *præter ædem Elagabali, & amphitheatri instaurationem post exustionem, & lavacrum in vico Sulpicio, quod Antoninus Severi filius cœperat, nulla exstant*. Sunt qui existiment, *Varianas* & *Decianas thermas* esse easdem, quod Elagabalus vocetur *Lampridio* & *Varius*, & *Decius*, verum corrupto illi loco nituntur; non enim legitur in emendatis codicibus: *Porticus postea ab hoc sub Decio Antonino exstructæ sunt*, sed: *Porticus postea ab hoc subdititio Antonino exstructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ*, ut legit *Salmasius*, vel *sub dicto Antonino*, ut *Gruterus*, & *Casaubonus*. *Templum D. Priscæ* incumbit parietinis *templi Dianæ*, *communis* olim dicti, quod, observante *Victore*, communi populorum Latinorum ære hortatu Servii Tullii surrexisset, ut illud Dianæ Ephesinæ, totius Asiæ sumtibus. Lex fœderis Latini nominis columnæ æneæ ibidem inscripta duravit ad usque ævum *Halicarnassei*. Culta hic ea veneratione Diana, ut toti colli adhæserit inde nomen *Dianii*, quod ex *Martiali* constat. A dextris clivi Publicii itur ad ædem S. Sabinæ, quæ istic loci martyrium sustinuisse creditur. Verum ante hanc Sabinam scripserat *Juvenalis*:

Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini, bacca nutrita Sabina.

In cacumine Aventini, qua vicum Publicium & forum boarium spectabat, *ædes Lunæ* olim visa, teste *Ovidio*, & in eodem jugo *ædes Junonis Reginæ*, vota, constructa, & simul dedicata a Camillo post expugnatos jam Vejos, ereptumque Vejentibus simulacrum Junonis eodem translatum: & bello Punico II. eidem ædi illata duo cupressea Junonis Reginæ simulacra. Nolim tamen credi, quod *Nardino* visum, ingnes illas columnas marmoreas, quibus renidet templum D. Sabinæ, reliquias esse *templi Dianii*, cum Camilli ævo ea columnarum magnificentia ignoraretur; nisi succedentia tempora, quod tamen nondum animadversum, plus adjecerint splendoris. Templum *Bonæ Deæ*, quod in Aventino fuit, superiori regione attigimus; ut & *speluncam Caci*; quanquam enim Cacus, nobilis ille Evandri tempore latro, habitarit ea parte Aventini, quæ Palatinum respicit & Circum maximum, (nam alioquin Evander, quod *Maro* canit, non potuisset in Palatino consistens ejus cavum indice digito monstrare) nihilominus Hercules nequaquam ea parte irrupit, obstante immenso saxo; verum speluncæ forsan dorsum, quod Tiberi imminebat, perforans novam sibi januam aperuit, & illam in regionis undecimæ ramum patefactam. Hinc *Maroni* traditur illa silex, per quam avulsam penetravit Hercules, lævum ad amnem incubuisse; unde *Solino* dicitur habitasse Cacus ad Salinas prope portam tergeminam. Mihi credibilius apparet, januam Caci publicam respexisse Palatium, sed ejusdem posticum, sive pseudothyron versus Tiberim conversum, in quo elisæ ipsi fauces, & victoria Herculi parta: atque ideo in crepidine montis supra Navalia *ædes Herculi victori* decreta est. Intellexerit proinde pseudothyron *Ovidius*, cum scribit:

Ille aditum saxi præstruxerat obice montis,
Vix juga movissent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris, cœlum quoque sederat illis,
Et vastum motu collabefactat onus;
Quod simul eversum est, fragor æthera concutit ipsum,
Ictaque subsedit pondere mollis humus.

Et cur negemus prædoni astutissimo posticum? quod & bestiolis subterraneis familiare; nec Romanis olim insuetum, secundum illud *Horatii*:

Atria servantem postico falle clientem.

Quomodo Caci more, non unum, sed plura sibi fabricaverit postica Hannibal jam vetulus, & a Romanis sibi metuens, *Cornelius Nepos* fuse edisserit. Honoratior memoria *Cacæ*, sororis Caci, quæ, ut refert *Lactantius*, divinitatem consecuta, quia fratrem prodidit: imo sacellum meruit, in quo ei per Virgines Vestæ sacrificabatur, si verus *Servius*.

2. De *Ara Evandri* audiatur *Halicarnasseus*; *Illisque*, inquit, *erectas vidi aras*, *Carmentæ quidem sub Capitolio ad portam Carmentalem, & Evandro in alio colle Aventino dicto, non longe a porta tergemina*. Nec omittendum in Aventino *lauretum*, in quo sepultus Titus Tatius Rex Lavinii, a Laurentibus interfectus, quod prodit *Varro*. Et *Plinius*: *Loretum*, inquit, *in Aventino vocatur, ubi sylva lauri fuit*. Excisa sylvula in geminum transiit vicum, quorum alteri nomen *loretum majus*, alteri *minus loretum*, ut *Victor* persuadet. Sepultus autem Tatius in ea laureti parte, quæ *armilustrum* olim vocata, hoc est, eo loco, quo circumibant milites ludentes, ancilibus armati; & quidem ludus ille sacer, certo die Octobris celebratus, *armilustrium* dictus; locus *armilustrum*, ut ex *Varrone* colligitur. In vico *loreti majoris* colebatur templo Vertumnus, sive Vortumnus, rerum vertendarum & mercium permutandarum Deus: sed cur de eo ita *Propertius*;

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Thuscus ego, Thuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba juvat, nec templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre forum.

De *Vertumno* vici Thusci ad forum Romanum celebri verba hic facit *Propertius*, nequaquam de Vertumno Aventini, qui forum Romanum aspicere non poterat. *Horatio* nati traduntur iniquis Vertumnis, qui infeliciter inconstantes, qualis ille apud eundem, qui

Romæ Tibur amat ventosus, Tibure Romam.

A loreto non procul in eodem Aventino *templum Minervæ*, seu Palladis Aventinæ, doctis frequens: de eo *Festus*: *Cum Livius Andronicus*, inquit, *bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a Virginibus est cantatum, quia prosperius res populi Romani geri cœpta est, publice attributa est in Aventino ædes Minervæ, in qua liceret scribis histrionibusque consistere, ac dona ponere in honorem Livii, quia is & scribebat fabulas & agebat*. In editiori loco Aventini structum hoc templum persuadent illa *Ovidii*:

Cœpit Aventina Pallas in arce coli,

& fortassis, quo loco *Remuria* olim spectata, de quo *Festus*: *Unde*, inquit, *vocitatam ajunt Remuriam, locum in summo Aventino, ubi de urbe condenda fuerat auspicatus Remus*. Ad radices Aventini sepultus est Aventinus Sylvius, Albanorum

Rex, unde monti nomen, ſecundum *Sext. Aurelium*. De nomine tamen audiendus & *Varro*: *Nomen illi*, inquit, *ab avibus, quod eo ſe aves ab Tiberi ferrent; alii a Rege Aventino Albano, quod ibi ſit ſepultus; alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum ſit conſtitutum ego maxime puto ab advectu, nam olim paludibus mons erat ab reliquis diſcluſus*. Sub monte illo potius quam in monte conditus eſt Rex Albanus more veteri, quo, *Servio* atteſtante, honoratiores ſub montibus condebantur, ut ſuper cadevera aut pyramides fierent, aut ingentes locarentur columnæ. Quo pertinet illud *Maronis*:

——fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.

Sed quid impulit *Victorem*, ut *ſcalas gemonias* in Aventino locaret? quæ omnino ad radices Capitolii, ubi carcer Tullianus, ablegandæ. Diſerte *Val. Maximus*: *Corpuſque Qu. Cæpionis*, inquit, *funeſti carnificis manu laceratum in ſcalis gemoniis jacens, magno cum horrore totius populi Romani conſpectum eſt*. Jacebat enimvero corpus truncum in gradibus radicis Capitolii, hoc eſt in gemoniis ſcalis, qua aſcenditur ad Tullianum carcerem, unde in foro Romano ſtantibus facillime ſpectabatur; quod neutiquam contigiſſet, ſi *gemoniæ* fuiſſent in Aventino, cum propter obſtantem Palatinum & tot olim vicos interjectos nullus lynceus, quæ in Aventino gerebantur, in foro Romano conſiſtens potuerit conſpicere. Mihi proinde nihil credibilius, quam mendum irrepſiſſe in textum *Victoris*, & pro *ſcalis gemoniis*, legendum ibi, *ſcalas Caci*, quas cur oblivíſci potuerit hoc loco *Victor*, nequeo hariolari. Quamvis autem *ſcalas Caci*, quæ ab aliis in Aventino locantur, ad regionem decimam, hoc eſt, Palatinum referat *Nardinus*, longe tamen majori probabilitate ad illum montem referendæ ſunt, in quo habitavit Cacus, & oſtiorum mæandris illuſit inquirentibus, hoc eſt, ad portæ tergeminæ in Aventino confinia, quicquid etiam ex ambiguo *Solini* loco exſculpere *Nardinus* inſtituat.

3. In Aventino *aram Jovi Elicio* ſacravit Numa, ſecundum *Livium*, ut quæ ſuſcipienda eſſent ab eo exſculperet, aut, ut etymo inhæreamus, eliceret. In hanc ſententiam quoque *Ovidius*:

Eliciunt cœlo te, Jupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Qua autem ratione elicienda Jovis conſilia, Gentium more, multis docet *Arnobius*, atque *Plutarchus*, quæ omnia gerris Siculis vaniora. Fuerit ergo & hujus *Jovis Elicii* imago, quam in columna Antonini cochlide videmus expreſſam, cum omnibus perſuaſum voluerit Imperator precibus ſe ſuis a Jove pluviam ad ſuos milites recreandos, & fulmina in hoſtes elicuiſſe. Vox *Jul. Capitolini*: *Fulmen*, inquit, *de cœlo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit*, (Marcus Antoninus) *ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent*. Id quod tamen effectum precibus Chriſtianorum, Marco tum militantium, de quo fuſe *Baronius*. Huic Jovi Elicio cum Tullus Hoſtilius litare non poſſet, fulmine ictus cum *Regia ſua conflagravit*, notante *Sext. Aur. Victore*. Illuſtris quoque Aventinus *templo* & *atrio Libertatis* de quo ita *Livius*: *Digna res viſa*, inquit, *ut ſimulacrum celebrati ejus diei Gracchus, poſtquam rediit, pingi juberet in æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex multatitia pecunia faciendam curavit, dedicavitque*. Adjunctum eidem *atrium*, de quo idem *Livius* & *Victor*; nec *Ovidius* immemor:

Hæc quoque, ni fallor, populo gratiſſima noſtro
Atria Libertas cœpit habere ſua.

Refectum illud & amplificatum ab Ælio Pæto & Cornelio Cethego Cenſoribus, indice *Livio*; Cenſoribus enim frequentes ibi conventus: *Extemplo Cenſores*, ut iterum *Livius*, *in atrium Libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſervis publicis negarunt ſe, prius quicquam publici negotii geſturos quam judicium populi de ſe factum eſſet*. Unde conficitur, publicum ibi fuiſſe archium (ἀρχεῖον) hodie *archivum*. Leges ibi fixæ, quas inter & illa de Veſtalibus ſtupri compertis, capite puniendis, quemadmodum ex *Varrone* monet *Feſtus*. Conſumptum incendio hoc *atrium* inſtauravit Aſinius Pollio, quod *Suetonius* memorat. Prædicandus merito Pollio vel hoc nomine, quod atrium hoc primus bibliotheca inſtruxerit. Vox *Plinii*: *In bibliotheca*, inquit, *quæ prima in Orbe ab Aſinio Pollione ex manubiis publicata Romæ eſt, unius M. Varronis viventis poſita eſt imago*. Emendatiores codices legunt: *quæ prima in Urbe*, & recte; nam nemini dubium fuerit, Alexandriæ & Pergami Reges jam diu ante bibliothecas magno certamine inſtituiſſe: niſi dixeris eas fuiſſe quidem antea, ſed non, ut Aſinii, publicas. Sed quid ſi Lucullus Romæ ante hunc Pollionem bibliothecam ſuam publicaverit? equidem *Plutarchus* agnoſcit bibliothecam Luculli patuiſſe omnibus, receptoſque in adjectas ambulationes Græcos omnes, velut ad Muſarum hoſpitium divertentes. Ut conſtet utrique veritas, putat *Donatus*, nec injuria, Luculli receptionem privatæ urbanitatis & humanitatis notam fuiſſe, Pollionis autem, teſtatam publico decreto & ſolenni dedicatione. Cæterum fuiſſe bibliothecam hanc Pollionis in Aventino vel unum alloquium *Martialis* ad librum ſuum oſtenderit:

Nec tamen hoſpes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.

Remi enim ſedes priſca Aventinus, ubi tot fratres librorum Martiali, hoc eſt, tot ſimilia ſcripta aliorum doctorum. Qui *templum Sylvani* in Aventino collocant, nihil quidem abſurde, quod tot ſylvulæ in Aventino olim natæ præſidem Deum viderentur depoſcere, ne novus aliquis inſurgeret

Cacus Aventinæ timor, atque infamia ſylvæ,

quemadmodum cantat *Naſo*: ſoli tamen *Victori novo* id adſtruenti fidere minus tutum. *Panvinius ædiculam Deæ Tutilinæ* huic monti adſcribit, nec diſſentit *Scaliger*; fuit autem illa a *tuendis rebus* cognominata, præeratque frumentis in horreo reconditis, ut eadem tutaretur, ſecundum *D. Auguſtinum*. Hanc illam eſſe Deam putat *Turnebus*, quam nominare ſub tecto religio erat, docente *Plinio*. Id conſtat ex *Macrobio*, Veteres, cum nominarent Sejam, Segetiam, Tutilinam, ferias obſervaſſe. Tranſeo domum Ennii in Aventino, & illam modicam; tranſeo *ædiculam Fidii*, Fortunæ dubiæ, domum uxoris Vitellii, Maximi, Galli, Faberii Scribæ, (qui, ut domum videretur habere periſtyliis eleganter expolitam, parietes omnes induxit minio, ceu ſcribit *Vitruvius*) Marcellæ, Umbrici, ut veniatur e monte tandem in planitiem, atque adeo ad *Navalia Romanorum*; quæ licet nonnulli collocent in Tranſtiberina regione,

ubi ſunt hodie, conſtat tamen ex variis locis *Livianis*, cis flumen ſpectata, adeoque fere, qua nunc teſtaceus mons erigitur, extra portam olim Trigeminam, ubi Æmilia porticus, & emporium mercium tranſmarinarum. Inter alia *Livius*: *Cenſores*, inquit, *extra portam Trigeminam Emporium lapide ſtraverunt, ſtipitibuſque ſepſerunt, & porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibuſque aſcenſum a Tiberi in Emporium fecerunt, & extra eandem portam in Aventinum, porticum ſilice ſtraverunt*. Nec aliud hic ſibi vult totus ille Emporii, porticuum, templorum Herculis, Spei, & Apollinis Medici (quæ extra portam hanc collocat alibi *Livius*) apparatus, quam ut doceat, naves ibi exoneratas, divenditas merces peregrinis ex oris advectas, adeoque porticus illas ſtationibus negotiantium inundaſſe. Accedit teſtimonium *Fulvii*, qui in hac ripa ſub Aventino marmor ſuo inventum ſeculo tradit, cui inſcriptum:

QVICQVID VSVARIVM INVEHITVR ANSARIVM NON DEBET.

Quamquam enim inferioris ævi ſit illa Inſcriptio, vectigal tamen in portu ad *navalia* ſolvendum innuit. Pro *anſarium*, lego *angarium*, juxta illud *Ulpiani*: *Naves eorum angariari poſſe Ælio Firmico & Antonio Claro veteranis reſcriptum eſt*. Taceo ἀγγαρεὶαν apud *Suidam*.

4. Fuiſſe etiam ad *Navalia* vel porticum, vel armamentarium navibus ſarciendis, & a pluviis ventorumque injuria defendendis accommodatum, vel illa *Livii* teſtabuntur: *Naves quæ in Tiberi paratæ*, inquit, *inſtructæque ſtabant, ſubduci, & in Navalibus collocari Senatus juſſit*. Sed & ligna adverſo Tiberi advecta hic vendebantur, unde *Livio* porticus ibi una ad lignarios facta annotatur. Acceſſere tot horrea, Aniceti, Vargunteii, Domitiani, Galbæ, excipiendis deſtinata frumentis, quæ mittebat Sicilia, Sardinia, Africa, Ægyptus, cum Italia una non ſufficeret alendæ multitudini Quiritium, præſertim ingraveſcente annona: unde invehitur in Ægyptios *Plinius* junior, quod inanis & ventoſa natio famem Romanorum in ſua poteſtate ſitam putaret, non tranſmiſſa fruge. Sed & alibi horrea diſpoſuit cura ſuccedentium Principum. Vox *Lampridii* in Alex. Severo: *Horrea in omnibus regionibus* (Urbis) *publica fecit, ad quæ conferrent bona ii, qui privatas cuſtodias non habebant*. Vocantur illa *Dioni* ἀποθήκαι τῶν Αἰγυπτίων, καὶ Ἀρραβίων φορτίον, nobis *Packbuſe*. Horreis propinquum *forum Piſtorium*, de quo *Victor*, in planitie circa montem teſtaceum; quo nomine laudatur *Sexto Aurelio* Trajanus, quod mirifice conſuluerit annonæ, firmato Piſtorum collegio. Hic ſtatua P. Minutio Augurino poſita, quod Sp. Melio annonam flagellante frumentum Melianum aſſibus in modios æſtimatum diviſiſſet plebi, ut *Plinius* refert. Primus Aurelianus Imp. *Navalia* & Emporium urbanis incluſit mœnibus, ne quando hoſti tot granaria & navigia cederent in prædam. In hanc rem *Fl. Vopiſcus*: *Cum videret Aurelianus poſſe fieri, ut aliquid tale iterum, quale ſub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito conſilio Senatus muros Urbis Romæ dilatavit*. Nimirum ſub Gallieno Gothi & Scythæ variis infudere ſe Romanorum provinciis, & licet repreſſi, ſæpe novis incurſionibus fatigarunt Imperii vires, de quo uberius *Trebellius Pollio*. Mons teſtaceus in hac planitie adhuc eminet (*doliolum* alii vocant) ex fictilium vaſorum fragmentis coacervatus: quippe figulis hic ſtatio, ut aqua Tiberina in promptu eſſet ad figuranda vaſa, & ligna mari apportata ſervirent coquendis. Et quia multus eorum in conſervando vino uſus, hinc *dolioli* nomen monti adhæſit. Tale id doliolum inebrians *Horatii*:

O nata mecum, Conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſive geris jocos,
Seu rixas & inſanos amores,
Seu facilem pia teſta ſomnum.

Sepulchrum C. Ceſtii inter ſplendidiſſima antiquæ Romæ monumenta ad portam S. Paulli muro inſertum adhuc omnium oculos invitat, ex Pario marmore pyramidis more faſtigiatum; convulſum nonnihil priſtino nitori reſtituit Alexander VII. Interior cavitas laxa, ad plura olim cadavera recipienda; parietes pictis candelabris, vaſis vinariis, tibiis, mulierum lugentium & geniorum alatorum imaginibus pulchre illuſtrati; de toto hoc negotio erudite commentatus eſt vir illuſtris *Octavius Falconieri*, Romæ mihi quondam familiaris. Ex inſcriptione priſca docetur fuiſſe C. ille Ceſtius ſeptemvir epulonum; cujus officium olim, epulas & lectiſternia Jovi cæteriſque Diis indicere, quod *Sexto Pompejo* obſervatum. In his epulis Jovis ſimulacrum cubare ſolebat, Junonis, & Minervæ, ut Dearum, ſedere, de quo plura *Val. Maximus*.

CAP. XVI.

De regione Urbis decima quarta.

1. REgio hæc *Tranſtiberina* dicta a reliquis urbanis ſeparatur Tiberi, complectiturque quicquid ultra Tiberim fuit habitatum, Janiculum, Vaticanum, Inſulam Tiberinam, vicos, naumachias, templa, balnea, hortos, domos, horrea, lacus, piſtrina, varia. Tota hæc regio Urbi accita eſt ab Anco Martio *non inopia loci*, quod tradit *Livius*, *ſed ne quando ea arx hoſtium eſſet*. Quin & muro cinxit Janiculum montem in adverſa ripa imminentem Tiberi, collocavitque in eo præſidium, ut ab Hetruſcis tutior eſſet fluminis navigatio, teſte *Halicarnaſſeo*. Addit & *Dion*, Romanos (quod vererentur, ne, dum ipſi comitia centuriata agerent, hoſtes per inſidias Urbem aggrederentur Janiculum occupantes) cenſuiſſe, ut non omnes ſimul irent in ſuffragia, ſed aliqui ſemper armati locum illum per vices armis cuſtodirent. Totam hanc regionem extra pomœrium fuiſſe ex *Dione* & *Gellio* perſuadet *Donatus*. Immo vero Inſula Tiberina extra Urbem fuit, etiam poſtquam Epidaurium anguem templo excepiſſet, de quo *Plinius*, atque *Plutarchus*. De obæratorum venditione Tranſtiberina conſulatur *Gellius*. Sed ad Janiculum: primi ejus incolæ fuerunt, poſt Jani tempora, Politorii, & Tellenarum cives, eo traducti ab Anco Martio ex viciniis oppidulis, ut territorium Urbis amplificarent, ceu *Halicarnaſſeus* monet. In Veliternos quoque ob iteratam rebellionem pari fere ſupplicio animadverſum, ſcribente *Livio*: item in Campanos, bello Punico ſecundo, quod partibus Hannibalis acceſſiſſent. Quin & Judæis præcipua hic ſtatio, non inhonora tamen, ante captas Jeroſolymas; tandem hic locus fæci plebis, ambubajis, lecticariis, coriariis, ſulphuratorum venditoribus, ut *Martiali Victori*que placet. Qui naumachiam Cæſaris ponunt, non ſatis advertunt illa *Dionis*: *Et tandem navale prælium exhibuit Cæſar, non mari, neque in lacu aliquo, ſed in terra; effoſſo enim quodam loco in Campo Martio aquam induxit, introduxitque navigia*. Edito naumachiæ ſpectaculo locus iterum complanatus, uti ſcribit *Suetonius*. Auguſtus etiam temporariam naumachiam edidit in Campo Martio, (eo

loco, ubi poſtea ſurrexit Mauſolei ipſius nemus) ſed in Tranſtiberina regione ſtabilem, & aqua Alſietina, quoties uſus poſtulabat, ſtagnantem, ut ex *Frontino* aliiſque elicitur. Et quidem *ſtagnum* hoc *Auguſti* hortis prætextum, extra muros Tranſtiberinos (ubi hodie campus Hebræorum) fuiſſe, *Taciti* & *Suetonii* verba non obſcure teſtantur. In hac regione ad ripam Tiberis *Forti Fortunæ templum* ſtruxit Servius Tullius. Alterum eidem Deæ, ſed vicinum ædificavit de manubiis diu poſt Spur. Carvilius Conſul, quod *Livio* viſum. Tertium ejuſdem nominis ad Tiberim, in hortis, quos Cæſar Dictator populo legavit, dedicatum principatu Tiberii, docente *Tacito*. Fortaſſis alterutrum, vel utrumque antiquum vetuſtate collapſum, ſub Tiberio reſartum eſt. Verum cur ita *Terentius? Fortuna eſt*, inquit, *cujus diem feſtum colunt, qui ſine arte aliqua vivunt: hujus ædes Tranſtiberina eſt*. Fortaſſe, quia inertes maxime indigent fortuna, qua alioquin per ignaviam ſe reddunt indignos. Hinc *Tranſtiberinus ambulator* vocatur *Martiali*, qui otioſus ardelio eſt. Nec tamen dubium eſt, eandem quoque a bellatoribus cultam fuiſſe, ut quorum ſors fortuitis ſæpe capit incrementa. Audiatur de cultu ejus Deæ *Naſo*:

Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera Regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri diſcurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ juvenum convivia lintres,
Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
Fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.

Ludos piſcatorios memorat *Feſtus* quotannis trans Tiberim celebrari, & quidem eodem menſe Junio, quo ſacra Fortis Fortunæ; unde ſuſpicari haud nefas, utrumque feſtum eundem eſſe, cum piſcatorum ſit celeri cymba huc illuc diſcurrere. *Taberna meritoria antiqua* creditur ibi fuiſſe, ubi poſtea Calliſtus I. Pont. Rom. templum Chriſtianum fertur ædificaſſe, principatu Alexandri Severi; amplificatum deinde, quod idem hodie *S. Mariæ Tranſtiberinæ* templum appellatur. Utque videatur alienum a conditione Chriſtianorum, per id tempus Romæ templa conſtruere, facit tamen *Ælius Lampridius*, qui vitam Alexandri Severi percenſuit, ut fidei id non ſit abſonum; diſerte enim narrat, tum in larario Alexandri inter alias ſanctiores animas ſpectatum Chriſtum, tum eo Principe permiſſum Chriſtianis, ut Romæ viverent, tum Alexandrum cognoviſſe Chriſtianorum ſacerdotum mores, tum denique voluiſſe ipſum Chriſto templum facere, eumque inter Deos recipere; quid prohibet ergo eum, quod ipſe facere voluit, paſſum fieri per alios? ſed de loco templi illius omnia adhuc ambigua, niſi aliquid poſſit exſculpi ex illo *Lampridii*: *Quum Chriſtiani*, inquit, *quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit* (Alexander Severus) *melius eſſe, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam dedatur popinariis*. Credibile, *tabernam meritoriam antiquam*, (hoc eſt, ut JCti interpretantur, diverſorium publicum) hic loci fuiſſe, ideoque popinariis invitis extortam, quod opſonia ſua juſto carius ibi divendere poſſent diverſoribus. Et hujus plane ſententiæ eſt *Ciacconius*. Chriſtianis autem deſideratus videri poteſt locus, quod fons olei iſtic cœperit ſcaturire, circa natalem Salvatoris Chriſti, ſi verus *Euſebius*. In Tranſtiberinis pulchra Gallo ſurgebat domus, de qua *Martialis*. Ad portam Septimianam arcus compitalitius ſpectatus, cui nomen *Janus Septimianus*, mercatoribus deſerviens. Adjungit hic *Victor novus* XII. aras Jano dedicatas, fortaſſis, ut duodecim anni menſium initia in honorem Jani imbuerentur. Monti quoque ipſi nomen *Janiculum*, a Jano quondam habitatore, qui hic Urbem condidit, Saturno Capitolium inſidente, ut ex *Virgilio* conſtat. Capitolio tum nomen *Saturnia*, Janiculo, quo uſque habitabatur, *Antipolis*, quod urbs utraque e regione ſibi opponeretur. Janus hic præter alia nomina etiam *Conſivius* dictus, quod genus humanum conſeviſſet. Sed & ſecreta illa Dea tutelaris *Ops Conſivia* appellata, de qua varia erudite *Macrobius*, ubi & carmen, quo Dii urbium obſeſſarum evocabantur a Romanis. Unum hic de templo Jani adjiciendum; ex decreto quidem Numæ clauſum fuiſſe tempore pacis, tradente *Varrone*, apertum flagrante bello; ſed cauſam non æque omnibus perſpectam: hanc *Macrobius* reddit in hæc verba: *Cum bello Sabino*, inquit, *quod virginum captarum gratia commiſſum eſt, Romani portam, quæ ſub radicibus collis Viminalis erat, quæ poſtea ex eventu Janualis vocata eſt, claudere feſtinarent, quia in ipſam ruebant; poſtquam eſt clauſa, mox ſponte patefacta eſt; cumque iterum & tertio idem contigiſſet, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, cuſtodes ſteterunt; cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur, ſubito fama pertulit, fuſos a Tatio noſtros. Quam ob cauſam Romani, qui aditum tuebantur, territi profugerunt: cumque Sabini per portam patentem irrupturi eſſent, fertur ex æde Jani per hanc portam magnam vim torrentium undis ſcatentibus erupiſſe, multaſque perduellium catervas devoratas rapida voragine periiſſe. Ea re placitum, ut belli tempore, velut ad Urbis auxilium profecto Deo, fores reſerarentur*. Sub Janiculo ſepultus Numa Pompilius, de quo *Plinius*: *Cn. Terentium Scribam*, inquit, *agrum ſuum in Janiculo repaſtinantem offendiſſe arcam, in qua Numa, qui regnavit Romæ, ſitus fuiſſet. In eadem libros ejus repertos, P. Corn. Cethego, M. Bebio Coſſ. ad quos a regno Numæ colliguntur anni* DXXXV. *& hos fuiſſe e charta, majore etiamnum miraculo, quod tot infoſſi duraverint annis*. Cauſa integritatis librorum poſt tot ſecula, *cedrati* erant, docente eodem *Plinio*, hoc eſt, cedrio peruncti, de quo *Vitruvius*: *Quæ ungantur cedrio*, inquit, *ut libri, a tineis & carie non læduntur*. Nonnihil diverſum de his libris *Livius*; qui & adjicit, juſſu Senatus combuſtos fuiſſe in Comitio, quod *pleraque in iis diſſolvendarum religionum eſſent*. Verum non pauca hic utcunque credita forſan ſcriptoribus ipſis, olent impoſturam, efficiuntque ut inventi illi in ſepulcro Numæ libri nobis ſimiles videantur Originibus Hetruſcis ab *Ingbiramo* repertis. Et in eo fucum olfecit *Livius*, quod traderet *Valerius Antias*, libros illos fuiſſe Pythagoricos: quomodo enim Pythagorici? cum Pythagoras jam vetulus in Italiam primum deſcenderit Olympiade ſexageſima ſecunda, ex calculo *Jamblichi*. Numa autem natus ſit anno tertio Olympiadis decimæ ſextæ, atque adeo diu ante adventum Pythagoræ ſepultus. Accedit, quod inventi libri ſolvendis religionibus deſervirent, cum Numa condendæ religionis auctor fuerit. Ad Janiculum olim viſum *Cæcilii Statii Comici ſepulcrum*; viſi Imp. *Galbæ & Getæ horti, campus Bruttianus, & Codetanus*, ita appellatus, quod in eo virgulta naſcerentur ad caudarum equinarum ſimilitudinem, ceu *Feſtus* refert. Viſus ibi Hercules cubans, caput Gorgonis, ſtatuæne eorundem, an imagines in vicorum capitibus expreſſæ, deſignantes viarum nomina, parum compertum; viſa ſta-

tua Valeriana, Sicciana; ara Divarum Cornifcarum, nota cornicinibus, qui in Junonis tutela, fecundum *Feftum*. Annectitur hic *lucus Furinarum*, in quo C. Gracchus vel fua, vel Euphori fervi manu occifus, caputque ejus plumbo repletum, fi fides *Victori*. *Furinam Deam* agnofcit *Varro*, cui facra annua inftituta, & Flamen attributus; quænam fuerit illa, etiam Antiquis obfcurum; *Cicero Furiam* interpretatur: *Cur non Eumenides*, inquit? *quæ fi Deæ funt, quarum & Athenis fanum eft, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinæ. Furiæ Deæ funt fpeculatrices, credo, & vindices facinorum & fcelerum*. Erant autem, narrante *Servio*, in terris Furiæ, in Cœlo Diræ, apud inferos Eumenides. Græcis Erynnies, Plutonis miniftræ, anguibus crinitæ, femper virgines; tres ideo, quia trium animi perturbationum, *iræ, cupiditatis, libidinis*, præfides. Proximum *facellum Deæ Maniæ*, matris Larum, ex *Varrone*; cui initio pro familiarum fofpitate pueri mactabantur, fed Junius Brutus Conful, ut infauftum facrificium tolleret, ex refponfo Apollinis, loco capitum puerilium, allii & papaveris capita in hoc facrificio fubftituit; factumque ut effigies Maniæ præ fingulorum foribus fufpenfa familiæ imminens periculum expiaret, ut pluribus *Macrobius*. In Janiculo fpectata *domus Symmachi*, Præfecti Urbis, a populo tandem incenfa, de quo *Marcellinus*. Aperuit & hic Imper. Philippus lacum, quod penuria aquæ eam montis partem fatigaret, docente *Sext. Aurelio*; neque enim *Alfietinæ ductus* aquam potui miniftrabat, ut parum falubris, fed naumachiæ Augufti. Oportet in vicinia fuiffe agrum Julii Martialis, de quo *M. Valer. Martialis*:

Juli jugera parva Martialis,
Hortis Hefperidum beatiora
Longo Janiculi jugo recumbunt.

2. Pertinet ad hanc regionem *Infula Tiberina*, *Plutarcho Mefopotamia* dicta, in Actis Martyrum *Infula Lycaonia*; quam *Livius* arbitratur (quod eo olim loco vadofus effet Tiberis) furrexiffe ex acervis frumenti iftuc e Campo Martio delatis, & paullatim limo involutis, tandemque additas manu Quiritium moles, ut firmior area ex undis emineret; quo propemodum modo Venetam urbem natam conftat. Pars infulæ, quæ Orientem fpectat, celeberrimum illud *Æfculapii templum* olim geftavit, ubi fere hodie *ædes D. Bartholomæo facra* confpicitur, in cujus porticu nota illa antiqua Infcriptio marmori infculpta: SEMONI SANCO DEO... adhuc prodit nimiam Patrum quorundam Ecclefiæ credulitatem. In horti templi margine Capitolium refpiciente evidenter patet veftigium navis, ex faxis grandibus ita formatæ, ut fimilitudinem coftarum navigii graphice exprimat; in una ejus tabula fpectatur figura anguis, in varias convoluti fpiras & noftris fimillimi, haud dubie reddens imaginem antiqui illius anguis, qui in hac fua triumphali vefte, qua Evam circumfcripferat, Quiritibus etiam fpecie opis ferendæ fe fe oftentavit. Quomodo autem Æfculapius ille anguis ex Infula Epidauro per legatos Romanorum precibus evocatus in urbem peftilentia continui triennii laffam falutifer pervenerit, atque in Tiberina infula, ubi templum ei dicatum, fedem elegerit, multis refert *Livius*, *Ovidius*, *Val. Maximus*, *Plinius*, *Aurel. Victor*, alii. Quirites ut novum hofpitem excogitatiffimo demererentur cultu, præter hoftias & thura creberrima, totam Infulam in fpeciem navigii, quo advectus erat, (expreffa quoque in dextro ejus latere advenientis figura) erexere, mali nautici loco obelifcum ftatuentes; ejus apex hieroglyphicis avium pifciumque figuris literatus adhuc extra templum D. Bartholomæi cernitur, metæ vicem fuftinens. Quin & hodie Tibure in Hortis Cardinalis d' Efte ex marmore tota illa Infula repræfentatur, pulcherrime in morem navis elaborata, obelifco malum formante; ut mirum fit, cur cætera diligentiffimus *Nardinus* obelifcum hic locatum inficietur, eo folo argumento, quod fex tantum fuerint Romæ obelifci magni, duo in Circo maximo, duo ad fepulcrum Augufti, in Vaticano unus, & unus in Campo Martio. Quo ergo referendus ille in Circo Flaminio obelifcus? ille in Circo Agonali vetuftus? (nam hodiernus ex Circo Caracallæ eft, & is fatis magnus) ille in Circo Floræ? ille in Circo Salluftii? nam numifmata antiqua in his omnibus agnofcunt obelifcos magnos, nautici mali exemplo faftigiatos. Tutius proinde, *Victori novo*, *Panvinio*, aliifque accedere, in Infula Tiberina obelifcum afferentibus. Sed ad *templum* iterum *Æfculapii*: in limine ejus incifa verfibus legebatur compofitio Antiochi magni adverfus venena, de qua confulendus *Plinius*: ubi tamen nefcio quomodo *milium* pro *meo* irrepfit, quod & *Galeno* notatum. Ipfum templum a Prætore Lucretio e præda tabulis pictis exornatum, auctore *Livio*. Parietes quaquaverfum fchedis eorum diftincti, qui ex incubatione ibidem nocturna fanitatem receperant, quorum hæc una eft: *Hifce diebus Cajo cuidam cæco Oraculum edidit, veniret ad facrum altare, & genua flecteret, a parte dextra veniret ad lævam, & poneret quinque digitos fuper altare, & elevaret manum, & poneret fuper proprios oculos, & recte vidit*. Faftiditus Apollini leno *Plautinus* nullum ibi invenit remedium. Deportabantur & in hanc infulam ægri, ut pavimento templi fubinde incubantes fanitati reftituerentur. Claudius Imp. apud *Suetonium*, cum quidam ægra & affecta mancipia in Infulam Æfculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos effe juffit. Nofocomium poftea e regione templi ædificavit pietas Chriftianorum, ut fanctius ibi vel foveantur ægri, vel percurentur. Præter illuftre templum Æfculapii, *facra* etiam *ædes* in Infula illa *Jovi* Lycaonio & *Fauno* dicata, *Ovidio* quondam attacta; fed & illic *ftatua Julii Cæfaris*, quæ neque terræ motu, neque vento impulfa, fubito vifa eft converti ad folis ortum, cum antea fpectaret alio, uti perhibet *Plutarchus*, *Tacitus*, *Suetonius*. Tiberius in hanc Infulam decreto fepofuit reos mortis honoratiores, ut menftrua pœnitentia fe ultimæ neceffitati accingerent, & uncos gemoniafque cogitatione funefta prælibarent, quod *Suetonio Sidonio*que *Apollinari* obfervatum. Jungitur Infula Urbi ponte Fabricio, (quem nunc *pontem quatuor capitum* nominant, a quadrifronte Jano ponti vicino) & Tranftiberinæ jungitur telluri ponte Ceftio, quem Imper. Valens & Valentinianus ultimo refecerunt, ut hodieque docet Infcriptio.

3. Mons Vaticanus in Tranftiberina regione eminens aliquando latæ adeo fignificationis apud *Plinium* eft, ut & Janiculum comprehendat & vicinum agrum, ftrictius autem, a Janiculo dividitur intervallo humiliori, medio fere loco inter templum S. Onuphrii & bafilicam D. Petri; atque planitiem, quæ montem, atque Tiberim interjacet, fimul comprehendit. De nomine ita *Gellius*: *Et agrum Vaticanum*, inquit, *& ejufdem agri Deum præfidem, appellatum acceperamus a vaticiniis, quæ vi atque inftinctu ejus Dei in eo agro fieri folita effent. Sed præter hanc caufam M. Varro in libris Divin. aliam effe tradit iftius nominis ratio-*

nem; nam ficut Ajus, inquit, *Deus appellatus, araque ei ftatuta eft, quæ eft infima nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem effent vocis humanæ initia, quoniam pueri, fimul ac parti funt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano fyllaba eft: idcirco vagire dicitur, exprimente verbo fonum vocis recentis*. Sunt qui *Vatiganum* Deum nunc exiftiment *D. Auguftino* vocari, fed antiqui codices legunt ibi quoque *Vaticanum*. Contemptus olim Quiritibus Vaticanus ob gravius ibi cœlum, immunditias, aquas otiofas & ftagnantes, halitus impuros; unde apud veteres Romanos, tefte *Frontino*, *infamis aer Vaticani* habitus, atque eadem de B caufa apud *Tacitum* male audiunt *infamia Vaticani loca*. Quin *Martiali* difplicet vinum in Vaticano natum, ut *peffimum*:

Et Vaticani perfida vappa cadi.

Et alibi *idem*:

Vaticana bibis, bibis venenum.

Sed & in Vaticano fœtor olim ex cadaveribus. Audiendus præterea *Lampridius*: *Fertur*, inquit, C *Elagabalus elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitaffe, dirutis fepulcris, quæ obfiftebant*. De *Vaticana ilice* audiendus *Plinius*: *Vetuftior autem Urbe*, inquit, *in Vaticano ilex; in qua titulus æreis literis Hetrufcis religione arborem jam tunc dignam fuiffe fignificavit*. Ultimus enim ibi Hetruriæ limes, & Hetrufci auguriis oppido olim intenti. Habet ergo hæc ilex, quod fortiter opponat *Pauſaniæ*, cui vetuftiffimæ arbores fuere, *vitex Samia ad Junonis ædem, olea in arce Athenis, Deli palma, quercus Dodonæa, & platanus Menelai bello Trojano fata*. In Vaticana valle hortus olim Neronis Circo D illuftris germinabat, tradente *Tacito*; ubi hodie *Belvedere* hortus, palatium fummi Pontificis, & fpectatiffima terrarum orbe bafilica Petri omnium in fe oculos convertunt. Ante bafilicam obelifcus (a Nuncoreo Sefoftridis filio Soli quondam facratus, & a Cajo Principe Romam devectus, quod refert *Plinius*) conftituebat malum in Neroniano Circo; translatus eo, ubi hodie cernitur, a Sixto V. Pont. cum ante ftaret ad templi Vaticani facellum, ubi meditullium fere Circi fuiffe indubitatum eft. Porrigebatur autem extremo altero verfus *ædem S. Marthæ*, altero ad fcalas & frontem E templi Vaticani, quo loco infiniti Chriftiani a Nerone per fummam injuriam occifi. Loquatur de ea laniena *Tacitus*: *Pereuntibus*, inquit, *Chriftianis addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut, ubi defeciffet dies, in ufum nocturni luminis urerentur. Hortos fuos ei fpectaculo Nero obtulerat, & Circenfe ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo infiftens*. Horti autem Neroniani, in quibus hic Circus, magnam quoque partem occupabant planitiei, quæ eft vel nuda, vel ædificiis tecta inter Bafilicam D. Petri & Tiberim, ubi jam ante Caligulæ & Agrippinæ F hortos viderat Roma, ad ripam ufque Tiberinam excurrentes, & fpectatos olim *Senecæ*. Ad latus horti Neronis naumachiam collocant Auctores nonnulli, five illam Oct. Augufti intelligant, five aliam Neronianam; nam fuiffe ibi plures naumachias *Victor* fatetur, & ambitio Neronis perfuadet. Horti Domitiæ ubi fuerint, nullum dubium eft, cum ita *Capitolinus*: *Hadriano*, inquit, *ad Bajas mortuo, reliquias Antoninus Romam pervexit fancte & reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit*, hoc eft, illo præcife loco, ubi *Moles Hadriani* hodieque cernitur, in *caftellum S. Angeli* immu-

A tata. Rotunde *Dion*: *Sepultus eft Hadrianus in ripa fluminis* (Tiberini) *juxta pontem Ælium; illic enim fepulcrum conditum; jam enim Augufti monumentum repletum erat, nec quifquam in eo fepeliebatur*. Quis fplendor olim fuerit hujus Maufolei, edifferat *Procopius*: *Hadriani Romanorum Imperatoris fepulcrum*, inquit, *extram portam Aureliam jactu lapidis diftans a mœnibus: primus ejus ambitus quadrati figuram habet, conftat enim totus ex marmore Pario, fumma artificum diligentia ædificatus. In medio hujus quadrati rotunda moles affurgit excelfa altitudine, & tanta, ut in fuprema ejus parte area fit, cujus diameter vix ictu lapidis tranfigitur*. Addit *Procopius*, molem columnis, quadrigis, & equeftribus ftatuis exornatam fuiffe: in cacumine ejus nux pinea ænea inaurata magnitudinis inufitatæ, hodie in *Belvedere* omnium patens confpectui, cum duobus pavonibus æneis itidem inauratis (quatuor olim fuerunt.) Et quidem *nux pinea* ideo fepulcro impofita, ut planctum Magnæ Deum Matris occidente Aty Cybeleio adumbraret, quia necatus fub pinu Atys: pavones ideo, ut Auguftas illic quoque defignaret conditas, quæ a morte in confecratione putabantur alis pavonum in cœlum attolli, ut ex numifmatis liquet. Spectatum tamen Romæ apud *Dn. Commendatorem del Pozzo* aliud quoque confecrationis fæmineæ fchema, ubi mulier anferis dorfo infidens furfum fpectabat, anferi tamen illi pedes aquilini. Nec contempta Romæ hæc ales. Sacri anferes in facello Junonis alebantur. Quin & follenni die quotannis in pompa geftabatur canis in crucem actus, & anfer lecticæ fplendidæ inter pretiofa ftragula infidens, in memoriam fervati vigilantia anferum Capitolii, cum obdormiiffent, Gallis irrumpentibus, canes, de quo *Plutarchus*. Sed & fingulare virilis apotheofeos genus apud eundem *del Pozzo* vifum, ubi confecrandus aquilæ infidens vehebatur penfili curru, quem trahebant equi quatuor uno verfu juncti, alati omnes: ante currum in nube fublimis Jupiter, facram animam exfpectans. De confecrationis Imperatoriæ ritu videndus *Herodianus*. Serviit hoc Maufoleum condendis (præter Hadriani) Antoninorum cineribus, fed, decrefcente paullatim antiqua Romanorum fortuna, tranfiit bellis Gothicis in munimentum Urbis; ftatuæ, & trunca fimulacrorum corpora in fubeuntes inimico agmine Gothos ftrenue effufa; ceffit tamen Gothicæ tandem virtuti, & jam illis, jam Exarchis, jam iterum Romanis Pontificibus paruit. Hodie tuetur adhuc caftelli validiffimi nomen, poftquam Urbanus VIII. variis propugnaculorum ex recentiori muniendi lege anfractibus molem fepfit & ampliavit. Non procul inde, via Aurelia *fepulcrum Marci Aurelii* (unde viæ Aureliæ & portæ Aureliæ nomen) fpectatum, atque, ut creditum *Nardino*, inter molem Hadriani atque templum hodie *D. Mariæ Tranfpontinæ*; in quo templo adhuc fplendide colitur anniverfaria S. Canuti Danorum Principis memoria, Januario menfe, fucclamantibus more fueto Quiritium nuribus: *S. Canute ora pro nobis*. Ante hoc templum durabat *pyramis marmorea*, Ceftiana major, ad ufque imperium Alexandri VI. Pontif. nota *Blondo* & *Fulvio*, de qua ita *Acron* in Horatium: *Cum Afri*, inquit, *adverfus Romanos denuo rebellarent, confueto Oraculo refponfum eft, ut fupulcrum Scipionis fieret, quod refpiceret Carthaginem: tunc levati cineres ejus funt e pyramide in Vaticano conftituta, & humata in fepulcro ejus in portu Carthaginem refpiciente*. Nobilis tamen illa pyramis falva permanfit, ablatis tantum cineribus, donec eam Alexander VI. ut caftello viciniorem & re-

ceptaculum hostium alioquin futuram sustulit, marmoribusque, e quibus surrexerat, constravit porticum templi Vaticani. Perseverat tamen imago ejusdem æneæ Vaticani portæ insculpta. Neque *Acronis* illud testimonium evertitur eo, quod Scipionum sepulcra in via Appia a scriptoribus antiquis collocentur: fuerint enim illa vel familiæ Scipionum propria, vel honoraria, illud autem in Vaticano peculiariter cineres Africani Scipionis custodivit. Ita geminum fuit Hadriano sepulcrum, alterum Puteolis, Romæ alterum, teste *Spartiano*. Et Alexandri Imp. sepulcrum Romæ visum, cenotaphium in Gallia, teste *Lampridio*. *Mausoleum Imper. Honorii*, si *Eutropio* credimus, atrio basilicæ D. Petri adhæsit proxime; immo ampliata tandem basilica Mausolei locum inclusit; repertaque in adyto quodam ejus templi superiori seculo, uxoris Honorii (Maria illa erat, Stiliconis filia) arca feralis marmorea, in qua, præter paucas ossium, dentium, & capillorum reliquias, dactylotheca argentea minutias quasdam ex auro gemmisque pretiosis continebat, docente *Lucio Fauno*. In Transtiberinis prata erant Mutia, & Quinctia; diserte *Plinius*: *Aranti*, inquit, *quatuor sua jugera in Vaticano, quæ prata Quinctia appellantur, Cincinnato viator attulit Dictaturam, & quidem, ut traditur, nudo, plenoque pulveris etiamnum ore*. Credibile, fuisse prata illa in planitie, quæ molem Hadriani & basilicam D. Petri interjacet. Sed cur jugera Cincinnati ponit *Livius* contra illum locum, ubi ipsius seculo cernebantur *Navalia*? intelligendus *Livius* de *Navalibus* Campi Martii ad tumulum Cæsarum sitis, ubi navigia sua appellabant Quirites secundo Tiberi descendentes; non de illis ultra Aventinum *Navalibus*, quæ stationem permittebant navibus transmarinis, aliisque adverso flumine ascendentibus: neque enim pontes Tiberi instrati patiebantur naves omnes eodem loco consistere. Sed *C. Mutius*, cujus itidem prata Transtiberina laudantur, a Senatu donata, is erat, de quo *Martialis*:

Urere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Sed & in Vaticano olim spectata est absurda pietas Imperatoris Veri, qui tantopere equum quendam suum, cui nomen *Volucris* dilexit, ut eidem mortuo sepulcrum statuerit in Vaticano (credibile, ad Circum Neronis proxime, ut *Casaubono* etiam placet) aureumque ejus simulacrum secum portarit, ut perhibet *J. Capitolinus*. Neque tamen novæ hæ intemperiæ, utpote jam ante *Plinio*, *Æliano*, *Plutarcho*, & *Martiali* notatæ. Incitato equo suo etiam consulatum destinavit Caligula, ut perhibet *Suetonius*. De Hadriano Imperatore ita *Spartianus*: *Equos & canes*, inquit, *sic amavit, ut eis sepulcra constitueret*. Inter ceteros equos *Borysthenes* quidam moriens Imperatori epigramma hoc expressit, quod cum uno loco mutilum sanare Critici non possent, *Pejreskius* ex tabula Aptensi restituit:

Borysthenes Alanus,
Cæsareus veredus,
Per æquor & paludes,
Et tumulos Etruscos
Volare qui solebat,
Pannonios in apros,
Nec ullus insequentem
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere,
Vel extimam saliva
Sparsit ab ore caudam,
Ut solet evenire:
Sed integer juventa,
Inviolatus artus,
Die sua peremptus,
Hoc situs est in agro.

Melius hic equo suo consuluit Hadrianus, quam animæ, cui illa moriturus insusurravit: *Animula vagula, blandula hospes, comesque corporis, quæ nunc abibis in loca? pallidula, rigidula, nudula, nec, ut soles, dabis jocà*. In Vaticano etiam erat *prædiolum Julii Paulli Poetæ*, secundum *Gellium*, item *horti Reguli* causidici; & tandem versus pontem Milvium *horti Ovidiani*, de quibus ipse *Naso*:

Quos ego nescio cui colui.

Sed superat omnia antiqui Vaticani decora hodiernum illud *D. Petro dedicatum templum*, (de quo quicquid dixero, minus erit) eique additum ab Alexandro VII. ex lapide Tiburtino hecatonstylon; & novissime bibliotheca illustrissima, olim a Nicolao V. circa annum Christi 1450. collecta, & novis accessionibus Palatinæ atque Urbinatis bibliothecæ hodie locupletior.

CAP. XVII.

De flumine Tiberino, Romanis pontibus, aquæductibus, cloacis, viis.

I. FLuvius, quondam *Albula* a turbatis in alborem lymphis dictus, postea Tyberis, & Tybris, & Tiberis appellatus, sive a Tyberino Rege Albanorum in eo submerso, quod putat *Ovidius*; sive in ludibrium Atheniensium, quasi ὕβρις, docente *Festo*, in Apennino oritur, auctusque profluendo fluviis aliis, Hetruriam ab Umbris, Sabinis, Latioque dividit, & nusquam quam Romæ profundior, in mare tandem Tyrrhenum ad Ostiam evolvitur. Hodie ad Urbem minus quam olim profundus, propter illapsa rudera, & limum, quem trahit, e montanis descendentem; minus etiam stagnando Romanis molestus, quod editior hodie Urbs quam olim, ut ruderibus superstructa; adhuc tamen navium modicarum patiens est, sed cum Rhodano, aut Ligeri, aut Rheno, aut Albi nequaquam conferendus. Aqua ejus, dum fluit, turbulenta, eoque bufonum *S. Amantio* balneum vocata, ubi horis aliquot subsedit, pura redditur, & potantibus salutaris. Nec alia (nisi forsan puteali) usi Quirites ultra annos CCCC. ceu docet *Frontinus*, nondum inventis aquæductibus. Utilis & hæc ipsa balneis ægrorum, calorumque hepatis temperat, ut aquis mineralibus aliunde receptis fœta. Pisces quoque, quibus abundat, grati palato, quos inter præstantior, olim *Plinio* tradente, *lupus* inter duos pontes (*Sublicium* & *Palatinum*) captus, quod eum in locum excrementa Urbis per os cloacæ maximæ quotidie effunderentur. Iidem tamen odoris non optimi, & in putredinem inclinantes. *Lupus* autem hic Tiberinus non est *lucius*, quamquam uterque vorax, sed qui *Lucilio* & aliis catillo, Græcis λάβραξ, *Volaterrano* male acipenser. Ecce de piscibus Tiberinis *M. Varronis* testimonium a *Macrobio* conservatum! *Ad victum*, inquit, *optimum fert Campanus ager frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis*. Verum ultra Tiberim quo-

que extenderunt Romani gulæ suæ irritamenta, ad acipenseres, scaros, squillas, gammaros, cordyllas, murænas Siculas, Lucrina ostrea, mullos Corsicos, rhombos Adriacos. Nota Vitelliana cœna, quæ duo millia electissimorum piscium & septem millia avium consumpsit, ubi fercula ex scarorum jecinoribus, phasianorum & pavonum cerebellis, linguis Phœnicopterorum, murænarumque lactibus, a Carpathio usque fretoque Hispaniæ petitis. Plebi nascebantur anguillæ & gobiones, unde salse in luxuriantem pauperem invehitur *Juvenalis*:

Nec mullum capias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis . . .

Sed & hujus Satyrici ævo pisces illi, inter duos pontes Romanos ad cloacam maximam nati educatique, & tantopere C. Titio, ætatis Lucilianæ guloso, aliisque expetiti, displicere cœperunt, & parasitis in cœnam apponi, quos ita affatur *Juvenalis*:

Vos anguilla manet, longæ cognata colubræ,
Aut glacie aspersus maculis Tiberinus, & ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.

Inundabat olim Tiberis vicinam sibi planitiem, excurrens ad usque loca, ubi postea visum forum Romanum, radices montis Palatini, Circus maximus, & Velabrum, donec cura Tarquinii Prici cloacis tandem averteretur. Oct. Augustus ad coercendas inundationes, referente *Suetonio*, alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit, completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coarctatum. Trajanus Imp. ut inundationum pericula amoliretur, stagnantem fossam in campos abduxit, exiguo tamen, in subita inundatione, emolumento. Adjecit & symbolam Aurelianus Imp. de quo *Vopiscus*, quo non obstante, adhuc quandoque ripis suis non contentus evolvitur magno impetu, & partem non exiguam Campi Martii minoris operit. Unde hinc inde in muris plateæ Juliæ & alibi legas versus ejusmodi leoninos:

Hac Tiber accessit, sed turbidus hinc cito cessit.

Belisarius in ipso Tiberi molam exstruxit, aquæductibus per hostes interruptis, ut *Procopius* testis est; quod genus antiquitus videtur ignoratum fuisse, cum molæ vel ab asinis, vel a servis circumagerentur. Fuerit olim verum illud *Plinii*: *Pluribus prope solus Tiberis, quam cæteri in omnibus terris amnes, accolitur, aspiciturque villis*, hodie pauca villarum in margine Tiberino vestigia, plures omnino & nobiles Brenta fluvius Venetias inter & Patavinam urbem villas ostentat. Concepturi olim vota Quirites caput unda Tiberina lustrabant, de quo *Persius*:

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in flumine mergis
Mane caput bis, terque . . .

2. Ex pontibus Tiberinis primum se offert antiquissimus ille *sublicius*, e ligno factus, (*sublica* enim palus ligneus) opus Anci Martii; in quo Horatius Cocles fortitudinem suam declaravit; atque adeo ab ejus ævo duravit ligneus, sine clavo ferreo, ita dispositis trabibus, ut eximi sine fulturis, reponique possent, teste *Plinio*. Vocatus idem *pons Æmilius*, postea a M. Æmilio Scauro refectus, remanente tamen etiam priori nomine. In eo mendicorum statio frequens ad stipem exigendam: dejiciebantur ex eodem quotannis per sacerdotes simulacra hominum triginta, eaque scirpea, quemadmodum *Varro* scribit, ex antiqua Herculis traditione. De hoc ponte *Juvenalis*:

Ferre potes Dominam salvis tot restibus ullam,
Cum pateant altæ caligantesque fenestræ?
Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?

Unde te sc. potius præcipites, quam illam feras indignitatem. *Is. Vossius* ad Salisubsulum *Catulli* putat Salios quoque Romanos in ponte sublicio sive Æmilio statis temporibus saltantes sacris suis adhibuisse bracteas seu lamellas, in quibus expressæ erant Deorum Heroumque imagines, ut apud Athenienses, in peplo Minervæ. Id ex *Varrone* constat, eam fuisse curam Pontificum, ut pontem sublicium & facerent & restituerent. Sed antequam deseramus *Æmilium pontem*, magnum antiquæ frugalitatis Romanæ (qua magistra increvit) exemplum intueri libet: P. Horatio Cocliti, ob defensum fortiter hunc pontem, decrevit populus Romanus, præter statuam æneam, tantum agri, quantum uno die circumarasset, sed ille modico contentus respondit, secundum *Senecam*: *Non est vobis Quirites opus eo cive, cui plus opum sit, quam uni civi*. Quamvis autem ibi Coclitem non nominet *Seneca*, in illum tamen intendere hoc responsum, oppido verisimile reddidit *M. Anton. Muretus*. Secundus *pons Palatinus* erat, ex adverso Palatini montis, quibusdam *Senatorius* dictus, hodie *pons D. Mariæ*, cujus vestigia adhuc in fluvio visuntur. Sequitur tertius, *pons Fabricius*, Urbem jungens cum Insula Tiberina, hodie *pons quatuor capitum* a Jano quadrifronte illic vicino nomen retinens; quartus *pons Cestii* est, jungens insulam cum regione Transtiberina, a Cestio Gallo, ut creditur, fabricatus, quem instauravere Principes, Valentinianus, Valens, & Gratianus, ut hodierna monstrat inscriptio. Quintum *pontem Janiculensem* dicebant, ut Janiculo vicinum, quem aliquot seculis corruptum restituit tandem Sixtus IV. Pontifex Romanus, eoque *pontem Sixti* Roma hodie appellat. Sexti *pontis triumphalis* sive *Vaticani* appellati rudera videmus adhuc in Tiberi e regione Nosocomii S. Spiritus; per hunc ex Occidente triumphaturi incedebant, in Capitolium properantes. *Pons Ælius* septimus fuit, ab Ælio Hadriano constructus, ducens ad molem ejus sepulcralem, hodie *pontis S. Angeli* nomine cognitissimus. Novissime se infert *pons Milvius*, a M. Æmilio Scauro erectus, hodie corrupta voce *pons mollis* nuncupari solet. Ad hunc cum Maxentio collatis signis conflixit Constantinus Magnus, victorque Romam ingressus est. Hujus pontis arcum intermedium, aut versatili ponticulo ligneo instratum fuisse oportet, aut navigia versatilibus malis instructa, quæ istac transibant ad Navalia Campi Martii; nisi malis, eadem ut minora, & secundo amne labentia malis parum indiguisse.

3. Aquæductus sive respuit sive nesciit Roma ad annum Urbis quadringentesimum quadragesimum primum, si vera tradit *Frontinus*, contenta fere Tiberinis & putealibus aquis; quibus tamen accedebat extra portam Capenam Almo fluviolus; intra eandem *rivus aquæ Mercurii*, in foro Romano quondam *lacus Juturnæ*, *fons Pici* & *Fauni*, aliique minoris momenti. Tandem invalescente civium numero, atque crescente indies luxu, ad ministrandam potissimum thermis, naumachiis, stagnis, fontium artificiis novis aquam, e longinquis derivari in Urbem fontes, excisis hinc inde

inde montibus, siccatisque paludibus immenso sumptu exstructi; transmittendis his lymphis ad plura milliaria saxei canales arcubus (per quos transitus patebat equis curribusque) impositi, id quod hodieque oculis hinc inde in agro Romano, atque ipsa adeo Urbe obvium est. Primus Appius Claudius Cæcus Censor, anno Urbis CCCCXLII. a fonte viæ Prænestinæ ad Capenam, radices Aventini & Salinas usque portæ trigeminæ vicinas, *aquam* suo de nomine appellatam deduxit, partim subterraneis rivis, partim substructionibus arcuato supra terram opere, de quo plura *Livius*, *Frontinus*, alii. Triginta novem annis postea M. Curius Dentatus & L. Papirius Cursor Censores, ex manubiis de Pyrrho Rege captis, *Anienem veterem* a XX. ab Urbe milliario, supra Tibur, Romam transtulerunt, ad Salinas itidem terminatum; cujus aqua ut minus salubris serviebat fere irrigandis hortis, & sordidis Urbis ministeriis, secundum eundem *Frontinum*. Diu post vocata in Urbem *Tepula*, C. Servil. Cæpione & L. Cajo Longino Censoribus, milliario XI. via Latina. Sequitur *Aqua Martia*, a Qu. Martio Romam adducta; illa omnium probatissima, civibus potabatur saluberrime, atque inter Deorum munera Urbi tributa numeratur a *Plinio*. Caput ejus in ultimis Pelignorum montibus, ultra LX. millia passuum ab Urbe distans; introitus in Urbem non procul a porta Majore, hinc spargebatur per Cœlium, Esquilias, Viminalem; ejus hodieque rudera quædam supersunt. Ductus ejus ruinam minantes restituit olim Marcus Agrippa; his seculis collapsos restituit hactenus nemo, utcunque Urbi haud dubie utilissimos. *Aqua Julia* ad XII. ab Urbe milliarium via Latina ex pluribus fontium collectionibus in unum coaluit, Romamque translata est a M. Agrippa, Consule Augusto; & jam *Crabræ* mista, jam *Tepulæ* in Urbem properavit, jam sola propriis canalibus acquievit. Ne autem tot aquæductibus exhauriretur ærarium, parcimoniæ hoc datum est, ut plures aquæ super eosdem sæpe arcus, sed alveis distinctos, in Urbem migrarent. Ita arcus iidem editissimo canali portabant aquam *Juliam*, humiliori *Tepulam*, *Martiam* humillimo, ceu prodit *Frontinus*, & oculi adhuc fidem faciunt in *aquæ ductu*, qui extra portam Majorem hodieque ad muros conspicitur; atque in illo, qui extra amphitheatrum Castrense, salvus adhuc magnam partem edurat geminus alveus, humilior alter, alter vero altior observatur. *Aqua Virgo* in Urbem admissa est ab eodem Agrippa, ab octavi lapidis diverticulo, monente *Plinio*, via Prænestina, juxta Herculaneum rivum, quem refugiens *Virginis* nomen obtinuit. Intrabat Campum Martium ad collem Pincium, ramum unum porrigens ad *plateam* hodie *conductuum* vocatam, alterum ad aream, ubi jam *fontana de Trevi* late emicat, a Pio IV. ex restituta Urbi *aqua Virgine* scaturiens. Hæc olim a *tactu* laudabatur, (ut nitida reddens ea, quæ abluebat) quemadmodum Martia ab *haustu*, quod discrimen utriusque *Plinius* constituit. *Alsietinam aquam* Oct. Augustus in Urbem misit, *Augustam*que vocari passus est, conceptam ex lacu Alsietino, hodie *Martigniano*; sed illam parum salubrem, nec usquam in usus populi fluentem, nisi forte cum opus *naumachiæ* aggrederetur, aut alia opportuna deficeret. Sed & alia aqua vocata fuit *Augusta*, quæ in supplementum *Martiæ* inserta est ab Augusto, ne per siccitates æstivas *Martia* tabesceret; & hic *Augustæ* ramus, sufficiente sibi tandem *Martia*, in *aquæ Claudiæ* truncum derivatus est. Hæc *Claudia* cœpta adduci Caligulæ Imp. auspiciis, a suc-

A cessore Claudio in Urbem profecta traditur, bonitate proxima *Martiæ*; caput ejus via Sublacensi ad milliarium XXXVIII. Hæc fonte adeo sublimi nascebatur, ut in omnes Urbis montes prosiliendo se se attolleret, de quo *Plinius*. Hujus canalis ille *eminentior* est, qui hodieque in aquæductu extra portam S. Johannis atque amphitheatrum Castrense cernitur, Tusculum adeuntibus: nam *humilior* servit adducendæ *aquæ Felici*, a Sixto V. in Urbem derivatæ. *Anio novus* cœpit via Sublacensi ad milliarium XLII. intravitque Urbem eodem, quo *Claudia*, ductu, sed alveo eminentiori; non illa quidem admodum laudata a-
B qua, & sæpe turbida, sed quæ huic inserebatur, *Herculanea* laudatissima, nisi quod mixtura hac gratiam amitteret, & proinde separatim ire jussa ab Imp. Nerva. De altitudine salientium aquarum ita *Frontinus*: *Altissimus*, inquit, *est Anio novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Julia, quartum Tepula, dehinc Martia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquat, sextum tenet locum Anio vetus, sequitur hanc libram Virgo, deinde Appia, omnibus humilior Alsietina, quæ Transtiberinæ regioni & maxime subjacentibus locis servit*. Cæterum quo pacto *Martia* capite *Claudiæ* libram æquabat, & tamen non assurgebat in Urbe ad
C eandem, qua *Claudia*, altitudinem? haud dubie caput patens *Martiæ* æquavit *manifestum* fontem *Claudiæ*, sed *occultum Claudiæ* caput editiori manavit scaturigine. Immo vero agnoscit *Suetonius*, variis e fontibus pullulasse *Claudiam*, e fonte Cæruleo, Curtio, Albudino, quorum minimum unus subterraneo capite *Martiæ* fonte sublimior fuerit, oportet. Hic mirum videri potest, cur *Plinius* memoret septem duntaxat aquæductus, & *Frontinus* novem: salva tamen res est; *Plinius Juliam* & *Tepulam* conjunxit ut unam, quia sæpe in unam coiere, Alsietinam neglexit, ut Transtiberinam, adeoque extra muros urbanos profluentem. Ab ævo *Frontini* aliæ quoque in Ur-
D bem immigravere aquæ, *Trajana*, *Salatina*, *Ciminia*, *Damnata* seu *Crabra*, *Antoniniana*, *Algentiana*, & plures, quæ partim novis fontibus oriundæ, partim antiquis insertæ numerum ambiguum reddunt. *Procopio*, qui tempore Belisarii Romæ vixit, numerantur aquæductus urbani quatuordecim, ea omnes amplitudine, ut hominem equo insidentem libere transmitterent. Hinc factum, ut *Halicarnassæus* & *Strabo* tria potissimum in Urbe admirentur, aquæ ductus, vias stratas, & cloacas. Quin & vox *Plinii*: *Aquæductibus ni-*
E *hil magis mirandum fuisse in toto Orbe terrarum*. Cura aquæductuum Censoribus & Ædilibus commissa. In ductu subterraneo aquæ *Claudiæ* invenitur hinc inde alabastrites, sed scaber, ex humore fornicum sensim destillante in loco quieto & frigido compactus, qualem in Galliis *a la Cava gouttiere*, in Angliæ Mendippei jugi margine, in Germaniæ spelunca Baumanniana, & passim alibi videre licet.

4. Habebant & *Cloacæ* veterum Romanorum quod admiratione dignum. Opus hoc grandibus impensis & pari felicitate inchoavit Tarquinius Priscus, ut *Livius* auctor est; quo effectum, ut
F non tantum pluvia ex omnibus Urbis montibus impetuoso proruens descensu sine incommodo civium his lacunis exciperetur, sed & infima Urbis loca circa Forum, Velabrum, Circum maximum, Palatium exsiccarentur, ablegatis in Tiberim aquis. Truncus major cloacarum, sive *cloaca maxima* a Tarquinio Superbo absoluta, in Foro Romano: rami passim exitus ad radicem Aventini. Credibile minorem truncum inter Palatinum & Cœlium delituisse, exonerantem se in Tiberim per

Circum maximum. Crescente Urbe, M. Cato & Val. Flaccus Censores novum supplementum adjecere: tandem M. Agrippa, principatu Augusti, veteres cloacas expurgavit, addidit novas. Hic *Plinius: Præterea*, inquit, *cloacas mirabantur, operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque (ut paullo ante retulimus) Urbe pensili, subterque navigata, a M. Agrippa in Ædilitate post Consulatum per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti. --- Quatitur solum terræmotibus, durant tamen, a Tarquinio Prisco annis* DCC. *prope inexpugnabiles ---- Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem fœni large onustam transmitteret*. In eandem fere sententiam scribit *Dion*, adjiciens, Censores neglectas aliquando cloacas, & non transmittentes aquas mille talentis locasse purgandas, hoc est, secundum calculum *Nardini*, sexcentis scutatorum aureorum millibus. Quid quod hodieque arcuum cloacarum testudo hinc inde sustineat vicos integros, vastasque ædificiorum, templorum, theatrorum moles sine ullo flexu aut curvamine, ita ex saxis ingentibus concameratæ injurias onerum temporumque contemnunt. Quæ cum expenderet sagacissimus *Nardinus*, non dubitavit, approbante Magistro Palatii Apostolici, *P. Oliva*, Generali Jesuitarum Ephoro, in ipsa Urbe Roma scribere: *Meretricem illam magnam Apocalypticam, sedentem supra multas aquas, haud aliam fuisse, quam Romanam Urbem, sed Ethnicam*, tot cloacarum fluviis secure incumbentem.

5. Nec prætereundæ nobis priscorum Quiritium *Viæ*, in quibus majestas quoque Imperii non parum relucebat. Has inter celebratissima *Appia*, Regina Viarum, *Statio* appellata; quæ ad portam Capenam (verius ad milliarium aureum in radicibus Capitolii statutum) exorta Capuam usque ferebat; immo, si *Straboni* & *Sext. Aurelio Victori* creditur, Brundisium usque tandem excucurrit, unde facilis in Græciam transitus, monente *Gellio*. Eadem hodie, licet hinc inde Pontinis aliisque hausta paludibus obliteretur, tridui tamen adhuc itinere comitatur Neapolim euntes, tota saxis quadratis, amplis, lævibusque instrata. Latitudo ei olim pedum xxv. hodie minor: a lateribus passim fossula, myrteta, & vestigia non rara antiquorum sepulcrorum, sed cultu suo veteri spoliata: usque adeo verum est illud *Juvenalis*:

—— *data sunt ipsis quoque fata sepulcris*.

Jam olim & columellæ saxeæ, quibus insiderent fessi, & quarum præsidio commode inscenderentur equi, nondum inventis stapedibus. Enimvero saltu se in equos subjiciebant Veteres; sed id incommodum grandævis: ideo posterior ætas seculo Christiano, quantum colligimus, quarto hoc genus reperit, quod aliis *stapia*, quibusdam *staphia*, nonnullis *stapes* appellatum. *D. Hieronymus* alibi *bistapiam*, alibi *stapedam* vocat; *Stapiam* vetus Inscriptio Romana, sed vix *D. Hieronymo* vetustior, in qua hæc inter alia legas: DVM VIRGVNCVLÆ DVRMIONIÆ PLACERE CVPEREM, CASV DESILIENS EQVO SPES HÆSIT STAPIÆ, TRACTVS INTERII. Sed ut viam iterum *Appiam* ingrediamur, distinguebant eam pulcherrimo invento columnæ milliariæ, adeo ut videretur velut continua porticus hypæthra, in qua ob Oriente reversi Victores, antequam Urbi appropinquarent, suos prælibarent triumphos; & alii intuitu monumentorum, in quibus triumphales avi sepositi, ad parem gloriam tacite eniterentur. Stravit hanc

A viam Appius Claudius Cæcus Censor; columellas, & alia ornamenta tum in hac, tum per Italiam universam adjecit C. Gracchus, (sive malis Graccus cum *Varrone*) quod *Plutarcho* notatum. In ea *Tres Tabernæ*, ad xxx. circiter ab Urbe lapidem, ad quas D. Paulo occurrerunt fratres Christiani, de quo *Acta Apostolorum*. Proxima celebritate *Via Flaminia*, quæ itidem Romæ cœpit, Arimini terminata est: quod oppidum principium olim Galliæ Cisalpinæ, ad fluvium Rubiconem; ubi Cæsar Dictator belli civilis primum suscitavit incendium adlocutione ad milites, in Foro Ariminensi, quod columna marmorea ibi adhuc visenda attestatur. *Areimanion* mavult vocari hoc oppidum *H. Stephanus*, tamquam habitatum viris bellicosis Gallis, ut amore Martis furentibus, sive, ut ipse exprimit, *enragez après la guerre*. *Flaminiam* stravit Cajus Flaminius Consul, victis Liguribus: Collega ejus M. Æmilius Scaurus, ne impar gloria videretur, aliam stravit Ariminum inter & Placentiam, (in qua Bononia, Forum Cornelii, hodie Forli, & Faventia) Æmiliam ab Auctore nominatam; utraque saxo silicei generis, quadrato, lævi, ad margines æquali cooperta, qualis olim facies platearum Romanarum (ut hodie Florentiæ) *Donato* inter profunda Urbis rudera non ita pridem spectata est. Igitur non ab re *Livius*: *Censores*, inquit, *vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem substruendas, marginandasque primi omnium locaverunt*. Sed & de quodam loco *Flaminiæ* viæ audiendus *Plinius*: *Liviæ Drusillæ*, inquit, *cum pacta esset Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam: intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem & sobolem jussere haruspices, ramumque eum seri, & rite custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem, Flaminia via, quæ ob id vocatur, ad Gallinas: mireque sylva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit, ac deinde Imparatores Cæsares cuncti*. Inter cætera laurus hæsit capiti Imperatorum, quod crederetur a fulmine tuta, judice *Plinio*. Sed quid ad hæc *Jo. Brodæus*? cujus illa sunt: *Paucos abhinc annos Romæ de cœlo tacta est laurus*. *Via Aurelia*, quæ & posterioribus Romanorum seculis *triumphalis*, a porta Aurelia sive triumphali nomen mutuata, in Hetruriam excurrebat, immo in Provinciam Galliæ, ut *Peireskius* attestatur. *Valeria* ducebat ad Sabinos & Marsos. *Latina* statim ad Urbem ab *Appia* deflectebat, & transiens montem Tusculanum atque Albanum, pergebat ad oppidum Algidum. *Lavicana* a porta Esquilina & Prænestina ferebat ad Pictas, ubi exibat in *Latinam*, de quo diserte *Strabo*. Nec illaudata *Via Ostiensis*, *Salaria*, *Tiburtina*, *Gabina*, *Nomentana*, *Prænestina*, *Laurentina*, aliæ, in quibus non illa quidem *Appiæ* magnificentia, stratum tamen solidum, marginatumque, & columnæ passim milliariæ. Accedebant sepulcra honoratiorum easdem hinc inde splendide coronantia. De *Appia* fidem facit *Tullius*: *An tu*, inquit, *egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos?* Ad viam *Appiam* quinto lapide sepultum Pomponium Atticum memorat *Corn. Nepos*. In eadem nono lapide sepultum Gallienum Imp. tradit *Sext. Aur. Victor*. De Thessalo Medico ibidem tumulato refert *Plinius*. De salutatore corvo, quem manceps sutrinæ exanimaverat, idem *Plinius*: *Funus*, inquit, *innumeris aliti celebratum exsequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum*

humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum usque, qui constructus dextra viæ Appiæ, ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato fuit. *Via Aurelia* jacet sepultus Galba, ex *Suetonio*; *Flaminia* Glaucias, Melioris Attedii libertus, & Paris pantomimus, ex *Martiali*; uterque sepulcro marmoreo. *Latina* Domitianus Imp. ex *Suetonio*. An ab ejus ut impii Principis Manibus divexati noctu viatores, alii viderint; certe infamem spectris fuisse Viam hanc ex *Juvenale* videtur colligi, cujus illa:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Ad *Lavicanam* monumentum erat Didii Juliani, teste *Spartiano*: ad *Laurentinam* tumulari jussit Aug. Cæsar ancillam suam, uno partu quinque liberos enixam, quod *Gellius* memorat: ad *Salariam* exstabat monumentum marmoreum illustre tonsori & liberto Augusti Cæsaris Licino erectum, si verus commentator Persii *Cornutus*. Ad quod non sine stomacho allusisse putatur *Varro* noto epigrammate:

Marmoreo Licinus tumulo jacet; at Cato parvo:
Pompejus nullo: credimus esse Deos?


Scripserit autem hoc *Varro* extrema propemodum senecta, quam ad XC. annos provexit indicante in Chronicis *Eusebio*. Ad *Ostiensem* sepultum D. Paulum Apostolum refert *Prudentius*, ubi hodieque templum cognomento D. Pauli, quod ab inundatione Tiberina sæpe divexatur. De *viis urbanis*, lata, Mamertina, nova, fornicata, Subura, cæterisque de genere hoc, dicere hic supersedeo. Claudat agmen illud *Propertii*:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.

De variis ad vias Romæ suburbanas sepulcris Christianorum prolixe commentatus est *Paulus Aringhus* in Roma sua subterranea, qui expendi meretur. Tantum.



APPENDIX.



E fruſtra vacet pagella, ſpectatiora Romæ hodiernæ verbo attingemus; mores, regimen Urbis, & cleri aliis reſignantes. Excelluit olim Roma bellicis artibus, hodie præcipue architectura, ſculptura, pictura: architecturæ præſtantiam declarant templa & palatia ibidem magnifica, ſculpturam & picturam ut varia, ita potiſſimum horti & lararia optimatum. Inter templa religione eminent urbana quatuor, Vaticanum, Lateranenſe, D. Mariæ-Majoris, & ſanctæ Crucis Jeroſolymitanæ; & ſuburbana tria, D. Pauli, D. Sebaſtiani, D. Laurentii. In palatiis, præter tria Pontificis, Vaticanum, Quirinale, Lateranenſe, numerantur plura ſpecioſa, Farneſiorum, Mediceum, Borgheſii, Pamphilii, Matthæorum, Barberinorum, Innocentii, Mazarini, Montalti, Spadæ, Cajetani, Pallavicini, Lancelotti, Maximi, B Chiſii, Aldobrandini, Salviati, &c. In hortis excellunt, Belvedere Pontificius, hortus Mediceæ familiæ, Cyriaci Matthæi, Al. Farneſii, Borgheſii, Juſtiniani, Pamphilii, Montalti. In ſtatuaria ſuperſunt exempla quædam ex antiquitate hactenus inimitabilia, Laocoon in Belvedere, Hercules, & taurus Farneſii, lupa antiqua in Capitolio, equi duo Quirinales, &c. ſed maria ſunt in ſtatuis & picturis, ſi quis iſtuc velit excurrere. Ex Antiquitate reſtant, præter infinita non ignobilia rudera, Pantheon, columna Trajani & Antonini, obeliſci plures, ſepulcrum Ceſtii, amphitheatrum Titi, theatrum Marcelli, moles Hadriani, arcus triumphalis Titi, Al. Severi, Conſtantini. Non addo nunc tot fontium artificia, tot priſca numiſmata, tot excellentia MSſta. tot Collegia, bibliothecas, hecatonſtylon Alex. Septimi, alia, ut in illo deſinam Horatiano:

Cunctane præ campo & Tiberino flumine fordent?

FINIS.

SEXTI JULII FRONTINI

VIRI CONSULARIS

DE

AQUÆDUCTIBUS

URBIS ROMÆ

COMMENTARIUS.

PRÆFATIO.



Um omnis res ab Imperatore delegata interiorem exigat curam, & me seu naturalis sollicitudo, seu fides sedula, non ad diligentiam modo, verum ad amorem quoque commissæ rei instigent, [1] *sitque mihi nunc ab Nerva Augusto, nescio diligentiore an amantiore Reip. Imperatore, aquarum injunctum officium, tum ad usum, tum ad salubritatem, atque etiam ad securitatem Urbis pertinens,* [2] *administratum per principes semper Civitatis nostræ viros; primum ac potissimum existimo, sicut in cæteris negotiis institueram, nosse quod suscepi. Neque enim ullum omnis actus certius fundamentum crediderim, quam quæ facienda quæque vitanda sint* [3] *posse decernere. Nam quid viro tam indecorum, & intolerabile, quam delegatum officium ex adjutorum agere præceptis? (quod fieri necesse est quorum imperitia præcessit ejus, cui decernitur usus) quorum etsi necessariæ partes sunt, tamen ad ministerium, ut manus quædam & instrumentum agentis, esse debent. Quapropter ea, quæ ad universam rem pertinentia contrahere potui, more jam per multa mihi officia servato, in ordinem & velut in corpus deducta in hunc Commentarium contuli, quem pro formula administrationis respicere possem. In aliis autem libris, quos post experimenta & usum composui, antecedentium res acta est; in hoc vero & insequentium, cujus fortasse pertinebit & ad successorem utilitas. Sed, cum inter initia administrationis meæ scriptus sit, in primis ad meam institutionem regulamque proficiet. Ac ne quid ad totius rei pertinens notitiam prætermisisse vi-*

1 *Sitque mihi nunc ab Nerva Augusto*) Quærunt eruditissimi viri, quorum opera ac judicio partim Frontino lux allata, num *Aquæductuum* Urbis Romæ Commentarius præter cætera Fragmenta ejusdem Frontini sit, qui Strategematum libros congessit. Quorum opinionem Cl. Rubenius accurate in Electis suis de utroque opusculo meritus, non sine causa, ut ait, videtur amplexus. Purior enim & emendatior in illis sermo est, & dictionis venustas. At si sub Nerva floruit, ut aperte præter ipsum confirmat & Ælianus Procemio libelli *de instruendis aciebus*: ἐπεὶ δὴ τῷ Θεῷ πατρί σου Νέρβᾳ συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα δόξαν ἐπενηνεγμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν, συμβαλὼν τ' ἀνδρὶ ὦρον οὐκ ἐλάττονα σπουδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἠρξάμην οὐκ ἔτι περιφρονεῖν τῆς τῶν τακτικῶν συγγραφῆς, οὐκ ἂν σπουδάζεσθαι παρὰ Φροντίνῳ δοκῶν αὐτήν, εἴπερ τι χεῖρον ἐδόκει τῆς Ῥωμαϊκῆς διατάξεως περιέχειν αὐτήν, &c. quid obstet, quo minus idem Scriptor Strategicus & aquarum Præfectus fuerit, qui libellum hunc *de Aquæductibus* Urbem Romam influentibus edidit, obscure video. Sed altius ad acumen indaganda sunt Æliani verba. Ait; apud Frontinum V. C. & peritiæ bellicæ laude clarissimum, qui sub Nerva Adriani patre floruit, se per aliquot dies in Formiis egisse, & collatis cum eo sermonibus comperisse, non minus illum studio teneri disciplinæ tacticæ Græcis usitatæ, quam Romanorum instructione, qua deterius quid minusve videretur contineri. Certo certius est, illum quidem alloquio ad Adrianum non alius Frontini meminisse, quam Consulis istius Strategematum Auctoris, quorum libri superstites etiamnum exstant, & quos idem optimo Principi Trajano dicavit. Secus ac Stewechio visum, qui alios de militari disciplina libros eidem dedicatos opinatur sub fine lib II. cap. III. Comment. in Vegetium. Nam Nervæ ac Trajani temporibus præcipue in pretio fuit, quod & alibi Volaterranus Commentar. Urban lib. XVI. non obscure subindicat, & qui totam hanc nostram litem uno loco dissecat: *Julius Frontinus ad Trajanum libros quatuor Strategematum scripsit, & de Aquis Urbis*. Nec alius Frontini mentionem fieri apud Antiquos puto, quam unius ejusdemque nostri, qui Strategematum nimirum, Aquarumque libellos congessit; & cujus etiamnum Fragmenta restant de Qualitatibus Agrorum, Limitibus, maximam partem mutila ac inquinatissima, variisque consuta segmentis. Scripsit idem de Coloniis opusculum, sed quod hodie diversum exhibetur, ac ejusdem farinæ fragmentis interpolatum, ab amplissimo viro P. Scriverio cum reliquis primum membranis editum. Falluntur etiam illi, qui ulterius disquirendum contendunt, an urbanus ille Prætor, cujus Tacitus lib. IV. Historiarum meminit, ad Vespasiani II & Titi Consulatum, qui in annum Urbis incidit IↃCCCXXIII. idem cum nostro Frontino sit: quam & opinionem non exiguum scrupulum plerisque quidem non mediocriter doctis injecisse memini. Nunc audiamus Carolum Sigonium Syllabo Historicorum Romanorum: *Sext. Julius Frontinus Strategematum libros conscripsit, in quibus ex omnibus Historicis exempla in certos locos destinata* (valet *distincta*) *enumerat copiose, & magna cum utilitate: licet pleraque Librariorum errore inepte sunt repetita. Nervæ & Trajani temporibus vixit*. Quæ verbo tenus, ut multa alia, ἔπος πρὸς ἔπος in suum apparatum ad omnium gentium historiam transtulit Antonius Possevinus, Sect. III. cap. IV. Cæterum, quod heic asserimus, id tam dilucidum ab aliis contestatum fuit, ut mirum sit, in aliam sententiam vergere viros eruditissimos. Vide quæ Johannes Maria Catanæus observat ad Plinii Secundi Epistolas, item Stephanus Vinandus Pighius Annalium Romanorum libro XI X. Nam quæ nobis adducta sunt, eorum sublesta fides esset, ni major veri ratio ex antiquitate historiarum colluceret.

2. *Administratum per principes semper civitatis nostræ viros*) Qui vocabantur *Aquarum Curatores*. In veteri lapide sculptum: CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVTIÆ. CVR. ALVEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. Primo tamen appellati sunt *Curatores operum publicorum*: deinde in plures διαλονίας ἐπιμελείας divisi, specialiter *Aquarum Curatores*. Hi sicut cæteri omnes, qui curam aliquam publice curabant, non magistratus erant, sed quasi magistratus, uti vocantur a nostro Frontino, qui & ipsum Agrippam primo per servos suos privatos hæc fecisse, eamque familiam Augusto morientem legasse tradit. Vide ipsum Frontinum infra, & fragmenta lib. II.

3 *Posse decernere*) Valet *discernere*; quod ad oram veteris notatum.

dear, [1] *nomina primum Aquarum, quæ in Urbem Romam influunt, ponam: tum per quos quæque earum, & quibus Consulibus, & quoto post Urbem conditam anno perductæ sint: deinde quibus ex locis, & a quoto miliario duci cœpissent, quantum subterraneo rivo, quantum substructione, quantum opere arcuato:* [2] *postea altitudinem cujusque, modulorumque rationem, & ab illis erogationes, quantum extra Urbem, quantum intra, quisque modus cuique regioni, pro suo modulo, unaquæque Aquarum serviat: quot castella publica privataque sint, & ex his, quantum publicis operibus,* [3] *quantum muneribus, (ita enim cultiores appellant) quantum lacubus, quantum nomine Cæsaris, quantum privatorum usui beneficio Principis detur: quod jus tuendarum sit earum, qua contumaces afficiantur pœna ex lege Senatusconsulti & mandatis Principum irrogata.*

1 *Nomina primum Aquarum, quæ in Urbem Romam influunt, ponam*) Scriptus *promam*; quod elegans quidem verbum est, & huic loco communicantissimum. Placet tamen editum. Infra: *Persecutus ea, quæ de modulis dici fuit necessarium, nunc ponam, quemadmodum quæque aquarum Principum commentariis comprehensarum usque ad nostram curam habere visa sit*. Alii: *pandam*, hoc modo: *quæ in Urbem Romanam influunt, pandam*. Nullo negotio.

2 *Postea altitudinem cujusque, modulorumque rationem*) Parum sibi constant in altitudine subterraneorum meatuum & fornicum veteres Scriptores. Procopius altitudinem definit tantam, ut eques per eos fornices opportune posset transire. Frontinus infra *sublevatos ad centum & novem pedes fuisse* ait. Strabo Amasenus lib. v. *οἱ ὑπόνομοι σὺν νόμῳ λιθῳ καρακαμφθέντες ὁδὸς ἁμάξαις χόρτε πορευτάς*. Immo cameratos arcus *urbis montes altitudine exæquasse* loquitur Plinius lib. xxxvi. cap. xv. Rutilius:

Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicam crevisse ad sidera montes,
Tale gygantæum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus.

Sic hi versus legendi sunt, qui mendose libris antiquis exhibentur, præsertim ultimo hexametro:

Intercepta suis fundantur flumina muris.

Alludit elegantissimus Poeta ad illud, quod de Græciæ Pyramidibus infra Frontinus exclamat: *Tot aquarum, tam multis necessariis molibus, Pyramides videlicet otiosas comparem, aut cætera inertia, sed fama celebrata opera.*

3 *Quantum muneribus, (ita enim cultiores appellant)* Florentina, quam typis editam vidimus ab Junta, perperam exhibuit: *ita enim cultiores appellantur*. At melius Onuphrius & Scriverius, ut edidimus. Verum obiter notamus significationem *muneris* rariorem, quod non vocabulum de vulgo est, sed eminentioris dignitatis. Vocabant illud administrationem Reipublicæ, & curam Imperii, quod plebis universæ totiusque populi comitiis delatum ac mandatum erat.



SEXTI

SEXTI JULII FRONTINI

DE

AQUÆDUCTIBUS

URBIS ROMÆ.

LIBER PRIMUS.



1 AB Urbe condita per annos CCCCXLI. contenti fuerunt Romani usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. [2] Fontium memoria cum sanctitate adhuc extat, & colitur: [1] salubritatem enim ægris corporibus afferre creduntur, sicut C. Amaranus Apollinaris meminit. Nunc autem in Urbem influunt Aquæ Appia, Anio vetus, Martia, Tepula, Julia, Virgo, Alsietina, quæ eadem vocatur Augusta, [2] Claudia, Anio novus. [3] Appia, M. Valerio Maximo,

1 *Ab Urbe condita per annos* CCCCXLI. *contenti fuerunt Romani usu aquarum*) Dubitare nobis hoc quidem in loco occurrit, utrum eo anno CCCCXLI. primum Aquæductuum usus Romæ introductus fuerit, & ab Appio Claudio censore, qui sternere vias instituit, hoc quoque bonum inventum? Hujusmodi opinionis est de mirandis Romanorum optime & accuratissime meritus ὁ μακαρίτης Justus Lipsius in libro III. cap. XI. de magnitudine Romana, cui non possum ego, quin debeam dissentire. Quippe ab Anco Martio primam aquarum in urbem derivationem introductam, Plinius Secundus lib. XXXI. cap. III. videtur innuere: & ex aliis probabilibus authoribus evidentissimum est, præsertim Dionysio Halicarnasseo, accuratissimo Scriptore rerum Romanarum. Ait Paulus Jurisconsultus Titulo D. *Ne quid in loco publico fiat*: quadam lege: *Si per publicum locum rivus aquæductus privato nocebit, erit privato actio ex lege* XII. *Tabularum, ubi noxæ domino caveatur*. Quod si verum est, datæ a Decemviris leges ante annum quadringentesimum & primum supra quadragesimum; nisi forte dicamus, decemvirales tabulas de *aquagio*, non de *aquæductu* intelligi debere, quod in optimis Glossis exponitur ὑδραγώγιον. Festus: *Aquagium, quasi aquæ agium, id est aquæductus appellatur*. Obiter emendamus Savolenum in lege nona D. *Quemadmodum servitus amittatur. Aqua si in partem agri influxit*. Perperam; legendum: *Si in partem aquagii*. Ut existumem, aquæductum esse arte quadam & manu hominum absolutum opus; aquagium, naturalem veluti alveum, aut canalem fontis. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Cæterum vir doctissimus aliena interpretatione nostri Scriptoris hallucinatus videtur, ut alias ex professo demonstrabimus.

2 *Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat, & colitur*) Seneca ep. XLI. *Magnorum fluminum capita veneramur; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum colentium fontes, & stagna quædam vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit*. Plinius videndus de Clitumno, libro VIII. & de lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis, (sacer enim est) sed innatant insulæ*. Nec antiqui Romani solum, sed omnis gentilium vetustas fontibus & fluviis divinitatem aliquam assignavit. Unde ἱεροὶ ποταμοὶ, διὰ τὸ ἀέναον, inquit Eustathius ad librum secundum Odyss. Et Persæ tam ὑδρολάτραι quam πυρσολάτραι appellabantur. Nam & per ignem & aquam jurabant. De Græcis res nota est veteri proverbio: ἄνω ἱερῶν ποταμῶν χωροῦσι παγαί. Habes apud Laertium Diogenem, & Euripidem Medea. Callimachus in Apollinem;

Ἀλλ᾽ ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς. ——

Inde apud Poetas fontes dicuntur θεῶν γένος, de quibus apud Theocritum. Colebatur ista fontium memoria summa cum ceremonia, cujus sacra Romanor. Fontinalia. Festus: *Fontinalia, fontium sacra, unde & Romæ fontinalis porta*. Immo *Fontinalis* est Dea fontium apud Tertullianum. Festus a Scaligero restitutus: *Manalis fons appellatur ab tuguribus puteus perennis; neque tamen specu incilisve cietur, quia flumen id auspicatur, quod sua sponte in amnem influit*. Ad auspicandum, inquit, flumina non prosunt, quæ ope humana puta specu, inciliis ducta sunt: sed quæ sponte sua in amnem influunt. Loquitur de perenni auspicio: quo dicebatur, quoties quis amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. Ex sacro, hoc est capite fontis. Nam capita omnium fontium sacra. Contra quæ ex castellis aut dividiculis derivatur, non est sacra.

1 *Salubritatem enim ægris corporibus adferre creduntur*) De fontibus Oraxi in Campania vide Plinium cap. II. libro XVIII. De Siciliæ fontibus Solinus ait, quod *calidi & salubres aliquot effervescant*, qui pluribus corporis vitiis medeantur. Strabo: θερμῶν γοῦν ὑδάτων ἐκβολὰς κατὰ πολλοὺς ἔχει τόπους ἡ νῆσος. Et vetus epigramma Philippi Thessalonicensis Siciliæ ὕδατα Παιώνια & medicata mire deprædicat. Euripides apud Laertium eandem salubritatem aquæ marinæ tribuit, quam fontibus Frontinus. Exstat ejus versiculus omnibus decantatus:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά.

Varro de Nympha Juturna a juvando dicta: *Multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent*. Idem Strabo de Cutiliensi lacu: καὶ τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ᾽ ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθίζοντες θεραπεύουσι νόσους.

2 *Claudia, Anio novus*) Passim apud veteres Claudia aqua & Anio novus conjunguntur. In antiqua Inscriptione: TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM. TRIBVNITIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIÆ. AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CÆRVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXV. ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT. *Anien* vocatur a Catone, qui ab aliis *Anio* & quidem duplex, Vetus & Novus: item sequiori genere, ut in Inscriptione.

3 *Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Murena Coss.*) Quidam editorum exhibent: *P. Decio Mure*. Quod in aliis etiam scriptoribus nullo discrimine meminimus observatum. Cæterum auctor de Viris Illustribus aperte tradit, Appium Claudium Censorem aquam Anienem in urbem induxisse: quod omnino esse non potest. Vetus enim Anio in urbem deductus fuit primum anno v. c. quadragesimo nono post

(*a*) P. Decio Murena Coff. anno (*b*) XX. poft initium Samnitici belli, inducta eft ab Appio Claudio Craffo Cenfore, cui poftea Cæco fuit cognomen, [1] qui & viam Appiam a porta Capena ufque ad urbem Capuam muniendam curavit. [2] Collegam habuit (*c*) C. Fabium, cui ob inquifitas ejus aquæ venas Venocis cognomen datum eft. Sed is quia intra annum & fex menfes deceptus a Collega tanquam idem facturo [3] abdicavit fe a Cenfura, nomen aquæ ad Appii tantum honorem pertinuit, [4] qui multis tergiverfationibus extraxiffe Cenfuram traditur, donec & viam & hujus aquæ ductum confummaret. Concipitur Appia in agro Lucullano, via Prænestina, inter miliarium VI. & VIII. diverticulo finiftrorfus paffuum DCCLXXX. Ductus ejus habet longitudinem a capite ufque ad Salinas, qui locus ad portam Trigeminam, paffuum XI. milium CXC. fubterraneo rivo paffuum XI. milium CXXX. fubftructione, [5] & fupra terram opere arcuato proxime ad portam Capenam, paffuum LX. (*d*) Jungitur ei ad Anionem veterem in confinio hortorum Torquatianorum. [6] Alfietinæ Auguftæ ramum ab miliario ∴∵ in fupplementum ejus addito cognomento Decem Gemellorum. Hic via Prænestina ad miliarium VI. diverticulo finiftrorfus paffuum DCCCCLXXX. proxime viam Collatinam accipit fontem, cujus ductus ufque ad Gemellos efficit rivo fubterraneo paffuum VI. milium CCCLXXX. incipit diftribui vetus Anio (*a*) vico Publicii, ad portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellantur, poft annos XL. quam Appia perducta eft, anno ab Urbe condita CCCCLXXXIX. Marcus Curius Dentatus, qui Cenfuram [1] cum L. Papyrio Curfore geffit, Anionis, qui nunc dicitur vetus, aquam perducendam in Urbem [2] ex manubiis de Pyrrho captis curavit, [3] Spurio Carbilio, L. Papyrio (*b*) iterum Coff. Poft biennium deinde actum eft in Senatu de confummando ejus aquæ opere. Itaque poft annum IX. Minutius Prætor (*c*) [4] edidit edictum. Tum ex Senatufconfulto Duumviri aquæ perducendæ creati Curius & Fulvius Flaccus locaverant. Curius infra quintum diem quam erat Duumvir creatus deceffit: gloria perductæ pertinuit ad Fulvium. Concipitur Anio vetus [5] fupra Tibur XX. miliario extra portam Raranam, ubi partim in Tiburtinum diftribuitur ufum. Ductus ejus habet longitudinem, [6] ita exigente libramento, paffuum XLII.

(*a*) Alias *P. Decio Mure*. (*b*) XXX. (*c*) Alii *C. Plautium*. (*d*) Alias *Jungitur e. a. A v. i. c. b. Torquatianorum Alfietinæ Auguftæ ramus ab miliario* ∴∵

(*a*) Alias *vico publico Publicii alveo ad portam*. (*b c*) *Ita legendum*.

quam Appia perducta eft a Curio & Fulvio Flacco Duumviris. Cenfor autem fuit Appius Claudius an. V. C. DXLI. Quare certum eft, in Scriptore incerto *Appiam* vel *Claudiam* effe legendum: quod tamen ægre repofuerim.

1 *Qui & viam Appiam a porta Capena ufque ad urbem Capuam muniendam curavit.*) A porta Capena ad urbem Capuam: id eft, ad ultimos Romanorum fines. Poftmodum tamen Brundufium ufque munita, fed quo curatore incertum. Horatius.

Brundifium melius Numici via ducat an Appi?

Perduxit deinde five C. Gracchus Tribunus, qui plerafque vias fecit, refecit: five C Cæfar, qui Curator viæ Appiæ non leviter in eam impendit: five Auguftus, de quo vetus Infcriptum: S. P. Q. R. QVOD. VIÆ. MVNITÆ. SVNT. Quæ a Scriptore Virorum Illuftrium narrantur in Appii vita, vereor ut falfa fint aut liberius excepta. Paulinus ad Cytherium:

Poſthæc & ad nos pergere incœptat viam,
Qua fternit aggerem filex,
Munitor Appius cui nomen dedit.

Ita indubie legendum. Vulgo inepte *cui* tranfpofitum eft, & verfus claudicat:

Cui munitor Appius nomen dedit.

2 *Collegam habuit C. Fabium*) Præftat lectio, quam ad oram librorum video notatam: *C. Plautium*. Eodem modo C. Plautius in Faftis Capitolinis appellatur Appii collega, quem Venocem cognominatum tradit Frontinus, ob inquifitas aquæ venas. Vide Livium.

3 *Abdicavit fe a Cenfura*) Ob infamem atque invidiofam Senatus lectionem verecundia victus Appii collega C. Plautius, cenfura abdicavit.

4 *Qui multis tergiverfationibus extraxiffe cenfuram traditur.*) Id eft, prorogando extraxiffe. Infra de Marco Titio: *Sed quoniam ad confummandum negotium non fufficiebat, ftatuit Senatus præturam in alterum annum prorogari.*

5 *Et fupra terram opere arcuato.*) Quod arcus nimirum & fornices habet, non folidam conftructionem. Hoc obfervatu digniffimum eft, quia nihil magis obvium in Commentario aquæductuum.

6 *Alfietinæ Auguftæ ramum*) Ramum vocat, quem Græci κλάδον in fluviis, τὴν κατημαξευμένην ὁδόν. Alia diverticula funt ἐκτροπαὶ vel κέρατα, unde bicornes fluvii dicuntur apud Poetas: qui & crines dixerunt duas σειράς five treffas pro fluminum brachiis. Varro apud Nonium: *Via una, fed ectropæ multæ*. Gloffæ: *diverticulum*, ἐκτροπή, καμπὴ ὁδοῦ. Inde in fluviis ἐκτροπαὶ brachia funt, quæ ab auctore fluvio ἀποχίζονται.

1 *Cum L. Papyrio Curfore geffit*) Mendofe libri: *cum L. Papyrio Cof.* Cenfuram geffit M. Curius Dentatus ad annum V.C.CDLXIIII. ut conjectat Sigonius.

2 *Ex manubiis de Pyrrho captis*) Non tam ad interpretationem Auctorum, qui per fe plani funt & perfpicui, quam emendationem cæterorum, qui eandem hiftoriam concinnarunt, operam noftram conferre vifum eft. Infigne mendum, quod & eruditiffimo Andr. Schotto notatum eft, jam crebrius adductum anonymum fcriptorem obfedit, apud quem in M. Curio Dentato hæc expreffe corrupta leguntur: *Aquam deinde Anienem manibus hoftium in urbem induxit*. Quod hoftium opera M. Curius Dentatus aquam Anienem in urbem induxerit, vel introduxerit, nemo puto confirmare non dubitaverit, qui majeftate Romana condignum factum putet. Quare indubie reponendum: *Aquam deinde Anienem manubiis hoftium in urbem induxit*. Par mendum olim obfervavimus ad Nepotis Cimonem: ubi perperam *navibus* pro *manubiis* repofuerunt iniqui correctores. Veteres *manubiis* legunt, ut tribus exaratis afferimus, & Plutarcho convincimus. Sed & paria funt in antiqua infcriptione Eboracenfi: Q. SESTOR..... .... HONOREM. NOMINIS. SVI. ET. COHORT. FORT.... EBORENSVM. MVNIC. VET. EMER. VIRTVTIS. ERGO. DON. DON. BELLO. CELTIBERICO. DEQ. MANVBIIS. IN. PVBLIC. MVNIC. EIVS. VTILITATEM. VRB.... MOENIVIT. EOQVE. AQVAM. DIVERSEIS. IN. DVCT..... VNVM. COLLECTEIS. FONTIB. PERDVCENDAM. CVRAV..... Cæterum, non ipfe Curius, fed Fulvius Flaccus, alter Duumvirum aquæ perducendæ induxit: Curio mortuo intra quintum diem quam effet Duumvir creatus anno V.C.CDXXCIX.

3 *Spurio Carbilio, L. Papyrio Coff.*) *Carbilius* vel *Carvilius*, verum & idem Confulis nomen. Sed hoc alias legitur in antiquioribus, quibus fæpiufcule hæ duæ literæ mutantur: quod offendere non debet curiofum lectorem. Deinde τὸ *iterum* fcio male quondam projectum, quod poftliminio demum reftituimus. Hos autem Confules iterum fuiffe anno CDXXCI. ex Livii XXIV. & Capitolinis Tabulis difcere licet.

4 *Edidit edictum*) Non *addidit*. Illud fpecies eft palilogiæ, de qua nos alias.

5 *Supra Tibur* XX. *miliario*) Non puto, *Tiburnum*, quod ὡραῖον quidam ad marginem fcripti codicis expreſſerat. Quanquam & *Tiburnus* & *Tiburtus* primus Tyburis conditor appelletur. A Tiburto Tiburtinus: *ubi partim in Tiburtinum diftribuitur ufum*.

6. *Ita exigente libramento*) Aqua librari dicitur, cujus altitudo peræquatur e loco unde oritur, ad locum quo ducenda eft. Inde libræ aquariæ peculiariter erant factæ librandis aquis, ut αὐτόχρημα five chorobates. Inde libra interdum altitudinem & faftigium fignificat propter perlibrationem aquarum. Infra: *Aquæ omnes diverfa in urbem libra perveniunt*: id eft altitudine. Græci pofteriores ζυγοστάτας vocabant, qui aquarum inventos ductus & modos docili libratione oftenderent; vel qui peritiam haberent aquam librandi ad libellam. Plinius libro vigefimo ad Tra-

milium : ex eo rivus est subterraneus passuum XLIII. milium CCXCVII. substructio supra terram passuum DCCII. Anno XXI. post annos CXXVII. id est, anno ab Urbe condita DCVIII. Servio Sulpitio Galba & L. Aurelio Cotta Coss. cum Appiæ Anionisque ductus vetustate quassati, privatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a Senatu negocium Marco Titio, qui tum Prætor inter cives & peregrinos jus dicebat, eorum ductuum reficiendorum & vindicandorum. Et quoniam incrementum Urbis exigere videbatur ampliorem modum aquæ, eidem mandatum a Senatu est, ut curaret quatenus alias aquas posset, in Urbem perduceret, & ampliores ductus faceret. Reipublicæ causa III. miliario opera fabrorum duxit, cui ab auctore Martiæ nomen est. Legimus apud Fenestellam, in hæc opera Marco decretum sestertium (*a*) IV. & octingenta : sed quoniam ad consummandum negocium non sufficiebat, statuit Senatus Præturam in alterum annum prorogari. Eodem tempore Decemviri, [1] dum aliis ex causis libros Sibyllinos inspiciunt, invenisse dicuntur, non esse aquam Martiam, sed Anienem (de hoc enim constantius traditur) in Capitolium perducendam, deque ea re in Senatu a Lepido, pro Collega verba faciente, actum Appio Claudio, Q. Cæcilio Coss. eandemque post annum III. a L. Lentulo retractatam, C. Lælio, Q. Servilio Coss. sed utroque tempore vicisse gratiam (*b*) Marci Titii; atque ita esse in Capitolium aquam perductam. Concipitur Martia via Valeria, ad miliarium XXXIII. diverticulo euntibus ab Urbe Roma dextrorsus milium passuum III. (*c*) villa Sublacensi, atque sub Nerone Principe primum strata ad miliarium XXXVIII. sinistrorsus intra spacium passuum CC. [2] finita substructionibus pene statim stagnino colore præviridi. Ductus ejus habet longitudinem a capite ad Urbem passuum LX. milium DCCX. & semis, rivo subterraneo passuum LIV. milium CCLXVII. semis, opere supra terram passuum VII. milium : CCCCXLIII. eo longius ab Urbe pluribus locis, privatis & publicis, & D. vallis opere arcuato passuum CCCCLXIII. propius Urbem a VII. miliario, substructione passuum CLXXXVIII. reliquo opere arcuato passuum VI. milium CCCCLXX. Cn. Servilius Cæpio & L. Cassius Longinus, qui Ravilla appellatus est, Censores, anno post Urbem conditam DCXXVII. M. Plautio (*a*) Hipsapone, Fulvio Flacco Coss. aquam, quæ vocatur Tepula, ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Romam & in Capitolium adducendam curaverunt. Tepula concipitur via Latina ad XI. miliarium, diverticulo euntibus ab Roma dextrorsus milium passuum II. inde rivo suo in Urbem perducebatur Juliæ post mixta. [1] Nam Agrippa Ædilis post primum Consulatum, Imperatore Cæsare Augusto, (*b*) M. Lælio Volcatio Coss. anno post Urbem conditam DCCXIX. ad miliarium ab Urbe XII. via Latina, euntibus ab Roma dextrorsus milium XII. alteriusque proprias vires collegit, & Tepulæ rivum intercepit, acquisitæque ab inventore nomen Juliæ est datum : ita tamen [2] divisa erogatione, ut maneret Tepulæ appellatio. Ductus Juliæ efficit longitudinem passuum XV. milium CCCXXVI. opere supra terram passuum VII. milium : ex eo in proximis Urbis locis a VII. miliario substructione passuum (*c*) MDXXVIII. reliquo opere arcuato passuum VI. milium CCCCLXXII. [3] Præter caput Juliæ transfluit aqua quæ vocatur Crabra. [4] Hanc Agrippa emisit, seu quia usum improbaverat, seu quia Tusculanis possessoribus relinquendam credebat. Ea namque est, quam omnes villæ tractus ejus per vicem indies [5] modulosque certos

(*a*) Alias IIII. *& octingenties* : item *mille & octingenties*. (*b*) Alias *Q. Martii Regis*. (*c*) *Via*.

(*a*) Alii *Hipsao*. (*b*) Alii *L. Volcatio*. (*c*) DXXVIII.

janum : *Superest ut libratorem vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret, sit ne lacus altior mari*. Videndus omnino doctissimus Philander ad Vitruvii librum octavum.

1 *Dum ex aliis causis libros Sibyllinos inspiciunt*) Obiter annotabimus istas causas, ex quibus Decemviri libros Sibyllinos inspicere consuerant, quarum vel principalis erat vis morborum sive pestilentiæ, sicut Livius diversis in locis prodidit. Lib.V. *Gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit, cujus insanabili pernicie, quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex SC. aditi sunt*. Idem libro septimo auctor est, pestilentiam civitatem adortam, coegisse Senatum imperare Decemviris, *ut libros Sibyllinos inspicerent*. Post Tarentinorum defectionem, religione nova carminibus Martii vatis objecta, iis explanatis SC. factum scribit lib.XXV. *ut Decemviri libros de ludis Apollini, reque divina facienda inspicerent*. Alterum Senatusconsultum factum est, *ut Decemviri sacra Græco ritu facerent, iisque hostiis Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata*. Macrobius libro I. Saturnal. cap.XVII. de ejusdem Martii vatis carmine loquens; *Ex hoc*, ait, *carmine, cum procurandi gratia dies unus rebus divinis impensus esset., postea SC. factum, ut Decemviri, quo magis instruerentur de ludis Apollini agendis, reque divina recte facienda, libros Sibyllinos adirent*. Dionysius Halicarnass. lib. IV. οὐδὲν οὕτω Ῥωμαῖοι φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα, οὔτε ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλεια θέσφατα. Χρῶνται δὲ αὐτοῖς, ὅταν συμπεσούσης κατὰ πόλεμον ἢ τεράτων τινῶν καὶ φαντασμάτων μεγάλων καὶ δυσευρέτων αὐτοῖς φανέντων, οἷα πολλὰ συνέβη. Plutarchus : ἐν αἰτίοις ἤτοι Ῥωμαϊκοῖς. Τῆς δὲ πράξεως δεινῆς φανείσης, ἔδοξεν, ἀναιρεῖσθαι τὰ Σιβύλλεια τοὺς ἱερεῖς. Phlegon in libro περὶ θαυμασίων. Δι' ἣν αἰτίαν ἡ Σύγκλητος ἐκέλευσεν, ΤΟΥΣ ΙΕΡΟΜΝΗΜΟΝΑΣ ΑΝΑΓΝΩΝΑΙ ΤΟΥΣ ΣΙΒΥΛΛΗΣ ΧΡΗΣΜΟΥΣ. Exstat hujusmodi SC. apud Vopiscum in Aurelio, quod, quia longius est, omisimus.

2 *Finita substructionibus pene statim stagnino colore præviridi*) Quid illud *pene*? Quod meo quidem judicio vestigium præbet alterius lectionis, quam nondum erui. Quin pene adducor ut credam, substructionum numerum aut amissum, aut penitus a typothetis omissum. Judicent οἱ τῶν κριτικωτάτων παῖδες.

1 *Nam Agrippa Ædilis post primum consulatum*) Dio lib.XLIX. inter alios accuratissime refert quæ ab Agrippa in ædilitate facta sunt : πάντα τὰ οἰκοδομήματα τὰ κοινὰ, πάσας δὲ τὰς ὁδοὺς, μηδὲν ἐκ τοῦ δημοσίου λαβὼν ἐπεσκεύασε, τούς τε ὑπονόμους ἐξεκάθηρε, &c. vide sequentia. Plinius lib.XXXVI. *A M. Agrippa in ædilitate post consulatum, per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti*. Etiam vide Suetonium Augusto.

2 *Divisa erogatione*) Non *rogatione*, quod quibusdam imperitis scio lectum. Erogatio est distributio nominum Juliæ & Tepulæ.

3 *Præter caput Juliæ transfluit*) *Transfuvit* ἀρχαϊκῶς, in optimo Florentin. Veteres enim *fluvo* dicebant & *pluvo* : inde fluvius & pluvia. *Præter caput Juliæ transfluit* : hoc Græcis παραρρεῖν, ab uno latere alluere. Quod & *perfluere* Latini dixerunt, ut *præducere* παραγράφειν. Plinius lib.XIX. de hortis & hortensibus : *Riguosque maxime habendos si contingat præfluo amne*, hoc est παραρρέοντι ποταμῷ.

4 *Hinc Agrippa emisit*) Ita lacus Curtius a M. Velino dicitur emissus Ciceroni lib.V. ad Atticum. Suetonius Julio Cæsare : *Siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum* : ubi *emittere*, aquam extra Romam perducere, interpretatur M. Donatus.

5 *Modulosque certos dispensatum accipiunt*) Ad oram veteris, *modiolosque*. Sed discrimen statuendum inter modulos & modiolos, quæ duo Frontino communicantissima. Modulum vocat, mensuram in aquæductibus, per quam aqua duci solebat ex castellis seu dividiculis ad privata ædificia. Talem hoc loco intelligit in emissa ab Agrippa Crabra. De ejus mensura, quam Græci μέτρον vocant, infra melius : *Aquarum moduli aut digitorum, aut ad unciarum mensuram instituti sunt*. At modiolus, est ὑδρία sive καλ

dispensatum accipiunt, sed non eadem moderatione. [1] Aquarii nostri partem maximam ejus semper in supplementum Juliæ vindicaverunt, nec ut Juliam augerent, quam hauriebant largiendo compendii sui gratia. Exclusa ergo est Crabra, & tota jussu Imperatoris reddita Tusculanis, qui nunc forsitan non sine admiratione eam sumunt, [2] ignari (*a*) cujus causa insolitam abundantiam habeant. Julia autem, revocatis derivationibus per quas subripiebatur, modum suum, quamvis notabili siccitate, servavit. Eodem anno Agrippa ductus Appiæ, Anienis, Martiæ pene delapsos restituit, & singulari cura [3] compluribus salientibus aquis instruxit Urbem. Idem cum jam tertium (*b*) Consul fuisset, C. Sentio, (*c*) Sp. Lucretio

(*a*) Alias *cui causæ*. (*b*) Alii *Censor*. (*c*) Alii *P. Lucretio*. Alii *Q. Lucretio*.

πι', vas aquarium ad hauriendum. Noster alibi: *Cum in erogatorio modiolo minus invenitur, in acceptorio plus; apparet, non errorem esse, sed fraudem*: ubi mendose *modulo* legitur in depravatis editis antiquioribus. Acceptorium vocat, qui puteo immersus aquam haurit; erogatorium, qui in altum elatus refundit. Ibidem lego: *Est autem calix modiolus æneus* &c. ubi male etiam *modulus* substituitur. Quæ necessario distinguenda sunt in commentario ὑδρολογικῷ.

1 *Aquarii nostri*) Non *aquarum curatores*, nec ὑδροφύλακες, se ὑδροσκόποι, ipsi libratores. Hi vocabantur *Aquileges* vel *Aquilices*. Glossarium; *Aquilices*, οἱ τὰ ὑδραγωγεῖα ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι. Aliter legendus est ille locus apud auctorem Glossarii: οἱ τὰ παρυγρα ἐργαζόμενοι, οἷον ὀχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι.

2 *Ignari cujus causa*) Vel, *cui causæ*. Hoc alias legitur.

3 *Compluribus salientibus aquis instruxit Urbem*) In omnibus ita videas expressum. Sed illud *aquis* abundans est & superfluum, nec, ut puto, Frontino scriptum. Optimis auctoribus *salientes* sunt fontes aquarum. Ita Plinio vocantur & Vitruvio, quorum ille ad idem Agrippæ factum: *Agrippa in ædilitate sua, adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis lacus septingentos fecit. præterea salientes centum quinque, castella centum triginta; complura etiam cultu magnifica*. Paulo infra noster: *Solet tamen ex ea* (Alsietina) *in Transtiberina regione quoties pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ cessant, ex necessitate in subsidium publicorum salientium dari*. Vitruvius lib. VIII. *Ex ejusmodi locis & fontibus ducti sunt salientes*. Isti salientes tubulis fistulisve aquam effundebant. Apud veteres invenio Silanos, qui basilicis ἀνδρίαντες vocantur, lapideæ formæ & imagines, ex quibus aquæ saliebant. Itaque qui glossemata sunt interpretati, Silanum κρήνην exponunt seu κρουνὸν, id est, τὰς ἀρχὰς τῶν ῥευμάτων, ut melius Eustathius. Glossæ Philoxeni: *Silbanus* (lego *Silanus*: ita & perperam *Sylvani* dicuntur) κρουνός. In Græcanico Cyrilli ὑδρεῖον exponitur *lacus silanus*. Obiter emendandus est Cornelius Celsus lib. III. cap. XVIII. *Confert etiam aliquid ad somnium Sillanum juxta cadens*. Quis dubitet ita mecum reponere: *Confert etiam aliquid ad somnum Silanus juxta cadens*, id est, rivulus susurrans decidentium leviter aquarum. Lucretius eo alludens:

Corpora Silanos ad aquarum strata jacebant.

Quinimo *tullii* vocabantur isti Silani. Festus: *Tullios alii dixerunt Silanos, alii rivos*. Ita ibidem legendum viri doctissimi viderunt Ennius Ajace, Festo laudatus: *Sanguine emisso tepido tullii efflantes volant*. Ex illo Sophoclis:

—— ἔτι γὰρ θερμαὶ σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν μένος.

Sed & ipsi *tullii*, salientes. Papias: *Tuli, aquarum projectus*. Cæterum inepte quidam hallucinantur, qui *salientes* de figuris exponunt & ornamentis, quæ ad tubulos adhibebantur. Alii tubuli sunt, alia ornamenta tubulorum. Cujus rei ratio elegans apud Orum libro I. cap. XXI. ὅθεν καὶ τὰς χολέρας καὶ τὰς εἰσαγωγὰς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται. Sic proculdubio legendus est iste locus, & ex eo restituendus, quod absurde videas expressum, καὶ τὰς χολέδρας. Nec moveor eo, quod Dempsterus ad Rosinum χολύδρας emendandum contendat. Hesychius: χωλέρα σωλὴν, δι' οὗ τὸ ὕδωρ φέρεται ἐκ κεράμων ἐξακοντιζόμενον. Inde medicorum filiis χολέρα morbus, exponitur violenta ἔκρυσις κάτωθεν καὶ ἄνωθεν τῆς χολῆς.

Coss. post annum XIII. quam Juliam deduxerat, Virginem in agro quoque Lucullano collectam Romam perduxit. Dies quo primum in Urbem responderit v. (*a*) Iduum Junii invenitur. Virgo appellata, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti qui foderant [1] ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita [2] hanc virginem (*b*) pictura ostendit. Concipitur ergo via Collatia, ad miliarium VIII. palustribus locis, [3] signino circumjecto, continendarum scaturiginum causa. Adjuvatus ex compluribus aliis acquisitionibus, venit per longitudinem passuum XI. millium DCCCLXV. supra terram per passus MCCXL. ex eo substructione rivorum locis compluribus passuum DXL. opere arcuato passuum DCC. acquisitionum ductus rivi subterranei efficiunt passuum MCCCCV. Quæ ratio moverit Augustum, providentissimum Principem, producendi Alsietinam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imo & parum salubrem & nusquam in usus populi fluentem, [4] nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur, (*c*) ne quid salubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit, & quod Naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus & privatorum usibus ad irrigandum concessit. Solet tamen ex ea in Transtiberina regione quoties pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ cessant, ex necessitate in subsidium publicorum salientium dari. Concipitur ex lacu Alsietino, via Claudia, milliario XIV. diverticulo dextrorsus passuum VI. milium D. Ductus ejus efficit longitudinem passuum XXII. (*d*) LXXII. opere arcuato: passuum CCCLVIII. [5] Idem Augustus in supplementum Martiæ, quotiens siccitates egerent auxilio, aliam aquam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Martiæ rivum, quæ ab inventore appellatur Augusta. Nascitur ultra fontem Martiæ, cujus ductus donec Martiæ accedat efficit passus DCCC. Post hos C. Cæsar, qui Tiberio successit, cum parum & publicis usibus & privatis voluptatibus septem ductus aquarum sufficere viderentur, altero Imperii sui anno,

(*a*) *Idus*. (*b*) *Pictum*. (*c*) Alias *ne quis*. (*d*) Alias CLXXII. & CLXII.

1 *Ingentem aquæ modum invenerunt*) Alio sensu *modus aquæ* dicitur in lege trigesima secunda π. de Act. emp & lege prima de Aqua Quotidiana.

2 *Hanc virginem pictura ostendit*) Vel, *pictam*, ostendit. Hoc ὡραῖον est alterius lectionis.

3 *Signino circumjecto continendarum scaturiginum causa*) Ulpianus lapideum interpretatur in lege prima π. de Rivis; nimirum, qui e testis signinis factus esset. *Si quis terrenum rivum signinum facere velit*: ubi *signatum* scio repositum, vel *siliceum* ab illis) qui metuebant antimoniam. Ego *signinum rivum* testaceum & cementitium potius, quam lapideum interpretandum esse censeo. Intelligit autem Frontinus opus tale, quod e testis tusis ad aquas excipiendas imprimis erat utile: nam eæ testæ in signinis habebantur excellentes.

4 *Nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid salubribus aquis detraheret*) Quidam librorum non melius: *ne quis salubribus aquis detraheret*. De hoc Naumachiæ opere ex Breviario Ancyrano hæc verba sumsit Suetonius: *Edidit navale prælium circa Tiberim, cavato solo*. (Tacitus *stagnum* vocat) *in quo nunc Cæsarum nemus*.

5 *Idem Augustus in supplementum Martiæ, aliam aquam*) Nec Augustam solum ad Martiæ rivum perduxit Augustus; sed & omnium aquarum rivos refecit. Vetus Inscriptio, quæ Romæ visitur:

IMP. CÆSAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII
TRIBVNICIÆ. POTESTAT. XIX IMP. XIIII.
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT.

M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate Coss. anno Urbis conditæ DCCXC. duos ductus inchoavit: [1] quod opus Claudius magnificentissime consummavit, dedicavitque, *(a)* Sulla & Tutiano Coss. anno post Urbem conditam DCCC. VI. Kal. August. Alteri nomen, quod ex fontibus Cæruleo & Curtio perducebatur, Claudiæ datum, hæc bonitate proxima Martiæ. Altera, quoniam duæ Anienis aquæ in Urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, Anio novus vocari cœpit: & quod illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei veteris est adjectum. Claudia concipitur via Sublacensi, ad miliarium XXXVIII. diverticulo sinistrorsus intra passus CCC. [2] ex fontibus duobus amplissimis & speciosis Cæruleoque (qui a similitudine appellatus est) & Curtio accipit, & eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Martiæ quoque adjutorio, quoties opus est, ita sufficiat, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutet: Augustæ fons, quia Martiam sibi sufficere apparebat, in Claudiam derivatus est, manente nihilominus præsidiario in Martiam, ut ita demum Claudiam aquam adjuvaret Augusta, si eam ductus Martiæ non caperet. Claudiæ ductus habet longitudinem passuum XLVI. millium: ex eo rivo subterraneo passuum XXXVI. millium CCXXX. opere supra terram passuum X. millium LXXXI. ex eo opere arcuato in superiori parte pluribus locis, passuum III. millium LXXVI. & prope Urbem a VII. milliario substructione rivorum per passus DCIX. opere arcuato passuum VI. millium CCCCXCI. Anio novus Sublacensi via, ad miliarium LXII. in suo rivo excipitur ex flumine, [1] quod, cum terras cultas circum se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluviarum injuria limosum & turbulentum fluit: ideoque a faucibus ductus [2] interposita est piscina limaria, [3] ubi inter amnem & specum consisteret & liquaretur aqua. Sic quoque quoties imbres superveniunt, turbida pervenit in Urbem. Jungitur ei rivus Herculaneus, oriens eadem via, ad miliarium XLIII. e regione fontium Claudiæ trans flumen viamque, natura purissimus, sed mixtus gratiam splendoris sui amittit. Ductus Anienis novi efficit passuum LVIII. millia DCC. eo rivo subterraneo passuum XLIX. millia CCC. opere supra terram passus IX. millia CCCC. & ex eo substructionibus aut opere arcuato superiori parte pluribus locis passus XII. millia DCCC. & propius Urbem a VII. milliario substructione rivorum passus DCIX. opere arcuato passus VI. millia CCCCXCI. Hi sunt arcus altissimi sublevati in quibusdam locis CIX. pedes. Tot aquarum tam multis necessariis molibus, pyramidas videlicet otiosas compares, aut cætera inertia, sed fama celebrata Græcorum opera? [4] Non alienum mihi visum est longitudines quoque rivorum *(a)* cujusque ductus & etiam per species operum complecti. Nam cum maxima hujus officii pars in tutela eorum sit, scire præpositum oportet, quæ majora impendia exigant. Nostræ quidem solicitudini non suffecit singula oculis subjecisse: [5] sed formas quoque du-

(a) Alias *Suilio & Titiano Coss.*

1 *Quod opus Claudius magnificentissime consummavit, dedicavitque, Sulla & Tatiano Coss.*) Lego variantibus editis: *dedicavitque Sulla & Titiano Coss.* Nunc diribitoris in morem suffragia colligamus, nam priorum Consulum nulla mentio in Fastis consularibus superexitat. Pomponius Lætus edidit *Suilio & Titiano Coss.* Hoc ad oram Scriverianorum video expressum. Ultimum consulare nomen indubie verum est & rectum: sed in consulatu non habuit Titianus *Suilium* collegam. Quod & miror doctissimo viro Joanni Obsopæo non succurrisse, qui ex Tacito Pomponii sententiam strenue videtur amplexus. In tabulis Capitolinis ad annum Urbis IↃC CIV. Consules laudantur Faustus Sulla & Salvius Otho, qui L. Salvius Otho Titianus appellatus est, ut ex Inscriptione fratrum Arvalium Romæ olim ab Ursino vulgata legitur: ADFVERVNT. A. VITELLIVS. M. APONIVS. SATVRNINVS. OTHO. TITIANVS. Cæterum de hoc Claudii aquæductu Suetonius ipso Claudio: *Opera magna potius, quam necessaria, quam multa perfecit: sed vel præcipuum aquæductum a Cajo inchoatum.* Plinius: *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Cajo Cæsare, & peracti a Claudio. Quippe a quadragesimo lapide ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes.* Addit Suetonius emissarium Fucini inter opera Claudiana consummatum, quod non invenias apud Dionem, qui disertim hæc verba: *τὴν δὲ λίμνην τὴν Φυκίνην, τὴν τῶν Μαρσῶν, ἠθέλησε μὲν εἰς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν, ὅπως ἥτε χώρα ἡ περὶ αὐτὴν γεωργῆται, καὶ ὁ ποταμὸς ναυσίπορος μᾶλλον μένηται, μάτην δὲ δὴ ἐδαπανήθη.*

2 *Ex fontibus duobus amplissimis & speciosis Cæruleoque (qui a similitudine appellatus est) & Curtio accipit, & eum fontem, qui vocatur Albubinus*) Etiam corruptum est ultimi fontis nomen in quibusdam libris Frontinianis: in quibus omnibus restituendum, *Albudinus*; quod indubie rectum nomen est, & ab imperitis corruptum. Suetonius eodem Cæsare: *Claudiæ aquæ gelidos & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est.* Et fontem Curtium quidem binominem fuisse arbitror, ut etiam Albudinus vocaretur. Nam & Plinius lib. XXXVI. c. X. duos tantum Curtium & Cæruleum commemorat; sicut & hæc Inscriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIANVS. PONT MAX. TRIB. POT. II. IMP. III. DESIG. IIII. P. P. AQVAS. CVRTIAM. ET. CÆRVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE. PER. ANNOS. NOVEM. SVA. PECVNIA. VRBI. RESTITVIT.

(a) Alias *Aquæductus, & profectus operam.*

1 *Quod cum terras cultas circum se habeat soli pinguis*) Apage *multas*, quod alii subtrudunt: *πίονα ἔργα* Græci vocant, quæ Maro *pinguia culta*; *terras cultas soli pinguis* noster Frontinus. *τὰ ἐργάσιμα* cum opponuntur *τοῖς ὑλοφόροις, ἢ ποηφόροις.* libro II. *Nam cum oriatur Anio supra Trebam angustam, seu quia per saxosos montes decurrit, paucis circa ipsum oppidis objacentibus cultis, &c.*

2 *Interposita est piscina limaria*) Piscinam cape non *ἰχθυοτροφεῖον*, sed *κολυμβήθραν*: aquam limosam & stagnantem. Glossæ veteres Græcanicæ: *κολυμβήθρα, piscina, natatura.* Infra: *Ex his via Latina, sex intra VII. milliarium contentis piscinis excipiuntur, ubi quasi respirante rivorum cursu limum deponunt.* Alibi se melius explicat: *Nec Virgo, nec Appia, nec Alsietina conceptelas, id est, piscinas, habent.* Ubi *conceptelas* vocat *τὰς δεξαμενὰς*, sive *conceptiones*, ut infra loquitur.

3 *Ubi inter amnem & specum consisteret & liquaretur aqua*) *Eliquaretur* in libris melioribus. *Eliquare διυλίσαι & διηθεῖσθαι*, inde *eliquia διυλισμοί.* Glossæ: *liquatur, διηθεῖται.* Seneca de quodam fonte, lib. III. Nat. Quæst. *Fœda quædam turbidus ex imo fundit, donec liberatus eliquatusque est.* Sic maria ex Oceano arctis faucibus terras intrantia quasi eliquari & colari dicit Solinus.

4 *Non alienum mihi visum est, longitudines quoque rivorum cujusque ductus, & etiam per species operum complecti*) Melius legerim: *longitudines quoque rivorum cujusque ductus & profectus operam complecti.*

5 *Sed formas quoque ductuum facere curavimus*) Doctissimus Turnebus hoc loco *formas* explicat rerum quarundam imagines & deformationes ac picturas. Ego *formas* tubulos interpretor, per quos unda adducitur aut derivatur; *δοχεῖα* nimirum sive conceptacula aquæductuum. In itinerario Antonini: *nunc nomina aquarum, quæ usibus æternæ Urbis formarum constructionibus advectæ sunt, indicemus.* Quæ formæ arcuationes sunt, & a Frontinianis etiam differunt. Ad nostram mentem plane conducunt illa Cassiodori libro VII. epistola VI. *In formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis.* Nimirum, inventa & probata per aquilegem aqua ducebatur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis; ut loquitur Palladius l. IX. rei rusticæ, c. XI. Isti tubuli seu canales *formæ* appellantur, quarum mentio in jure nostro frequentissima. Nec ignoro tamen formas tubulorum imagines appellari: sed & illud non ignoro, acutissimi viri expositionem ad hunc auctoris locum non conducere.

ductuum facere curavimus, [1] ex quibus (*a*) apparet ubi valles, quantæque, ubi flumina trajicerentur: [2] ubi montium lateribus specus appliciti, quantoque majorem assiduamque perterendi ac muniendi ii exigant curam. Hinc illa contingit utilitas, ut rem statim veluti in conspectu habere possimus, [3] & (*b*) deliberare tanquam assistentes. Aquæ omnes diversa in Urbem libra proveniunt. Inde fit, ut quædam altioribus locis serviant, & quædam eniti in eminentiora non possint: nam & colles si sint, propter frequentiam incendiorum ruderibus excreverunt. Quinque enim sunt ductuum altitudines, quarum duæ in omnem partem Urbis attolluntur, sed ex reliquis aliæ majore, aliæ leviore pressura coguntur. Altissimus Anio est novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Julia, quartum Tepula, dehinc Martia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquat. [4] Sed veteres humiliore directura perduxerunt, sive nondum (*c*) subtili explorata arte librandi: seu quia ex industria infra terram aquas mergebant, ne facile ab hostibus interciperentur, cum frequentia adhuc contra Italicos bella gererentur. Jam tamen quibusdam locis, sicubi ductus vetustate dilapsus est, omisso circuitu subterraneo vallis, tractus, brevitatis causa, substructionibus, arcuationibusque (*d*) trajiciuntur. Sextum tenet libræ locum Anio vetus, similiter suffecturus & altioribus locis Urbis, sicubi vallium submissarumque regionum conditio exigit, substructionibus arcuationibusque veteres exigentur. Sequitur hujus libram Virgo, deinde Appia, quæ cum ex urbano agro perducerentur, non in tantum altitudinis erigi potuerunt. Omnibus humilior Alsietina est, quæ Transtiberinæ regioni & maxime subjacentibus locis servit. Ex his, via Latina, sex intra VII. miliarium contentis piscinis excipiuntur, ubi quasi respirante rivorum cursu limum deponunt. Modus quoque earum mensuris ibidem positis initur. Una autem Julia, Martia quoque, quæ Tepula intercepta, sicut supra demonstravimus, rivo Juliæ accesserat, nunc a piscina ejusdem Juliæ modum accipit, [5] ac proprio canali & nomine venit, (*e*) & a piscinis in eosdem arcus recipiuntur, summus iis est Juliæ, inferior Tepulæ, deinde Martiæ, quæ ad libram collis Viminalis conjungitur intra ∵ euntes ad Viminalem usque portam deveniunt, ubi rursus emergunt. [6] (*f*) Prius tamen pars Juliæ ad (*a*) Spem veterem excepta, castellis (*b*) CCLII. montis usibus diffunditur. [1] Martia autem parte sui [2] post hortos (*c*) Pallantianos in rivum, qui vocatur Herculaneus, dejicit se per Cœlium. Ductus, ipsius montis usibus nihil ut inferior subministrans, (*d*) initur supra portam Capenam. Anio novus cum Claudia a piscinis in altiores arcus recipiuntur, ita ut superior sit Anio. Finiuntur arcus eorum post hortos (*e*) Pallantianos, inde in usum Urbis fistulis deducuntur: partem tamen sui Claudia prius [3] in arcus, qui vocantur Neroniani, ad (*f*) Spem veterem transfert. Ii directi per Cœlium montem, juxta templum Divi Claudii, terminantur. Modum, quem acceperunt, aut circa ipsum montem Cœlium, aut in Palatium, Aventinumque, & in Transtiberinam regionem dimittunt. Anio vetus, citra IV. miliarium intra no.∵ viæ, qua a Latina in Lavicanam itur, arcus trajicit, & ipse piscinam habet, inde intra II. miliarium partem dat in specum, qui vocatur Octavianus, & pervenit in regionem viæ novæ ad hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuitur. Rectus vero ductus, secundum (*g*) Spem veterem veniens, intra portam Esquilinam in altos rivos per Urbem deducitur. Nec Virgo, nec Appia, nec Alsietina conceptelas, id est, piscinas, habent. Arcus Virginis initium habent sub hortis Lucullanis, finiuntur in Campo Martio secundum (*h*) frontem septorum. [4] Rivus Appiæ sub Cœlio monte & Aventino

(*a*) *Appareret*. (*b*) Alias *delibrare*. (*c*) Alias *ad subtile*. (*d*) *trajicitur* (*e*) Alias *hæ res a piscinis*. (*f*) Alias *Prior*.

(*a*) Alias *speciem*. (*b*) Alias CCVII. Alias *Cœlii*. Alias *Plancianos*. (*d*) Alias *oritur*. (*e*) Alias *Plancianos*. (*f*) Alias *speciem*. (*g*) Alias *speciem*. (*h*) Alias *fontem Scipionum*.

1 *Ex quibus apparet*) *Appareret*, quod alias legitur, melius est & concinnius.

2 *Ubi montium lateribus specus appliciti*) Supra: *ubi inter amnem & specum consisteret & liquaretur aqua*. Immo per specum plerumque Veteres aquam duxisse, quod tum necesse erat fieri, docemur a Vitruvio libro VIII. cap. VII. cum medii montes erant inter mœnia & caput fontis.

3 *Et deliberare tanquam assistentes*) Puto *delibrare*, quod a nonnullis typis editum. Sequitur: *Aquæ omnes diversa in Urbem libra perveniunt*: ubi libra est altitudo, ut supra etiam adnotamus.

4 *Sed Veteres humiliore directura perduxerunt, sive nondum subtili explorata arte librandi*. Probant libri: *ad subtile explorata*; &c. Non adeo male: sicuti nos alias ad Q. Serenum Sammonicum demonstraturi sumus.

5 *Ac proprio canali & nomine venit, & a piscinis in eosdem arcus recipiuntur*) Quidam hoc modo referunt excusum: *Ac proprio canali & nomine venit hæres a piscinis*, &c. Scribo & interpungo: *Ac proprio canali & nomine venit. Hæ & a piscinis in eosdem arcus recipiuntur*. Quod explicatione non eget.

6 *Prius tamen pars Juliæ ad spem veterem excepta, castellis* CCLII. *montis usibus diffunditur*) Habent editiones aliæ: *Prior tamen pars Juliæ ad speciem veterem excepta, castellis* CCVII. *montis usibus diffunditur*. Quod per me licet incusent eruditissimi & accuratissimi viri. Nobis non placet illum Cynicum imitari, & ἅπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ. Cæterum receptacula publicarum aquarum *castella* vocabant, quæ *dividicula* veteres auctores. Festus: *Dividicula antiqui dicebant, quæ nunc castella, ex quibus a rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit*. Hesychius: καστελλος, ὄνομα τόπου ἄνω καὶ κάτω φερομένου, καὶ μερίζοντος τὸ ὕδωρ. Quæ vox in jure frequentissime occurrit. Frontinus infra: *Est autem fere nunc in usu, cum plures quinariæ impetratæ fuerint, ne in viis sæpius convulneretur una fistula, ut excipiantur in castellum, ex quo singuli suum modum recipiunt*. Posteriores Impp. *conceptacula* vocarunt in lege secunda Cod. Theodos. Ti. de Aquæductu.

1 *Martia autem parte sui, post hortos Pallantianos, in rivum, qui vocatur Herculaneus, dejicit se per Cœlium. Ductus, ipsius montis usibus nihil ut inferior subministrans, initur supra portam Capenam.*) Optimus & acutissimus Rubenius in electis suis hæc ita corrigit: *Ductus ipsius montis usibus nihil, at inferioribus ministrans, initur supra portam Capenam*. Si enim ductus ille per montem Cœlium, quomodo eo inferior? Sententia est: Aqua Martia etsi per Cœlium ducta, tamen colli illi non servit, sed tota & illibata fertur ad loca subjecta. Pro *initur* tamen *oritur* exhibuerunt alii librorum.

2 *Post hortos Pallantianos*) Mendose, *Plancianos*, quidam de vulgo referunt.

3 *In arcus, qui vocantur Neroniani*) Infra: *Posteaquam Nero Imp. Claudiam opere arcuato assumpsit, exceptam usque ad templum Divi Claudii perduxit, ut inde distribueretur* &c. Ergo *Neroniani arcus* a fundatore Nerone: quod absurde negat vir doctissimus, qui nescio quid de Græcorum νηρὸς hic interpretationis comminiscitur. Hoc non ignoro, νερὸν Græcis esse locum aquæ irriguum. Inde Νερώνιος λίθος, quem alii Νερωνιακὸν dixere, quasi a Nerone. Quod e diverso falsum est. Epiphanius: καὶ ὁ μὲν Νερωνιακὸς πικρὸς τῷ εἴδει ἐπισκιάζων, διειδὴς καὶ στίλβων. Inde νηρὸν τόπον apud Lycophronem Grammatici exponunt τὸν κοῖλον καὶ κάθυγρον. Hæc perperam & inepte Neronianis arcubus attribuuntur.

4 *Rivus Appiæ sub Cœlio monte & Aventino actus, emergit*) Id est, perductus aut subductus emergit. Ulpianus in lege I. D. de Rivis: *Unde ait, primum aqua ex flumine agi possit*; id est, perduci. Inde *actus* pro fluxu apud Lucretium:

Et pigri latices, magis & cunctantior actus.

actus, emergit, ut diximus, infra clivum *(a)* Publicii Alſi, & inde eductus eſt in Naumachiam, nam ejus cauſa videtur factus.

QUONIAM authores cujuſque aquæ, & ætates præterea ordines & longitudines rivorum, & ordinem libræ perſecutus ſum, non alienum mihi videtur etiam ſingula ſubjicere, & oſtendere quanta ſit copia, quæ publicis privatiſque non ſolum uſibus & auxiliis, verum etiam voluptatibus ſufficit, & per quot caſtella, quibuſque regionibus deducatur, quantum extra Urbem, quantum intra Urbem, & ex eo quantum lacubus, quantum muneribus, quantum operibus publicis, quantum nomine Cæſaris, quantum privatis uſibus erogetur. Sed rationis exiſtimo, priuſquam nomina quinariarum centenariarumque & cæterorum modulorum, per quos menſura conſtituta eſt, proferamus, indicare quæ ſit eorum origo, quæ vires, & quid quæque appellatio ſignificet, præpoſitaque regula, ad quam ratio eorum & initium computatur, oſtendere, qua ratione diſcrepantia invenerim, & quam emendandi viam ſim ſecutus. [1] Aquarum moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum menſuram inſtituti ſunt. Digiti in Campania, & in pleriſque Italiæ locis. [2] Uncia *(b)* in pupula: ita hæc obſervantur. Eſt autem digitus, ut convenit, ſexta decima pars pedis, uncia duodecima. Quemadmodum autem inter unciam & digitum diverſitas, ita & ipſius digiti ſimplex obſervatio non eſt: nam alius vocatur quadratus, alius rotundus. Quadratus, tribus quartis decimis ſuis rotundo major. Rotundus, tribus undecimis ſuis quadrato minor eſt, ſcilicet quia anguli deteruntur. Poſtea modulus, nec ab uncia, nec ab alterutro digitorum originem accipiens, inductus, ut quidam putant, ab Agrippa, ut alii, a plumbariis per Vitruvium architectum, in uſum Urbis, exclusis prioribus, venit, appellatus quinario nomine. Qui autem Agrippam authorem faciunt, dicunt quod quinque antiqui moduli exiles & veluti puncta, quibus olim aqua, cum exigua eſſet, dividebatur, in unam fiſtulam coacti ſunt. Qui Vitruvium, & plumbarios, ab eo quod plumbea lamina plana, quinque digitorum latitudinem habens, circumacta in rotundum, hunc fiſtulæ modulum efficiat. Sed hoc incertum eſt, quoniam cum circumagitur, ſicut interiore parte attrahitur, ita per illam, quæ foras ſpectat, extenditur. Maxime probabile eſt, quinariam dictam a diametro quinque quadrantum, quæ ratio in ſequentibus quoque modulis uſque ad vicenariam durat, diametro per ſingulos adjectione ſingulorum quadrantum creſcente, ut in ſenaria, quæ ſex ſcilicet quadrantes in diametro habet, & ſeptenaria, quæ ſeptem, & deinceps ſimili incremento uſque ad vicenariam. Omnis autem modulus colligitur aut a diametro, aut perimetro, aut ex recto menſuræ, ex quibus & capacitas apparet. Differentiam unciæ, digiti quadrati, & digiti rotundi, & ipſius quinariæ, ut & facilius dignoſcamus, utendum eſt, *(a)* ſubſtantiæ quinariæ, qui modus & certiſſimus, & maxime receptus eſt. Unciæ ergo modulus habet diametri digitum unum & trientem digiti, capit plus quam quinariæ octava, hoc eſt ſeſcuncia quinariæ & ſcrupulis tribus & beſſe ſcrupuli. Digitus quadratus, in rotundum redactus, habet diametri digitum unum & digiti ſeſcunciam ſextulam, capit quinariæ dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum unum, capit quinariæ ſeptuncem ſemunciam ſextulam. Cæterum moduli, qui a quinaria oriuntur, duobus generibus incrementum accipiunt, & una cum ipſa multiplicatur, id eſt, eodem *(b)* lumine plures quinariæ includuntur. In quibus, ſecundum adjectionem quinariarum, amplitudo *(c)* luminis creſcit. Eſt autem fere nunc in uſu, cum plures quinariæ impetratæ fuerint, ne *(d)* in viis ſæpius convulneretur una fiſtula, ut excipiantur in caſtellum, ex quo ſinguli ſuum modum recipiunt. Alterum genus eſt, quoties non ad quinariam neceſſitatem fiſtula incrementum capit, ſed ad diametri ſui menſuram, ſecundum quod & nomen accipit, & capacitatem ampliat, ut puta quinariam. Cum adjectus eſt ei ad diametrum quadrans, ſenarium facit; nec jam in ſolidum capacitatem ampliat: [1] capit enim quinariam unam quincuncem ſicilicum, & deinceps eadem ratione quadrantibus diametro adjectis, ut ſupra dictum eſt, creſcunt ſeptenaria, octonaria uſque ad vicenariam. Subſequitur illa ratio, quæ conſtat ex numero digitorum quadratorum, qui area, id eſt lumine cujuſque moduli continetur, a quibus & nomen fiſtulæ accipiunt: nam quæ habet areæ, id eſt luminis, in rotundum coacti digitos quadratos viginti quinque, vicenum quinum appellatur. Similiter tricenaria, & deinceps per incrementum digitorum, uſque ad centenum vicenum. In vicenaria fiſtula, quæ in confinio utriuſque rationis poſita eſt, utrique rationi pene congruit. Nam habet ſecundum eam computationem, quæ interjacentibus modulis ſervanda eſt, in diametro quadran-

(a) Publicii. Alſietinæ ductus eſt in N. vide Notas. *(b)* Alias *in pupulatita hæc obſ.*

1 *Aquarum moduli aut ad digitorum aut ad unciarum menſuram inſtituti ſunt*) Vide & confer Digeſtorum titulum de Aqua Quotidiana, & legem ſecundam & tertiam de Aquæduct. Codic. Theodoſian. Qui Frontino *moduli* ſunt, aliis *hauſtra* dicuntur. Nonius cados & ἄντλια minus recte interpretatur: nam cadi proprie ſunt ſituli, qui tollenonibus ſuſpenduntur, aut trochleis per funes e puteo tolluntur. Herodotus vocat γαυλόν, Græci ἄντλον, unde ἀντλεῖν: *ancla* & *anclare* apud Latinos. Minima pars agreſtium menſurarum erat *digitus*. Agrimenſor incertus: *Digitus eſt pars minima agreſtium menſurarum*. Inde δακτύλιος ὕδατος. Inde Græcorum verbo dicebant: Δίδωμι καὶ χαρίζομαι σοὶ δακτύλιον ὕδατος, id eſt, tubulum, qui digitum unum ſit latus. Nam ſecundum ejus latitudinem vel craſſitiem digitalis menſura accipiebatur. Quod imprimis antiqui medicorum filii obſervarunt. Dioſcorides de anchuſa ſcribens, δακτύλου τὸ πάχος, & de brunio, καυλὸν ἀνίησι τετράγωνον εὐμήκη, πάχος δακτυλιαῖον. Sic δακτύλιος ὕδατος. Sic *digitum aquæ* ſe Gajo Sejo concedere, Lucius Titius notum facit epiſtola ſua in lege Λύκιος, D. de Servitut. Urb. Præd. Vetus Inſcriptio Sueſſana: ET. VT. AQVÆ. DIGITVS. IN. DOMO. EIVS. FLVERET. COMMODISQVE. PVBLICIS. AC. SI. DECVRIO. FRVERETVR. Vide Plinium libro XXXI. capite VI. Inde δακτύλου ἡμέρα apud Zenobium, Diogenianum, Suidam, pro breviſſimo ſpatio. Et Martialis momentum volens deſcribere, *ad digitum* dixit:

Lex erat, ad digitum poſita concurrere palma.

Palma poſita erat concurſuris momento, uter prævaleret, vitæ neciſque poteſtate ſub unum ictum commiſſi. Sic incertus Poeta Anthologiæ libro VII.

Πίνωμεν βάκχου ζωρὸν πόμα. δάκτυλος ἀώς,
Ἦ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν.

Hoc eſt digiti unius ſpatium, omne id quod vivimus. Sed de his alibi plura.

2 *Uncia in pupula*) Monuit Scriverius alias legi: *Uncia in pupulatita hæc obſervantur*. Error ex connexione literarum ortus. *Pupula*, legit etiam Ortelius.

(a) Alias *ſub ſpecie*, &, *in ſpecie*. *(b)* Alias *limine*. *(c)* Alias *liminis*. *(d)* Alias *in quaternis ſeptenariis c. u. fiſtula excipiuntur*.

1 *Capit etiam quinariam unam quincuncem ſicilicum*) *Siciliquam*, alii libri. *Sicilicus*, quarta pars unciæ. Gloſſæ: τέταρτον οὐγκίας, *ſicilicum*.

tes viginti: cum diametri ejuſdem digiti quinque ſint, &, ſecundum eorum modulorum rationem qui ſequuntur ad eam, habet digitorum quadratorum ex gnomoniis viginti. Ratio fiſtularum quinariarum, uſque ad centenum vicenum, per omnes modulos ita ſe habet, ut oſtendimus, & in omni genere inita conſtat ſibi: convenit & cum his modulis, qui in commentariis inviĉtiſſimi & piiſſimi Principis poſiti & confirmati ſunt. Sive itaque ratio, ſive auĉtoritas ſequenda eſt, utrique commentariorum moduli prævalent. Sed aquarii (*a*) cum manifeſtæ rationi (*b*) pluribus conſentiant, in quatuor modulis nominaverunt B duodenaria, & vicenaria, & centenaria, & centenum vicenum. Duodenariæ quidem, quod nec magnus error nec uſu frequens eſt, diametro adjecerunt digiti ſemunciam, ſicilicum capacitati quinariæ & beſſem. Reliquis autem tribus modulis plus deprehenditur. Vicenariam exiguiorum faciunt diametro digiti ſemiſſe, capacitate quinatiis tribus & ſemuncia, quo modulo plerumque erogatur. Centenaria autem & centenum vicenum, quibus aſſidue accipiunt, non minuuntur, ſed augentur, nec uſu frequens eſt: diametro adjecerunt trientis beſſem & ſemunciam, capacitati quinarias X. ſemiſſem ſemunciam ſicilicum. C Centeno viceno diametro adjiciunt digitos tres ſeptuncem ſemunciam, capacitati quinarias LXVI. ſextantem. Ita dum aut vicenariæ, quas ſubinde erogant, (*c*) detrahunt, aut centenariæ & centenum vicenum adjiciunt, quibus ſemper accipiunt, intercipiuntur in centenaria quinariæ XXVII. in centenum vicenum quinariæ LXXXVI. uncia. Quod cum ratione approbetur, re quoque ipſa manifeſtum eſt. Nam pro vicenaria, quam Cæſar pro quinariis ſexdecim aſſignat, non plus erogant quam tredecim, & ex centenaria quam ampliaverunt æque, certum eſt illos non erogare niſi ad arĉtiorem numerum, D quem Cæſar, ſecundum ſuos commentarios, cum ex quaque centenaria explevit quinarias LXXXI. ſe item ex centenum vicenum quinarias XCVIII. tanquam (*d*) exhauſto modulo deſinit diſtribuere. In ſumma moduli ſunt XXV. Omnes conſentiunt, & rationi, & commentariis, exceptis iis quatuor, quos aquarii nominaverunt. Omnia autem, quæ menſura continentur, certa & immobilia congruere ſibi debent: ita enim univerſitatis ratio conſtabit. [1] Et quemadmodum, verbi gratia, ſextariis ratio ad cyathos, modii vero & ad ſextarios & ad cyathos reſpondent: ita & E quinariarum multiplicatio in amplioribus modulis ſervare ſequentiæ ſuæ regulam debet. Alioqui cum in erogatorio modulo minus invenitur, in acceptorio plus, apparet non errorem eſſe, ſed fraudem. (*e*) Meminerimus omnem aquam quoties ex .·.·.·.·.·.·. o venit, & intra breve ſpacium in caſtellum cadit, non tantum reſpondere modulo ſuo, ſed etiam exſuperare: quoties vero ex humiliore, id eſt, ex minore preſſura longius ducatur, ſegnitia duĉtus modum quoque deperdere. Ideo ſecundum hanc rationem, aut oneranda eſt erogatio, aut relevanda. Sed & calicis poſitio habet momentum, ſi in reĉtum & ad libram collocatus eſt; modum ſervat: F & ad curſum aquæ ſi oppoſitus devexuſque; amplius rapit: ad latus autem prætereuntis aquæ converſus, & ſupinus, nec ad hauſtum pronus; ſegniter exiguumque ſumit.

(*a*) Alias *cur.* (*b*) Alias *plurimum.* (*c*) Alias *deterant.* (*d*) Alias *ex anguſto m.* (*e*) Vide Notas.

1 *Et quemadmodum, verbi gratia, ſextariis ratio ad cyathos.*) Infra *calices* vocat: *Sed & calicis poſitio habet momentum*; id eſt, nomen, ut antiqui loquebantur.

A Eſt autem calix modulus æneus, qui rivo vel caſtello (*a*) induitur, huic fiſtulæ applicatur: longitudo ejus habere debet digitos non minus XII. lumen, id eſt capacitatem, quanta imperata fuerit. Excogitatus videtur, quoniam rigor (*b*) æris difficilior ad flexum non temere poteſt laxari vel coarĉtari. Formula modulorum, qui ſunt omnes XXV. ſubjeĉti, quamvis in uſum XV. tantum frequentes ſint, (*c*) direĉta eſt ad rationem, de qua locuti ſumus, emendatis quatuor, quos aquarii nominaverant. Secundum quam fiſtulæ omnes opus facientes dirigi debent, aut ſi hæ fiſtulæ manebunt ad quinarias (*d*) quot capitur computari. B Qui non ſunt in uſu moduli in ipſis eſt adnotatum, & diametri trientem digitum dico quam quinariæ ſeſcuncia & ſcrupulis tribus & de beſſe ſcrupuli. Digitus quadratus in longitudine & latitudine æqualis eſt. Digitus quadratus in rotundum redaĉtus, habet diametri digitum unum & digiti ſexcunciam ſextulam: capit quinariæ dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum unum: capit quinariæ ſeptuncem ſemunciam ſextulam. Fiſtula quinaria diametri digitum unum, digitos tres 3ZZIIII. capit quinariam unam. Fiſtula ſenaria diametri digitum unum, ſemis, C perimetri digitos quatuor LXXXII. V3IIII. capit quinarias IX. I373. Fiſtula ſeptenaria diametri digitum unum XVIII. —— perimetri digitos ſex: capit quinarias L. In uſu non eſt. Fiſtula octo–diametri digitos duos, perimetri digitos ſex: capit quinarias II. quinque. Fiſtula denaria diametri digitos duos & ſemis, perimetri digitos ſeptem 3LIII. capit quinarias quatuor. Fiſtula duodenaria diametri digitos ſex capit quinarias quinque. In uſu non eſt. Unde eſt alia. apud aquarios habebat diametri digitos IIII.53V. capacitatis quinarias ſex. Fiſtula quinumdenum diametri digitos quatuor Z, perimetri digitos XII. D ZL. alia —— capit quinarias novem. Fiſtula vicenaria diametri digitos octo 3II. capit quinarias ſexdecim. apud aquarios habebat diametri digitos octo capacitatis quinarias. Fiſtula vicenumquinum diametri digitos decem & ſeptem capit quinarias viginti. In uſu non eſt. Fiſtula tricenaria diametri VI. perimetri digitos decem & novem capit quinarias viginti quatuor ZZ3. quinque. Fiſtula tricenumquinum diametri digitos ſex 3III. perimetri digitos · capit quinarias viginti. In uſu non eſt. Fiſtula quadragenaria diametri digitos ſeptem perimetri di- E gitos XXII. capit quinarias XXXII. Fiſtula quadragenumquinum diametri digitos VII. & VIII. perimetri digitos XXXIV. capit quinarias XXXVI. octo. In uſu non eſt. Fiſtula quinquagenaria diametri digitos ſeptem quinque, perimetri digitos XXXI. IIII. capit quinarias XL. IIII. Fiſtula quinquagenumquinum, diametri digitos VIII. X. perimetri digitos XXVI. capit quinarias XLIV. IX. In uſu non eſt. Fiſtula ſexagenaria diametri digitos XXIX. capit quinarias XLIX. VI. Fiſtula ſexagenumquinum diametri digitus IX. ZLII. perimetri XXVIII. 3. capit quinarias LII. F octo. In uſu non eſt. Fiſtula ſeptuagenaria diametri digitos IXZZ3. ſex, perimetri XXIX. capit quinarias LII. 3. ſex. Fiſtula ſeptuagenumquinum diametri digitos XI. VI. perimetri digitos XXX. capit quinarias XLI. In uſu non eſt. Fiſtula octogenaria diametri digitos decem XII. perimetri digitos XXXII.

(*a*) *Inditur.* (*b*) Alias *ejus.* (*c*) Alias *directam ad r.* (*d*) Alias *quod.* Alias *a quo computus capietur.*

capit quinarias LXII. Fistula octogenumquinum diametri digitos x perimetri digitos xxx. In usu non est. Fistula nonagenaria diametri digitos x x. perimetri digitos xxxiii. capit quinarias LXXIII IIII. Fistula nonagenumquinum diametri digitos decem S, perimetri digitos IIII. & capit quinarias LXXII. In usu non est. Fistula centenaria diametri digi- A tos xi ix perimetri digitos xxxii capit quinarias LXXXI. apud aquarios habebat diametri digitos xii capacitatis quinarias xcii. Fistula centenumvicenum diametri digitos xii. perimetri digitos xxxviii. capit quinarias LXXXVIII. apud aquarios habebat diametri digitos xiii, capacitatis quinarias CLXIII. Qui modus duarum centenariarum est.

LIBER SECUNDUS.



Ersecutus ea quæ de modulis dici fuit necessarium, nunc ponam quemadmodum quæque aquarum (*a*) Principum commentariis comprehensarum, [1] usque ad nostram curam, habere visa sit, quantum quæque erogaverit, deinde quæ ipsi, [2] scrupulosa inquisitione præeunte, providentia optimi diligentissimique Principis Nervæ invenerimus. Fuerunt ergo in commentariis in universo quinariarum XII. millia DCCLV. in erogatione XIV. milia XVIII. plus in distributione quam in accepto computabantur quinariæ MCCLXIII. Hujus rei admiratio cum præcipuum officii opus in exploranda fide aquarum atque copia crederem, non mediocriter, me convertit ad scrutandum, quemadmodum amplius erogaretur, quam in patrimonio, ut ita dicam, esset. Ante omnia itaque capita ductuum metiri aggressus sum, sed longe, id est, circiter quinariis x. milibus ampliorem, quam in commentariis modum inveni, ut per singulas demonstrabo. Appiæ in commentariis adscriptus est modus quinariarum DCCC. uniuscujusque ad caput inveniri mensura non potuit, quoniam ex duobus rivis constat. Ad Gemellas tamen, qui locus est intra (*b*) Spem veterem, ubi jungitur cum ramo Augustæ, inveni altitudinem aquæ pedis quinque, latitudinem aquæ pedis unius & dodrantis. Fiunt areæ pedes octo & dodrans, centenariæ XXII. & quadragenariæ quæ efficiunt quinarias MDCCCCXXV. amplius quam in commentariis habent quinarias DCCCCLXXXIII. erogabat quinarias DCCIIII. minus quam in commentariis adscribitur quinariis CXXXVII. & adhuc minus quam ad Gemellas mensura respondet quinariis MCXXI. Intercidit tamen aliquantum ex ductus vitio, qui cum sit depressior non facile manationes ostendit, quas ei inesse ex eo apparet, quod in plerisque Urbis partibus præbita aqua observatur, idque quod ex eo manat. Sed & quasdam fistulas intra Urbem inventas deprehendimus. Extra Urbem autem propter pressuram libræ, quæ fit cis terram ad caput pedibus L. nullam accipit injuriam, sicut inveni. Anioni veteri adscriptus est modus in commentariis quinariarum MCCCCXXI. ad caput inveni IV. milia CCCXCVIII. præter eum modum, qui in proprium ductum Tiburtinum derivatur, amplius quam in commentariis est quinariis II. milibus DCCCCLVII. quæ erogabatur ante quam
C ad piscinam perveniret quinariæ CCLXII. Modus in piscina, quæ per mensuras positas initur, efficit quinarias II. milia CCCLXII. Intercidebant ergo inter caput & piscinam quinariæ MDCCLXXIV. erogabat post piscinam quinarias MCCCXLVIII. amplius, quam in commentariis conceptionis modum significari diximus, quinariis LXIII. minus quam recipi in ductum potest. Nam posuimus quinarias MXIV. Summa, quæ inter caput & piscinam, & post piscinam intercidebat, quinariarum II. milium DCCLXXXVIII. quod errore mensuræ fieri suspicarer, nisi invenissem ubi averterentur mille CLXII. Martiæ in commen-
D tariis adscriptus est modus quinariarum II. milium CLXII. Ad caput mensus inveni quinarias IV. milia DCXC. amplius, quam in commentariis est, quinariis II. milibus DXXVIII. Erogabantur antequam ad piscinam perveniret quinariæ XCV. & dabantur in adjutorium Tepulæ quinariæ XCII. Item Anioni quinariæ CLXIV. Summa quæ erogabatur ante piscinam quinariæ CCCLI. Modus, qui in piscinam mensuris positis initur cum eo, qui circa piscinæ ductum eodem canali in arcu excipitur, efficit quinarias II. milia DCCCCVXLIV. Summa quæ aut erogatur ante piscinam, aut in arcu recipitur, quinariarum III. milium CCXCV.
E amplius, quam in conceptis commentariorum positum est quinariis MCXXIII. minus quam mensuræ ad caput actæ, efficiunt quinariis MCCCXCV. Erogabat post piscinam quinarias MDCCCXL. minus, quam in commentariis conceptionis significari diximus, quinariis CCXXVII. minus, quam ex piscina in arcus recipiuntur, sunt quinariæ MCIV. Summa utraque quæ intercidebant, aut inter caput & piscinam, aut post piscinam, quinariarum II. milium D. quas, sicut in cæteris, pluribus locis intercipi deprehendimus. Non enim eas cessare, manifestum est etiam ex hoc, eo quod e ca-
F pite præter eam mensuram, quam nos comprehendisse capacitate ductus posuimus, effunduntur amplius CCC. quinariæ. Tepulæ in commentariis adscriptus est modus quinariarum CCCC. Hujus aquæ fontes nulli sunt, venis quibusdam constabat, quæ interceptæ sunt in Julia. Caput ergo ejus observandum est a piscina Juliæ: ex ea enim primum accipit quinarias CXC. deinde statim ex Martia quinarias XCII. præterea ex Anione novo ad hortos Epaphroditianos quinarias CLXIII. Fiunt omnes quinariæ CCCCXLV. amplius quam in commentariis

(*a*) *Ita legendum*. (*b*) Quidam *speciem*, ut aliquoties supra.

1 *Usque ad nostram curam*) Non damno veteris scripturam: *usque in nostram curam*. Frontinus alibi: *In re, qua usque in id tempus, quasi potestate acta, certo jure eguisset*. Florus lib. I. cap. 6. *Substitutus in locum regis, quasi usque in tempus*. Vulgati, *ad tempus*.

2 *Scrupulosa inquisitione præeunte*.) Proprie *scrupulosa* dictum. Nam *scrupulosus* est μικρολόγος, qui in minima quæque inquirit. In Glossis Philoxeni σηραγγώδεις exponitur *scrupulosum*; nam σῆραγξ est fissura terræ & caverna. Arnobius lib. IV. *Qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt*.

quinariis XLV. quæ inde erogantur, nec comparent. Juliæ in commentariis adſcriptus eſt modus quinariarum DCXLIX. ad caput menſura (*a*) iri non potuit, quoniam ex pluribus acquiſitionibus conſtat, & ad VI. ab Urbe miliarium univerſa in piſcinam recipitur, ubi modus ejus manifeſtis menſuris efficit quinarias MCCVI. amplius quam in commentariis quinariis DLIII. Præterea accepit prope Urbem, poſt hortos (*b*) Pallantianos, ex Claudia quinarias CLXII. Eſt omne Juliæ in acceptis quinariæ MCCCLXVIII. ex eo dat in Tepulam quinarias LXC. erogat ſuo nomine DCCCIII. Fiunt, quas erogat, quinariæ DCCCCXCIII. amplius quam in commentariis habet quinarias CCCXLIII. minus quam in piſcina habere poſuimus CXXIII. quas ipſas apud eos, qui ſine beneficiis Principis uſurpabant, deprehendimus. Virgini in commentariis adſcriptus eſt modus quinariarum DCCLII. minus. Menſura ad caput inveniri non potuit, quoniam ex pluribus acquiſitionibus conſtat, & leniore rivo intrat prope Urbem ad miliarium VII. in agrum, qui nunc eſt (*c*) Ceroni Commodi, ubi velociorem curſum habet. Menſuram (*d*) egi, quæ efficit quinariarum II. milia DIIII. amplius quam in commentariis quinariis MDCCLII. Omnibus approbatio noſtra expeditiſſima eſt. Erogant enim omnes, quas menſura deprehendimus, ad II. milia DIIII. Alſietinæ conceptionis modus nec in commentariis adſcriptus eſt, nec in re præſenti certius inveniri potuit, cum ex lacu Alſietino, & deinde circa Careas ex Sabatino, quantum aquarii temperaverunt, habet non plus quinariis II. milibus. Claudia abundantior aliis maxime injuriæ expoſita eſt. In commentariis habet non plus quinariis II. milibus DCCCLV. cum ad caput invenerim quinarias IV. milia DCVII. amplius quam in commentariis MDCCLII. Adeo autem noſtra certior eſt menſura, ut ad VII. ab Urbe miliarium, in piſcina, ubi indubitatæ menſuræ ſunt, inveniamus quinariarum III. milia CCCXII. plus quam in commentariis CCCCLVII. quamvis & ex beneficiis ante piſcinam eroget, & plurimum ſubtrahi deprehenderimus, ideo quod minus inveniatur, quam revera eſſe debeant quinariis MCCXCV. Et circa erogationem fraus apparet, quod neque ad commentariorum fidem, neque ad eas, quas ad caput egimus, menſuras, neque ad illas ſaltem piſcinas poſt tot injurias convenit. Solæ enim quinariæ MDCCL. erogantur. minus quam commentariorum ratio dat quinariis MCV. minus autem quam menſuræ ad caput factæ demonſtraverunt quinariis II. milibus DCCCLVII. minus etiam quam in piſcina invenit quinariis MDLXII. [1] Itaque cum ſincera in Urbem proprio rivo perveniret, in Urbe miſcebatur cum Anione novo, ut confuſione facta, & conceptio earum, & erogatio eſſet obſcurior. Quod ſi qui forte me acquiſitionum menſuris blandiri putant, admonendi ſunt Curtium & Cæruleum fontes aquæ Claudiæ ſufficere ad præſtandas ductui ſuo quinarias, quas ſignificavi, IV. milium DCVII. ut præterea MDC. effundantur. Nec eo inficias, quin ea, quæ ſuperfluunt, non ſint proprie horum fontium: capiuntur enim ex Auguſta, quæ inventa in Martiæ ſupplementum, dum illa non indiget, adjecimus fontibus Claudiæ, quamvis ne hujus quidem ductus omnem aquam recipiat. Anio novus in commentariis habere ponebatur quinarias III. milium CCLXIII. menſus ad caput reperi quinarias IV. milium DCCXXXVIII. amplius quam in conceptelis commentariorum eſt quinariis MCCCLXXV. quarum acquiſitionem non avide me amplecti, (*a*) quo non alio modo manifeſtius probem quam erogatione ipſorum commentariorum, major pars earum continetur. Negatur enim quinariarum IV. milium CCXI. alioquin in eiſdem commentariis invenitur conceptio, non amplius quam III. milium CLXIII. Præterea intercipi non tantum DXXVII. quæ inter menſuras noſtras & erogationem interſunt, ſed & longe ampliorem modum deprehendi, ex quo apparet etiam, exuberare comprehenſam a nobis menſuram. Cujus rei ratio eſt, quod vis aquæ rapacior, ut ex largo & celeri flumine excepta, velocitate ipſa ampliat modum. Non dubito aliquos annotaturos, quod longe major copia actis menſuris inventa ſit, quam erat in commentariis Principum. Cujus rei cauſa error eſt eorum, qui ab initio parum diligenter uniuſcujuſque fecerunt æſtimationem. Ac ne metu æſtatis ac ſiccitatum in tantum a veritate eos receſſiſſe credam, conſtantibus quidem ipſis menſuris Julio menſe hanc uniuſcujuſque copiam, quæ ſupra ſcripta eſt, (*b*) tota deinceps æſtate durantem exploravi. Quæcunque tamen eſt cauſa a qua procedit, illud utique detegitur, X. milia quinariarum intercidiſſe, dum beneficia ſua Princeps ſecundum modum commentariis adſcriptum temperat. Sequens diverſitas eſt, quod alius modus concipitur ad capita, alius nec exiguo minor in piſcinis, minimus deinde in diſtributione continetur. Cujus rei cauſa eſt fraus aquariorum, quos aquas ex publicis ductibus in privatorum uſum derivare deprehendimus. Sed & plerique poſſeſſorum, ex quorum agris aquæ circunducuntur, fraude formas rivorum perforant, unde fit, ut ductus publici hominibus privatis vel ad hortorum uſum ſubſerviant, vel ad itinera ſuſpendant. Ac de vitiis ejuſmodi nec meliora dici poſſunt, quam a Cœlio Rufo dicta ſunt in ea concione cui titulus eſt DE AQUIS. Quæ nunc nos omnia, ſimili licentia uſurpata, utinam non per offenſas probaremus. Irriguos agros, tabernas, cœnacula, & corruptelas denique omnes perpetuis ſalientibus inſtructas invenimus, non quod falſis titulis aliæ pro aliis aquæ erogabantur, etiamſi inter leviora cæteris vitia, inter ea tamen, quæ emendationem videbantur exigere, (*c*) mirandum eſt, quod fere circa montem Cœlium & Aventinum accidit, qui colles, prius quam Claudia (*d*) perduceretur, utebantur Martia & Julia: ſed poſteaquam Nero Imperator Claudiam opere arcuato aſſumpſit, exceptam uſque ad templum Divi Claudii (*e*) perduxit, ut inde diſtribueretur, priores non ampliatæ, ſed amiſſæ ſunt; nulla enim caſtella adjecit, ſed iiſdem uſus, quorum, quamvis mutata aqua, vetus appellatio manſit. Satis jam de modo cujuſque, & veluti nova quadam acquiſitione aquarum, & fraudibus, & vitiis, quæ circa eas erant, dictum eſt: ſupereſt ut erogationem, quam (*f*) confectam, ut ſic dicam, in maſſam invenimus, imo & falſis nominibus poſitam, per nomina aquarum, uti quæque ſe habet, & per regiones Urbis digeramus. Cujus comprehenſionem ſcio non jejunam tantum, ſed etiam perplexam

(*a*) *Inveniri*. (*b*) Alias *Plancianos*, ut ſupra. (*c*) *Ceonii*. (*d*) Alias *adegi*.

[1] *Itaque cum ſincera in Urbem proprio rivo perveniret*) Pura, nec aliis intermixta; in urbe enim miſcebatur cum Anione novo. *Sincerum* eſt ἀκέραιον. *Inſinceritas*, aquæ turbiditas. Papias: *Sinceri, puri, & ſine admixtione corruptionis*.

(*a*) Alias *quonam modo m. p. q. e. i. commentariorum: major pars earum continebatur quinariarum IIII. milibus* CCXI. *In eiſdem*, &c. (*b*) Ita legendum. (*c*) *numerantium*. (*d*) Alias *produceretur*. (*e*) Alias *produxit*. (*f*) *Conjectam*.

videri poſſe: ponemus tamen quam breviſſime, ne quid velut formulæ officii deſit iis, quibus ſuffi ciet cognoviſſe ſumma, licebit tamen tranſire leviora. Ut ergo diſtributio quinariarum XIV. milium X. & VIII ita & quadragenariarum XXXVI. quia una quandoque ex quibuſdam aquis in adjutorium aliarum datur, & bis in ſpeciem erogationis cadit, ſed ſemel in computationem venit. Ex his dividuntur extra Urbem quinariæ IV. milia LXIII. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ MDCCXXVII. privatis quinariæ II. milia CCCXXXVI. reliquæ intra Urbem MDCCCCLV. diſtribuebantur in caſtella CCXLVII. quibus erogabantur ſub nomine Cæſaris quinariæ MDCCVII. ſemis; privatis quinariarum III. milia DCCCXLVII. uſibus publicis quinariarum IV. milia CCCCI. ex eo caſtris CC. quinariæ CCLXXIX. operibus publicis LXXV. quinariæ MMCCCCI. muneribus XXXIX. quinariæ CCCLXXXIII. lacubus DXCI. quinariæ MCCCXXXV. Sed & hæc ipſa diſpenſatio per nomina aquarum ad regiones Urbis partienda eſt. Ex quinariis ergo XIV. milibus X. & VIII. quam ſummam erogationibus omnium aquarum expoſuimus, dantur nomine Appiæ extra Urbem quinariæ tantummodo V. quoniam libra humilior oritur, & a metitoribus reliquæ quinariæ DCXCIX. intra Urbem dividebantur per regiones II. V. VIII. IX. XI. XII. XIII. XIV. in caſtella XX. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ CLI. privatis quinariæ CXCIV. publicis quinariæ CCCLIV. ex eo caſtris I. quinariæ IV. operibus publicis XIV. quinariæ CXXIII. numeri I. quinariæ II. lacubus XCII. quinariæ CCXVI. Anionis veteris erogabantur extra Urbem nomine Cæſaris quinariæ CLXIX. privatis quinariæ CCCIV. reliquæ quinariæ MDVIII. ſemis. Intra Urbem dividebantur per regiones I. III. IV. V. VI VII. VIII. XII. XIV. in caſtella XXXV. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ LX. uſibus privatis quinariæ CCCXC. publicis quinariæ CLIII. ex eo caſtris I. quinariæ L. operibus publicis XIX. quinariæ CXCVI. muneribus IX. quinariæ LXXXVIII. lacubus XCIV. quinariæ CCXVIII. Martiæ erogabantur extra Urbem nomine Cæſaris quinariæ CCLXIX. reliquæ quinariæ MCCCCLXXII. Intra Urbem dividebantur per regiones I. III. IV. V. VI. VIII. IX. XIV. in caſtella LI. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ CXVI. privatis quinariæ DXLIII. caſtris IV. quinariæ XLII. operibus publicis XV. quinariæ XLI. muneribus XII. quinariæ CIV. lacubus CXIV. quinariæ CCLVI. Tepulæ erogabantur extra Urbem nomine Ceſaris quinariæ LVIII. privatis LVI. reliquæ quinariæ CCCXXXI. Intra Urbem dividebantur per regiones IV. V. VI. VII. in caſtella XIV. ex quibus nomine Cæſaris XXXIV. privatis quinariæ CCXXVII. uſibus publicis quinariæ L. ex eo caſtris II. quinariæ XII. operibus publicis III. quinariæ VII. lacubus XIII. quinariæ XXXII. Juliæ fluebant extra Urbem nomine Cæſaris quinariæ LXXXV. privatis quinariæ CXXII. reliquæ quinariæ DXLVIII. Intra Urbem dividebantur per regiones II. III. V. VI. VIII. X. XII. in caſtella XVII. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ XVIII. uſibus publicis quinariæ CCCLXXIII. ex eo caſtris quinariæ LXIX. operibus publicis quinariæ CXXI. muneribus quinariæ LXVII. lacubus XXVII. quinariæ LXV. Virginis nomine exibant extra Urbem quinariæ CC. reliquæ quinariæ MMCCCIV. Intra Urbem dividebantur per regiones VII. VIII. XIV. in caſtella XXVI. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ DXLIX. privatis quinariæ CCCXXXVIII. uſibus publicis MCCCCXVII. ex eo muneribus II. quinariæ XXVI. lacubus XXV. quinariæ LXI. operibus publicis XVI. quinariæ MCCCLXXX. in quibus per ſe Euripo, cui ipſa nomen dedit, quinariæ CCCCLX. Alſietinæ quinariæ CCCCXCII. hæc tota extra Urbem conſumitur, nomine Cæſaris quinariæ CCCCLIV. privatis quinariæ CXXXVIII. Claudia & Anio novus extra Urbem proprio quæque rivo erogabatur, intra Urbem confundebatur. Et Claudia quidem extra Urbem nomine Cæſaris dabat quinarias CCXVII. privatis quinarias CCCCXXXIX. Anio novus nomine Cæſaris DCCXXVIII. reliquæ utriuſque quinariæ MMMCCCCXCVIII. Intra Urbem dividebantur per regiones (*a*) Urbis, XIV. in caſtella XCII. ex quibus nomine Cæſaris quinariæ MDCCCXV. privatis quinariæ MLXVII. uſibus publicis quinariæ MXII. ex eo caſtris IX. quinariæ uXLIX. operibus publicis XVIII. quinariæ CCLXIX. muneribus XII. quinariæ CVII. lacubus CXXVI. quinariæ CCCCXXVII.

HÆC copia aquarum ad Nervam Imperatorem uſque computata, ad hunc modum deſcribebatur: nunc providentia diligentiſſimi Principis, quicquid aut fraudibus aquariorum intercipiebatur, aut inertia pervertebat, quaſi nova inventione fontium accrevit, ac prope publicata ubertas eſt, tum & ſedula deinde partitione diſtributa, ut regionibus, quibus ſingulæ ſerviebant aquæ, plures darentur, tanquam Cœlio & Aventino, in quos ſola Claudia per arcus Neronianos ducebatur. Quo fiebat, ut, quoties defectio aliqua interveniſſet, celeberrimi colles ſitirent, quibus nunc plures aquæ, & inprimis Martia reddita ampliore opere a Cælio in Aventinum uſque perducitur, atque etiam omni parte Urbis lacus tam novi quam veteres, plerique binos ſalientes diverſarum aquarum acceperunt, ut ſi caſus alterutram impediſſet, altera ſufficiente non deſtitueretur uſus. [1] Sentit hanc curam Imperatoris piiſſimi Nervæ Principis ſui Regina & Domina orbis indies, quæ terrarum Dea conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum, & magis ſentiet ſalubritas ejuſdem æternæ Urbis, aucto caſtellorum, operum, munerum, & lacuum numero, nec minus ad privatos commodum, quod ex incremento beneficiorum ejus diffunditur. Illi quoque qui timidi illicitam aquam ducebant, ſecuri nunc ex beneficiis fruuntur. Ne pereuntes quidem aquæ otioſæ ſunt: nam immundiciarum facies, & impurior ſpiritus, & cauſæ graviori, cœli, quibus apud veteres Urbis infamis aer fuit - ſunt remotæ. Non præterit me deberi operi novæ erogationis ordinationem, ſed hæc cum incremento adjunxerimus, intelligi oportet non eſſe eam ponendam, niſi cum conſummata fuerit. Quid, quod nec hoc diligentiæ Principis, quam exactiſſimam civibus ſuis præſtat, ſufficit, parum præſidii ac voluptatis noſtris contuliſſe ſeſe credentis, quod tantam copiam adjiciat, niſi eam ſinceriorem jucundioremque faciat? Operæ precium

(*a*) VI. VII.

1 *Sentit hanc curam Imperatoris piiſſimi Nervæ Principis ſui Regina & Domina orbis indies, cui par nihil, & nihil ſecundum*) Omnino a Martiale mutuatus eſt Urbis elogium Frontinus, nec aliena manu allitum vel adſcriptum eſt ab interpolatore, ut Lipſius ſuſpicatur. Amant enim interdum ejuſmodi laſcivias Poetarum ſcriptis ſuis intexere Latini ſcriptores & hiſtorici. Quod ubivis obvium eſt, & illuſtrationis haud eget. Paribus autem elogiis multi veterum Romam collaudarunt. Eunapius Sardianus: *βασιλεύουσα Ῥώμη*. Erinna Poetria:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος
Χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.

Æthicus:

Domina totius mundi Roma.

Rutilius Numant.

—— regina.... pulcherrima mundi
Inter ſidereos Roma recepta polos.

A est ire per singula, per quæ ille occurrendo vitiis quorundam universis adjecit utilitatem. Etenim quando civitas nostra, vel cum exigui imbres supervenerant, non turbulentas limosasque aquas habuit? nec quia hoc universis ab origine (*a*) naturæ est, aut quia istud incommodum sentire debeant quod capiuntur ex fontibus, inprimis Martia & Claudia, ac reliquæ, quarum splendor a capite integer, nihil aut minimum pluvia inquinatur, si putei exstructi objecti sunt. Aquæ Anionis minus permanent limpidæ: nam (*b*) sumitur ex flumine, ac sæpe etiam sereno turbantur, quoniam Anio quamvis purissimo defluens lacu, mo- B bilibus tamen cedentibus ripis, aufert aliquid quo turbetur, priusquam deveniat in rivos: quod incommodum non solum hybernis ac vernis, sed æstivis imbribus sentit, quo tempore exit gratior aquarum sinceritas. Ex iis igitur alter, id est Anio vetus, cum plerumque libra sit inferior, incommodum infra se tenet. Novus autem Anio vitiabat cæteras: nam cum editissimus veniat, & in primis abundans, aliquando defectioni aliarum succurrit. Imperitia vero aquariorum, deducentium in alienos eum specus, frequentius quam explemento opus erat, etiam sufficientes aquas inquinabat, maxime Claudiam, quæ per multa milia pas- C suum proprio ducta rivo, Romæ demum cum Anione permixta, in hoc tempus perdebat proprietatem, adeoque obvenientibus non succurrebat, ut pleræque aquæ accerserentur per imprudentiam, non uti dignum erat aquis parientium Martiam, ita ut ipsam splendore & rigore gratissimam, balneis ac fullonicis & relatu quoque fœdis ministeriis deprehenderimus servientem. Omnes ergo discerni placuit, tum singulas ita ordinari, ut in primis Martia potui tota serviret, & deinceps reliquæ secundum suam quæque qualitatem aptis usibus assignarentur, sicut Anio vetus pluribus ex D causis, quo (*c*) interiore excipitur minus salubris, in hortorum rigationem, atque in ipsius Urbis sordidiora exiret ministeria. Nec satis fuit Principi nostro cæterarum restituisse copiam, sed etiam gratiam. Anionis quoque novi vitia excindi posse vidit. Omisso enim flumine repeti ex lacu, qui est super villam Neronianam Sublacensem, ubi limpidissima est, jussit. Nam cum oriatur Anio supra Trebam angustam, seu quia per saxosos montes decurrit, paucis circa ipsum oppidis objacentibus cultis, seu quia lacus altitudine, in quo excipitur, velut depuratur, imminentium quoque nemorum opacitate inumbratus, frigidissimus simul ac splendidissimus eo pervenit. Hæc tam fœlix pro- E prietas aquæ omnibus dotibus æquatura Martiam, copia vero superatura, veniet in locum deformis illius ac turbidæ. Novum Imperatorem Cæsarem Nervam Trajanum Augustum præscribente titulo.

SEQUITUR ut indicemus, quod jus ducendæ sit aquæ, quæve cura ductuum sit habenda: quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii privatos; alterum ad ipsorum ductuum pertinet tutelam, in quibus dum altius repeto leges de singulis, quas late quidem apud veteres observatas inveni, earum æqui- F tatem prudentiamque reticendam non censui. Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur; legeque cautum ita fuit: NE QVIS. PRIVATVS. ALIAM. DVCAT. QVAM. QVÆ. EX. LACV. HVMVM. ACCEDIT. (hæc enim verba sunt ejus legis) id est, quæ ex lacu abundavit: [1] eam nos caducam vocamus. Et hæc ipsa non in alium usum, quam in balnearum, aut fullonicorum dabatur, eratque vectigalis statuta merces, quæ in publicum penderetur: aliquid & in domos Principum dabatur, concedentibus reliquis. [2] Ad quem autem Magistratum jus dandæ vendendæve aquæ pertinuerit, in iis ipsis legibus variatur. Interdum enim ab Ædilibus, interdum a Censoribus permissum invenio: sed apparet quoties in Republica erant, ab illis potissimum petitum: cum ii non erant, Ædilium eam potestatem fuisse. Ex quo manifestum est, quanto potior cura majoribus communium utilitatum, quam privatarum voluptatum fuerit, cum ad usum publicum pertineret etiam ea aqua, quam privati ducebant. Tutelam autem singularum aquarum locari solitam invenio, [3] positamque redemptoribus necessitatem, certum numerum circa ductus extra Urbem, & certum in Urbe servorum opificum habendi, & quidem ita, ut nomina quoque eorum, quos habituri erant in ministerio, per quasque regiones in tabulas publicas deferrent, eorumque operum probandorum curam fuisse (*a*) per Censores aliquando & Ædiles, interdum etiam (*b*) Censoribus eam provinciam obvenisse, ut apparet ex eo, quod factum est (*c*) C. Liciano Cesula & M. Fabio Censoribus. Quantopere autem curæ fuerit, ne quis violare ductus, aquamve non concessam derivare auderet, cum ex multis apparere potest, tum ex hoc, [4] quod Circus maximus ne diebus quidem ludorum Circensium, nisi Ædilium aut Censorum permissu, irrigabatur:

(*a*) Alias *non est*. (*b*) *mutantur*, *F. mutuantur*. (*c*) Alias *interior accipitur*.

(*a*) *penes*. (*bc*) *ex Senatusconsulto, quod factum est C. Licinio Geta & Q. Fabio Coss.* Vide Notas.

1 *Eam nos caducam vocamus*) Vide Varronem de Re Rust. lib. III. cap. 5. Sic infra ex SCto refert, edixisse Nervam: CADVCAM. NEMINEM. VOLO. DVCERE. NISI. QVI. MEO. BENEFICIO. AVT. PRIORVM. PRINCIPVM. HABENT. Etiam illæ aquæ, quæ ex castellis & fistularum manationibus fluebant, *caducæ* vocabantur, ut observat vir illustris ad Varronem. Inde apud Nonium legendum: *Aqua caduciter ruens*; id est, præcipitanter; non *caducitur*, ut pro verbo male lectum.

2 *Ad quem autem Magistratum jus dandæ vendendæve aquæ pertinuerit, in iis ipsis legibus variatur, interdum enim ab Ædilibus, &c.*) Ædilium numero numerabantur Magistratus. Festus a Scaligero restitutus: *Ædilis initio dictus est, quod ædium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Deinde ad Magistratus translatum est.* Nam hoc nomine omnes, ut ait Lucretius, æditeuntes vocabantur.

3 *Positamque redemptoribus necessitatem*) Redemptores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum aliquid publice faciendum aut præbendum conduxerant effecerantque, tum demum pecunias accipiebant. Nam antiquitus *emere* pro *accipere* ponebatur: at ii nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt præbendum utendumque. Sic habes apud eundem Festum. Glossæ veteres: *redemptor*, ἐργολάβος, ἐκλήμπτωρ. Aliæ: ἐκλήμπτωρ, *conductor*, *exceptor*. Vetus Formula de ædificiis: NE. RECENTIORE. TRIMA. ARENA. VTERETVR. REDEMPTOR. Perperam; lego: NE. RECENTIOR. TRIMA. ARENA. VTERETVR. REDEMPTOR.

4 *Quod Circus maximus ne diebus quidem ludorum Circensium, nisi Ædilium aut Censorum permissu, irrigabatur*) Hæc verba de irrigatione sumenda sunt, quæ fossis Circo circumdatis & Euripis aquam inducebat. Euripos, ut Nilos, aquæductus apertos & grandes appellaverunt, quos vulgo canales aquæ dicimus. Hesychius: ὀχετός, δοχὴ τῶν ὑδάτων. ὀχετοί, δοχαὶ ὑδάτων exponit, quas Latini *dogas* exinde dixere. Et hoc proprie *irrigare*, cum riguis sive rivis aqua inducitur: *eriguare* cum deducitur, quod Græcis ἀρδεύειν, ut *rigua*, τὰ ἐπίρρυτα τὰ ἐποχετευόμενα. Viri magni perperam referunt ad nescio quam refrigerationem, qua in theatro aquarum per semitas decursu æstivus minuebatur fervor; cujus rei primus auctor Pompejus.

[1] quod duraſſe etiam poſtquam res ad curatores tranſiit ſub Auguſto, apud Attejum Capitonem legimus. Agri vero, qui aqua publica contra legem eſſent irrigati, publicabantur. Mancipia etiam, ſicut ea quæ adverſus legem mulcta loco feciſſe dicebantur. In iiſdem legibus adjectum eſt ita: [2] NE. QVIS. AQVAM. OLETATO. DOLO. MALO. VBI. PVBLICE. SI. QVIS. OLETARIT. SESTERTIORVM. X. MILIVM. MVLCTA. ESTO. *Oletato*, videtur eſſe olidam facito, cujus rei cauſa Ædiles Curules jubebantur per vicos ſingulos ex iis, qui in unoquoque vico habitarent prædiave haberent, binos præficere, quorum arbitratu aqua in publicum ſaliret. Primus M. Agrippa poſt Ædilitatem, quam geſſit Conſularis, operum ſuorum & numerum veluti perpetuus curator fuit, (*a*) qui jam copia permittente deſcripſit, quid aquarum publicis operibus, quid privatis daretur. [3] Habuit & (*b*) familiam propriam, aquarum quæ tueretur ductus, atque caſtella, & lacus. Hanc Auguſtus hæreditatem ab eo ſibi relictam publicavit. Poſt eum Q. Ælio Tuberone, P. Fabio Maximo iterum Coſſ. in re, quæ uſque in id tempus, quaſi poteſtate acta, certo jure eguiſſet, Senatuſconſulta acta ſunt, ac lex promulgata. Auguſtus quoque edicto complexus eſt, quo jure uterentur, qui ex commentariis Agrippæ aquas haberent, tota re in ſua beneficia translata. Modulos etiam, de quibus dictum eſt, conſtituit, & rei continendæ exercendæque (*c*) curatorem fecit Meſſalam Corvinum, cui adjutores dati Poſthumius Sulpitius Prætorius & L. Cominius Pedarius, inſignia eis quaſi Magiſtratibus conceſſa, deque eorum officio Senatuſconſultum factum, quod infra ſcriptum eſt:

QVOD. Q. ÆLIVS. TVBERO. P. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. DE. IIS. QVI. CVRATORES. AQVARVM. PVBLICARVM. EX. SENATVSCONSVLTO. A. CÆSARE. AVGVSTO. NOMINATI. ESSENT. ORDINANDIS. D. E.

(*a*) *qui etiam*. (*b*) Alias *familiam propriam aquarum, quæ*, &c. (*c*) Alias *auctorem*.

1 *Quod duraſſe etiam poſtquam res ad Curatores tranſiit ſub Auguſto, apud Attejum Capitonem legimus*) Sane mos ille Circi per Euripos irrigandi uſque in Neronem manſit, qui Euripos ſuſtulit, & eorum loco, alia loca, unde eques ſpectaret, addidit. Quod alibi Plinius aperte ſubindicat. Illud autem Frontini παρέραμα eſt.

2 *NE. QVIS. AQVAM. OLETATO. DOLO. MALO. VBI. PVBLICE. SALIT.*) Quid *oletare* ſit, ipſe ſubjungit hiſce verbis: *oletato, videtur eſſe olidam facito*. Quod nuſpiam alibi me legiſſe memini. Illud obiter addam, Veteres, cum odorem δυσοσμὸν indicare vellent, antiquo verbo *olo* ſæpiſſime uſos. Afranius Fratriis: *Non poteſt, quin illa tacta, longeque & multis olat*. Pomponius Aleonibus. *Alea ludam ſane: meæ male olant manus*. Nonius: *olat pro oleat*. Inde *oletum*, τὸ ἀποσκευαζόμενον τοῦ ἀνθρώπου. Gloſſæ: *oletum*, κόπρος. Perſius Sat. 1. *Veto quiſquam hic faxit oletum*. Verranius apud Feſtum: *Sacerdotula in ſacrario Martiali fecit oletum*, id eſt, oletavit.

3 *Habuit & familiam propriam*) Sic omnino diſtinguendum: non, ut inepte alii, *habuit & familiam propriam aquarum, quæ tueretur ductus*. Non habuit Agrippa familiam aquarum, ſed familiam ad tuendos aquarum ductus. Homines ſervos antiqui vocabant a famulando *familias*; ut habes apud Ulpianum lib. 1. D. de vi armata. Unde *gladiatorum familia* apud Ciceronem; &, *ager familiæ eſt aſſignatus*, in libro Coloniarum. Seneca Epiſt. 47. *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt; ſervos (quod etiam in Mimis adhuc durat) familiares*.

R. Q. F. P. D. E. R. I. C. PLACERE. HVIC. ORDINI. EOS. QVI. AQVIS. PVBLICIS. PRÆESSENT. CVM. EIVS. REI. CAVSA. EXTRA. VRBEM. ESSENT. LICTORES. BINOS. [1] ET. SERVOS. PVBLICOS. TERNOS. ARCHITECTOS. SINGVLOS. ET. SCRIBAS. ET. LIBRARIOS. ACCENSOS. PRÆCONESQVE. TOTIDEM. HABERE. QVOT. HABENT. II. PER. QVOS. FRVMENTVM. PLEBEI. DATVR. CVM. AVTEM. IN. VRBE. (*a*) EIVSDEM. CAVSA. ALIQVID. AGERENT. CÆTERIS. APPARITORIBVS. IISDEM. PRÆTERQVAM. LICTORIBVS. (*b*) VTIQVE. QVIBVS. APPARITORIBVS. EX. HOC. S. C. CVRATORIBVS. AQVARVM. VTI. LICERET. (*c*) EOS. DIEBVS. X. PROXIMIS. QVIBVS. S. C. FACTVM. ESSET. AD. ÆRARIVM. (*d*) DEFERRENTVR. QVIQVE. ITA. DELATI. ESSENT. IIS. PRÆFECTORES. ÆRARII. (*e*) MERCEDE. CIBARIA. QVANTA. PRÆFECTI. FRVMENTO. (*f*) DANDA. DARE. DEFERREQVE. SOLENT. ANNVA. DARENT. ET. ATTRIBVERENT. IISQVE. EAS. PECVNIAS. SINE. FRAVDE. SVAS. (*g*) FACERE. LICERET. [2] VTIQVE. TABVLAS. CHARTAS. (*h*) CÆTERAQVE. QVÆ. EIVS. CVRATIONIS. CAVSA. (*i*) [3] OPVS. ES-

(*a*) EIVS. REI. Sic Briſſ. (*b*) VTI. QVIBVS. APPARITORIBVS. EX. HOC. S. C. CVRATORIBVS. AQVARVM. VII. LICERET. &c. Sic Briſſ. (*c*) IN. DIEBVS. (*d*) DEFERRENT. (*e*) MERCEDEM. MERCEDES. Briſſ. (*f*) DANDO. (*g*) CAPERE. (*h*) CÆRAS QVÆQVE. (*i*) ESSENT.

1 *ET. SERVOS. PVBLICOS. TERNOS. ARCHITECTOS. SINGVLOS*) Indubie mihi perſuadeo, SERVOS. PVBLICOS. eſſe ſervos mercenarios & conductitios. Veteres Latini *ambactum* vocarunt talem operarium. Gloſſæ Scaligero poſt Turnebum laudatæ: *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Inde Feſtus ait, *ambactum* apud Ennium ſignificare ſervum mercenarium. Hic proprie *publicus* & μισθωτὸς, Juliano in epiſt. δοῦλος δημόσιος. Plinius x. Epiſtolar. *Quidam vel in opus damnati, vel in ludum publicorum ſervorum officio funguntur*. Qui ſequuntur ACCENSI, non adſcriptitii ſunt, ſed in municipiis, itemque Romæ publici etiam miniſterii nomen. Vetus Inſcriptio:

T. STATILIVS. VOL. PROCVLVS.
ACCENSVS. VELATVS. ET. ARGENTARIA.
EVTYCHIA. PARENTES. FILIO. OPTVMO. ET.
ORCIVIÆ. ANTHIDI. VXORI. EIVS. SIBIQVE.
ET. SVIS.
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQVE. EORVM.

Saxum Appianum prope Formias:

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI.
SCRIBÆ. ÆDILIC.
ACCENSO. VELATO.
II. VIRO. QVINQVENN.
CVRATORI. VIARVM.

2 *VTIQVE. TABVLAS. CHARTAS. CÆTERAQVE.*) Ultimam vocem CÆRASQVE. legerunt, & CÆRAS.... QVÆQVE. varii libri, notante Scriverio. Quod ego non muto, ſed in aliam ſcribendi rationem immuto: CERAS. QVÆQVE. Sic antiqui libri, ſic Græci ſuum κηρὸς: plerumque in ceratis tabulis ſcribere ſolebant, & poſtea delere. Julius Aphricanus cap. LVI. περὶ κρυφίας ἐπιστολῶν εἰσπομπῆς, eleganter hanc rem explicat: ἄλλοι πάλιν ἐν τῷ τῆς δέλτου ξύλῳ γράψαντες, κηρὸν ἐπέτηξαν, καὶ ἄλλα εἰς τὸν κηρὸν ἔγραψαν. Εἶτα ὅτε ἦλθε, πρότερον δὴ τὸν κηρὸν ἐκκινήσας, καὶ ἀναγνοὺς, ὁμοιοτρόπως ἀντεπέστειλε.

3 *OPVS. ESSET. IIS. CVRATORIBVS. PRÆBENDA*) Lego: OPVS. ESSENT. IIS. CVRATORIBVS. PRÆBERI.

SET. IIS. CVRATORIBVS. (*a*) PRÆ- A BENDA. [1] Q. ÆLIVS. P. FABIVS. COSS. AMBO. ALTERVE. (*b*) SI. IIS. VIDEBITVR. ADHIBITIS. PRÆTORIBVS. (*c*) [2] QVI. ÆRARIO. PRÆSINT. ET PRÆBENDA. LOCENT.

[3] Itemque cum viarum frumentique curatores, qui quarta parte anni publico fungebantur ministerio, ut curatores aquarum judiciis vacent privatis publicisque, apparitores & ministeria, quamvis perseveret adhuc ærarium in eos erogare, tamen etiam curatorum videntur desisse inertia, & segnitia non agentium officium. Egressi autem Urbem duntaxat B agendæ rei causa, Senatus præsto esse lictores jusserat: nobis circumeuntibus rivos, fides nostra, & autoritas a Principe data pro lictoribus erit. Cum rem produxerimus ad initium curatorum, non est alienum subjungere, qui post Messalam huic officio ad nos usque præfuerint. Messalæ successit, Silio & Planco Coss. Attejus Capito: Capitoni, L. Martio, C. Antistio Vetere Coss. Satrius Rufus: Satrio, Sergio Cornelio Cethego, L. Visellio Varrone Coss. M. Coccejus Nerva, Divi Nervæ avus, scientia juris illustris: huic successit, F. Perlico, L. Vitellio Coss. C. C Octavius Lenas: Lenati, Juniano & Nono Asprenate Coss. Aquila: huic successit M. Porcius Cato: post quem, Sexto Nonio Celere & Junio Quintiliano Coss. Didius Gallus: Gallo, Q. Veranio, Pompejo Longino Coss. Cn. Domitius Afer: Afro, Nerone Claudio Cæsare quartum & Cosso Cossi filio Coss. L. Piso: Pisoni, Virginio Rufo & Memmio Regulo Coss. Petronius Turpilianus: Turpiliano, Crasso Frugi & Lecanio Basso Coss. P. Marius: Mario, L. Telesino & Suetonio Paulino Coss. Fontejus Agrippa: Agrippæ, Silio & Galerio Trachalo Coss. (*d*) Alipius Crispus: Crispo, Vespasiano tertium & Coc- D cejo Nerva Coss. Pompejus Silvius: Silvio, Valerio & Messalino Coss. T. Anius Flavianus: Flaviano, Vespasiano quintum & Tito tertium Coss. Acilius Aviola: post quem Imperatore Nerva tertium, & Virginio Rufo tertium Coss. ad nos cura translata est. Nunc quid observare curator aquarum debeat, & leges, Senatusque consulta ad instruendum eum pertinentia, subjungam. Circa jus ducendæ aquæ in privatis hæc observanda sunt, & ne quis sine literis Cæsaris, id est, ne quis aquam publicam non impetratam, & ne quis amplius quam impetratum fuerit ducat. Ita enim efficiemus, ut modus, quem acquiri diximus, possit ad novos salientes, & ad nova Principis beneficia pertinere. In utroque autem magna cura multiplici opponenda fraudi est. Solicite subinde ductus extra Urbem sunt circumeundi ad recognoscenda beneficia. Idem in castellis salientibus publicis faciendum, ut sine intermissione diebus noctibusque aqua fluat, quod Senatus quoque consulto curator facere jubetur; cujus hæc quoque verba sunt.

QVOD. ÆLIVS. TVBERO. ET P. FABIVS MAXIMVS. (*a*) O. V. F. COSS. DE. NVMERO. PVBLICORVM. SALIENTIVM. QVI. IN. VRBE. ESSENT. INTRAQVE. ÆDIFICIA. VRBI. CONIVNCTA. QVOS M. AGRIPPA. FECISSET. Q. F. P. D. E. R. I. C. NEQVE. AVGERI. PLACERE. NEC. MINVI. NVMERVM (*b*) PVBLICORVM. SALIENTIVM. QVOS. NVNC. ESSE. RETVLERVNT. II. [1] QVIBVS. NEGOTIVM. A. SENATV. EST. (*c*) IMPERATVM. VT. INSPICERENT. AQVAS. PVBLICAS. INIRENTQVE. NVMERVM. SALIENTIVM. PVBLICORVM. ITEMQVE. PLACERE. CVRATORES. AQVARVM. QVOS. S. C. CÆSAR. AVGVSTVS. EX. SENATVS. AVTORITATE. NOMINAVIT. DARE. OPERAM. VT. SALIENTES. PVBLICI. QVAM ASSIDVISSIME. INTERDIV. ET. NOCTV. AQVAM. IN. VSVM. POPVLI. FVNDERENT.

In hoc Senatusconsulto crediderim annotandum, quod Senatus tam augeri quam minui salientium publicorum numerum vetuerit. Id factum existimo, quia modus aquarum, quæ iis temporibus in Urbem veniebant, antequam Claudia & Anio novus (*d*) perducerentur, majorem erogationem (*e*) capere non videbatur. Qui aquam in usus privatos deducere volet, impetrare eam debebit, & a Principe epistolam ad curatorem adferre. Curatores deinde beneficio Cæsaris præstare maturitatem, & procuratorem ejusdem officii libertum Cæsaris protinus scribere. Procuratorem autem primus Ti. Claudius videtur admovisse, postquam Anionem novum & Claudiam induxit. Quid contineat epistola Julia, fieri quoque notum debet, ne quando negligentiam, aut fraudem suam ignorantiæ colore defendat. Procurator calicem ejus moduli, qui fuerit impetratus, adhibitis libratori-

(*a*) PRÆBERI. (*b*) SI. VIDEBITVR. (*c*) QVI. ÆRARIO. PRÆSVNT. PRÆBENDA. LOCENT. EA. PRÆBENDA. LOCENT. (*d*) Alias *Albius*

1 *Q. ÆLIVS. P. FABIVS. COSS. AMBO. ALTERVE. SI. IIS. VIDEBITVR.*) Non: SI. VIDEBITVR. ut inepte Scriverio collati, qui minus expresserunt formulam Valerius Probus de Notis antiquis hæc verba sic expressit: A. A. V. S. E. V. Obiter emendabimus Vegetium libro III. cap. I. *Ut providerent, ne quid detrimenti resp. caperet, Coss. alter vel alter, ambove.* Scriptum fuit: *Coss. ambo alterve.* ΑΜΦΟΤΕΡΟΥΣ. ΥΠΑΤΟΥΣ ΚΑΙ. ΕΤΕΡΟΝ. in SCto Græco in æs inciso Romæ legimus. Cicero VIII. Philipp. *Uti C. Pansa, A. Hirtius Coss. alter, ambove, si eis videatur, de ejus honore præmiove ad Senatum primo quoque die deferant.* Philipp. X. *Uti C. Pansa, A. Hirtius Coss. alter, ambove, si eis videatur, iis, qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisque Pop. Romani, Urbe, templisque Deorum profudissent, monumentum facere jubeant.* Livius lib. XXX. *Non videri sibi, absente Consulum altero, ambobusve, eam rem agi.*

2 *QVI. ÆRARIO. PRÆSINT. ET. PRÆBENDA LOCENT.*) Scriverio collati: QVI. ÆRARIO. PRÆSVNT. PRÆBENDA. LOCENT. Lego: QVI. ÆRARIO. PRÆSVNT. EA. PRÆBENDA. LOCENT.

3 *Itaque cum viarum frumentique Curatores, qui quarta parte anni publico fungebantur ministerio*) Primus Augustus Curatores viarum fecit perpetuos, & horum certum munus. Erat autem eorum munus discretum a IV. Viris, & mox VI. Viris: nam hi vias Urbis curabant; illi eas, quæ extra Urbem. Etiam Curatores extra ordinem reperti, quos destinabant singulis viis. Qui autem frumenti curam sustinebant, alio nomine dicebantur Minutiæ Curatores. In veteri lapide: CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVTIÆ. CVR. ALVEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS.

(*a*) *Coss.* V. F. *sic supra semel, & infra quater.* (*b*) omitt. (*c*) DATVM. (*d*) Alias *producerentur.* (*e*) Alias *cupere.*

1 *QVIBVS. NEGOTIVM. A. SENATV. EST. IMPERATVM.*) DATVM. pro IMPERATVM. alii exhibent. Et infra: DARE. OPERAM. VT. SALIENTES. Iidem ineptissime: IMPERARE. OPERAM. In SCto Vellejano: *Hi, ad quos de ea re in jure aditum erit, si dederint operam.* Livius libro X. *Legatis, quos Tybur mittebat, mandatum; darent operam, ut tibicines Romanis restituerentur.*

bus ſignari cogitet, & diligenter intendat menſurarum, quas ſupra diximus, modum, & earum notitiam habeat, ne ſit in arbitrio libratorum interdum majoris luminis, interdum minoris, pro gratia perſonarum, calicem probare. Sed neque ſtatim (*a*) adhuc liberum ſubjiciendi, qualemcunque plumbeam fiſtulam permittat arbitrium: verum ejuſdem luminis, quo calix ſignatus eſt, eundem per pedes quinquaginta prope det, ſicut Senatuſconſulto, quod (*b*) ſubjiciendum eſt, cavetur.

QVOD. Q. ÆLIVS. TVBERO. (*c*) Q. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. QVOSDAM. PRIVATOS. EX. RIVIS. PVBLICIS. AQVAM. DVCERE. Q. D. E R. F. P. D. E. R. V. I. C. NE. CVI. PRIVATO. AQVAM. DVCERE. EX. RIVIS. PVBLICIS. LICERET. VTIQVE. OMNES. II. QVIBVS AQVÆ. DVCENDÆ IVS. ESSET. DATVM. EX. CASTELLIS. DVCERENT. ANIMADVERTERENTQVE. CVRATORES AQVARVM. QVIBVS. LOCIS. INTRA. EXTRAQVE VRBEM. APTE. CASTELLA. PRIVATI. FACERE POSSENT. EX QVIBVS. AQVAM DVCERENT. QVAM. EX. CASTELLO. COMMVNEM. ACCEPISSENT. A. CVRATORIBVS. AQVARVM. NE. CVI. EORVM. QVIBVS. AQVA DARETVR. PVBLICA. JVS. ESSET. INTRA. QVINQVAGINTA. PEDES. EJVS. CASTELLI. EX. QVO. AQVAM. DVCERENT. LAXIOREM. FISTVLAM. SVBJICERE. QVAM. QVINARIAM.

In hoc Senatuſconſulto dignum admiratione eſt, quod aquam non niſi ex caſtello duci permittit, ne aut rivi, aut fiſtulæ publicæ frequenter lacerarentur.

[1] JVS impetratæ aquæ neque hæredem, neque emptorem, neque ulum novum dominum prædiorum ſequitur. Balneis, quæ publice lavarent, privilegium antiquitus concedebatur, ut ſemel data aqua perpetuo maneret, ſicut ex veteribus Senatuſconſultis cognoſcimus, ex quibus unum ſubjeci: nunc omnis aquæ cum poſſeſſore inſtauratur beneficium.

QVOD. Q. ÆLIVS. TVBERO. P. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. CONSTITVI. (*d*) OPORTERET. QVO. JVRE. EXTRA. INTRAQVE. VRBEM. DVCERENT. AQVAS. IIS. QVIBVS. ATTRIBVTÆ. ESSENT. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. VTI. IIS. QVOQVE. MANERET. ATTRIBVTIO. AQVARVM. EXCEPTIS. QVÆ. IN. VSVM. BALNEORVM. ESSENT. DATÆ. AVT. AVGVSTI. NOMINE. QVOAD. IIDEM. DOMINI. POSSIDERENT. ID. SOLVM. IN. QVO. ACCEPISSENT. AQVAM.

Cum vacare aliquæ cœperint, adnunciatur, in commentarioſque redigitur, qui reſpiciuntur, ut

(*a*) Alias *ab hoc*. (*b*) Alias *ſubjectum*. (*c*) P. FABIVS. M. *ſic ſupra & infra in Senatuſconſultis*. (*d*) OPORTERE. Sic Briſſ.

1 *Jus impetratæ aquæ neque hæredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum prædiorum ſequitur*) Vide Fr. Duarenum Commentar. in Tit. de Aquæductu.

petitoribus ex vacuis dari poſſint. Has aquas ſtatim (*a*) interdicere ſolebant, ut medio tempore venderent aut poſſeſſoribus prædiorum, aut aliis. Humanius etiam viſum eſt Principi noſtro, ne prædia ſubito deſtituerent, triginta dierum ſpacium indulgeri, intra quod ii, ad quos res pertinet, irrigarent. De aqua in prædia ſociorum data, nihil conſtitutum invenio, perinde tamen obſervatur, ac jure cautum, ut dum quis ex iis, qui communiter impetraverunt, ſupereſſet, totus modus prædiis aſſignatus flueret: & tunc demum renovaretur beneficium, cum deſiiſſet quiſque ex iis, quibus erat datum poſſidere. Impetrata aqua alio quam in ea prædia, in quæ data erat, aut ex alio caſtello, quam quo ex epiſtola Principis contrahebat duci, palam Senatuſconſulto non oportet, ſed & Mandatis prohibetur. Impetrantur autem & hæ aquæ, quæ caducæ vocantur, id eſt, quæ aut ex caſtellis effluunt, aut ex manationibus fiſtularum, quod beneficium a Principibus parciſſime tribui ſolitum, ſed fraudibus aquariorum obnoxium eſt, quibus prohibendis quanta cura debeatur, ex capite Mandatorum manifeſtum erit: quod ſubjeci:

CADVCAM. NEMINEM. VOLO. DVCERE. NISI. QVI. MEO. BENEFICIO. AVT. PRIORVM. PRINCIPVM HABENT. (*b*) NAM. NECESSE EST. EX. CASTELLIS. ALIQVAM. PARTEM. AQVÆ. (*c*) AFFLVERE. CVM HOC. PERTINEAT. NON. SOLVM. AD. VRBIS. NOSTRÆ. SALVBRITATEM. SED. ETIAM. AD. VTILITATEM. CLOACARVM. ABLVENDARVM.

Explicitis quæ ad ordinationem aquarum privati uſus pertinebant, non ab re eſt quædam ex iis, quibus circumſcribi ſaluberrimas conſtitutiones in ipſo rei actu deprehendimus, exempli cauſa attingere. Ampliores quoſdam calices quam impetrati erant poſitos in pleriſque caſtellis inveni, & ex iis aliquos ne ſignatos quidem. Quoties autem ſignatus calix excedit legitimam menſuram, ambitio procuratori, qui eum ſignavit, detegitur: cum vero ne ſignatus quidem eſt, manifeſta culpa omnium, maxime accipientis deprehenditur, deinde villici. In quibuſdam cum calices legitimæ menſuræ ſignati eſſent, ſtatim amplioris moduli fiſtulæ ſubjectæ fuerunt: unde acciderat, ut aqua non per legitimum ſpacium coercita, ſed per leves anguſtias expreſſa, facile laxiorem in proximo fiſtulam impleret. Ideoque illud adhuc, quoties ſignatur calix, diligentiæ adjiciendum eſt, ut fiſtulæ quoque proximæ per ſpacium, quod Senatuſconſulto comprehenſum diximus, ſignentur. Ita demum enim villicus, cum ſcierit non aliter quam ſignatas collocari debere, omni carebit excuſatione. Circa collocandos quoque calices obſervari oportet, ut ad lineam ordinentur, nec alterius inferior calix, alterius ſuperior ponatur. Inferior plus trahit, ſuperior minus ducit; quia curſus aquæ ab inferiore rapitur. In quorundam fiſtulis ne calices quidem poſiti fuerunt: hæ fiſtulæ ſolutæ vocantur, & ut aquario libuit laxantur, vel coartantur. [1] Adhuc illa aquariorum intolerabilis fraus eſt,

(*a*) Alias *introducere*. (*b*) Alias NON. (*c*) Alias EFFLVERE.

1 *Adhuc illa aquariorum intolerabilis fraus eſt, tranſlatæ in novum poſſeſſorem aquæ foramen novum caſtello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahant aquam*) Melius: *tranſlata in novum poſſeſſorem aqua*. Romani autem ve-

(*a*) translatæ in novum poſſeſſorem aquæ foramen novum caſtello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahant aquam. In primis ergo hoc quoque emendandum curatori crediderim. Non enim ſolum ad ipſarum aquarum cuſtodiam, ſed etiam ad caſtelli tutelam pertinet, quod ſubinde & ſine cauſa foratum vitiatur. Etiam ille aquariorum tollendus eſt reditus, quem vocant punctam. Longa ac diverſa ſunt ſpacia, per quæ fiſtulæ tota meant Urbe, latentes ſub ſilice. Has comperi per eum, qui appellabatur a punctis, paſſim (*b*) convulneratis omnibus in tranſitu (*c*) negotiatoribus, præbuiſſe peculiaribus fiſtulis aquam: quo efficiebatur, ut exiguus modus ad uſus publicos proveniret. Quantum ex hoc modo aquæ ſublatum ſit, æſtimo ex eo, quod aliquantum plumbi ſublati ejuſmodi ramis reductum eſt.

SUPEREST tutela ductuum, de qua prius quam dicere incipiam, pauca de familia, quæ hujus rei cauſa parata eſt, explicanda ſunt. Familiæ ſunt duæ, altera publica, altera Cæſaris. publica antiquior, (*d*) quam ab Agrippa Auguſto relictam, & ab eo publicatam diximus. Habet homines circiter (*e*) CCXL. Cæſaris familia, quam Claudius cum aquas in Urbem perduceret conſtituit, numerus eſt CCCCLX. Utraque autem familia in aliquot miniſteriorum ſpecies diducitur: villicos, (*f*) caſtellarios, curatores, ſilicarios, tectores aliosque opifices. Ex his aliquos extra Urbem eſſe oportet ad ea quæ non ſunt magnæ molitionis. Maturum tamen auxilium videntur exigere omnes in Urbe circa caſtellorum & munerum ſtationes operaque quæ urgebunt, in primis ad ſubitos caſus, ut ex compluribus regionibus, in quas neceſſitas incubuerit, converti poſſit præſidium aquarum abundantius. Tam amplum numerum utriuſque familiæ ſolitum, ambitione aut negligentia præpoſitorum, in privata opera diduci, revocare ad aliquam diſciplinam & publica miniſteria, ita inſtituimus, ut pridie quid eſſet actura dictaremus, & quid quaque die egiſſet actis comprehenderetur. Commoda publicæ familiæ ex Ærario dantur, [1] quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad jus aquarum pertinentium. Ea conſtat (*g*) ex hortis ædificiiſve, quæ ſunt circa ductus, aut caſtella, aut munera, aut lacus, quem reditum prope ſeſtertium (*h*) CCL. milium, ſalientem, ac vagum, proximis vero temporibus in Domitiani loculos verſum, juſtitia Divi Nervæ populo reſtituit, noſtra ſedulitas ad certam regulam redegit, ut conſtaret, quæ eſſent ad hoc vectigal pertinentia loca. Cæſaris familia ex fiſco accipit com-

(*a*) Alias *tranſlata i. n. p. aqua*. (*b*) *Convulneratas*. (*c*) Alias *negotiationibus*. (*d*) Ita legendum. (*e*) Alias CCLX. (*f*) Alias *caſtellanos*. (*g*) Alias *ex olivetis, quæ*. (*h*) Alias CC. *milium*.

nalem aquam per aquarios circumferri definiebant (ut etiamnum in Italia moris eſt) ad quod Juvenalis alludit Sat. VI.

—— *veniet conductus aquarius*.

Primus uſus honeſtus legitimuſque, nam lavantibus aquæ aſperſio neceſſaria; poſtea ſordidus & impudicus. Feſtus: *Aquarioli mulierum impudicarum ſordidi aſſeclæ*. Gloſſæ veteres; *Aquarioli*, βαλανεῖς, *bacariones*. Eædem: *bacario*, πορνοβοσκός: Lampridius in Commodo: *aquam geſſit, ut lenonum magiſter*.

1 *Quod impendium exoneratur vectigalium reditu, ad jus aquarum pertinentium*) Scriptum fuit in aliis; *quod impendium erogatur*. Et proprie quidem *impendium*, ἀνάλωμα, pecunia eſt, quæ erogando pendi ſolet. Hinc *impendia* dicuntur, quæ ſunt neceſſaria in aliquam rem erogandam, vel etiam exonerandam. Gloſſæ: *Impendia*, τὰ ἐπιτήδεια. Frontinus paullo infra: *Unde & omne plumbum, & omnes impenſæ ad ductus, & caſtella, & lacus pertinentes, erogantur*. Non *erogabantur*, ut alii ad oram alleverunt.

moda, unde & omne plumbum, & omnes impenſæ ad ductus, & caſtella, & lacus pertinentes, (*a*) erogantur.

QUONIAM quæ videbantur ad familiam pertinere expoſuimus, ad tutelam ductuum, ſicut promiſeramus (*b*) divertimus, rem enixiore cura dignam, cum magnitudinis Romani Imperii id præcipuum ſit indicium. Multa atque ampla opera ſubinde naſcuntur, quibus ante ſuccurri debet, quam magno auxilio egere incipiant, [1] pleraque tamen prudenti temperamento ſuſtinenda ſunt, quia non ſemper opus aut facere, aut ampliare quærentibus, credendum eſt. Ideoque non ſolum ſcientia peritorum, ſed & proprio uſu curator inſtructus eſſe debet, [2] nec ſuæ tantum ſtationis architectis uti, ſed plurium advocare non minus fidem quam ſubtilitatem, ut æſtimet, quæ repræſentanda, quæ differenda ſint: & rurſus, quæ per redemptores effici debeant, & quæ per domeſticos artifices. Naſcuntur opera fere ex his cauſis, nam aut vetuſtate corrumpuntur, aut impotentia poſſeſſorum, aut vi tempeſtatum, aut culpa male facti operis, quod ſæpius accidit in recentibus. Fere aut vetuſtate, aut vi tempeſtatum partes ductuum laborant, quæ arcuationibus ſuſtinentur, aut montium lateribus applicatæ ſunt, & ex arcuationibus, eæque per flumen trajiciuntur. Ideo hæc opera ſolicita feſtinatione explicanda ſunt. Minus injuriæ ſubjacent ſubterranea, nec gelicidiis, nec caloribus expoſita. [3] (*c*) Vitia autem ejuſmodi, aut talia ſunt, ut non interpellato curſu ſubveniatur eis, aut emendari niſi averſa non poſſint, ſicut ea quæ in ipſo alveo fieri neceſſe eſt. Hæc duplici ex cauſa naſcuntur, aut limo concreſcente, qui interdum in cruſtam dureſcit, iterque aquæ coarctat: aut tectorio, quod corrumpitur, unde fiunt manationes, quibus neceſſe eſt latera rivorum & ſubſtructiones vitiari. [4] Pilæ quoque

(*a*) Alias *erogabantur*. (*b*) Alias *divertamus*. (*c*) Alias *Vitia autem ejuſmodi ſunt, ut aut non interpellato*, &c.

1 *Pleraque tamen prudenti temperamento ſuſtinenda ſunt*) *Prudenti*, id eſt, artificioſo. Sic Plinius *artifex temperamentum* dixit. Et ſic ubique loquitur Ennodius, qui omnia ferme ab antiquioribus mutuatus eſt.

2 *Nec ſuæ tantum ſtationis architectis uti*) Lampridius in Commodo: *Jam in his artifex, quæ ſtationis Imperatoriæ non erant*. Statio igitur pro ſtatu ſive conditione. Gloſſæ veteres Græcanicæ: στατίωνες, τὰ πρακτεῖα τῶν δημοσίων τελῶν.

3 *Vitia autem ejuſmodi, aut talia ſunt, ut non interpellato curſu ſubveniatur eis*) Ad oram Scriveriani: *Vitia autem ejuſmodi ſunt, ut aut non interpellato curſu*. Quod multo melius eſt, & concinnius. Veteres ſchedæ, quibus humanitate & beneficio clariſſimi viri Joachimi Borgeſii, Groningani Profeſſoris, utor, eandem nobis lectionem exhibuerunt. Non diſſimulabo tamen ὡραῖον illud, quod eidem Scriveriano meo adſcriptum fuit: *Vitia autem ejuſmodi, aut ſolia ſunt*. Ex vitioſa lectione formabam prius: *Vitia autem ejuſmodi, aut ſoleæ ſunt*. Sequentia non adeo repugnant, expoſita, forſan corrupta, voce. *Soleæ*, canales ſunt & fiſtulæ aquæductuum. Vet. Inſcriptio: FORNICESQVE. FECIT. FISTVLASQVE. SOLEAS. Auctor Gloſſarum: Σωλήν, *fiſtula*, *tubus*, *imbrix*. Inde Silani, κρουνοί. ἀρχαὶ τῶν ῥευμάτων, ut ſuperius adnotamus. Columella ſic legendus: *Oleo conficiendo molæ utiliores ſunt quam trapetum; trapetum, quam canalis & ſolea*. Perperam *Solena* mutavit Cœlius. Sed judicent οἱ τὰ πάρεργα ἐργαζόμενοι.

4 *Pilæ quoque ipſæ topho exſtructæ ſub tam magno onere labuntur*) Corrupto tectorio, quod oppilando debet inniti. Quid pilæ ſint, optime Feſtus nos docet: *Pila*, inquit, *quæ parietem ſuſtentat, ab oppilando dicta*. Vulgo mendoſe: *ab opponendo dicta*. Structura nimirum erecta, inſtar pilæ vaſis, ad aliquid firmandum; ſive ſuppoſita ſuſtineat, ſive oppoſita contineat, ne loco cedant. Heſychius: ὅλμος περιφερὴς λίθος ἐν ᾧ τὰς βοτάνας τρίβουσιν, καὶ ποτηρίου εἶδος, καὶ κύλινδρος. Quia & ὅλμος eſt pila & cylindrus, unam cum pila vaſe vocem ſtatuit, diverſis rebus ſimilibus accommodatam. Apud Thucydi-

que ipsæ topho exstructæ sub tam magno onere labuntur. Refici quæ circa alveos sunt rivorum æstate non debent, ne aquæ intermittatur usus tempore quo præcipue desideratur: sed vere, vel autumno, & maxima cum festinatione, ita ut ante præparatis omnibus quam paucissimis diebus rivi cessent. Neminem fugit per singulos ductus hoc esse faciendum, ne, si plures pariter avertantur, desit aqua Civitati. Ea quæ non interpellato aquæ cursu effici debent, maxime structura constant, quam suis temporibus & fidelem fieri oportet. Idoneum structuræ tempus est a Kalendis Aprilibus in Kalendas Novembres, ita ut optimum sit intermittere [1] eam partem æstatis, quæ nimis caloribus incandescit: quia temperamento cœli opus est, ut ex humore commode structura combibat, (*a*) & in unitate corroboretur. Non minus autem sol acrior quam gelatio præcipit materiam: neque ullum opus diligentiorem poscit curam, quam quod aquæ obstaturum est. Fides itaque ejus per singula, secundum legem notam omnibus, sed a paucis observatam, exigenda est. Illud nulli dubium esse crediderim, proximos ductus, id est, qui a VI. miliario lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos: quoniam & amplissimi operis sunt, & plures aquas singuli sustinent, quos si necesse fuerit interrumpere, major pars aquarum Urbem Romam destituet. Remedia tamen sunt, ut his difficultatibus inchoatus alveus excitetur ad libram deficientis. Alveus vero plumbatis canalibus, per spacium interrupti ductus, rursus (*b*) contineatur. Porro quoniam fere omnes specus per privatorum agros directi erant, & difficilis videbatur futuræ impensæ (*c*) præparatio, ut alicujus constitutione succurreretur, simul ne accessu ad reficiendos rivos redemptores a possessoribus prohiberentur, Senatusconsultum factum est, quod subjeci:

QVOD. Q. ÆLIVS. TVBERO. P. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. DE. RIVIS. SPECVBVS. FORNICIBVSQVE. IVLIÆ. MARTIÆ. APPIÆ. TEPVLÆ. ANIONIS. REFICIENDIS. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. VT. CVM. II. RIVI FORNICES. QVOS. AVGVSTVS. CÆSAR. SE. REFECTVRVM. IMPENSA. SVA. POLLICITVS. SENATVI. EST. REFICERENTVR. EX. AGRIS. PRIVATORVM. TERRAM. LIMVM. LAPIDEM. TESTAM. ARENAM. LIGNA. CÆTERAQVE. QVIBVS. AD. EAM. REM. OPVS. ESSET. VNDE. QVÆQVE. EARVM. PROXIME. SINE. INIVRIA. PRIVATORVM. TOLLI. SVMI. PORTARI. POSSINT. VIRI. BONI. ARBITRATV. ÆSTIMATA. DARENTVR. TOLLERENTVR. SVMERENTVR. EXPORTARENTVR. ET. EAS. RES. OMNES. EXPORTANDAS. EARVMQVE. RERVM. REFICIENDARVM. CAVSA. QVOTIES. OPVS. ESSET. PER. AGROS. PRIVATORVM. SINE. INIVRIA. EORVM. ITINERA. ACTVS. PATERENT. DARENTVR.

Plerumque autem vitia oriuntur ex impotentia possessorum, qui pluribus modis rivos violant. Primum enim spacia, quæ circa ductus aquarum ex Senatusconsulto vacare debent, aut ædificiis, aut arboribus occupant. Arbores magis nocent, quarum radicibus & concamerationes & latera solvuntur: deinde vicinales vias, agrestesque per ipsas formas dirigunt: novissime aditus ad tutelam præcludunt: quæ omnia Senatusconsulto, quod subjeci, provisa sunt:

QVOD. Q. ÆLIVS. TVBERO. P. FABIVS. MAXIMVS. V. F. AQVARVM. QVÆ. IN. VRBEM. VENIRENT. ITINERA. OCCVPARI. MONVMENTIS. ET. ÆDIFICIIS. ET. ARBORIBVS. CONSERI. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. CVM. AD. REFICIENDOS. RIVOS. SPECVSQVE. PER. QVÆ. ET. OPERA. PVBLICA. CORRVMPVNTVR. PLACERE. CIRCA. FONTES. ET. FORNICES. ET. MVROS. VTRAQVE. EX. PARTE. VACVOS. CENTENOS. QVINOS. DENOS. PEDES. PATERE. ET. CIRCA. RIVOS. QVI. SVB. TERRA. ESSENT. ET. SPECVS. INTRA. VRBEM. CONTINENTIA. ÆDIFICIA. VTRAQVE. EX. PARTE. QVINOS. PEDES. VACVOS. RELINQVI. ITA. VT. NEQVE. MONVMENTVM. IN. IIS. LOCIS. NEQVE. ÆDIFICIVM. POST. HOC. TEMPVS. PONERE. NEQVE. CONSERERE. ARBORES. LICERET. SI. QVÆ. NVNC. ESSENT. ARBORES. INTRA. ID. SPACIVM. (*a*) EXTIRPARENTVR. PRÆTERQVAM. SI. QVÆ. VILLÆ. CONTINENTES. ET. INCLVSÆ. ÆDIFICIIS. ESSENT. [1] SI. QVIS. ADVERSVS. EA. COMMISERIT. IN. SINGVLAS. RES. IN. DENA. MILIA. DAMNAS. ESSET. EX. QVIBVS. PARS. DIMIDIA.

(*a*) Alias *& siccitate corroboretur*. (*b*) Alias *continuatur: & continuetur*. (*c*) Alias *Præparationi alicujus*, F *Præparatio; ni alicujus*.

cydidem χηλὴ sunt προκυμαία, pilæ in aquis fundatæ ad portuum tutelam: moles nimirum in mare procurrentes & portum a fluctibus defendentes. Has Strabo intelligit lib. III. χηλαὶ δύο ὅρμους ἔχουσαι. Glossæ veteres *pilas* eleganter exponunt παραστάδες: nam quod in foribus sunt παραστάδες, id in portu χηλαί. Græcis interdum χώματα sunt, quæ recentioribus μῶλοι. Sed optime Thucydidis Scholiastes: χηλὴ οἱ ἔμπροσθεν τοῦ πρὸς θάλασσαν τείχους προβεβλημένοι λίθοι, διὰ τὴν τῶν κυμάτων βίαν, μὴ τὸ τεῖχος βλάπτοιντο: & adjungit caussam, παρὰ τὸ ἐοικέναι χηλῇ βοός. Ego aliam malo, quod muri pedem firmet, & fluctus retundat, ne labefactetur subeuntibus & cachinnantibus undis. Cæterum pilæ topho exstructæ sub arcuationum magno & prægravi onere labuntur: nimirum, qui fundus est cavernosus, & ipse tophus πῶρος λίθος, qui facile in arenam resolvitur.

1 *Eam partem æstatis, quæ nimiis caloribus incandescit*) Vel *nimis*, ut alii legerunt. Refici, quæ circa alveos sunt rivorum, fervidissimo anni tempore non debent, ne materiæ præcipiantur, & nimia siccitate minus corroborentur. Eleganter autem de illis mensibus loquitur, *qui nimiis caloribus incandescunt*. Solinus: *Quum ortus Solis incanduerit*. Et Orosius lib. I. *Gravis æstus incanduit, ut Sol per devia transvectus universum orbem igne terruisse dicatur*. Ita Græci usurpant suum πεπυρῶσθαι, & πυρακτούμενον. In Sophoclis Ajace, φαὸς λευκόν, & πυρὸς λευκάμπυκος αὐγὴ, apud Oppianum.

2 *Non minus autem Sol acrior quam gelatio præcipit materiam*) Venuste *præcipit*, ut apud Poetam: *Si lac præceperit æstas*. Quod sequitur, *obstaturam*, ad Strategemata notavimus.

(*a*) Alias EXCIDERENTVR.

1 *SI. QVIS. ADVERSVS. EA. COMMISERIT*) Sequenti Senatusconsulto. QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. In aliis: QVI. ALITER. FAXIT. CAPITALE. ESTO. In Regiis Numæ Legibus: SI. QVIS. ALIVTA. FAXIT. IPSVS. IOVI. SACER. ESTO. Ἐὰν ἀλῷ, ἐὰν ἄλλως ποιήσῃ τὶς τῷ νόμῳ ἔνοχος ἔστω, solenne est apud Demosthenem.

PRÆMIVM. ACCVSATORI. DARETVR. CVIVS OPERA. MAXIME. CONVICTVS. ESSET. QVI. ADVERSVS. HOC. S. C. COMMISISSET. PARS. ALTERA. MEDIA. IN. ÆRARIVM. REDIGERETVR. DEQVE. EA. RE. IVDICARENT. COGNOSCERENTQVE. CVRATORES. AQVARVM. A

Possset hoc Senatusconsultum æquissimum videri, etiamsi ex rei tantum publicæ utilitate ea spacia judicarentur, multo magis cum majores nostri, admirabili æquitate, ne ea quidem eripuerunt privatis, quæ ad modum publicum pertinebant. Sed cum B aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt, ac post determinata necessaria loca, rursus eum agrum vendiderunt, ut in suis finibus proprium jus tam res publica quam privata haberet. Plerique tamen non contenti occupasse fines, ipsis ductibus manus attulerunt per semitas solutas passim, & rursus jus aquarum impetratum habent, aquarii quantulacunque beneficii occasione ad expugnandos nunc abutuntur. Quid porro fieret, si non universa ista diligentissima lege prohi- C berentur, pœnaque non mediocris contumacibus intentaretur? Quæ subscripsi, hæc sunt verba legis:

T. QVINTIVS. CRISPINVS. COS. [1] POPVLVM. IVRE. ROGAVIT. POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. (*a*) ÆDIS. DIVI. IVLII. PO. RO. ET. IVLIAS. [2] TRIBVI SERGIA. PRINCIPIVM. FVIT. PRO. (*b*) TRIBVS. SEX. L. F. VARRO. QVICVNQVE. POST. HANC. LEGEM. D ROGATAM. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. CASTELLA. TVBVLOS. LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVÆ. AD. VRBEM. DVCVNTVR. (*c*) EARVMVE. QVAM. SCIENS. DOLO. MALO. FORAVERIT. RVPERIT. FORARE. RVMPEREVE. CVRAVERIT. PEIOREMVE. FECERIT. QVO. MINVS. EA. AQVA. (*a*) EARVMVE. QVA. IN. VRBEM. ROMAM. [1] IRE. CADERE. (*b*) FLVI. PERVENIRE. DVCI. POSSINT. QVOVE. MINVS. IN. VRBE. ROMA. ET. IN. HIS. ÆDIFICIIS. QVÆ. VRBI. CONTINENTIA. SVNT. ERVNT. IN. HISQVE. HORTIS. PRÆDIIS. LOCIS. QVORVM. HORTORVM. PRÆDIORVM. LOCORVM. DOMINIS. (*c*) POSSESSORIBVS. (*d*) V.F.AQVA.DATA. VEL. ADTRIBVTA. EST. VEL. ERIT. VT. SALIAT. DISTRIBVATVR. DIVIDATVR. IN. CASTELLA. LACVS. IMMITTATVR. IS. P. R. C. MILIA. DARE. DAMNAS. ESTO. ET. QVI. CLAM. QVID. EORVM. ITA. FECERIT. ID. OMNE. SARCIRE. REFICERE. RESTITVERE. ÆDIFICARE. PONERE. (*e*) ET. CELARE. DEMOLIRI. DAMNAS. ESTO. SINE. DOLO. MALO. ATQVE. ITA. OMNINO. [2] VT. QVICVNQVE. CVRATOR. AQVARVM. EST. ERIT. (*f*) SI. CVRVTOR. AQVARVM. EST. VEL. ERIT. TVM. IS. PRÆTOR. QVI. INTER. CIVES. ET. PEREGRINOS. IVS. DICIT. MVLCTAM. PIGNORIBVS. COACTO. COERCITO. EIQVE. CVRATORI. AVT. SI. CVRATOR. (*g*) NON. ERIT. TVM. EI. PRÆTORI. EO. NOMINE. COGERE. ET. COERCERE. MVLCTÆ. DICENDÆ. SIVE. PIGNORIS. CAPIENDI. IVS. POTESTASQVE. ESTO. SI. QVID. EORVM. SERVVS. FECERIT. DOMINVS. EIVS. CENTVM. MILIA. POPVLO. DET. SI. QVIS. CIRCA. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA. LACVS. (*h*) AQVARVM. PVBLICARVM. QVA. AD. VRBEM. ROMAM. DVCVNTVR. ET. DVCENTVR. (*i*) TERMINATVS. STETERIT. (*k*) NEQVE. QVIS. EO. LOCO. POST. HANC. LEGEM. ROGATAM. QVID. OPPONIT. MOLIT. OPSEPIT. FIGIT. STATVIT. PONIT. COLLOCAT. ARAT. (*l*) SERITVE. VEL. IN. EVM. LOCVM. QVID. IMMITTIT. PRÆTERQVAM. EORVM. FACIENDORVM. REPONENDORVM. CAVSA. E PRÆTERQVAM. QVIDEM. HAC. LEGE. LICEBIT. OPORTEBIT. [3] QVI-

(*a*) Vide Notas. (*b*) TRIBV Briss. (*c*) Alias absunt ista, EARVMVE. QVAM.

(*a*) Alias EORVMVE. AQVÆ. (*b*) Alii FLVERE. (*c*) POSSESSORIBVSVE. AQVA. DATA. (*d*) non agnoscit Brisson. (*e*) Alias absunt ista, ET. CELARE. Sic Briss. (*f*) Briss. hæc omittit usque ad AVT. SI. (*g*) NEMO Briss. (*hik*) Aliter hæc in aliis. Vide Notas. (*l*) Ita legendum.

1 *POPVLVM. IVRE. ROGAVIT. POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT.*) E Compendio literarum hæc prius scripta fuerunt, ut solennia verba referuntur a Valerio Probo: P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. Ex eorum imperita interpretatione nata sunt hæc monstra verborum: ÆDIS. D. IVLII. POPVLI. ROM. IVLII. Scriptum fuit in lege, ANTE. DIEM. PRIDIE. Cicero ad Atticum lib. 11. Epist. 14. *Nite in Formiano commodissime exspectari viderem, duntaxat A. D. prid. Non. Maii.* Livius lib. XLV. *Latinæ edictæ sunt in A. IV. & III. & III. & prid. Eid. Novembr.* Idem Cicero de Formula, prima in Antonium: *Cedo illa legitima, COSS. Populum jure rogavit (hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi) populusque jure scivit.* In Legis Thoriæ Fragmento, (lubet hoc etiam inserere ob F Thorii antiquitatem, cujus iterata mihi mentio fuit cum conjunctissimo & consultissimo Dn. Eylio) SP. THORIVS... F. TR. PL. PLEBEM. IVRE. ROGAVIT. PLEBESQVE. IVRE. SCIVIT. TRIBVS..... PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV. Q. FABIVS. Q. F. PRIMVS. SCIVIT. QVEI. AGER. POPLICVS. POPVLI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MVCIO. L. QVEI. EX. LEGE. PLEBEIVE. SC. H. VETERE. POSSESSORE. POSSESSVS. SIT.

2 *TRIBVI. SERGIA. PRINCIPIVM. FVIT.*) Alii libri: TRIBV. SERGIA. PRINCIPIVM. FVIT. Omnino legendum: TRIBVS SERGIA. PRINCIPVM. FVIT. Legum initiis adscribi solita tribus, quæ prima ad suffragium ferendum vocata erat, cui exinde Principis nomen impositum. Hæc optime docuit incomparabilis Brissonius in elegantissimo & eruditissimo Formularum libro.

1 *IRE. CADERE. FLVI.*) Lege FLVERE. Varro: *Stillicidia, fluvia, quæ ut ita fluant cadantque.*

2 *VT. QVISCVNQVE. CVRATOR. AQVARVM. EST. VEL. ERIT.*) Nonnulli plenius exhibent & concinnius: VT. QVISCVNQVE. CVRATOR. AQVARVM. EST. ERIT. AVT. SI. CVRATOR. AQVARVM. NEMO. ERIT.

3 *QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. ET. ADVERSVS. EA. REPSERIT.*) Aliter notante Scriverio: ADVERSVS. EVM. SIREMPS. LEX. ET. IVS. CAVSAQVE. OMNIVM. RERVM. OMNIBVS. ESTO. VTIQVE. ESSET. Valerius Probus. S. L. E. I. C. Q. O. R. E. Illud SIREMPS optimo Grammatico Charisio Sosipatro notatum l. 1. Instit. *Alia nominativum & ablativum h bent, ut Tabes, Pluris, Sirempr; facit ab hac tabe, plure, Sirempse. Cinna autem in Smyrna dixit, hujus Tabis, nullo auctore Sirempse legitur.* Errant igitur, qui legere malunt in SCto: *Similiter Lex Esto.* Nam ita locus valde corruptus restitui posse vide-

ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. A ET. (*a*) ADVERSVS. EA REPSERIT. EX. IVSSV CAVSAQVE OMNIVM. RERVM. OMNIBVS. ESTO. DAMNAS. VTIQVE. ATQVE. VTI. ESSET. ESSEQVE OPORTERET. SI. IS. ADVERSVS. HANC. LEGEM. RIVVM SPECVM. RVPISSET. FORASSETVE. QVIQVE. SPECVM. FORASSET. RVPISSETVE. QVO. MINVS. IN. EO. LOCO. PASCERE. HERBAM. FOENVM. SECARE. [1] SENTES. VEPRES. CAPRIFICOS. CVRATORES. AQVARVM. QVI. NVNC. SVNT. QVIQVE. ERVNT. B CIRCA. FONTES. ET. FONTIVM. ET. MVRORVM. CVRAM. RIVOS. ET. SPECVS. TERMINATOS. ARBORES. VITES. VEPRES. SENTES. RIPÆ. MACERIA. SALICTA. HARVNDINETA. EXCIDANTVR. TOLLANTVR. EFFODIANTVR. (*b*) EXCORTICENTVR. VTIQVE. RECTE. FACTVM. ESSE. VOLET. EOQVE. NOMINE. IIS. PIGNORIS. CAPTIO. (*c*) MVLCTA. EDICI.·.·.·. OR. VTIQVE. ESTO. IDQVE.

(*a*) ADVERSVS. EVM. SIREMPS. LEX. IVS. CAVSAQVE. C OMNIVM. RERVM. OMNIBVS. ESTO. VTIQVE. ESSET. (*b*) Alias EXCODICENTVR. (*c*) MVLCTÆ. DICTIO. COERCITIOQVE. ESTO. vide Notas.

tur. Lex Thoria: DE. EO. AGRO. SIREMP. LEX. ESTO.

1 *SENTES. VEPRES. CAPRIFICOS.*) Ora libri nostri Scriveriani: SENTICES. VIPRES. Glossæ: *Sentes*, ἄκανθαι. *Senticetum*, ἀκανθιὼν emendo, ἀκανθών. Immo VIPRES sunt & ipsi *vepres*, ῥῶπες. Quod indicium est antiquæ notæ. Sic infra: VITES. VIPRES. SENTICES. ubi VITES notabis ἀντὶ συκῆς ἀγρίας.

IIS. SINE. FRAVDE. SVA. FACERE. LICEAT. IVS. POTESTASQVE. ESTO. ·.·. (*a*) QVO. MINVS. VITES. ARBORESQVE. VILLIS. ÆDIFICIIS. MACERIISVE. INCLVSÆ. SINT. MACERIÆ. QVAS. CVRATORES. AQVARVM. CAVSA. COGNITA. NE. DEMOLIRENTVR. DOMINIS. PERMISERVNT. QVIBVS. INSCRIPTA. INSCVLPTAQVE. ESSENT. IPSORVM. QVI. PERMISISSENT. CVRATORVM. NOMINA. MANEANT. (*b*) EIVS. HAC. LEGE. NIHIL. ABROGATVR. QVO. MINVS. EX. HIS. FONTIBVS. RIVIS. SPECVBVS. FORNICIBVS. AQVAM. HAVRIRE. SVMERE. IIS. QVIBVSCVNQVE. CVRATORES. AQVARVM. PERMISERVNT. PRÆTERQVAM. ROTA. CALICE. MACHINA. LICEAT. DVM. NEQVE. PVTEVS. NEQVE. FORAMEN. NOVVM. FIAT. (*c*) EIVS. HAC. LEGE. NIHIL. ABROGATVR.

Utilissimæ legis contemptores non negaverim dignos pœna quæ intenditur; Sed negligentia longi temporis deceptos leniter revocari oportuit. Itaque sedulo laboravimus, ut, quantum in nobis fuit, etiam ignorarentur qui erraverant. His vero, qui admoniti ad indulgentiam Imperatores decurrerunt, possumus videri causa impetrati beneficii fuisse: (*d*) in reliquo vero opto ne executio legis necessaria sit, cum officii fidem etiam per offensas tueri præstet.

(*a*) Nihil hic videtur deesse. (*b c*) Ita legendum & hic & proximo asterisco. (*d*) Alias, *In reliquo vero opere executio n. f.*

F I N I S.

LEGES SIVE CONSTITUTIONES
IMPERIALES
DE
AQUÆDUCTIBUS
TAM ROMÆ VETERIS QUAM NOVÆ, URBIS SCILICET CONSTANTINOPOLITANÆ.

IMP. CONSTANTINVS A. AD MAXIMILIANVM COS.



Quarum possessores, per quorum fines formarum meatus transeunt, ab extraordinariis (a) oneribus volumus esse immunes, ut eorum opera aquarum ductus sordibus oppleti mundentur, nec ad aliud superindictæ rei onus hisdem possessoribus adtinendis; ne circa res alias occupati repurgium formarum facere non curent. Quod si neglexerint, amissione possessionum multabuntur. Nam fiscus ejus prædium obtinebit, cujus negligentia perniciem formæ congesserit. Præterea scire eos, oportet, per quorum prædia ductus commeat, ut dextra lævaque deipsis formis quindecim pedibus intermissi arbores habeant: observante tuo officio, ut si quo tempore pullulaverint, excidantur; ne earum radices fabricam formæ corrumpant. Dat. xv. Kal. Jun. (b) Gallicano & Symmacho COSS.

IMPPP. VALENTINIANVS, VALENS, ET GRATIANVS AAA. FORTVNATIANO. C.R.P.

Aquæductus, qui Dafnensi palatio usum aquæ præstat, quorumdam aviditate tenuatur adpotis majoribus fistulis, quam ex Imperiali largitate meruerunt. Consensu igitur omnium in tribus locis conceptacula reparentur, & singulorum nomina, modusque servandus tabulis adscribatur. Et si ultra licitum aliquem usurpare constiterit, per singulos obolos libræ unius auri dispendiis ingravetur. Et si tenore sacri rescripti aliquis certum modum aquæ meruisse noscetur, non prius eidem accipiendi potestas aliquatenus tribuatur, nisi adito rectore ex ipso conceptaculo quantitatem, quam meruit, possit adispici. Dat. III. Kal. Novemb. Antiochiæ, (c) Valentiniano N. P. & Victore COSS.

IMPPP. GRATIANVS, VALENTINIANVS, ET THEODOSIVS AAA. CLEARCHO P. V.

Summas quidem domus si lavacris lautioribus præsententur, binas non amplius aquæ uncias, aut, si hoc amplius exegerit ratio dignitatis, supra ternas neutique possidere: mediocres vero & inferioris meriti domus singulis & semis contentas esse decernimus. Si tamen hujuscemodi balneas easdem habere claruerit, ceteros C vero, qui mansionum spatio angustiore sustentantur, ad mediæ unciæ usum tantum gaudere præcipimus: neque obreptionem cuiquam patere: ita ut quod tibi paret officium, sex librarum auri multa feriatur, nisi prodiderit usurpantes: & is, qui fefellit, careat impetrato. Dat. x. Kal. Jul. Constantinopoli, (a) Antonio & Syagrio COSS.

IIDEM AAA. CYNEGIO PP.

Ad portus & aquæductus instaurationem, omnes certatim, facta operarum conlatione, instare debent: neque aliquis ab hujuscemodi consortio dignitatis pri- D vilegiis excusari. Dat. xv. Kal. Februar. Constantinopoli, (b) Richomere & Clearcho COSS.

IMPPP. VALENTINIANVS, THEODOSIVS, ET ARCADIVS AAA. PANCRATIO P. V.

Si qui de cetero vetiti furoris audacia florentissimæ Urbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex aquæductu publico derivando, sciat eundem fundum fiscalis tituli proscriptione signatum privatis rebus nostris adgregandum. Dat. VIII. (c) Con- E stantinopoli, Timasio & Promoto COSS.

IIDEM AAA. ALBINO V. P. ROM.

Eos, qui aquæ copiam vel olim vel nunc per nostra indulta meruerunt, ejus usum aut ex castellis, aut ipsis formis jubemus elicere, neque earum fistularum, quas matrices vocant, cursum ac soliditatem adtentare. Dat. v. Kal. Septemb. (d) Romæ, Timasio & Promoto COSS.

IMPP. ARCADIVS, ET HONORIVS AA. AD AFRICANVM P. V.

Quicumque ex aquæductu magis quam ex castellis aquæ usum putaverit derivandum, etiam id, quod prius jure beneficii fuerat consecutus, amittat. In eum F vero pro conditione personæ conveniet severissimo supplicio vindicari, qui adversus statuta hujus sacri oraculi avidæ cupiditatis noluerit frena cohibere, ut privatis indulti meatus mensura famuletur. Dat. PP. IV. Kal. Jun. (e) Constantinopoli, Olybrio & Probino COSS.

(a) Muneribus. (b) ANNO VRBIS CONDITÆ CIↃLXXXII CHRISTI CCCXXXI. (c) ANNO V. C. CIↃCXXII. CHRISTI CCCLXXI.

(a) ANNO V. C. CIↃCXXXV. CHRISTI CCCLXXXIV. (b) ANNO V. C. CIↃCXXXVII. CHRISTI CCCLXXXVII. (c) ANNO V. C. CIↃCXLII. CHRISTI CCCXCI. (d) ANNO V. C. CIↃCXLII. CHRISTI CCCXCI. (e) ANNO V. C. CIↃCXLVIII. CHRISTI CCCXCVII.

IIDEM AA. ASTERIO COM. OR.

A *Usum aquæ veterem longoque dominio constitutum singulis civibus manere censemus, nec ulla novatione turbari: ita tamen, ut quantitate singuli, quam veteri licentia percipiunt, more usque in præsentem diem perdurante percipiant: mansura pœna in eos, qui ad inrigationes agrorum, (a) vel hortorum delicias, furtivis aquarum meatibus abutuntur. Dat. Kal. Novemb.* (b) *Cæsario & Attico* Coss.

IIDEM AA. MESSALÆ PP.

B *Ex forma, cui nomen Augusta est, quæ in Campania sumptu publico reparata est, nihil privatim singulorum usurpatio præsumat, neque cuiquam postbac derivandæ aquæ copia tribuatur. Si quis autem meatum aquæ ausus fuerit avertere, quinque libras auri ærario nostro inferre cogatur. Quicquid etiam ob eam fraudem ex rescripto fuerit elicitum, vel qualibet arte tentatum, irritum habeatur. Dat.* v. *Kal. Januar.* (c) *Med. Theodoro* v. c. Coss.

IIDEM AA. AD FLAVIANUM P. V.

C *Ne quis Claudiam, interruptis formæ lateribus atque perfossis, sibi fraude* (d) *elicita existimet vindicandam. Si quis contra fecerit, earum protinus ædium & locorum amissione multetur. Officium præterea, cujus ad solicitudinem operis hujus custodia pertinebit, hac pœna constringimus: ut tot librarum auri inlatione multetur, quod uncias* (e) *Claudiæ nostra cohibentia, ejus usurpatas fuisse constiterit. Dat.* vi. *Id. Novemb.* (f) *Med. Stilicone & Aureliano* Coss.

IMPP. THEODOSIUS ET VALENTINIANUS AA. † ***

D *Si quis per divinam liberalitatem meruerit jus aquæ, non viris clarissimis rectoribus provinciarum, sed tuæ præcellentissimæ sedi cœlestes apices intimare debebit: condemnatione contra illum, qui preces moderatoribus insinuare conatur, quinquaginta librarum auri, & contra universos administratores, qui rescriptum per subreptionem elicitum suscipere moliuntur, proponenda: apparitorbus nihilominus eorumdem virorum clarissimorum provinciæ moderatorum; animadversionibus pro vigore tui culminis subjugandis: & amplissima tua sede dispositura, quid in publicis thermis, quid in nymphæis pro abundantia civium conveniat deputari, quid his personis, quibus nostra serenitas indulsit, ex aqua superflui debeat impertiri.* ***

IIDEM AA. † ***

E *Omnis servitus aquæductus Hadriani, sive domorum, sive possessionum, sive suburbanorum, sive balneorum, vel per divinos affatus intimatos in quolibet judicio, vel per usurpationem impertitos, penitus exprobretur. Maluimus etenim prædictum aquæductum nostri palatii publicarum thermarum ac nymphæorum commoditatibus inservire. Et decernimus hanc dispositionem modis omnibus in posterum servari: nemini licentia tribuenda ab eodem aquæductu precibus oblatis usum aquæ petere, vel eum audere perforare: scientibus his, qui qualibet ratione putaverint ad hujusmodi* (g) *emolumentum accedere, vel officio, si ausus fuerit instruere, vel minus instructis precibus parere, centena pondo auri multæ nomine fiscalibus rationibus se esse inlaturos. Super his sancimus sulcum publicum aquarum nullis intra decem pedes arboribus coartari, sed ex utroque latere decempedale spatium integrum inlibatumque servari. Præterea de plumbeis fistulis ducentibus ad thermas, quæ Achilleæ nuncupantur, quas* (a) *providentiæ tuæ magnificentia factas fuisse cognovimus, eandem formam servari censemus. Etenim memoratas fistulas thermis tantum & nymphæis, quibus eminentia tua deputaverit, volumus inservire: facultate præbenda tuæ sublimitatis apparitoribus circumeundi sine formidine domus, suburbana balnea ad requirendum, ne qua deceptio, vel suppressio, vel insidiæ contra publicam utilitatem a quoquam penitus adtententur. Dat.* ***

IIDEM AA. † ***

F *Ad reparationem aquæductus hujus almæ Urbis omnia vectigalia, qua colligi possunt ex universis* (b) *calculis hujus inclytæ Urbis, & ex operariis, qui* (c) *Zizaceni dicuntur, ad refectionem ejusdem aquæductus procedere: illo videlicet observando ut, nemo eorum, qui jus aquæ possident, quacunque descriptione sustineat. Nam exsecrabile videtur domos hujus almæ Urbis aquam habere venalem.* ***

IMP. ZENO A. † ***

Hac lege sancimus, ut si quis amplissimam præfecturam gubernans, aurum aquæductui deputatum ad alterum quodlibet opus, non aquæductibus vel aquæ publicæ competens extruendum, vel curandum putaverit convertendum: de suis facultatibus eandem summam aquæductus titulo rependere cogatur. Separatus vero arcarius aurum suscipiat gloriosissimorum Consulum liberalitate, vel ex aliis titulis ad aquas publicas pertinentibus collectum, vel postea colligendum. ***

IDEM A. * PORATIO.

Diligenter investigari decernimus, qui publici ab initio fontes, vel cum essent ab initio privati, postquam publice usum præbuerunt, ad privatorum usum conversi sunt, sive sacris apicibus per subreptionem impetratis, ac multo amplius si auctoritate inlicita, nec appetito colore sacri oraculi, hujusmodi aliquid pertentatum fuisse dignoscitur: ut jus suum regiæ civitati restituatur, & quod publicum fuit aliquando, minime sit privatum, sed ad communes usus recurrat: sacris oraculis, vel pragmaticis sanctionibus adversus commoditatem Urbis quibusdam impertitis, jure cassandis: nec longi temporis præscriptione ad circumscribenda civitatis jura profutura. ***

IDEM A. PONTIO.

Decernimus, ne quid a quacumque persona qualibet dignitate prædita contra (d) *manuscularios aquæductus, vel fontes publicos qui ad aquæductus confluunt, pertentetur. Sed & si quis clam vel palam auctoritate confisus de iisdem* (e) *paralogiis, vel fontibus aquam transduxerit, vel clandestinis insidiis forte subripuerit publicis aquæductibus; eam restituere compellatur. Hoc etiam præcipimus, ne in posterum a quolibet juxta eosdem aquæductus plantari qualescumque arbores possint, ne ex stirpibus labefactentur parietes aquæductus, quod antiquis etiam Constitutionibus interdictum esse dignoscitur: scientibus universis, quod in posterum super hujusmodi commissis suburba-*

(*a*) Legendum *vel hortorum, deliciis furtivis aquarum m. a.* Vide Notas. (*b*) ANNO V. C. CIↃCL. CHRISTI CCCXCIX. (*c*) ANNO V. C. CIↃCLII. CHRISTI CCCCI. (*d*) *licita* vel *elicitum*. (*e*) Legendum *Claudiæ nostra conniventia ejus*, &c. Vide Notas. (*f*) ANNO V. C CIↃCLIII. CHRISTI CCCCII. † CYRO P. P. † CYRO P. P. (*g*) *molimen*, vide Notas.

(*a*) Providentia magnificentiæ, *melius forte* providentiæ tuæ munificentia. † EUTYCHIANO P. P. (*bc*) *Varietatem lectionis, & quomodo legendum, vide in Notis.* † ADAMANTIO P. V. * SPORATIO. (*d*) Vide Notas (*e*) *paragogiis*.

num, vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cujus usum aqua publica fuerit derivata: vel si quid ex his juxta aquæductum positum ad eum pertinet, qui plantavit arbores aquæductibus noxias, ad quemcumque pertineat locum, vel hominem, vel domum, proscriptionis titulo subjacebit, & fisci juribus vindicetur: nulli super hujusmodi pœna nec per sacros apices venia tribuenda. Universos autem aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, qui omnium aquæductuum hujus regiæ Urbis custodes deputati sunt, singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostræ impressi signari decernimus, ut hujusmodi adnotatione manifesti sint omnibus; nec a procuratoribus domorum, vel quolibet alio ad usus alios avellantur, vel angariarum, vel operarum nomine teneantur. Quod si quem ex iisdem aquariis mori contigerit, eum nihilominus, qui in locum defuncti subrogatur, signo eodem notari præcipimus: ut militiæ quodammodo sociati, excubiis aquæ custodiendæ incessanter inhæreant, nec muneribus aliis occupentur. ***

IMP. IVSTINIANVS A. * SERVO PP.

Divinam dispositionem ab inclytæ recordationis Principe Theodosio super his, qui aquam sibi de publicis aquæductibus seu fontibus præberi desiderant, promulgatam, hac etiam lege in sua firmitate durare sancimus, quatenus nemo vel in hac sacratissima Civitate, vel in provinciis, sine divinis apicibus de sacro epistolarum scrinio more solito edendis, & judicio tuæ celsitudinis, vel aliis, quorum interest, intimatis vel intimandis, aquam de publico aquæductu seu fonte trahere permittatur: his quicumque jussa nostra violaverit, seu violare concesserit, denarum librarum auri condemnatione, aliaque gravissima indignatione feriendis.

FORMVLA COMITIVÆ FORMARVM VRBIS: AVCTORE MAGNO AVRELIO CASSIODORO V. C.

Quamvis Romuleæ fabricæ conlatæ sibi vix possint præcipuæ reperiri, (quia totum id admiratione noscitur exquisitum, quod ibi cernitur esse fundatum) tamen interesse arbitramur, quod utilitas necessaria gratificat, & quod pulchritudinis tantum causa commendat. Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est. Capitolia celsa conscendere, hoc est, humana ingenia superata vidisse. Sed numquid per ea vivitur, aut

A *corporis salus aliqua inde delectatione recreatur? In formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quod enim illuc flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminis tot sæculis firmiter potuit sustineri. Cavati montes plerumque subruunt, meatus torrentium dissipantur, & opus illud veterum non destruitur, si industria suffragante servetur. Respiciamus certe, aquarum quantum Romanis mœnibus præstat ornatum. Nam thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quædam æquora non haberet? Currit aqua Virgo sub delectatione purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quod*
B *nullis sordibus polluatur: nam cum aliæ pluviarum nimietate terrena comixtione violentur, hæc aerem perpetuo serenum purissime labens unda mentitur. Quis possit talia sermonibus idoneis explicare? Claudiam per tantam fastigii molem sic ad Aventini caput esse perductam, ut cum ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum quasi imam vallem irrigare videatur. Ægyptius Nilus certis temporibus crescens per campos jacentes superducto diluvio aere sereno turbolentus exæstuat: Sed quanto pulchrius est, Claudiam Romanam per tot siccas montium sum-*
C *mitates lavacris ac domibus liquores purissimos, fistularum uberibus emisisse? & ita æqualiter fluere, ut numquam se possit desiderata subducere? Ille enim dum recidit, limus est: dum venit insperate, diluvium. Quis ergo famosum Nilum Urbis nostræ fluminibus non æstimet esse superatum, quando ille incolas suos aut veniendo terret, aut recedendo destituit? Verum hæc non superflua commemoratione narravimus, ut possis advertere, qualis a te diligentia perquiratur, cui pulchritudo tanta committitur. Qua de re per Indictionem illam Comitivam tibi formarum sub magna deliberatione credidimus: ut summo studio nitaris efficere, quod tantis ac talibus rebus videris expedire. In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarum ruinas, dum sunt quidam mœnium importabiles arietes, censemus radicitus amputari:*
D *quia nulla læsio removetur, cujus origo non tollitur. Si quid autem conficiente senio fuerit demolitum, pervigili celeritate reparetur: ne crescente defectu augeatur nobis caussa dispendii. Ductus aquæ fortuna tua est, dum incolumis eris, si illa solidaveris: tantumque apud nos proficis, quantum te illi studuisse probaveris. Agat ergo peritia fidesque tua, ut & constructio fabricæ inlibata permaneat, & aquæ distributio nulla se custodum venalitate subducat.*

FINIS.

RAPH. FABRETTI
GASPARIS F. URBINATIS
DE
AQUIS
ET
AQUÆDUCTIBUS
VETERIS ROMÆ
DISSERTATIONES TRES.


PARTIS LATII A ROMA
LABICUM USQUE
DESCRIPTIO
DISSERTATIONI I DE AQUIS
ET AQUAE DUCTIBUS
VETERIS ROMAE PRAEMISSA
ROMA
VIA NOMENTANA
VIA TIBURTINA
VIA SALARIA
S. Agnese
ANIO FLUVIUS
Fiume Teverone
S. Eusebio
Grotta de Greci
Boccaleone
Rustica
Cervaro
Salone
TINA
ACOLLA
AQUAE VIRGINIS
VIA SUBTERRANEUS
Sapienza
Casal de Vittory
Torre Schiava
Casa rossa
Tre Teste
Acqua bollicante
Pons ad nonum stupendi operis
VIA PRAE
NESTINA
Cast. dell'Osa olim COLLATIA
Casal de Benzoni
LACUS GABINUS
Castiglione
GABIORUM
S. Antonio
Finocchio
Osteria
VIA ASINARIA
ALMO FLUVIUS
VIA APPIA
VIA ARDEATINA
VIA LATINA
AQUAE CLAUDIAE
MARCIAE
Acqua Santa
S. Giovanni
Casa Calda
Torre di Angeli
T. Nova
Ponte della Sebotta
Acqua cisterna
LABICANA
T. Vergata
VIATRUM A TUSCULO IN LABICANAM
DUCTUS AQUAE ALGENTIANAE
Fontanile
Tor Jacoro
LACUS REGILLUS
Bottino
Papa
Colle delle Pantanelle
Colonna olim LABICUM
T. Sportella
Monte Porzio
Monte Compatri
Posticciola
CRABRA
T. della Selce
DUCTUS AQUAE forsan SEPTIMIANAE
Torricola
Roma Vecchia
L'Annunciata
Statuario
Casal Rotondo
Scala III Milliar
est aliquid memorare manu
P. Mem... fe.

RAPH. FABRETTI
DE
AQUIS
ET
AQUÆDUCTIBUS
VETERIS ROMÆ
DISSERTATIO I.

JOANNI LUCIO TRAGURIENSI
VIRO ILLUSTRI
RAPHAEL FABRETTUS
GASPARIS F. URBINAS
FELICITATEM.



Ecit studium in me Tuum, ne omnino displicerent mihi ea, quæ diebus superioribus de Aquis, circa Anienem a me observatis, ad Te scripseram: dum, & Tuo, & amicorum Tuorum nomine, (quos plurimos, eosdemque eruditissimos habes) iis laudibus diligentiam meam affecisti, ut jam inde alacriorem me sentiam ad propositum de hac materia examen prosequendum: quod jam exequutus fuissem, ni cœlestium aquarum copia Aquariæ huic meæ provinciæ adversam se se exhibuisset. Non tamen omnino me cessasse putes: nam, etsi ad longe sepositos fontes Marciæ & Claudiæ iterum accedere, & certiori conjectura cogitationem mihi obortam prosequi non valuerim; non inutiliter forsan, in proximiori A-
1 quæ istius, quam Felicem a suo ante Pontificatum
nomine Sixtus perducens vocavit, olim quoque (ut audies) alio quamvis itinere Romam delatæ, me versatum Tibi ostendam.

Primo enim certum in ordinem digessi, & ad unum eundemque Aquæductum pertinere deprehendi, omne opus, tam arcuatum, quam substructionis supra terram, quod plures valles circa Viam Labicanam, & postremo ipsam inter Gabinum & Regillum Lacum planitiem, in cujus
suprema parte ad meridiem, hujus Aquæ rivus, 2
nec non Osæ fluvii fontes emergunt, occupare inveni: quod jam mihi, adhuc de hac re incredulo, pluribus missis ac receptis epistolis dum Urbini es-
sem, inculcaverat Hadrianus Auzout Rothomagen- 3
sis, vir emunctæ naris, & non minus rerum naturæ, quam antiquitatum sagacissimus perscrutator: similis enim ubique structura, rivique latitudo, atque altitudo, aliter dubitari non sinunt. Accipe igitur annexam in Charta Topographica totius Ductus seriem.

Explicatio Chartæ Topographicæ, Ductum Aquæ Alexandrinæ continentis.

1 *Ultima Romam versus substructio hujus Aquæductus in Vinea Chartusianorum.*
2 *Arcus LIII. in Valle* d' Acqua Bollicante.
3 *Substructio post intersectionem Viæ Labicanæ.*
4 *Arcus LXXXXII. omnium altissimi in Valle* di Casa Rossa.
5 *Arcus VII. modicæ altitudinis in Vallicula sequenti.*
6 *Arcus XXIII. in alia.*
7 *Arcus XVIII. in alia.*
8 *Aquæductus ex principali sinistrorsum derivatus sub* Casa Calda.
9 *Arcus CII. qui duas successivas Valles occupant.*

10 *XXVIII. in Valle* della Marrana.
11 *Arcus XXII. in sequenti Valle, in gyrum dispositi.*
12 *Arcus L pariter in gyrum.*
13 *Aquæductus ex principali dextrorsum derivatus.*
14 *Arcus unicus in medio substructionis pass.* XII.
15 *Arcus XXVIII. sub* Casale di Tor d'Angeli, *Viæ Prænestinæ propiores.*
16 *Arcus IIII. humiliores, & fere obruti.*
17 *Arcus unicus ex crassis Gabinis lapidibus super hoc rivo.*
18 *Putei V. & indicia aliorum III. separatim descripti.*
19 *Alius, ante dictis similis.*
20 *Nova emersio substructionis post longum rivum subterraneum, sub* Casale di S. Antonio.
21 *Arcus LXVII. post Stabulum, vulgo* Procoio di Pantano.
22 *Arcus LXII. in media planitie.*
23 *Arcus XLV. primi hujus Aquæductus.*
24 *Piscina Limaria, separatim descripta.*
25 *Vestigia Ductus, Anienis Veteris (ut credimus) portionem deferentis.*
26 *Rudera Templi ad IV. lap. Viæ Latinæ, Fortunæ forsan Muliebris.*
27 *Piscina (ut credimus) Aquæ Marciæ.*
28 *Aliæ, Aquarum Juliæ, & Tepulæ.*


Neque ex supervacuo nos laborasse putes, eo quia
4 Regionis istius jam pridem *certam, & quam exactissimam, & una strictioris Latii Topographiam non tam calamo, quam propriis pedibus dimensam delineatamque* P. Athanas. Kirch. exhibuerit, ut in suo Latio part.2. cap.4. fol.70. profitetur: nam ut, verum fatear, Tabula illa miseris modis depravata est; sive quia vir summus, & in geometricis consummatissimus, *ab incorporeis rebus, solaque intelligentia percipiendis, ad ista sensilia, quæ multum & illiberale requirunt otium, respicere indignum putavit*, ut ex Platone Plutarch. in vita Marcelli tradidit; sive quia Operatorum incuria proditus fuit, ita ut omnia susque deque jacentia, & veluti casu quodam projecta videantur. Inter quæ, ad rem nostram, (nam cætera libens volensque prætermitto) in ipso loco prope Oppidum Columnæ, unde hæc Aqua derivatur, Virginis origo esse dicitur, cujus fontes decem circiter milliariis hinc absunt, ad Viam scilicet Collatinam, & octavo ab urbe lapide ex Frontino; ac prope Anienem fluvium, in ea Tabula nusquam extantem.

Antequam autem ad pleniorem descriptionem, ultra ea, quæ in Charta generatim adnotantur, accedam: subit mirari rerum humanarum vicissitudinem, & factorum quantumvis egregiorum oblivionem imminentem, cum præter ætatis damna quæ præ structuræ firmitate perpeti hunc Aquæductum vix potuisse quis sibi persuaserit, una cum rei usu nomen ipsum authoris interciderit. Ut proinde, verius nescio, an elegantius, applicetur Poetæ nostratis epiphonema,


Così, se bene un tempo al Tempo guerra
Fanno l'opre famose, a passo lento
E l'opre e i nomi insieme il Tempo atterra.

Et quidem ingentes ejusmodi in publicum bonum extructæ moles non eandem ac pyramides otiosæ sortem merebantur; rite enim in illis, *justissimoque casu obliteratos fuisse tantæ vanitatis authores* exclamat Plin. lib. XXXVI. cap. XII. sed indigne prorsus fama egregii & utilissimi operis culpa temporis & silentio Scriptorum evanuit. Demus tamen, Conditoris nomen fuisse oblivioni per aliquot hucusque sæcula traditum; at nequaquam de hoc opere dici potest, illud solo penitus procubuisse; nam in ipsis ruinis ac parietinis tantum est adhuc, quod veluti attoniti contemplemur, ut quemadmodum tempori rerum edaci tandiu restiterunt, ita perpetuam quandam durationem & seræ posteritatis admirationem polliceantur.


Opus ipsum undique lateritium apparet, expolita laterum facie, & exacte ad lineam dispositis ordinibus. Pilæ quadratæ VIII. pedum crassitiem implent. Distantia pilarum, sive arcuum apertura, est ubique ped. XII. præterquam in ultima Valle versus fontes, ubi X. ac semis; unica ubi demissiores, duplici vero in altioribus laterum bipedalium serie efformati. Quo vero major operi soliditas accederet, eminentiores ex istis arcubus fornicem alium inferius curvatum habent, quo pilæ inter se colligentur, neve immenso hiatu fatiscant. Specus mensuram, retractiones ornamenta, mutulos, ac cætera minutiora, binæ quas adjungimus delineationes melius exhibebunt: quarum ea quæ prior est, opus Urbi propinquius; secunda, arcus in ultima, & uliginosa Valle, dicta *di Pantano* repræsentat;



A *Specus, latus ped.* 2. *& semis, altus usque ad curvaturam fornicis ped.* IV. *& semis. Fornix ipse ped.* I. *unc.* IV. *Latera hinc inde crassa ped.*2. *unc.* III.



A *Specus, latus ped.2. unc.VIII. Latera ejuſdem craſſitiei.*
B *Spiramina variis intervallis diſtributa, patent in quad. p.II. & ſem.*
C *Supercilium lateritium circa lateres arcuum.*
D *Forma Puteorum ad terræ egeſtionem, & ſpiramentum Aquæ ſuper Ductu excavatorum, foraminibus lateralibus ad ſcanſionem diſpoſitis.*
Opus eorum ex topho & latere alternatim compoſitum eſt.



7 quibus tertiam, Piſcinam Limariam num.24. adjecimus, in qua Aqua excipiebatur, & quaſi reſpirante rivi curſu, limum deponebat, (quod erat præcipuum Piſcinæ munus ex Front. num. 26.) Ex Ductu enim ſuperno A, Aqua per oſtium B in lacum C ingrediens, ibique depurata, rurſus per D in E ſe exonerans, Romam verſus iter continuabat.

Vetus ex eiſdem rei ſtatus oculis ſubjectus eſt, hodie plurimum immutatus, qua diſturbatis, qua refectis arcubus, & quidem non uno tempore:
8 alicubi enim lateritio munimento fornices ſuffultos pilaſque circumplexas videas; alibi (& id pluribus in locis) rudi topho ſuffarcinatas refectiones, unde artis ignorantia, & curtæ reſtaurantium vires, animique ſe produnt. Quæ vero Ductus pars Urbi proximior erat, adeo incurſionum & vaſtationum damna ſenſit, ut appareat, primam ſubſtructionem, primoſque arcus ad dextram Viæ Labicanæ occurrentes ad num.1. & 2. a ſolo fuiſſe refectos; nihil enim in illo opere, quod elegantiam, aut menſuram reſidui ſapiat, reliquum manet. Eſt
9 quoque notandus, recens, ſive uſus, ſive abuſus hujuſce Aquæductus, ubi ſuper eiſdem arcubus num.2. nullo ſpecu, ſed rivo in ruderibus excavato, hodie contrario curſu, Aquæ Crabræ portio fertur, & orientem verſus deducitur,

Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.

Arguit itaque diutiſſime hanc Formam perman-
10 ſiſſe, tam varietas dictarum reſtaurationum, quam cruſtæ vix credibilis craſſities, nedum in ipſo ri-
D vo pene obſtructo, & ſæpius ad dodrantis intercapedinem reſtricto; ſed latera exteriora ipſius Ductus, ubi humor ex eodem exſudans, in ingentes moles, quæ vehem fœni onuſtam imitantur, coaluiſſe videmus. Quod malum cum aquis Tiburtinæ regionis commune habuit: nam & ipſa Marcia,

Quæ tam candida, tam ſerena lucet,
Ut nullas ibi ſuſpiceris undas,
Et credas vacuum nitere Lygdon,

ut de ea Martial. l.VI. epig.XLII. cecinit; *Deumque*, ut ait Plinius, *munere Urbi tributa*, in cru-
E ſtam longe hac, de qua loquimur, ſpiſſiorem, magiſque compactam induruit: hæc namque obſcurior, & turbidior, ſed æque rarior, ac fragilior exiſtit.

Quæ autem ratio impulerit Architectum, ut 11
contempta recta via, quæ etiam uti altior minoris operis arcuati indigebat, per demiſſiora & concava loca Aquam ducere inſtituerit, diu multumque me latuit: ita ut ob tantam Ductus obliquitatem ex angulo ad Præneſtinam Viam ad num. 15. recta Tibur, quod ibi reſpicit, petere judicaverim; donec tandem ex ſæpius locorum iterata inſpectione, & amici monitu, ut dixi, reliquo operis reperto, cauſſam rei inveniſſe, & providentiam illorum temporum exſolvere poſſe
F putavi. Credo etenim, ſoli firmitatem, quamvis per longioris itineris anfractus, fuiſſe quæſitam, quæ in recto tramite non æque ac in ſubjectis locis reperitur. Regio enim iſta, quo propius ad Anienem accedit, eo magis ſolida humo conſiſtit, & rubentis Collatini lapidis per Strab. lib.v. cele-


brati latomiis scatet. Nec tantum fundamenta stabili loco jacere par erat; sed quia Ductus ipse, uti optimus, maximusque est, totus ex cæmentis compositus est, (si exteriorem tantummodo lateritium veluti corticem excipias) pertinebat ad operis perennitatem, solidiora, quam fieri poterat, cæmenta non longe exquirere, sed circa opus colligere. Addam quoque, etsi ratio deesset, speciem magnificentiæ ultro appeti potuisse, ostentatione altissimorum fornicum, quorum ope pluribus in locis
13 ad LXX. pedum fastigium attollitur.

Descripto opere, restat modo, ut istius Aquæ perducendæ authorem inquiramus, & rem hactenus antiquitatis studiosis intactam, sive aliquibus desperatam, Eruditorum censuræ exponamus. Intentasse quidem videtur, sub specioso, & omnem hanc Aquarum materiam comprehendente titulo,
14 *De Aquis veteribus in Urbem Romam influentibus*, Aldus nepos de quæs. per epist. lib. 1. cap. 2. verum dum proœmio gustum acuente allectus, opiparam mihi promitto cœnam, nil præter macerrimam Frontini epitomen, mendis insuper scatentem, & alias quasdam ex Plinio quisquilias appositas, cum nausea vidi. Jam igitur, ut meæ conjectioni, nullo quamvis adjutore, viam sternam; illud præmittam, nempe hunc Ductum inter IX. quos Front. descripsit, connumerari non posse; id quod ex ipsorum recensitione evidenter convincitur.

15 Non enim hæc Appia fuit: illa etenim inter mill. VII. & VIII. Viæ Prænestinæ sinistrorsus concipiebatur, totaque subterranea (demptis pass. LX. proxime ad Portam Capenam) deveniebat, ex Front. num. 4. hæc ad dextram Prænestinæ, Labicanæ Viæ propior, emergit ad mill. XIV. circiter, (ultra III. fere pass. M. quæ a conceptela, & acquisitionibus, quorum initium est ad ipsam Viam Labicanam, usque ad dictam emersionem intercedunt) plurimoque opere tam supra terram, quam arcuato insignis devehitur, ut in Charta speciatim explicavimus.

In hac, aliisque Frontini nuncupationibus, Indicem M. S. Benedicti Millini, jam per omnes 16
Urbanos codices diffusum, uti diligentissimum, & copiosissimum sequimur; quod si forte ad manus non est, sciant lecturi, a num. 49. librum II. incipere, & per enumerationem quinariarum uniuscujusque Aquæ, ad numerum usque 74. procedere, & cum numero 105. finem accipere.

Non Anio Vetus: quia origo ipsius supra Tibur 17
ex Front. num. 7. hujus autem nostri sub Oppido Columnæ, ubi Labicum cum Holstenio fuisse credimus, omnem confusionem excludit: ita ut non sit opus excutere differentiam substructionis supra terram, quæ in Aniene est passuum DCCII. in hoc vero Ductu pass. IIII. M. CCL. & carentiam in Aniene Vetere omnis prorsus operis arcuati, quod in isto est pass. II. M. CCCXXV. itemque recentiorem, quam illa Anienis veteris, structuram; illam namque, florentibus Reipub. temporibus, A. V. CDLXXXI. factam ex Front. scimus num. 6. hanc post Imperium productam indicat later ibi repertus cum hoc Figlinæ signo, AVG. N̄, sive *Augustum Nostrum* commemorante; & quidem arcubus primitivis insertus, ne occasione refectionum inditum dubitemus.



Non Virgo, cujus fontes etiamnum conspicui
19 sunt ad Viam Collatinam mill. VIII. ubi eos Front. describit num. 16.

20 Non Marcia, Claudia, seu Anio Novus, quæ omnes Aquæ Via Valeria vel Sublacensi ortum habebant, ex eodem Front. num. 19. 20. & 22.

21 Non Julia, aut Tepula, quæ ad dexteram Viæ Latinæ conceptæ, in eosdem arcus, Aquæ scilicet Marciæ recipiebantur, ut ex Frontini numer. 27. patet.

22 Non denique Alsietina, quæ ex Lacu hujus nominis in Etruria, Via Claudia mill. XIIII. diverticulo dextrorsus pass. VI. M. D. petebatur, juxta Front. num. 17. cum ista in Latii meditullio scaturiret.

Hisce omnibus, inquam, Frontini Aquis ex-
23 clusis: cum pro comperto habeamus Severum Alexandrum Aug. Aquam perduxisse, nec alteri hunc Aquæductum, aut huic authori alium ductum attribui posse; liquido consequitur, Alexandrum fuisse hujus operis authorem.

Quod Alexander Aquam duxerit, aperit nobis Spartian. in ejus vita per sequentia verba, *Opera veterum Principum instauravit, ipse nova constituit. In his Thermas nominis sui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, Aqua inducta, quæ ALEXANDRINA nunc dicitur.*

Hoc idem ostendit nummus ipsius cum Thermis ac Fonte, per quem, Aquæductum significari mos fuit, in Museo Rondanino optima sui forma, & conservatione (ut rei nummariæ periti vocant) conspicuus, unde exemplar deprompsit Angelon. in hoc Cæsare numero 3. quamvis Oisel.

Bajanum ſinum, & navim ſignificari credat Tab. CIX. 7.


Meminerunt quoque hujus Aquæ ALEXANDRINÆ Pub. Victor, & Notitia Imperii.

Quod tandem, neque huic Imperatori alius Ductus, neque huic Ductui alius author dari poſſit, (hæc enim duo jam ſe invicem conſequuntur)
24 patet; quia, ultra Frontini Aquæductus, duos tantum agnovit in hac Urbe poſteritas; hunc vi-
25 delicet, de quo ſermo eſt, ac alium trans Tiberim Trajanæ Aquæ, ut probabimus, quæ ſecus Viam Aureliam per duo fere paſſuum M. delata, per Portam, quæ ſive Aurelia ſit, ſive Pancratiana, prout uſque a Procopii temporibus vocabatur, Urbem ingreditur, & in ſummo Janiculo ſe oſtendit.

Ut enim alios arcus, & Aquarum ſpecus, qui per Urbem ſparſi ſunt, calamo hac occaſione, ut pluries oculis ſimul fecimus, perluſtremus; quo hanc, ſeu aliam, quæ Alexandri nomen ferret,
26 Aquam recepiſſe excludamus. Ii, qui ab orientaliori Urbis angulo omnium altiſſimi, ſecundum Urbis mœnia, ad Portam Majorem deveniunt, Claudiam, & Anienem Novam deferebant, ut Frontin. num.28. tradidit, & oſtendit ſequens inA ſcriptio quattuor verſibus comprehenſa, ibi ex utroque latere inhærens.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V.
IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIÆ.
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV.
B ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT.

Proximi iſtis, ad dexteram Romam venientibus, 27
erant alii, qui Specus Aquarum Marciæ, Tepulæ, ac Juliæ ſuſtentabant, quorum vix ſupereſt veſtigium, cum eorum rudera operi arcuato Sixti V. ceſſerint. Qua vero integri procul ab Urbe adhuc remanent, in Villa ruſtica Fundi, *Sette baſſi* nuncupati, ad V. lap. Viæ Latinæ, in exactiſſimam formam, ſummamque firmitudinem hac ſpecie conſtructos inveni;




A. *Specus, latus ped.II. & ſemis; altus ped. V. & ſemis. Latera hinc inde craſſa ped.I. & unc.III.*
B.B. *Tota ſpecus altitudo, & faſcia ſub Arcubus, conſtat ex lapide Collatino rubente.*
C.C. *Terni lapidum ordines ſub ſpecu, ex Tuſculano lutei coloris,* Sperone *nuncupato.*
Reliquum opus ex lapide Gabino ſubfuſco.

ut recte Propertio dictum ſit lib.III. eleg.XXII.
—— *æternum, Marcius humor, opus,*

vereque Plutarc. in Coriolano, *maximum* hunc, & *pulcherrimum Aquæductum* vocaverit, quæſita inſuper ex diſcolore lapide elegantia.

29 Nec dubium eſt, quominus junctæ, atque ordine ſupra expoſito aſcendendo devenerint; tum ex his verbis Front. num.27. *a Piſcinis in eoſdem arcus recipiuntur, ſummus iis eſt Juliæ, inferior Tepulæ, deinde Marciæ*; tum ex aliis num.25. *altiſſimus Anio eſt Novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Julia, quartum Tepula, dehinc Marcia*; & paullo infra, *ſextum tenet libræ locum Anio Vetus* &c. *ſequitur hujus libram Virgo, deinde Appia*. Quæ omnia optime reſpondent ſectioni ſcenographicæ, quam proponimus utriuſque Specus, Claudiæ, & Anienis Novæ ad Portam Majo-
E rem, extra quam, ad dexteram intrantibus, earundem Aquarum Juliæ, Tepulæ, Marciæ Rivi, ut hic vides (non quidem Claudiæ, ut Fabric. cap. XVIII. pag.201. male conjecit) ſeſe offerunt.

A. *Specus Anienis Novæ.*
B. *Specus Claudiæ.*
C. *Specus Juliæ.*
D. *Specus Tepulæ.*
E. *Specus Marciæ.*
F. *Locus inſcriptionis Ti. Claudii Cæſaris, ſupra num.26. expoſitæ.*
G. *Locus inſcriptionis Veſpaſiani Cæſaris, in reſtitutione hujuſmodi Aquarum.*
H. *Locus inſcriptionis Titi Cæſaris, eadem occaſione appoſitæ.*
I.I.I. *Summitas fornicis convexi exterioris Aquæ Felicis, VI. pedibus ſub fundo Claudiæ, VIII. ſupra fundum Juliæ.*



qui deinde ad portam recentem Sancti Laurentii, inscripto nomine Marciæ in sequentibus epigrammatis Titi, & Caracallæ, (ne de eis hæsitatio remaneat) rursus apparent.

IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX. E

TRIBVNICIÆ. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIGN. VIII.

RIVOM. AQVÆ. MARCIÆ. VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT.

ET. AQVAM. QVÆ. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT.

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM. F

BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS. AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS.

MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONINIANO.

IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Qui a Porta Majori ad sinistram per Cœlium se 31
extendunt, Neroniani vocabantur, & partem Aquæ Claudiæ deferebant, ut ex Front. numero 28. edocemur. *Finiuntur arcus eorum* (Claudiæ, & Anionis) *post hortos Pallantianos, unde in usum Urbis fistulis deducuntur, partem tamen sui Claudia prius in Arcus, qui vocantur Neroniani, ad* 32
Spem Veterem, transfert: ii directi per Cœlium montem, juxta Templum Divi Claudii terminantur. Ex quibus verbis patet, falsam, & diminutam esse divisionem Aquæ Claudiæ, quam supra memoratus Fabric. eod. cap. XVIII. pag. 201. expediit, *quasi unus Ductus e Cœlio in Capitolium, alter in Aventinum tenderet*: nam iste subdivisionem, pro prima & summa divisione, contra Frontinum, divenditavit; illius scilicet partis, quæ per Arcus Neronianos transferebatur, remanente ac prætermissa altera, quæ (ut vidimus) *post hortos Pallantianos in usum Urbis fistulis deducebatur*. Cœlimontanos quippe appellatos fuisse, monstrat sequens inscriptio apud Grut. pag. CLXXXVII 3.

IMP. CAES. DIVI. M. ANTONINI
PII. GERM. SARM. FILIVS. DIVI. COMMODI
FRATER. DIVI. ANTONINI. PII. NEP. DIVI.
HADRIANI. PRONEP. DIVI TRAIANI
PARTHICI. ABNEP. DIVI. NERVAE. ADNEPOS
L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS.
PERTINAX. AVG. ARABIC. ADIAB. PARTHIC
MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XI.
COS. II. P. P. PRO. COS. ET
IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARABIC. ADIAB.
PARTH. MAX. FIL. DIVI. M. ANTONINI
PII GERM. SARM. NEP. DIVI. ANTONINI
PII. PRONEP. DIVI. HADRIANI. ABNEP. DIVI
TRAIANI. PARTHIC. ET. DIVI. NERVAE. ADNEP
M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS.
FELIX. AVG. TRIB. POTEST. IIII. PRO. COS
ARCVS. COELIMONTANOS. PLVRIFARIAM
VETVSTATE. CONLAPSOS. ET. CONRVPTOS
A. SOLO. SVA. PECVNIA. RESTITVERVNT.

quæ licet in Regione Harenulæ extare dicatur, *IN* hoc tamen *AQVAEDVCTV ANTE HOSPITALE SANCTI JOHANNIS OLIM AFFIXA* erat, ut enunciatur in Veteri M. S. quod in sua instructissima Bibliotheca asservat, instru-
34 ctior ipse omnigena literatura, Illustriss. D. Marcellus Severolius.


35 Quid modo sibi velit Nard. lib.VIII. cap.IV. fol. 107. non satis intelligo: *Gli Archi Neroniani oggi appajono di materia lateritia, ma gli altri, che son fuora delle mura, fatti di grosse pietre, danno indizio, che ancor questi fossero di non minor magnificenza; onde quel che oggi se ne vede, fu incamisciatura fatta loro forse in tempi meno felici* &c. Nescio enim, cur in hac parte Aquæ Claudiæ, a Nerone, ex principali Forma aliorsum tendente, derivatæ, eandem ac in toto Aquæductu structuram lapideam exigat, ita ut de refectione horum arcuum, & solo lateritio cortice dubitet. Ubi enim lapidei operis toto hoc tractu vel leve vestigium? & quomodo pilis istis lateritiis, nimia gracilitate, & suorum arcuum amplitudine vitiosis, ni ratio circumjacentia Urbana ædificia, minus quam fieri potest, offuscandi excusaret; pilis, inquam, istis, VIII. tantum pedes longitudinis, VII. latitudinis habentibus, duplo fere major aliarum lapidearum moles comprehendi potuisset? ut ex utriusque Ductus, quem hac occasione exhibemus, comparatione deprehendere licebit. C



A. *Specus Claudiæ, latus ped.IIII. unc.III. altus ped.VI. Latera hinc inde crassa ped.III.*
B. *Specus Ductus Neroniani, latus ped.II. unc.IX. altus usque ad curvaturam fornicis ped. V. & semis. Fornix ipse ped. I. & semis. Latera hinc inde crassa ped.I. unc.X. & semis.* F
C. *Lateres arcuum diversa magnitudine; interiores nempe bipedales, exteriores ped.I. unc.IV.*
Apertura arcuum, ubi amplior, est ped. XXVII. & semis; minima ped. XVIII. & semis; & inter hæc extrema passim varians, pro modo elationis ipsorum.

37 Refectionem vero Severi & Antonini, de qua inscriptio, ostendunt omnes illi arcus, qui a simplicitate & venustate eorum, quos descripsimus, recedunt; & hos tantum observasse Nardinum credimus, dum opus exactissimum, *incamisciatura in tempi meno felici*, appellare placuit. Nec enim,
38 quia lateritios suos Arcus Nero construxit, (alias oppido quam elegantes, & suo conditore dignissimos) ideo minus magnificos, utilesque judices: nam Vitruvio hæc potissimum materies probatur lib. II. cap. VIII. ubi plura per universum Orbem ex latere constituta, publica, Regiave opera enumerat, & tandem in hæc verba definit: *Cum ergo tam magna potentia Reges non contempserint lateritiorum parietum structuras, quibus & vectigalibus & prædæ sæpius licitum fuerat, non modo cæmentitio, aut quadrato saxo, sed etiam marmoreo habere; non puto oportere improbare quæ e lateritia sunt structura facta ædificia, dummodo recte sint perfecta*.

39 Alii arcus, qui ab eadem Porta Majori dextrorsum ad Castellum, sive Emissarium, ut vocat Grut. pag. CCLXXIV. prope Fornicem Gallieni desinunt, prorsus in eadem libra sunt, ac jam dicti Neroniani: unde certum quoque est, reliquum Aquæ Claudiæ, (ut bene Grut. ibidem advertit) sive etiam Anienem Novam illi superpositam devexisse; quæ duæ Aquæ ante Frontinum miscebantur, ut ipse ait numer. 78. & hunc eundem esse locum post hortos Pallantianos, unde juxta citatum num. 28. finitis Ductuum arcubus, & per quinque (ut dicemus) ostia immensa Aquarum copia ostentata, in usum Urbis fistulis deducebatur; nulla enim alia Aqua (cum hæ su-
A premæ omnium fuerint) ad tantam altitudinem ascendere poterat. Aniene ergo ipso, gelidoque Simbrivio frigidior remanet conjectura recentis Scriptoris, qui ex hoc Castello (sic vocat) Aquæ Marciæ, tanquam per Trajanum excitato, dum illam restituit, & auxit, sive in Aventinum perduxit, (id quod tamen nusquam apud Frontinum ab ipso laudatum, sed tantum apud Angelon. pluries, & in hoc præcipue vaniloquum ad nummum 27. Trajani, me legisse memini) Trophæa ibi olim existentia Trajano inscribit. Nam Aqua Marcia, cujus certam & proximam altitudinem habemus in dicto ad Portam Majorem ejusdem
B Rivo, XXV. & amplius pedibus Claudia humilior remanet, ut in supra exposita sectione, & libra quinque illorum Aquæductuum apparet; nec proinde in cacumen hujus Castelli evadere valuit. Hæc siquidem certitudo, mathematicis demonstra- 41
tionibus explorata, Nardini conjecturam lib. VIII. cap. IV. pag. 505. *E forse nel Castello, che ancor dura sotto i Trofei di Mario, presso S. Eusebio, i tre forami che vi si veggono al pari, diffondevano ancor ivi le medesime tre Acque* (intellige Juliam, Tepulam, Marciam) *distintamente*, imo indubiam assertionem lib. IV. cap. II. pag. 161. *Che ivi sorga un Castello dell' Acqua Martia, non si dubiti, vedendosene chiara la divisione in tre*
C *capi*, alias ex se labantem omnino destruit: labantem, inquam, quia illis tribus foraminibus a Nardino visis, alia duo ad latera addenda sunt; (tot enim illud Emissarium ostendit) quæ omnia quinque (ne alias propterea duas diversas Aquas Nardinus ingerere opus habeat) ex unico Specu deducebantur, distributa, ut hic vides



A. *Specus principalis Ductus, per quem Aqua ad Emissarium deferebatur*.
B. *Murus objectus, ubi primum Aqua impacta, in duos alveos se dividebat*.
C. *Ostium medium, per quod Aqua e plano* D. *aliquantum descendens emittebatur*.
EE. *Specus laterales, per quos Aquæ portio rursus in* FF. GG. *binis hinc inde ostiis se dejiciebat*.

erogatione, quam nemo (quod sciam) hucusque
42 advertit. Dimidio fere minus erravit Fabricius, qui eundem Ductum, inter Portam & Trophæa Marii a se agnitum, Juliæ Aquæ, ceteris duabus altioris, fuisse dicit; altitudinis & ipse parum sollicitus, sed, ut alii, quod in buccam venit eructans cap. XIIX. de Aquæd. pag. 202.

Majoris momenti erit (ex communi, ut Tute judicabis, Antiquariorum hallucinatione) definire, ad quamnam ex veteribus Aquis spectaret
43 Ductus ille lateritius, qui tribus fere stadiis secundum Viam Latinam ad lævam Romam venientibus progrediens, in angulo mœniorum magis meridionali Urbem ingreditur, supraque Fornicem,
E Portæ Sancti Sebastiani proximum, Viam Appiam transilit, & versus loca XII. Regionis, & Piscinæ publicæ tendit: nemo enim hucusque non intrepide asseruit, Arcum illum ipsissimam esse Portam Capenam, Aqua Appia desuper cadente humidam madidamque, ut eam Poetæ describunt. Prius itaque debellandus iste vulgaris error; ostendendumque est, neque huc Appiam Aquam pervenisse; neque hoc loco, sed longe retro, Urbem versus, Portam Capenam stetisse.

Et quoad Aquam Appiam attinet, res adeo 44
absurda est, ut mirum sit, Lucam Pætum de re-
F stit. Aq. Virg. in principio, aliosque insignes & incomparabiles viros, adeo Frontini immemores fuisse, ut hanc, quæ omnium Aquarum (Alsietina trans Tiberim dempta) infima erat, juxta seriem ab eo recensitam citato num. 26. ad summum illius Clivi ascendisse putaverint, cui ipsa Virgo, longe inferior, mensura docente, reperitur. Nec minus repugnat brevitas substructionis, & supra terram operis arcuati LX. pass. in totum, quod Front.

Front. num. 4. *proxime ad Portam Capenam* Appiæ tribuit, evidenti paff. CCCCL. circiter fubftructioni, qua Ductus, de quo agitur, a Via Latina ad Appiam devenit.

45 Quo vero ad fitum veteris Portæ Capenæ, res adhuc eft clarior, auctoritate Strabon. his lib. v. verbis, in quibus Latinæ ab Appia divertigium extra Urbem, & proinde ultra Portam Capenam fuiffe oftendit: Ἀρχεται δὲ ἡ Λατίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρεπομένη πλησίον Ῥώμης, εἶτα διὰ τοῦ Τυσκλανοῦ ὄρους ὑπερβᾶσα, μεταξὺ Τυσκλοῦ πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κάτεισιν ἐπ' Ἀλγιδον πολίχνιον, καὶ Πικτὰς παντοκεῖα. *Incipit Via Latina ab Appia, ad finiftram ab ea prope Romam deflectens, ac fuper Tufculanum Montem tranfit, inter Tufculum Oppidum & Montem Albanum, defcenditque ad Algidum Oppidulum, & Pictas Tabernas*. quæ verba adeo perfpicua funt, ut Criticorum

46 varias lectiones & coactos intellectus non admittant. Accedat, quod cum Plin. lib. III. cap. v. & Dionyf. lib. IX. Urbis ambitum, abruptis Collium, Aggere Tarquinii, & Fluvio terminaverint; non poteft commodius Capenæ fitus animo concipi, quam in linea ducta a Rupe Cœlii Montis, fub hortis Matthæiis, ad crepidines Aventini, fub Æde Divæ Mariæ, & munimento Pauli Papæ III.

Et quia ea veritatis prærogativa eft, ut illi omnia concinant: hinc fit, ut cuncta authorum de hac re loquentium dicta, quæ alios in diverfa traxerunt, huic noftræ opinioni plana omnino & facilia fe fe offerant. Quid enim magis conveniens, imo neceffarium, quam, ad hoc ut Aquæ Appiæ, omnium cis Tiberim depreffiori, *proxime ad Portam Capenam* tranfitum demus, eam a Clivo in planitiem reducamus? Ubinam aptius, quam in fitu per nos indicato, fcilicet per fauces (ut fic dicam) Cœlii, & Clivi illius Aventino a meridie obverfi, in quo Templum S. Balbinæ erectum fuit, fubftructio, & opus arcuatum Aquæ Appiæ, LX. non amplius paffuum, fe oftendere potuit? Et, quod omne argumentum fuperat, re vera locus, in quo Appiæ Rivum pluribus a fæculis incognitum, noviffime, & inter hæc fcribendum deteximus, (de quo mox dicam) mirum in modum

47 cum hac fententia concordat. Hoc etiam pacto Sex. Pompejus Feftus, apud quem *Lemonia Tribus a Pago Lemonio appellata eft, qui eft a Porta Capena Via Latina*, proprie, ut celebrem Grammaticum decebat, loquutus fuit, nec manum ferulæ Holftenii fupponet, qui ita illum, & cum eo Ortelium in annot. arguendo reponit fol. 104. *Ergo inter Appiam & Latinam Viam fuerit, nam a Porta Capena incipit Via Appia, a Latina autem ejufdem nominis Via*: imo, inquam cum Fefto, & in ipfa *Via Latina* effe potuit, & non nifi a *Porta Capena* adiri, non vero a Latina, cujus, nec res, nec nomen, ante productionem mœniorum Aureliani fuit. Refpondet denique ad unguem locus

48 noftræ Capenæ loco ubi reperta fuit Columna milliaria lapidis I. in Capitolium poftea translata, in Vinea fcilicet Nobb. de Naris, quæ prima eft ad dexteram exeuntibus a recenti Porta Sancti Sebaftiani; a qua retrocedendo, in linea per nos ducta mille paffus explentur. Dicet aliquis, Columnam alibi forfan conftitutam, ibi pofterioribus fæculis transferri potuiffe: fed ifte phyfica fua (ut Scholæ vocant) poffibilitate ad impugnandum pro libito utatur; nos morali verifimilitudine, aliis quoque argumentis fuffulta, ad fubftinendum contenti erimus. Quænam ergo cœcitas mentes occupavit, ut tot Philologorum acumen Strabo tam

49 clare loquens effugerit? cum folo veteri Juvenalis Scholiafte ad verf. XI. fat. III. *fubftitit ad veteres arcus madidamque Capenam*, videatur concludi poffe, ejus tempore denominationem Portæ Capenæ aliorfum translatam, fed priftinum locum adhuc cognitum fuiffe, ita enim ille, *madidam, ideo quia fupra eam Aquæductus eft, quem nunc appellant Arcum ftillantem; primum enim ufque ibidem fuerant Portæ, quæ Porta Capena vocabatur*. Ille igitur *Arcus ftillans* Ductus Aquæ Marciæ profecto extitit, qui *madidam*, longævæ ætatis vitio, Juvenalis tempore *Capenam*, five cum Martial. epigr. XLVII. lib. III. *grandi gutta pluentem* conftituebat. Cur namque Frontini locum num. 4. Aquæ Appiæ fubftructionem, & opus arcuatum, *proxime ad Portam Capenam* indicantem, verbis ipfis, fimulque naturæ loci vim adhibentes detorquent, & Aquam Appiam non *proxime*, ut Frontin. voluit, fed *fupra* Capenam ducunt, præterita & neglecta ejufdem Frontini de Aqua Marcia *fupra Portam Capenam* traditione? *Marcia autem, parte fui poft hortos Pallantianos, in Rivum, qui vocatur Herculaneus, dejicit fe per Cœlium. Ductus ipfius, montis ufibus nihil ut inferior fubminiftrans (modus deficere videtur) initur fupra Portam Capenam*. Hæc Front. num. 28. ultra cujus authoritatem, natura ipfa loci, ut dixi, & agnitus a me, ut infra oftendam, veriffimus Aquæ Appiæ Ductus, illum a culmine Portæ Capenæ excludunt. Nam utcumque Appiæ libra tantam elevationem, octo circiter paffuum, pateretur, quod ad afcenfum fornicis, Arcu recentis Portæ S. Sebaftiani non majoris requirebantur; jam reliquum operis totam Vallis latitudinem occupaffet, & LX. paffus, quos Frontinus tranfmiffioni Appiæ affignat, nec quater, vel quinquies fumpti fuffeciffent. Aquam itaque Appiam (poftquam Marciam Portæ Capenæ fuperinjecimus) *veteribus arcubus* in imo, & fub Porta, quæ ad latus Cœlii altiufcule, ut credimus, affurgebat, Vallem brevi illa fubftructione tranfmittentibus, deportandam dabimus; ita ut duo diverfa fint, loco quamvis valde propinqua, *veteres* Aquæ Appiæ *arcus* (nulli enim eos vetuftate antecedebant) prope Portam Capenam, & Porta ipfa, Marciæque fupra eam Ductus. Poft hæc pro nova hac mea opinione argumenta, aliud contra adverfantes (quamvis jam fuperabundans in tanta rei evidentia reputari valeat) non omittam; recentiorem fcilicet ad Portam Sancti Sebaftiani Arcum, quem inepte fubftituerunt, fua mole, firmiffimaque Ductus quem 50
fuftinet incruftatione, etiam hodie fefe humori impenetrabilem oftendere.

Alter lapis in eadem Vinea effoffus, & in hanc 51
fententiam exfculptus,

SENATVS.
POPVLVSQVE.
ROMANVS.
CLIVOM.
MARTIS.
PECVNIA. PVBLICA.
IN. PLANITIAM.
REDIGENDVM.
CVRAVIT.

Grut. pag. CLII. 7. docet, Clivum iftum in planitiem (non quidem exactam, fed leniter, ut videmus, acclivem) redactum, opere excavationis, quæ ad Portam Sancti Sebaftiani confpicitur, Martis olim vocatum fuiffe; ita profecto a Templo 52
Martis, Portæ Capenæ proximo, denominatum. Quod fi prope Portam erectum fuit, ut Servius ad lib. I. Æneidos teftatur, ibi, *Duo ejus Templa*

in Urbe, unum Quirini intra Urbem, quasi Custo-
dis, & Tranquilli, aliud in Via Appia extra Ur-
53 *bem prope Portam, quasi Bellatoris vel Gradivi;*
sive in conspectu Portæ ad dextram, ut Ovid. lib.
VI. Fastor. cecinit,

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum dextræ Porta Capena Viæ;

in imo Vallis, & antequam Clivus nimium assur-
geret, ex Cicerone positum conjicimus, qui ad
Q. Fratrem scribens lib. III. epist. VII. infimaque
Urbis loca alluvione afflicta percurrens, Templum
ipsum, vel sub eo planitiem mira proluvie resper-
sam dicit.


54 Ejus, quod antea præmisimus, nullam videlicet
mentionem Portæ Latinæ, ante Aureliani tem-
pora, reperiri, veteres omnes Authores testes da-
mus. Quicumque enim ex recentioribus, vetera
narrantes, hujus Portæ, tempore, quo nondum
extabat, meminerunt, per prolepsim, & ut lo-
cum verum, tunc extra Portam Capenam Via
Latina, immutata jam, eo quo scripserant ævo,
loci facie, evidentius explicarent, per prolepsim,
55 inquam, loquuti sunt: sicque, præ cæteris, histo-
ria immissionis B. Joannis Evangelistæ in ferven-
tis olei dolium ante Portam Latinam, Martyrolo-
gio veteri inserta a. d. prid. non. Maii, & si qui
alii de hoc mirabili facto testati sunt, veniunt in-
56 telligendi; eo magis, quia passim supplicia extra
57 Portas, & in celebrioribus Viis infligebantur. Pro-
chorus etenim Divo Joanni contemporaneus, per
quem, referente & approbante P. Aring. in Rom.
Subter. lib. VI. num. I. *passio Joannis ante Portam,*
& dedicatio Ecclesiæ per fideles, qui illic aderant,
enarratur, fuit quidem unus ex VII. Diaconibus,
qui gesta Martyrum in integrum colligerent; *sed*
cui historia illa, & Vita Sancti Joannis Apostoli fal-
so adscribitur, est enim apocrypha, & fabulosa, ut
in Serie Authorum tom. II. part. I. Biblioth. max.
SS. Patr. præmissa, ex censura Joannis Brassichel-
lensis Sac. Pal. Apostolici Magistri adnotatur. Si-
milem prorsus huic libro notam inussit Card. Bel-
larm. (quem justissimo titulo Vindicem & Tuto-
rem Ecclesiæ Lipsius nominat) de Script. Eccl.
motus præsertim, quia, *incredibile sibi videtur, a*
fidelibus, qui illic aderant, Ecclesiam in ejus hono-
rem fuisse constructam; qui enim id auderent (ait
ille) *in oculis sævientis Domitiani?* Unde miror,
Aringum supposititii scriptoris authoritatem addu-
cere, ut Portæ Latinæ existentiam, tempore D.
Joannis, sub Domitiano Imp. a se creditam, ad-
struat; & quod alii anticipatione usi optime tradi-
derunt, per anachronismum corrumpere.

Retrusa igitur infra bivium Viæ Latinæ Cape-
na Porta, & Aquæ Appiæ substructione, & ope-
re arcuato; eo major adhuc labor nos manet, in
nomine Aquæ, & Arcus ad recentem Portam sta-
biliendo, quo in rebus id genus, ipsa vetustate
incertis & obscuris, aliena oppugnare, quam sua
58 probare, facilius semper visum fuit. Specus iste,
non uno indicio, idem, puto, erat, ac is, qui a
Front. num. 29. *Octavianus* vocatur, partemque
Anionis Veteris recipiebat, ut his verbis contine-
tur, *Anio Vetus citra* IV. *milliarium intra no....*
Viæ, qua a Latina in Lavicanam itur, arcus tra-
jicit; & ipse Piscinam habet; inde, intra II. *mil-*
liarium, partem dat in Specum, qui vocatur Octa-
vianus, & pervenit in Regionem Viæ Novæ ad hor-
tos Asinianos, unde per illum tractum distribuitur.
Rectus vero Ductus, secundum Spem Veterem ve-
niens, intra Portam Esquilinam in altos Rivos per
Urbem deducitur. Plura siquidem ad hanc opi-

A nionem roborandam concurrunt. Primum ac præ-
cipuum indicium est altitudinis series Anioni Ve- 59
teri proprie conveniens, sextus scilicet libræ locus,
in Marciam & Virginem medius, ut Front. num.
26. supra relatus aperuit. Alterum non leve præ-
bet derivatio, ac iter hujus Ductus, descripto per 60
Frontinum simili. Nam circa II. prorsus millia-
re ab Urbe repertus fuit hic Specus ad lævam La-
tinæ Roma exeuntibus, loco in Charta num. 19.
signato, a quo rursus ad lævam deflectendo ver-
sus Labicanam Viam, quam respiciebat, & Mo-
numentum Alexandri, (prope quod vestigia Di-
verticuli a Latina in Labicanam, cujus Front. me- 61
B minit, existunt) rectum & integrum Ductum, a
quo dimanaverat, ostendere potuit. Tanta enim
circuitione altiores Claudiæ & Anionis Novi illi
superpositi Aquæ non indiguissent, quæ per Ar- 62
cus Cœlimontanos, ex Frontin. num. 74. ad hanc
Primam Regionem per declive ferebantur; ad
quam etiam Marcia, sive ea pars illius, quam Ri- 63
vum Herculaneum num. 28. Front. appellat, *deji-*
ciebat se per Cœlium, ut mox vidimus. Situs quo-
que Viæ Novæ, & hortorum Asinianorum in ea- 64
dem XII. Regione, in qua Thermæ Antoninia-
næ, quas Ductus petere videtur, ostendit hunc
C fuisse Specum Octavianum, ex eodem termino,
quem Frontinus Anionis per eum delatæ distribu-
tioni designat.


Crustam denique (ne ullum argumenti genus 65
inexploratum relinqueremus) cum alia, quæ ex
Anienis Novæ Specu divulsa est, contulimus: &
ut ex eodemmet flumine Aquæ utriusque Anienis,
juxta Front. num. 77. & 78. petebantur; ita, ad
proportionem tamen distantiæ, qua derivabantur,
hanc illi similem invenimus, & Academiæ expe-
rimentali, (sic vocant) quam Illustriss. D. Joan-
nes Ciampinus magnanimo sane laudandoque co- 66
natu nuper in Ædibus suis aperuit, rem examinan-
D dam detulimus; ut ex Spargiricæ quoque artis do-
cumentis conjecturæ hæ nostræ fulcirentur. Mi-
rum certe simulque perjucundum in hac compara- 67
tione accidit, varietatem crustæ in uno eodemque
Rivo Anionis Novi reperiisse; ea enim, quæ an-
tiquior signino adhæret, tempore scilicet, quo pri-
mum ex ipso flumine Aqua deducebatur efforma-
ta, turbidi coloris erat, *ut flumen ipsum, quamvis*
purissimo defluens lacu, mobilibus tamen cedentibus
ripis, aufert aliquid quo turbetur: (sic Front. num.
77.) quæ vero novissime superinducta fuit, *post-*
quam Anionis Novi vitia Nerva Cæsar excludi pos-
se vidit, & omisso flumine repeti ex lacu, ubi lim-
E *pidissima est, jussit*, (ut per eundem Front. num.
80.) recentiorem corticem puriorem atque alben-
tiorem effecit: & ita ex effectu veritas narrationis
Frontini confirmata ostenditur. Ratio distantiæ,
ut obiter tetigi, XXII. m. pass. inter utriusque Du-
ctus initium. (Vetus enim a milliario XX. ex Front.
num. 7. Novus a milliario XLII. ex eodem num.
22. excipiebatur) in caussa fuit, ut illius crusta ob-
scurior quidem, sed ejusdem cum altera substantiæ
videatur; prout magis turbidam advenisse Aquam
longe infra deductam, *pluribusque adjacentibus cul-*
tis, necesse erat.

Et certe, non nisi hujus Specus Octaviani con- 68
F tinuitas esse potuit Ductus ille, quem nuper a
Fossoribus detectum vidimus in Lapicidina Vineæ
Benedicti Sanctorii, ad angulum Viæ, quæ a ca-
vea Circi ad Portam Ostiensem procedit, cum alio
Viatrio, per quod lævorsum ad S. Balbinæ Mar-
tyris Ædem itur; ubi & Marciæ Rivus, quem
supra Portam Capenam ex Frontino transivisse
ostendimus, VI. circiter pedum altiori libra alium
hoc pacto intersecat.



A B. *Ductus Anionis Veteris, ex parte A Arcum Drusi per Eurum grad.* XII. *versus Austrum; ex B latus orientale Aventini e diametro respiciens.*
C D. *Ductus Marciæ, ex parte C rupem meridionalem Cœlii, & locum, quem Portæ Capenæ assignavimus, per Solanum grad.* VIII. *versus Eurum; ex D medium Aventinum (ubi rursus e regione Templi Sanctæ Priscæ subterraneus visitur) e diametro spectans.*

Sub hisce duobus Ductibus (ut hic Aquarum concursus fiebat, eo pacto, quo ad Spem Veterem, sive apud recentem Portam Majorem, Marciam, antequam *per Cœlium se dejiceret*, cum aliis
69 IV. altioribus coisse vidimus) alium infime latentem nuperrime Fossor quidam monstravit, & me difficulter sane humi repentem ad illum perduxit: quo viso, rei diu quæsitæ novitas omnem lassitudinem locique horrorem ex corpore animoque exegit. Nam, hunc esse Rivum Aquæ Appiæ, Romanæ providentiæ, magnitudinisque primitias, mihi certo persuasi. Tibique probare studebo. Libra ejus, atque, ut Frontin. vocat, pressura minime abnuit; quia omnium cis Tiberim hanc Aquam humillimam (ut Frontinus de ea num. 26. ait) ex comparatione ad proximos Ductus Marciæ & Anionis cognovi; totis enim XXVIII. pedibus sub Anione Vetere excurrebat, quantum præ loci angustia, & repetita per cavernam operatione, deprehendere potui. Suo item hucusque decursu, situm, quem Capenæ Portæ dedimus, & *veteres* prope eam *arcus* indicare cum Marcia videtur: antrorsus vero ad Aventinum flectitur, & post L circiter passus, rursus ad dexteram vergit, ac suo aspectu locum, ubi ex Front. emergebat, nempe Salinas, & Portam Trigeminam, ut num. 4. seu Clivum Publicii, ut num. 29. designat. Nec deficit potissimum ex Front. indicium, hoc est, eadem, ac ille in Appia num. 50. describit, latitudinis & altitudinis mensura. Quamvis enim Specus iste, ut plurimum, ab aliorum forma recedat, lateribus gradatim sese ampliantibus; (id quod in nullo alio Aquæductu animadverti, & Agrippa hunc aliosque pene delapsos restituente, ex Front. num. 15. factum puto) ubi tamen ulterius LXX. circiter passus progrediare, latera directa & parallela, pede uno & dodrante, juxta Frontinum, inter se distantia, altitudinemque, signino dempto, pedum V. & semis reperies; hoc est ipsorum pedum V. Frontini supra signinum, quod crassitudinem semipedalem communiter in fundo Ductuum obtinere solet. Præter quæ omnia, majestas operis, simplicitate, simulque venusta & inaffectata firmitate compositi, sæculum Appii, & crescentem jam jam publicorum ædificiorum splendorem, magnificentiam, & ad vivum ostendit. Accedit, ad vetustissimam Rivi structuram ipso aspectu dijudicandam, crassissima circumquaque crustæ nigricantis coagmentatio, intus lapidosa & solida, in superficie autem spongiosa quodammodo & cincinnata; ejus propemodum figuræ, ac lapis ille, ex Tiburte agro Romam advectus, quo frequentissime ornamenti caussa, ad rusticos fontes in urbanis hortis imitandos, lautiores isti uti solent. At rem ipsam melius imagine & explicatione percipe.



ABCD. *Amplitudo, & forma Speluncæ, ad construendum in ea Aquæductum in ipsa rupe excavatæ.*
Altitudo C A *est ped.* V. *& semis. Latitudo* CD *altitudini æqualis.*
Fornix minimum, & vix semipede attollitur; nec lateribus Ductus innititur, sed vi sua stat.
E F. G H. *Latera ex lapide Albano, quibus Rivus arctabatur.*
Latitudo E F *est ped.* I. *unc.* IV.
Latitudo G H *est ped.* II. *unc.* X.

Specus nostri Octaviani, cujus pene obliti videbamur, & Fornicis sub eo ad Viam Appiam, & Clivum Martis, authorem ignorasse, nihil assumptæ tractationi detrahit: sed tamen eatenus investigabimus, quatenus opinioni propositæ favere videatur, si hunc esse Arcum suadeamus, quem Se- 70 natu decernente (ex Suet. in Claud. cap. I.) Augustus in honorem Drusi privigni (an potius filii?) statuit. Quiritatur certe more suo Ligor. in 71 Paradox. hunc non esse Arcum triumphalem, sed Castellum Aquæ; (ea licentia, qua Castellum, quod in jure nostro receptaculum sonat, lib. I. §. æstatem D. de aq. quotid. & æst. vocavit in eodem opusculo Arcum ad Portam Sancti Laurentii, ubi pariter simplices trium Aquarum Rivi, nec magis quam hic Castelli umbra) attamen nos tam fidem, quam criterium hominis hujus spernimus, & eo quamvis oblatrante, ad rei examen progredimur.

Maxima inter nummum hujus Arcus Drusiani, 72 & ipsius reliquias similitudo, primum conjecturæ fundamentum præbet, ut ex subjecto utriusque schemate conferre poteris.


C. *Specus Aquæductus ad recentem Portam S. Sebastiani, quem Octavianum esse credimus, latus ped.* II. *& semis: altus usque ad curvaturam Fornicis ped.* V. *Fornix ipse ped.* I. *unc.* III. *Latera hinc inde crassa ped.* II. *unc.* X.

Præterea, nomen Specus Octaviani, quo Ductum huic Arcui superpositum notavimus, nonne ab Octavio Augusto derivatum videtur? qui, dum *RIVOS AQUARUM OMNIUM*, (ut in epigraphe ad Arcum Aquæ Marciæ, sive recentis Portæ Sancti Laurentii, quem paullo infra exhibebimus, expressum est) sive, ut in marmore Ancyrano apud Gruterum pag. CCXXXII. *RIVOS AQUARUM COMPLURIBUS LOCIS VETUSTATE LABENTES REFECIT*, hunc etiam, in depressione Clivi Martis abruptum, refecisse, eique nomen suum reliquisse potuit: quia præsertim verba illa, CLIVOM, & PLANITIAM, ejus tempora redolent; (bis enim Vitruvius Au-

guſtos σύγχρονος ita hoc ſecundum effert eodem cap. XII. lib. v.) & ſæpe in Auguſti nummis, DIVOS JULIUS, ſimili licentia leges. Eſt ſiquidem pluſquam veriſimile, Clivum, impediente Ductu, lenitum fuiſſe, quo Fornix triumphalis ſub ipſo [A]
74 Specu erigi poſſet; & ex tribus ad eam Viam Arcubus, Druſi, Trajani, & Veri, quot Victor & Notitia computant, Auguſtum, qui alios præceſſit, ſitum ſublimiorem elegiſſe. Quandoquidem nonnulla præcipua oſtendit hic Fornix, quamvis ſemeſis jam membris, & terra obrutus, per quæ ab aliis optime diſtinguatur; ut ſunt primo,
75 tympanum, & faſtigium paullo ultra Portæ latitudinem eundemque conditorem refert, qui [B]
76 haud abſimilia ornamenta huic ſuo apud Ariminum Arcui affixit, cum eadem faſtigii anguſtia, quam poſterior ætas, ſive Vitruvius ſuperveniens emendavit.

Proſpectus Arcus Auguſti apud Ariminum, prout hodie, multa ſui parte licet obrutus, cernitur. Hunc in refectione Viæ Flaminiæ, quam procuravit Auguſtus, dum reliquas Patribus quibuſdam, propriis ſumptibus reficiendas mandavit, *extructum fuiſſe, certiſſima conjectura monſtrat fragmentum inſcriptionis ſub* VII. *coſ. &* VIII. *deſignatione: hoc enim ipſo tempore factum recenſet Dio lib.* LIII. *quo etiam anno, AUGUSTUS hoc titulo a Senatu & Populo inſignitus eſt; quem, in hoc monumento primitus forſan aſſumptum,* [C]
(Damnoſa quid non imminuit dies?)
cum integra epigraphe deſideramus.


Neutrum enim ex hiſce Arcubus a Vitruvio collocatum aſſeruerim, quia uterque ab ipſius præſcriptis recedit; Romanus ſcilicet, dum in eo corona ſuper epiſtylio immediate quieſcit, cum Vitru. lib. III. cap. III. zophorum inter hæc duo membra medium conſtituat; Ariminenſis autem, quia habet denticulos ſub mutilis, non ſolum in corona, verum etiam in faſtigio, ubi coronam puram eſſe debere ſtatuit, Græcorum exemplo, & rationibus ex ipſa natura petitis cap. II. lib. IV. & quia denique faſtigium, Ariminenſis præſertim, longe ſupra ipſius modum elevatum conſpicitur; ubi enim Vitruvius dat tympano talem altitudinem, quæ ſit nona portio longitudinis coronæ ab extremis cymatiis, hic tympanum in ſui cacumine habet quartam integram longitudinis coronæ partem. Quæ tympani proportio, quamvis preſſior viſa fuerit Philandro, in aureo ſuo ad Vitruv. Commentario, loco per nos ſignificato, ubi eam facillima praxi emendavit, optimo certe exemplo non deſtituitur, in ſupra memorato Arcu recentis Portæ Sancti Laurentii, olim ad Viam Collatinam; quem præcipue hujus rei oſtendendæ gratia, prout ſupra terram apparet, his inferimus: 77 78



A. A *Ichnographia pilarum hujus Arcus.*
B. B *Anguli conſimiles, recto minores, graduum ſcilicet* 77.
C. C *Alii recto majores, grad.* 103. *obliquationi Viæ Collatinæ ſeſe conformantes.*
D. *Specus Juliæ.*
E. *Specus Tepulæ humilior quam alibi, ſed capacitas ſuppleta per ampliationem in latum.*
F. *Specus Marciæ.*
G. *Locus inſcriptionis Antonini Caracallæ, complanatis lapidibus inciſæ, ſupra num.* 30. *expoſitæ.*
H. *Locus inſcriptionis Titi Cæſaris, ſupra eodem num.* 30. *expoſitæ.*

monentes tamen, faſtigium & coronam abraſa quidem eſſe, quo poſteriori inſcriptioni Caracallæ campum patefacerent, ita tamen, ut certiſſima lapidum complanatorum veſtigia reliqua ſint. Cum enim Titus Veſpaſianus, ne ornatum deturbaret, faſcias ſub corona prior inſcripſerit; Antoninus ſpatium reliquum occupavit, & medium, quamvis per Arcus injuriam, ſe intruſit. [F]

Diſtinguunt quoque hunc triumphalem Druſi Fornicem ab aliis, noſtroque nummo aſſimilem faciunt, feneſtræ laterales, quarum veſtigium in latere D conſpicitur, recurrente circumcirca eadem corona E; quod forſan Æneam Vicum, & 79


C
A
E
COS. SEP. DI SIGNAT. OCTAVI
LEBERRIMIS. ITALIAE. VIEIS.
NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMAN. IMP.
S. C.

Octavium Stradam decepit, & ad geminos hinc inde minores arcus excogitandos induxit, quibus nec locus esse potuit, in angustia pedum XXIV. & semis, quot ex B. ad A. ubi arcus lateritii hujus Aquæductus ex hac parte finiuntur, intersunt.
80 Nummi nostri fidem sanciunt schedæ cl. viri Francisci Gottifredi, magni illius & fidelissimi rei nummariæ Promicondi; benigne exemplar suggerente, oculorum lumine capto, sed animi lynceo
81 Francisco Camelo nostro, quem honoris & amicitiæ caussa nomino.

Libet nunc aliquantum digredi, & hunc nummum, simulque historiam de Nerone Druso in aliquo supplere, ex alio perfecte integro & distincto, quem in Museo Septalio extare significavit nobiliss. vir Franciscus Comes Mezabarba Biragus,
82 cum capeduncula intra tympanum, duobus utrinque ad latus ejus lituis, & versus extrema, sed eadem altitudine, patera ad dextram, ad sinistram vero urceolo insculptis; eo propemodum ordine distributis, quo in Tabula XCVI. Oiselii subobscure hæc instrumenta expressa videmus. Hinc igitur Augurem fuisse Drusum ex lituo (*quod clarissimum insigne Auguratus vocat* Cicer. de Div. lib.
83 I.) apparet; quamvis historia de hoc ejusdem honore minime loquatur, sed Dio, (apud quem l. LIV. plura de Druso) atque Sueton. in Claud. cap. I. Quæsturam, Præturam Urbanam, Triumphales honores, Ovationem, Consulatum, & Proconsulare imperium tantummodo referant.

Eo tamen quia nummus, quem cum Arcu Drusi retulimus, a Tib. Claudio Cæsare ejus filio cusus cernitur; non ideo Angelonio assentior, qui
84 ad nummum IX. pag. 46. Arcum ab ipso Claudio erectum ornatumque asserit: nam ultra nostras de Augusto authore, quas supra expendimus, conjecturas, Dio lib. LV. tamquam de re, tempore Augusti ne dum decreta, verum etiam perfecta loqui videtur. *καὶ ὁ μὲν ἔς τε τὸ Ἄρειον πεδίον ὑπὸ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριβῶς τελούντων, καὶ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων, ἠνέχθη. κἀνταῦθα πυρὶ δοθεὶς, ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη. Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνος καὶ ἀψῖδος, κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ Ῥήνῳ λαβών. & ipse quidem (* Drusus *in Martium Campum, ab Equitibus equestrem ordinem exacte servantibus, & ab iis, qui erant e genere Senatorio, deductus fuit. Et hic igni datus, in Augusti monumentum depositus fuit. Germanicusque cum filiis cognominatus est, & honores tam statuæ, quam Arcus, cœnotaphiique prope ipsum Rhenum accepit*. Nec credibile est, Augustum, qui *bonora & magnifica in Drusum fecit*, ut Tacitus monumentis suorum Annalium lib. III. mandavit *& tantopere* (ut cum Suetonio loquar) *& vivum dilexit, ut cohæredem semper filii instituerit, & defunctum pro concione laudaverit; nec contentus elogium tumulo ejus, versibus a se compositis, insculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit*, honorem Arcus, statim post ejus obitum decretum, per XXIII. annos, quibus privigno supervixit, neglexisse & tandiu effectu vacuum reliquisse: urgente præsertim Livia uxore, quæ in acerbissimo maximoque filii luctu, quo sibi fere vitam exhausit, ut Pedo Albinovanus his versibus testatur,

Vix etiam fuerat paucas vitalis ad horas,
Obtulit invitæ cum sibi Cæsar opem;
Admovitque preces, & jus immiscuit illis,
Aridaque effusa guttura tinxit aqua,

supremum hunc filio honorem, sibique solatium differri minime passa fuisset.
85 Hunc insuper Arcum ad Viam Appiam minime (ut Andreas Fulvius credidit) ad Trajanum spectasse, nummi ejus aperte ostendunt, qui Arcum triplicis Fornicis, & non unius tantum, qualis iste, exhibent.

Ad Lucium Verum excludendum, quem in hac eadem Regione, ut diximus, Arcum habuisse scimus, non ita promptas, ut in Trajano, rationes habemus, cum nummi ejus cum suo Arcu nulli extent: nihilominus ex tot argumentis, per quæ Augustum hujus Fornicis authorem fecimus, alium hinc amovebimus, postquam locum Drusiano Arcui, satis, ni fallor, sub hoc Aquæductu, & in summo hujus Clivi Martis asseruimus.

Hæc tamen omnia, alias forsan scitu non inutilia, ad terminos nostræ quæstionis ex abundanti dicta videbuntur: quia quidquid de hujus Specus Octaviani nomine dubitari possit, illud (quod nobis sufficit) extra omnem dubietatis aleam esto, ejus Aquam ad Thermas Alexandri, adverso flumine, & contra ipsius soli genium & vergentiam, 86 suo, ut mox dicemus, Nymphæo longe relicto, tam procul retrahi nullatenus potuisse.

Unde tota quæstio in id recidit. An Janiculensem, quam Trajanam fuisse dicemus, Aquam, 87 an vero hanc, quam ex agro, in quo oritur, Labicanam vocabimus, Alexander in Urbem invexerit? In quo, memineris velim, pluries nos utramque inscriptionem, alteram super præcipuo Fonte in Janiculo, alteram in Arcu ad Viam Aureliam sub hortis Pamphiliis, in quibus AQUA hæc ALSIETINA nuncupatur, ejusque Ductus 88 ab Augusto Cæsare extructi dicuntur, non sine stomacho perlegisse: qui enim Alsietina ex Frontino num. 26. omnibus humilior, & quæ non nisi CCCLVII. passus operis arcuati, nil autem substructionis supra terram habuit, ut num. 17. diversamque a Lacu sui nominis originem sortita est; cum hac, quæ vel superiorem, vel æqualem ipsi Marciæ libram obtinet, prope Lacum Sabaten in variis venis caput agnoscit, & circa Urbem (ut longinqua missa faciam) per II. pass. M. operis arcuati & substructionis defertur, nisi per summam oscitantiam confundi poterat? Si igitur constare fecerimus, Janiculensem Aquam non posse Alexandrum in perductorem admittere, nostra 89 proinde hæc Labicana sola remanebit, quæ ad ipsum pertinuisse dicenda sit.

Id primo sola probabilitas pene nos credere compellit: cum ab omni verosimili alienum sit, ad Thermarum Alexandri cis Tiberim usum, Aquam Transtiberinam deducere, quemquam cogitasse. Præsertim, cum reperiamus ex Victore, Nymphæum Alexandri in Regione V. Esquilina extitisse, nempe in ipso hujus Aquæ recto a sua 90 Forma ad Thermas itinere: cujus & Piscinæ Limariæ vestigia se observasse apud Templum San- 91 ctæ Crucis in Hierusalem, ubi hanc inscriptionem reperit, scribit Ligorius, forsan (ut de Turpino Ariostus jocatur) *verace in questo loco*, quia inscriptio nil spurium resipit, ut pleraque hominis illius:

HERCVLI. CONSERVATORI.
INVICTO. COMITI.
D. N. SEVERI. ALEXANDRI.
PII. VICTORIS. SEMPER.
AVG. AC. OPTIMI. PRINCIPIS.
M. AVRELIVS. PRISCILLIANVS
V. C. CVRATOR. LYMPHAEI.
DEVOT. NVM. M. Q. E.

qui ad summum, ut morem retineat, potuit Pi-

ſcinam de ſuo addere , cum nos alibi eam ſtatua-
mus & oſtendamus , & duplicem fuiſſe vix credi-
mus .

Addam , nec meo periculo , quia ſatis idoneum
hujus ſententiæ propugnatorem habeo , Janiculen-
ſem Aquam eo minus poſſe abſque alicujus ex ve-
teribus teſtimonio Alexandrinam vocari ; quia ve-
rius eadem cum Trajana fuit . Ita agnoſcit P.
92 Aring. in Rom. Subterr. tom. I. lib. II. cap. XII.
num. 6. fol. 334. ex Actis præcipue Martyrii S.
Antonini , *eadem hora juſſit Vitellius Antoninum
capitis ſubire ſententiam , qui ductus Via Aurelia
juxta Formam Trajanam decollatus eſt* XI. *Kalen-
das Septembris* : probantque enunciata , quæ apud
Nardin. lib. VIII. cap. IV. alibique extant , vetu-
ſtiſſimi Codicis Actorum Sancti Julii , in quibus
deſcribitur *Forma Trajana juxta Viam Aureliam* ,
& Inſtrumenti Donationis Caroli Magni , ubi pro
confinio cujuſdam fundi datur , *Forma Trajana
uſque in Porta Aurelia* . Idemque eruitur ex ſe-
quenti loco , licet parum correcto , Anaſtaſii Bi-
blioth. in vita Honorii , *Eodem tempore fecit Ba-
ſilicam* B. *Pancratio Martyri Via Aurelia mill.* II.
*a ſolo , &c. & ibi conſtituit mola in murum Civita-
tis , & Formam quæ deducit Aquam in Lacum Sab-
batinum* .

Neque tanti apud nos eſt Ligorii auctoritas , ut
Aureliæ nomen Viæ iſti , quæ a Porta Pancratia-
na , imo ab ipſo Ponte Sublicio per indubia ve-
ſtigia , cum alia , quam Ligor. veram Aureliam
eſſe non denegat , recto tramite continuatur , ex
ejus ſententia auferri debeat . Unicus ſiquidem
Procopii locus , quem ipſe nobis obtrudit , hiſtor.
Gothic. lib. I. cap. XIX. *διὸ δὴ ἄλλας δύο τῆς πόλεως
πύλας ἐνοχεῖσθαι πρὸς τῶν πολεμίων ξυνέβαινε , τήν τε
Αὐρηλίαν (ἣ νῦν Πέτρου τοῦ τῶν Χριστοῦ Ἀποστόλων κορυ-
φαίου , ἅτε που πλησίον κειμένου , ἐπώνυμός ἐστι) καὶ τὴν
ὑπὲρ τὸν ποταμὸν Τίβεριν . Unde accedit , ut duæ aliæ
Portæ Urbis infeſtæ ab hoſtibus eſſent , Aurelia ſcili-
cet , (quæ nunc Petri Apoſtolorum Chriſti Principis ,
tamquam prope jacentis ſita vocatur) & altra trans
93 flumen Tiberim* , ex quo Portam Aureliam prope
molem Hadriani fuiſſe probatur ; unde propterea
Viam hujus nominis deducit , & alibi fuiſſe per-
negat : vel non tollit , quominus etiam Porta ad
Janiculum Aurelia vocaretur ; quia ita loquitur ,
& intelligi debet , quaſi ex duabus ejuſdem nomi-
nis , altera Sancti Petri , altera Sancti Pancratii a
propinquitate utriuſque Templi , ad diſtinctionem ,
appellari conſueverit : vel etiam accipiendus eſt de
94 Via Aurelia nova ; (cum tam novam , quam ve-
terem agnoſcamus ex inſcriptione apud Grut. pag.
CCCCLVII.) ne hanc veterem , cujus nomen an-
te alterius incidentiam tot illuſtria documenta re-
tinent , aboleamus . Ultra enim ſacras priſcorum
Chriſtianorum memorias , quæ Eccleſiam Beati
Pancratii , in vicinia Urbis , Formæque proxi-
mam , in Via Aurelia ponunt , quæ Ligorii Au-
relia eſſe non poteſt ; non alium vetuſtis tempori-
bus , & ante nova mœnia Aureliani , fuiſſe hujus
antiquiſſimæ Viæ ductum , quam jam dictum , a
Sublicio Fonte per ſummum Janiculum , ubi nunc
Porta (ſive Aurelia , ſive Pancratiana ea poſtea
vocata ſit) conſpicitur , dubitari nequit . Quia
enim tunc ab Urbe non niſi per Pontem Subli-
cium exitus ad Janiculum patebat ; dum hinc re-
95 ctum tritumque in Etruriam maritimam iter con-
ſpicimus , ut excavatio , & ſepulchralia hinc in-
de monumenta , inter Villam Marchionis de No-
bilibus , & Cœnobium Sancti Petri in Monte Au-
reo , & noviſſima Viæ ſilice ſtratæ , exinde ver-
ſus Eccleſiam Monialium SS. Coſmatis & Damia-
ni , ipſumque Sublicium tendentis detectio aperte
docent : quid quæſo abſurdius , quam per Pon-
A tem (qui nondum extabat) agrumque Vaticanum ,
perque ſinuoſos , more Mæandri , circuitus , Viam
Aureliam veterem ac primitivam concipere ; &
ibi fuiſſe , inficiari , ubi recta ratio , addam , & 96
veterum Scriptorum authoritas , eam collocant ?
Livius enim , Viam , quæ a Sublicio ad Janiculum ,
& deinceps ad Urbem Cære tendit , (quæ noſtra
Aurelia eſt) a Veſtalibus in fuga , poſt captam a
Gallis Urbem , calcatam oſtendit lib. V. verſus fi-
nem , ubi L. Albinii de plebe hominis meminit ,
qui illas , & Romana ſacra plauſtro impoſuit , uxo-
re , ac pueris deſcendere juſſis : de quo certe facto
B intelligendum putaverim ſequens lapidis quantivis 97
pretii fragmentum , pavimento ſuperioris , & ſub-
dialis ambulationis circa hemiſphærium Pantheo-
nis poſtea inſertum , quod , & rem , & tempus
(cum ſcilicet Galli Roma capta *Capitolium inva-
derent*)

ADERENT. CAPITOLIV..
STALES. CAERE. DEDVXIT.
QVE. RITVS. SOLLEMNES. NE.
RENTVR. CVRAI. SIBI. HABVIT.
ERATA. SACRA. ET. VIRGINES.
C XIT. *eſt apud Grut. pag.* CCCCXCII. 7.
ſed peſſime excepta .

ita deſignat , ut minime dubium ſit , quin in me-
moriam & encomium tantæ pietatis fuerit inſcul-
ptum .

Hæc ita certa reputo , ut nec placeat Aringhi 98
temperamentum , quo & opinioni Ligorii detulit ,
& Viam Aureliam fere a Pancratiana Porta emi-
ſit ; dum aliam Viam , quam Ligor. ab Aurelia
Procopii Porta initium ſumere tradidit , per Su-
burbium Fornacium , ſub Urbis mœnibus dedu-
D cit ; & veteri noſtræ Aureliæ ad bivium S. Pan-
cratii unit . Quia , hac incongrua obliquatione ,
pejus malo remedium allatum eſt ; & ipſe Ligo-
rius vehementius adhuc diſſentiret , quem nec
adeo Urbi propinquam , nec adeo violenter retor- 99
tam Viæ incidentiam cogitaſſe ſuſpicor ; ſed ratio-
nabilius (ut in aliquo homini laborioſo faveamus)
ſuam Aureliam recta ad Tabernam *del Pidocchio*
perduxiſſe , & vel hinc ad lævam per Viatrium ,
cujus portio ſilice ſtrata viſitur intra Vineam Car-
pineam , & Caſtellum Aquæ Paulæ in Vinea Bu-
rana ; vel adhuc congruentius , per veſtigia vete- 100
E ris Viæ , quæ relicta Cornelia , ad dexteram , per
Fundum *di Porcareccino* verſus Fundum *della Bot-
tacchia* tendit , ibi veteri Aureliæ Viæ junxiſſe .
Sed hæc plenius in noſtro *de Agro Suburbano* ope-
re σὺν Θεῷ enucleabimus .

Sic itaque reſtituta adverſus Ligorium veteri ve-
riorique Via Aurelia ad latus Formæ Trajanæ ,
cui per duo fere milliaria applicita eſt ; tam Ale-
xandro , quam Trajano ſuus cuique redditur Aquæ-
ductus , nam & hunc , præter jam allatas recentio- 101
rum Scriptorum authoritates , conſtat Aquam de-
rivaſſe , ex nummo ex S. C. publice in rei geſtæ
honorem cuſo , & ob Numen Fontis appoſitum , 102
F ad Aquam ex Fonte hauſtam , non ex aliis Du-
ctibus ſubtractam , referendo . Nummum probe
exceptum , ſed peſſime interpretatum , vide apud
Angelon. num. 27. qui perfracte , & tamquam 103
Frontino affirmante , ait , *che Trajano , della Via
Valeria , per lo tratto di 23. miglia , conduſſe l' Ac-
qua Martia nell' Aventino* , atque hoc nummo de-
monſtrari concludit ; id quod alios ejus ſequaces ,
plus τῷ , αὐτὸς ἔφη , quam Frontino , & veritati cre-
dulos , ſeduxiſſe vidimus , & ſupra num. 40. adno-
tavimus ; noviſſime vero Jacob. Oiſelium in partes


traxit ad numm. VIII. Tab. CVIII. sui Thesauri, hoc anno editi.

Non contemnendo etiam indicio est, Aquam in gratiam dictarum Thermarum fuisse deductam: quia, si quis alius in communem & solitum A-
104 quarum usum id instituisset, potuisset sane longe utilius, ad eandem libram, ac postea Sixtus Pontifex fecit, attollere, hoc est XII. & semis supra Marciam pedibus, quoties Aqua Sixtina ad Portam Majorem Marciæ Ductum ibi proximum superare deprehenditur; & ulterius, alios ped. XLI. & semis, quibus Marcia Ductum Alexandrinum excedit, ut mensura a primis arcubus in Charta num. 2. notatis, ad arcus Aquæ Marciæ, ibi proximos, inita demonstrat. Quia enim humilis erat Thermarum locus, ideo Alexander, ad illas tantum respiciens, commodum altioris directuræ neglexit, & pedibus LIIII. Aquam suam depressit. Tantam enim libræ varietatem, non ex imperitia, sed ex industria ortum habuisse, nemo non dixerit.

105 Quomodo autem Frontinus, Trajano contemporaneus, & sub eo Aquarum Curator, in suo libello de Aquæduct. de hoc præstantissimo Trajani sui opere silere potuerit, ex præfatione ejusdem libelli clare colligitur; quandoquidem scriptio Frontini contigit in ipso initio injuncti sibi muneris, & vivente adhuc Nerva, cui opus nuncupavit: deductio autem Aquæ, ex dicto numismate, Trajano quintum vel quinquies Consule, hoc est, post quintum saltem Imperii illius annum processit.

Si vero objicias, nimis a me restringi nume- 105
rum Aquarum, contra expressam veterum Authorum sententiam; cum Victor XX. (sive etiam XXIIII. juxta aliquos Codices) Notitia vero Imperii XIX. nominent; &, ut minus, Procop. XIIII. diserte pronunciet lib. I. cap. XIX. de Bell. Gothic. Respondebo, me non nimium morari Victorem & Notitiam, dum non Ductus, sed Aquas referunt, quarum plures in unicum Specum corriva- 107
ri potuerunt, ut Frontinus ipse in Augusta, Albudino, & Herculaneo Fontibus, & inscriptio Portæ recentis Tiburtinæ in Antoniniano testantur: Procopium vero, qui de Aquæductibus loquitur, alias mecum sentire probabo, & nova quædam ad ejus illustrationem afferam, si tantummodo Romam & Urbem diversimode mihi accipere liceat; quod in præsens differo, ne epistolarem modum omnino excedam.


Si quis demum certiorem adhuc probationem meæ hujus opinionis, de Alexandro authore operis, cupit, curet (ut nos faciemus) ex aliis Ale- 108
xandri monumentis, quorum duo indubia sunt, nempe Thermæ in Ædibus Mediceis, in quarum usum, ut modo diximus, hic, de quo loquimur, Ductus derivatus fuit; & Sepulchrum inter Latinam & Labicanam in Monte Grani nunc dicto, Figlinarum sigilla perquiri in lateribus, vel tegulis eorundem ædificiorum; si fortasse, vel jam exhibitum occurrat, vel aliud sequentis notæ; quod 109
similiter lateri arcuum num. 7.



cuamnum inhærenti insculptum est. Iidem enim characteres bene eadem operum tempora demonstrabunt; cum credibile sit, lateres ut primum excocti erant, operibus, quæ tunc frequentia & maxima excitabantur, inservisse, nec diu in officinis servari solitos, ut & hodie usu venit.

Et quia ingenui (ut ait ille) est pudoris fateri per quem profeceris; notitiam, quod monumentum istud sepulchrale in Monte Grani, Alexandri, & Mamææ matris cineres texerit, Tibi ac-
110 ceptam refero, ac relationem Flaminii Vaccæ, quam mihi indicasti, conquisitam, & repertam, Tibi regero. *Mi ricordo fuor di Porta San Giovanni un miglio passati gli Acquedotti, dove si dice il Monte del Grano, vi era un gran massiccio antico, fatto di scaglia: bastò l'animo a un Cavatore romperlo, ed intrarvi dentro; e poi calarsi giuso, tanto che trovò un gran Pilo storiato con il ratto delle Sabine, e sopra il coperchio, vi erano due figure distese, con il ritratto di Alessandro Severo, & Julia Mamea sua madre. Dentro, vi si trovò delle ceneri; il detto Pilo si ritrova al presente nel Campidoglio, in mezzo del Cortile del Palazzo, dove stanno i Conservatori.* Hæc ille, in epistola sub die prima Novembris MDXCIV. ad Simonettum Anastasium missa, simplici quidem stylo, sed majore, quam P. Aring. veritate, qui in Via Labicana Sarcophagum repertum dicit lib. IV. cap. VIII. num. 33. quamvis locus Latinæ aliquanto magis accedat, & a priori septem circiter stadiis distet. In recenti vero inscriptione, basi super qua Sarcophagum erectum est insculpta, locus reperitionis dicitur extra Portam 111
nescio quam Labienam, cujus nec vola, nec vestigium, apud Authores. Quamvis autem nuperus ex Gallia Scriptor imagines modo dicti Sarcophagi Alexandrum & Mamæam referre neget: communis tamen virorum doctissimorum consensus, & indistincta cum nummis similitudo, assertionem nostram satis superque tuentur, nec nobis imponi patiuntur; ut inde forsan Aquæ- 112
ductus ab Alexandro excitati non leve argumentum accedat, si haud procul ab eo, & qua integre illius prospectus ab ipsa Aquæ origine patet, perennem authoris memoriam, in Mausolei erectione, Senatum P. Q. R. ibi renovasse reputemus. Amplitudinem enim Sepulcri, quam Lam- 113
prid. exaggerat, dum ait in ejus vita, *Cœnotaphium in Gallia, Romæ Sepulchrum amplissimum meruit*, non modicam ostendit, informis licet, & omni ornatu spoliata moles, cujus hic delineationem adjungimus.

A. *Cella rotunda concamerata, in qua repertum fuit Sarcophagum cum imaginibus Alexandri & Mamææ, hodie in Capitolio existens.*
B. *Cellula, per quam ad jam dictum Conditorium patebat introitus, mediante porta in M.*
C. *Scala præceps, unde illatum fuit Sarcophagum per portam M.*
D. *Murus, post illatum Sarcophagum ante ostium Conditorii elevatum, ut omnis aditus occluderetur.*



E. *Apertura recens, unde illud detectum fuit.*
F. *Hypogeum rotundum, depreſſa concameratione, ſub Conditorio.*
G. *Porta ad idem, lata ped.* v. *unc.* III. *in muro* v. *pedes craſſitiei habente.*
H. *Cryptoporticus, lata ped.* v. *unc.* III. *longa ped.* LXXX. *inclinata in tota iſta longitudine ad ped.* VI. *& ſemis.*
I. *Spatium ad caput Cryptoporticus, elatiori fornice, ad requiem ſuperioris Scalæ ſubſtentandam.*
K. K. K. *Pavimentum toti ædificio ſubſtratum, ex Tiburtinis lapidibus, craſſitiei ped.* I. *unc.* III.
L. L. L. *Rudera incerti, ſed, ut ex eorum ingenti acervo colligere eſt, magnificentiſſimi, juxta Spartianum, ædificii.*

114 Variis Aqua iſta acquiſitionibus hodie conſtat, ex quibus præcipuæ ſunt eæ, quæ ſub Colle *delle Pantanelle* paluſtri & uliginoſo ſolo ſcaturiunt. An has eaſdem venas Alexander, vel ejus Aquileges olim conquiſiverint, animi dubius ſum: contrarium enim potius mihi ſuadet Aquæ recentis varians a veteri ingenium; hæc enim ingentem, ut diximus, cruſtam ſuo Rivo obduxit, illa poſt centum fere annorum curriculum Ductum ſuum adhuc purum nitidumque præſtat: unde in ipſis, qui nunc ad latera ejus Vallis hac illac ſparſim perfluunt, Oſæ Fl. fontibus Caput Aquæ Alexandri-
115 næ ſtatuerim. Illud tamen certiſſime aſſero, turpiter falli recentem Geographum, qui in ſua Charta Topographica, anno MDCLXXIV. in lucem edita, Aquam Sixtinam a Lacu, quem Regillum Holſtenius rectiſſime meo judicio vocat, (hodie *di Monte Falcone*) derivat. Erroris cauſſam puteï ſupra Rivum ſubterraneum, qui prope hunc lacum viſuntur, fortaſſe præbuerunt; dum Scriptor, parum ſane accuratus, nec eorum uſque ad Caput Aquæ, ſive ad primum Caſtellum continuationem, imo nec Caſtellum ipſum, integro milliario hinc diſſitum, animadvertit. Lacus vero ſta- 116
gnantem aquam potui omnino ineptam continet, nec inſuper unius diei erogationi ſufficeret: æſtivo autem tempore, putridam prorſus & venenatam emitteret, ob maximam lini & cannabis copiam, quam vicinorum oppidorum accolæ huc ad macerandum comportant.

Sunt qui ad ſiniſtram Viæ Præneſtinæ hanc 117
Aquam oriri dixerint, & ita palmaribus literis, & pluſquam palmari mendo, in Fonte primario apud Thermas Diocletianas habetur. Sed iſti lapſi ſunt, quia hodie, interrupta & impervia ipſa Via, Præ- 118
neſte nonniſi per Labicanam aditur, cui propterea Præneſtinæ Viæ paſſim nomen tribuunt. Hoc agnovit & correxit Holſten. ad Cluver. pag. 996. 12. ſed haud ſecus & ipſe lapſus fuit, dum recen- 119
tem Viam *del Finocchio*, a Labicana poſt Turrim Novam deflectentem, veteribus aliquot lapidum fragmentis in ædificio illius Hoſpitii ſparſis illectus, pro veteri Labicana, cujus indubia ad dexteram veſtigia, ingenio certe, quam pedibus melior, accepit, ſolaque Cluverii ſui, Cluverii, inquam, qui illum produxerat & ornaverat, reprehenſione contentus, (in quo, per ſummam ingratitudinem, ſimulque dicendi acerbitatem, nimis frequenter peccat) nil ultra quæſivit. Nos tamen veterem a Taberna *dell' Oſa*, in Via Præneſtina, per Caſale Sancti Antonii, hac pertranſeuntem, & inde, paullo ſupra *Torre Forame*, Labicanam inter-


REGIONIS . INTER
TIBUR, CARSEOLOS ET. SUBLACUM
DESCRIPTIO
DISSERTATIONI . II . DE AQUIS
ET AQUAEDUCTIBUS
VETERIS ROMAE
PRAEMISSA
authore Raph Fabretto
Gasp. f. Urbinate
Cantella
R. Giovine
olim FANUM VACUNAE
Licenza
Bardella
Cantalupo
VARIAE
Scarpa
Ferrata Ost.
Spiaggia Ost.
Rudera CARSEOLORUM
THORA
NUS FL
Cello di Carseoli
VIA VA
LERIA
VIA SUBLACENSIS
DIVERTICULUM
Rio Freddo
S. Giorgio
Arsoli
Ost.a del Cavaliere
Oricola
Roviano
S. Cosimo
Pont. d'Anticoli
Anticoli
la Pouana
TIBUR
VIA
VA
LERIA
ANIO FLUVIUS
Saracinesco
Sambuci
Milliaria lap. XXXVIII
Marano
Rudera vetus OPPIDI
VIA Ost.a
VETUS
Mons AEFLIANUS
hodie di S. Angelo
ANIO NYMA
Ceciliano
S. Valerio
GIOVENZANO R.
Cerreto
Agosta
Ceriara
ANIO FLUVIUS
Canterano
Gerano
LATII PARS
Mentorella
Pisciano
SUBLACUS
S. Scholast.a
est aliquid
memori
visa notare manu
Scala II. Milliar.
sive Stadior. XXXII.

P. Menzo Sc.

interſecantem, & ad partes Tuſculanæ & Latinæ tendentem obſervavimus, & in Chara ſuo loco inſcripſimus. Adeo ut plurimum *qui ſemitam non ſapiunt* (ut Ciceroniana illa parœmia lib.1. de Divin. utar) *alteri monſtrant viam*.

Hæc Tibi coram, & ſuper ipſa locorum facie, A facilius, ac forſan utilius oſtenderem: ſed quia jam laborem reſpuis, & ſenium prætendis; utere ſenectutis prærogativa, qua Te diutius frui, communi rei literariæ bono, ex animo opto; ſedenſque ſententiam proferto. Vale. Dabam ex noſtro Muſeo, die ultima AN. SAL. MDCLXXVII.

DISSERTATIO II.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. GASPARI CARDINALI

DE CARPINEO URBIS VICARIO

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

RAPHAEL FABRETTUS

GASPARIS F. URBINAS

FELICITATEM.



OTii rationem minime reddendam eſſe, quicumque dixit, hominem uni ſibi viventem, ſuiſque rebus intentum, cum hæc diceret, cogitavit: longe enim alia cauſſa eorum eſt, quos inſtitutus recto conſilio vitæ curſus ſuæ ſpontis eſſe non ſinit, quibuſque adeo alieno arbitrio vivere, hoc eſt, tam agendi, quam ceſſandi tempora gubernare, neceſſe eſt. Hoc mihi, Princeps Eminentiſſime, maxime omnium uſu venit, qui poſtquam inter adminiſtros ſplendidiſſimi Tui & ſummo proximi in Eccleſia Romana muneris nomen meum profeſſus ſum, eique rei operam induſtriamque meam ſemel addixi, meus eſſe omnino deſii; Tui autem non juris & arbitrii modo, ſed etiam judicii factus; cui idcirco uni probari, a quo laudari poſſe, præcipuum vitæ meæ officium eſſe puto. Illud itaque ſumma ope mihi contendendum eſſe intelligo, ne otium, quo meas in Tibi debito obſequio occupationes me diſtinguere humaniſſime pateris, temere inconſulteque ſuſceptum, ejuſque momenta inutiliter diſperdita exiſtimes: quod ita demum eveniet, ſi tempora opportune gravioribus curis ſubducta in humaniorum literarum cultura & meditatione me impendiſſe Tibi oſtendam; ſequutus in hac re authorem graviſſimum maximumque. Te, inquam, Eminentiſſime Princeps, cui altiſſimas aſſiduaſque de præcipuis Chriſtianæ Reipublicæ negotiis cogitationes, his iiſdem ſtudiis interdum indulgendi, nullo impedimento eſſe vidi. Tibi propterea frequentium iſtarum ſubſecivis horis, vel etiam quandoque integris feriatis diebus, excurſionum, quæ ſummam otii mei conficiunt, rationem reddam: & quæ olim, dum ad Marſos, Te jubente, proficiſcerer, raptim, ut noſti, aliudque agens obſervavi, quæque nuper repetita locorum inſpectione, de Aquarum Marciæ & Claudiæ Fontibus, & veriori Viæ Valeriæ ductu in mentem venere, & ſcitu digna viſa ſunt, benigne, ut ſoles, excipias, meoque qualiquali conatui faveas oro, ac illum clariſſima D Tui nominis luce ſine ſplendeſcere: quo fiet, ut ipſe ſitus, & ſquallor, ipſæque tenebræ, quas operibus & monumentis huic meæ ſcriptioni materiem præbentibus injuria temporis offuderat, diſcuſſæ diſſipatæque remaneant.

Chartam Topographicam, a nobis arte quidem non multa, (noſtra enim, prout alii ſua ſolent, extollere pudor vetat) ſed multo ſane labore confectam, præmittendam duximus; quia omnes hactenus editas adeo inemendatas & (ut ſic dicam) incurioſas invenimus, ut iis nihil prorſus in hac explicatione, quam exordimur, juvati fuerimus: ita ut peſſimarum comparatione hæc non indili- E gens fortaſſe videri poſſit.

Oculata equidem hæc omnia *fide mihi comperta eſſe* teſtor, nec pœnitet doctiſſimo viro Lucæ Holſtenio, qui hoc idem in ſuis Annotat. ad pag.784. 1. Cluver. jactavit, minime crediſſe; ſed cognitionem omnium, quæ ipſe multa nimiaque (ut conſtare faciam) authoritate ſtatuit, ad novam trutinam revocaſſe. In iis enim, quæ eruditam vetuſtatis notitiam concernunt, neminem ipſo meliorem me reperturum confido; unde lætus libens in hac Charta.

F *Explicatio Chartæ Topographicæ, Fontes Aquarum Marciæ & Claudiæ continentis.*

1 *Arcus Aquæ Claudiæ primum occurrens.*
Sequitur Arcus Anienis Novæ, orientem verſus.
Sequitur Arcus Marciæ in ipſo Rivulo.
2. 2. 2. *Triplex opus arcuatum ejuſdem Anienis Novæ.*

3 *Locus ubi eadem Aqua ex latere montis emergit.*

4 *Specus trium istarum Aquarum, ad latus occidentale montis Affiani iterum se ostendentes, prope Ædem B. Mariæ* de Garciano.

5 *Rudera ingentis ædificii forsan super Ductu Anienis Novæ, inferius ad locum num.3. emergentis.*

6 *Pons sub* Vicovaro, *super ruderibus veteris Aquæductus.*

7 *Veteris alterius Aquæductus, e septentrionali latere collibus derivati, vestigia.*

8 *Aquæductus, ad latus boreale montis sub* Saracinesco.

9 *Alius, prope Hospitium* la Spiaggia, *idem forsan ac ille, qui sub Hospitio* della Ferrata *in Cella Vinaria visitur.*

10 *Alius, Anienem a dextra in lævam sub Rubiano transmittens, & in montem recta se immergens.*

11 *Locus Somnulæ, ubi Lapis XXXVIII. Diverticuli a Via Valeria in sublacensem repertus fuit.*

12 *Pons Scutonicus vetusti operis, Holst. Stratonicus dictus.*

13 *Alius, vetusti pariter operis sub S. Georgio.*

14 *Columna Lapidis XXXXI. prope Cellas.*

15 *Venæ uberrimæ sub Ecclesia S. Mariæ in Arsulis, nobis Fontes Aquæ Marciæ.*

16 *Memoria AUGUSTI, ad incidentiam dicti Diverticuli a Via Valeria in sublacensem.*

17 *Rudera ædificii, ad Caput Aquæ sub eisdem emergentis.*

18 *Rudera ad Caput Aquæ,* Lago di S.Lucia *dictæ.*

19 *Substructio forsan Anionis Novi ante ejus a Lacu deductionem, ad latus montis applicita, & sub ea Caput Aquæ,* Serena *vocatæ.*

20 *Alius Rivus Aquæ, pariter* Serena *dictæ.*

21 *Aqua,* Casa di Lemme *dicta.*

22 Forma della Mola, *copiosissimis acquisitionibus constans.*

23 *Rivus sub Castro* dell' Austa, *omnium abundantissimus.*

24 *Vestigia Lacuum, ex quorum altero Anio Novus a Nerva, inscripto Trajani Cæs. nomine, deductus fuit.*

25 *Aquæductus ejusdem Anionis Novi, XX. ped. ipso fluminis alveo altior.*

Digentiæ Rivum, & Fanum Vacunæ, prout alibi, Regillum Lacum, & Labicum Oppidum, aliaque complura cum ipso, quin etiam aliqua ex ipso reposui. Verum in locis describendis, distantiis definiendis, a tanto viro, veritate vires animosque ministrante, discedere, & illius traditiones frequenter impugnare & convellere, integrum mihi esse volo.

Nec satis nobis visum fuit Chartam emendasse;
120 nisi (postquam hunc pulverem ingressi sumus) milliarem mensuram, per quam distantiæ locorum distinguuntur, ad certam atque invariatam rationem, huc usque, ut videbis, nutantem & vacillantem, reducamus. Lucas Pætus, quo procurante, mensuræ omnes, quibus Roma utitur, in marmore Capitolino incisæ, & expositæ superiori sæculo fuerunt, cum animadvertisset, Palmum re-
121 centiorum, quem Architectonicum vocant, non ita exacte respondere ad Spithamen, sive dodrantem Pedis antiqui geometrici; quater de hoc in suo opusc. de Mens. & Ponder. Lectorem admonuit, & excessum minute significavit. Primo, per hæc verba sub finem lib. I. *Non minus, & aliud te scire volo, quod Palmus, quo hodie Romæ Ar-*
A *chitecti utuntur, si cum legitimi antiqui Pedis dodrante, id est unciis* IX. *conferatur & examinetur, Palmus ipse, seu Spithama, quantum sunt duæ nonæ partes unciæ Pedis prædicti, id est unciæ sextula, scripulo uno, & triente scripuli, longior esse reperitur.* In eandem sententiam ipso libri II. initio, rursusque pag. 18. loquitur. Et deinde, quia rem minime latere voluit, (quasi erroris communis sequentis hujus sæculi præscius) ita librum illum, in definienda mensura veteris Milliarii, recentibus Architectorum Palmis sive Cannis decempalmaribus comprehensa, concludit, *Milliarium, quod ex V. M. pedum priore libro constare dixi: ea*
B *supputatione, qua Palmum, Pedis dodrantem, & unciæ pedalis sextulam, scripulum, & scripuli trientem esse demonstravimus, erit hodie cannarum DCXXXXIX. palmorum IX. digitorum III.* Sed iste 122
dum medicinam adhibuisse credidit, venenum propinavit; nam ultra leviusculum erratum in colligenda summa suarum cannarum, quæ non 649. 9. 3. ut ipse videtur, sed cann. 650. palm. 6. sext. 1. scrip. $1\frac{1}{3}$ dici debuit, ut in sequenti Synopsi videre est:

Palmus unciar. 9. sextular. 1. scripulor. $1\frac{1}{3}$ *reductus ad tot trientes*
C *scripulorum ad fractiones fractionum vitandas, facit tertias* 664. *hoc pacto* ☞

☞ *unciæ* 9.	648
sextula una	12
scripulus unus	3
tertia scripuli	1
	664

Pes antiquus constat 12. *unciis, sive sext.* 72. *sive scr.* 288. *sive tertiis scrip.* 864. *Multiplica per ped,* 5000. (*qui sunt mille passus geometrici*) *quotiens dat tertias* 4320000.

Divide Milliare, h. e. tertias 4320000. *per suum Palmum, h. e. tertias* 664 ☞

☞ 664 | 4320000
6506. 3360
400
4000
16

Fient palmi 6506. *cum* 16. *amplius tertiis, hoc est scripulis* $5\frac{1}{3}$; *quoque idem est, sextula* 1. *scripulo* $1\frac{1}{3}$, *ut prædiximus.*

D longe gravius adhuc sphalma admisit, in ipsa recentis Palmi longitudine indicanda, hoc est, jam dictarum unciarum pedalium novem, & unciæ 123
sextulam, scripulum, & scripuli trientem; nam ex ipsius marmore Capitolino, non Pedem cum Palmo sigillatim, sed Decempedam cum integra 124
Canna componentes, invenimus, Cannam continere pedes VII. unc. VI. sext. V. & scrip. I. cum tribus ex decem & septem partibus alterius scripuli; sive (quod breviorem arithmeticam operationem exigit) ped. VII. unc. VI. & quindecim ex decem ac septem portionibus alterius unciæ $\frac{15}{17}$; & sic ex-
E cessum Palmi recentis ad dodrantem Pedis antiquorum, esse in XV. ex centum & septuaginta partibus unius unciæ $\frac{15}{170}$. Ex quo statuimus, milliare spatium esse cannarum DCLX. palm. I. unciar. XI. min. unius ac semis, ut in Synopsi.

Palmus unciar. 9. & $\frac{15}{170}$ *reductus ad tot* 17.*as effecit* $\frac{1545}{170}$ *hoc pacto* ☞

☞ *unc.* 9.	1530.
15. *reliquæ*	15
	1545

Pes vetus, h. e. $\frac{2040}{170}$ *Mult. per ped.* 5000. *quotiens dat* $\frac{10200000}{170}$

Divide Mill. h. e. $\frac{10200000}{170}$ *per suum*
F *Palmum, h. e. per* $\frac{1545}{170}$ ☞

☞ 1545 | 10200000
6601 9300
..300
3000
1455

Fient palmi 6601. & $\frac{1545}{1545}$. *Mult. numeratorem per unc.* 12. & *producto per denominatorem diviso, fient unciæ* 11. & $\frac{465}{1546}$.

Rursus, multiplicato numeratore per minutos 5. (*in* 5. *enim minutos divisa est Palmi Uncia*) & *numero producto per denominatorem diviso, fiunt minuti* $\frac{1780}{1545}$. *Sive, diviso utroque numero per* 15.

quo fractio ad minores numeros reducatur, fiunt $\frac{52}{107}$, *quod pro dimidio min. proxime accipimus.* A

Holstenius, qui neque Pætum attendit, neque veritatem non hic in puteo latentem, sed in ta-
125 bula patentem requisivit; tritam illam & fallacem Agrimensorum praxim amplexus est, ex qua Milliare antiquum cannas DCLXVII. paullo minus continere enunciavit in Dissertatiuncula de Milliar. Aur. prout pluries in aliis scriptis calculum posuerat; quasi Palmus recens Architectonicus idem prorsus valeat ac Dodrans, seu Spithame veterum, ut hæc alia Synopsis ostendit.

Milliare continet pedes 5000.	☞ 9	60000 B
sive unc. pedales 60000.	6666	60
Divide per unc. 9. *hoc est per*		60
dodrantem Pedis ☞		60
Fient dodrantes, sive (ex hypothesi Holst.) Palmi 6666 $\frac{2}{3}$; *hoc est cannæ* 666. *palmi* 6. *unciæ palmares* 8.		6


Alia mensura Agrimensorum per Catenas.

Catena continet pal. 57. $\frac{1}{2}$ *h.e. Staiolos* 10. *quorum quilibet propterea habet palmos* 5 $\frac{3}{4}$

Multiplica ergo per 116. (*ex*	☞ 116
tot enim Catenis Milliare	$57\frac{1}{2}$
componi volunt) *sunt palmi*	812 C
6670. *hoc pacto* ☞	580
hoc est Cannæ decempalmares, sive Passus Senatus 667.	58
	6670

Ideoque ne ex errore non animadverso fructus laborum egregii viri corrumpatur, hæc ad eum potius illustrandum, quam carpendum adnotare libuit.

126 Post hæc, aliæ atque aliæ Pedis legitimi ambages, dum hi Statilianum, isti Cossutianum, vel Porphyreticum cæteris anteponunt: sed ego jam
127 Capitolino acquiesco, postquam diu illum improbaveram, vel potius me improbasse crediderim. D Res sane ridicula in hoc mihi accidit; nam cum olim Via Ostiensi prope X. lap. in quibusdam elegantis Villæ ruinis, residuum pavimenti, ex crustis variorum marmorum, optime inter se convenientium, constrati detexissem; ut hoc, sive studio, sive morbo, vetera scrupulosissime indagandi teneor, laterculum cæteris integriorem extraxi, & mecum abstuli. Duplicem exactissime ejus latera proportionem habebant; majus Pedem, quem legitimum Lucas Pætus post pag. 88. appinxit, sextula & semis excedebat; minus latus, dimidio ad unguem imminutum. Adeo tamen exquisite similem pluribus aliis laterculis pavimentorum deprehendi, ut ex eo, in laminam æneam translato, E Pedem meum composuerim. Respondebant omnes murorum crassities, columnarum planarum latitudines, omniaque majora intervalla, absque ulla sextularum vel minutorum fractura: unde aliis valere jussis, hunc modulum prætuli. In hac autem Pedis Capitolini cum Canna comparatione instituenda, Pedem istum meum indiscretæ similitudinis cum Capitolino inveni; vel (quod magis puto) quia schema ære incisum, & humenti chartæ impressum, ea exsiccata contractum fuit: unde Capitolinum jam tamquam meum recipere & F propugnare mihi opus est. Et certe (ne meis observationibus aliquid tribuendo vanitatis arguar)
128 triplex testimonium, quo Pætus suam hanc mensuram confirmavit, nempe totidem Pedes ærei complicabiles, eadem longitudine, diversis in locis reperti, & ita in usum efformati, longe prævalet iis monumentis, quæ in sepulchralibus duobus lapidibus Cn. Cossutii & T. Statilii exculpta sunt, potius ad significandum, cujus professionis hominis cineres inibi conservarentur, quam ut exacta Pedis mensura demonstraretur; ut observari potest in Pede isto Æbutiano, 129



cippo, qui in hortis Matthæiis jacet, insculpto, inter alia fabrilia instrumenta, (non parum & ipsa depravata, quia Norma enormis est, & amblygonia, & Perpendiculi crura claudicant) in quo, inquam, Pede non solum exacta mensura, (quia tribus scripulis Capitolinum excedit, quotis sane deficit alius, qui recensetur a Gruter. p. DCXXXXIIII. 3) verum etiam diligens partium divisio desideratur. Præsertim, quia nec alii duo priores, Cossutii, & Statilii, omnino conveniunt, ut Philander supposuit, sed discrimen (modicum quamvis) inter utrumque intercedit; ut Pætus adnotavit.

Clarissimus & solertissimus Author P. Jo. Baptista Villalpandus Pedis Romani mensuram ex Congio Farnesiano collegit, (non quidem ex altitudine, ut Oisel. ad Tab. CXVI. sui Thesaur. Numism. intellexit, sed duabus ad invicem inclinatis lineis) in Ezech. tom. III. part. II. de Hebr. mens. lib. III. cap. XXV. pag. 499. in quo ingenii certe maximam laudem apud omnes, in tabula illa pag. 316. ubi *Instrumentum augendorum, minuendorumve in data ratione corporum* exponit, merito consequutus est; fidei tamen apud nos parum, vel nihil obtinuit. Neque enim suaderi possumus, Vas æreum Farnesianum, ad mensuram liquidorum institutum, per tot subtilitates, spatiis quoque dimetiendis applicabile fuisse, lineis non in rectum assurgentibus, &, quod præcipuum est, nullo circulo, nullaque Vasis prominentia terminum semipedis designante: *Alium enim Congium huic Farnesiano persimilem, a viro, tunc, & hucusque ignoto habitum,* & in primi corroborationem, uti per machinam inductum, Vase ostenso melius examinabimus. Nam unum, & maximum, quod apud nos fidem, ut diximus, hujus mensuræ labefactat, est excessus notabilis, sextulæ unius cum quarta parte alterius sextulæ, hoc est, $\frac{1}{40}$ super Pede nostro Capitolino, certioribus testimoniis asserto, & ex quotidianis veterum ædificiorum mensuris millies comprobato; quæ hoc modulo absque fractionibus proceden- 130

tes, jam mutilæ, & incommensurabiles, ut sic dicam, Pede Villalpandi adhibito, evaderent. Valde autem levis est explicatio hujus tituli, Congio Farnesiano inscripti,

IMP. CAESARE.
VESPAS. VI. COS.
T. CAES. AVG. F. IIII.
MENSVRAE.
EXACTAE. IN.
CAPITOLIO.
P. X.

tamquam si τὸ MENSVRAE EXACTAE, pluraliter, & casu nominandi, accipiendum sit; ut hinc inferri debeat, *in una tantum mensura, mensuras exactas referri, ita ut mensurarum omnium ratio ex hac una petenda esset*: nam plane non minus, quam Latine, nos in genitivo casu numeri singularis ita exponimus, quasi subintellecto nomine ipsius Congii, vel Vasis, perinde sonet, ac si scriptum fuisset, CONGIVS EXACTAE MENSVRAE: sic enim subintelligi apparet in ea inscriptione, apud Grut. pag.CCXXII. 8. EXACT. IN. C. ST. *exactæ in Capitolio Stateræ*, hoc verbum, PONDVS, sive VNCIA, aut simile, tamquam superfluum, & re ipsa suppletum: sicque etiam in alia epigraphe pagin. CCXXIII. 2.

SEXTARIALIS. EXACTA. T.... DD. NN.
ARCADII. ET. HONORII.....

mensuræ, ut hic *Congii* nomen, brevitatis, & Latinæ elegantiæ gratia omissum videmus: & in ea, quæ istam antecedit,

C. VMBRIVS. EVDRASTVS.
FORTVNATVS. IIII. VIR.
MENSVRAS. LEGE. CIVITATIS.
PROPRIO. SVMPTV.

verbum, quod *principale* Grammatici vocant, INSTAVRAVIT, POSVIT, vel simile, deficit.

131 Modo, ut appendicis loco, diligens aliquod schema Capitolini Pedis exteris & absentibus indicemus, is nullibi exactius reperitur, in suas insuper sextulas distributum, quam apud eundem P. Villalpandum, nempe in LXXII. ex CXXV illis spatiis, in quibus diametrum A B sui semicircularis Instrumenti pag.316. dispertivit. Et ut errorem vitent, neque reformationi P. Jo. Baptistæ Riccioli in tom.I. Almag. l. II. de Spher. Elem. cap.VII. pag. 58. plus justo in hac parte credant; advertant, quæso, semipedem illum tribus octavis unius unciæ partibus semipedem nostrum Capitolinum excedere, excessu scilicet in toto Pede $\frac{1}{16}$, sive integri digiti pedalis, ne quid minimum & contemnendum reputent: rursusque, eundem in lib.II. Geogr. Reform. cap.II. fol.34. alium, ab isto suo, nec perinde secus a Farnesiano, quem sequi se credit, variantem exponere, duabus sextulis Capitolino Pede longiorem. Sed jam tandem ad rem nostram.

Diversimode Frontinus in egregio illo de Aquæduct. opusculo, cujus unicum codicem barbaricæ vastationi superstitem diligentiæ Poggii Florentini debemus; qui, ut in Descript. Ruinar. Urb. Rom. testatur, *hunc libellum paullo ante reperit absconsum abditumque in Monasterio Casinensi*; diversi-
132 mode, inquam, de origine harum Aquarum Front. loquitur: in designandis enim Aquæ Marciæ Fontibus, Viam Valeriam, & ab ea Diverticulum in Viam Sublacensem usurpat: in Fontibus autem Aquæ Claudiæ, nonnisi Sublacensem memorat. *Concipitur Marcia* (ait ille num.10.) *Via Valeria ad milliarium XXXIII. Diverticulo euntibus ab Urbe Roma dextrorsus millium passuum* III. *in Via Sublacensi, atque sub Nerone Principe primum strata, ad milliar.* XXXVIII. *sinistrorsus, intra spatium passuum* CC. *finita substructionibus pene stagnino colore præviridi*. Rursus num.20. *Claudia concipitur Via Sublacensi ad milliar.* XXXVIII. *Diverticulo sinistrorsus intra passus* CCC. *ex Fontibus duobus amplissimis & speciosis, Cæruleo, qui a similitudine appellatus est, & Curtio*.

Nihil attendens ad discretam illam Frontini lo- 133
quutionem, neque ad minorem utcumque Marciæ quam Claudiæ ab Urbe distantiam, Holsten. in Annot. ad Cluver Geogr. fol.130. promiscue utriusque Aquæ Fontes in Sublacensi Via collo-
car; Claudiæ videlicet, *Aquam Serenam* num.20. 134
in nostra Charta, pro Fonte Curtio, & *Lacum*
di S. Lucia num. 18. pro Cæruleo; ac Marciæ 135
Formam *della Mola* num.22. quæ pleno milliari supra Serenam dimanat, confidenter tribuendo.
Augustæ vero nomen adhuc permanere dicit in 136
uberrima quadam vena num.23. quæ sub Castro, *l'Austa* dicto, duplici scaturigine emergit; Frontino tamen etiam in hoc repugnante, qui distantiam originis Augustæ ita expressit num. 18. *Idem Augustus in supplementum Marciæ, quotiens siccitates egerent auxilio, aliam Aquam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Marciæ Rivum, quæ ab inventore appellatur Augusta: nascitur ultra Fontem Marciæ, cujus Ductus, donec Marciæ accedat, efficit passus* DCCC. cum re quidem vera scaturigo illa *dell' Austa*, sumpta etiam utraque in origine, (quamvis Frontin. ab origine Augustæ, non ad originem, sed ad Rivum Marciæ mensuram posuerit) non distet ab alia *della Mola* (quæ ipsi Marcia est) integris passibus D.
& ex alia intra dicenda ratione, tam Marcia, 137
quam ipsa Augusta, intra Fontes Claudiæ, Romam, Viamque Valeriam versus, veniant statuendæ.

Aliquid sane momenti alias afferre posse conce-
derem loci *dell'Austa* appellationem; sed non ita, 138
ut in ea, spretis aliis melioribus conjecturis, Augustæ nomen certo deprehendi putemus. Quam parum enim vulgaribus istis locorum annominationibus fidendum sit, ipse Holsten. in loco Op-
pidi Arsularum, quem Cluver. Carseolanæ Colo- 139
niæ accommodat, advertit, reprehenditque pag.165.
nosque alibi, in epistola scilicet ad Cl. V. Lau- 140
rentium Panciaticum, portentum illud eruditionis, & memoriæ, dum fata sinebant, ad dictas Holst. Annot. pag. 172. evidentibus demonstrationibus correximus, eo in loco, quo Laurenti si-
tum, ex nominis similitudine, ad Turrim S. Lau- 141
rentii transportat, ubi paullo post (pag. scilicet 203.) Aphrodisium quoque, Cluverio simul sibique adversatus, intrudit. Præterquamquod hæc
vox, *l' Austa*, bisyllaba, literis aliqualem, sono 142
autem & prolatione nullam cum *Augusta* similitudinem habet; eo enim pacto reddunt Incolæ, uti nos haustam, id est derivatam Aquam, (unde propius forsan loco, Fontique nomen) pronunciaremus.

Neve ea, quæ pro Holstenio adduci possunt, astu premere videas; dicam etiam, in quadam Constitutione Clement. III. sub anno MCLXXXIX.
novo Bullario Casinensi inserta, de Aqua Augu- 143
sta, deque Castro Augustæ, per sequentia verba mentionem haberi. *Lacum, sive Fluvium ex eo procedentem, in quibus Aquis nemini, præter Abatis*

& Fratrum voluntatem, aut piscari, aut molen- A
dinum ædificare liceat, usque ad Arcum, qui dici-
tur de Ferrata in territorio Ruviano. De Forma
quoque antiqua, quæ ducit Aquam de Flumine ad
Plebem S. Laurentii, de Aqua, quæ vocatur Au-
gusta, nemini liceat, præter voluntatem vestram, A-
quam derivare, nisi quantum sufficiat terris rigandis,
& replendo Fonte Baptismatis in eadem Ecclesia: &
infra, inter varias Sublacensis Monasterii possessio-
nes, recenseri *Castrum Augustæ, cum Fundis, &*
Casalibus suis: quæ omnia, ad verbum in alia Bul-
la Honorii III. de anno MCCXVII. repetita legun-
tur; quin imo, altiori quadam origine, a privile-
gio Sanctissimi Pontificis Gregorii Magni, in quo B
144 eadem Aqua Augusta nominatur, in parte deri-
vari ajunt, ut in exemplo, ex Registro Sacri Mo-
nasterii Sublacensis fol. 2. desumpto, atque a Re-
verendiss. Abbate D. Cornelio Margarino, Bul-
145 larii prædicti compilatore & illustratore, mihi hu-
maniter ostenso, contineri vidi. Sed non proin-
de ab impugnanda Holstenii sententia recedam.
146 Quandoquidem Apostolica hæc, vel similia probæ
notæ Indulta, (nam de hujus, quod Gregorio I.
adscribitur, ingenuitate alium quam me sponsorem
appellabis) quicquid ab ipso Monasterio ad Arcum
usque Ruviani jacet, comprehendunt: (quem
credo esse eundem Aquæductum, qui Anienem C
sub Ruviano transmittere conspicitur, in Charta
num. 10.) & ita, in tanta Regionis amplitudine,
in incerto propterea locum originis seu Formæ
ipsius Aquæ Augustæ, quatenus de Frontini Au-
gusta loquerentur, & sub nostro ratiocinio &
probationibus relinquunt. Quinetiam, prædictas
Bullas procul ab his circa XXXVIII. lapidem lo-
cis utramque Aquam amovere, & ipsi Monaste-
rio approximare, patet; quia *Forma, quæ Aquam*
de Flumine ad Plebem Sancti Laurentii (prout alia
Augusta) *ducere* enunciatur; in vetustiori Bulla
Joannis VI. sub die 21. Julii anni DCCIV. *ducere* D
Aquam a Lacu dicitur; cujus verba eo libentius
147 referam, quo ad notitiam originis Castri Augustæ
procul inde constructi conducunt: *Casale, quod*
vocatur Augusta, cum integro suo Monte, ad Castel-
lum faciendum. Item integram Aquam Augustæ,
& antiquum Aquæductum, vulgo Formam, per
quam Aqua a Lacu ducitur, & in Fluvium fluit
ad S. Laurentii Ecclesiam, quæ dicitur Plebis,
ita quod nullus omnino hominum facultatem habeat
ex eo Aquam educere, nisi pro Fontis Baptismatis,
seu horti irrigationem, vel utilitatem: unde & for-
tuita quædam hujus Castri, ab Aqua ista Augusta,
de qua Bullæ loquuntur, longe distantis, deno- E
minatio; & Lacubus, Stagnisve Simbruinis, tam
utriusque Formæ, quam Plebis Sancti Laurentii
proximitas adstruitur. Sed de hoc ab ipso Holste-
nio probationem sumere liceat, quem etiam de
secundo altiorique Ductu Anionis Novi, postquam
ex Lacu, qui est super Villam Neronianam Subla-
censem, ejusdem Aqua ex Frontin. num. 80. repe-
tita fuit, deque ipsis Lacubus, ita pag. 128. An-
not. referentem audiamus: *Hujus Aquæductus ve-*
stigia visuntur nunc sub ipso Sublaqueo, vocaturque
vulgo il buco della Cartiera: *deinde sub Xenodo-*
chio D. Antonii, atque inde semper juxta sinistram
Fluminis ripam tendit. Altitudo ejus hoc tempore F
XX. *pedes ipsum Fluminis alveum superat; unde de*
Lacus altitudine conjicere licet. Lacus autem illi
tres haud naturales, sed artificiales fuere. Primus
quidem sub Monasterio Sanctæ Scholasticæ, cujus
os angustissimum, XVIII. *circiter,* XX. *pedum muro*
validissimo clausum fuit. Inde Aqua defluebat in
secundum Lacum, qui mox primum excipiebat,
cujus os paullo fuisse laxius videtur. Tertius dein-
de sub ipso Oppidulo Sublacensi fuit, ubi etiam
nunc magna Anienis pars muro constringitur, ad
varia molarum officia: huic imminet Ecclesia San-
cti Laurentii, *a Nursio Patritio sub Damaso Papa*
extructa, quæ ad Aquas Altas dicebatur, ut anti-
qua donationum instrumenta Sublacensis Monaste-
rii testantur. Lacus autem eversi fuere ingenti Flu-
minis exundatione anno MCCCV. *die* XX. *Fe-*
bruarii.

Vel etiam, si ad Augustam sub Castro ejusdem 148
nominis Bullæ coarctari debeant, non de Aqua,
de qua loquimur, cui Octavianus a se nomen de-
dit, sed de alia, quam Antoninus Augustus Mar-
ciæ addidit, easdem intelligemus.

Vel denique, cum omnes illæ denominationes 149
a Monachis ipsis, qui otiose forsan nomina recen-
tia ad veterem eruditionem composuerunt, sugge-
stæ fuerint, non est cur Pontificium nobis oppo-
natur effatum; quandoquidem suprema Sedes non
de genuina nominum aliquorum sibi expositorum
veritate, sed de liberalitate in amplissimum & de
Christiana Republica optime meritum Ordinem 150
ostendenda, solicita esse debuit. Neque enim hic
tantum, vulgares idiotismos sequuti Palatini Scri-
ptores, in minutis hisce atque corollariis decepti 151
sunt: nam Petrus ille Bembus, literarum decus,
Latinæque puritatis restitutor, dum Flasconensi-
bus gratificari studet, eos nomine Leonis X.
Pontificis Maximi in Faliscis pluries adcenset;
quam falso, prababit Massa in libro de Reb. &
Orig. Falisc. adstipulante Nardino filio in pereru-
dito Disc. Apolog. de Pentap. Nepesin. cap. XIV. 152
Et ne longius exemplum petam; quæ de Trajana
Aqua, celeberrimoque ejusdem opere, Cæsari
Augusto attributo, eademque cum Alsietina con-
fusa, in ipsa Bulla LXXV. Pauli V. deque Aqua
Appia, imo & Marcia Romæ restituta, & in
unum eundemque Felicis Rivum e distantibus
Regionibus, abruptis quamvis Ductibus, coalita,
in Bulla CI. Sixti V. summorum Pontificum dicta
reperies; miraberis sane, & placitis veterum mi-
nime convenire fateberis; non tamen levissimis
hisce maculis offenderis, ubi plura & maxima
nitent, magnitudo scilicet publici beneficii, ac
providentia cum magnanimitate vix credibili con-
juncta; præ quibus, memoriæ Legislatorum æ-
ternum benedicere, potius quam de legis verbis,
non in rei substantiam, sed in quendam ornatum
inconsulto assumptis, tamquam criticis judicare,
animis legentium occurrit.

Quamvis nihilominus in Bullaticis scriptoribus
hæc minima dissimulanda dixerimus; non eadem
tamen conniventia erga illos uti convenit, quibus
summa operis in erudita oratione consistit. Unde
non absque nota, nuperum Authorem Historiæ
summorum Pontificum ex Nummis exceptæ,
abire sinemus, non uno in loco, facta notissima 153
crassis erroribus involventem. Is enim, quoad
Aquam Alsietinam in summum Janiculum scan-
dentem,

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit,

ad nummum x. Pauli V. pag. 147. quo vero
ad Aquam Felicem, Bullæ Sixtinæ, de Aqua
Marcia Urbi reddita, non quidem impossibilem
enunciationem, (cum ea, in Ductus Aquæ Fe-
licis initio, hanc altitudine superaverit, & illuc
pertransiverit) ad id, quod fieri non potest, sua
correctione reduxit: pro *Marcia* siquidem *Virgi-*
nem emendavit, hinc longe remotam, & in regio-
ne infima latitantem, ut in prima nostra Disser-
tat. num. 5. adversus Tabulam Topographicam P.
Kircher. observavimus. Quinimo Aquæ perductæ,
(quantum in se fuit) & Pontis ab Tiberim prope

veterem Viam Flaminiam, sub Ocriculo integre constructi, gloriam generosissimo Pontifici auferre non veretur; dum nummo XXII. pag. 118. *Aquam Virginem designari*, ait, *quam Sixtus V. copiosiorem in Urbem invexit, deque suo priori nomine Felicem appellavit:* & mox nummis XXVII. & XXVIII. pag. 120. refectionem Pontis sub Janiculo expressam docet. Proh fidem Historicam, & Authorem Romanarum maximarumque rerum religiosissimum!

154 Sed demum, ut ad Holsten. redeamus, erroris præcipua illi causa fuit, ignoratio veteris ductus Viæ Valeriæ, in qua varius sibique contrarius existit: nam alicubi, folio 165. bivium Sublacensis, & ab ea divertigium, agnoscit ad Hospitium *della Ferrata*, in quo forte τῇ ἐυςοχίᾳ litavit; alibi, fol. nempe 35. Viam Sublacensem revocaverat ad Hospitium Plagiæ, quod XI. fere stadiis divertigium antecedit; mox eodem fol. 165. eodemque contextu verborum, Valeriam, IV. fere milliaria post bivium a se statutum, intra podismum Sublacensis Viæ, imo & Viatrii ab hac in Valeriam, producit; dum ipsius vestigia apparere dicit sub Rubiano, in Ponte, quem ipse Stratonicum nominat, nobis num. 12. & integrum Viatrium, ac Diverticulum Valeriæ in Sublacensem, de quo intellexisse Frontinum in signanda conceptela Aquæ Marciæ probabimus, pro ipsa Valeria Via accipit.

Et quidem vir admirandæ eruditionis, & in antiquitatibus versatissimus, nunquam credere de-
155 buisset, priscos Romanos, qua recta pergere poterant, prolixiorem anfractum quæsivisse, & milliaribus plus minus tribus, in brevi tractu, iter protraxisse: exemplo etenim esse possunt omnes per orbem Romanum Viæ, rectitudinis qua easdem perducere soliti erant, ut olim C. Gracchum instituisse Plutarch. in ejus vita testatur: *In Viarum* (ait ille) *refectione præcipuam adhibuit solertiam, cum utilitatis, tum pulchritudinis, venustatisque rationem habens. Ducebantur eæ rectæ per Regiones, & partim lapide ad hoc cæso & dolato, partim congestis arenarum cumulis insternebantur; cavitates implebantur; qua convallibus aut torrentibus interrumperentur, pontibus jungebantur; & ab utraque parte eandem nactæ altitudinem, spectatu admodum pulchræ erant. Porro singula milliaria, dimensa diligenter, lapideis columnis distinxit.* Quo argumento ego, atque excultus Græca
156 Latinaque eruditione juvenis Joseph de Juliis persuasi, improbo labore, jugum, quod in Charta notatum vides, conscendimus, anni quidem incommodo tempore, quia æstatis ineuntis calor pedestre iter male concedebat; equus vero, in duorum milliarium & semis arduo & continuo ascensu, vix sibi ac Cisio trahendo sufficiebat. Veteris
157 porro Viæ, per jugum, & Castrum *di Riofreddo*, indubia vestigia, in operosa & vere Romanæ magnanimitatis dignissima rupium scissura, ac optima Viæ in inferiori parte marginatione, & alicubi etiam in silicis stratura, maxima admiratione & gaudio deprehendimus. Haud absimile utrique studium laborem nostrum fefellit; nam ipse quoque certiorem Viæ Valeriæ derivationem quærebat, ejus scilicet Viæ, quæ brevior ex consularibus in Æquicolas, Marsos, Pelignos, & Marrucinos se aperit, quorum, ac circumjacentium populorum historiam conscribit, ut natalis soli memorias, valde apud Authores confusas, excitet.

Per hanc igitur veram rectamque Valeriam Viam, a Tibure ad Sancti Georgii Fanum, (sub
158 quo Diverticulum ad Sublacensem descendit) XVI. milliaria cum tribus amplius stadiis (quæ aliquali obliquitati recentis itineris, ab antiquo, sub Cantalupo præsertim, declinantis tribuere possis) intersunt: ita ut, cum Tibur XX. ab Urbe millia- 159
riis, tam ab Antonino in Itiner. quam a Tabula Peutingeriana debite (ut per Cluver. in sua Italia fit) emendatis, ac etiam a Martiale distare dicatur, iis versibus ad Faustinum epigr. LVII. lib. IV.

Tu colis Argivi Regnum, Faustine, Coloni,
Quo te bis decimus ducit ab Urbe lapis;

eapropter Diverticulum istud a Via Valeria in Sublacensem ad XXXVI. lapidem reponendum erit, 160
& Frontini numerus XXXIII. junctis in imo priorum unitatum apicibus, sic, XXXVI. pluribus suadentibus emendandus.

Suadet, inquam, jam dicta a Tibure XVI. milliarium distantia, cujus mensuram rotario instru- 161
mento ad Cisium applicito rite collegimus; quæ quamvis non omnino ad amussim mathematicam consistat; parum tamen, nec quid, quod ad rem faciat, a vero aberrantem expertus sum.

Duæ insuper probationes rem in aperto con- 162
stituunt: prior scilicet ex lapide milliario numer. 14. prope Oppidum *le Celle di Carsoli* dictum existente, & præ foribus Ecclesiæ B. Virginis de Carmelo erecto, cum inscriptione milliarii XXXXI. cujus hoc est exemplar, qua legi potuit, nam superne mutilus & corosus existit;

. . . . . RVA.
. . . . . MAX.
TR. P. COS. III.
VIAM. VALERIAM.
FACIENDAM. CVRAVIT.
XXXXI.

cum enim Via recenti, quæ per Diversorium *del Cavaliere* deflectit, a bivio ad Cellas sint ultra milliaria V. & semis; recto itinere, per Carseolanæ Coloniæ rudera, erunt millia P. V. justissima, quæ addita emendatis per nos Frontini notis XXXVI. numero XXXXI. hujus Columnæ exacte respondent.

Alia probatio habetur ex lap. milliar. XXXVIII. 163
in ipso Diverticulo a Valeria in Sublacensem *ad Fontem Somnulæ* (ut Grut. refert pag. CLV. 4.) olim stante, nunc vero in platea proximi Castri Arsularum erecto, sub hac epigraphe;

XXXVIII.
IMP. NERVA.
CAESAR. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNICIA.
POTESTATE. COS. III.
PATER. PATRIAE.
FACIENDAM. CVRAVIT.

locus enim Somnulæ etiamnum eandem denominationem retinens, duobus ad unguem milliariis a bivio sub S. Georgio distat; unde bivium ad XXXVI. milliarium recte collocatur.

Gruterus quoque lapidem istum *ad Fontem Som-* 164
nulæ secundum Viam Valeriam prostare scripsit; ex fide tamen Herculis Ciofani, (quod summi viri excusandi gratia dictum volo) qui in ea fuit cum Cluverio opinione, quod Arsulæ ibi proximæ ex veteribus Carseolis prodierint; id quod Holstenio 165
minime suffragatur, qui rudera veteris Coloniæ, recte quidem, observavit, uno circiter milliari ultra Diversorium *del Cavaliere*, in colle leniter edito, ad lævam Viæ Valeriæ Roma euntibus,

uti fuse prosequitur fol. 164. quamvis non æque re- A
cte, sed eodem errore, quo Viam Valeriam per
Pontem Scutonicum & Arsulas ducendo porre-
xit, Carseolorum ab Urbe distantiam XLII. vel
166 XLIII. pass. M. ex Itinerariis definiverit; quia no-
stra hæc Frontini correctio, ex qua divertigium
in Sublacensem ad lap. XXXVI. duobus citra Car-
seolos milliaribus statuitur, hanc etiam Tabulæ
Peutingerianæ correctionem secum trahit.

Ab Urbe Via Tiburtina.

ad Aquas Albulas	*XVI.* B
Tibur	*IV.*
Variæ	*VIII.*
ad Lamnas	*V.*
Carseoli	*V.*
	XXXVIII.

Holstenii autem ingratiis, vetustæ glandis ferino
retento pabulo, quamvis miti jam commonstrato
cibo, in contraria currens, dum Scriptorum an-
tecedentium vitat vitia, Author *novæ*, & (si ipsi
credimus) *exactæ Tabulæ Agri Romani anno* 1674.
167 *editæ*, Carseolos ultra Thoranum Fluvium, & in C
eo ipso loco, ubi hodie *le Celle di Carsoli*, & Co-
lumnam milliariam lapidis XLI. extare dicimus,
sono vocis delusus, transtulit: & tamen huic Hol-
stenium non ignotum (quamvis æque male in-
tellectum) fuisse scimus; nomen enim *Regilli La-
cus*, quod illi, qui sub *Monte Falcone*, & Co-
lumna Oppido visitur, Holsten. rite quidem in-
didit, indebite aufert, ut alteri Sanctæ Praxedis,
quem Buranum & Gabinum Holst. nominat, te-
mere appingat. Eodemque neglectu, novus La-
tii Author in suæ *SABINÆ ANTIQVO-MO-
DERNAE exactissima delineatione*, (sic ipse vo-
cat) *Arsuli* olim *Carseoli*, non longe ab Aniene, D
& supra Austam reposuit, itaque passim, ut pag.
188. & 208. appellat. Et quidem non parum com-
moveor, Holstenium, talem virum, suæque laudem
Germaniæ, plura ad vetus Latium Cluverii opti-
maque adnotantem, ab Authore isto de eodem ar-
gumento tractante, vel non visum, vel contem-
ptum; dum alioquin, manuscriptas de excidio
Ampiglionis, & putidas de Palatio Evandri fabu-
las, ac Lanuvii cum Lavinio confusiones, ex tra-
ditionibus Archipresbyteri Albanensium, atque ex
epistolari relatione Jatrophysici Arcis Gandulphi,
sagacissimi illius antiquitatum indagatoris, qui au-
ras earum inter Vineta captabat, admittere, &
egregio operi, ad prolixitatem usque, inserere, E
168 minime gravatus fuit.
Si vero cum Holsten. fol. 165. lapidem XXXVIII.
apud Somnulam dixerint a Ponte Anticoli, &
per Pontem Stratonicum num. 12. ad lævam di-
vertendo, numerandum esse; hoc multipliciter re-
fellitur. Nam primo Holsten. supponit ibi, Pon-
tem Scutonicum (quem Græca denominatione ho-
nestando, Stratonicum nuncupat) esse in Via
169 Valeria, quod ex supra ostenso Valeriæ ductu fal-
sum esse probavimus. Ulterius, itineris mensuram
iniquam colligit; quia a Variis ad Hospitium Fer-
ratæ, quæ ipse V. enunciat, (& tamen, ut su-
pra ostendimus, ejus milliaria plus justo sunt pro-
lixiora) non nisi IIII. sunt milliaria; & totidem,
plus minus, ad Pontem Scutonicum, ultra quem F
non integro milliario stetit olim Columna lapidis
XXXVIII. ad Fontem Somnulæ, secundum Viam:
unde subducta summa, ibidem nondum lapis XXX-
VII. attingebatur. Adde, quod cum antiquior sit
Via Valeria, cujus meminit Strabo, qui sub Au-
gusto vixit, ipsa Via Sublacensi *sub Nerone Prin-*

cipe primum strata, ut de ea ait Frontin. num. 10.
ac insuper, præcipua Italicarum Viarum, utpote
ea, quæ usque ad ostia Aterni & superum Mare 170
exporrigebatur; ab ea potius, quam a Sublacen-
si, quæ ipsius appendix dici poterat, lapides mil-
liarios Diverticulorum ab una in alteram nume-
rari par erat. Et tandem, cum numerus a Via
Valeria, per bivium sub S. Georgio dextrorsum
sumptus, egregie respondeat, numerus autem a
Sublacensi duodecim stadiis deficere appareat,
nil ultra quærendum, aut ambigendum vide-
tur.
Accessit demum evidens rei demonstratio, quæ
Holstenio occurrere non poterat, cum recens su- 171
pervenerit, nempe Columnæ milliariæ alterius
Lapidis XXXVIII. Viæ Sublacensi, tribus milliariis
(stadio minus) distantis a bivio dicti Viatrii, quod
post Pontem Anticoli Sublacensem cum Valeria
jungit; per quem novæ Columnæ situm constat
bivium hoc fuisse ad lapidem XXXV. & proinde,
Columnæ ad Fontem Somnulæ, sesquimilliari ab
inde per Viatrium & Pontem Stratonicum distan-
ti, (quatenus cum Holsten. istam esse Viam Va-
leriam diceremus) non convenire numerum XXX-
VIII. ut ipse perperam credidit.
Columna hæc nova, de qua loquimur, lapidis
XXXVIII. aquarum impetus immota penitus exci-
piens, adhuc extat super sua basi, in ipso Flumi-
nis alveo; Viæ Sublacensi, in hac parte, alluvio-
nibus immutata, cum sequenti epigraphe amni
obversa.

IMP. CAESAR.
NERVAE. F. NERVA.
TRAIANVS. AVGVSTVS.
GERMANICVS. DACICVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNICIA. POTESTATE.
IMP. IIII. COS. V.
RESTITVENDAM. CVRAVIT.
XXXVIII.


Hujus indicium Jo. Baptistæ, ac Petro de Maxi- 172
mis, Fabritii Oppidi Arsularum Domini, & in-
ter priscæ probitatis Patritios numerandi, filiis,
me debere libens fateor: ipsi enim, ea qua hu-
manitate præstant, & duces itineris, & laboris
comites, in purganda a limo & abluenda Co-
lumna, sese obtulerunt, non sine periculo subdi-
torum Anienis gurgitum, a quibus lubrico & udo
solo ramis vicinarum arborum inhærentes, vix pal-
mari intervallo disjungebamur.
Distincta itaque Via Valeria & Sublacensi, ac
reperto Diverticulo ex una in alteram, a Front.
in designanda Aqua Marcia assumto, & manente
etiamnum Columna lapidis XXXVIII. Viæ Subla-
censis; planus ac facilis redditur Frontini intelle-
ctus, propriaque tam hujusmodi Aquarum, quam
Augustæ Fontium determinatio.
Profecto enim Claudiæ Fontes ad lap. XXXVIII.
(jam certum) *sinistrorsus intra passus* CCC. si cum
Frontino quæras, non alii esse possunt, nisi duo
illi *amplissimi & speciosi* (sic cum eodem Frontino
eos vocare liceat) num. 19. & 20. in Charta signa- 173
ti; quorum alterum (ambo enim communi nomi-
ne *Aqua Serena* vocatur) nescio cur Holstenius
omiserit, cum abundantissimus uterque sit, & paf-
sus CXX ab invicem distent, ad Diverticulum sini-
strorsus intra passus CCC. propemodum erumpen- 174
tes: cujus Diverticuli vestigium non amplius ex-
tare, minime mirum est, si ingentem illius plani
tiei, quæ duobus ferme milliaribus longe lateque
patet, in altum excrescentiam recogitemus, per

175 quam Columna, quæ certe Viam ſuperextare de-
buerat. modo non niſi in magna anni ſiccitate ab
176 undis emergit.

Uter autem Cæruleus, an Curtius fuerit, in medio relinquam: neque enim mihi, Aquæ quamvis amantiſſimo, diuque abſtemio, æque ac Holſtenio, ex penitiſſima Germania homini, Genius Fontis, aut Naiades incolæ ita faventes fuerunt, ut hanc ambiguitatem coram monendo, aut ex viſu tollerent. Ille enim Curtiam & Cæruleam nominatim oſtendit pagina 130. neſcio qua diſtinctionis nota adjutus, quæ nobis nulla ſeſe obtulit.

177 Marciæ Caput, ne dum ex Frontini textu ſatis conſtat, fuiſſe in abundantiſſimis illis venis ſub Sancta Maria in Arſulis num. 16. ex diſtantia III. millium paſſuum a Via Valeria, & intra ſpatium cc. paſſuum ſiniſtrorſus a Diverticulo, per quod
178 ab ea in Sublacenſem fit tranſitus: ſed ex alio Frontini loco bene perpenſo colligitur, ſupra Fontes Claudiæ, ad ripas Anienis, cum Holſten. minime ſtatui potuiſſe. Ait ſiquidem Front. num. 25. ubi altitudines Ductuum explicat, *Altiſſimus Anio eſt novus, proxima Claudia, tertium locum te-*
179 *net Julia, quartum Tepula, deinde Marcia, quæ a capite etiam Claudiæ libram æquat:* quod ſi conſideremus cum Holſtenio, Fontem Marciæ eſſe *alla Forma della Mola* num. 22. quid mirum erit, ſi Marcia, quam decem ſtadiis ſuperiorem in origine facit, in decurſu Fluminis rapidiſſimi, & plurimum declivis, æquet libram Claudiæ inferius poſitæ, & humili loco inter recentem Viam (quæ aliquanto ad lævam receſſit, ut ſitus Columnæ docet) & ipſum Flumen ſcaturientis? Atqui locus noſtræ originis Marciæ, licet duobus & ultra milliaribus infra Claudiæ Fontes, vere ipſius libram æquat, ut libella experti ſumus, quia Vallis, in qua emergit, valde præcipitem deſcenſum habet; ita ut eadem ac Claudia altitudine perduci potuiſſet, *ni veteres* (ut ſtatim Front. ſubdit) 180
humiliore directura perduxiſſent, ſive nondum ſubtili explorata arte librandi, ſeu quia ex induſtria infra terram Aquas mergebant, ne facile ab hoſtibus interciperentur, cum frequentia adhuc contra Italicos bella gererentur. Quam vere autem hanc veterem librandi imperitiam notaverit Front. in ipſo Marciæ Ductu prope Urbem de facili cernere datur, qui in loco, ubi ejus opus arcuatum incipit, ad Viam Latinam V. circiter ab Urbe lap. cum Ductu Claudiæ collatus, XX. pedes ſub eo reperitur: & mox ad Portam Majorem, totis V. ped. & ſemis (ni aliquid tantæ declinationi deſcenſus poſt Piſcinam contulerit) deprimitur, ut in I. noſtra Differt. ad Lucium, ex Tabula ſectionis Ductuum, poſt num. marginalem 30. apparet.

Humilitatem vero Claudiæ, quam in ima planitie, & ad Simbruinorum Montium radices oriri diximus, quid ſi ſequens ejus imago (nihil enim 181
apud veteres, in iſtiuſmodi monumentis inane, & ſine aliqua ſignificatione reperias) nobis ad vivum oſtendat?



non enim ſub ea *loquaces lymphæ deſiliunt*; nec ipſa ſuum Rivum, ut alia Nympharum & Fluminum numina, præcipitat; ſed Urna, pigris veluti & ſtagnantibus Aquis immerſa, humorem potius haurire, ut alibi tranſmittat, quam effun-
182 dere videtur; illudque referre, quod in Ara pervetuſta, Cæruleis hiſce Nymphis dedicata (Cæruleus enim unus ex præcipuis Claudiæ Fontibus, ut vidimus, qui κυάνεος Græce, & Poetice) non obſcure de ortu, & mox in ſe interitu ejuſdemmet Aquæ continetur, in iis verſibus.

VNDIS. CYANEIS. DONVM. PLA.
CAVILE. FECIT.
CONTVRCIVS. BLANDAS. PER. A
QVAS. ARAM. VENERANDAM.
HINC. ORITVR. PERGITQVE. FLV
ENS. DEINDE. OCCIDET. IN. SE
RIPAI. MOX. VIRIDIS. RENOVAN
TIBVS. INCLYTA. NYMPHIS
NVMINE. FONTIGENO. GRATES
EX. VNDIQVE. SOLVENS
SOSPES. CVM COMITE. PRAE
STAT. RENOVANTE. LIQVORE

Epigramma citat, & ad Cæruleum Fontem trahit Pighius Annal. Rom. tom. II. in Charact. XO. VII. pag. 4. ultimo tamen verſu relicto, quem ex Grutero ſupplemus pag. XCIII. II. & hunc rurſus ex Pighio oculato teſte corrigimus, ubi *tabulam marmoream* eam, quæ Pighio & ipſi carmini ARA eſt, nuncupat. Eſto attamen nil arcanum in hoc ſigno, ejuſque Urnæ poſitione ſubſit; rarum nihilominus ex ſe & notabile redditur hoc anaglyphum, Aquam ipſam Claudiam ex ſubdita ſibi hicque relata inſcriptione (quæ etiam apud Grut. legitur pag. DCI. 7.) repræſentans.

D. M.
ſic
CLEMETI. CAESAR
VM. NN. SERVO
CASTELLARIO
AQVAE. CLAVDIAE
FECIT. CLAVDIA
SABBATHIS
ET. SIBI. ET. SVIS

Aliud, infabre quidem ſcalptum, ſed non omittendum, ejuſdem Aquæ Claudiæ ſimulachrum da- 183
bit hæc tabula lapidea, ex Tuo Muſeo publicæ Literatorum notitiæ nunc integre expoſita:

D. M.



D. M
SABBIO. CAES. Ñ. S.
VILIC. AQVAE. CLAVDIAE
FECIT. SIBI. ET. FABIAE
VERECVNDAE. CONIVGI
SVAE. CVM. QVA. VIXIT
ANNIS. XXIV. SANCTISSI
MAE. ET. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQ. EIVS. ET. VIKARIS
SVIS. POSTERISQVE. EO
RVM. OMNIVM. IN
PARTE. DIMIDIA. SVA

D. M
SPORVS. CAES. Ñ. S.
VILIC. AQVAE. CLAVDIAE
FECIT. SIBI. ET. CLAVDIAE
HERMIONE. CONIVGI
SVAE. SANCTISSIMAE
ET. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQ. EIVS. ET. VIKARIS
SVIS. POSTERISQVE
EORVM. OMNIVM
IN. PARTE. DIMIDIA. SVA

in qua novum, nec Grutero cognitum, & a superiori CASTELLARII diversum, hoc est VILICI ministerium, quod familiæ Ductuum tutelæ assignatæ juxta Frontin. num. 104. proprium erat, expressum vides: & insuper alia Frontino ipsi non commemorata VIKARII istiusmodi VILICORVM nomenclatura continetur. Utrumque nomen a recta quidem scribendi ratione discedit; in *Vikario* namque evidens est abusus literæ K pro C. quem in pluribus aliis nominibus Gruter. in Indice eorum quæ ad Gramm. pert. adnotavit: sed in *Vilico*, quamvis duplici LL scribendum hoc nomen doceat Varro de Re Rust. lib. I. cap. I. ubi a *Villa* ejus etymon deducit: nescio tamen cur in marmoribus frequentius, eo quo hic habetur modo, reperiatur, tam apud Grut. pag. LXXIX. 4. CVII. 9. & CCCXXXIX. 5. quam in iis quæ sequuntur inscriptionibus; quarum prior est inter meas ineditas; alteram Dausquejus affert in Orth. Verb. *Villicus*.

184

SILVANO. SAC.
SPERATVS.
IMP. CAESARIS.
HADRIANI. AVG.
SER. VILICVS.

SILVANO. SACRVM.
ONESIMVS.
VILICVS.
L. V. P.

ubi, hoc nomen ex origine unicum L poscere, argute magis fortasse, quam vere, probare contendit.

Rarior adhuc redditur solitaria, quam adduximus, Nymphæ jacentis imago, quo semper ternas, marmora, picturasque veterum exhibere cernimus, cujus rei, ultra ea quæ passim obvia sunt 185
exempla, hæc a me observata, novaque, ut puto, in unum contuli.

Primum hoc erit, quod ex Tuis MM. SS. Antiquitatum recollectionibus to. II. pag. 228. huc transtuli.



cujus autographum Neapoli in ædibus Hadriani Guillelmi extitisse dicitur, nulla non sui parte conspicuum: tum ex Aquario ad aram coronatam sa-
186 crificante, intecto quidem capite, ex quo sacrum fit medioxumis & de plebecula numinibus, ut sollemne fuisse probavi in meo de Colum. Traj.
187 Syntagm. cap. VI. tum ex Serpente expresso, notissimo illo salutis typo in Cæsarum nummis, per quem salubritas adumbratur, quæ in hac inscriptione legitur,

NYMPHIS. SALVTIFE
RIS. SACRVM

M. LVCILIVS. LVCILI
ANVS. AVG. COL. PRO
SALVTE. SVA. ET
L ANTISTI ONE
SIMI. AVG. COL
V. S. L. M. *Grut. pag.* XCIV. I. A

cui par CVRANDIS AEGRITVDINIBVS alius
188 Fons apud eundem Grut. pag. CLXXVIII. 5. celebratur : tum demum ex herbæ illius latifoliæ gestamine, ob rationem per Plin. in ejusdem descriptione lib. XXV. cap. VII. allatam . *Nymphæa* (ait ille) *nata traditur , Nympha zelotypia erga Herculem mortua, quare Herculeon vocant aliqui; nascitur in aquosis, foliis magnis in summa aqua, & aliis ex radice prodeuntibus.* B

Aliud quod sequitur exemplum observavi , & excepi ex cippulo bipalmari , muro Vineæ cujusdam inserto, in semita, quæ a Porta S. Pauli ad Viam Appiam ducit . Marmor pessime se habet , ut vides:



sed nos fideliter reddere malumus, potius quam , ut alii in nummis & lapidibus faciunt , absentes speciose decipere; nam isti dum corrigere tentant, vetera sæpe monumenta corrumpunt . Licentiam enim , vel minimam , male cedere in his rebus, interminat in suis corrigend. accuratissimus Janus Gruterus.

Tertium suggerit votivus hic lapis , qui in hortis Matthæiis visitur ,



in quo, præter ea, quæ de ternario Nympharum
189 numero præcipue notanda proposui , communis ille Silvani & Herculis cultus , in una eademque Reg. XIII. Æde juxta Vict. præstitus , & quinquies in Opere Grut. expressus , recursat ; quem ipsum . ex communi epitheto , novo iterum ar- E
190 ctiorique vinculo jungemus . Uti enim hactenus titulum POLLENTIS Herculi datum videmus apud Grut. pag. L. 3. & pag. CCCXV. 7. ita Silvano quoque tam POLLENTIS , quam (qui synonymus est) VALENTIS vel VALENTII tributum fuisse , monstrat sequens apud me lapidis nuper reperti fragmentum , quod , ut situi me accommodarem, in duas partes secui; aliaque in Labicana apud Ædem Turris Novæ existens inscriptio.

C. IVLIVS. HELPIDI. F. HORVS. CYRINVS. PATRONVS. SODALICII
CAM. PRIOR. INTVLERIT. S. S. ∞. ∞. M. N. CVM. IIS. QVI. TEMPLVM

	DECVRIA	PRINCIPAL	DECVRIA
	CORINTHV S	MASYRIV S	BALERIANV S
IMMVNES SILIBINVS SEN SILIBINVS IVN QVINTVS AVCVPIVS AMPLIATVS FILVMENVS	*& alia XIV. servilia nomina*	*& alia XIII. servilia nomina*	*& alia XIV. servilia nomina*

DII. SILVANI. POLLENTIS. VOTO. POSVIT. QVI. CVM. IPSE. IN FABRI
ASOLO. INSTRVXERVNT. DEDICAVERVNTQ. PATRON. CLYB. LMF.

DECVRIA THYMELICI

POLYNICE S	FANNIV S	ONESIMV S	
& alia XV. servilia nomina	*& alia XIV. servilia nomina*	*& alia XV. servilia nomina*	BIATORES SAPARDACIVS FILADELFVS FELICISSIMVS

VALENTIO
SILVANO
A. FLVTIVS
ATHENAEVS
V. S. L. D. D.

Aliud ex lapide apud Grut. pag.XCIII. 3. eruitur, in quo super hac inscriptione,

BATINIA. PRISCILLA
NYMPHIS. SACRVM

191 Signa, non quidem Nympharum, sed trium Gratiarum erecta fuerunt. Unde ad præsens institutum suffecerit, ternarium nostrum, aliis quamvis numinibus significatum, inferre; ommittendo plurima, quæ de Gratiarum & Nympharum consortio dici possent, doctique viri ad Horat. Od.IV. & XXX. lib.I. ac VII. lib.IV. congesserunt.

Accedit ternarium idem in veteri pictura contentum, quæ e Sepulchro gentis Nasoniæ Via 192 Flaminia ad V. lap. nuper ad hortos Alterios translata fuit. In ea Nymphæ, Hippocrenides forsan, C Pegaso, Fontis ipsius productori, seu Tritonidis paludis incolæ, in qua Pegasus genitus dicitur, aqua infusa blandiuntur, ipsumque manibus demulcent.



Et postquam a marmoribus ad picturas transitum fecimus, aliam, non evanidis & intermorituris coloribus, sed gemmarum ipsarum tinctu nitentem pictam hanc tabulam, cum tribus pariter
193 Nymphis, ex Theocr. Idyl.XIII. spectandam proponemus.

Κῷχεθ' Ὕλας ὁ ξανθὸς ὕδωρ ἐπιδόρπιον οἴσων
Χάλκεον ἄγγος ἔχων. τάχα δὲ κράναν ἐνόησεν
Ἡμένῳ ἐν χώρῳ. περὶ δὲ θρία πολλὰ πεφύκει,
Κυανέόν τε χελιδόνιον, χλοερόν τ' ἀδίαντον,
Καὶ θάλλοντα σέλινα, καὶ εἰλιτενὴς ἄγρωστις.
Ὕδατι δ' ἐν μέσσῳ Νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο,
Νύμφαι ἀκοίμητοι, δειναὶ θεαὶ ἀγροιώταις,
Εὐνίκα, καὶ Μαλὶς, ἔαρ θ' ὁρόωσα Νυχεία.

hoc est:

Et abiit Hylas flavus, aquam cœnæ gratia portaturus,
Æreum vas habens: statim autem fontem animadvertit
Humili in loco; circum autem folia multa nata erant,
Cæruleumque chelidonium, virideque adiantum,
Et germinantia apia, & crispa agrostis.
Aqua vero in media Nymphæ chorum instituebant,
Nymphæ pervigiles, metuenda numina rusticis,
Eunica, & Malis, & veris amica Nycheia.

Nec destruit hanc nostram observationem locus Pausaniæ in Eliacis, ubi, prope Cytherum fluvium, quattuor Nympharum, quæ Jonides vocatæ fuerunt, Calliphææ nempe, Synallaxis, Pigææ, & Jasidis, templum erectum ait. Quoniam, etsi fateamur, Jonides istas aquaticas Nymphas 194 fuisse, eo quia proprie, & κατ' ἐξοχὴν, Nympharum vocabulum Deabus aquarum præsidibus conveniat, ut probat clarissimus hujus ævi Scriptor Vossius de Orig. Idolol. lib.II. cap. LXXVIII. Attamen, ut tot monumentorum consensum sustineamus, dici potest, tribus Nymphis aliquam Heroidem adjunctam & veluti superadditam fuisse; eodem Græcanicæ adulationis genere, quo, in marmore a Grut. descripto pag. XCIII. 4. cujus exemplum ex autographo damus,



195 tribus Gratiis sese de more amplectentibus, quarta (quam novam nuptam reor, ex geminis aviculis in tympano ludentibus, a Smetio non animadversis, & velo, quo ob pudorem caput operit obnubitque, unde Nuptiæ dictæ) earum choro inseritur, tanquam si numerum Gratiarum augere, & communiter cum ipsis coli mereretur, atque ejusdem lapidis inscriptio, AD SORORES IIII. hisce Ausonii versibus epigr. cxiiii explicanda sit,

Tres fuerant Charites; sed dum mea Lesbia vixit,
Quattuor; ut periit, tres numerantur item,

Nec solum in aquatilibus Nymphis, verum 196
in aliis rusticis ejusdem sexus numinibus, eandem
ternarii numeri observationem vigere adverti, mi-
ratusque sum. Tres enim sunt Matronæ illæ Va- 197
callinehæ apud Gruter. pag xci. 3. totidem Mai-
ræ pag. xcii. 1. totidemque Sulevæ, & Campe- 198
stres in sequenti lapide, jam pridem in impluvio privatæ domus ad Plateam Matthæjorum muro inserto, sed a me primum superioribus annis inter suas sordes & araneas animadverso & repurgato.



Sed qui marmori lucem dedi, obscuritati vocis illius SVLEVIS (non quidem omnino corruptæ Latinitatis, quia Ap. Annii Braduæ, & T. Vibii Bari consulatus ad annum Urbis CMXII. in Fastis reponitur) me lucem aliquam afferre posse diffido; & proinde ad alia, in hoc marmore notatu digna, me convertam. Inter quæ occurrit verres fronde lustrali præcinctus, ut Columna Trajani in primo Suovetaurili, hoc eodem ornatu, hanc victimam ostendit, cui postea vittam, sive fasciam vocare libeat, serti hujusmodi succedaneam tribuit:
promiscuum enim apud veteres fuisse, de eadem 199
Columna scribens, probavi, modo coronæ, mo-
do vittæ, tam in victimis, quam in sacrificanti-
bus usum; prout hic quoque Centurio, quem
sua vitis non minus, quam titulus inscriptionis
indicat, vitta, seu fascia, a sinistro humero pen-
dente, insignitur. Sed quod unice hanc inscriptio-
nem nobilitat, est formula illa LAETUS LI- 200
BENS, ex qua tandem Notarum studiosis intellecta est hæc L. L. quæ antea, *libens libens*, vel *libentissime* interpretabatur, &, quod magis miror,

etiam post visam epigraphen apud Gruter. pag. MLXXVI. 4. ubi τὸ LAET. LIB. paullo minus quam in hac nostra extensus, ad veram notarum illarum L. L. intelligentiam manuducere videbatur.

201 Quid multis? si fere omnia fœminini sexus, quæ pluralitatem habent, numina, sive monstra, læva, an auspicata ea sint, ternario hoc numero concludi, uno verbo, dicere possimus? quales nempe, Gorgonas, Græas, Parcas, Fatas (distinguit enim utrasque Auson. de Ternar. Num. Idyl. XI.) Sirenes, Harpyias, Hesperides, Stymphalidas, Eumenides, Gratias, Sibyllas, (si eidem Ausonio
202 credimus) & Musas ipsas fabulosa antiquitas induxit. Musas dixi, juxta vetustiorum sententiam, de qua Plut. in Quæst. Conviv. lib. IX. quæst. XVI. Pausan. in Bœotic. Varro apud Serv. ad Eclog. VII. vers. XXI. *Nymphæ, noster amor, Libethrides*. Ephorus apud Arnob. advers. Gent. lib. III. & cum Arnobio D. August. de Doctr. Christ. lib. II. cap. XVII. abunde testantur. Imo, *Signum Apollinis in Delo dicatum, eo habitu, ut dextera arcum teneat, sinistra Gratias, quamlibet instrumentum musicum aliquod apprehendentem, (nam alia lyram, tibias alia, quæ in medio est, admotam ori fistulam continet)* de quo Plutarch. in Opusc. de Musica, Musas ternas, ex instrumentis unicuique propriis, Gratiis vero ineptis, sustinuisse dicemus; & hoc idem simulachrum respexisse Auson. in dicto Ternarii Grypho, dum cecinit,

Tres solas, quondam tenuit quas dextera Phœbi.

Verum, jam tandem, Nymphis, Musisque, & eorum Fonte Caballino relictis, ne, dum flores,

Debitæ Nymphis opifex coronæ,

circa viam consulto legimus, a via ipsa aberrasse videar; nostra, quæ lustrabamus, circa Anienem fluenta repetam.

Ex loco originis Marciæ vicinitate, probabile
203 est, fragmentum lapidis cum hac inscriptione,

SALVIS. DD. N.
PERPET
FORMAM

existens in Ara proximæ Ecclesiæ sub invocatione Beatæ Mariæ in Arsulis, ad hanc Marciæ Formam, illiusque refectionem spectasse: nam formula ista, *Salvis* DD. *Nostris*, Honorii & Theodosii peculiaris esse legitur apud Grut. pag. CLXX. 5.
204 & pag. CCLXXXVI. 7. Honorius autem, qui in Occidente imperavit, quemadmodum una cum Arcadio legem de aqua Claudia edidit, quæ est XI. lib. XV. tit. II. in Cod. Thedos. ita fortasse cum Theodosio II. aliquid in hac Aqua Marcia operatus fuit.

205 Hanc illam Aquam Marciam, *clarissimam* (ut ait Plin.) *Aquarum omnium in toto Orbe frigoris, salubritatisque palma, præconio Urbis*, & proinde, ad vinum miscendum, cæteris omnibus a Tibull. lib. III. eleg. VII. antepolita,

Temporet annosum Marcia lympha merum,

indigne, cum aliis omnibus illius Regionis, vituperat Hieron. Mercur. Var. Lect. lib. II. cap. IX. & Galeni authoritate fretus, in usu pro cibo & potu olim fuisse negat. *Quanquam haud facile credo, eas quæ ex Tiburtinis montibus Romam ducebantur, multum pro cibo potuve in usu fuisse, propterea quod Galenus, omnium Romæ conditionum diligentissimus observator, in IV. VI. Epidem. Coment. illas omnes, crudas & coquendis eduliis ineptas*

A *extitisse asseverat; addens, eam Urbem, ut alias excellentissimas dotes, sic & plurimos habuisse Fontes, ex quibus ægri, ne dum sani potarent*. Hæc ille. At iste nedum luculentis de bonitate Marciæ Plinii & Frontini testimoniis, qui num. 79. eam totam potui addictam fuisse dicit, adversatur; itemque Arriani, qui eam celebratissimæ apud Thebas Dirces Aquæ præferre videtur, in Dissert. Epist. lib. II. cap. XVI. τὸ γὰρ Μήρκιον (ὕδωρ) χεῖρόν ἐςι τῶ τ̃ Διρκῆς, hoc est, *num Marcia* (Aqua) *deterior est Dircea?* sed ipsum Galenum suum ira- 206
B tum & contrarium habet, qui inter laudes omnibus Urbanis Aquis communes, a quibus Marciam excludi, nec mens Galeni, nec verba patiuntur, leviusculum quid admiscet, ad has Tiburtinas Aquas spectans, quod non vitium, sed qualitatem denotare videtur; ipsemet vero audiatur in loco per Mercur. laudato, num. 10. *Romæ, sicut & multa alia in ea Urbe eximia sunt, ita & Fontium elegantia, & multitudo est admirabilis; eorum nullo fœtidam Aquam, aut medicatam, ac turbidam, aut asperam, crudamque effundente, sicut neque Pergami in Patria nostra: in multis autem aliis urbibus haud paucæ depravatæ Aquæ reperiuntur.*
C *Illæ sane, quæ ex Tiburtinis montibus per lapideas fistulas in Romana Civitate derivantur, aliis quidem vitiis carentes, crudiusculæ tamen sunt, ut neque celeriter calefiant, ut Urbani Fontes, neque refrigerentur, neque celeriter in ipsis, ut in fontanis Aquis, quæcumque injeceris elixentur legumina, olera, & carnes. Ex his autem aliæ aliis in locis multo crudiores sunt, & ab ipsis indigenis duræ gravesque nominantur, quia ventriculum infestent, & a potu onus quoddam plures percipiant*. Quæ enim hisce ultimis verbis adversus Aquas illius Regionis dixit, Marciam, aliasque Romæ advectas certe non tangunt, ut Mercur. forsan accepit: alias enim
D Galenus, Medicorum disertissimus, antilogia in eadem fere periodo laboraret, qui primis illis verbis, *nullam Romæ Aquam medicatam, aut fœtidam, aut asperam, crudamque*, effundi præmittit, quibus Mercurialis paraphrasis ex diametro opponitur.

Sed jam tempus est, ut novam & raritate argumenti, nisi fallimur, egregiam conjecturam depromamus, per quam nostros Marciæ Fontes loco jam dicto affigamus, & Frontino quam dedimus interpretationem, lapideis literatis monumentis congruere probemus. Qua igitur Diverticulum, a
E Valeria versus meridiem procedendo, in Sublacensem recto tramite incidit, (nam aliud Viatrium, in quo Pons Scutonicus, ab hoc Diverticulo versus hybernum occasum dextrorsum flectitur, in gratiam forsan Aquæ Marciæ, ejusque Fontium invisendorum, quos recta respicit, adapertum) veteris ædificii rudera concamerata visuntur 207
ad num. 16. inter quæ, & statuam togatam, & tabulam marmoream sic inscriptam jacere reperimus, Rustico quodam, qui inter arandum illam offenderat, monstrante.

F

IMP. CAESAR
DIVI. F.
AVGVSTVS
EX. S. C.
CIↃCCXLII. P. CCXL.

Hæc inscriptionum formula, in enumeratione 208
P. CCXL. desinentium, ad Aquas pertinere jam compertum est, quia in aliis, quas modo adducemus, apud Gruterum extantibus, nomen Aquæ, cui unaquæque applicabatur, expressum erat; prioribus nempe *Virginis*, tertiæ, *Juliæ*, *Tepulæ*, *Marciæ*.

VIRG.
TI. CAESAR. AVG.
PONTIF. MAXIM
TRIB. POT. XXXVIII.
COS. V. IMP. VIII.
I.
P. CCXL. *Grut. pag.* CLXXVI. 3.

VIRG.
TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAESAR
AVG. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTESTAT. IIII.
COS. III. IMP. VIII. P. P.
I. P. CCXL. *pag. ead.* 4.

Corruptas has duas exhibuit Chiflet. in tractatiuncula de Aqua Virg. nam ultimum numerum CCXL. in CCXI. deformavit; id quod monitum volui, ne inscriptionibus, quibus, uti scorpio (ut videbis) in cauda vires sunt, vis omnis auferretur.

IVL. TEP. MAR.
IMP. CAESAR
DIVI. F.
AVGVSTVS
EX. S. C.
XXV.
PED. CCXL. *pag.* MXIX. 10.

209 Ligorius, qui aliquam ex antecedentibus fortasse viderat, eam non assequutus, silentio præteriit; sed ut fuit literatorum simius, hanc ex capite effinxit, ut vicissim crucem eruditis figeret, & nullo simul literario arcano se destitutum ostenderet,

AQVAE. IVLIAE. TEPVLAE
IMP. CAES. DIVI. IVLI. F.
AVGVSTVS. PONTIF.
MAX. COS. X̄II. TRIB. POT.
X̄IX. IMP. X̄III. CVRANTE
M. VIPSAN. AGRIPPA
AEDIL. CVRVL. ⊥. C-Ɔ
P. MILL. X.

quam dixit extare in cippo ex Tiburtino lapide, invento Via latina, tertio ab Urbe milliari, estque inter ejus Recollectiones in Bibliotheca Vaticana fol. 45. Sed quo pluribus munimentis insistere conatur, eo magis fraudem & spurietatem patefacit: nam III. lapis Viæ Latinæ, circa quem cippum fuisse repertum afferit, non potuit x. milliarii nota signari, si locum, non a Fontibus, (ut mox videbimus) sed ab erogatione in Urbe, distantem significat. Præterea, quia intra septimum ab Urbe milliarium Julia & Tepula cum Marcia junctæ procedebant, tanquam ejus substructionibus supra terram & operi arcuato innixæ: ergo ad III. vel IV. lapidem non poterant duæ priores
210 seorsim ab altera nuncupari. Accedit affectata Ædilitatis mentio, ut cum Plinio consentire videatur, qui de operibus id genus in Ædilitate Agrip-
211 pæ perfectis loquitur: sed in hoc quoque *fidem non decoxit, & idoneo provisu priscæ eruditionis, & solertiæ judicatricis, se destitutum detexit*: ut eleganter Spanhem. Dissert. III. de Præst. Numism. inter alia, de eo profert, nam Agrippæ Ædilitas, ex Frontin. de Aquæd. num.12. *post ejus primum consulatum Imp. Cæs. Augusto & M. Lælio Volcatio Consulibus*, incidit, qui fuit secundus Augusti consulatus, ut Fasti omnes conveniunt: unde patet, quam inscite Ædilitas ista cum XII. Augusti consulatu, post XXVII. annos inito, copuletur: quo insuper tempore jam Agrippa decesserat, cujus obitum Panvin. ex Dione refert ad Tribuniciam potestatem Aug. XII. hoc est VII. ante hanc CURATIONEM anno. Post hæc adeo crassa & pinguia, leve erit mendum in enumeratione acclamationis Imperatoriæ X̄III. cum hoc XII. consulatu, cum quo passim nummi X̄IV. habent, quæ etiam cum cos. undecimo, & trib. pot. XVI. copulatur apud Occon pag. 63. itemque aliud expressionis nominis gentilitii M. Vipsanii, nusquam in 212
publicis monumentis, aut in pluribus ipsius nummis usurpati, tanquam generis cujus pudebat memoriam referentis; de quo etiam Seneca contr. IV. lib. II. his verbis fidem facit: *Vipsanius Agrippa fuerat, Vipsanii nomen quasi argumentum paternæ humilitatis sustulerat, & M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator, qui diceret, M. Agrippa, & quod medium est, volebat Vipsanium intelligi.*

Postquam igitur (pluribus forsan quam opus fuit) suppositiitiæ hujus & ineruditæ inscriptionis offendiculum sustulimus, aliam, Vir Eminentis- 213
sime, meminisse potes nos observasse in Vinea Bartholomæi Virgilii, duobus milliariis, stadio minus, a Porta Majori, & inter rudera Arcuum Marciæ & Claudiæ jacentem; quæ, concedente possessore, tuo ornatissimo Museo accrevit. Locum, unde eruta fuit, non frustra (ut mox videbis) minute recensui. Ea ita se habet.

IVL. TEP. MAR
IMP. CAESAR
DIVI. F.
AVGVSTVS
EX. S. C
⊥XIII
P. CCXL

Jam vero sollemnis ista in omnibus hisce lapidibus 214
pedum CCXL. (pedes enim expressos habes in III. earum quæ apud Grut.) sive duorum Actuum duplicatorum, quodque idem est, unius jugeri in longum mensura me inducit, ut credam, veteres illos Aquarum Curatores isto modulo longitudines Rivorum cujusque Ductus dimetiri solitos fuisse. Id quod uti verissimum reperimus in hoc numero I. duorum priorum lapidum, repertorum in ipso primo Jugero erogationis Aquæ Virginis, nempe sub Æde Trinitatis, ubi terminum istius Aquæ Lucas Pœt. agnoscit, qui etiam in suo libello de Restit. Aquæ Virg. easdem inscriptiones affert: ita ad verum accedit in cippo modo allato ad Jugera LXIII. hoc est ad passus III. M. XXIV. quotis distare debuit a loco, ubi cippus repertus est, locus erogationis Marciæ, qui, ut ex Front. num. 27. habemus, erat ad viminalem Portam, 215
nempe in medio Aggeris Tarquinii, ubi veteres Scriptores eam collocant: qua etiam dirigi videmus ipsius Marciæ Ductum, qui post Arcum ad Portam S. Laurentii lævorsum deflectit, & recentiora mœnia Urbis ad dextram linquit. Cumque a loco ubi lapis jacuit, secundum seriem Ductuum, usque ad Portam S. Laurentii sint pass. II MCCCC. (quantum per Vinearum impedimen-

ta, & flexus earumdem, a longe, non quidem exacte, colligere valuimus) reliquum spatium paff. DCXXIV. ad Jugera LXIII. implenda denotabit in Villa Peretta, per quam Aggeris pars decurrebat, prifcum Viminalis Portæ fitum; linea producta a rectitudine Viæ Collatinæ, quæ non aliunde, quam ex hac porta Viminali exire potuit, & ut alias diximus, fecundum latera Arcus ad dexteram obliquata dirigebatur, ut in Schemate alias per nos allato videre eft.

Unde affirmare non dubitemus, Jugera illa MCCXXXXII. noftræ infcriptionis hunc ipfum locum, in quo Auguftus memoriam ftatuit, indicare, & optime cum menfura Frontini confentire. Quia MCCXLII. Jugera, per pedes CCXXXX. five paffus geometricos XXXXVIII. multiplicata, dant
216 paffus LIX M DCXVI. Et Front. pariter integro Ductui millia paff. LX. cum aliis DCCX. & femis nu. 10. affignat; quæ mille circiter paffuum differentia, addita diftantia hujus lapidis terminalis ab ipfis Fontibus, unde Frontin. fuæ menfuræ fumit terminum, & confiderata obliquitate Ductus per illam vallem, fupplenda & æquanda venit, ut exacte milliarem Frontini menfuram cum noftra Jugerorum concordare jure merito dicere poffimus.

217 Quamobrem autem in Frontino, qui adeo accurate de Aquis fcripfit, nulla de hac menfura fiat mentio; exinde profectum arbitror, quia illius ævo iftud menfuræ genus incertum & fallax remanferat. Etenim, ut ipfe advertit num. 25. *jam tamen quibufdam locis ficubi Ductus vetuftate dilapfus eft, omiffo circuitu fubterraneo, vallis tractus, brevitatis cauffa, fubftructionibus arcuationibufque trajicitur:* unde decurtato Ductuum circuitu, nil mirum, quod vetus Jugerorum menfura obfoleverit.

Præterea, additis poft Auguftum aliis duobus Aquæductibus Anionis Novi & Claudiæ, operofa nimium videri potuit Curatoribus Aquarum, qui fub Claudio & aliis fucceſſoribus fuerunt, hæc jugeratim diftributio, totque terminorum & cippo
218 rum erectio: & proinde alia faciliori methodo Frontinus, per typum ac delineationem omnium Ductuum, ufus eft in fuo munere, ut ipfemet num. 29. fcriptum reliquit: *non alienum mihi vifum eft, longitudines quoque Rivorum cujufque Ductus, & etiam per fpecies operum complecti: nam cum maxima officii pars in tutela eorum fit, fcire Præpofitum oportet, quæ majora impendia exigant. Noftræ quidem follicitudini non fufficit fingula ocu-*
219 *lis fubjeciffe, fed formas quoque Ductuum facere curavimus,* (intellige veftigium, feu ichnographiam, recepta in re agraria loquutione) *ex quibus appareret, ubi valles, quantæque, ubi flumina trajicerentur, ubi montium lateribus fpecus applicitι, quantoque majorem affiduamque pertegendi ac muniendi ii exigant curam. Hinc illa contingit utilitas, ut rem ftatim, velut in confpectu, habere poffimus, & deliberare tanquam affiftentes.* Ita Frontin.

220 Auguftæ origo, poftquam Rivus Marciæ fub dictis ruderibus nobis innotuit, jam latere non poteft; eritque indubie, ex diftantia paffuum DCCC. *a Rivo Marciæ,* non ab origine, (ita enim Frontinus defignavit) ad Lacum *di S. Lucia*, ubi reliquiæ fubftructionis apparent. Ex vicinia autem paffuum CCXXV. alterius Frontis ad num. 17. circa quem non fpernenda vetufti operis veftigia adhuc extant; & quia alias Fons & Rivus ifte Ductum Aquæ *di S. Lucia* interfecaffet & impediiffet, cre-
221 diderim ejus quoque Fontis venas in Augufta interceptas fuiffe. Caput autem Auguftæ hic repofitum alteri Frontini loco num. 20. optime con-

A fentit, qui utrique Aquæ, Claudiæ, & Marciæ, Auguftam accommodatam tradit, id quod optime fieri poterat, fi media inter eafdem confifteret.

Originem Marciæ, quam ei Plinius tribuit, qui lib. XXXI. cap. III. tradit, eandem *a Fonte Piconia in ultimis Pelignorum montibus, Marfos & Fucinum Lacum pertranfire*, a quo Statius fuum 222
illud mutuatus eft lib. I. Sylv. de Bal. Etr.

— Marfafque nives, & frigora ducens
Marcia —

B inter ἀδύνατα merito reputat Holftenius, cujus verbis fubfcribo; *hanc* (inquit ille pag. 146.) *fabulam non alio loco habendam exiftimo, quo occultos amantis Alphei meatus.* Minuere hanc certe improbabilitatem Georg. Fabric. conatus fuit, fed in- 223
felici & pudenda fubtilitate, dum Lacum Fucinum in Flumen vertit, & tranfitum plumbeis fiftulis molitur cap. XVIII. de Aquæd. pag. 200. Hic ille Author ita nihilominus in proœmio de fe magnifice pollicetur, *hoc enim quamvis arrogantiufculum fit, quia tamen verum eft, dicam me poffe aliorum, qui de Urbe nuper fcripferunt, errores va-*
C *rios certis veterum Scriptorum teftimoniis convincere.* Nobis tamen perinde eft, vera ne, an improbabilis fit Plinii fententia, qui non hydrophylacia lynceis oculis in terræ vifceribus perfcrutamur; fed locum, ubi rurfus cum eodem Plinio *in Tiburtino fe aperit*, & unde Romam deducta fuit, ad Frontini mentem explicavimus.

Non abs re hic erit de Pifcina hujus Aquæ Marciæ, quam in Charta Topographica I. Differt. num. 27. dubius indicavi, aliquid fub eadem quamvis dubietate referre. Ad ipfam itaque Viam Latinam, quæ eo loci paullo poft IV. lapidem inter 224
Arcus Marciæ & Claudiæ procurrit, in Fundo
D *dello Spedaleto*, & prope rudera plurium ædificiorum, (quæ hodie ex quantitate vulgo *le cento Celle* dicuntur, & nos ex loco reliquias Pagi Lemonii fuiffe credimus) aliis integrior forte fortuna Cifterna, & eam inter ac veterem Marciæ Ductum, Puteus remanfit; quibus duobus membris confpirantibus, Pifcinæ Limariæ effectum refultaffe putamus, ut frequens tabula, & triplices ejus partium declarationes, palam faciunt.

Explicatio Ichnographiæ Cifternæ inferioris.

E
A A. *Ductus Aquæ Marciæ, Juliam quoque & Tepulam deferens.*


B. *Puteus, Aquam ex Ductu recipiens, & in Pifcinam fubterraneo canali, adhuc nobis incomperto, tranfmittens.*

C D E F G. *Cifterna, feu Pifcina, in ima fui parte tribus receptaculis diftincta.*

H. *Receptaculum medium, undique claufum, Aquam ex Puteo recipiens, & per foramen θ in fuperiorem Cifternam tranfmittens.*

I. *Cella lateralis, ad fubftruendum ædificium fuperius extructa, cum non fuerit pars Pifcinæ,*
F *quia in fummo ad latus meridionale* D E *feneftram habebat.*

K. *Alia Cella, receptandæ illi Aquæ portioni inferviens, quæ in proximum Pagum per tubum rotundum fictilem diametros* VIII. *unc. in* L *ad libram feneftræ, feu immiffarii in fummo latere meridionali deferebatur.*



Explicatio Ichnographiæ Cisternæ superioris, cujus divisiones punctis & Græcis characteribus notantur.

αβ. γδ. εζ. *Tres in superiori hac Cisterna muri, qui in quatuor Cellas ejus aream dispertiunt.*

ν ν ν ν ν. *Totidem fenestræ in muris jam dictis, eadem omnes a pavimento altitudine, per quas Aqua ex orificio θ assurgens per Cellas istas superiores distribuebatur.*

θ. *Orificium rotundum, diametros ped.* III. *& semis, amplitudini Putei latitudinis ped.* III. *quadratorum respondens.* D

Explicatio Orthographiæ utriusque concamerationis, superioris & inferioris.

a b c. *Cellæ tres, plano pede, reticulato opere, cui lateritium ad firmitudinem intermixtum.*

d. *Fenestra in summo arcu Puteum respiciens.*

e. *Alia, e regione cujus in pariete* CG *per tubum in* L *Aquæ portio ad usum proximi Pagi derivabatur.*


f. *Fenestra versus Aquæductum, per quam Aqua jam depurata Rivum suum repetebat. Attollitur a solo ped.* VI. E

g. *Alia consimilis, sex unciis humilior; & ad eandem ac sex fenestræ* ν ν ν ν ν ν *horizontalem altitudinem.*

h. *Orificium, bipedalibus circum lateribus munitum, per quod Aqua e Receptaculo a ad Cisternam superiorem ascendebat. In altero ex dictis lateribus visitur sequentis Figlinæ signi fragmentum. RAED. DOM. LV. in orbe exteriori; PAETIN.... in orbe interiori; quod explico EX. PRAEDIIS. DOMITIAE. LVCILLAE.* (matris Marci Imp.) *PAETINO. ET. APRONIANO. COS. plures enim sub hoc sigillo in proximis ruderibus observavi. Unde refectionem Hadriani, in cujus* VI. *Imperii annum dictum par Consulum incidit, & forsan ipsius hic* prope Urbem Villam *conjicio. Sed de his alibi.* F

i K. *Linea elevationis Aquæ in hisce superioribus Cellis adhucusque conspicua, ex crusta tenuissima, qua ad illam altitudinem obducuntur.*

Similis Putei & juxta eum Cisternæ triquetra figura ad num. 28. collocatio haud diversam Piscinæ structuram arguit, conjecturis sese mutuo juvantibus. Geminatum enim hoc opus, intra eam ab Urbe VII. milliariorum distantiam, quam Frontinus num. 28. Piscinis omnium Aquarum statuit, maximam nostræ assertioni probabilitatem conciliat.



A A. *Ductus Aquæ Marciæ, super quo Tepula & Julia deferebantur.*

B. *Puteus, eundem ac alius in superiori tabula expressus usum in depuratione Aquæ præstans.*

CDEF. *Cisterna, in quam Puteus Aquam immittebat.*

G. *Orificium, per quod Aqua ad pavimentum superius Cisternæ seu Piscinæ ascendebat, suæque libræ restituebatur.*

Prominentiæ, & indicia murorum in CDEF, *qui alias Cisternas isti connectebant, ubi reliqua Putei Aqua admitti potuit.*


Cur vero certitudinem ostendere non curaverim, & conjecturis utar in re, quæ facto potius, quam verbis demonstrari debuisse dicent: excusationi erit explorata non semel Puteorum cum suis Cisternis communicatio, ut testis idemque author fuit operibus adductis nobilissimus Marchio Camillus 226
de Attallis Fundi hujus possessor: irrito semper labore, quia loca hæc Ductui Marciæ proxima ruderibus ipsius

ipfius plurimum excreverunt; & Cifterna illa major numeri 27. aggefta intus terra, fimoque ad nitri confectionem oppleta reperitur; & id faltem noftra diligentia profecimus, ut detectis muri DE in ima concameratione lateribus, nullum ibi Specum, per quem Putei aqua influeret, fed indicium inferioris adhuc & fubterranei cellarum ordinis, adepti fuerimus. Nec defunt veftigia Cloacæ, ad aquam limofam in fubterranea hac Cifterna fubfidentem emittendam, in triplici terræ hiatu inter numeros 27. & 28. primo verfus aliam Pifcinam ad ejus quoque purgamenta excipienda, & mox verfus Maufoleum Alexandri, & inferiora illa loca, continuatum quendam fub terram Specum indicante.

Majorem e duabus Cifternam Marciæ infervviiffe credideram, quia Puteum ampliorem Aquæ copiofiori deberi videbatur; eoque magis, quia Puteum alterius orificium extantis Cifternæ duplo fere excedere vidi, ita ut contiguæ alicui ad alterum, feu etiam ad utrumque latus (cum hinc inde murorum reliquiæ cernantur) infervierit: ex quibus concurfus Juliæ & Tepulæ, ex communi Puteo ante Pifcinam, (de quo Front. num. 11. & 12.) & exinde, ex duplici hic quoque Specu, proprius uniufcujufque canalis, nomenque (de
227 quo num. 27. & 53.) deduci poterat. Turbant tamen (fateor) tam loci afpectus & exactius, hac occafione, examinata per nos utriufque Cifternæ libra, (fiquidem major illa ad num. 27. quatuor

A circiter pedibus alia altior effe dignofcitur) quam ipfius Frontini traditiones, per quas Marciæ Pifcinam alia Juliæ & Tepulæ Urbi proximiorem fuiffe infertur: ait enim Frontinus num. 53. de Tepula loquens, *Ex ea* (hoc eft, ex communi Pifcina Juliæ) *primum accipit quinarias* CXC. *deinde ftatim ex Marcia quinarias* XCII. & antecedenter quoque, hoc eft num. 52. has eafdemmet quinarias XCII. in fumma quæ erogabantur ante Pifcinam Marciæ comprehendit. Quæ fi ita intelligenda funt, nec in Frontino mendum ineft; poffitque aliqua ratione ex Aqua Marcia inferiori, Tepulæ, quæ fuperior erat, fupplementum
B adjungi; jam nofter Pifcinarum ordo invertetur; me tamen non multum pro nunc de hac quæftione laborante, cui formam faltem & ufum Pifcinarum, fi non certam fingularum denominationem, & quæ cujufque Aquæ diceretur, oftendiffe fatis fuerit:

Addam tandem in prædictorum confirmationem, ftructuræ noftrarum Pifcinarum formam cum aliis id genus veteribus ædificiis, quæ ad Aquas depurandas inftituta fcimus, congruere: fi- 228
mile enim quid in Pifcina Aquæ apud Pifas confpici, plurimi oculati teftes retulerunt; & hic Ro-
C mæ, fub Pincio Colle, Aquam Virginem parum diverfe limum fordefque olim depofuiffe ex Peritis accepimus, & ut licuit, citra menfurarum fidem, craffaque Minerva delineavimus;



A. A. *Ductus Aquæ Virginis, fe exonerans in Receptaculum* B.
C. *Oftium, per quod Aqua defcendit in Cellam fubterraneam* D.
E. *Porta, ex qua Aqua defertur in aliud Receptaculum fubterraneum* F.
G. *Oftium, per quod Aqua iterum affurgit ad Receptaculum* H. & *Ductui* II. *fe reftituit*.
K. *Porta cataracta, ex qua limum & purgamenta in Cloacam emittebantur*.

quia locus jamdiu inacceffus, utpote cœno repletus, fuoque muneri inutilis remanet, Aquariis & Caftellariis noftris, non quidem Nymphis, fed Mercurio perbelle litantibus.

229 Ut Pifcinam Claudiæ conquirerem, quo incœptam de Pifcinis hujufmodi explicationem promoverem, & quantum fieri poffet exornarem, author ductorque Frontinus extitit, qui eam num. 57. *ad feptimum ab Urbe milliarium* fuiffe dicit. Ad hanc abfolute diftantiam, rudera, quarum ich-

E nographiam damus ad cifternæ modum, fed longe privatæ Cifternæ modum excedentia, duriffimo filice compacta, & reticulato opere contecta inveni, ad lævam recentis, quæ Marinum ducit, Viæ, milliario & femis ultra Hofpitium *Mezza Via di Marino* dictum. Operis, quod fubterraneum effe debuit, cum paullo ultra V. ab Urbe lapidem Arcus Claudiæ finiantur, parum quamvis, tantum certe remanet, quod conjecturæ non improbabili locum faciat: plurimi namque lapidis quadrati circa hoc ædificium fragmenta & ingens cruftæ quæ olim Rivo accreverat copia, nedum paffim fparfa jacet, fed recentiorum ibi prope parietinarum cæmentis immixta cernitur. Conjunctas 230
F vero Claudiæ & Anionis Novi Pifcinas fuiffe arguit tam ædificii duplicitas, quam alius Frontini locus num. 26. ubi omnes, quæ fuas Pifcinas habebant, fex Aquas intra hunc eundem VII. milliarium ambitum concludit. Quibus hæc noftra informia & debilia videbuntur, fi aliquid melius adduxerint, credere parati fumus: interim noftros faltem conatus æqui bonique faciant, & in tanta


URBIS CUM VICIS
SEU PAGIS
ADIACENTIBUS
DESCRIPTIO
DISSERTATIONI
III DE AQ. ET
AQUAEDUCTIBUS
VETERIS ROMAE
PRAEMISSA
Raph. Fabretto
Authore
VIA TRIUMPHALIS
VIA FLAMINIA
VIA SALARIA
VIA NOMENTANA
VIA TIBURTINA
VIA COLLATINA
VIA PRAENESTINA
LABICANA
VIA APPIA
VIA LATINA
VIA ARDEATINA
VIA OSTIENSIS
VIA PORTUENSIS
VIA VITELLIA
VIA AURELIA
AURELIA NOVA
TIBERIS FL.
ANIO FL.
ALMO FLUVIOLUS
AQUA CRABRA
Aqua Paola
Prato Longo
SEPTIMIANAE

ter oppositas nobilissimorum Scriptorum de authore nominis & perductionis hujus Aquæ Marciæ sententias, dijudicare. Hinc enim Frontinus, cui primas in hac tractatione Aquarum deferre soliti
236 sumus, Marcum Titium eam duxisse & a suo prænomine denominasse persuadet num. 9. In contraria vero distrahit authoritas Plin. hist. lib. XXXVI. cap. III. *primas eas in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus ex Regibus; postea Q. Marcius Rex in Pretura.* Accedit non leve testimonium Plutarchi in Coriolano, sub ipso libri initio, Μάρκιοι δὲ ἦσαν, ὧν Πόπλιος, καὶ Κόϊντος, οἱ πλεῖστον ὕδωρ καὶ κάλλιστον ἐν Ῥώμῃ καταγαγόντες, hoc est, *P. quoque & Q. Marcii fuerunt, qui maximum atque pulcherrimum Aquæductum Romæ fecerunt.* In hac dubitatione, quam pro Frontino exemplum Aquæ Appiæ, a prænomine Appii nuncupatæ, tollere videtur, potior nihilominus mihi est Plinii ac Plutarchi fides, hoc nummo gentis Marciæ præsertim asserta. Quis enim in publice cuso numismate.



237 imposturam & ἀνιστόριαν suspicetur? Imo hujus nummi apud Plinium authoritatem ita invaluisse puto, ut Ancum, quem in regale gentilitatis cum eo communis decus in altera parte Philippus reddidit, hinc forsan, (nec aliunde profecto, quia merito hoc vix persuasibile reputat P. Donatus lib. III. cap. XVIII. pag. 296.) hinc, inquam, Aquæductus aversa parte signati Ancum authorem Plinius conjecerit.

Utrumvis ex ipsis tandem Aquæ huic nomen 238 reliquisse placuerit, patet eam non *Martiam*, ut vulgo Scriptores omnes, & inemendatissimus cæteroqui Frontini codex perpetuo retinent, sed *Marciam* esse dicendam, quemadmodum geminæ inscriptiones Titi & Caracallæ ad num. 30. nostræ I. Differt. allatæ, & hæc alia apud Grut. pag. DCI. 8. exemplo sunt.

D. M.
TIMBRAEO. AVG. L.
CASTELLARIO
AQVAE. MARCIAE
CLAVDIA. DYNAME
MARITO. OPTVMO

Alia plurima, de incerta origine Anionis Veteris, & de Specubus harum, & Anionis Novi Aquarum, de Fontibus Antoniniano, Herculaneo, atque Albudino, deque mensuris Ductuum, in Frontino aperto numeralium notarum errore expressis, eorumque directura, dicenda remanerent. At vero, ne certiora (qualia superius dicta credimus) cum dubiis misceamus, rem alio rejiciam, & in præsens, quam mihi proposui, scribendi materiem non excedam, sed manum de tabula tollam, & epistolæ, quæ in libellum propemodum excrevit, fausta Tibi omnia, Eminentissime Princeps, a Deo Optimo Maximo precatus, finem imponam; hoc enim tantummodo meæ tenuitati suppetit, quod maximo benefactori, & tutelari veluti numini, devotissimo animi cultu rependam. Dabam ex Tua Bibliotheca, pridie Idus Augusti, AN. RED. ORBIS MDCLXXIX.

DISSERTATIO III.

NOBILISSIMO VIRO
ET AMICORUM ANTIQUISSIMO
JULIO
EX COMITIBUS MONTIS VETERIS
RAPHAEL FABRETTUS
GASPARIS F. URBINAS
FELICITATEM.



Uod Tibi, Juli præstantissime, tertiam hanc de Aquis Dissertationem dedicare statuerim, nemo certe plus Te mirabitur. Quicumque enim antiquam,

Perque tot annorum seriem
quot habemus uterque,

promotam nostram necessitudinem novit; & quisnam qui alterum nostrum norit id ignorat? noster enim

Pene magis quam Tu, quamque ego notus amor:

jure me fecisse existimabit, si concordiam istam,

—— virdi quæ cœpta juventa,
Venit ad albentes illabefacta comas,

quamque fatalis veluti animorum concursus, (nam

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum

ac

—— studii communia fœdera sacri

junxerunt, scribendi officio colere studeam: & quod ex ea decoris mihi partum est, id præsentibus & posteris testatum relinquam.

Te vero ex incongruo hoc (ut dices) scribendi argumento præ cæteris admiratione non levi affectum mihi videre videor, atque in hæc vel parum distantia verba prorrumpere: cur (malum) homo iste de Aquis ad me deblaterat; ad me, qui ne illarum quidem aspectum substineo, & potius vini laudes cum Homero, Poetarum nostrorum Principe & Magistro, pronis auribus audio? ut quid (inquam) mihi irrequietas istas suas suburbanas circuitiones veluti surdo fabulam narrat; mihi, qui Urbi & otio adeo addictus sum, ut ne Tusculanas quidem rusticationes, amœnissimas quamvis, unquam appetiverim: & quicquid extra Urbem Agri jacet, *extra anni Solisque vias* esse videatur?

Attamen ego, veniam præfatus, hac vice, & forsan primum, a Te dissentire cogor; cum non una suppetat ratio, cur Tibi potissimum, præ amicis omnibus, hæc tractatio nuncupanda veniat. Quamquam enim & Homeri studiosissimum, nec eo minus vinosum, Poetica, ut puto, jactantia Te nobis ostendas: quia tamen Tibi Lyricam Poesim sequi, Pindarumque potius, quam Homerum imitari visum fuit; non male admodum Pindarico Vati vetus Aquarum Romam intrantium copia describetur, cum ipse Pindarus in limine suorum Carminum *optimam esse Aquam* prædicaverit. Præterea, cum nos XIV. Aquarum Ductus, tempore
239 Procopii extantes, requiramus, ex quibus decem omnino deperierunt; ex reliquis autem quattuor; Crabra, sive Damnata, omnium sordidissima, ipsoque aspectu fœda, non solum hortorum rigationi, ut olim, sed pellibus a Laniario detergendis inser-
240 vit: Virgo, ad nihilum fere redacta, & nomine suo indigna, tamquam in Rivum Herculaneum (quem olim refugiens, Virginis nomen obtinuisse dicitur) maxima sui parte effusa, & quassatis Du-
241 ctibus perflua: Trajana, immissa nuper ex Sabatino Lacu Aqua (ne gravius dicam) deterior reddita, & Molis in Clivo Janiculi, ut olim, trudendis (teste eodem Procopio lib. I. cap. XIX. Bell.
242 Goth.) merito destinata: Alexandrina denique, ut a priscis Romanis diu sprera, ita hodie ut plurimum spernenda, cum imbribus turbetur, & limosa sæpe sæpius adveniat. Tot ergo Aquarum damna quis alius constantius legendo ferat, quam Tu, qui, sive Pyrrhonia prorsus indifferentia, & ἀπαθείᾳ, gravissima quæque transmittere, sive perpetua aquæ abstinentia, re optima carere assuetus es? Jam vero sedentaria Tua prorsus studia, imo unicum sedendi studium, summaque hujus Suburbani Agri, nec prope, nec procul unquam per Te inspecti ignoratio, me compellunt, ut quemadmodum Te in externa Geographia optime versatum scio, ita in hac domestica Romanarum rerum cognitione meis assiduis excursionibus otium Tuum juvare atque instruere procurem: id enim præcipue

Illud amicitiæ sanctum & venerabile nomen,

quinimo ipsius humanæ societatis vinculum expostulat, ut alter alteri prosit, & quæ sibi quæsivit, in usum aliorum conferat;

Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

A Nostri moris est, Chartam Topographicam cum elaborata, quantum fieri potuit, Viarum directione & celebriorum veterum monumentorum collocatione præparare, ad faciliorem dicendorum captum; si usquam alibi utilem, hic certe, ut videbis, maxime necessariam. In ea aliqua mihi concedi nunc postulo, quæ alibi plenius probaturus sum: hoc est, primo, itinerum mensuras non 243
a Milliario Aureo in capite Fori, ut multi putarunt, sed a veteri Portarum situ ante productionem mœniorum ab Aureliano factam incepisse.
Item, ambitum veterum murorum valde angu- 244
stum fuisse, nempe per crepidines Collium, Ti-
B beris fluenta ab occasu, & Aggerem Servii sive Tarquinii Superbi ab ortu processisse: unde & cognitæ aliquot locorum distantiæ, & Viarum directiones, ac præcipue Latinæ ab Appia extra Urbem cum Strabone derivatio, de qua in I. Diss. longus fuit sermo, optime a variis Recentiorum absurditatibus vindicantur.

Explicatio Chartæ Topographicæ, Urbem & Pagos circumpositos continentis.

1. *Substructio Aquæ Virginis, inter Vias Salariam & Nomentanam, sub D. Agnetis Templo.*
C
2. *Alia ad ripam Anienis, ad dextram Nomentanæ.*
3. *Alia sub ipso silice Viæ Collatinæ.*
4. *Alia ad Viam Collatinam, in Fundo* di Boccaleone.
5. *Rudera Tagi seu Vici ad Viam Prænestinam.*
6. *Alia ad Viam Labicanam.*
7. *Alia ad Viam Latinam, Pagi forsan Lemonii.*
8. *Alia ulterioris Pagi ad eandem Viam, in Fundo* di Settebassi.
9. *Alia ad Viam Appiam, Vici forsan Camœnarum.*
D
10. *Alia ulterioris Pagi ad eandem Viam, in Fundo* di Statuario.
11. *Alia Pagi seu Vici ad Viam Ardeatinam.*
12. *Vicus Alexandri Via Ostiensi.*
13. *Navale & Emporium ad Tiberim, sub Aventino.*
14. *Ædicula SS. Cyri & Joannis Via Portuensi.*
15. *Vestigia Ductus Anionis Veteris, sive Specus Octaviani.*
16. *Concursus Viæ Asinariæ cum Latina, inter* II. *&* III. *Lap.*
17. *Vestigia Templi (ut credimus) Fortunæ Muliebris, Via Latina ad* IV. *Lap.*
E
18. *Piscinæ Aquarum Marciæ, Juliæ, & Tepulæ.*
19. *Ductus, ab Arcubus Claudiæ ad usum Pagi Camœnarum derivatus, sub Fonte Aquæ Salutaris transiens.*
20. *Alius, ab eisdem Arcubus ad usum ulterioris Pagi Via Latina in loco* di Settebassi *derivatus.*
21. *Templum in Via Appia, hodie* Torrone de' Borgiani.
22. *Ædificium ad eandem Viam in Theatri speciem, ubi Arcus Ductus, quem Septimianum credimus, finiuntur.*
F
23. *Ustrinum amplissimum ibidem.*
24. *Vestigia Piscinarum Anionis Novi & Claudiæ.*
25. *Opus subterraneum, & Emissarium Aquæ Crabræ.*
26. *Binæ ad Viam Labicanam Cisternæ.*
27. *Vestigia particularis Ductus, ad usum ingentis proximi edificii*, li Centroni *nuncupati.*
28. *Alia, Ductus ad usum Villæ ad* VII. *Lap. Viæ Labicanæ.*

Et ut ibi paucis de Capena suo loco restituenda
egimus, paulloque infra de Ostiensi, seu alia, quæ
diverso forsan nomine ad eandem Viam fuit, idem
245 conabimur; ita hic eadem brevitate, de situ Por-
tarum Collinæ, Viminalis, & Esquilinæ, quæ
orientale illud Romæ latus claudebant, ad Char-
tæ declarationem non minus quam ad veterum
Scriptorum intellectum breviter pertractabimus.

Omnes istas tres ad Aggerem positas fuisse, Strabo lib. v. testis est: *Complevit* (ait ille de Servio) *murum, adjectis Urbi Esquilino & Viminali Collibus; quæ omnia cum facile capi extrinsecus possunt, fossam altam egerunt, terraque intro recepta, Aggerem sex circiter stadiorum in interiore fossæ margine fecerunt, murosque & turres in ea constituerunt, a Collina Porta usque ad Esquilinam: tertia Porta Viminalis sub medio est Aggere*. De Collina & Esquilina Aggerem comprehendentibus simile quid habetur apud Dionys. lib. IX. num. 85. qui Viminalem quidem omittit, sed a loco per Strabonem designato non propterea excludit: *Qua vero maxime hostium incursionibus Urbs est obnoxia, ab Esquilina Porta Collinam usque, opere manufacto munita est, nam fossa præcingitur, cujus latitudo, qua minima, centum & amplius pedum est; altitudo* XXX. *& supra fossam exsurgit murus, alto & lato suffultus Aggere, nec arietibus concuti, nec cuniculis suffodi facilis. Per eam munitionem,* VII. *ferme stadiis*
A *longam, latam* L. *pedibus, dispositi tunc catervatim erant cives* &c.

Summa igitur VII. stadiorum juxta Dionys. lon-
gitudo, si a Collina Porta, parum a crepidine
Quirinalis distanti, explicari incipiat, procedendo
per jam dictum Aggerem, cujus certa durant in
Vinea PP. Chartusianorum, & successive in hor-
tis Perettis vestigia, ante Ecclesiam S. Eusebii, 246
plus minus, finietur, ad ipsamque Portam Esqui-
linam quodammodo manuducet, de qua adeo in-
ter se Antiquarii digladiantur, & in re aperta tam
fœde caligarunt. Inter hæc extrema, diviso rur-
B sus Aggere, patebit Viminalis Porta inter utram-
que, Collinam, Esquilinam, quæ propterea opti-
mo jure ea erit, quæ aliquando *Inter aggeres* ap-
pellata fuit; tanquam ea, quæ *sub medio erat Ag-* 247
gere, ut Strabo ait, hoc est, ubi Aggerem a Por-
ta Collina eousque rectum procedentem flecti, &
in duos dividi, etiam hodie cernimus

Et quia veterum receptissimorumque Authorum monumentis & loci ipsius naturæ insistimus, neque hic omnia recentiorum placita confutare vacat, sed solum in transitu iter nostrum sentibus & offendiculis, qualia prædicti passim sparserunt, liberare proposuimus; satis proinde nobis erit oculis & considerationi subjicere, hac non exquisita arte, sed simplicius confecta delineatione, quam bene Viæ omnes, quæ ex hac parte initium

sumunt, loco, quem Portis assignavimus, & communi, quam alibi expendimus, cæterarum Viarum directuræ respondeant: sic enim quisque proprio ratiocinio ex sola locorum consideratione assequetur, quod plurimi ex recentioribus ignorarunt, qui Vias, &, unde illæ exibant, Portas non advertentes, varia unus adversus alium statuerunt.

Posita igitur hac nostra locorum ordinatione; a Porta Esquilina optime, & inflexo tramite utraque Via, Prænestina scilicet, & Labicana, quæ
248 ab ea secundum Strabonem lib. v. prodibant, continuatæ apparent. Quamvis enim modo Prænestina usque ad Arcum Portæ Majoris cum Labicana confundatur; attamen videre est veterem Prænestinæ Ductum per Portam, quæ in gra-
249 tiam hujus Viæ relicta fuit ab Aureliano in productione mœnium, modo clausam, & exinde ejusdem Viæ Vestigia; quæ a Porta Majori nulla apparent, nisi postquam ad lævam deviando veterem Prænestinam assequamur; cujus etiam Viæ, ad dictam Portam clausam ferentis, sulcum intra recentia Urbis mœnia Nardin. describit lib. I. cap. IX. pag. 39. manetque initii vestigium, secundum latus septentrionale Emissarii Claudiæ, alias I. nostra Differt. post num. 40. descripti; ideoque denormati, & a recto angulo utrinque recedentis, ut hinc ad dexteram, Labicanæ Viæ, inde vero ad lævam, Prænestinæ rectissimum indicet Ductum: in quo ab Emissario ad dictam Portam clau-
250 sam itinere, obviam fit Templum illud decagonum in Vinea Cultella, quod non temere aliqui Minervæ Medicæ Pantheum, ita a rotunditate appellatum, & in hac V. regione Esquilina per
251 Sex. Rufum repositum, fuisse autumant. Simile quid prorsus a Porta Viminali, sive Inter aggeres, in duabus Viis Collatina & Tiburtina contingit, quæ & ab ea rectæ exeunt, parique compendio, Porta ad Viam Tiburtinam occlusa, (hanc enim eam esse dico, quæ ad latus meridionale Castri Prætorii, cum certissimis Viæ veteris vestigiis apparet) per Arcum ad Viam Collatinam, detorto ad lævam itinere, Tiburtinam Viam
252 sub Æde D. Laurentii petere coegerunt. Sic denique Porta Collina suas Vias, Nomentanam & Salariam, ad veterum Authorum mentem, aliarumque Viarum normam, rectas emittet, quamquam Fabric. cap. v. De Viis extra Urb. pag. 51. scribat, *Viam Salariam a Porta unde orir etur nomen sortitam*. Nam apud veteres, Viam quidem Salariam, sed non Portam, Collinam autem Portam, sed non Viam leges: ex quo Festus, Agonensis, seu Ægonensis, quæ illi Collina Porta est, Salariæque Viæ meminit.

Quoniam autem Viæ olim ante Aquas perductas stratæ erant; ideo ii, qui Aquas vel duxerunt vel restituerunt, ubi ad Vias pervenerant, ad earum ornatum, neve illæ angustarentur, præ-
253 cipuo insignique opere Arcus ampliabant, ut Claudium ad Labicanam in Fornice recentis Portæ Majoris, & Augustum ad Collatinam (sub obliquis angulis, ut Viæ se conformaret, erecto Arcu, ut alibi dictum est) fecisse vidimus: quos proinde Arcus pro Portis veteris Urbis male recentiores acceperunt; de earum nominibus statuendis inter se, ut in re minime veritati innixa, discrepantes, frustraque soliciti.

Necesse tamen est lapsum Nardini nobis obstan-
254 tis corrigere, qui alium Aggerem prædicto proximum attexuit, quasi iste Servii fuerit, & alium Tarquinio tribuere opus sit, ex Authoribus male intellectis, quos pro hac nova, paceque tanti viri dicam, absurda opinione adducit. Ego enim ne Mercurio quidem dicenti crederem, plus quam

A unum Aggerem ad orientem, sive adversus Gabios (quæ duo idem sunt, quamvis Nardinus distinguere conetur) unquam stetisse. Nam si de Livio & Strabone, quos Nardinus lib. IV. cap. II. fol. 157. testes facit, quæstio habeatur; nil ultra dicent, nisi Servium complevisse murum ex hac parte, & ad Quirinalem, quod Ancus Martius omiserat, ut ait Strabo, vel universe, aggere, fossis, & muro Urbem circumdedisse, ut Livius: negabitque insuper Strabo, suo tempore Es- 255
quilinam Portam præcipuam, ex qua duæ celebres Viæ exibant, *uti superfluam clausam fuisse*, ut falso Nard. ex eo deducit lib. I. cap. IX. pag.
B 39. & rursus pag. 40. tanquam rei certissimæ insistit. Dionys. autem, præterquam quod de Servio tanquam Aggeris ullius authore nil loquitur, conqueretur, quod se Greca proprietate loquentem barbare verterint: ὁ Ταρκύνιος ἐνεργὸς ἦν, καὶ τῆς πόλεως τὰ πρὸς τοὺς Γαβίους φέροντα τοῦ περιβόλου, διὰ πολυχειρίας, ἐξωχύρου, τάφρον ὀρυξάμενος εὐρυτέραν, καὶ τεῖχος ἀνεγείρας ὑψηλότερον, καὶ πύργοις διαλαβὼν τὸ χωρίον πυκνοτέροις, quæ verba ita Latine sonant, vertente Gelenio, & corrigente Sylburgio, *Tarquinius contracta operarum multitudine, partem Urbis, quæ ad Gabios ver-
C git, emunivit fossa dilatata*, (eam intellige quam Servius duxerat) *murisque altius* (ac olim Servius constituerat) *eductis, & crebrioribus per eam partem structis turribus*: non enim bona fide egit Nardin. qui verbis illis, τάφρον ὀρυξάμενος εὐρυτέραν, & τεῖχος ἀνεγείρας ὑψηλότερον, quæ perfectionem alieni & jam existentis operis denotant, genuinam significantiam abstulit, ut opus de integro temere & sine authore confingeret: parumque dixi, cum sine authore dixi, quia potius, tam Dionysius, quam Strabo manifesto repugnant; dum ille, ut ex aliis antecedentibus verbis colli-
D gitur, integram circumquaque Urbis Romæ triplicisque generis munitionem describit, prout L. Æbutio & P. Servilio Prisco Coss. LXXX. scilicet post ejectos Reges anno, reperiebatur, qua nempe *in tumulis abruptisque sita rupibus ab ipsa* 256
natura sic communita erat, ut exiguo egeret præsidio; itemque, qua *a Tiberi non secus ac a muro defendebatur*; demum ad rem nostram, qua *maxime Urbs est obnoxia*, hoc est *ab Oriente* cum Plinio suo; hanc tamen partem, & plagam, non nisi ab Esquilina ad Collinam Portam ibi considerat. Strabo autem, postquam complectum undique murum, & unicum tantum ad partem minime tutam Aggerem recenset, *Hujusmodi est Romæ
E munitio*, tandem concludit; ut omne aliud muniminis additamentum excludat.

Communis hæc nihilominus in pluribus hujus ævi Scriptoribus mœnia veteris Romæ ampliandi 257
libido hæc aliaque non absimilia fingere compulit. Et tamen, ut pluries dixi, & supra ex Dionysio accepisti, Tiberis, tumuli, Collium rupes, & Agger, Urbem claudebant; id quod de eo quo scribebat tempore intelligi voluit, ut ex his verbis patet. *Quod si quis mœnibus, inventu quidem dif-
F ficilibus propter undique conjunctas ædes, vestigia tamen veteris structuræ multis in locis servantibus, metiri ambitum ejus voluerit, & conferre cum eo quo Atheniensis Urbs continetur, non multo capacior ap-* 258
parebit Romæ ambitus. Cui adhuc comparationi non acquiescentes Lipsius & Cluverius, & quotquot eos sequuti sunt, ne Romæ sive potius Urbis amplitudinem imminuere viderentur, & quæ de ejus mœnium contractione Dionys. alibi quoque dixerat extenuando, ut ratio postulabat, acciperent: Athenas ipsas ultra modum amplificarunt, & Longos muros, Munychiam, Astu, Piræeum Portum, & murum Phalaricum, octo-

ginta quamvis ante annos divulsa ab Athenis membra, in comparationem assumpserunt. Vide
259 in hoc P. Donatum de Urbe Roma lib. I. cap. XIX. pag. 58. qui plene non minus quam ingeniose Lipsium & Cluver. confutat. Hujus enim Authoris eo libentius meminimus, quod non solum nostra hæc studia plurima eruditione locupletavit; verum etiam, quia pondus illis suo exemplo decusque addidit, dum ea piissimo & gravissimo se-
260 ne indigna non esse ostendit; id quod de P. Athan. quoque Kirchero (licet aliquando inter nos non conveniat) ex animo dictum volo.

At quomodo in angustum redactis mœnibus
261 prima, quam suo loco afferemus, mensura Plinii de ambitu Urbis ad XIII. & amplius milliaria adhuc ascendere possit, alibi pertractabimus. Et si alii LXX. ejus passuum M. ad VII. contrahere ausi sunt, nos quoque forsan hæc XIII. ad VIII. (unica parum immutata nota) reducere non verecundabimur: quia hodie nil amplius, quam debitam veterum Portarum collocationem, & ex eisdem rectas Viarum deductiones, hoc præambulo brevique examine reportare intendimus: id quod utcumque assequuti, jam ad propositam materiem calamum convertimus.

262 Aquarum Ductus non solum inter tria in Orbe miranda Dionys. meritissimo reposuit, dum lib. III. hist. Roman. inquit, *mihi sane magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquæductus, Viæ stratæ, Cloacæ;* quæ eadem maxime miratur Strabo Geograph. lib. V. sed primum & præcipuum Romanæ magnitudinis indicium specimenque dederunt; ita ut vere graviterque Plin. dixerit lib. XXXVI. cap. XV. *Si quis diligentius æstimaverit Aquarum abundantiam in publico, Balneis, Piscinis, Domibus, Euripis, Hortis suburbanis, Villis, spatioque advenientes, exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas; fatebitur, nibil magis mirandum fuisse in toto Orbe terrarum:* cui concinit illud Front. de Aquæd. lib. II. num. 106. *Ad tutelam Ductuum, sicut promiseramus, divertimus, rem enixiore cura dignam, cum magnitudinis Romani Imperii id præcipuum sit indicium: quod enim illuc* (ut de Roma Cassiodorus ait Epist. VI. lib. VII.) *Flumina quasi constructis montibus perducantur, naturales credas alveos soliditates saxorum, quando tantus impetus Fluminis tot sæculis firmiter potuit sustineri.* Quæ omnia Poetica grandiloquentia ita superavit Rutilius in Itiner.

Quid loquar aerio pendentes fornice Rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes:
Tale Giganteum Græcia laudat opus.

263 De numero eorum, post Augusti tempora usque ad Frontinum, minime dubium est, quia ipse novem recenset, eorumque originem, capacitatem, & Rivi in longum mensuram, distincte
264 atque ordinate describit. Nec enim contradicit Plinius, qui *septem amnes*, cap. supra citato, *corrivatos in Cloacas ab Agrippa in Ædilitate* tradit, ut Nardin. lib. VIII. cap. IV. male sibi objecit, ut pejus adhuc respondeat, Juliam & Tepulam, quia junctæ adveniebant, pro unica reputari, & Alsietinam Tiberi dirimente excludi. Quia simplex ac germana solutio hujus imaginariæ inter Plinium & Frontinum discrepantiæ in sola diversitate temporum consistit: nam cum Plin. factum Agrippæ recenseat, bene VII. tantum Aquas ab eo in Cloacas immissas refert, quia Claudia & Anio Novus nondum extabant, sed longo post tempore cæteris additæ fuerunt. Et si frivola ista
A ratio, *perchè venivano prima di Frontino meschiate insieme*, aliquo loco habenda esset; cur Claudia cum Aniene Nova, quæ eodem pacto ex Frontin. num. 73. *extra Urbem proprio quæque Rivo erogabatur, & intra Urbem confundebatur,* (quod idem paullo differentibus verbis repetit num. 78.) pro una tantum accipi non debuisset?

Posterioribus vero a Frontino sæculis, ut novæ in veteres Specus Aquæ corrivatæ fuerunt, ita & novorum Ductuum Urbi, eisque ædificiis, quæ Urbi continentia sunt, accessio facta fuit. Quot 265
vero Ductus ultra veteres accreverint, neminem adhuc scripsisse reperimus, frustraque apud Publ.
B Victorem & Notitiam Imperii requirimus; quia nedum hi Authores notabiliter inter se variant; sed eodem pacto de principalibus Ductibus, ac de Aquis, quarum plures aliqui admittebant, loquuti sunt; unde mira apud recentes Scriptores suborta fuit confusio. Ita enim Aquas numerat Victor in Epilogo.

AQUÆ XX.

I.	*Appia.*
II.	*Marcia.*
III.	*Virgo.*
IV.	*Claudia.*
V.	*Herculanea.*
VI.	*Tepula.*
VII.	*Damnata.*
VIII.	*Trajana.*
IX.	*Annia.*
X.	*Alsia, sive Alsientena, quæ Augusta.*
XI.	*Cærulea.*
XII.	*Julia.*
XIII.	*Algentiana.*
XIV.	*Ciminia.*
XV.	*Sabatina.*
XVI.	*Aurelia.*
XVII.	*Septimiana.*
XVIII.	*Severiana.*
XIX.	*Antoniniana.*
XX.	*Alexandrina.*

Notitia autem Imperii diversimode Aquas suas ita disponit.

AQUÆ XIX.

I.	*Trajana.*
II.	*Annia.*
III.	*Alsia.*
IV.	*Claudia.*
V.	*Marcia.*
VI.	*Herculea.*
VII.	*Julia.*
VIII.	*Augustea.*
IX.	*Appia.*
X.	*Alsietina.*
XI.	*Setina.*
XII.	*Ciminia.*
XIII.	*Aurelia.*
XIV.	*Damnata.*
XV.	*Virgo.*
XVI.	*Tepula.*
XVII.	*Severiana.*
XVIII.	*Antoniniana.*
XIX.	*Alexandrina.*

Procopius tamen, Author cæteroqui accuratis- 266
simus, & rerum Romanarum diligens investigator, in hoc labyrintho filum porrigere videtur lib. I. cap. XIX. Hist. Gothic. hic verbis: Ρώμης δὲ ὀχετοὶ ιδ. μὲν τὸ πλῆθός εἰσιν ἐκ πλίνθου δὲ ὠπτημένης τοῖς πάλαι ἀνθρώποις πεποίηνται, ἐς τοσοῦτον εὖρους καὶ βάθους

διήκοντες, ὥστε ἀνθρώπῳ ἵππῳ ὀχουμένῳ ἐνταῦθα ἱππεύειν δυνατὰ εἶναι, hoc eſt, *Romæ vero XIV. Aquæductus numero ſunt, factique ab antiquis hominibus ex cocto latere, id latitudinis & profunditatis habentes, ut homini equo inſidenti hic equitandi facultatem præbeant*: cui ut proprie de Ductibus, non vero de Aquis, ut generatim alii Authores, loquenti fidem accommodabimus; & hinc veluti ſtabili fundamento innixi, ipſos Aquæductus indicare pro viribus nitemur.

Novem Frontinianos, jam cognitos, & alibi a nobis, nempe in I. Diſſertatione de Aqua Alexandrina examinatos, iterum hic referre, crambemque recoquere, ſuperfluum eſſet: ſed ſolum Aquas ipſas a P. Victore & Notitia relatas, poſt ſuppletos XIIII. Procopii Ductus, unicuique eorum applicabimus.

267 Ultra novem, inquam, qui in Frontino deſcribuntur, Ductus, Appiæ ſcilicet, Anionis, qui poſtea ad diſtinctionem Vetus vocatus fuit, Marciæ, Juliæ, Tepulæ, Alſietinæ, Virginis, Claudiæ, & ſecundi Anionis, qui novi appellationem
268 meruit; alium, hoc eſt

Decimum Aquæductum ex Front. petere poſſumus, erit Aquæ CRABRAE, quæ *præter caput Juliæ transfluebat*, ut ipſe ait num. 13. hoc eſt, ad dextram Viæ Latinæ, uti & Julia concipiebatur num.
269 12. Licet enim ibidem ſubdat Front: *hanc Aquam ab Agrippa emiſſam*, id eſt, a Ductu Juliæ excluſam, *quia ejus uſum improbaverat, ſive quia Tuſculanis poſſeſſoribus relinquendam credebat*; conſtat nihilominus poſtea, non quidem in Juliam amplius receptam, ſed particulari Rivo, quem & hodie occupat, Romam perductam fuiſſe. Veſtigia ſi- 270
quidem antiquatis hujus Ductus manent, tam in vetuſto opere Cataractæ ſive Emiſſarii ad IX. lapidem Viæ Latinæ, ſub magnis quibuſdam luderibus, *li Centroni* nuncupatis; (ubi recepta in ſubterraneo Specu ea Aquæ quantitate, quam Rivus, quem diximus, manufactus Romam defert, reliqua per Agrum Romanum in Anienem Fluvium tranſmittitur) quam etiam in hac eadem Specus apertura priſcam magnificentiam redolente; ubi per IIII. fere ſtadia terram ſubit, ut ſuperato 271
medio jugo facile ad Urbem, declivi ſemper exinde itinere, devehi valeat. Augeri hodie Rivum Aquæ Crabræ ex Aquis Julia atque Tepula, quæ perruptis Ductibus in eandem Vallem Albanam influunt, ex ſe patet: quod tamen, veluti arcano quodam amici monitu, divulgavit Martinell. in ſua Roma cap. VII fol. 31.

Utque olim in Agro Tuſculano *eam omnes Villæ tractus ejus* Front. teſte num. 13. *per vicem in dies moduloſque certos diſpenſatam accipiebant, ſed non eadem moderatione*: ita forſan eadem regula 272
apud Urbem diſpertiebatur, deque ea, ac ſimili 273
diſpenſationis modo, per modulos, ſpatiaque temporis inæqualia dividendo, intelligi poteſt hoc fragmentum lapidis, quod in horto S. Mariæ in Aventino viſitur.

274 Damnatam poſtea hanc Aquam vocatam fuiſſe, locus idem Frontini mox allatus indicio eſt, qui dum *emiſſam*, *improbatam*, atque *excluſam* memorat, nomen DAMNATÆ effingendi occaſionem dediſſe videtur: præſertim, cum tam Victor, quam Notitia, ideo *Crabræ* nomen omittant, quia *Damnatam*, uti re ipſa non diverſam, retinuerint. Ex ſupra deſcripta origine, & decurſu Aquæ Cra-
275 bræ, ſive Damnatæ, palam fit, aliam eſſe ab Almone, qui inter Oſtienſem Portam & Templum D. Pauli Tiberi miſcetur; ut, omiſſis aliis profanorum Scriptorum authoritatibus, ſequens D. Gregorii aſſertio evincit, in Regiſt. Epiſt. lib. XII. ep. IX. *Adjicientes etiam eidem ceſſioni hortos duos, inter Tiberim & Porticum ipſius Eccleſiæ, euntibus a Porta Civitatis parte dextera, quos dividit Fluvius Almon*: proximi naque Fontes, (unde *curſu breviſſimus Almo* Ovidio lib. XIV. Metam. dictus fuit)
276 a remotis Crabræ longo terrarum divortio dividuntur. Ita ut minime admittenda ſit P. Kircherii traditio lib. I. par. II. cap. II. pag. 62. *ipſam Aquam Crabram in Ulbe Almonis nomine indigitari*: nec alius Fabricii in ſua Roma conſimilis error, Appiam 277
cum Rivo Crabræ cap. IV. pag. 49. inſcite confundentis.

Sed quocumque tandem nomine vocetur iſte, quem pro decimo reponimus, Aquæductus; non 278
ideo a numero Aquæductuum Procopii excludendus venit, quia non ex cocto latere extructus ſit, ſed ſubterraneus ille Rivus in ipſa rupe excavatus oſtendatur. Quia non ita rigide accipi debent Procopii verba, ut omnes totoſque Ductus laterițio opere ubique conſtitiſſe intelligamus: nam & Specus Aquarum Alſietinæ & Virginis ut 279
plurimum in topho indigena adaperti fuerunt; & omne opus ſupra terram tam Marciæ, quam Claudiæ, non niſi ex lapide quadrato exſtructum eſt. Sufficit enim ad fidem verborum Procopii, ea in pluribus, licet non in omnibus, verificari.

Simile eſt quod Procop. omnibus hiſce Aquæductibus

280 ductibus attribuit, *id videlicet latitudinis, & pro-
funditatis, ut homini equo insidenti hic equitandi
facultatem præbeant: nam Specus aliarum, sex,
septemve pedum profunditatis, virum & equum
(modo is equum loro apprehensum traxerit) æ-
gre forsan admittebant: Juliæ vero, ac Tepulæ,
latitudinis ped. duorum, profunditatis ped. trium
ac semis, ne Pygmæi quidem, arietis capræve dor-
so insidentis (quales eos describit Plin. VII. cap.
VII.) capaces fuerunt.
Valde autem miror, inventum fuisse, qui in
281 suis ad Frontin. Notis hanc Ductuum in altum ca-
pacitatem, sive, ut Procopius vocat, *profunditatem*,
cum ea altitudine, quam Frontinus in operis proœ-
mio se traditurum pollicetur, (quæ nulla alia ibi
dicenda est, nisi quam proprio vocabulo cujusque
Aquæ *libram* nominat, nam præter mensuram Spe-
cus Aquæ Appiæ, quam num. 50. invenisse dicit
altitudinis ped. V. latitudinis ped. unius & dodran-
tis, de aliis in altum, vel in latum, ne γρῦ qui-
dem apud ipsum) infeliciter confuderit. Audi
monstrum interpretationis. (*Postea altitudinem cu-*
jusque, modulorumque rationem) *parum sibi con-*
stat in altitudine subterraneorum meatuum & for-
nicum veteres Scriptores. Procopius altitudinem de
finit tantam, ut eques per eos fornices opportune
posset transire. Frontinus infra, sublevatos ad cen-
tum & novem pedes fuisse ait. Strabo Amasenus
lib. v. οἱ ὑπόνομοι σωὺ νόμῳ λίθῳ καρακαμφθέντες
ὁδὺς ἁμάξαις χόρτυ πορευτάς. At tibi mentem non
constare dicent Keucheni, dum Frontinum, qui
de elatione Arcuum loquitur, a Procopio, qui
de Specuum profunditate, & (quod maxime ri-
sum movet) a Strabone, qui de amplitudine
Cloacarum, ne minimum quidem discrepare vel-
les.
282 Hanc dicam Dempstero primum impingendam
esse, non sum ignarus, a quo in Paralip. ad cap.
XIV. lib. I. Antiquit. Rosin. totidem fere verbis id
Keuchen. accepit. Attamen pejus istum meritum
puto, & ignorantiæ in re, quæ præcipuum tra-
ctationi dat argumentum, & insimul furti reum
manifestarium. Sed cum nimis jam digressi fueri-
mus, ad reliquas Aquas, quæ numero Procopii
desunt, investigandas revertamur.
283 Undecimum igitur Ductum præstabit nobis A-
QVA TRAIANI, uti &
284 Duodecimum AQVA ALEXANDRINA,
de quibus in peculiari Dissertatione loquuti su-
mus.
285 Pro XIII. Aquæductu is occurrit, qui ad læ-
vam Viæ Appiæ, ante septimum ab Urbe lap. in
nostra Tabula sub nomine AQVAE SEPTI-
MIANAE comprehensus, post opus arcuatum
passuum plus minus DCXXX. ab Albanis collibus
ad ipsam Viam Appiam, Aquam propriam detu-
lisse videtur ultra locum *di Casal Rotondo*, prope
Turrim *della Selce* modo dictam; quia tota suo-
rum Arcuum qua altiores sunt elevatione, hoc
est pedum XXV. circiter, (nam subtiliori mensura
ob aspectus evidentiam opus non fuit) supra Ri-
vum Claudiæ attollitur. Anionem vero novum
admittere potuisse non abnuerim; qui quamvis
prope Urbem Arcubus Claudiæ receptus, modica
altitudine eam superet, ut in Tabula Scenogra-
phica nostræ I. Differt. num. 30. ostendimus:
antequam tamen in Piscinam reciperetur, sem-
per eundem parallelismum servasse puto, quo plu-
ribus in locis procul ab Urbe, XL. & ultra pedes
supra Claudiam efferri, constanti observatione
comperii; ut peculiari aliquando Dissertatione,
de Itinere Aquarum, fusius prosequar. Unde ex
Anienis Novæ Specu Aquam hanc derivatam non
quidem credo, sed, ut dixi, non impossibile du-
co. Hæc eadem Aqua, postquam ibi longum il-
lud Viæ Appiæ jugum subit, quod inde usque ad
Metellæ sepulchrum continuatur, primo ad usum
ingentis cujusdam Pagi seu Vici, quod magni 286
veluti Oppidi instar est, ad dextram venientibus,
in loco *Statuario* dicto, & num. 10. in Tabu-
la nostra signato, distribuebatur. Deinde rursus
ad lævam in Appiam deflectens, diviso Ductu in
duos Specus, qui ad hunc usque diem in ædificio
ad num. 22. in Theatri speciem apparent, ad
Urbem & terminos primæ Regionis tendebat:
longe enim infra hujus ejusdem Ductus (nam
nova Aqua esse non potuit) vestigia remanent,
inter III. & IV. lapidem ad sinistram venienti-
bus, prope veteris Templi parietinas ad num. 21.
vulgo *il Torrone de' Borgiani*.
Intoleranda prorsus de hoc ipso Aquæductu post
locum *di Casal Rotondo* loquitur P. Kircher. in 287
suo Latio lib. II. pag. I. cap. I. fol. 31. ejus A-
quam e *Lacu* usque *Lucrino*, aut ex *Cœruleo*
Fonte ab Appio Claudio Crasso deductam, & a
Claudio Cæsare auctam memorans: quæ ne refel-
lam, sed solum in transitu attingam, facit viri
præclarissimi & tot laboribus celeberrimi venera-
tio. Quid enim Aquæ Appiæ cum Claudia com-
mune esse potuit? Etsi namque Eutropius Hist.
Rom. lib. II. ipsam Appiam, tanquam ab Appio 288
Claudio Cæco adductam, Claudiam (nec bene)
vocaverit; longe tamen absurdius nomina ita re-
ciprocando Ap. Claudium *Cœrulei Fontis Aquam*
variis gyrorum ambagibus deduxisse dicemus, non
quidem paucorum mensium, sed plus quam CCC-
L. annorum anachronismo. Quisve e Sinu Lu- 289
crino, tanquam positu superiori, Aquam Ro-
mam descendisse dixerit; nisi fortasse Ligorius,
qui Alsietinam ab Alsio (maritima Etruriæ Urbe)
Romam deducit? aut is qui Aquoreum sub Ti-
bure Fontem (ut pag. 3. cap. 2. fol. 199.) *multo* 290
Romana Urbe profundiorem, reclamante quamvis
longe Anienis, in quem Fons defluit, & flexuo-
so insuper versus Urbem descensu, dicere non
vereatur? Hæc sane odiosa ab invito quamvis a-
mor veritatis & dicentis authoritas extorquent,
tum ne nobis credita videantur; tum ne alios,
qui magni viri laboribus & toties inculcatæ αὐτο-
ψίᾳ plus justo deferent, in devia abducant; *quo*
enim majore nominis fama suffarcinati sunt, qui
curas suas publicant, (ut Salmasii adversus Scali-
gerum, in re simili, dicto utar) *eo majore cum*
pernicie Reipublicæ literariæ peccant, si quando ip-
sis ut peccent usu venerit.
Numerum tandem quæsitum implebit alius, a 291
nobis AQVAE forsan ALGENTIANAE dictus,
qui sub Tusculanis collibus ad IX. circiter ab Ur-
be lapidem primum emergit, & rursus per aliam
vallem, sub Turri *di meza Via di Frascati*, plu-
res Arcus transmittit, Romamque indubie petit;
licet illius ne minimum ultra vestigium invenire
potuerim.
Romam utrumque hunc Ductum Aquam detu-
lisse equidem mihi persuadeo, sed tamen intra
mœnia Urbis receptos fuisse non assero; quia
præsertim prior ille, qui per dorsum Viæ Appiæ
descendit, Vallem Almonis satis profundam non
nisi plurimo opere arcuato superare potuisset, cu-
jus vel rudera aliqua ex longa firmaque structu-
ra saltem remansissent.
Ut quid ergo, inquies, si hæ duæ posteriores
Aquæ Urbem, ut fateris, non intrabant, inter
XIV. Procopii Aquæductus computabuntur? Ad
hoc igitur objectum solutionem, quam num. 107.
I. Differt. brevibus verbis involutam præmisimus,
hic ubi occasio præcipue postulat, prolixius prose-
quemur.

292 *Roma* atque *Urbs* unum & idem significare
videntur, sed tamen duo inter se diversa per hæc
verba indicantur. *Urbs* enim quicquid mœnibus
continetur, & aratro sive *urbo* definitum est, com-
prehendit, ut Pomponius scripsit in l. *pupillus* 239.
D. de verb. signif. (cui potius quam Isidoro l. XV.
293 cap. II. ab *orbe* derivanti subscribimus) *Roma* ve-
ro continentia quoque ædificia complectitur, ut in
pluribus ejusdem tit. legibus statuitur, nempe l.
Urbis 2. l. *ut Alphenus* 87. l. *ædificia* 139. l. *qui in
continentibus* 147. l. *mille passus* 154. & l. *collega-
rum* 173.
Modo quousque hæc continentia ædificia se ex-
tenderint definire operæ pretium est, & ad com-
modum sensum dictarum legum, aliorumque ve-
terum Authorum, eorumdem amplitudinem inter-
pretari. Nam Lipsius lib. III. cap. III. de Magni-
294 tud. Rom. adeo fines laxat, ut Urbes, & Oppida
circum posita, Ostiam, Ariciam, Ocriculum, alia-
que incluserit; in quo eleganter quidem ad ex-
aggerationem Romanæ magnitudinis, sed contra
nostrorum Juris-Consultorum mentem & absque
lege loquitur: longe siquidem ab omni recta &
probabili interpretatione erit, quod Præfecti Urbi
jurisdictio, intra C. milliaria a l. I. D. de off. Præf.
Urb. tributa, eademque a continentibus ædificiis,
non a Milliario Urbis numeranda, ut in d. l. *mille
passus* habetur, dimidio fere extendatur, si ab Ocri-
culo (quod XXXXIX. pass. mill. ab Urbe distat)
295 numerari incipiat: & rursus, quod quem Aricina
vel Tiburtina tellus primum gremio suscepit, is,
juxta l. *qui in communibus*, Romæ natus dicatur;
ac demum, quod qui *usque ad continentia Urbis
est*, quamvis tribus, ut Ocriculanum Municipium,
diætis ab Urbe distet, ex l. *collegarum*, ab Urbe
non abesse censeatur.
Romam item istam *sine ambitu, & quæ in Sub-
urbiis procurrit*, quam ibi in immensum Lipsius ex-
pandit, nescio cur paullo supra, ad VII. non ul-
tra milliaria, verbis Plinii detortis, undique con-
trahat.
Nostræ autem jam jam proponendæ *tectorum
expatiantium extremitati* nullos ex receptis Autho-
ribus obstare, imo optime suffragari credimus; ju-
vante etiam ipso locorum aspectu, quantum per
damna longissimi temporis, & per hostilem ra-
biem, quæ omnia igne ferroque vastavit, adhuc-
usque colligere fas est.
296 In Via Ostiensi, (ut hinc initium sumamus)
antequam ad bivium Laurentinæ deveniatur, ad
ipsam Tiberis Ripam ingentia extant veteris Pagi
seu Vici rudera ad num. 12. cujus tam nomen,
quam ab Urbe distantiam habemus apud Ammian
lib. XVII. *defertur* (ait ille de Obelisco, Constan-
tis jussu ex Ægypto advecto) *in Vicum Alexan-
dri, tertio lapide ab Urbe sejunctum; unde cha-
mulcis impositus, tractusque lenius, per Ostiensem
Portam Piscinamque publicam Circo illatus est ma-
ximo*. Quicumque enim locum aspexerit, certo
conjiciet, non hic, ut alibi passim, sepulchra,
vel alia ædificia ad Viæ marginem prostare, sed
ex utroque latere domus ad modum Oppidi late
distributas fuisse, quas Tiberis ibi a veteri cursu
ad præsens devians intersecat, partemque Vici e
Latio abstractam, in ripa Etrusca, dexteraque o-
stendit.
297 Notandus hic obiter situs Portæ Ostiensis in
murorum veteris Romæ ambitu, qui alibi esse non
potuit, quam sub crepidine Aventini, ad latus ejus
meridionale, inter Ecclesias Sanctæ Priscæ & S.
Sabbæ: ex hac enim tantum parte patet iter per
regionem XII. ibi proximam Piscinæ publicæ, ver-
sus Circum, qui eidem regioni ad lævam contiguus
erat. Nam si sub Aventino, & ad partem ejus
A septentrionalem, ad locum recentium Salinarum,
cum vulgo Antiquariorum, ex Porta Tergemina,
quam ibi collocant, Viam Ostiensem primum exi-
visse dicatur; invectio Obelisci per XIII. Regio-
nem Aventini, sive per XI. Circi maximi, in qua
Porta Tergemina per Victorem & Rufum, non
per XII. Piscinæ publicæ facta fuisset, hæcque non
in itinere occurrisset, sed longe & ultra totius Cir-
ci spatium versus Portam Capenam remansisset.
Seclusa etiam hac Ammiani traditione, non alibi
Porta vetus Ostiensis, sive illius Viæ initium figu- 298
rari potest, ut suam Viam recta prospectet, nec
monstrosam in sui initio obliquitatem, contra id
B quod in aliis omnibus observamus, in patente præ-
sertim & libero spatio, præ se ferat.
Septizonii quoque situs, cujus reliquiæ Patrum 299
nostrorum memoria inter Cœlium & Palatinum
visebantur, non parum ad id conferre videtur:
quia nimirum Septimius Severus (ut de eo Spartia-
nus ait) *cum illud faceret, nihil aliud cogitavit,
quam ut ex Africa venientibus suum opus occurre-
ret*: atqui ab Africa advenientibus paullo post in-
gressum Portæ, ex qua Via Ostiensis (si hic sta-
tuatur) incipiebat, Septizonium etiam minus co-
gitantibus necessario occurrebat; quod si ea in-
C ter Aventinum & Tiberim fuisset, longo jam cir-
cuitu, & non sine itineris duce quærendum fo-
ret, ratioque per Spartianum adducta omnino
cessasset. Cur autem Viam Ostiensem ex Africa
adventantibus uti propriam & præcipuam nomi- 300
naverim, in promptu ratio est; quia scilicet hæc
Via omnium brevissima (utpote recta) itineran-
tibus erat, postquam ad Ostia Tiberina appule-
rant, XVI. nempe milliarium, cum Antonino, 301
& Tabula Peutingeriana, cumque ipsa veritate,
quam mensura per me pluries atque uniformiter
acta corroboravit. Nam Portuensis ad dexteram 302
Tiberis ripam secus Flumen adaperta, suis flexi-
D bus aliam III. milliaribus superans, (optime e-
nim Antonin. XIX. milliaria a Roma in Portum
enumerat) ad solam mercium subvectionem, &
ad onerarias naves adverso Flumine per boves
trahendas inserviebat, ut ex Procop. lib. I. de Bell.
Gothic. cap. 26 colligitur; cujus singulare de hac
Via dictum, & Viæ ipsius certissima per me ob-
servata & in Charta Topographica fideliter reddi-
ta vestigia, devium ad præsens Tiberis iter quate-
nus a Via stabili & permanenti recedit, & ubi
olim ejus alveus fuerit, atque ubi propterea ad
evitanda nuperæ subvectionis pericula (quæ ad
E hunc Alexandri Vicum, frequentibus naufragiis
infamem, quam maxima sunt) illum duci opor-
teret, egregie demonstrant.
Portam igitur Trigeminam cum Ostiensi syno- 303
nymam, ut communiter tenent, minime fuisse,
optime meo judicio Nardin. lib. I. cap. X. pag. 50.
ostendit; inutiliter tamen addit ex Victore & Ru-
fo (qui nil tale dicunt) eam inutilem remansisse:
nam omnibus aliis Portis veteribus intra mœnia
Aureliani conclusis, id commune fuit. Quod po-
tius Trigemina cum Navali eadem fuerit, angustia 304
situs, unius tantum Portæ capacis, inter Aventi-
num & Tiberim, suadere videtur: fuisse enim *ad
Aventinum & prima Urbis mœnia* Navale, adver-
F sus Ligorii, Panvinii & aliorum sententiam, fir-
miter probat P. Alexander Donatus de Urb. Rom.
lib. III. cap. XIII. pag. 253. Et ut Navali Em-
porium conjunctum fuisse convenit; ita prorsus
postquam Aventini crepidines evaseris, plurima il-
la ad Tiberim rudera, quæ hactenus confusa &
dispersa, & propterea inobservata aliis remanserunt,
ad unicum ædificium conducere animadvertes; quæ
nil aliud, quam hoc quod quærimus, Emporium 305
repræsentare possunt: tum ex Horreorum & Por-

ticuum multiplicitate: tum ex horum fensim ad Tiberim inclinatione, quæ mercibus ipsis e navibus ad Horrea fubvehendis inferviffe videtur: tum ex ampliffima area circumquaque ad easdem exponendas, feu ad fabricam, refectionem, vel fub-
306 vectionem navium expanfa: tum demum ex vifa atque adnotata per Flam. Vaccam eo in fpatio, quod extremos imofque arcus & Tiberim interjacet, littoris curvitate & finu ad Portum constituendum. Sic enim Vacca in fua ad Simonettum alias per nos allata Epiftola. *Mi raccordo l' anno paffato appreffo al loco dove fi chiama la Cefarina, perchè è di Cafa Cefarina*, (ita & hodie) *vi furono trovate certe colonne gialle, le quali condotte per il Tevere, erano ftate fcaricate in quel loco fopra la ripa, e fi veggono ivi molti pezzi di mifchio abozzati, li quali per li tempi avanti fono ftati trovati in quel loco, ma fono pieni di brutte macchie, e circondati da duriffimi calcedonii, & è la caufa, che fono ancora in quel loco rimafti; fi vedono fopra terra muri a modo di Magazeni, e nella ripa del Tevere fi vede il feno del porto:* intra quorum ruderum ambitum lapidem illum extaffe puto cum hac nautica lege,
307 QVICQVID. VSVARIVM. INVEHITVR. ANSARIVM. NON. DEBET, quem Fulvius Antiq. lib. IV. tit. de Navalibus Urbis, in Tiberis ripa fub Aventino refert inventum: uti certe extat adhuc bafis bipedalis altitudinis, intra noftri Emporii fines annis fuperioribus extracta, cum fequenti epigrammate;

SILVANO
SACR
ANTEROS. CAES
HORREARIVS
CHORTIS. III.
D. D. A. L

ad cujus latus dexterum patera, ad finiftrum lupus, huic numini, prout & Marti apud Romanos facer, infculptus confpicitur: extititque ara illa in Vinea olim Marcelli ex Nobb. de Capifuccis reperta, cujus duplicem infcriptionem refert Grut. pag. LXXV. 1. & 2.

NVM. DOM. AVG.
SACRVM
GENIO. CONSERVATO
RI. HORREORVM. GAL.
BIANORVM
M. LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S. P. D. D.


NVM. DOM. AVG
SACRVM
FORTVNAE. CONSER
VATRICI. HORREOR
GALBIANORVM
M.LORINVS.FORTVNA
TVS. MAGISTER
S. P. D. D.

Alia denique parva bafis ibidem in Vinea huic Emporio ad meridiem contigua affervatur, quæ, five ex Ædibus Pomponii Læti, ubi Mazoch. apud Gruter. pag. LXXVI. 10. eam obfervavit, hic rediit; five alia ab eadem eft, ex duplici illa epigraphe, & emblematibus; ad hæc forfan Emporii publica Horrea, ex Magiftris infcriptis, referenda venit.

L. DVNIVS. APELLA *e latere*
C. ANNIVS. TYRANNVS *dextero*
MAG. PRIM *clavus.*
FORT. HORR DD *e lævo*
patera. urceolus globus.

retro
C. ANNIVS. TYRANNVS. MAG
ET. L. DVNIVS. APELLA. PRIMI
FOR. HORE. DD
duæ cornu copiæ cum frugibus & vomere decuffatim pofitæ.

308 Opus igitur infigne, & in tanta fui vetuftate novum, non una fimplicique delineatione comprehendere, fed divifim in ichnographia & orthographia exhibitum, minute partiteque explicare decrevi: poft quæ, ad Vicos in militaribus & præcipuis Viis, qui continentia Romæ ædificia claudebant, inveftigandos revertar.



Explicatio Tab. I. *Ichnographiam totius operis continentis.*

a b. a b. *Muri duo, longitudine, structura, numero arcuum, & eorundem inclinatione æquales, duplicem ad utramque faciem fornicis curvaturam exhibentes, unde Porticus cum descensu ad Tiberim fuisse credimus.*


c d. *Murus alter, structura & longitudine antecedentibus respondens, arcubus tamen carens, quia extimus.*

e f g. *Substructio spatii, seu areæ exterioris, muro lateritio terminata.*

h. *Gradus, per quos ascensum a Tiberi in Emporium fuisse ex Livio lib.* XLV *conjicimus.*

Vestigia Cellarum sive Horreorum ex i *in* l, *in quæ longius istud latus* m n *distributum fuisse videtur.*


Omnis Porticuum & Horreorum ambitus, structura lapidea, sine ulla cocti lateris admixtione, constat; parietes scilicet ex incerto opere, unde eorum vetustas deprehenditur; fornices vero & munitiones arcuum ex lapide politissima arte quadrato.



Explicatio Tab. II. *Orthographiam Porticus continentis.*

Porticuum ascensus (ex quibus juxta Vitruvii præscriptum lib. V. *cap.* XII. *aditus ad Emporia esse debet) ab imo ad summum est pedum* XX. *hoc est ex* A *in* B *ped.* VI. *ex* B *in* C *ped.* VIII. *& ex* C *in* D. *ped.* VI.

Locus terra & ruderibus est oppletus.



Explicatio Tab. VII. *Orthographiam Cellarum sive Horreorum continentis.*

HHHH. *Quattuor ad latus exterius versus Montem Testaceum fenestræ, ad quas clathra fuisse ostendit excavatio, lata nunc* II. *totidem profunda, spatio unius pedis a facie exteriori distans.*

Pars sub linea F G *sub terra, suisque ruderibus sepulta.*

Remanent portarum inter unum & aliud Horreum vestigia, ex latere extante IK, *ejusdem longitudinis cum alio inter* E *&* D *Tabulæ antecedentis, hoc est pedum* IX.

309

Ardeatina Via sui Vici rudera, non quidem ita certa & copiosa, non contemnenda tamen ostendit, eo in loco, ubi ab Appia, cum qua eo usque fere juncta processit, jam divertere incipit, in recenti Via, quæ Appiam cum Ardeatina connectit sub Metellæ sepulchro. Ista ædificiorum congeries alia propemodum contingit, quæ ab Appia lævorsum usque ad Sancti Urbani Ædem dispersa jacent, inter quæ Circus, quem ex nummis, &
310 ex magis recenti structura, non Caracallæ, sed Gallieni fuisse, doctiores judicant.

Appia uti aliarum Viarum celeberrima primo Pagum istum habuit; (cui nomen Camœnarum fortasse inerat, si Nardino credimus) postea alium luculentissimum ultra V. lapidem ad lævam nacta fuit, in loco, cui a multiplicitate forsan statuarum & ornamentorum adhuc *Statuarii* nomen inhæret, suo Prætorio, Templo, Amphitheatro, Circo aliisque nobilissimis membris præ cæteris insignito.

Alius ad eandem Viam Urbi proximior Pagus, 311
(ad Camœnas vocabimus) tum reliquo ornatu cum isto certabat, tum, illius æmulatione, proprium Ductum habuit, qui ab Arcubus Claudiæ Aquam desumpsit: permanent enim adhuc rei vestigia ex Puteo ad caput Ductus num. 19. nostræ Chartæ, crusta undique oppleto, per quem Aqua ad novum hunc Ductum descendebat; ex Arcubus, qui Vallem prope Fontem Aquæ Salutaris tractu pedum CCCC transmittunt; & ex Specu ejusdem Aquæ, rursus intra ipsos Pagi fines, etiam nunc in Vinea Cortesia conspicuo.

Duplicem quoque vicum Latina Via exhibet: 312
alterum paulo ultra IV. lapidem, ad Piscinas, ut credimus, Aquarum Marciæ, Juliæ, ac Tepulæ: (qui forsan *Lemonius Pagus* fuerit) alterum omnium maximum, decem stadiis ultra promotum, in loco *di Settebassi*. Huic ad occidentem Villa alicujus Imperatoris (tantam enim conjecturam rudera non dedignantur) cum Statione, & Cellis
Prætorianorum, ut Porticus, Balnea, aliaque ornamenta sileam, obtenditur: ad cujus usum, Du- 313
ctus peculiaris, opere arcuato pass. DC. constans, ab Anienis Novæ Arcubus derivatus fuit.

Ad Prænestinam, hinc inde circa Templum rotundum, quod *Torre Schiava* nostrates nuncupant, 314
Vici ornatissimi vestigia plurima remanent.

Ad lævam Prænestinæ Collatina erat ex Frontin. num. 5. non quidem, ut notat Holstenius ad 315
Cluver. pag. 102. a Prænestina ad V. lap. incipiens, vel post dictum Templum *di Torre Schiava*, ubi recens divertigium; sed propriam servans ab Urbe Collatiam usque straturam, ut mea fide Te pro nunc credere volo: Holstenius enim, neque ejus ductum, neque terminum observavit; si namque
observasset, Collatiam, ut nos, ad rudera illa *del* 316
Castellaccio (quod vetus Castrum Osæ, sive Losæ fuit, pluries in Bullario Casinensi in censum Ven. Monasterii S. Pauli de Urbe relatum) non vero Gabios, milliario procul a Via Prænestina, temere inconstanterque insuper collocasset, ut fecit pag. 199. Fuisse enim Gabios in ipsa Via, tam

Strabo, quam Dionys. a Cluverio relati pag. 655. A
12. expresse probant; idemque Holsten. in Annot.
ad Ortel. verb. BURRANUS LACUS, ad Viam
Prænestinam Gabios admittit.
317 Corrigendus est autem, dum Castellum D. Ju-
liani ibi, & pag. etiam 131. ad Osam Fluviolum
fuisse credit, & pro nostro Osæ Castro accipit:
nam verius, S Juliani parietinæ, nomenque, ses-
quimilliario circiter ultra, trans Castrum *di Casti-
glione*, Tibur versus, longiusque adhuc a Præne-
stina remanent, ut opportuniori loco ostendam.
318 Ideo tamen nullus ad Collatinam Vicus appa-
ret, vel quia ad dictum Vicum in Prænestina, cui
319 ibi proxima est, pertinebat; vel quia non inter B
Vias præcipuas, sed inter Viatria computanda erat,
tanquam solis ped. VIII. & unc. IV. in latum patens,
nec sollemnem Viarum consularium mensuram
ut plurimum ped. XIV. & unciar. IV. adæquans.
Quapropter Plinius, in ostendenda Aquæ Virgi-
320 nis origine, quæ ad eam nascitur, Prænestinam,
uti celebriorem & vere militarem Viam, & ab
ejus octavo lapide Diverticulum II. mill. pass. in-
dicavit; quod tamen idem esse cum VIII. lapide
Viæ Collatinæ, de quo Front. num. 16. ex no-
stra Charta videbis. Quam parum autem (ut ad-
versus illaudatum Authorem iterum exclamem)
321 nostra hæc loca intellexit Georg. Fabric. in sua C
Roma, dum cap. v. pag. 54. Collatinam hanc Viam
*extra Portam ejusdem nominis Collatiam ducere; &
post exiguum spacium incidere in Salariam* dixit; totis
322 duabus Viis, Tiburtina, & Nomentana, intermediis.
Tiburtina & Nomentana quia ad latera Ca-
stri Prætorii prodibant, ut Portæ ipsæ unde emit-
tebantur hodie clausæ, & vetera utriusque Viæ
rudera evincunt; hoc ipsum loco Pagi vel Vici
pro suo quæque termino habuit apud Plinium,
verbis mox recensendis.
323 In Salaria non dubito quin suus Pagus extite-
rit, sed frustra me illum conquisivisse fateor, quia D
forsan, ut Lucan. lib. IX. de Ilio deplorat,

—— *tota teguntur*
Pergama dumetis, etiam periere ruinæ.

324 Campus Martius cum Minori, totus, & integer
ad Flaminiam & Triumphalem expansus, no-
stræ ibi extramuraneæ Romæ ambitum claudebat.
De Urbis stricte sumptæ magnitudine primum;
mox de impercepto adhuc mensuræ genere, a Foro
ad singulas Portas; demum de obscuriori adhuc,
ad extrema tectorum, hæc Plin. lib. III. cap. V.
325 *Mœnia ejus collegere ambitu Impp. Censoribusque Ve-
spasianis, anno conditæ* DCCCXXXVIII. *pass.* XIII. M.
326 CC. *complexa Montes* VII. *Ipsa dividitur in Regio- E
nes* XIV. *Compita Larium* CCLXV. *Ejusdem spatii
mensura currente a Milliario in capite Romani Fori
327 statuto ad singulas Portas* &c. *efficit passuum per di-
rectum* XXX. M. DCCLXV. *Ad extrema vero tectorum
cum Castris Prætoriis ab eodem Milliario per Vicos
omnium Viarum, mensura colligit paullo amplius* LXX.
M. *pass.*
Missis itaque pro nunc duobus primis mensuræ
generibus; tertium hoc a *Milliario Aureo ad extre-
ma tectorum, & Castra Prætoria, per Vicos omnium
328 Viarum*, egregie nostro systemati respondet, ut ex F
subjecta synopsi, ruditer & ad simplicem rei ca-
ptum instituta, deprehendere poteris.

*A Mill. Aureo per Viam Ostiensem, circuito Vico
Alexandri, & rursus per eandem ad Forum pass.* 7500
*A Mill. Aur. per Viam Ardeatinam circuito
Vico, & rursus per eandem ad Forum pass.* 7500
*A Mill. Aur. per Viam Latinam, circuito Pago
forsan Lemonio, & rursus per eandem ad Forum
pass.* 11000
*A Mill. Aur. per Viam Labicanam, circuito
Pago, & rursus per eandem ad Forum pass.* 8000
*A Mill. Aur. per Viam Prænestinam, circuito
Pago, & rursus per eandem ad Forum pass.* 7000
*A Mill. Aur. per Viam Tiburtinam, circuito Ca-
stro Prætorio, & rursus per eandem ad Forum
pass.* 3000
*A Mill. Aur. per Viam Nomentanam, circuito
Castro Prætorio, & rursus per eandem ad Forum
pass.* 3000
*A Mill. Aur. per Viam Salariam, circuito Pago
incertæ positionis, rursusque per eand. ad Forum
pass.* 7000
*A Mill. Aur. per Viam Flaminiam, circuito
Martio Campo, & rursus per eandem ad Forum
pass.* 6000
*A Mill. Aur. per Viam Triumphalem, circuito
Campo Minori, & rursus per eand. ad Forum pass.* 3000
70500 329

Vicos illos extimos num. 8. & 10. ad Latinam,
& Appiam, consulto in expendendis Plinii verbis
omisimus; quia nempe credimus, eos post Plinii
ætatem auctos fuisse, & aliorum, qui fere in or-
bem dispositi sunt, seriem interrupisse. Rudioris
liquidem sæculi opus redolent, tam Aquæductus
quos in utriusque Vici usum exstructos videmus,
quam præcipuum hujus ad Latinam Prætorium, 330
in quo primum retractionem murorum, directo
scilicet latere interno, exteriori vero sensim resu-
pino, quam hodie *a scarpa* vocant, inter antiqua
monumenta observavi; quamvis vetustioris inventi
fuisse non ignorem istam, quam Vitruv. lib. VI.
cap. XI. vocat *structuræ proclinationem*. Certum ta-
men est, eos Pagos tempore Procopii jam extitis-
se; (tantam enim tamque splendidam ædificio-
rum molem post derelictam Romanam rem, &
Imperii sedem ad Orientem translatam, quisnam
excitasset?) & influxus posteriorum duorum A-
quæductuum excepisse, ut hinc (quatenus etiam
non ultra processerint) eos Romam intrasse con-
cludamus.
Hæc ad Plinium, insolentia certe, & quæ ali-
quibus audacia videbuntur; sed quæ propius for-
tasse ad ejus sententiam accedunt: ac nemini ani-
madversam, certissimam quamvis, ex loco ipso com- 331
probationem secum afferunt.
Dionysii autem verba ita continentium horum
ædificiorum ambitum circumscribunt, *quæ circum
Urbem habitantur loca, multa illa & magna, immu-
nita sunt, & hostium incursionibus valde obnoxia: in
hæc oculis conversis, quis magnitudinem Romæ exqui-
rere velit, longe fallatur necesse est, nec certe digno-
scere poterit, quousque Urbs se extendat, & ubi Urbs
esse desinat; ita regio omnis Urbi perpetuo nexu co-
hæret, in infinitam longitudinem porrectæ Urbis exi-
stimationem spectantibus præbens*. Hæc inquam Dio-
nysii verba l. IV. hyperbolice, procul dubio, prolata,
ut & alia Plinii, *expatiantia tecta multas addidere
Urbes*, vix posse ultra nostros designatos fines pro- 332
tendi arguet quicumque terminum ambarvalium
sacrorum, & ipsius Agri Romani, intra V. vel
VI. lapidem cum Strab. lib. V. *ad locum Festi*, reco-
gnoscere cogitur. Extra nostram vero, quam
Romæ dedimus, extensionem, Nardinus ipsam
quodammodo *Urbem* porrigere videtur, qui locis 333
primæ Regionis, a Rufo & Victore descriptis,
& eorum ambitu pedum XIII. M. non immutato,
Ædem Fortunæ Muliebris, quæ ped. XX. M. per
rectum, IV. nempe milliaria ab Urbe Via Latina
distabat, & Fossas Cluilias ad V. lap. Via Appia,
quarum, cum re, nomen quoque Livii tempore (ita
enim ille lib. I.) *vetustate abolevit*, lib. III. cap. I.
pag. 73. comprehendere voluit, ut Panvinii liber-
tatem (non quidem ita effrænatam) negligenter
imitaretur.

En itaque (ut unde digressa fuit oratio redeat) spatium extra Urbem, intra quod nonnulli ex Aquæductibus per Procopium enumeratis suas Aquas deferebant, quod Romæ nomine appellare, a Latina proprietate, & ab ipso Juris-Consulto-
334 rum rigore non est alienum. Addamus pro coronide, Frontinum quoque Romam, ut nos, extra Urbem agnovisse; nam quamvis in Procem. *Aquas quæ in Urbem Romam influunt*, se enarraturum præmittat; Alsietinam tamen inter has comprehendit, quam *totam extra Urbem consumi* num.
335 72. aperte infra profitetur; in Transtiberina tamen Regione, ut dixerat num. 26. & non in Campo Martio, ut Ligor. audacissimus ille stipes in Paradox. intellexit, ibi, *l' Alseatino Fonte pigliandosi dal Lago Alseatino, per la Via Claudia, faceva Fontana nel Campo Marzo, come ne dimostra Frontino*. Illum Annotationibus Celsi Cittadini, eadem dialecto loquentis, ita corrigo, *Costui fa dire a suo modo gli Autori, li quali non haveva mai letto, che non intendeva il Latino. Frontino non parlava di Campo Marzo, ma dice, che l' Alsietina faceva capo nella Naumachia, intendendo di quella ch' era a San Cosmato. e non di quella ch' era sotto il Pincio*.

Superest modo, Victoris ac Notitiæ Aquas omnes (ut nos præstaturos promisimus) in istos XIV. Procopii Aquæductus absorbendas immit-
336 tere.

Et quidem quatuor prioribus, Appiæ, Marciæ, Virgini, ac Claudiæ, suus cuique Ductus assigna-
337 tus est.

V. Herculanea in Anienis Novæ Ductum recipiebatur ex Front. num. 22. *Jungitur ei* (Anieni Novæ) *Rivus Herculaneus oriens eadem Via ad milliarium XXXVIII. e regione Fontium Claudiæ trans Flumen, Viamque, sed mixtus gratiam sui splendoris amittit*: & proinde forsan a Victore loco Anienis
338 Novæ, quæ ibi deficit, post Claudiam recensita fuit. Herculaneus etiam Rivus is dicebatur in Urbe, per quem pars Aquæ Marciæ post hortos Pallantianos dejiciebat se per Cœlium, ut ait Front. num. 28. non tamen ab adjuncto sibi Herculaneo illo Rivo in Tiburtinis (qui enim id fieri poterat?) nomine sumpto, ut P. Donato excidit lib. III. cap. XVIII. fol. 298. Quapropter, propius, nec ex Fonte petito nomine, ita in Urbe ramus hic Marciæ vocari potuit. Si vero inter hæc spinosiora animum suavitate Ligorii hilarare libet; audi ipsum in suis de Aquæduct. Collecta-
339 neis ita magistrantem: *Acqua Herculanea. Fu posta nell' Acquedotto dell' Acqua Vergine, da Claudio Imperatore, e fu cagione, che l' Acqua Vergine perdesse la sua nobiltà, come fa una Vergine corrotta dal maschio: laonde come dice Plinio, fu per oracolo tolto il Rivo maschio dall' Acqua Vergine, per ritornarla alla sua purità*. Ride nunc (si mala bilis non prævalet, ut mecum adversus hunc nugatorem quandoque fieri sentio) temerariam hominis fiduciam
340 & adversus reprehensores securitatem.
341 VI. Tepula, &
VII. Damnata, Ductus proprios & cognomi-
342 nes habebant.

VIII. Trajana, ut in I. Dissertatione probavimus, a Sabatino Agro ad summum Janiculum & Transtiberinam regionem deducta fuit. Falsus
343 est igitur Fulv. Antiq. lib. III. cap. de Aqua Virgine, qui vult, eam occasione restitutionis Aquæ ductus Trajanam vocatam fuisse, & de illa nummum cum Fonte, quem expendimus, intelligi.
344 Nec enim repugnat huic nostræ sententiæ mentio Aquæ Trajanæ in tubo plumbeo ad Aventinum versus Portam D. Pauli reperto, & ita inscripto.

A AQUA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIAN. CVR. THERMARVM. VARIANARVM

Grut. pag. CLXXXII. 7

Quia longe facilius ac probabilius videtur, Aquam e proximo Janiculo in Aventinum per Pontem Æmilium transivisse, & ab ulteriore in citeriorem ripam, communicata Ductuum utilitate, per fistulas devenisse; ut e contra, e Roma trans
B Tiberim Aquæ perducebantur, teste Front. n. 17. solitæ, ut cum Statio loquar,

—— *audaci transcurrere Flumina plumbo*;

Potius quam absque alicujus veteris Scriptoris authoritate, Marciam Aventino per Trajanum restitutam somniare: Frontini etenim verba illa num. 345
74. *quibus* (Collibus) *nunc plures Aquæ, & in primis Marcia reddita, ampliori opere a Cœlio Aventinum usque perducitur*, ab hisce aliis immediate sequentibus declarantur, *Sentit hanc curam Imperato-*
C *ris piissimi Nervæ Principis sui Regina, & Domina Orbis in dies*, quibus Nerva pater, & non Trajanus, perductionis author designatur. Nec præterea possunt ad Trajanum referri, quia is tempore quo Front. scripsit, hoc est, *inter initia suæ administrationis*, ut in Procem. num. I. sive *Nerva Imperatore* (cui opus nuncupat) III. *& Virginio Rufo* III. *Coss.* ut lib. II. num. 90. nondum plene Imperium adeptus erat; tantum abest ut Aquam deduxerit, & nummum V. sui Consulatus insignitum in memoriam facti percusserit, ut alibi, I. scilicet nostra Dissert. num. 40. & 103. reprehendi-
D mus. Quod etiam si verum foret, hoc factum nummo cum Fonte signari non meruisset; nec propterea nomen *Marciæ* a tubulo abolendum erat, ut *Trajanæ* substitueretur: cum præcipue ad Aquas distinguendas earundem nomina in fistulis adnotari solitum esset, ut videmus AQV. MAR. item- 346
que ANIO. VET. in aliis tubulis per Grut. ibidem subjectis contineri.

Aqua hæc Trajana (ut cursim supra num. 241. 347
ex Procopio tetigi) Moletrinis olim in Clivo Janiculi addicta legitur, ad quod munus longo tandem postliminio reversam videmus, adeo *nihil sub Sole novum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens*
E *est*, ut sacræ habent paginæ Eccl. cap. I. vers. 10. ita enim de hoc Procopius: τούτου δὲ ἀντικρὺ τῆς χώρας, ἐκτὸς τοῦ Τιβέριδος, λόφον τινὰ μέγαν ξυμβαίνει εἶναι, ἔνθα δὴ οἱ τῆς πόλεως μύλωνες ἐκ παλαιοῦ πάντες πεποίηνται· ὅτι ὕδατος ἐνταῦθα πολλοῦ διὰ μὲν τοῦ ὀχετοῦ ἀγομένου ἐς τὴν τοῦ λόφου περιβολὴν, ἐς τὸ κάταντες δὲ ξὺν ῥύμῃ μεγάλῃ ἐνθένδε ἰόντος, *e regione trans Tiberim magnus collis eminet, ibique omnes Moletrinæ jam inde olim exstructæ sunt; quippe magna Aquæ vis per Alveum structilem ad collis verticem deducta, inde vehementi cum impetu in declive labitur*. Usum itaque vetustissimum hujus Trajanæ Aquæ resumptum mirari & culpare (ut ab aliqui-
F bus fieri audimus) desinant tandem: nam mihi potius in votis semper fuit, Tiberim ab isto impedimento vacuum cernere. Quæ enim Belisarius, necessitate dictante, incisis videlicet per Gothos in
Urbis obsidione Aquæductibus, adinvenit; (ut 348
ibi Procopius subdit) cur ea cessante, maxima cum deformitate ob occupatum alveum, nec minori incommodo, ex interrupto inter supernatem & infernatem Rivum commercio, per damna atque pericula perdurare? Etenim, non solum privatis jacturis instruimur, impendia Flu-

viatilium ejusmodi Molarum utilitatem vincere; nam iis semel absumptis, vel in præceps (ut non raro accidit) excrescente Flumine raptis, aliæ non sufficiuntur: sed publica hinc inundationum Urbis damna plurimum augeri (alias etenim caussas concurrere non abnuo) ex Geometricis demonstrationibus patet; retardato enim Aquæ cursu per in-
349 gentes illas, quibus Ripæ alligantur, moles, (Pilas Staffilarias Holstenius in peculiari sub hoc titulo Dissertatione vocat) sequitur Aquæ mensuram augeri, quæ e contra sublatis impedimentis majorem velocitatem acquireret, unde elevatio cessaret; ut concludit P. Castell. *Della Mis. dell' Acq. corr.* coroll. XVI. append. IX. pag. 37. Illud pejus in hisce Moletrinis accidit, quod in occupandis Tiberis ripis, novo invento, & non ex Belisarii imitatio-
350 ne peccatum fuit: non enim Belisarius Pilis Staffilariis ripam impediit, sed prorsus innoxio molimine, (ut verbis Procopii describam) *pro Ponte* (sub Janiculo) *aptatis funibus, & ab utraque Fluminis ripa validissime extentis, binos Lembos colligavit, bipedali inter utrumque relicto spatio, qua majori impetu e Pontis fornice Aqua decurrebat: tum, duabus Molis utrique Lembo impositis, in medio machinam, qua Molæ volvi solent, suspendit. Alios continenter Lenunculos, ad eorum rationem qui pone erant, connexuit, ac machinas eodem modo immisit; quæ omnes ordine, profluentis Aquæ vi circumactæ, appositas sibi Molas ciebant, & quantum Urbi opus erat molebant.*

351 IX. Anniam, sive, ut habet novus Victor, Amniam, ab Ania sive Anienis, quæ ab ipso Amne petebatur, dici potuisse cum Pancirollo assentimur; ne alias Aquæductum extantem Victorem omisisse, & alium incertum per errorem reposuisse dicamus. Modo ingeniosæ hinc Pancirolli solutioni laudem ex deterrimæ ac monstrosæ interpretationis comparatione conciliemus: *l' Acqua Annia fu dedotta dall' Acqua Trajana in diversi luoghi di Roma da Lucio Annio Vero Censore, nell' Imperio d' Antonino Pio, e di Marco Aurelio*. Ligorium hunc esse jam sine me agnovisti; quis enim alius paucissimis verbis tot ineptias concludere sciret?

X. Alsia, sive Alsientena, quæ & Augusta, est
352 ipsa Alsietina, cui Front. quoque Augustæ nomen tribuit num. 2. & num. 17. ibi: *Quæ ratio moverit Augustum providentissimum Principem producendi Alsietinam Aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imo & parum salubrem.*

353 Hoc etiam Augustæ nomen ad alium Fontem pertinebat, quo Augustus (ut in ejus Breviario, in lapide Ancyrano apud Grut. pag. CCXXXII.) AQVAM. QVAE. MARCIA. APPELLATVR. DVPLICAVIT. FONTE· NOVO. IN. RIVVM. EIVS. IMMISSO, qui postea modo in Marciam, modo in Claudiam derivabatur, ut ex Front. num. 18. in nostra II. Dissertatione observavimus. Imo, &
354 Aquæ Virgini ab Agrippa tributum fuisse, Dio scribit libro LIV. *Aquam, quæ Virgo vocabatur, propriis sumptibus (Agrippa) in Urbem adduxit, Augustamque nominavit*; quod tamen non ita certum est, quin tutius asseri possit, Dionem alterum pro altero, Virginem scilicet pro Appia, quæ in eodemmet Agro Lucullano oriebatur, accepisse, dum Virginem in nomen Augustæ transiisse primus solusque dixit: neque enim id tacuisset Frontinus, qui potius caussam deceptionis Dionis indicat; ita enim Aquæ, quæ Augusta vocata fuit, ramum in supplementum Appiæ adhibitum, ut habemus, numero 5. quamvis sub aliqua lacuna; quæ ex iis quæ subdit num. 50. declaratur. Unde ne a Frontino, tempore proximiori, & ratione sui muneris diligentiori ac fideliori Scriptore discedamus, Augustæ nomen ad ramum Appiæ relege- 355
mus, qui *Via Prænestina ad milliarium sextum, Diverticulo sinistrorsus* (ita Front. d. numero quinto) *Fontem accipiebat, ejusque Ductus usque ad Gemellos (qui est locus intra Spem Veterem) efficit Rivo subterraneo pass.* VI. M. CCCLXXX. Huic ramo 356
Augustæ cognomen *Alsietinæ* perperam additum reperiri, ex glossemate, quod in Frontini contextum irrepsit, bene observat Nard. libro VIII. capite IV. fol. 503. Sed non æque feliciter Frontinum corri- 357
git, ubi *intra Spem Veterem*, hoc est apud Portam Majorem, Aquam Appiam pervenire potuisse negat: nam si ea ratione movetur (nullam enim affert) quasi illucusque Appia ascendere non valuerit, futilis ea est; quia Frontinus locum, qua pertransibat Ductus, non ejus altitudinem definit: & dum illum ubique (præter quam ad Portam Capenam) subterraneum fuisse dixit; nihil absurdi est, eundem, modo sub Collibus profundius, modo sub planitie levius depressum, considerare.

Hoc idem Augustæ nomen etiam ad Marciam 358
abusive traxit Angelon. in Augusto numero nono pag. 11. *riconducendo* (Agrippa) *a proprie spese entro Roma l' Acqua Martia già perduta, e la migliore, e la più purgata, che di presente vi sia, e chiamolla Augusta*, sed ex Authoribus nobis, imo & sibi ipsi ignotis: nisi deceptum fuisse dicamus in acceptione Marciæ, pro Virgine, quam, Dionem sequutus, Augustam vocasse potuit. Quamque neque hæc fultura ejus sententiam satis firmat, quia Agrippa, ex Frontin. numero 15. *Virginem collectam Romam perduxit*, non vero *iterum adduxit*, ut Angelonii verba sonant. 359

XI. Cærulea est pars Claudiæ, quæ *ex duobus Fontibus amplissimis & speciosis, Cæruleo, & Curtio* ut ait Front. num. 19. concipiebatur.

XII. Julia proprio Aquæductui nomen dedit ex 360
Front. numero 12. postea insignita titulo *Venocis* a Ligorio, qui ab homine Aquam reperiente ad Aquam, nec quidem eandem, cognomentum transtulit. *Cajo enim Fabio, ob inquisitas Aquæ Appiæ venas, Venocis cognomen datum est*, ut habet Front. numero 3. Cumque alioqui, proprie loquendo, Venox *Venæ indagatorem* sonet, tale nomen Aquæ ipsi, quæ indagatur & perquiritur, attribuere, vere Ligorianum esse videtur.

XIII. Algentianæ nomen congruere poterit Du- 361
ctui illi ad Viam Tusculanam, quod Algidum rectissime respicit, ut nostra Charta ostendit; nulli certe alii Aquæ, ni nostra arrideat conjectura, æque bene applicandum. Algidum enim Montem 362
illum fuisse dicimus, qui post Tusculum ad lævam Latinæ Viæ non uno vertice protenditur, Præneste & Orientem æstivum versus, cui hodie S. Sylvestri Cœnobium & *Rocca Priora* insident: dividebat enim tam Algidum, quam Tusculum (quod in eodem dorso erat) ab Albano Monte Vallis illa intermedia, in qua Castri Molariæ rudera visuntur; nam Latina Via, cujus pluries vestigia recognovi, ad latera Tusculani, & Algidi Montis, & Vallis jam dictæ a læva imminens ducebatur, ut ex sequenti Strab. loco lib. V. a Cluverio inter tot hujus & aliorum Authorum dicta quæ cumulat non animadverso, innotescit: Ἐνδοτέρω δὲ τῆς κατ' αὐτὰς ὀρεινῆς, ἄλλη ῥάχις ἐστὶ, μεταξὺ αὐλῶνα καταλείπουσα τὸν κατὰ Ἄλγιδον ὑψηλὴ μέχρι τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους; ἐπὶ ταύτης δὴ τὸ Τοῦσκλον ἵδρυται, *intra montana, ad quæ ea* (Tibur scilicet, & Præneste) *sunt conditæ, aliud porrigitur montanum & sublime dorsum, convallem relinquens inter Algidum & Albanum Montem; eo in loco Tusculum collocatum est*. Id etiam optime comprobatur ex descripto per Livi- 363
um libro XXVI. Hannibalis itinere: *Hannibal in-*

A *festius perpopulato Agro Fregellano propter Pontes intercisos, per Frusinatem, Ferentinatemque, & Anagninum Agrum in Labicanum venit; inde Algido Tusculum petiit*: nam a Labicano Agro (hoc est, cum Holstenio, juxta Columnam Oppidum) si per Algidum Tusculum petiit; en Algidum, uti & Tusculum, & Labicum cum toto suo Agro, ad idem Viæ Latinæ lævum latus, ut prætendimus: quibus enim ad dextram Viæ Latinæ, Valle intermedia, in eodem cum Monte Albano (hodie *Ca-*
364 *vo* nuncupato) continuatoque vertice Algidum esse dicitur; (ut P. Kirch. in Latio libro II. pag. I. cap. III. fol. 37. iterumque par. II. cap. IV. fol. 71.)
B iis iter hoc Hannibalis non rectum, ut properantis, sed in orbem, uti otio abundantis, concipitur. Verum optimus P. Kirch. alium errorem in hujus
365 excusationem fortasse adducet, nempe situm Labici ad Oppidum Valmontonis, (ut paullo postea se ostensurum promittit) a quo transitus sub suo Algido ad Tusculum dabatur: quo tamen assumpto uti non potest, quia infra (promissi immemor)
366 lib. IV. cap. II. fol. 120. in Via Prænestina atque in loco ubi nunc Oppidum *Zagarolo*, *urgentibus rationibus Labicum manere* imperat. Quo etiam admisso, & Labico a dextra sua Viæ Labicanæ ad dextram Prænestinæ translato, adhuc iter Hannibalis
C ad sinistram Latinæ per Algidum fuerit; unde Algidi dorsum cum Tusculano, non vero cum Albano
367 Monte continuari recte ex Strabone percepimus. Utque aliquid de vero Labici situ, ultra Holstenii authoritatem, illud ad Oppidum Columnam reponentis, degustemus, afferam hic e meis ad opus quod meditor de Agro Suburbano Adversariis exemplar sequentis lapidis ibi nuper reperti, & in muro Vineæ de Lazarinis hodie infixi; ex quo nedum ipse veteris Oppidi situs patet; sed insuper, cur eadem milliariorum XV. distantia, quam Strabo Labico attribuit, Antoninus in Itinerario & Tabula Peutingeriana AD QVINTANAS adnotent, manife-
D stum fit: iidem enim

D. M
PARTHENIO. ARCARIO
REI. PVBLICAE
LAVICANORVM
QVINTANENSIVM.

368 ex hoc perquam insigni marmore, LAVICANI, ac QVINTANENSES, ut illis tandem P. Athanasius Kircherius sedem certam & mansuram sta-
E tuat.

Quid tandem agemus de Gronovio, qui III. Dissert. Epist. ad Goes. locum præallatum Livii, integrum quidem & rectum, se emendare jactans, mire hæc omnia agitat, ut deinde pro *Algido Pe-*
369 *dum*, nedum Livio, sed Silio contradicente, nullaque similitudine reponat? O quam fœcundam dicteriorum & scommatum segetem colligeret hinc tot probris dilaceratus Marcus ille Meibomius, unde suum Antagonistam vicissim impeteret, & *Pedo* isti tam inopportuno oppederet! Nos equidem talibus parcentes, Te aliosque succincte monebimus, in tribus gravissimis Gronovium falli. Primo in
370 F stricta ubique acceptione τοῦ *Algidi* pro Oppidulo cognomine, ad radices sui Montis in Via Latina jacente; quod tamen idem Livius, omnibus in locis per Gronov. allatis, non de ipso Oppido Algidi intelligi permittit, sed de Monte aut dorso ejusdem, non modicam extensionem habente; ita ut haud temere a Silio in eadem itineris Hannibalici descriptione liber XII. pluralitatis nomine vocetur:

—— nec amœna retentant
Algida ——

tot enim (Poetica præsertim figura loquendi) Silio Poetæ Montes, quot vertices unius licet Montis videri potuerunt. Fallitur iterum Gronovius, 371
dum insulse quoad alios ex Strabonis, ut credit, sed male explicati sententia; perridicule vero quoad nos, quibus magis, quam Gronovio domus sua, loca isthæc nota sunt, inter Albanum hinc Montem & Tusculi inde atque Algidi juga, Vallem illam profundam, & per plura passuum millia protensam, aperiri inficiatur; & gigantea machinatione Vallem claudit, & continente tractu ab Urbe Tusculo ad Albanum Montem aggerem stupendum, ut minus, XXV. stadiorum, per otium ducit, & tamen ex Strabone ipso non obscure disjunctio utriusque verticis, convalle mediante, colligitur, iis verbis, prædictis proximis, συνεχῆ δ' ἐςὶ καὶ τὰ τοῦ Ἀλβανῷ ὄρει ὑποπίπτοντα, *huic* (Tusculo) *continenter adjacent partes ad Albanum Montem inclinantes*. Fallitur demum, dum locum Strab. 372
libro quinto de derivatione Viæ Latinæ, alias per nos in Differt. I. numero 44. expensum, *Incipit Via Latina ab Appia, ad sinistram ab ea prope Romam deflectens, ac super Tusculanum Montem transit inter Tusculum Oppidum & Montem Albanum*, ut ad suam thesim accommodet, grammatice sicceque de transcensu verticis Tusculani interpretatur; quod nos πραγματικῇ ἀληθείᾳ de ea, quam diximus, sublimi ad latera collis Tusculani Viæ Latinæ conscensione exponimus, & loco ipso adjuvante opiniosis hujusmodi ostendemus.

Romanis Aquæductibus Ciminiam Aquam, quæ 373
P. Victoris XIV. est, quomodo applicare possimus, ne mente quidem concipere scirem, nisi eandem cum Sabatina conjungendo, ut summo viro Ful- 374
vio Ursino placuisse vidi, in margine Aldini codicis anno MDXIIX. Venetiis impressi, (cujus mihi eruditione vitæque genere eximius Abbas Michael 375
Angelus Riccius copiam fecit) ubi *Ciminia*, vel *Sabatina*, proprio chirographo adnotavit. Non quod Ciminum Lacum alium a Sabate non agnoscam, tam apud Strabonem lib. V. quam apud Silium Punicor. lib. VIII. in locis a Cluver. in sua Ital. Antiq. allatis libro II. capite III. fol. 559: sed quia vel locorum vicinitas Victorem & Authorem Notitiæ, seculo non admodum erudito, fefellit: vel Saltus Cimini amplitudo, a T. Livio libro IX. summopere magnificata, Sabatium quoque Lacum comprehendebat.

Pancirollus in Notis ad P. Victorem, denomi- 376
nationem deducit *a Ciminia Sylva prope Agrum Tusculanum*, de qua Plin. libro II. capite XCVI. unde eandem esse potuisse cum Algentiana, in spem erecti fuimus; sed clarissimum virum defectu interpunctionis sui codicis lapsum credimus, quæ enim tanquam diversis locis posita Plinius separat, iste divisionis nota sublata forte conjunxit: hæc namque sunt Plinii verba, eo in loco, ubi varia terrarum miracula refert, *Ad Aras Murtias in Vejente, & apud Tusculanum, & in Sylva Ciminia, loca sunt, in quibus in terram depacta non extrahuntur*.

XV. Sabatinam eam Aquam fuisse conjicimus ex 377
Front. num. 56. quæ ex ipso Sabate Lacu derivata in Alsietinam circa Carejas immittebatur. Textus cum aliquo levi mendo ita se habet: *Alsietinæ conceptionis modus, nec in Commentariis adscriptus est, nec in re præsenti certus inveniri potuit, cum ex Lacu Alsietino, & deinde circa Carejas ex Sabatino, quantum Aquarii temperaverunt, habet non plus quinariis duabus millibus*.

XVI. Aurelia eadem ac Trajana dicenda est; 378
quia

quia Trajana ista longo spatio secus Viam Aureliam Romam deferebatur, ut jam ostendimus. A

379 XVII. Septimianam a principali aliquo Ductu ad novos usus tractam & denominatam putat Nardinus lib. VIII. cap. IV. Sed nos minutam hujusmodi enumerationem secundarum caducarumque (ut ita dicam) Aquarum a Victore excludimus; cum cæteræ omnes vel proprios Aquæductus habuerint, vel proprium nactæ nomen eorum pars magna fuerint. Vanitatis enim notam merito incurrisset, qui Aquæ ex propinquo Castello deductæ nomen suum relinquere cogitasset.

B Thermas Severianas a Septimio Severo nuncupatas (ut Spart. in ejus vita refert) in prima Regione Portæ, quæ longe extra Urbem, comprehenso Almone Fluviolo, & Vico Camœnarum, exporrigebatur, Victor & Notitia concorditer de
380 scribunt. Unde conjectare licet, Aquam XIII. ex nostris, quæ ab Appiæ dorso versus hanc Regionem ferebatur, Septimianam, quam quærimus, forsan dictam: quod eo probabilius se habet, quo illum tantum Ductum sine nomine & sine authore ex præmissis comperimus.

381 XVIII. Severiana (postquam synonymia Victorem abundare vidimus) alio nomine eandem Aquam sive Septimii Severi, sive Severi Alexandri, significare potuit. C

382 XIX. Antoninianam Aquam Marciæ Ductui accessisse, ostendit inscriptio, quam in I. Differt. ante num. 31. attulimus, ad Arcum, sub quo olim Via Collatina indubie transibat, hodie Viæ recenti Tiburtinæ (nam vetus ad meridionale latus Castri Prætorii, ut diximus, protenditur) inservientem.

383 P. Athanasius Kirch. ἐν τῷ παρέργῳ, authorem hujusce perductionis & inscriptionis facit M. Aurelium Antoninum Antonini Pii filium, in Latio
384 lib. IV. part. II. cap. VII. fol. 208. qui etiam Antonini Pii inscriptionem de refectis Claudiæ & Anienis Novæ Ductibus ad Portam Majorem citat lib. II. par. I. cap. I. fol. 31. Sed cave ab utroque dicto, nam tertia inscriptio ad Portam Majorem, quam de Antonino vult intelligi, est T. Vespasiani, in hanc sententiam exsculpta: D

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC.

POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII. E

AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA.

A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT. F

alia vero in Arcu ad viam Collatinam, procul dubio ad Caracallam Severi F. pertinet. Commune equidem utrique nomen M. AVRELII. ANTONINI cum adjectis titulis PII. FELI-
385 CIS. AVG. BRITANNICI. MAXIMI. Caracallæ unice convenit: & ita similibus prorsus titulis honestatur in sequenti inscriptione apud Grut. pag. CLI. 4.

IMP. CAESAR. M. AVRE
LIVS. ANTONINVS. PIVS. FE-
LIX. AVG. PARTHICVS. MAX.
BRITANNICVS. MAX. P. M. P. P.
COS. III. DES. IIII.
VIAM. INVNDATIONE. AQVAE
INTERRVPTAM. RESTITVIT.

in qua consulatus quarti designatio præterea in Antoninum Pii F. non cadit, nam is tertio tantum Cos. reperitur, & eo anno quo obitus ejus contigit, quove tertio pariter Cos. inscribitur in nummis apud Occon. sub. TRIB. POT. XXXIV. pag. 294. & 295. nondum designatio in annum se- 386
quentem assumi poterat, cum hæc non nisi ad finem vergente anno usurpetur, ipse autem mense Martio diem clauserit, ut ex Dionis excerptis, & communiter ex Fastis notum est. Brevi, adeo tritum hoc est ex frequentia nummorum cum hoc *Britanici* titulo, quorum apud Occon. ultra XL. videbis; ut apud eruditos Caracalla Britannici nomine signari soleat, quo a Pii filio & Heliogabalo distinguatur. Si vero postules, unde Anto- 387
niniana hæc Aqua a Rivo Appiæ deduci potuerit, & quomodo per opus arcuatum ad Hippodromum Caracallæ in Via Appia, & inde rursus per Latinam in Thermas Antoninianas deveniret, ut ὁ πάνυ Ligorius in suis de Aquæduct. Collectaneis intrepide firmat,

—— *nihilo plus agas,*
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

XX. De Alexandrina Aqua integram nostram 388
Dissertationem perlegere poteris; quæ, ni fallimur, evincit, hanc eandem esse Aquam, proprio Ductu, atque insigni opere arcuato, a Severo Alexandro Cæsare, & postea a Sixto V. Pontifice Maximo, alio quamvis itinere, Romam devectam.

Ex quatuor sequentibus, quæ in novo Victoris Codice reperiuntur.

XXI. Anio Novus, & 389

XXII. Anio Vetus, sunt ex ipsis IX. Ductibus 390
Frontinianis.

XXIII. Albudina Claudiæ pars fuit, ut ex 391
Frontini sequentibus verbis patet num. 20. *accipit* (Claudia) *& eum Fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Marciæ quoque adjutorio, quoties opus est, ita sufficiat, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutet.*

XXIV. Crabra demum eadem cum Damnata 392
fuit, ut supra plene ratiocinati sumus.

Notitia Imperii nil novi affert ultra jam dicta, præter nomen nescio cujus Aquæ Setinæ, quam 393
satis bona conjectura Nardinus opinatur errore alicujus imperiti Librarii diviso Alsietinæ nomine confictam, *Alsiam*, & *Setinam*, pro *Alsietina* reponendo: aliudque, Ausejæ, quæ vetus Marciæ 394
appellatio fuit, juxta Plinium lib. XXXI. cap. III. *Vocabatur hæc* (Martia) *quondam Auseja, Fons ipse Piconia.*

Non indictæ abibunt nonnullæ, quæ adhuc e vetustate remanere creduntur, subterraneæ prorsus Aquarum Formæ; altera inter Ecclesias Sanctæ Anastasiæ in Circo & S. Georgii in Vela- 395
bro se ostendens, & statim in Cloacæ maximæ specum ibi proximum illabens: altera sub ædibus 396
Grimanorum ad Quirinalem: tertia denique non 397
longe fluens, in Puteo Pharmacopolii sub signo Regis Mithridatis, in Via B. Virginis Constantinopolitanæ, quam eandem esse dicunt cum ea, quæ ad Plateam Ulmi sub Officina Tinctoria vi-

situr, & incerto exitu versus Occidentem & Tiberim fertur. Omnes autem istas, tanquam Romanæ in his Ductibus magnificentiæ subdititium opus, a familia Aquæductuum, de quibus loquimur, submovendas censemus: tum ex modica, eaque inconstanti, qua instruuntur, Aquæ copia, quam incongruum est e longinquo advectam opinari, dum aquosum herbidumque solum circa Urbem, atque in ipsa Urbe, neque Aquarum inopem experimur; & plana præsertim sub collibus loca, venis etiam cessantibus, percolata & penetrante Aqua pluvia, frequenter in hac cœli temperie decidua, variis laticibus scatere, minime mirum esse potest: tum etiam ex humili atque abjecta structura, præ illa quam in nostris Aquæductibus suspicimus; unde propius est, ut Rivos hosce inglorio humore latentes repere sinas, quam quod eisdem

—— des nominis hujus honorem.

398 Si quid enim ex antiquo jactant, non propterea ad præcipuas Aquas referendæ sunt, sed ad Urbanos Fontes, olim Urbem vel Suburbia irrorantes, de quibus Galenum, loco in nostra anteced. Dissert. num. 206. relato, meminisse vidimus. Ex
399 horum numero Petronia Aqua in Campo Martio fuit, de qua ita Festus: *Petronia, Amnis est in Tiberim profluens, quam Magistratus auspicato transeunt, cum in Campo quid agere volunt, quod genus auspicii perenne vocatur; Amnem autem fe-*
400 *minine antiqui enunciabant.* Itemque Mercurii Aqua prope Portam Capenam (decursui ejus, quæ sub S. Anastasia, ex nostra de Porta Capena traditione, proxima) Ovidio lib. v. Fastorum ad finem memorata,

Est Aqua Mercurii, Portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.

401 Vel demum Juturnæ, Pici & Fauni, aut Lupercalis Fons, aliæve, quas Nardinus congerit lib. VIII. cap. IV. pag. 502.

Deliciolum nostrum Ligorius, ut cum eo Dissertationem simulque librum jucunde claudamus,
402 inviso seu invito Festo, Petroniæ Amni cursum, atque etymon, ita dare voluit in suis Collectan. lit. P. *Petronia, & Petronio. E nome di Fonte, e di picciolo Fiumento, che corre nel Tevere; e si stima, che sia quel Rivo bello, e chiaro, che viene dalle radici del Colle Palatino, e si dice la Fonte di S. Giorgio, dalla Chiesa vicina, che vi è edificata. Fu detta Patronia, dal nascere sotto della Pietra.* Alibi, ut inventiunculis abundabat, *Fontem istum ad S. Georgium putavit esse Fontem Euripi, qui in Circo* 403 *maximo fluebat*, si Holstenio illum referenti credimus in Annotat. ad Ortelii Thesaur. Geograph. verbo *Juturna* pag. 101. (nam ubi hoc dicat, in tanta ejus librorum farragine perquirere operæ pretium esse minime duxi) quasi tenuis hæc venula fossæ x. pedibus profundæ, totidem latæ, ut Dionys. lib. III. eam describit, milliarisque propemodum spatii implendæ, sufficere posset: dum Agrippæ 404
Euripo, cui ipsa nomen dedit, CCCCLX. quinarias Aquæ Virginis datas legimus in Front. num. 71.

Nardinus lib. VI. cap. II. pag. 324. ex eodem Ligo- 405
rio affert, Aquam Fontis ad Plateam Matthæjorum, æreis Puerorum, Testudinum & Delphinum signis spectandi, ab Augusto ad usum alterius Euripi ad Circum Flaminium olim deductam. Sed hujus deceptio evidens est; nam Ligorium non de Aqua illius Fontis, quæ in summo saliente Sixtina, seu Felix: in quatuor autem minoribus fistulis ex ore Delphinorum prodeuntibus, Virgo est; sed de alia quam diximus sub Officina Tinctoris, ædibus Matthæiis ex alio latere occidentali, Via tantum diribente proxima, loquutum fuisse, quolibet pignore certaverim: hujus enim gratia, quæ antiqua (nec injuria) creditur, suum quoque Euripum excogitasse Ligorium, verisimile est; cur enim huic obstet Nardini observatio, Circum videlicet Flaminium nullo Euripo circundatum reperiri? nec enim, juxta vetus adagium, hæc curat Hippoclides; non adeo, inquam, morosus, & de veritate anxius est Ligorius, qui se solum sibi sufficere semper professus est, ut secum summo jure agere debeamus.

Matthæjum autem Fontem XXVI. pedibus Aqua hac Fullonica sublimiorem, non incognitas Aquas sed Virginem, & Felicem, ut diximus, fundere turpiter ac pueriliter Nardinus ignoravit, qui dum alterum carpere credit, sibi ipsi turbas & lites concivit; iterumque cap. VII. prædicti lib. VI. pag. 537. in easdem tenebras recidisse videtur, dubitans adhuc, an Aqua Fontis Matthæjorum Petronia dicenda sit; quod cordato homini, harum præsertim rerum studiis vacanti, ne quidem in mentem cadere debuisset.

Obe jam satis est, obe libelle,

prolixa lectione lassus, occines mihi cum Martiale tuo: Rivos ergo claudere tempus est; totaque, quam ad dicendum abundanter sumsimus, Aqua exhausta, tandem ex Fori lege sileamus. Tu Amice longum vale. Dabam ex Museo, v. Kalendas Octob. AERA CHRISTI MDCLXXIX.

F I N I S.

JOANNIS CHIFLETII
CANONICI TORNACENSIS
AQUA VIRGO,
FONS ROMÆ CELEBERRIMUS,
ET PRISCA RELIGIONE SACER.
OPUS ÆDILITATIS
M. AGRIPPÆ
IN VETERE ANNULARI GEMMA.

Zeno Imperator *Lege* IX. *Cod. de Aquæduct. lib.* IX.

DILIGENTER investigari decernimus, qui PUBLICI AB INITIO FONTES.

EMINENTISSIMO

PRINCIPI
ANTONIO BICHO,
S. R. E. CARDINALI.



Runt fortassis, EMINENTISSIME PRINCEPS, *qui quod Sacræ Purpuræ Tuæ oblatum venio, profanum dicant, nec viro Ecclesiastico attingendum; jam dudum aruisse Fontes, quos Idolothytis cæca Gentilitas* (1) *infecit. Verum ego nec moleste fero, ut qui nesciunt talia gravissimos sanctissimosque homines scriptitasse, me scribere mirentur; ab illis autem, quibus notum est quos quantosque Auctores sequar, facile impetravero, ut errare me, sed cum illis sinant, quorum non seria modo, verum etiam innoxias remissiones imitari laudabile est*: Arbitror, *inquit Tullius* (2) hæc a nobis ita spectari oportere, quanti eorum judicio, qui studiosi sunt harum rerum, æstimantur. *Nec est quod verear, ne me non satis deceat, quod decuit* ANTONIUM AUGUSTINUM, FULVIUM URSINUM, LÆVINUM TORRENTIUM, LAURENTIUM PIGNORIUM, JOANNEM HEMELARIUM, NICOLAUM FABRICIUM PEIRESKIUM, *atque etiam Tornaci inter nostros*, HIERONYMUM WINGHIUM, DIONYSIUM VILLERIUM, *sacræ profanæquæ Antiquitatis peritissimos: quorum exemplo si cui non fuerit factum satis, ad* EMINENTIÆ TUÆ *tribunal appello, Magne Princeps, qui me sponte & quadam naturæ propensione currentem magis etiam solita Tua benignitate incitabas ad has qualescumque amœnas atque antiquarias observationes animosius & constantius persequendas. Huc accedit Illustrissimi Pronuntii* HIERONYMI DE VECCHIIS *stimulus & cohortatio, qui mihi identidem auctor est pro sua in litteratos omnes potestate atque eruditionis principatu, ut ire patiar in Romanam lucem hæc veluti quædam præexercitamenta humanioris eruditionis, neque ita profanæ, quin aliquo modo ad altiorem ac cœlestem cognitionem nos ducant, & Religioni ancillentur*. M. VIPSANIUS AGRIPPA, *de quo primum dicam, Hierosolyma cum venisset, Deo dona dedit, Hecatumbem in templo Domini immolavit*. AQUAM *Virginem* VIRGO *ipsa sanctissima Deipara suis beneficiis auctam voluit, sanctissimi Christi Vicarii restitutam, ornatam; ut merito* κορυφὴ ὕδατος *scandat in sublime, & ipsum quoque sibi vindicet cœlum; tantique fuisse videatur dejectis arcubus Fontem inglorium serpsisse, ut illi tales restitutores emendatoresque contingerent. Tute*, CARDINALIS EMINENTISSIME, *cui tanta dignitas sanctissimi avunculi beneficio, cœli ipsius consilio tributa, quæ Bruxellæ Pronuntius, atque Administrator Apostolicæ Jurisdictionis, quæ Monte Ilcineo Episcopus, & Auximi, principe urbe Piceni, quæ Romæ Cardinalis, Urbini modo Legatus jura dabis, ea civitate, in qua referente Procopio* (3) FONS erat unus, ex quo omnes incolæ aquabantur; *cujus auspicio, prisco more, atque etiam in sacris usurpato* (4) *precabantur veteres novo Regi perennitatem & felicitatem semper clari atque in dies crescentis Principatus, qualem voveo tam*

Yyyyy iij

(1) Plinius l. 8. Epist. ad Romanum, de Clitumno Fonte. (2) Lib. 4. in Verrem. (3) Lib. 2. Rer. Gothicar. (4) Pineda de Rebus Salomonis.

constanti voluntate, quam hoc exiguo, sed æternum volubili argumento. Tornaci Kalendis Maiis, M. DC. LXII.

EMINENTIÆ TUÆ

Obsequiis devotissimus

JOANNES CHIFLETIUS.

AD
JOANNEM CHIFLETIUM
CANONICUM TORNACENSEM,
DE EVULGANDA
AQUA VIRGINE,
NICASII FABII
CANONICI ATQUE OFFICIALIS TORNACENSIS,
CARMEM ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ,



Rrabam tepidæ noctis in meridie,
Qua gelidus Anien veteris Albulæ sinum
Excipit: heic arva dum pererro devius
Opima, tectum in proximo sublimibus
Vidi columnis stare; Delubrum fuit.
Relligio pectus perculit; inivi tamen.
Eccum sub oculis tum mihi signum Deæ
Palmaris, quadro pulchre insistens marmori,
Atque ori digitum, pol, pudenter admovens.
Illi formosa facies, & qualem velit
Deposita habere Pallas casside: defluit
Vestis decenter, liberis laciniis.
Infra Ædem Fons sonoris emicans aquis
Opima longe vitreus irrigat sata.
Ipso in vestibulo, & proxime ad Divæ pedes,
Duo precantes vota rite nuncupant,
Diis agentes gratias Aquariis.
His ego precator accedendo tertius
In vota linguam supplicem solvo, inquiens:
O Diva, aut Divæ Virgo quam simillima,
Inferre tacitum liceat ad latices pedem:
Vagus erro nocte opaca, contusus pedes.
Mi volupe sedare sitim, volupe originem
Sacri hujus Fontis, hujus & Numen loci

Noſcere. *Tunc illa viſa fari protinus*:
Aquas cupitas ut lubet, quantum lubet,
Sumito; quid, hoſpes, me compellas eloqui?
Quid me, quid audes de me ſciſcitarier?
Dicor AQUA VIRGO, Dominæ Urbis delicium,
Nec addo plura: plura ſi tamen cupis,
Eſt Belgas inter πάνσοφος CHIFLETIUS,
Scientiarum promus & condus, & Bonam
Cui PIETAS ERUDITA Mentem contulit.
Illum olim fovit impubem Chryſopolis,
Chryſopolis Sequano circinata Dubio,
CHIFLETIORUM litteratorum parens.
Aſt ævi nunc maturum Bellatrix tenet
Belgica, Scaldis ubi Nervium ſtringit latus,
Celſaſque turres Turnacum attollit polo.
Hunc anquire virum: Numen atque originem
Ille tibi noſtram referret: Ædem nomini
Quis noſtro poſuit; referet noſtram(ut Virginem
Decet) procantis Herculanii fugam.
Noſtro dicatam promet ille Nomini
Gemmam, Gemma ipſe Litteratorum unica.
Sic effata Dea eſt, preſſoque ore deſtitit.
Agedum CHIFLETI, *grande Muſarum decus,*
Dudum eſt, pol, dudum, ex quo quæſitus es mibi,
Quæſitus, & repertus, Camœnis faventibus.
Non eſt litandum Sacris Angeroniæ:
Obſequere monitis Divæ; aut certe ſenties
Dignum eſſe Gyaris, juſſa qui temnit Deum.


AQVÆ VIRGINES
FVNDAMENTIS

JOANNIS CHIFLETII
CANONICI TORNACENSIS
AQUA VIRGO,
FONS ROMÆ CELEBERRIMUS,
ET PRISCA RELIGIONE SACER.
OPUS ÆDILITATIS
M. AGRIPPÆ
IN VETERE ANNULARI GEMMA.



Am multa & abſtruſa & ignota in Gemmis antiquis reperiuntur, ut in iis interpretandis ſæpe putarit ludi operam Joſephus Scaliger [1]: tanta eſt earum elegantia, tam multiplex argumentum. Sed illud liquidius fortaſſis erit, quo Fontem quaſi digito in Gemma oſtenſuri ſumus, e quo clarioris eruditionis latices profluant.

Achates eſt Annularis e Cimeliarchio V.C. ALBERTI RUBENII, quem Bruxellæ abhinc quadriennium Reipublicæ litterariæ, in ipſo juventutis flore, mors invidit. Dicere vix poſſum, quantopere ſummum illum virum ſuſpexerim dilexerimque. Regi in Conſilio ſanctiori a Secretis fuit, quia nihil altius voluit: Sereniſſimo Archiduci LEOPOLDO, Belgarum & Burgundionum Gubernatori, gratus acceptuſque, honeſtam quietem, atque Exedram Philoſophicam Senatoriis ſubſelliis conſtantiſſime prætulit, vel unico de GEMMA AUGUSTEA & TIBERIANA Commentario futurus immortalis. Neque enim hunc laborem τῶ μακαρίτε fidei ſuæ commiſſum nobis eripi patietur clariſſimus GEVARTIUS, Cæſareus Regiuſque Conſiliarius & Hiſtoriographus, Archigrammateus Antuerpianus, ad civium ſuorum Litterarumque gloriam natus.

Sed ad inſtitutum aggredior. In magnificentiſſimis operibus Romæ, & e quibus maxime apparent illius Imperii opes, poſuit Ammianus Marcellinus Aquarum ductus, & Fontium in Urbem derivationes. Plinius ipſe, rigidiſſimus alioqui cenſor magnificentiæ Romanæ: *Si quis*, inquit [2], *æſtimaverit diligentius aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis ſuburbanis, villis, ſpatioque advenientis exſtructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum*. Idem ante: *Dicantur vera æſtimatione invicta miracula, quæ Q. Martius Rex fecit. Is juſſus a Senatu, aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ ductus reficere, novam a nomine ſuo appellatam, cuniculis per montes actis, intra Præturæ ſuæ tempus adduxit.* AGRIPPA *vero in Ædilitate ſua, adjecta* VIRGINE AQUA, *ceteris corrivatis atque emendatis, lacus* DCC. *fecit: præterea ſalientes* CV. *Caſtella* CXXX. *complura etiam cultu magnifica: operibus iis ſigna* CCC. *ærea aut marmorea* D *impoſuit, columnas ex marmore* CCCC. *eaque omnia annuo ſpatio*. Ut non immerito quærat Seneca [1]: *Utrum majus beneficium dederit* M. AGRIPPÆ *pater, ne poſt* AGRIPPAM *quidem notus, an patri dederit* AGRIPPA NAVALI CORONA INSIGNIS, *unicum adeptum inter dona militaria decus: qui tot in Urbe maxima opera excitavit, quæ & priorem magnificentiam vincerent, & nulla poſtea vincerentur*. Quid autem fuerit Caſtellum in aquæductibus, Ulpianus ita declarat [2]: *Caſtellum eſt receptaculum, quod aquam publicam ſuſcipit*. Cum itaque ductus aquarum ad viarum divortia, vel regionum urbis fines perducti erant, E Caſtella in formarum ſummo erant, ex quibus aqua per digitos, uncias, & modulos, ædificiis operibuſque, & muneribus publicis, ac privatorum uſibus dividebatur a Caſtellario. Erat enim Caſtellarius Caſtelli aquarum cuſtos, ut probat Epitaphium vetus:

D. M.
CLEMENTI CÆSARVM N. SERVO CA-
STELLARIO AQVÆ CLAVDIÆ FECIT
CLAVDIVS SABBATIS ET SIBI
ET SVIS.

F

Ipſius AGRIPPÆ, ſive animi ingentis imaginem cum corona roſtrata præmittere viſum eſt e jaſpide viridi illuſtriſſimæ FELICIS RONDANINÆ, cujus ectypon debeo ſingulari humanitati AUGUSTINI FAVORITI viri præſtantiſſimi, & Romæ Sacro

1 Lib. 3. Epiſt. 224. 2 Lib. 36. cap. 15.

1 Lib. 3. de Beneficiis. 2 L. 1. ff. de Aqua quotidiana & æſtiva. Adde & L. 78. ff. de Contrahenda Emptione. Marlianus in Topographia Romæ.

Consistorio a Secretis: A *Antea* ROSTRA *navium*, inquit memoratus Plinius [1], *Tribunali præfixa, fori decus erant, veluti Populo Romano ipsi* CORONA *imposita. Postquam vero Tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpere, sancta omnia profana fecere, tum a pedibus eorum subiere in* CAPITA *civium* ROSTRA. *Dedit hanc Augustus* CORONAM AGRIPPÆ, *sed Civicam a genere humano accepit ipse.* Virgilius [2]:

> *Parte alia ventis, & Dis* AGRIPPA *secundis*
> *Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum*
> B *Tempora* NAVALI *fulgent* ROSTRATA CORONA.

Hoc insigni tam præclaro Paterculus addit neminem umquam Romanorum fuisse donatum. Idque bello Actiaco Agrippam singulari virtute meruisse. Idipsum tradit Epitome Livii his verbis: M. AGRIPPA NAVALI CORONA *a Cæsare donatus est. Qui honor nemini ante eum habitus est.* Et quidem Seneca vocat *Agrippam* NAVALI CORONA *insignem*, sed non addit, *primum*. [3] Contra, auctoribus Plinio & Festo, *M. Terentius Varro hanc coronam adeptus est bello Piratico, donante Gn. Pompejo Magno, præter alios, qui ea quoque e Piraticis bellis donati sunt, & e Siculis, quæ & ipsa* C *Piratica fuerunt.* Eodem Festo auctore A. Attilius hac corona donatus est bello quod gestum est contra Nabin: *ut*, inquit, *scriptum est in Carmine Saturnio, quod quidem duces ipsi consueti sunt in Tabellis publice ponere, in quo nominabantur qui* NAVALI CORONA *donati erant.* Ovidius [4] hac corona Pacem redimit:

> FRONDIBUS ACTIACIS *comptos redimita capillos*
> PAX *ades, & toto mitis in orbe mane.*

Sed scilicet facit per occasionem Actiacæ victoriæ & propter ingentem tanti boni impetrati lætitiam.

D Apparet in Gemma etiam de vultu torvitas illa M. AGRIPPÆ, cujus meminit Plinius [5], ubi ait: *Præcipuam auctoritatem fecit publice Tabulis Cæsar Dictator,* AJACE & MEDEA *ante Veneris Genitricis Ædem dicatis. Post eum* M. AGRIPPA, *vir* RUSTICITATI *quam deliciis propior. Extat certe oratio magnifica, & maximo civium digna, de Tabulis omnibusque signis publicandis; quod fieri satius fuisset, quam in villarum exilia pelli. Verum illa* TORVITAS *Tabulas duas* AJACIS & VENERIS *mercata est a Cyzicenis* HS. XII M. Quibus verbis & illud constat, sculpturis & tabulis nobilium artificum fuisse delectatum Agrippam, nec tam pretioso affectu Cæsari cessisse; qui etiam laudatur a Tranquillo, quod GEMMAS, TOREUMATA, SI- E GNA, TABULAS *operis antiqui, semper animosissime compararet.* [6] Ignes enim quosdam natura in heroicis ac generosis animis abscondit, quibus incensi ad Antiquitatis admirationem feruntur. Sed profecto ita est, [7] *Artes desidia perdidit, & quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum*: neque mirandum notat [8] Petronius, si pictura defecerit, quo tempore *omnibus Diis hominibusque formosior videbatur massa auri, quam quidquid Apelles Phidiasque Græculi delirantes fecissent.* Dio de eodem Agrippa in Augusto: A-QUAM, *quæ* VIRGINEA *vocabatur, propriis sumptibus in Urbem adduxit,* AUGUSTAM*que nominavit: quod ita gratum fuit Augusto, ut inopia vini aliquando existente, cum queritaretur populus, sa-* F *tis provisum diceret ab* AGRIPPA, *ne quis eorum siti periret.* Frontinus [9]: *Dies quo primum in Urbem responderit, v. Iduum Junii invenitur:* VIRGO *appellata, quod quærentibus aquam militibus, puella* VIRGUNCULA *quasdam venas monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt.* ÆDICULA *Fonti apposita hanc* VIRGINEM *pictura ostendit.* Quo loco Andreas Fulvius [1] legit: *Hanc* VIRGINEM PICTAM *ostendit.* Plinius aliam nominis originem assignat: AGRIPPA, inquit [2], VIRGINEM *adduxit ab octavi lapidis diverticulo* II. *millium passuum Prænestina via. Juxta est Herculaneus Rivus, quem refugiens,* VIRGINIS *nomen obtinuit.* Plinium secutus idem Fulvius: VIRGO, inquit, *ideo dicta, quia refugit Herculaneum, qui est mas.* Cassiodorus [3], quod nullis sordibus polluatur: *Cum enim aliæ pluviarum nimietate, terrena commixtione violentur, hæc aerem perpetuo serenum purissime labens unda metitur.* Unde & Martialis [4]:

> *Sed curris* NITIDAS *tantum prope* VIRGINIS *undas.*

Andreas Baccius [5] de eodem Fonte alio sensu: ÆDICULA VIRGINIS *Fonti apposita. Quod nomen postea videntur adscivisse Dianæ, ac Triviæ nuncupasse, quasi Dianæ Fons diceretur, & Aqua Dianæ sacra: quæ veteribus virgo habita est, & in triviis (ut triplex habere dicebatur Numen) celebrari solita, necnon triplici Fonte, quibus hæc aqua concipitur. Vel (ut quibusdam placet Antiquariis)* VIRGINIS *nomen indicasse Juturnam, ac Templum similiter Juturnæ sacrum: quam Nympham sic dictam (teste Varrone) quod juvaret, in votis fuisse habitam asserunt infirmis, qui ex ea aqua biberent, sacramque idcirco hanc Ædem ei fuisse constitutam; sed postea Religione introducta, in superstitionem præteriti sæculi abolendam, Fontem ipsum simul ac Puteum, qui extat,* D. MARIÆ *Virgini consecratum. Utramlibet quis ejus nominis interpretationem accipiat: verumtamen eo fit magis verisimilis nostra sententia, hunc Fontem fuisse* VIRGINEM *a Dia & Trivia nuncupatum; quod nomen ipsum Ædis* SANCTA MARIA IN VIA, *vulgari, ut videtur, voce mutila dicitur pro* SANCTA MARIA IN TRIVIA, *ubi multa cum devotione* B. MARIÆ *Virginis etiamnum ea aqua ab infirmis bibitur.* Idem [6]: *Fons aquæ* VIRGINIS, *seu Triviæ, famosus in Urbe, non aliam videtur nominis habere significationem, quam quod Dianæ sacer fuerit, quæ & virgo habita Antiquis, & Nympharum Fontium Regina, ac triplici Numine fingitur, uti triplici pariter hæc Aqua manat fonte.* Sed Frontino magis assentiendum monet Pætus [7]; ac recte quidem: nam & Gemma fidem adstruit facti a Virgine indicii, Ædicula & Statua eidem erectis, quæ alioqui de more jacens exhiberetur, manu tenens arundinem, ut AQUA TRAJANA in Nummis: AQUARUM siquidem sunt notæ JUNCUS & ARUNDO. Neque vero inter Signa CCC. ærea, aut marmorea, quæ operibus imposuit Agrippa, præterita videri possit ipsa VIRGO, a qua & nomen Fonti. Indice ori admoto silentium indicit, ac veterum morem, seu potius præceptum, signat in aquarum usu, cujus etiam monumentum extat apud Jo. Jacobum Boissardum [8] eleganti hoc carmine:

> HVIVS NYMPHA LOCI, SACRI CVSTODIA FONTIS
> DORMIO, DVM BLANDÆ SENTIO MVRMVR AQVÆ.
> PARCE MEVM, QVISQVE TANGIS CAVA MARMORA, SOMNVM
> RVMPERE; SIVE BIBAS, SIVE LAVARE, TACE.

1 Lib. 16. cap. 4. 2 Lib 8 Æneid. 3 Vide Carolum Paschalium lib 7. de Coronis cap 4. 4 Lib. 1. Fastor. 5 Lib. 35. c. 4. 6 Colerus Præfat. in Alexand. ab Alexand. 7 Plinius lib 34 c. 2. 8 In Satyrico 9 Lib 1. de Aquæductibus

1 Lib. 3. de Antiquitatibus Urbis. 2 L. 31. c. 3. 3 Lib. Epistolar. 7. 4 Lib. Epigramm. 7. 5 Lib 7. de Thermis c. 4. 6 Lib. 6. cap. 28. 7 Lib. de Restitutione Aquæ Virginis. 8 Parte VI. Antiquitatum Romanar.

Itemque Romæ apud Salviatos in Labro Fontis:

NYMPHIS LOCI
BIBE. LAVA.
TACE.

Tametsi Horatius [1] Lymphas *loquaces* appellarit ob strepitum & gratum illud murmur, quod in decursu solent edere, quoque mire delectamur, neque aliter quam cantu aliquo symphoniaco afficimur.

Ædicula Fonti apposita, non ex iis, quas INCUSTODITAS appellat Paulus Jureconsultus [2]: nam de aquarum reverentia, custodibus etiam ipsis assignatis, Zeno Imperator: *Universos*, inquit, AQUARIOS, *vel* AQUARUM CUSTODES, *quos* HYDROPHYLACAS *appellant, qui omnium* AQUÆDUCTUUM *bujus Regiæ urbis* CUSTODES *deputati sunt: singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostræ impresso signari decernimus: ut hujusmodi annotatione manifesti sint omnibus, nec a Procuratoribus domorum, vel quolibet alio, ad usus alios avellantur, vel Angariorum, vel operum nomine teneantur. Quod si quem ex iis* AQUARIIS *mori contigerit, eum nihilominus, qui in locum defuncti surrogatur, signo eodem notari præcipimus: ut militiæ quodammodo sociati, excubiis* AQUÆ CUSTODIENDÆ *incessanter inhæreant*. Curæ adeo Antiquis fuit Aquæductuum cura, de quibus extat erudita Aldi Manutii Epistola ad Joannem Moronum Cardinalem [3].

Adorantium personæ in incerto sunt; sed Aquas in ipso ortu adoratas, illisque statuas & sacella erecta, uti Virgini in hac Gemma, docet Plinius junior in descriptione Clitumni Fontis [4]: *Adjacet* TEMPLUM PRISCUM, *& religiosum*. STAT CLITUMNUS *ipse, amictus ornatusque prætexta*. PRÆSENS NUMEN, *atque etiam fatidicum indicant sortes. Sparsa sunt circa* SACELLA *complura, totidemque* DEI SIMULACRA, *sua cuique veneratio, suum nomen, quibusdam vero etiam* FONTES. *Nam præter illum, quasi parentem ceterorum, sunt minores capite discreti*. De Proclo Philosopho, & Fonte statuæ Socratis apud Athenienses, Marinus ejusdem Procli discipulus in ejus vita: *Cum ex itinere lassitudinem sentiret, ad* SACELLUM SOCRATIS, *cum nondum sciret, nec audivisset, quod aliquo eo in loco* SOCRATES *coleretur, rogavit Nicolaum, maneret ibi paulisper atque consideret, & si posset alicunde, aquam sibi ministraret; laborabat enim, ut dicebat, magna siti. Statim ille, idque non aliunde quam ex ipso consecrato loco curabat adferri; neque enim procul aberat* FONS STATUÆ SOCRATIS. *Bibenti tum ei Nicolaus, idque tum primum considerans, Omen hoc est, inquit, quod in* SACELLO SOCRATIS *consideris, & inde primam aquam Atticam biberis. Tum ille consurgens, atque* EXHIBITA REVERENTIA, *ad civitatem pergebat*.

SACRI FONTES dicuntur Martiali [5],
Nympharum pariter Nereidumque domus.

Et Romæ ad portam Latinam:

NYMPHIS
QVÆ SVB COLLE SVNT
ARVLAM
MVMIA CANTERIA
NVMINI
ADIVT. DEVOT.

1 In Od.13. Lib.3. Carm. 2 L. Sacrilegi. 2. ff. ad L. Juliam peculatus. L. 10. C. de Aquæduct. lib.11. 3 L.1. de Quæsitis per Epistolam. 4 Lib.8. Epistolarum. 5 Lib.4 Epigr.44.

CVM STATVA
ISIS
ET TABVLATO
D. D.

Apud Gruterum inscriptiones invenies
NYMPHIS DVLCISSIMIS, SALVTIFERIS, SANCTISSIMIS,
FONTI DIVINO.
GENIO NVMINIS FONTIS.

Etiam in quibus fit mentio Ædiculæ positæ.

VTICÆ, vulgo *Usetz*.
SEX. POMPEIVS. I. COGNOMINE PANDVS
QVOIVS ET HOC ABAVIS CONTIGIT ESSE SOLVM
ÆDICVLAM HANC NYMPHIS POSVIT, QVIA SÆPIVS VSVS
HOC SVM FONTE SENEX TAM BENE QVAM IVVENIS.

FONTINALIS Dei meminit Plautus in Sticho, unde & FONTINALIA SACRA, & illa Tibulli [1]:

Casta placent Superis, pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite FONTIS *aquam*.

Seneca [2]: MAGNORUM FLUMINUM CAPITA *veneramur, subitâ & ex abdito* VASTI AMNIS *eruptio* ARAS *habet*. De Fontibus Plinius [3]: *Augent numerum* DEORUM *nominibus variis, urbesque condunt; emicant passim benigne, nec in ulla parte naturæ* MAJORA MIRACULA. Julius Frontinus de Aquæductibus: FONTIUM MEMORIA CUM SANCTITATE *adhuc extat, &* COLITUR: *salubritatem enim ægris corporibus adferre creduntur, sicut C. Amaranus Apollinaris meminit*. Andreas Baccius de Thermis [4]: *Omni sui parte* NASCENTES AQUÆ *aliquam præ se ferunt* DIVINITATEM. Spondanus in Hesiodi Opera & Dies: *Cum*, inquit, *in Aquæ usu maxima vitæ pars sit collocata, merito videntur ei tot honores tributi, ejusdemque meriti ratione ab Hesiodo sanciri, ne quis Fluvium aut Fontem permingat, aut oleto suo conspurcet*. Idemque credidit *Fluvios Fontesque Diis sacros, ob illam, ex sua in cursu perennitate, æternitatis imaginem*. Quod asseruit Eustathius [5], Fluvios nimirum ἱερὰς διὰ τὸ ἀέννaον· *sacros ob perennem cursum*. Quin & Philostratus in vita Apollonii [6] monere audet & hortari unumquemque εὔχεσθαι τ͂ πηγαῖς, *ut fontes votis & precationibus dignentur*, Θεῖαι γὰρ *quod Divini sint*. [7] Vim enim majorem Numinis illuc inclusam esse credebant, quam in res alias omnes, qua Fontes ipsi moverentur & agitarentur. *Gaudent*, inquit Latinus Pacatus [8], *Divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat Æternitas*.

Hinc religiosi cultus causa in Ædiculæ atrio appensa phiala, seu lucerna vitreo vasi inclusa, cujusmodi a se visam testatur Jo. Baptista Porta [9]. Quæ vetus ac veterrima superstitio Christianos ipsos infecit, damnata a Conciliis Toletano, Antissiodorensi, Nannetensi, & aliis, in quibus ea superstitione imbuti vocantur ACCENSORES FACVLARUM, & EXCVLTORES FONTIUM [10]. Burchardus quoque [11]: *Vel si aliquis vota ad arbores, vel ad lapides faciat, aut ubi* CANDELAM *seu quodlibet munus deferat, veluti ibi quoddam* NUMEN *sit, quod bonum aut malum possit inferre*. Et Carolus Magnus in Capitularibus [12]: *De arboribus, vel pe-*

1 Lib.2. Eleg.1. 2 Epist.4. 3 L.31. c.2. 4 L.6. c.28. 5 In Odys. lib.2. 6 Apud Cresollium lib 2. Mystagogi. 7 Chabotius in lib.3. Carm. Horatii Od.13 8 In Panegyrico ad Theodosium. 9 L.12. de Magia natur. cap. ult. 10 Vide Savaron. in Carmen 5. Sidonii Apollinar. 11 L.8. c.94. Interrog.42. 12 L.1. c.64.

tris, vel FONTIBUS, *ubi aliqui ſtulti* LUMINARIA *vel alias obſervationes faciunt, omnino mandamus, ut iſte peſſimus uſus, & Deo execrabilis, ubicumque ſit, tollatur & deſtruatur.* Quod jam factum ævo ſuo Prudentius gloriabatur adverſus Symmachum [1]:

Exercere manum non pœnitet, & lapis illic
Si ſtetit antiquus, quam cingere ſueverat error
Faſciolis, aut gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur TERMINUS *extis.*
Et quæ fumificans ARBOR *vittata* LUCERNAS
Servabat, cadit ultrici ſucciſa bipenni.

Verba Prudentii mire illuſtrat, & vero etiam facit in rem noſtram vetus hæc Gemma, quam præteriiſſe religio fuerit. In ea ſiquidem ſacrificium DEO TERMINO, & ARBORI, cum LUCERNA templi medio ſuſpenſa, neque hodiernis noſtris multum abſimili.



[2] Flamma ſymbolum eſt divinitatis, natura quadam magnifica & cœleſti, quæ a terræ ſe com munione ſevocans in altum fertur; ut non ſit mirum, ſi veteres communi quodam afflatu impulſi, in Religionibus, quas ſanctiſſimas omnium putaverunt, ut proprium Numinis munus, & Divinitatis illuſtrem characterem, ignem adhibuerint. Hicque adeo ſenſus nationum communis, exuta ſuperſtitione, atque impiis erroribus, ſapienter fuit ab Eccleſia ad Religionem traductus.

Infra Ædiculam Aquæ Virginis videre eſt

—— *Aerio pendentes fornices rivos.* [3]

Quod videlicet aqua ſubiret crebro, deſcenderetque, ne libramenta perirent: atque hos ipſos arcus & ductus a C. CÆSARE diſturbatos TI. CLAUDIUS reſtituit, appoſita etiam inſcriptione ad radices Pincii montis:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆSAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MAX. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. PP. COS. DESIG. IIII. ARCVS. DVCTVS. AQVÆ. VIRGINIS. DISTVRBATOS PER C. CÆSAREM. A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT.

Item alibi ad Trinitatis Ædem in Hortis:

I.
VIRG.
TI. CÆSAR. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XXXVIII. COS. V. IMP. VIII.
I.
P. CC. XI.

1 Lib. 2. 2 Vide Creſollium lib. 3. Myſtagogic. 21. ſect. 3. 3 Rutilius in Itinerario.

A Et iterum:

VIRG.
TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆSAR. AVG. GERMANICVS. TRIBVNIC. POTESTAT. IV. COS. III. IMP. VIII. PP. I. P. CC. XI.

Obibat Campum Martium ex teſtimonio Ovidii in Faſtis:

Te quoque lux eadem Turni ſoror Æde recepit:
Hic ubi VIRGINEA *campus obitur* AQUA.

B Et ſigna adhuc apparere tradit Andreas Fulvius [1]. Media palude conſiſtit opus arcuatum; quod, ut ait Frontinus, concipiebatur via Collatia ad milliarium octavum, PALUSTRIBUS LOCIS, ſignino circumjecto, continendarum ſcaturiginum cauſa. Sed ejus voluptatem Urbi periiſſe conqueritur Plinius [2], *ambitione avaritiaque in villas ac ſuburbana decoquentibus publicam ſalutem.* Unde & ſeveriſſimæ leges latæ [3] ab Imperatoribus in eos, qui vetiti furoris audacia, florentiſſimæ urbis commoda violaſſent aquam ad ſuum fundum ex aquæductu publico derivando, quique ad irrigationes agrorum, vel hortorum delicias, furtivis aquarum meatibus abuſi eſſent. C Certe ab initio tanta copia fluxiſſe conſtat Aquam Virginem, ut Balneorum etiam ac Nympheorum commodis inſerviret: *Novo anno*, inquit Seneca [4], *quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic auſpicabar in* VIRGINEM *deſilire.* Et Statius de Balneo Etruſci [5]:

Vos mihi, quæ Latium, ſeptenaque culmina Nymphæ
Incolitis, Tibrimque novis attollitis undis,
Quos præceps Anien, atque exceptura natatus
VIRGO *juvat.*

D Martialis [6] Epigrammate de ejuſdem Etruſci Thermis:

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
CRUDA VIRGINE, *Martiaque mergi.*

Idem alibi [7]:

—— *Perfundi* GELIDA VIRGINE.

[8] Adnotavit Galenus [9], antiquos poſt pilæ luſum calidis balneis lavari conſueviſſe, quod ſimiliter innuit Martialis eo alio verſu, quo calidis thermis gelidiſſimam Virginem opponit [10]:

E *Redde pilam, ſonat* ÆS THERMARUM, *ludere pergis?*
VIRGINE *vis ſola lotus abire domum?*

[11] Nam dum hora balneorum appropinquaret, tintinnabulo quodam ſignificabatur, quo pilæ luſores atque alii exercitatores ſtatim accurrerent; alioqui in gelidiſſima Virgine, jam clauſis thermis, lavabantur.

Jam vero hæc ipſa Aqua Virgo toties veluti conſecrata, quoties reſtituta, novis operibus ornata ſanctiſſimis Chriſti Vicariis Romanis Pontificibus, cujus perfugio ſalutari cives uterentur tamquam medicina. F Ita profecto auguſtior quam umquam, non ſubivit modo, ſed ſuperavit altitudinem exortus ſui. Gregorius Agricola de natura eorum, quæ effluunt ex terra: *Frigus Martiæ, &* VIRGINIS, *laudibus effertur; ſed Martiæ canalis vetuſtate labefactatus concidit, durat* VIRGINIS *a* NICOLAO V. *Pontifice reſtitutus; de qua Ovidius:*

1 Lib. 3. de Antiquitate Urbis. 2 Lib. 31. c. 3. 3 Lib. 1. & 4. C. de Aquæduct. lib. 11. 4 Epiſt. 83. 5 Lib. 1. Sylvar. 6 Lib. 6. 7 Lib. 11. Epigr 48. 8 L. de parvæ pilæ ludo. 9 Vide Plinium junior. l. 3. Epiſt. 1. 10 Lib. 4. 11 Hieron. Mercurialis lib. 1. Gymnaſtic. c. 10.

Nec vos Campus habet, nec vos GELIDISSIMA A
VIRGO.

Sed præstat audire Lucam Pætum Jurisconsultum Romanum, qui libro singulari de ejus restitutione facta a PIIS Pontificibus QUARTO & QUINTO: HADRIANUS I. inquit, *patria Romanus, Pontifex Maximus, domitis jam afflictisque Longobardis, anno a Christi Servatoris nostri natali circiter* DCC. LXXVI *ut Platina refert,* VIRGINIS *aquæductum cum aliis Urbis aquæductibus restituit, quem non multo post dirutum in tanta rerum, quæ successit, calamitate credendum est, nec ulterius restitutum fuisse inveni. Nam quod legitur in inscriptione, quæ ad publicas Trivii fistulas apposita est:* NICOLAUM V. B *aquæductum* VIRGINIS *restituisse, id a via Salaria citra factum fuisse intelligo, unde acquisitiones, & scaturigines, quæ ad nostra usque tempora fluxerunt, initium sumunt. Nam si* NICOLAUS *opus arcuatum restituisset, ductumque purgasset, non ita ut a nobis inventum est (vix annorum centum spatio intercedente, nullis Urbis obsidionibus intermediis) quantavis hominum negligentia dirui aut aboleri potuisset.* Hæc Pætus, addito ad finem operis sui Epigrammate, umbilici loco:

VIRGINEOS *olim* CÆSAR, FRONTINUS, AGRIPPA
Advexit, scripsit, restituit latices.
Hæc eadem nostro miramur tempore: QUARTUS C
Quas PIUS *ex magna parte reduxit aquas,*
Perficit, & vena fecundat divite QUINTUS.

Romæ extra portam, vulgo *Del Popolo*, ad eumdem fontem, quo villa Julia, seu Virgineis gratiis irrigatur, hoc quoque inscriptum est Decreto JULII PP. III.

AQVAM HANC, QVOD VIRGO EST,
NE TEMERANTO,
SITIMQVE FISTVLIS. NON FLVMINE,
POCVLIS, NON OSCVLO AVT VOLIS
EXTINGVNTO.

Ciaconius de Gestis PII IV. *Aquam Saloniam, olim* VIRGINEAM *appellatam, in Urbem reduxit.* D

Andreas Baccius [1]: *Hujus tam frugi operæ primam sane laudem promerentur Sanctissimi* DD. NN. PIUS QUARTUS, *& qui statim ei successit* PIUS QUINTUS, *& nunc* GREGORIUS DECIMUSTERTIUS, *quæ* AQUAM VIRGINEM *in pristinam Antiquorum formam perducere curavere.*

Denique ætate nostra Romæ in Agonali Foro:

INNOCENTIVS X. P. M.
OBELISCO ÆGYPTIO QVATERNIS FONTIBVS
EX AQVA VIRGINE DEDVCTIS IMPOSITO,
NATALI DOMO PAMPHILIA
MAIOREM IN AMPLITVDINEM EXTRVCTA,
AGONALE FORVM AMPLIFICATVM
EXORNAVIT, VRBI ROMÆ MAIESTATEM
ANTIQVÆ PVLCHRITVDINIS ÆMVLAM
RESTITVIT.

HERMETICVM OBELISCVM
A SOTHI REGE HELIOPOLI ERECTVM,
AB IMPERATORE CARACALLA ROMAM
DELATVM, INTER CIRCI CASTRENSIS
RVDERA IACENTEM
FRACTVMQVE.
INNOCENTIVS X. P. M.
AD ORNANDVM ERVDITIS ÆGYPTIORVM
MYSTERIIS AQVÆ VIRGINIS PONTEM
TRANSTVLIT, INSTAVRAVIT, EREXIT.

INNOCENTIVS X. P. M.
AMOENAM SALVBRITATEM CVM MAGNIFICA
ERVDITIONE CONIVNGENS.
LITERATVM HERMETICIS ÆNIGMATIS
LAPIDEM AQVÆ VIRGINIS FONTI
IMPOSVIT, AD SEDANDAM
CORPORVM, ET ACVENDAM
INGENIORVM SITIM.

Dici vel scribi magnificentius nihil potest, quo Aqua tantopere celebrata consecretur æternitati. Atque adeo id ipsum quæri, inveniri, asseri, Rei Antiquariæ visum est, ut satis sit una aliqua Gemma aperiendo capiti Fontis, in cujus ornatum tot Imperatores & Pontifices Maximi contulerunt; de quo si plura congeram, videar cum Rustico Horatiano expectare dum defluat, aut certe relicta majestate Augusti Fontis, rivulos consectari. Et vero etiam BEATISSIMI PATRIS, SANCTISSIMI ALEXANDRI (*qualis decebat ut nobis esset Pontifex* [1]) opera maxima calamum scribentis plus nimio deterrent, quo tempore Romanam magnitudinem novis indies auget admirandis, & restaurato Fonte S. MARIÆ trans Tiberim, aliisque non paucis, MAGNUM CONSTANTINUM Urbi restituere parat, & signa illustriora omnia, vivis certantia vultibus, ac plena antiquæ veræque pulchritudinis: *Quales sunt*, inquit Themistius [2], IMAGINES VETERIS ARTIS, *quæ ad admirandum indigent tempore accuratisque oculis.*

1 Lib. 7. de Thermis.

1 Hebr. 7. 2 Orat. de Amicitia.

JOANNI CHIFLETIO

CANONICO TORNACENSI

NICASIUS FABIUS

CANONICUS ATQUE OFFICIALIS TORNACENSIS.



Ulchre MURCIAM *a Te & laribus tuis exulare jubes, Præstantissime Chifleti: post emaculatum nuper* SOCRATEM, *ecce* AQUAM *nobis* VIRGINEM *promis, quæ viro maximo Cæsaris Augusti genero, ac complurium Christianæ Religionis Pontificum Maximorum famæ & gloriæ Te conjunget. Egregium scriptionis argumentum* F AQUA VIRGO. *Quod igitur famigerabilis Fontis originem aperis, ab eruditione tua est; quod* AQUAM *nobis* VIRGINEM, *atque antiqua Religione sacram, & prisco ritu in capite adoratam illustras, ab ingenii elegantia. M. Agrippæ in almam Urbem eam deduxisse gloriosum fuit; quamvis labentium sæculorum injuria fatalem illi interitum, ne servato quidem nomine, invenerit. Collapsos ductus reparasse, Pontificum Maximorum æterna laus esto. Sed his tamen, quippe senii vitio obnoxiis, & ætate caducis, & opere pendulis, etiam*


temporum revoluta periodus quandoque graviter incumbet. Quod hoc Opusculo nobis præbes, a litterarum præsidio æternum erit.

Et ne quid desit, quo sæculum magis erudiatur, proponis nobis ectypum Gemmæ Rubenianæ, in qua VIRGINIS *signum, & ædiculam* VIRGINI *positam intuemur. Quis igitur Fontem hunc deinceps ignorabit? Jam campus Martius, jam Niloticæ columnæ, e quibus perpetua eruptione hæc* AQUA *promicat, Chifletium loquentur. Per se suavior illa, & formosior se exeret, quia notior: &* PAMPHYLIIS *Proceribus officioso susurro diffluenter Te commendabit.*

Enimvero, quia AQUA *illa in usus olim Thermarum derivata fuit, visum est hic Tibi vas æneum meum, Romani scilicet ævi stylo, & iconismo adumbrare, & quo loco, qua occasione repertum fuerit, aperire. Commodum Illustrissimus* CAROLUS CROYUS *Dux Arescoti, & Comes Bellimontis, oppiduli hujus fossas ad orientem spectantes expurgari & prolatari jusserat, anno* ∞. IↃC.VI. *eo certe tempore, quo vir spectatissimus Nicolaus Fabricius Peireskius in celeberrima hac domo dictum Principem invisit. Dum igitur fossores terram egerunt, & fossas ampliant, complura vascula prisci ævi in fossarum ac viæ prætercurrentis margine, multis civibus opus spectantibus, reperere. In his parens meus hoc vasculum non satis adhuc detersum, sed quid quid demum esset (quod enim alia vasa insolita, & ævo nostro aliena jam detersa conspexerat) oblatis nummulis sibi comparavit. Alii alia similiter sua fecerunt. Est autem ex ære præstantissimo, & tunc, cum reperiretur, auratum; catenulamque habuit, ad pedes tres longam, qua suspenderetur. Patet per diametrum pollices* XVII. *pendetque libras* IIII. *& quadrantem. Forma illi orbicularis, pelvis dimodum: labrum oppido modicum. Auratum, ut acxi, fuit; sed famulæ domesticæ dum illi nitorem accersere nituntur (ærugo enim invaserat) omnem, rum extrivere; catenulamque ærugine confectapar- & nulli posthac usui futuram, fregere, relicta pulticula, qua labro vasis committebatur. Marculo da satum, mirum quam præstantem sonum edat. Tu ipse cum Clarissimo Vendelino id expertus es, ut tunc manu tangere videremur illud Martialis:*

> Redde pilam, SONAT ÆS THERMARUM: ludere pergis?
> VIRGINE VIS SOLA LOTUS abire domum?

Sed ecce Iconismum.



FINIS.

LUCÆ HOLSTENII

COMMENTARIOLUS

IN

VETEREM PICTURAM NYMPHÆUM


REFERENTEM.

Typus veteris picturæ Nymphæum referentis, quæ dum effoderetur terra pro constructione ædium BARBERINARUM *ad Montem Quirinalem reperta, in eisdem ædibus inter cætera antiquitatis egregia monumenta asservatur. Qui Typus priori cælatura deperdita hac iterum in gratiam Illustrissimi D. Nicolai Heinsii D.F. restituitur.*

Pictura lata est palmos 8. et 3 quadrantes. alta 4.



LUCÆ HOLSTENII COMMENTARIOLUS IN VETEREM PICTURAM NYMPHÆUM REFERENTEM.



Veterem Picturam, & deſignationis, & colorum udo tectorio inductorum artificio viſendam, exhibemus. Ea in hortis BARBERINIS, cum terra circa novas ædes altius egereretur, in antiquæ ſepultæque cellulæ pariete ſe aperuit. Subſtructionum, in quibus delituit, moles ac dignitas florentis imperii ætatem indicabant, & melioris ævi genium ipſa pictura primo inſpectu oculis eruditis ingerit. Philoſtratum ἕλη ſive paludes ſuas amœniſſimis eloquentiæ coloribus depingentem non aliud exemplar ſpectaſſe diceres, niſi anates, anſereſque natantes, & vecti frænatis cygnis Cupidines hic abeſſent. Cætera omnia conveniunt. Solum irriguum aquis, & amicæ locis paluſtribus herbæ, arundo, juncus, myrica; mons de proximo imminens, & in eo variæ pro diverſo ſoli ingenio arbores: tum uberes ex eo delabentes fontium ſcaturigines, quorum confluge campus in paludem ſtagnat, nec ſpatio enormem, nec limo turbidam, ſed rivo limpidiſſimo profluentem. Capræ etiam ſubſultantes & petulcæ, oveſque tardigradæ roſcidum circa ſolum paſcunt: ut una fidelia utramque tabulam pictam exiſtimes. Sed noſtra hæc, ſimulatque in lucem propoſita fuit, mirifice exercuit curioſitatem eorum, qui veteribus hujuſmodi monumentis perveſtigandis explicandiſque incumbunt. In his familiam tunc ducebat Alexander Donatus, qui poſt plurimos ejuſdem generis & argumenti Scriptores veterem recentemque Romam commentario perquam erudito illuſtravit. Hic perſuaſiſſimum ſibi habebat, eo loci, ubi ædes BARBERINÆ non ita pridem ſurrexerunt, Capitolium vetus a Numa rege olim conditum fuiſſe, ſive ædem Jovi, Minervæ, Junoni, & prope additam eis Regis domum, cujus locus adhuc Plutarchi tempore oſtendebatur. His cum alia ſuffragari, tum aliquid argumenti capi putabat ab effoſſa pictura. Nam Jupiter, inquit, αἰγίοχος, ſi Poetæ audiuntur, id eſt, a capra nutritus, ſuam illam Amalthæam unice dilexit, cæloque donatam ortu occaſuque imbribus fluentem fecit. Hæc vero pictæ ad Jovis ædem paſcentes otianteſque, vel ad aquationem deſcendentes capræ, labentibus circum & ſtagnantibus aquis, ſignificare poterunt. Numa autem nonne delectatus Aventino fonte, multa ferebatur ibi ab Egeria didiciſſe? Hæc vir doctus ad picturæ hujus explicationem tunc adferebat, quæ altius repetita & arceſſita longius videntur. Quis enim urbis, facie toties mutata, caſca iſta monumenta, aut verius ænigmata, uſque ad excidium ejus perduraſſe credat? Sed nobis quoque, quamvis Telmeſſenſes non ſumus, poſt Ariſtandrum divinare liceat: quandoquidem, ut vetus Græciæ verbum habet, qui vera conjicit, ille vates optimus. Etenim niſi me animus oculique egregie fallunt, Nymphæum, ſive ſacrum aquarum fontiumque locum, in hac tabula mihi perſpicere videor. Omnia enim Nymphis conveniunt: antrum nativis tophis lapidibuſque lacunatum, & arcuata in cameræ formam rupes; tum ſcaturientes paſſim uberrimis fontibus, & exceptæ diffuſæque caſtellis aquæ, adhæc ædicula oſtio antri appoſita, & eminentes in ejus faſtigio crateres, paſcentes quoque circa eandem capellæ. Accedunt & varia ἐνοδίων, ſive Compitalium Deorum, ſimulacra, quæ loci religionem confirmant. Ad ſingula eorum, quæ dixi, ſtabilienda, argumenta veterumque teſtimonia conquiri neceſſum non eſt. Quis enim vel leviter Poetarum ſacris initiatus antra Nymphis dedicata dubitet? præſertim qui Porphyrii Philoſophi luculentam Diſſertationem legerit, qua Homericum illud Nympharum antrum, obſcuræ & reconditiſſimæ ſapientiæ plenum, illuſtravit. Unde ab Orpheo inter alia Nymphæ ἀντροχαρεῖς πήλυγξι κεχαρμέναι, hoc eſt, *antricolæ & ſpecuum cives* indigitantur. Nec temere quævis antra colunt, ſed fontium & aquarum ſcatebris irrigua: hinc idem Orpheus: ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι. *Quæ liquidas habitant ſub terræ anfractibus ædes.* & Virgilius, Libycum illud *ſcopulis pendentibus antrum*, quod intus aquæ dulces ſcaturirent, *Nympharum domum* appellat: eam enim ob cauſam Hydriades & Ephydriades vocatæ. Pegæas quoque & Najadas a ſcaturiginibus fontibuſque, quibus præſunt, nomen adeptas teſtatur Porphyrius, neque aliunde Crenææ appellatæ, ſed nec Orcadas & Napæas hoc loco excluſerim: αἵτε καὶ αἰγίλιπος πέτρης στείβουσι κάρηνα. *Quæ petræ per elſa abruptaque teſqua vagantur.* ut Homerus hymno in Panem cecinit. Montium enim prærupta & cavernoſa, quæ Græcis ſunt νάπαι, Oreſtiades & Napææ frequentare credebantur. Ædiculas autem Nymphis ad aquarum capitaænteſque poſitas, vel unum hoc nos docet Epigramma Uticenſe apud Gruterum XCIII. 9.

Sextus Pompejus Primus cognomine Pardus,
Quojus & hoc abavis contigit eſſe ſolum,
Ædiculam hanc Nymphis poſuit: quia ſæpius uſus
Hoc ſuo fonte ſenex tam bene, quam juvenis.

Talem hic expreſſam quis non videt? Nam tholus in pyramidem acuminatus, ſummoque faſtigio in florem ſeſe aperiens, ſacellum hoc, ſive Deorum ædem eſſe, ex Vitruvii doctrina lib. IV. cap. 7. ſatis ſuperque oſtendit. Crateres autem zophori angularibus acroteriis impoſiti Nymphis eam indubitate vindicant. Symbola enim Nympharum Hydriadum eſſe crateres lapideos Porphyrius di-

A ſerte affirmat: quibus & Poetarum princeps Ithacenſe antrum adornavit. Arcanos autem veteris theologiæ ſenſus, fontium & craterum ſymbolis involutos, ſi quis altius rimari velit, præter Porphyrium, Procli theologiam Platonicam conſulat, lib. v. cap. 31. & ſeq. & Scholia in Cratylum cap. CXLII. & CXLIII. quæ in BARBERINA Bibliotheca typis nondum vulgata ſervantur. Cæterum nec apes a Nympharum æde arcendas Pictor eruditus cenſuit, Homerum hac quoque parte religioſe ſecutus. Cum enim Nympharum ſacra non aliter conſtare ſciret, ædis veſtibulo apiculam appinxit, velut Nympharum Flaminicam, B ſive æditu am, ad templi fores obſervantem. Quomodo enim Nymphæ apiculas averſentur, quarum nomen ultro ambiunt; eoque, ſi Porphyrio credimus, peculiariter appellari gaudent? idque vel puritatis cauſſa, vel ob communem utriuſque dulcedinem. Seu verius, Mnaſeæ Patarenſis ſententia, ut apud Pindari Scholiaſten legimus, Meliſſa Nympha repertum abs ſe mellis uſum tradiderit mortalibus, eoque a cultu victuque inhumano ad humanitatem eoſdem traduxerit. Sane apud, qua puritatem, qua induſtriam ita Deorum Sacris convenire exiſtimavit Antiquitas, ut non unam duntaxat Flaminicam Cereris, ſed & alias quorum C cumque Deorum Dearumque Sacerdotes Meliſſas appellarit; quod poſt Porphyrium & Pindari Scholiaſten veterum teſtimoniis comprobare ſuperfluum eſſet.

Idem nec a noſtræ religionis ſenſu cultuque abhorrere cenſuit quiſquis ille veterum B. Cæciliæ ſollicitum pietatis ſtudium & ingenioſam induſtriam ſignificaturus, eam *quaſi apem argumentoſam*, Deo deſervire dixit. Sed hæc nihil ad Bacchum, neque ad Nymphas. Vereor enim ne quis mihi illud Martialis occinat: *Jam dic Poſthume de tribus capellis*. Quid illa ad Nymphæum pertiD neant, *hoc Judex ſibi poſtulat probari*. Ego vero eodem jure, quo apes, ad Nympharum adyta eas admittendas cenſeo. Nam Meliſſam & Amalthæam ſorores germanas fuiſſe Lactantius ex Didymo Pindari Commentatore prodidit, *quæ Jovem puerum caprino lacte ac melle nutriverunt*. Orpheo quoque Nymphæ *αἰγολικαὶ*, & *νόμιαι*, ſive *caprotinæ* dicuntur, quia paſtoribus & capellis gaudent. Unde & Homerus Fauno capripedi Nymphas comites dedit, eo quem ſupra laudavi hymno: nec aliam ob cauſam capras hædoſque Nymphis & fontibus veteres immolabant. Adhæc ſi teſqua aſpera & ſaxa confragoſa ſpectes, quid E aptius Pictor illis appingere potuit, quam capras, *ὀρεσκώυς*, *ὀρεονόμυς*, & *ὀρεάδας* Homero aliiſque propterea dictas, quia arduas præcipiteſque rupes pendulo veſtigio perreptare amant. Cætera ornamenta ædiculæ, ſive anathemata, haud facile quis diſpexerit, ita evanidi fugienteſque colores viſum eludunt, paſtoralia tamen, aut piſcatoria fuiſſe arma, indicant retia, & alia ejus generis, ut videtur, qualium dedicationes in Græcorum Epigrammatum collectione leguntur. Numquid vero, & hic ſub filis reticulatim implexis, pepliſque juxta ædiculam ſuſpenſis, Nympharum ſtamina, ac teF læ, & tota illa myſtica Dearum *ἱςυργία*, ſive textura, latet; quam Ithacæ in antro deſcribit Homerus; & Porphyrius in ejuſdem declaratione luculenter explicat? Sane quam frugi & pudicæ matrisfamilias laudem præcipuam duxerunt Romani, ut optima eſſet lanifica, & colum fuſumque amaret, eam in ſuis Deabus vetuſtiſſima Græcorum theologia agnovit. Unde non ſolum Nymphæ Ithacenſes in ſtaminibus telas purpureas detexunt, ſed ipſam quoque Minervam, *ἀθανάτων προφερεςάτlω ἁπασέων* texentem induxit Orpheus, cujus hac de re verſus nobis ſervavit, & egregia interpretatione illuſtravit Proclus cap. 52. in Cratylum. Sed quid clarius, quid illuſtrius inſtituto cum Arachne texendi certamine,

Quam ſibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat Pallas,

ut eſt apud Naſonem Transfigur. lib. VI. Ejuſmodi vero ædiculas incuſtoditas olim ipſa loci religio tutas præſtabat, ut oſtendit l. 6. D. ad leg. Jul. pecul. quæ depeculantibus pœnam ſtatuit.

Hactenus Nympharum ſacra irriguo ſub antro perluſtravimus. Si collem antro imminentem ſpectemus, & adjacentem colli planitiem, hic quoque omnia tam præſentibus plena ſunt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire. Alia enim parte Hermas ſive Faunos videre eſt ithyphallos; nam teſte Herodoto etiam Mercurii ſtatuas cum rigido & porrecto veretro fingebant veteres, eundemque in biviis & compitis ponebant, quod viis præeſſe crederetur, unde Enodios, ſive Viarius, vulgo dictus. Quin etiam ante ædes ad januam & portarum cardines colebatur, ut furtorum artifex fures ab ædibus arceret; indeque Strophæum dixere, cujus numen idem creditum cum Apolline Agyæo & Thyræo a vicis portiſque ſic dicto, perinde ut Romani ſuos illos oſtiorum Deos, Forculum a foribus, & Limentinum a limine, & ipſum Janum a janua vocaverunt, teſte Tertulliano. Verum enim vero Hermæ iſti viarii ſaxo, aut ſtipite quadrato ſine brachiis manibuſque, ut plurimum fingebantur: hoc autem quod in rupis ſupercilio ſtat ſignum, non brachiis tantum, ſed cornibus quoque inſtructum videtur, & cauda; niſi ea potius incurva falx, qua Silvanum, Priapum, & reliquum hoc numinum genus armabat antiquitas. Parte alia ad montis crepidinem Dearum triga uno ſacello dedicata apparet: hanc triformem illam tergeminamque Hecatem, *tria virginis ora Dianæ*, affirmare haud dubitaverim. Diana enim, ut ait Varro, ab eo dicta eſt Trivia, quod in trivio ponitur, unde & *τριόδων ἐπόπτις*, hoc eſt, triviorum præſes dicitur Phurnuto: triformis autem, teſte Servio, quia trium poteſtatum numen eſt, ipſa enim eſt Luna, Diana, Proſerpina. Sed nos interim Lucinam, & Proſerpinam, alteram Cœlo, alteram Erebo potentem, mittamus, aut quicunque alii Dii Deæve Synthroni, vel Synnai, hoc loco intelligendi; ſane Diana, ut auctor eſt Feſtus, viarum putabatur Dea, & quod ad earundem divortia itidem, ac Mercurius, poneretur, ipſa quoque Enodiæ cognomen habuit. Cæterum hæc de vicinis Deorum ſignis & ſacellis ad Nymphæi religionem confirmandam attuli: quod veteres ea plerumque conjunxiſſe, vel uno Strabonis teſtimonio compertum habeam. Ille enim l. VIII. Alphei fluminis quaſi in Arethuſæ amplexum properantis, oſtia, & imminentem e proximo Dianæ Alpheroniæ lucum commemorans, totum iſtud ſolum, propter aquarum copiam, Dianæ, Veneris, & Nympharum lucis, donariiſque refertum ſcribit; iiſque crebras Mercurii in viis ſtatuas, & Neptuni in littore ædiculas adjungit.

Atque hæc noſtra eſt de Veteri Pictura, quæ BARBERINIS ædibus non parum ornamenti adfert, ſententia; ubi ut ipſi ab aliorum opinione diſcedimus, ita quominus alii a noſtra abeant, non impedimus. Per nos cuique in re obſcura ingenii experiundi, & ſententiæ ferendæ jus poteſtaſque eſto. Neque enim tantum noſtræ tribuimus, quantum ſuæ olim Comicorum arbiter Volcatius; ut *contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat*.

EJUSDEM DISSERTATIO DE PILA STAFFILARI.



Uæstio est de propria significatione vocis Latino-barbaræ *Pilæ Staffilaris*, quæ in veteri instrumento Basilicæ Vaticanæ legitur: cujus vigore Capitulum ejusdem Basilicæ jam olim Canonem annuum percepit, eumque aliquamdiu intermissum atque interversum nunc recuperare contendit, ex directo dominio soli cujusdam ad ripam ulteriorem Tiberis, sive in regione Transtiberina, cui inædificata fuit massa quædam sive moles structilis ex cæmentis & lapidibus, forma quadrata, solidi firmique operis; ita supra ripæ superioris crepidinem edita, ut ex ea catenæ ferreæ atque rudentes, molæ subjecto in amne fluitantis retinacula, religari possint; ne illa undarum impetu abripiatur.

Sed quia moles illa sive *Turretti* nomen ob quadratam & editiorem formam pridem obtinuit, atque nunc etiam vulgo retinet, dubitatur utrum huic *Turretto* nomen illud antiquum *Pilæ Staffilaris* ita conveniat, ut de utriusque identitate liquido pronunciari possit.

Respondetur, in re perspicua nullum esse dubitandi locum, quandoquidem massa illa structilis ad molendini retinaculum exædificata, nullo magis proprio vocabulo, quam *Pilæ* nomine appellari possit.

Probatur hoc omnium veterum & recentium linguæ Latinæ scriptorum usu & auctoritate: quorum loca nonnulla subjungimus.

Et quia vocabulum hoc proprie architectonicum est, primus nobis testis erit Vitruvius, omnium architectorum princeps & magister, qui ea voce utitur lib.v. cap. I. ubi de Basilicarum structura agit, & lib. eodem cap.12. ubi de portubus exstruendis loquitur. *Pilas* Philander in notis ad lib.III. cap.3. *Pilastros* explicat. Et sic Bernardinus Baldus in eruditissimo libro de verborum Vitruvianorum significatione v. *Pila* ex Varrone, Festo, & Plinio. Tum præcipue ex illo Virgilii loco Æneid. IX.

Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea Pila cadit.

De hisce *Pilis* in portu Puteolano exstructis, quarum nonnullæ etiam nunc exstant, agit J. Cæsar Capaccius Neapolitanæ Historiæ lib.II.cap.24. pag. 719. & Petrus Bertius libro de aggeribus & pontibus ad mare exstructis, cap. 10. quo loco etiam docet ex Senecæ epist. 77. *Pilis* illis molem superinstructam fuisse, & porticum deambulatoriam, quales etiam nunc in Centumcellensi & Neapolitano portu atque alibi exstant. Uterque etiam veterem inscriptionem affert Trajani Imperatoris, qui opus *Pilarum* vi maris conlapsum restituerat. Matthias Martinius in Lexico etymologico: *Pila est structura erecta ad aliquid firmandum, sive superposita sustineat, sive opposita contineat, ne loco*
B *cedant.* addit deinde: *Itali ea nuncupant Pilos & Pilastros; maximos autem Pilones, ut sunt illæ quibus maritimæ moles & pontium fornices sustinentur.*

Quod de pontium *Pilis* scribit Martinius, confirmatur verbis Livii lib.XXXIX. *M. Fulvius locavit porticum & pilas pontis in Tiberi: quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus & L. Mummius Censores locaverunt imponendos.* Tum etiam loco Q. Curtii lib.v. de Hortis pensilibus Babylonicis, qui inter septem orbis miracula numerabantur: *Saxo pilæ, quæ totum opus sustinent, instructæ sunt: super pilas lapide quadrato solum stratum est.*

C Unde apparet non solum in portubus maris & fluminum pontibus *Pilas* exstructas fuisse, sed etiam in quovis alio solo. Nam & porticus, quæ Forum Romanum circumquaque cingebant, *Pilis* structilibus suffulciebantur: ad quas variæ erant institorum & cauponum tabernæ, præsertim librariorum: quarum non semel meminerunt Poetæ; ut Catull. epigr.38.

Salax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila.

Ad quem locum Antonius Parthenius ita notat: *Pila officina ad pilam nonam structa. Nam pilæ in*
D *Romano foro erant quædam tanquam columnæ, ad quas rerum venalium tabernæ habebantur: ad has pilas in apertissimo sitas ambitiosi Poetæ carmina sua, ut vulgo legerentur, apponere solebant.* Lambinus similia notat ad illud Horatii lib.I. Sat.4.

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Ad columnas, inquit, *seu pilas prostabat libri*, ut in epistola de arte poetica.

—— Mediocribus esse Poetis
Non Diis, non hominea, non concessere columnæ.

Nam Poetæ sua scripta, quæ edere & divulgare volebant, Bibliopolis & Librariis, quorum tabernæ
E *& officinæ erant ad columnas, dabant; a quibus emebat deinde vulgus.*

De cauponis & popinis ad easdem *pilas* intelligendus Martialis lib.VII. epigr.

Nulla catenatis pila est præcincta lagenis.

Sed etiam in corpore Juris Civilis *pilarum* istarum mentio fit: ut l.39. §. ult. D. de acquirendo rerum dominio: *Si pilas in mare jactaverim, & super eas inædificaverim.* Item l.3. D. ne quid in loco publico, &c. *Jactas in mare pilas ejus esse, qui jecerit.* Ad hæc loca Brissonius: *Pilæ lapideæ dicuntur, quæ onus aliquod sustinent.* Eædem alio
F loco columnæ structiles vocantur, ut l.8. §.1. D. si servitus vindicetur: ad quæ verba Ulpiani Budæus erudite notat: *Columnæ structiles sunt, quæ aut lapide quadrato, aut laterculis exstructæ sunt, quæ pilæ etiam dicuntur. Est autem ea differentia inter columnas & pilas, quod columnæ uno scapho constant, id est, lapide oblongo perpetuo: pilæ structura constant, aut lapidea, aut cæmentitia, aut lateritia. Nostrates pilaria vocant.* hæc Budæus.

Cum ergo manifestissimum sit fabricam illam sive massam *Turretti* propriissimo nomine *Pilam* nuncupari, restat videndum, cur illa *Pila Staffilaris* appelletur, & qualis ea vox sit, & quid proprie significet, cum hoc tempore Romæ in usu esse desierit.

Dico ergo vocem illam mere Germanicam esse, & superioribus sæculis a pistoribus Germanis introductam, cum penes eam nationem fere solam omne panis conficiendi artificium esset: quod ita clarum est, ut probatione non egeat. Pistoribus autem præcipuum & continuum negotium est cum molitoribus, quorum opera in farina conficienda quotidie utuntur: itaque mirandum non est eandem vocem & pistoribus & molitoribus fuisse communem. Illud autem ad majorem perspicuitatem & faciliorem intelligentiam præmittendum; Linguæ Germanicæ duas esse dialectos, aliam scilicet inferioris, aliam superioris Germaniæ: quarum differentia in eo præcipue consistit, quod inferiores Germani vocalibus & consonantibus litteris simplicibus & lenioribus utuntur; superiores autem diphthongis & consonantibus asperioribus, iisque geminatis. Unde cum inferiores dicunt simiam *ape*, Sacerdotem *pape*, arma *vvapen*, sperare *hopen*; superiores easdem voces durius ita proferunt, *affe*, *pf.apfe* aut *pfaffe*, *vvaffen*, *hoffen*. His ita præsuppositis, dico, quod inferioribus Germanis *stappe*, & *stapel*, vel *stappel* dicitur pro gradu & scala, hoc superioribus esse *staffe*, & *staffel*: unde a Germanis una cum re ipsa, etiam *staffæ* nomen Itali, Galli & Hispani acceperunt; quam Latinos posteriores proprio nomine scalam appellasse erudite ostendit Gerardus Vossius libro de Vitiis Sermonis, pag. 73. Pari etiam modo jus exonerandarum mercium in quibusdam civitatis, aut emporiis ad mare aut flumina navigabilia positis, Itali Scalam mercimoniorum vocant, quod Germanis inferioribus *Stapel*, & superioribus *Staffel* dicitur, & inter Regalia habetur: de quo jure aut privilegio ante paucos hosce annos scripsere duo insignes Jurisconsulti ex inferiori Germania Joannes Loccenius lib. 1. de Jure Maritimo cap. 4. & Franciscus Stypmannus itidem libro de Jure Maritimo & Nautico, partis v. cap. 2. & in Germania superiori ante annos complures Paulus Matthias Wehnerus libro Observationum Selectarum Juris, ad vocem *Staffel*, &c. pag. 610. edit. Francofurtensis: quibus in locis non solum de ipso jure *Stapulæ* seu *Staffilæ* accurate & solide disputant; sed multa etiam præclara & vulgo non satis cognita de vocis origine, significatione, & usu apud Septentrionales observant, præsertim Loccenius. Illud certum est vocem illam scalam, gradus, & exscendendi locum significare. Cum ergo *pilis* illis molas fluviales retinentibus ubique de proximo adjungi soleant scalæ structiles cæmentitii, aut lateritii operis, per quas hominibus pariter & jumentis descensus ad molam præbetur, certum est & indubitatum, *Pilam* illam propterea *Staffilarem* cognominatam, quod *staffilam* sive scalam ejusmodi haberet conjunctam. Atque hoc adeo ab hodierno *Turretti* nomine non abhorret, ut Loccenius observet etiam nunc in Suecia *Turrem Campanariam*, vulgo *Clokstapel*, hoc est *Staffilam Campanariam* appellari. Suecorum etiam linguam ex Saxonica magnam partem derivatam esse constat. Quibus adjungo ex eodem Loccenio, in legibus antiquis Ripuariis Regis tribunal *Staplum* Regis appellatum, a Germanico *stap*, vel *staffel*, hoc est, gradu; quod ad illud Tribunal, suggestu quodam erectum, gradibus adscenderetur. Quæ observatio verissima. Hæc de *Pila Staffilari* ad veritatis dilucidationem, & pro Basilicæ nostræ jure conservando scripsit L. H. Canonicus.

DE MILLIARIO AUREO

Error popularis, quem omnes fere Antiquarii errant, ab *Eodem* explosus.



Uia Plinius aliique veteres scribunt, a *Milliario aureo*, quod olim Augustus in capite fori Romani sub æde Saturni posuerat, omnes Italiæ vias publicas principium duxisse, & itinerum intervalla uniuscujusque viæ eidem inscripta fuisse, hinc Antiquarii affirmare non dubitant, lapides sive milliaria uniuscujusque viæ ab eadem Columna in foro posita, non a porta Urbis olim numerata fuisse. Huic absurdo errori ipse loquendi modus refragatur, qui milliariorum sive lapidum distantiam non a meditullio fori, sed ab Urbe, hoc est a portis, aut mœniis, quibus Urbs terminatur, olim numeratos fuisse atque etiam nunc numerandos indicat. Hoc verum esse cum pluribus documentis confirmari possit, unum tamen maxime perspicuum & irrefragabile planissime evincit. Lapis primus ab Urbe in via Appia ante complures annos extra Urbem inter Antiquitatum ruinas detectus, a Senatu Populoque Romano ad Urbis ornamentum in Capitolium translatus fuit, ubi ad gradus laterales cum publico testimonio erectus visitur. Dico igitur, si milliarium lapidumque milliariorum principium & distantiarum intervallum cœpisset a *Milliario aureo*, hoc est, ab Ecclesia S. Adriani ad Arcum Septimii Severi, sequeretur omnino lapidem illum non extra Urbem & portam S. Sebastiani olim positum fuisse, sed intra Urbem, & quidem citra Ecclesiam SS. Nerei & Achillei. Distat enim hæc Ecclesia a dicto Arcu Septimii amplius integro veteri milliario Romano, qualibus lapides milliarii viæ Appiæ etiam hodie plurimis in locis distincti conspiciuntur, hoc est, sexcentis sexaginta septem paullo minus cannis. A dicta autem Ecclesia ad portam S. Sebastiani porro quingenti sunt & amplius passus Romani veteres, quorum mille constituebant milliarium Romanum. Cum ergo indubitatum sit, portam S. Sebastiani a dicto *Milliario aureo* distare, ut minimum integro milliario & dimidio: dicta autem Columna primi lapidis longius extra Urbem ad viam Appiam reperta, & inde in Capitolium translata fuerit, prout inscriptio Senatus Populique Romani eidem incisa testatur, sequitur mensuras & intervalla milliariorum non a Foro Romano, sed a portis Urbis olim numerari cœpisse, quidquid Antiquarii in contrarium temere affirment.

F I N I S.

PETRI CIACCONII
TOLERANI
IN
COLUMNÆ
ROSTRATÆ
INSCRIPTIONEM
a ſe conjectura ſuppletam Explicatio.

COLUMNÆ ROSTRATÆ
INSCRIPTIO
A
PETRO CIACCONIO
SUPPLETA.

C. BILIOS. M. F. COS. ADVORSOM. CARTACINIENSEIS. EN. SICELIAD
REM. CERENS. ECEST. ANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISUM AD
OBSEDEONE D. E XEMET. LECION. EIS. CARTACINIENSEIS. OMNEIS
MAXIMOSQUE. MACISTRATOS. LUCAES. BOVEBOS. RELICTEIS
NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELAM. MOENITAM. URBEM.
PUCNANDOD. CEPET. ENQUE. EODEM. MACESTRATOD. PROSPERE
REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. C ESET. RESMECOSQUE
CLASESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PARAVETQUE. DIEBOS. LX
CUMQUE. EIS. NAVEBUS. CLASEIS. POENICAS. OMNIS. PARATASQUE.
SUMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRÆSENTE D. MAXUMOD
DICTATORED. OLOROM. IN. ALTOD. MARID. PUCNANDOD. VICET
XXXQUE. NAVEIS. CEPET. CUM. SOCIEIS. SEPTEMRESMOMQUE. DUCIS
QUINRESMOSQUE. TRIRESMOSQUE. NAVEIS. XX. DEPRESET
AUROM. CAPTOM. NVMEI ↀↀↀ DCC
ARCENTOM. CAPTOM. PRÆDA. NUMEI cccIↃↃↃ c
CRAVE. CAPTOM. AES. cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ
cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ
cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ cccIↃↃↃ PONDOD
TRIOMPOQUE. NAVALED. PRÆDAD. POPLOM. ROMANOM. DONAVET
DAPTIVOS. CARTACINIENSEIS. INCENVOS. DUXET. ANTE. CUROM
PRIMOSQUE. CONSOL. DE. SICELEIS. CLASEQUE. CARTACINIENSEOM
TRIOMPAVET. EAROM. REROM. ERCO. S. P. Q. R. EI. HANCE. COLUMNAM. P.

COLUMNA ROSTRATA
A
CIACCONIO SUPPLETA,
EXPLICATA.

Semicirculis inclusa explicationis gratia adjecta sunt.

CAjus Duilius Marci filius Consul adversus Carthaginienses in Sicilia
rem gerens, Egestanos (socios atque) cognatos populi Romani artissima
obsidione exemit. Legiones (enim) omnes Carthaginiensium (qui Egesiam obsidebant, & Amilcar)
maximus (eorum) magistratus (festinandi studio) elephantis relictis
novem, castris effugerunt. Macellam (deinde) munitam (validamque) urbem
pugnando cepit. Atque in eodem magistratu prospere rem navibus mari Consul primus gessit : remiges
classesque navales primus ornavit atque paravit diebus sexaginta. & cum his navibus, classes Punicas
omnes, paratas (ornatas) que summas copias Carthaginiensium, præsente (Annibale) maximo dictatore
illorum, in alto mari pugnando superavit ;
trigintaque naves cum sociis (hoc est cum ipsis hominibus) cepit, & septiremem prætoriam,
quinqueremes (præterea) ac triremes naves XX. *depressit.*

Aurum captum in præda nummi III. M. DCC.

Argentum captum in præda nummi C. M.

Æs grave captum vicies semel centena millia pondo atque in triumpho navali prædam (omnem in ærarium) Popul. Rom. intulit.

captivos (etiam) Carthaginienses ingenuos (hoc est, nobiles aliquot) ante currum duxit :
primusque Consul, de Siculis, & classe Carthaginiensium triumphavit. Earum rerum ergo
S. P. Q. R. ei hancce columnam posuit. vel
triumphavit. Earum rerum ergo Marti donum dedit atque dicavit.

PETRI CIACCONII
TOLETANI
IN
COLUMNÆ ROSTRATÆ
INSCRIPTIONEM
a se conjectura suppletam Explicatio.



Columnæ Rostratæ, quam primo Punico bello, ob gloriosam illam navalis prælii de Carthaginiensibus victoriam, C. Duilio Populus Romanus in Foro posuit, ita meminit Plin. l. XXXIV. cap. V. *Antiquior columnarum celebratio, sicut C. Mænio, qui devicit priscos Latinos; item* [1] *C. Duilio, qui primus navalem egit triumphum de Pœnis, quæ est etiam nunc in Foro.* Et Quinctilianus lib. I. cap. VII. *Latinis*, inquit, *veteribus D plurimis in verbis in ultima adjecta est; quod manifestum est etiam ex columna Rostrata, quæ est Duilio in Foro posita.* Servius etiam ad illud Virgilii Georg. III.

—— *& navali surgentes ære columnæ;*

sic scribit, ut quidem in vulgatis exemplaribus legitur: *Rostratas Julius Cæsar posuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in Rostris, alteram ante arcum videmus, a parte januarum.* Sed rectius in Vaticano libro: *Rostratas* [2] *Vilius posuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in Rostris videmus, alteram ante Circum, a parte januarum.* Ejus columnæ basis, seu parastata potius, non procul ab arcu Septimii, in Foro ipso Romano, proximis superioribus annis e ruderibus effossa fuit; sed ea reliquis partibus integra, qua inscriptionem habuit, quæ Duilii res terra marique gestas continebat, pluribus locis fracta misereque lacerata est, ad eum modum, qui supra scriptus est. Verum sit ne ea ipsa, quam Plinius Quinctilianusque viderunt, non facile dixerim: certe antiqua illa, quæ ipsius Duilii ætate, hoc est quingentesimo fere P. R. C. anno collocata fuit, non esse videtur. nam & litteræ elegantiores sunt, quam ut illo rudi harum artium sæculo incisæ videri possint; & scribendi ratio, qua illa ætate Romani utebantur, non ad amussim in ea servata reperitur. In iis enim quæ restant ejus marmoris fragmentis, EN, scriptum est, & IN. NAVEBOS. & NAVEBOS. CLASEIS, & CLASES. PRAEDAD, & PRAEDA. præterea MACISTRATOS, I, quarta littera, cum scribat Quinctilianus libro I. cap. IV. antiquos *magestrum* & *magestratum* dixisse: a quo
C etiam *mage* pro *magis* Plautus aliique veteres usurparunt. MAXIMOS etiam ibi est, cum sic scribat idem Quinctil. libro I. cap. VII. *Etiam optimus, maximusque ut I, media littera, quæ veteribus V, fuerat, acciperent, C. primum Cæsaris inscriptione traditur factum.* Quod & ipsum ex Varrone Isidorus refert libro I. Etymol. cap. XXVI. his verbis: *Maximus an maximus, & si qua similia sunt, qualiter scribi debeant, quæsitum est. Varro tradit Cæsarem per I ejusmodi verba enuntiare solitum esse & scribere. inde propter autoritatem tanti viri, consuetudinem factam, ut optimus, maximus, pessimus scribatur.* Quod si idem
D Isidorus vera scribit libro I. Etymol. cap. IV. *X littera usque ad Augusti tempora nondum apud Latinos erat, sed pro ea c, & s, scribebant, unde duplex vocatur, quia pro c, & s, ponitur, unde & eisdem litteris compositum nomen habet.* Ergo, ut maxime quidem videtur, hæc basis post C. Cæsarem restituta fuit, ac forrasse etiam post Plinium atque Quinctilianum, eoque ad antiquam illam scribendi rationem negligentius efficta atque expressa est. Sed in iis supplendis, quæ barbarorum hominum injuria corrupta sunt, minus utique laboraremus, si T. Livii historia, quæ magnam his rebus lucem adlatura esset, integra ex-
E staret. nunc illa quoque eadem injuria amissa, fit ut conjecturæ vix ullus relictus locus esse videatur. Nec enim mihi ipse tantum arrogo, ut quod eruditi quidam viri, cum in eo non parum studii posuerint, non satis feliciter perfecisse videntur, id vel aliqua ex parte assecutum esse me sperem. præclare mecum actum existimavero, si ea quæ addidi, ab historiæ fide, antiquitatisque illa forma atque effigie non multum abscedere alii judicaverint. Id quo facilius perspici possit, eorum omnium rationem reddere statui. ac primum compendium rerum a Duilio gestarum ex Zonara, qui res Romanas a probatissimis Græcorum auctoribus, Po-
F lybio, Dionysio, Plutarcho, Dioneque acceptas, non ingrata est brevitate complexus, exscribam: sed paulo altius repetito principio, ut totius historiæ series clarius cognoscatur. Is igitur tomo secundo ad hunc modum scribit: *Romani Etruriæ rebus compositis, atque Italia plane pacata, Carthaginiensium autem crescentibus rebus, utrumque Consulem in Siciliam miserunt. Igitur Valerius Maximus & Otacilius Crassus, tam seorsum quam una insulam peragrantes, multos in deditionem acceperunt; ac locis plerisque adjunctis Syracusas contenderunt. Quorum successibus Hieron territus,*

[1] Sive, ut in mss. lib legitur, C. Vilio. [2] Venim pro B, in antiqu. libris sæpe reperitur; inde est hoc loco Vilius pro Bilius.

tus, redditis urbibus quas eis ademerat, promissaque pecunia, & captivis dimissis, pacem petiit, atque impetravit, quod Coss. ejus opibus adjunctis, Carthaginienses a se facilius debellari posse sperabant. Pactis firmatis, ad alias urbes, in quibus Punica præsidia erant, conversi, atque a ceteris repulsi, [1] *Egestam ultro se dedentem acceperunt. Cives enim ob necessitudinem sibi cum Romanis intercedentem (nam suum quoque ortum ad Æneam auctorem referebant) Carthaginiensibus cæsis, illorum fidei se commiserunt.* Et paulo post: *Carthaginienses Annoni irati, Amilcarem Barchinum ei successorem dederunt, imperatorem (Annibale filio excepto) inter suos præstantissimum: qui cum Siciliam ipse tueretur, Annibalem (* Gisconis filium *) classis præfectum in Italiam oræ maritimæ infestandæ caussa misit, ut Consules ad se retraheret; sed eum fefellit opinio. nam præsidiis ubique in ora maritima collocatis, in Siciliam profecti, nihil memorabile gestum est.* Et deinde: *Consulibus domum reversis, Amilcar etiam Italiæ oram classe vastavit, & quasdam Siciliæ urbes subegit. quo audito Romani classem instruxerunt, cui Consulum alter* [2] *C. Duilius est præfectus, collega ejus Cn. Cornelius in Siciliam missus, qui cum bello terrestri, quod mandatum ei fuerat, neglecto, navibus quas habebat, Liparæ, spe proditionis dolo Carthaginiensium facta, appulisset, a Bode Annibalis legato circumventus est. Cum autem ad defensionem se pararet, ille Romanorum audaciam veritus, Consulem ad pacis conditiones provocavit. Cumque Consuli & Tribunis militum persuasisset ut ipsius triremem conscenderent, quo cum præfecto colloquerentur, eos Carthaginem misit, ceteros non repugnantes cepit. Deinde Annibal in Italiam profectus est, Amilcar ad Egestam exercitum adduxit, ubi maxima pars Romani peditatus erat; & C. Cæcilio Tribuno militum opem illis ferre volenti per insidias multos milites occidit. His Romani cognitis rebus* [3] *præfectum Urbis statim ablegarunt & Duilium maturare jusserunt. Qui in Siciliam cum venisset, navesque Carthaginiensium crassitudine & magnitudine Romanis inferiores, sed celeritate remigii & navigandi arte superiores esse vidisset; machinas quasdam, anchorasque & manus ferreas longis contis præfixas, aliaque ejus generis fabricavit, quibus hostiles naves attraherentur, ac transitu, in illas facto, sui cum Carthaginiensibus veluti in terrestri pugna cominus dimicarent. Carthaginienses cum Romanas naves crebra remigatione circumdatas subito invasissent, aliquamdiu æquo Marte pugnatum est; deinde Romani superiores facti, multos demerserunt, multos ceperunt. Annibal septireme, in qua pugnabat, cum trireme commissa, veritus ne caperetur, in aliam navem saltu facto evasit. Hoc navalis prælii exitu Romani multis spoliis potiti atque aucti sunt.* Et post pauca: *Duilius peditatu sibi adjuncto* [4] *Egestanos liberavit, Amilcare nec ad manus venire auso: & sociis civitatibus firmatis elapsa æstate Romam rediit.* Hucusque Zonaras. Deinceps meas conjecturas apponam.

C. BILIOS. In tabulis quidem Capitolinis A. P. R. C. CLXIII. legitur: C. DUILLIUS. M. F. M. N. sed longe aliam scribendi rationem fuisse Romanis Duilii ætate, quam ea qua marmora Capitolina incisa sunt, ex Cicerone, Varrone, Festo, Quinctiliano, & ex hac ipsa inscriptione manifestum est. Quare in ea C. BILIOS scriptum olim fuisse propemodum mihi persuadeo Ciceronis auctoritate, qui in Oratore de Latinis veteribus ita scribit: *Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut duellum bellum, & duis, bis, sic Duellium eum, qui Pœnos classe devicit, Bellium nominaverunt, cum superiores appellati essent semper Duellii.* Et Quinctiliani etiam, qui lib. I. cap. IV. *Sed B inquit, in locum aliarum (* litterarum *) dedimus aliquando; unde Burrus, & Bruges, & Belena: nec non eadem fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam dicere Bellios ausi.* Sed Ciceronis Quinctilianique libros iis in locis corruptos esse, legendumque, *Duilios* & *Bilios*, illi ipsi libri pluribus aliis locis argumento sunt. Nam apud Ciceronem l. de Senect. etiam vulgatis codicibus ita loquitur Cato: *C. Duilium M. F. qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem a cœna sæpe videbam puer; delectabatur crebro funali & tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat: tantum licentiæ dabat gloria.* Sed & marmora Capitolina constanter *Duilium* habent, non *Duellium*, ut auctores Græcos omittam; in quibus semper δυίλιος legitur. Apud Quinctilianum certe eo loco in duob. mmss. exemplarib. *Duilius* est, aut *Vilius*, V pro B, ut etiam apud Servium loco supra citato. Ergo quemadmodum ex *duis* veteres fecerunt *bis*, & *duidentem hostiam* dixerunt *bidentem*, & *duigas*, *bigas*, & *duonum*, *bonum*; sic in hac basi pro *Duilio Biliom* scripserunt. Alioqui quonam modo ita Cicero scribere ausus esset, quum in medio Foro, in luce atque in oculis omnium, tamquam testis positus esset lapis, qui illum aut mendacii aut negligentiæ argueret? aut unde, nisi ex hac inscriptione scire ille potuit, ex omnibus Duiliis hunc potissimum ante ducentos (tot enim fuerunt a Duilio Cos. ad Ciceronem) & eo amplius annos, *Bilium* fuisse appellatum? Accedit ad hæc, quod in Græcis Polybii codicibus, qui non multo post illa tempora vixit, γάϊος λίβιος legitur, litteris, ut fere fit permutatis, pro γάϊος βίλιος (C. LIBIOS, pro, C. BILIOS.) Plutarchus in Gracchis: γάϊον δέ τινα βίλλιον εἰς ἀγγεῖον, &c. Sed de hoc quisque, ut sibi libitum fuerit, opinabitur: mihi major videtur Ciceronis auctoritas, quam ut ab ea tuto discedi possit; præsertim cum D. Hieronymus lib. I. adversus Jovinianum sic scribat: *Duilius, qui primus Romæ navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem, tantæ pudicitiæ, ut illo quoque sæculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non vitium.* Duilius ergo, sive potius *Bilius*, *Biliam* virginem, gentilem nempe suam, uxorem duxit. BILIOS autem scripsi, ut infra MAXIMOS. MACISTRATOS. pro *maximus magistratus*, & CONSOL. PRIMOS, & reliqua, ex Victorino.

M F. COS. Avi prænomen omisi, quod in Capitolinis tabulis M. traditur; nam illo sæculo nondum apponi solitum existimo. & licet inferius omnibus litteris sit scriptum COSOL, hic tamen cum literis aliis singularibus sit conjunctum, notis perscribendum est.

ADVORSOM. Posset quidem scribi ASVORSOM. tradit enim Quinctilianus lib. XII. cap. X. veteres D litteram mollire tentasse, *asversa* pro *adversis* dicendo. Sed eo loco *asvorsa*, non *asversa* legendum esse, docet ipse lib. X. cap. VII. cum sic scribit: *Quid dicam vortices, & vorsus, ceteraque ad eundem modum, quæ primum Scipio Africanus in E litteram secundam vertisse dicitur?* Sed cum id alibi non repererim, ADVORSOM malui scribere. Porro ex historia Zonaræ, quam supra retuli, notum est, Duilium adversus Carthaginienses in Sicilia rem gessisse. Auctor etiam de viris illustribus, *C. Duilius* inquit, *primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus*, &c.

EN SICELIAD. *En* pro *in* scripsisse anti-

1 ἐγέστα. 2 γάϊος δουίλιος. 3 τὸν μὲν ἀστύνομον εὐθὺς ἐξέπεμψαν. 4 ἐγεσταίους ἐῤῥύσατο, μηδ' εἰς χεῖρας αὐτῷ τοῦ ἀμίλκα ἐλθεῖν ὑποστάντος.

quos, hic lapis testimonio est, in quo legitur: EN- A QVE. EODEM. MACESTRATOD. & Kalendarium marmoreum, quod ex antiquis ruinis effossum, in Farnesiana bibliotheca Romæ asservatur, in quo dies aliquot ita notantur, EN. quos *intercisos* interpretor ex Varrone, Macrobio, & hoc lapide, non *endotercisos*, ut quibusdam doctissimis alioqui viris placuisse video. SICELIAD autem scripsi, quod Græci dicunt *σικέλια*: quos Romani in illam tunc primum transgressi, in eo nomine proferendo imitabantur. Ex ea enim antiquitate Virgilius scripsit, *Sicelides Musæ*. & ex eadem in vetusta inscriptione, quæ nunc est in superiori limine arcis Carthaginis novæ, legitur. B

L. AEMILIVS. M. F. M. N. QVIR. RECTVS. DOMO. ROM. QVI. ET. CARTHAGINIENSIS. ET. SICELITAN. ET. ASSOTAN. ET. LACEDAEMON. ET. ARGIVVS. ET. BASETANVS, &c.

D vero in fine ejus addidi, quod videam omnibus ablativis casibus singularis numeri (nisi particula QVE sequatur) eam litteram in hoc lapide semper in parte ultima adjectam, neque aliis præterea aut verbis, aut casibus, licet Quinctilianus C plurimis verbis in fine additam scribat: & Charisius lib. I. omnibus pæne vocibus vocali littera finitis veteres D litteram adjungere solitos dicat his verbis: *Haud similiter D littera terminatur.* ὡδὲ *enim Græca vox D littera terminatur........cœpit*, quibus *mos erat D litteram....pæne vocibus vocali littera finitis adjungere; ut Plautus:*

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras?

Id autem frequens est apud Plautum. In antiquissimo libro Festi Pompeii in *Plorare*, verba antiquæ legis ita leguntur: SI NVRVS SACRA DI- D VIS PARENTVM ESTOD.

REM. CERENS. Sic solet loqui Livius, ut lib. XXII. *Omnium*, inquit, *prope annales Fabium Dictatorem adversus Annibalem rem gessisse tradunt*. atque ex eo hunc locum sic restituendum existimavi. Posset etiam scribi. REM. CESET.

ECESTANOS. Egestanos ab Amilcare obsessos, in extremum jam discrimen adductos, a Duilio fuisse obsidione liberatos, his verbis tradit Polybius lib. I. *τότε τὴν τε αἰγεσταίων ἔλυσαν πολιορκίαν, ἐσχάτως αὐτῶν ἤδη διακειμένων*. Et Zonaras tomo secundo, ut superius scripsi. Ceterum hanc urbem E *Ægestam* vocant Polybius, Diodorus, Strabo, atque alii: Cicero autem, Plinius, & Ptolemæus *Segestum*: Thucydides, Stephanus, Zonaras *Egestam*. Sed hanc auctorum discordiam Festus Pompejus, velut arbiter honorarius, ita componit: *Segesta*, inquit, *quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse; præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. sed præposita est ei S littera, ne obscœno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento, quod Beneventum dictum est; & in Epidamno, quod usurpatur* F *Dyrrhachium*. hæc ille. Porro quod de *Malevento* scribit, sic ipse Festus exponit alio loco: *Beneventum colonia cum deduceretur appellari cœptum est, melioris ominis causa; namque eam urbem antea Græci incolent* ὡ *μαλεβέντον appellarunt*. De *Epidamno* vero Mela ita scribit lib. II. cap. III. *Urbium prima est*, inquit, *Oricum, secunda Dyrrhachium, Epidamnos antea erat. Romani mutavere nomen, quia velut in damnum ituris omen id visum est.* Quod & Plautus innuit in Menæchmis, cum ait.

¹ *Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est.*

1 Act. 2. Scen. 1.

Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.

Igitur Romani tamquam in *egestatem* ituri essent, omen abominati, nomen urbi mutavere, ut potius a *segete Segesta* esset (quo omine etiam *segetum Deam* appellabant, teste Plinio lib. XVIII. cap. II.) quam ab *egestate Egesta*. verum hoc aliquanto post Duilii victoriam factum: nam eo tempore Romani illam, ut & Græcorum aliqui, *Egestam* appellabant. Siculi vero ipsi, ut verisimile est, *Ægestam*. Existimat vero Servius hanc esse, quam Virgilius lib. V. Æneid. *Acestam* vocat.

Urbem appellabunt promisso nomine Acestam.

COCNATOS. POPLI. ROMANI. Egestanos pro ea necessitudine, quæ sibi cum Romanis intercedebat, quod originem videlicet suam ad Æneam ambo populi referebant, Carthaginiensium occiso præsidio, sese ultro Romanis Consulibus dedisse, superius ex Zonara scripsi. Eam vero cognationem ita communem orat Cic. lib. IV. in Verrem: *Segesta est oppidum pervetus, judices, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente conditum esse demonstrant. itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum pupulo Romano conjunctos esse arbitrantur*. Et lib. V. *Illa Segestanorum non solum litteris tradita, & commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata, & comprobata cognatio.* Itaque licet posset etiam scribi SOCIOS, aut AMICOS. POPLI. R. tamen hoc prætuli: nam hujusmodi necessitudinis nomina Romani libenter amicis populis tribuebant, ut *Æduis* in Gallia, quos fratres & consanguineos appellarunt. Cæsar lib. I. de bello Gallico: *In primis quod Æduos fratres consanguineosq; sæpenumero a Senatu appellatos, in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri*. POPLI autem scripsi, quod inferius in hoc ipso marmore sit POPLOM. & in tabulis Capitolinis POPLICOLA. in Kalendario veteri POPLIFUGIUM: & apud Plautum in Amphitruone:

¹ *Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem & liberos*
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.

ARTISUMAD. OBSEDEONED. EXEMET. *Obsidione eximere*, frequenter scribit Livius, ut lib. XXVI. *Legati adfuerunt, orantes ut se obsidione eximerent*. & lib. XXXVIII. *Adveniens COS. obsidione Hyrienses exemit*. *Artissima* vero addidi, Lucanum secutus, qui ait:

—— *& nimis arta*
Obsidione premit.

& Polybius scribit, eos ab obsidente Amilcare in extremum jam discrimen adductos fuisse. Livius item lib. XXVI. *Obsidebatur Capua acrius quam oppugnabatur, nec mittere nuntios ad Annibalem per custodias tam artas poterant*. Eutropius l. I. *Actumque infeliciter foret; ni Quinctius Cincinnatus, præcipuus ille Dictator, artam obsidionem oppresso hoste solvisset*. Uno autem S ARTISUMA scripsi, quod Quinctil. lib. I. cap. VII. dicat: *Semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris*. Quod etiam Festus pluribus locis refert, & ab Ennio primum id mutatum scribit in *Solitaurilia* his verbis: *Quod si a sollo & tauris earum hostiarum ductum est nomen,*

1 Act. 1. Scen. 1.

antiquæ consuetudinis per unum L enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Græco more usus, quod illi æque scribentes ac legentes duplicabant mutas semivocales. Porro Ennius centum fere annis post hanc victoriam mortuus est, nempe anno Urbis DLXXIX. Philippo & Cæpione COSS. ut Cicero refert in lib. de Senect. Isidorus quoque lib. I. Etymol. cap. XXVI. *Veteres litteras non duplicabant, sed supra sicilicum apponebant; qua nota admonebatur lector, geminandam esse litteram, ut* SE'LA. SE' RA AS'ERES. Quod ex Victorino in lib. de Orthographia transcripsit, qui etiam ejus scripturæ vestigia in multis antiquis libris sua ætate adhuc exstare plane tradit; quod Græcorum imitatione fortasse fuit. In hac etiam inscriptione est CLASEIS. SUMAS. OLORUM. pro *classeis summas illorum*. Præterea in superlativis omnibus ante C. Cæsarem, I pro V, usurpabant Romani, ut *optumus*, *maxumus*; quod supra ex Quinctiliano & Varrone retuli. OBSEDEONED vero scripsi, quod verbum sit *sedeo*, & antiqui potius I in E mutabant, quam contra.

LECIONEIS. CARTACINIENSEIS. OMNEIS. Cum ex Zonaræ historia constet, Amilcarem summum ducem omnibus Carthaginiens. copiis Egestam obsedisse, eamque vehementissime oppugnasse, neque tamen cum Duilio Cos qui Egestanis subsidio venerat, prælio decertare ausum; legiones has Carthaginiensium fuisse, & Amilcarem ipsum castris effugisse, facile mihi persuasi. Quod autem ad orthographiam attinet, in hac inscriptione C duarum litterarum C & G munere fungitur, & nullum inter eas discrimen est; quod a veteribus usitatum tradit apud Festum Verrius Flaccus, his verbis: *Orcum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Urgum, quod & V litteræ sonum pro O efferebant, & per C litteræ formam nihilominus G usurspabant*. Idem: *Prodigia*, inquit, *quod prædicunt futura, permutatione G, litteræ. nam quæ nunc G appellatur, ab antiquis C vocabatur*. Et Victorinus lib. de Orthographia: *C autem & nomen habuit G, & usum præstitit: quod nunc Gajus per C & Gneus per Cn. quamvis ultimæ syllabæ sonus G exprimat, scribuntur*. Servius etiam Georg. I. *Amurca per C scribitur, & per G pronuntiatur, ut C. Gajus, Cn. Gneus*. Diomedes etiam de ea sic scribit: *G nova consonans est, in cujus locum C solebat apponi, & hodie cum Gajum Cæsarem notamus, scribimus C. Cæsarem: ideoque post B litteram tertio loco digesta est, ut apud Græcos Γ in eo loco posita reperitur*. Scaurus & Victorinus affirmant G litteram longa annorum serie apud Latinos non fuisse; inventam vero a Sp. Carbilio nova forma. Porro hic Sp. Carbilius primus Romæ divortium fecit, anno Urbis DXXVI. si tamen is fuit. Idem Victorinus: *Sed nec G quidem, nec Q Latinus sermo introduxit. ex quibus Q & fuisse apud Græcos, & quare* [1] *desiderat fungi vice litteræ, cognoscere poteritis, si Pontificum libros legeritis. nunc enim apud Græcos* [2] *juxta π est posita*. G *autem apud Græcos obtinet notam numeri* III. *pro quo apud antiquos* C *poni solitum, ut pro agro Gabino, Cabino, pro lege, lece, acna, pro agna. auctio certe ab augendo dicta est, & numeri cum habeant* C, *ut ducenti, trecenti, sexcenti*, G *reliqui habent, ut quadringenti, nongenti. cum tertio quoque ordine, ut apud Græcos quoque positum est pro* C, G, *& suo loco* K, *post receptum* G, *supervacuum cœpit esse*.

MAXIMOSQUE. MACISTRATOS. Nominativus casus est, sed ita in *os* finitus, CONSOL. PRIMOS. pro *Consul primus*, & multa alia nomina, quæ in *os* apud antiquos desinebant, & nunc *us* syllaba terminantur: ut apud Terentium in Andria *Davos*, pro *Davus*; & apud Plautum in Amphitruone:

Si opulentos it petitum pauperioris gratiam.

Victorinus lib. de Orthogr. *Græci in dativo tam* H *litteræ, quam ω, adjiciebant* I *juxta: ita nostri, ut apparet ex libris antiquis fœderum, & ex legum*, [1] *qui etiamsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem. nam* O *non solum pro brevi & longa, sed etiam pro* V *poni, ut pro populus ibi populos; & ubi piaculum, ibi piacolum; sic & pro huic hoic, & pro funus fonus, item alia multa*. Ejus rei in libris veterib. mss. atque in marmoribus æneisque legum tabulis sunt propemodum infinita exempla. Significatur autem his verbis Amilcar, summus dux, atque magistratus Carthaginiensium, qui Duilio Consuli cedens, & certamen detrectans, omissa Egestæ obsidione, turpiter fugit: quæ non minor Duilio gloria fuit, quam si illum prælio vicisset, cum profectione hostium concessa victoria, expressaque confessio fuerit, haudquaquam se pares esse. Nam apud Livium lib. I. & XX. suos milites contra Annibalem in aciem educens, sic eos alloquitur Scipio: *Quid enim adhortari referret eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus, confessionem cedentis, ac detrectantis certamen pro victoria habuit?* Atque ideo inter alias Duilii res gestas ad gloriam magnificas, legionum omnium Carthaginiensium, tam præstantisque ducis e castris fuga haud immerito memoratur. Ceterum maximus magistratus apud Pœnos *Sufes* vocabatur. Festus: *Sufes*, inquit, *Consul lingua Pœnorum*. Et Livius lib. VIII. & XX. *Ad colloquium Sufetes eorum, qui Pœnis summus est magistratus, cum Quæstore elicuit*. Et lib. XXX: *Senatum itaque Sufetes, quod velut Consulare imperium apud eos est, vocaverunt*. Neque vero est quod quisquam existimet MAXIMOS MACISTRATOS hoc loco accusandi casum esse, & Cn. Cornelium alterum Cos. significari, qui paulo ante ab Annibale per dolum captus ad Liparam, a Duilio liberatus esse dicatur: legionesque has, quas Carthaginiensium esse dixi, Romanorum fuisse, quod legiones Romani nominis peculiares & propriæ fuerunt. nam præterquam quod *alter Consul maximi magistratus* pluraliter non diceretur, Annibal Cn. Cornelium Cos. captum statim Carthaginem misit, ibique eum in vinculis habuit, donec aut redemtum a suis, aut cum aliis captivis permutatum, postliminioque domum reversum, Populus Rom. ut ejus calamitatem adversamque fortunam sublevaret, iterum Consulem fecit anno P. R. C. DCXCIX. ut est in Capitolinis tabulis, & a Valero Maximo traditur lib. VI. cap. XI. his verbis: *Iisdem*, inquit, *juribus* (fortuna) *uti voluit in Cn. Cornelio Scipione Asina, qui Cos. a Pœnis apud Liparas captus, cum belli jure omnia perdidisset, lætiore subinde vultu ejus adjutus, cuncta recuperavit, Consulque etiam iterum creatus est. Quis crederet illum a duodecim securibus ad Carthaginiensium perventurum catenas? quis rursus existimaret a Punicis vinculis ad summa imperii perventurum fastigia? Sed tamen ex Consule captivus, & ex captivo Consul factus est*. hæc ille. ut quod apud Orosium lib. IV. cap. VII & apud Paulum Diaconum lib. II. legitur: *Cornelius Asina alter Consulum ab Annibale quasi ad colloquium evocatus, Punica* [2] *fide captus, atque in vinculis neca-*

1 Fort. desierit. 2 In numeris sc. Græcorum val. xc. Vel Forte leg. Γ juxta B. est posita.

1 sc. XII. Tabularum. 2 al. fraude.

tus est; vitiosum esse videatur, & scribendum: *Atque in vinculis habitus est*. Verum utcumque apud eos legatur, illud etiam ex Valerio convinci potest, Cn. Cornelium non eodem anno captum, & a Duilio liberatum. *Legiones* vero non tantum Romanorum, sed aliarum quoque gentium, atque adeo Carthaginiensium ipsorum, a Latinis scriptoribus dici, adductis aliquot testimoniis planum faciam. Livius lib. XXVI. *Annibal, ubi tantam navium copiam esse, ut una nocte trajici posset exercitus, allatum est, cibariis decem dierum præparatis, deductas nocte ad fluvium legiones, ante lucem trajicit*. Et lib. XXVII. de Carthaginiensium exercitu ab Asdrubale in Italiam transmisso, ut cum Annibale conjungeretur, sic scribit: *Senatus, quod M. Livius, C. Claudius Cos. columi exercitu, ducem hostium legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit*. Et lib. XXVIII. *Postero die cecidit Gallorum legiones*. Et lib. X. *L. Papirius Cos. voverat Jovi victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum*. Et lib. XXII. de C. Flaminio Consule: *Donec Insuber equum (Ducario nomen erat) faciemque noscitans, Consul, inquit, hic est, popularibus suis, qui legiones nostras cecidit, agrosque & urbem populatus est*. Sallustius in Catilin. de Cyrenensibus & Carthaginiensibus: *Postquam utrinque legiones, item classes sæpe fusæ*. Plautus etiam in Amphitruone de Thebanis & Telebois:

—— Amphitruo e castris illico
Producit omnem exercitum: contra Teleboæ ex oppido
Legioneis educunt suas nimis pulchris armis præditas.

& itierum ibidem:

—— meus pater
Memorat, legioneis hostium ut fugaverit.

&

—— victis hostium legiones reveniunt domum.

LVCAES. BOVEBOS. RELICTEIS. NOVEM. In marmore post vocem MACISTRATOS. est L, tantumque spatii restat inferiore parte vacuum, ut nulla alia vocalis nisi V. post L. scripta fuisse videatur. Cum vero ex omni historia constet, Carthaginienses in præliis plurimum elephantis usos fuisse, eosque præcipuum belli robur semper habuisse, existimavi non improbabili conjectura hoc loco de elephantis agi, quos tunc Romani *boves Lucas* appellabant, ut auctor est Varro lib. VI. de lingua Latina, qui interpretans eum Ennii versum,

Atque prius pariet locusta Lucam bovem;

sic ait: *Luca bos, elephas, cur ita sit dicta, duobus modeis inveni scriptum. Nam & in C. Ælii commentario erat, a Libyceis Lucas. & in Verginii commentario, ab Lucaneis Lucas; ab eo quod nostri cum maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem: & in Lucaneis Pyrrhi bello primum vidissent apud hosteis elephantos, id est, quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua) Lucam bovem appellasse*. Et Plinius lib. VIII. cap. VI. *Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, & boves Lucas appellavit in Lucanis visos, anno Urbis* CDLXXII. Ergo adeo raptim Amilcar Sufes cum Carthaginiensibus legionibus ex castris aufugit, ut novem elephantos (fortasse quia tardius sequerentur) relinquere coactus fuerit. Solet enim id fieri in maxima trepidatione. Livius lib. VIII. & XXX. *Tantumque tumultus Macedonibus Philippoque est injectum, ut fugæ magis effusæ, quam itineris ordinati modo*. Lactantius Firm. lib. de Opificio Dei, cap. III. *Potestne igitur aliquis cum videat etiam boves & vaccas aut equos cum immanissimis corporibus ac viribus servire homini, queri de opifice rerum Deo?* Ubi legendum, *Etiam boves Lucas cum immanissimis corporibus*; ex vetustissimo libro. Verum ad id suspicandum tantummodo conjectura ducor, nullum autem auctorem habeo. Porro BOVEBOS scripsi, ut NAVEBOS, quod antiquus nominativus esset *bovis*. in eo enim nomine declinando multum variatum fuisse, auctor est Varro lib. VII. de Ling. Lat. *Primum enim*, inquit, *bovis dicebatur, postea bos. Genitivus pluralis boverum fuit, & boum*. Igitur *bovis* dativum faciet *bovibus*, & antique *bovebus*, ut *ovis ovibus*, *navis navibus*, præsertim cum in ipso marmore legatur NAVEBOS.

EXFOCIONT. Sic etiam nunc legitur apud Plautum in Aulularia:

Exfodio aulam auri plenam.

Sic apud Festum, *Exfundo*. non enim semivocales geminabant antiqui. Præterea o pro v frequenter scribebant, ut auctor est Quinctilianus, qui lib. I. cap. VI. *Quid* inquit, o, *atque* v, *permutata invicem, ut Hecoba, & notrix, Culchides, & Polyxena scriberent? ac, ne in Græcis id tantum notetur, dederont, ac probaveront*. Sic apud Festum in msc. libro est, *Prædotiont*, ubi in vulgatis est, *præoptant*. C autem litteram pro G usurpabant, ut supra retuli. hinc EXFOCIONT. pro *effugiunt*, seu potius *effugerunt*, scriptum est.

MACELAM. MOENITAM. VRBEM. PVCNANDOD. CEPIT. Hoc ita scribit Polybius lib. I. καὶ τὴν ἐν τῇ Αἰγέστῃ ἀναχώρησιν, Μάκελλαν πόλιν κατὰ κράτος εἷλον. hoc est, *Romani posteaquam Egestam obsidione liberarunt, Macellam urbem vi ceperint*. Sallustius, ut est antiquitatis sectator maximus, *pugnando cepit*, ut in hac inscriptione est, sæpe dicere solet, potius quam *vi cepit*, ut in Jugurth. *Multos mortales & urbes aliquot pugnando cepit*. & in Catilin. *Memorare possem quibus locis maximas hostium copias Pop. Rom. parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit*. Plautus utrumque conjunxit in Milite glorioso, cum scripsit.

Vi, pugnandoque hominem capere certa res est.

& sine conjunctione, ut in Asinaria:

Eæ nunc legiones copiæque exercitus eorum,
Vi pugnando perjuriis nostris euge potiti.

ut etiam Vatinius in epist. ad Ciceronem lib. V. *Sex*, inquit, *oppida vi oppugnando cepit*. MOENITAM vero VRBEM addidi, Sallustium secutus, quod in marmore tantum vacaret spatii, ut hæ duæ dictiones non anguste collocari possent, & id ad Duilii gloriam pertineret. Posset etiam scribi VALIDAM; ut Sallustius lib. I. historiar. *Et Digonem validam urbem, multos dies restantem pugnando vicit*. Ceterum MOENITAM pro *munitam* scripsi, antiquum auctorem Plautum secutus, in Bacchidib.

Quom Priami patriam Pergamum divina mœnitam manu.

& in Pseudolo:

Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur volo.

Antiqui enim OE pro *U* sæpe scribebant. Servius ad eum Virgilii versum lib. X. Æneid. *Agge-*

ribus mœrorum: Mœrorum, inquit, *pro murorum. nam veteres pleraque eorum, quæ nos per* U *dicimus, per* OE *scribebant*. Inde est in hoc marmore CLASEIS. POENICAS, pro *Punicas*: inde *pœnire*, pro *punire* dicebant, quod verbum a *pœna* venit: inde in ponte Fabricio Romæ scriptum est, COERAVIT, pro *curavit*. in vetusto Plebiscito, quod adducitur a Festo in *Publica pondera*, OETIER, pro *utier*. Verum haud scio, an veteres Græcorum more OI potius usurparent. scribit enim Martianus lib. III. cum de I littera agit, ad hunc modum: *O autem litteræ copulatur in nomine Jovis & Oinone. Oisus etiam dicitur. sic enim veteres usum dixere*. Plautus etiam *proilio* dixit, pro *prœlio*: & Romæ in æneis antiquarum legum & Senatus consultorum tabulis est, BELLO POINICO, MOINICIPIVM, & COIPERIT, & COIRAVIT, & OITILE, Ceterum hanc urbem *Macellam* appellant Polybius & Stephanus, quamvis apud eum corrupte legatur, Μάκελλα, πόλις Ἰταλίας, pro Σικελίας. Livius autem lib. XXVI. *Magellam*, & Plinius lib. III. cap. VIII. *populos Magellinos* in Sicilia locat. quæ diversitas ex hac antiqua scribendi ratione, qua C etiam G litteræ munere fungebatur, nata videtur. CEPET autem est *cepit*. nam E pro I posuisse antiquos Quinctilianus tradit, & Varro lib. v. de Ling. Lat. cum enim exposuisset quid esset *Inlicium*, subdidit: *Hoc ipsum Enlegium inveni scriptum in M. Junii commentariis: quod tamen idem est quod illicit, & elliget; quia* I *cum* E, *&* C *cum* G *magnam habent communitatem*. Id vero in hoc lapide in verborum præteritis perpetuo observatum invenio, CEPET, EXEMET, ORNAVET. & ad eum modum reliqua, quæ addidi, formavi. Contra vero in legibus XII. Tab. est VINDICIT, pro *vindicet*: in legibus Romuli VERBERIT, pro *verberet*, apud Festum.

MACESTRATOD. In marmore tantum est MAC. & licet superius in eodem legatur, MACISTRATOS, existimavi erratum fabrile id fuisse, & E quartam litteram scripsi auctoritate adductus Quinctiliani, qui lib. I. cap. VI. scribit, *Quid non E quoque loco I fuit, ut Minerva, & leber, & magester?*

PROSPERE. REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. CESET. Hanc integram lineam totidem fere verbis transtulit in secundum annalem suum Cornelius Tacitus. sic enim scripsit: *Et Jano templum, quod apud forum olitorium C. Duilius struxerat*, QVI PRIMVS. REM ROMANAM PROSPERE MARI GESSIT, *triumphumque navalem de Pœnis meruit*. Ut non omnino infeliciter verbum PROSPERE a me additum fuisse videatur, præcipue cum Florus, dum hanc ipsam historiam narrat, in epitome Liviana lib. XVII. dixerit: *C. Duilius Cos. adversus classem Pœnorum prospere pugnavit*. CESET autem scripsi, ut CEPET, EXEMET, & uno S, ut CLASEIS. antiqui enim semivocales non geminabant.

RESMECOSQVE. Ut paulo post in hoc marmore est TRIRESMOS, pro *triremes*; sic *resmegos* pro *remiges* feci. Polybium vero secutus id addidi, qui lib. I. de hac Duilii classe ita scribit: *Dum naves parabantur, interna multitudo omnis ad remigium exercebatur per hunc modum. Subselliis in arena per ordinem dispositis remiges insidentes, ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes una protendere brachia, ac reducere, remosque per arenam movere pariter docebantur: ad illius vocem simul omnes incipiebant, simul omnes desinebant. per hunc modum navigandi artem edocti, & perfectis interea navibus mare ingressi, post paucos dies circa Italiam navigantes secundum ducis jussum, verum in undis periculum fecerunt*. Posset etiam scribi SOCIOSQVE, ut vox NAVALES tam ad *socios* quam ad *classes* referatur. Livius lib. XXVI. *Edixerunt Coss. ut privati, sicut antea, remiges darent. Unde enim, cum pecunia in ærario non esset paraturos navales socios?*

ORNAVET. PARAVETQVE. DIEBvS. LX. Cum in marmore esset, ORNAVET. PA. *paravetque* feci. Apud Sallustium enim lib. III. historiar. Pompejus sic ad Senatum scribit: *Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum, quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto diebus* XL. *exercitum paravi. Ornare* autem & *parare*, cum de classe ut exercitu loquuntur, sæpe conjungere solent optimi Latinitatis auctores. Cicero pro Cæcina *Armatos vero appellamus qui scutis telisque parati ornatique sunt*. Et Cæsar lib. III. de bell. Gall. *Classis ubi convenit, ac primum ab hostibus visa est, circiter* CCXX. *naves eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ, progressæ portu nostris adversæ constiterunt*. Ut *ornare* & *instruere*. Idem Cicero pro lege Manilia: *Dico ejus adventu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas & instructas, esse deletas*, & Verrin. VII. *Quapropter si mibi respondere voles, hæc dicito, classem instructam atque ornatam fuisse*. Præterea *ornare classem* Cicero frequenter dicere solet, ut pro lege Manilia: *Qui postquam maximas ædificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos quibuscumque ex gentibus potuisset comparasset*. Et Livius lib. XXVI. *Itaque ut classem habeat, quam ornare volumus, Populus Romanus, privatos sine recusatione remiges dare nobis ipsi imperemus*. Et *parare classem* idem Livius lib. XXIII. non semel dixit: *Ad naves* XXV. *quibus Q. Fulvius Flaccus præfectus erat, viginti paratas alias decernunt*. Et eod. libro: *Quantaque nova classis mox paranda esset*. Cæsar lib. IV. de bell. Gall. *Dum in his locis Cæsar navium parandarum causa moratur*. & Cicero pro lege Manilia: *Ab eodem Imperatore classem magnam & paratam, quæ ducibus Sertorianis studio indies inflammato ad Italiam rapiebatur*. Ex quibus locis, quid sit *ornare* & *parare classem*, manifeste cognoscitur. Ornavit ergo paravitque classem Duilius, hoc est, *ædificavit & instruxit*. aut, *ædificavit classem, paravit remiges*. DIEBvS vero LX. addidi, quod nihil in hac inscriptione prætermissum existimem, quod ad Duilii virtutem & gloriam amplificandam pertinere quoquomodo posset. Ex eo autem ejus industria, celeritasque maxime ab historicis commendatur, quod diebus sexaginta, a qua die materia cæsa fuit, classem CXX. sive, ut alii tradunt, CXXX navium ædificaverit, ornaverit, instruxeritque rebus necessariis, intraque id spatium remiges paraverit atque exercuerit. Florus lib. II. cap. II. *Duilio Cornelioque Cos. etiam mari Romanus congredi ausus est. Tum quidem velocitas ipsa classis comparatæ, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem quam cæsa silva fuerat*, CXX. *navium classis in anchoris stetit, ut non arte factæ, sed quodam munere Deorum conversæ in naves atque mutatæ arbores viderentur. Prælii vero fama mirabilis, cum illas celeres volucresque hostium naves, hæ graves tardæque comprehenderent*. Et Orosius lib. IV. *Quinto anno Punici belli, quod contra Afros gerebatur Cn. Cornelio Asina, C. Duilio Cos. cum Annibal senior oram Italiæ maritimam, instructa septuaginta navium classe, vastaret; Romani & ipsi classem fabricari atque instrui præceperunt. quod Duilius Cos. celeriter implevit. nam intra* LX.

dies quam arbores cæſæ eſſent, cxxx. *navium claſſe deducta in anchoris ſtetit*. Plinius item lib. xvi. cap. xxxix. *Mirum*, inquit, *apud antiquos primo Punico bello claſſem Duilii imperatoris, ab arbore exciſa ſexageſimo die navigaſſe*. Sequitur autem ſtatim in marmore, quod meam conjecturam probabiliorem facit, CVMQVE.EIS.NAVEBȣS, &c. quaſi diceret: Cum intra ſexaginta dies claſſem navium paraſſet atque ornaſſet, tamen cum iis navibus tam gravibus ac tardis, tam celeriter inſtructis, tam rudibus imperitiſque gubernatoribus, tam parum exercitatis, tam inſuetis navalibus præliis militibus, aggreſſus claſſes Punicas omnes, celeritate præſtantes, artificio gubernatorum longe ſuperiores, milite ac remige, rei navalis uſu & gloria tumido, alacriores, ſummis Carthaginienſium copiis inſtructas, in alto mari ſuperavit atque depreſſit. Excogitavit quidem Duilius primus *manus ferreas*, machinaſque navales alias, quæ magnum momentum ad victoriam attulerunt: verum id in hac inſcriptione prætermiſſum arbitror, ne tam illuſtris victoria machinis potius bellicis, quam inſigni ducis militumque virtute parta videretur. DIEBȣS vero ſcripſi, quia inferius in eodem lapide eſt, NAVEBȣS. quomodo etiam in perantiquo Philippicarum Ciceronis libro, quem ex ſacrario Baſilicæ Vaticanæ D. Petri depromptum oſtendit mihi doctiſſimus Fulvius Urſinus, ſæpe reperi ſcriptum. Sic enim antiqui medium inter O & V ſonum notaſſe videntur, quod poſtea per disjunctas litteras expreſſerunt. nam JOVS pro JȣS, hoc eſt JVS. & JOVDICES, & JOVSERVNT. & COVRATOR & JOVRARE, & INDOVCERE, & OVFENTINA tribus, flumenque OVFENS, in antiquis æneis tabulis videre eſt. in nummis vero FOVLVIOVS, pro *Fulvius*, FOVRIVS, pro *Furius* ſæpe. & in antiqua legum tabula SOVEIS, pro *ſuis*; Græcorum, ut videtur, imitatione, qui V ſic ſcribunt, ȣ, ut *ἰȣς*, & *ἰους*. Victorinus lib. de Orthographia: *Υ eodem ordine ſcriptum habemus quo Græci, reſciſſa virgula* [1] *juxta, ſicut apud illos junctum* O *litteræ* V *facit ſyllabam. noſtri etiam quotiens ejuſdem ſoni longa ſyllaba ſcribenda eſſet, ipſi adjungebant* O *litteræ, inde ſcriptum legitis*, LOVCETIOS, NOVNTIOS, LOVMEN, &c.

CLASEIS. POENICAS. Neſcio an cum primum hæc columna Duilio poſita fuit, POISNICAS, ſeu POESNICAS hoc loco legeretur, ita enim ſcribit Feſtus: *Pœſnis; Pœnis; ut caſmenas dicebant pro camenis, & ceſnas pro cenis*. Nam ex hac veteri conſuetudine eſt in hac eadem inſcriptione TRIRESMOS, pro *triremes*: ubi de hoc plura dicam.

OMNIS. PARATASQVE. *Omnis* ſcripſi, I ultima ut conveniret cum eo, quod infra legitur, SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. In hac enim inſcriptione magna inconſtantia iidem caſus his litteris terminantur, ES. EIS. IS. ut CLASEIS. CARTACINIENSIS. Cum vero poſt vocem OMNIS multum ſpatii vacaret in marmore, addidi PARATASQVE. quod non parum ad victoris gloriam adjicere videtur. Non enim paucis navibus, imparatiſve, aut defenſoribus vacuis, & duce privatis, Duilius occurriſſe dicitur, ſed omnibus Carthaginienſium claſſibus, paratis inſtructiſque ſummis copiis, præſente atque adhortante etiam maximo eorum Dictatore ac duce.

PRAESENTED. Antiqui illi, inquit Feſtus, AE ſyllabam Græca conſuetudine per AI ſcribebant. Inde in tabulis æneis antiquarum legum eſt QVAI pro *quæ*, & CAISAR, pro *Cæſar*, & PAITVS & VNDAI. & Lucretius lib. III.

Sponte ſua volitent aiterno percita motu.

ut dubium mihi ſit, fuerit ne olim hic ſcriptum PRAISENTED. & inferius PRAIDAD. cum in antiquiſſimis monumentis & libris ſit AIMILIVS, CAISAR, PAITVS, MAINIVS, AILIVS. Martianus lib. III. *Lucilius in dativo caſu* A *&* E *conjungit*. *Lucinus* A *&* I. *Lucretius crebro, & Maro noſter aulai, pictai*. Et Quinctilianus lib. I. cap. VII. AE *ſyllabam, cujus ſecundam nunc* E *literam ponimus, varie per* A *&* I *efferebant*. *Quidam ſemper ut Græci, quidam ſingulariter tantum, cum in dativum, vel genitivum caſum incidiſſent: unde pictai veſtis, aquai; Virgilius amantiſſimus vetuſtatis, carminibus inſeruit*.

MAXVMOD. DICTATORED. Annibal, qui claſſi Carthaginienſium præfuit, ut Polybius & Zonaras aliique tradunt, non ille Amilcaris filius erat, qui ſecundo Punico bello Italiam multos annos vexavit, & magnas ſæpe clades Romanis intulit; ſed alius, quem *Giſconis filium* Polybius, *majorem* Valerius, *ſuperiorem* Oroſius vocant: quemque paulo poſt ob res male & infeliciter geſtas ſui ipſi milites cruci affixerunt. quare eum indignum exiſtimo judicatum, qui in hoc tam glorioſo elogio nominaretur; præſertim cum ſuperius Amilcarem ſummum ducem, qui relicta Egeſtæ obſidione turpiter fugit, non nominaverit, tantumque *Maximom Magiſtratom* dixerit. Ad eum igitur modum MAXVMOD. DICTATORED. hic ſcripſi, quod magnos dictatores Livius lib. XXIII. dicat: *Magni dictatores cum magiſtris equitum*, * *bini Conſ cum binis conſularibus exercitibus ingrediebantur fines noſtros*, &c. Si quis tamen *Annibalem* volet pro *Maximo* ſubſtituere, per me licebit, dum ſine aſpiratione, qua Græci Polybii codices, & T. Livii emendatiores in eo nomine carent, & qua veteres etiam in vocalibus parciſſime uſos tradit Quinctilianus; & uno præterea N, quia antiqui ſemivocales non geminabant, & D ultima littera faciat; ut ſit ANIBALED. *Dictatoris* autem vocabulum pro Carthaginienſium magiſtratu Livius uſurpat l. XXIII. cum ſcribit: *Senatuſconſultum ſit, ut Annibali* XL. *Numidarum millia in ſupplementum mitterentur; Dictatorque cum Magone in Hiſpaniam præmiſſus eſt ad conducenda* XX. *millia peditum*. Et Cato apud Gellium lib. X. cap. XXIIII. *Igitur Dictatorem*, inquit, *Carthaginienſium magiſter equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum, die quincto in Capitolio tibi cena cocta erit*. Loquitur autem de Annibale poſt Cannenſem illam victoriam quid ſibi agendum eſſet deliberante. MAXUMOD vero ſcripſi, licet in eodem lapide ſupra ſit MAXIMOS, propterea quod, ut ex Varrone & Quinctiliano jam retuli, in C. Cæſaris inſcriptione primum *Maximum* I. media littera, pro *Maxumo* ſcribi cœptum ſit. Cum enim hæc baſis reſtituta fuit, ad eam ſcribendi conſuetudinem, quæ tunc vigebat, neſcio cujus negligentia aut culpa, quædam commutata fuiſſe videntur. Illud vero non omiſerim, in fragmentis antiquarum legum, quæ plurima æneis tabulis inciſa vidi apud Fulvium Urſinum, fere ſemper eſſe ſcriptum, MAXSVMOS, PROXSVMOS, DIXSERINT: Iſidorumque lib. I. Etym. cap. III. tradere, X. litteræ uſum diu Latinis ignotum fuiſſe,

1. juxta forte abundat.

ejusque loco CS scribere solitos, sic ut *macsumos*, *procsumos* dicerent.

OLOROM. Cum in Marmore tantum esset OL.·.·. OM, recte ab aliis OLOROM est restitutum. ita enim antiqui scribebant, pro *illorum*. Festus: *Ab oloes*, inquit, *dicebant*, *pro ab illis. antiqui enim litteram non geminabant*. Et alio loco: *Aulas vocabant antiqui*, *quas nos ollas dicimus, quia nullam litteram geminabant*. Sed maxime omnium Varro lib. VI. de Ling. Lat. *Olli*, inquit, *valet dictum illi, ab olla, & ollus, quod alterum comitiis cum* [1] *renuntiatur*, *a præcone dicitur*. *Olla centuria*, *non illa*: *alterum apparet in funeribus indictiveis*, *quum dicitur*: OLLVS LETO DATVS EST. hæc ille. Verum apud antiquos, quando semivocales non geminabantur, *olus* & *ola* dicebatur. Idem Varro eod. lib. *Templum*, inquit, *locus augurii aut auspicii causa*, *quibusdam conceptis verbeis finitus*. [2] *concipiuntur verba non eadem usquequaque*. *In arce ita*: TEMPLA TESCAQ.[2] ME ITA SONTOD, QVOADEGO EA ESE VELIM QVAE NONCOPASO, OLA, TERA, ARBOS, QVISQVIS EST, QVAM ME SENTIO DIXSISE, TEMPLOM TESCOMQ. ESTOD EN SINISTIMON. Sic enim eum Varronis locum, qui corruptissime in libris omnibus legitur, emendandum existimo, cum sint verba concepta ex formula, quam in antiquissimis augurum libris Varro legerat; de quibus idem alibi sic scribit: [3] *Terra dicta ab eo*, *ut Ælius scribit*, *quod teratur*. *Itaque tera in augurum libreis scripta cum R uno*. Quod autem ait: IN. ALTOD. MARID. ad eum modum loquitur Plinius lib. II. cap. CIII. *Nives in alto mari non capere*.

PVCNANDOD. VICET. Sic quidem Sallustius scripsit lib. X. histiorar. *Et Digonem validam urbem*, *multos dies restantem*, *pugnando vicit*. Mallem tamen, si marmoris spatium eas omnes literas capere posset, PVCNANDOD. SVPERAVET scribere.

XXXQVE. NAVEIS. CEPET. CVM. SOCIEIS. Eodem loquendi modo usus est Livius lib. XL. *Ibique eo die naves longæ cum omnibus sociis captæ* XLII. Et lib. XXIII. *Per idem tempus T. Otacilius Prætor*, *quinquaginta navium classe a Lilybæo in Africam transvectus*, *classi hostium Africam repeten ti occurrit*, *levique armatura certamine in alto commisso*, *septem inde naves cum sociis navalibus cepit*. *Socii* autem, aut *socii navales* a Livio appellantur omnes qui in classe navium sunt. nam quod Polybius dixit: Ἀττάλῳ δὲ τάς τε ναῦς ἀποκαταςήσειν, καὶ τοὺς ἀνδρῶν τοὺς ἐν ταῖς ναυμαχίαις ἁλόντων ὅσοι πάρεισι, hoc est, *Attalo naves restituere*, *& ex hominibus in præliis navalibus captis quotquot comparuerint*: Livius ipse sic vertit lib. XXXII. *Attalo naves*, *& cum iis captos navales socios reddere se dixit*. Alias eos distinctius, *milites ac remiges* appellat, ut lib. XXXVII. *Tandem substiterunt tredecim captis navibus cum milite ac remige*. Cæsar vero lib. III. bell. civil. *Ex his*, inquit, *quadriremem cum remigibus defensoribusque suis ceperunt*. Et lib. I. *Partem navium deprimunt*, *nonnullas cum hominibus capiunt*. quod proxime accedit ad id quod Græci dicunt, ναῦς αὐτάνδρους. *Triginta* ergo *naves cum sociis*, hoc est, cum ipsis hominibus, Duilius cepit. Ceterum quod attinet ad historiæ fidem, Polybius lib. I. scribit, *Carthaginienses hoc prælio quinquaginta naves amisisse*, *triginta vero ex hi s captas cum navalius sociis*; *& præterea septiremem ipsius ducis in Duilii potestatem venisse*. Verba ejus sunt: Διὸ καὶ τριάκοντα μὲν τὰς πρώτας συμβαλούσας ναῦς αὐτάνδρους ἀπέβαλον, σὺν αἷς ἐγένετο αἰχμάλωτον καὶ τὸ τοῦ ςρατηγοῦ πλοῖον. Et post pauca: Τέλος ἐγκλίναντες ἔφυγον οἱ καρχηδόνιοι πεντήκοντα ναῦς ὑποβαλόντες. Orosius vero lib. IV. cap. VII. & Eutrotropius lib. II. *Annibal amissa navi qua vehebatur*, *scapha subductus aufugit*, *triginta & una naves ejus captæ*, *tredecim mersæ*. Quamquam, ne quid dissimulem, ab Eutropio XIII. naves mersæ referuntur, si codex fidelis est. Existimo tamen apud Orosium & Eutropium XIII. sive XIV. pro XIX. facili scriptoris lapsu, corrupte legi.

SEPTEMRESMOMQVE. DVCIS. Ita fractus est lapis, ut fere discerni nequeat, fuerit ne scriptum SEPTER, an SEPTEM. verum M litteræ vestigia potius exstare mihi videntur, ideoque ita scripsi. SEPTEMRESMOM autem, quod accusativus pluralis paulo post in hac inscriptione sit TRIRESMOS. Scribit vero Polybius, Annibalem ea septireme vectum, quæ quondam fuerat Pyrrhi regis; illa amissa, scapha exceptum aufugisse. Idemque tradit Zonaras tom. II. Polybii verba, si quis requirat, hæc sunt: ἡγεῖτο δὲ ἀννίβας αὐτῶν ἔχων ἑπτήρη τὴν γενομένην πύῤῥου τοῦ βασιλέως. hoc est, *Præerat iis Annibal*, *habens septiremem*, *quæ Pyrrhi regis fuerat*. Miror tamen Livium numquam hac voce usum fuisse, cum Latina usitataque esset, *hepterem* vocem Græcam, pro *septireme*, sæpius usurpasse: sed neque Latinorum aliquem, ex his saltem qui exstant, præter unum Q. Curtium, qui lib. X. *Septiremes*, inquit, *omnes esse adducique Babyloniam jussit*. Dubium autem non esse existimo, quin de Annibalis prætoria septireme hoc loco mentio fiat.

QVINRESMOSQVE. Quia non tantum vacare videbatur loci in marmore, ut QVINQVERESMOS caparet, QVINRESMOS scripsi, quod ipsum antiquitatem illam magis adhuc exprimere videtur. ait enim Festus: *Quincentum & producta prima syllaba*, *& per C litteram usurpabant antiqui*. Ergo ut *quincentum* pro *quinque centum* dixerunt, sic, quantum ex hac inscriptione conjecturam capere licet, *quinresmos* pro *quinqueresmos* usurparunt. Contrahebant enim nomina, & *festras* pro *fenestras* dicebant, ut Festus affirmat. Sed de hoc spatium ipsum marmoris judicabit.

TRIRESMOSQVE. Hoc etiam ex illa antiquitate est. nam sic scribit Festus: *Dusmosom locum*, *apud Livium*(Andronicum)*significat dumosum locum*. *antiqui enim interserebant S litteram*, *& dicebant cosmittere pro committere*, *& casmenæ oro camenæ*. Item alibi; *Pæsnas pro pennas antiqui dicebant*, *& Pœsnis pro Pœnis*. Verum, quantum ex his exemplis colligi potest, ante M, aut N, litteras tantum interesere S consueverunt.

NAVEIS. XX. DEPRESET. Polybium sequutus, qui omnes naves, quas hoc prælio Carthaginienses amiserunt, quinquaginta fuisse, atque ex ipsis triginta cum sociis navalibus captas tradit, sic scripsi. in marmore enim tantum est, NAVEIS X. Si quis tamen XIII. ex Orosio, aut XIV. ex Eutropio scribere voluerit, suum habebit auctorem; quamvis soleant apud hos numeri magna ex parte corrupte legi: & ut superius a me dictum est, fortasse apud eos XIX. legendum. Zonaras tantum scribit, multas naves captas, multas depressas fuisse. Posset etiam pro DEPRESET, scribi DEMERTET. eo enim antiqui utebantur pro *demersis*. Quinctilianus lib. I. cap. VI. *Atque S littera a quibusdam nominibus exclusa*, *in quibusdam ipsa alteri successit*. *nam mertare*

1. al. recitatur. 2. al. concipitur verbeis non iisdem. 3. Festus. Me pro mihi dicebant antiqui. 4. Lib. 4. de Ling. Lat.

& pultare dicebant. Item Festus: *Mertat*, inquit, *pro mersat antiqui dicebant*. A

AVROM. CAPTOM. *Ausum* pro *aurum* dixisse antiquos, ut *majosibus*, *meliosibus*, *fesiis*, *lasibus*, *arbosem*; pro *majoribus*, *melioribus*, *feriis*, *laribus*, *arborem*, Festus tradit, ut dubitari quis possit, AVROM ne, an AVSOM potius hic scribendum sit. Verum recte consideranti consuetudo illa ita loquendi Duilio aliquanto antiquior apparebit. Ceterum hos nummos Siculos aut Carthaginienses fuisse oportet. nam Romani eo tempore *aureum nummum* nondum percusserant. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Argentum signatum est anno Urbis* CDLXXXV. *C. Fabio Cos. quinque annis* B *ante primum bellum Punicum*. Et paulo post: *Aureus nummus post annum* LXII. *signatus est quam argenteus*; hoc est, anno Urbis DXLVII. Hæc autem Duilii victoria fuerat anno Urbis CDXCIII. Quantum autem singuli nummi valuerint, sciri vix posse credo. mihi certe omnino est ignotum. Quod ad numeros attinet, hanc notam φ mille significare nemo est qui nesciat. Illud ex hac inscriptione addiscitur, antiquis D, cum quingenta significaret, non fuisse linea transversa inductam, ut in Capitolinis tabulis aliisque veteribus marmoribus & libris passim videmus.

ARCENTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI. C Vox PRAEDA. cur potius in argento capto, quam in auro aut ære polita fuerit, nescire me fateor: ut etiam cujus gentis fuerint, aut quantum hi nummi argentei valuerint, quippe cum apud ipsos etiam Romanos varium nummi pretium reperiatur. Alias enim nummus argentei denarii quarta pars est, ut Varro, aliique tradunt; alias nummus pro drachma ponitur, ut apud Terentium in Heautontimorumeno; alias pro didrachma, id est, duabus drachmis, ut apud Plautum in Truculento. sic enim ibi loquitur Geta servus, cui herus, ut mina obsonaret, mandaverat: D

Nam jam de hoc obsonio de mina deminui modo quinque
Nummos, mihi detraxit partem Herculaneam.

Quinque nummos vocat decimam partem ex mina, quam centum drachmas habuisse notius est quam ut nunc indicari egeat. Porro *Herculaneam partem* decimam esse, vel ex ipso Plauto in Bacchid. apparet:

Si frugi est, inquit, Herculem fecit ex parte,
Decumam partem ei dedit, sibi novem abstulit. E

Est ergo nummus drachmæ duæ: quod ex Pseudolo Plauti adhuc probatur, quod quem ita de se magnifice loquitur cocus.

Illi drachmis iissent miseri, me nemo potest
Minoris quisquam nummo ut surgam subigere.

[1] Illud vero ex Prisciano didicimus, hanc notam CCCIↃↃↃ centum millia significare. Sed adhuc certius ex abaco Romano, cujus ænea tabella antiquissima exstat apud Fulvium Ursinum cum his numerorum notis ipsi tabulæ ex argento impressis. F IxI CCCIↃↃↃ CCIↃↃ ∞. C. X. I. Præterea in marmore alterius notæ fragmentum exstat hujusmodi C. quæ esset ne alterius CCCIↃↃↃ, an alicujus minoris notæ, amissa hac in parte historia Livii, qui exacta ratione has summas auri & argenti in triumphis explicare solet, certo sciri non potest. quare totum id spatium incertis quibusdam notarum vestigiis replendum videtur.

1. Hac tabula Romani olim utebantur, eaque celeriter & expedite rationes suas conficiebant. Ex ea cognoscitur quo modo Romani decies centena millia notarent.

CAPTOM. AES. CCCIↃↃC. Ante hæc verba aliquid scriptum fuisse videtur. posteriora enim aliquanto sunt, quam superiorum duarum linearum initia: id vero quale fuerit, comminisci vix potest. Ceterum antiquioribus illis non fuisse notam, quæ numerum ultra centum millia significaret, ex hac inscriptione facile colligitur, in qua licet fracta, vicies tamen semel eadem repetitur; ut si aliqua esset qua decies centena millia signarentur, tribus tantum notis summa hæc omnis scribi potuerit. Quare qui tradunt, hac nota CCCCIↃↃↃↃ decies centena millia notari, sine idoneo auctore id dicere videntur; præcipue cum in abaco, cujus supra mentionem feci, is numerus sic notetur, IxI. Plinius lib. XXXIII. c. X. *Non erat antiquis numerus ultra centum millia; itaque & hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia, aut sæpius dicantur*. Præterea cum post aurum & argentum captum in marmore sequatur. NVMEI. ita post æs captum ASEIS, aut PONDO, scribi debere apparet. Et fortasse ante CAPTOM. AES. fuerat hæc vox CRAVE, ut omnino legeretur, CRAVE. CAPTOM. AES. Livius lib. X. de triumpho L. Papirii: *Æris gravis transvecta vicies* [1] *centena millia & quingenta triginta tria*. & post pauca: *Æris gravis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia*. *Pondo* autem addidi, quod tunc asses librales erant. Festus: *Sextantarii asses in usu esse cœperunt ex eo tempore, quo propter bellum Punicum secundum, quod cum Annibale est, decreverunt patres, ut ex assibus, qui tunc erant librarii, fierent sextantarii*. Illud vero monere supervacaneum fuerit, centena millia æris, quæ singulis his notis significantur, valuisse eo tempore denariorum argenteorum dena millia, hoc est, scutatos aureos, quibus nunc utimur, plus minus mille. Quod deest ex prima linea, itemque initium alterius, his notis repleri poterit: in fine vero ante vocem PONDOD, fragmenti vestigia imprimentur, quoniam nullus conjecturæ locus relictus est.

TRIOMPOQVE. Tantum spatii est in marmore, ut omnes hæ litteræ scribi commode possint. TRIOMPO vero sine aspiratione scripsi ex Cicerone, qui in Oratore: *Quin ego ipse*, inquit, *cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem*. Atque ita in hoc lapide *Cartaginiensis* est sine aspiratione. Primum vero Romanorum omnium triumphum navalem Duilium Cos. egisse, etiam tabulæ Capitolinæ ostendunt.

PRÆDAD. POPLOM. Quid post hæc verba in marmore fuerit scriptum, conjectura assequi non potui. Veniebant in mentem, ROMANOM. DITAVET. quod scribat Zonaras Romanos ea victoria multis spoliis prædaque auctos. aut ROMANOM. DONAVET. ut dicat eam omnem prædam fuisse in ærarium illatam, nihilque inde militibus datum. Livius lib. X. *Æris transvecta* XX. M XXCIII. *Argenti, quod captum ex urbibus erat*, P. M CCCXXX. *omne æs argentumque in ærarium conditum, militibus nihil datum ex præda est*. Quod autem ærario inferebatur, populo dari dicebatur. Sed commodius aliquid excogitandum est. Posset fortasse scribi ROM. ADFECET. Plautus in Amphitr.

Præda atque agro adoreaque adfecit populares suos.

Aut fortasse ea præda viritim divisa fuit. Cato apud Festum in *Viritim*: *Præda quæ capta est viritim divisa*.

1 al. centum.

CAPTIVOS. CARTACINIENSEIS. INCENVOS. Ex obscuris illis litterarum fragmentis atque reliquiis hanc investigavi lectionem. Orosius enim & Eutropius *septem millia Carthaginiensium capta, tria millia occisa navali prælio* tradunt; & *nobiles aliquot ex captivis ante currum triumphantis ducebantur*. Livius lib. XXXIII. cum de triumpho Cn. Cornelii agit: *Multi*, inquit, *nobiles Galli ante currum ducti*. & lib. XL. *Captivi multi principes Ligurum ante currum ducti*. & lib. XXXIIII. *Ante currum multi nobiles captivi obsidesque*. *Ingenuos* autem *nobiles* dixisse antiquos apparet. Ennius in Telamone:

Scibas natum ingenuum Ajacem, cui tu obsidionem paras. & Festus: *Patricios, Cincius ait in libro de Comitiis, eos appellari solitos esse, qui nunc ingenui vocentur*. Porro numerus nobilium captivorum, qui ante currum ducti fuerunt, a nullo, quem viderim, auctorum traditur: ideo a me ea pars vacua relicta est, aut quibusdam notarum vestigiis imprimetur, nisi quis volet numerum septem millium addere his notis ꟾↃↃ. φ φ. & fortasse scriptum erat, DCCC. DVXET. aut alius hujusmodi numerus, qui ab D inciperet. DVXET. ANTE. CVROM. legendum absque numero captivorum.

PRIMOSQVE. CONSOL. DE. SICELEIS CLASEQVE. CARTACINIENSEOM. Hæc ex Capitolinis marmoribus desumpsi, in quibus est: C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. PRIMVS. NAVALEM. DE. SICVL. ET. CLASSE. POENICA. EGIT. A CDXCIII. K. INTERKALAR. Quæ ex hac basi transscripta fuisse non absimile vero est. In hoc autem marmore elogia tria Duilio præcipue tribuuntur. Quod primus classem ornaverit ac paraverit: quod primus rem Romanam prospere mari gesserit: quod primus triumphum navalem duxerit.

TRIOMPAVET. In media parte hujus ultimæ lineæ potest hæc vox tantum scribi, nihilque amplius desiderabitur. Sed quoniam Plinius & Quinctilianus innuere videntur hanc columnam a Pop. Rom. Duilio fuisse in Foro positam, si quis id quoque in hac inscriptione addi velit, ad hunc modum scribi poterit. TRIOMPAVET. EAROM. REROM. ERGO. S. P. Q. R. EI. HANCE. COLVMNAM. P. Quod si minus ad antiquam formam respondebit, quadrabit tamen ad ejus columnæ ac basis restitutionem, quæ nunc fit in Capitolio jussu S. P. Q. Romani. Ceterum Silius Italicus in extremo lib. VI. non a Pop. Rom. eam columnam Duilio positam tradit, sed ab ipso Duilio Marti consecratam atque dicatam, his versibus:

Æquoreum juxta decus, & navale trophæum
Rostra gerens, nivea surgebat mole columna.
Exuvias Marti, donumque Duilius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.

Cui opinioni si quis accedat, fragmentum ita supplere poterit. TRIOMPAVET. EAROMQVE. REROM. ERGO. MARTI. DONVM. D. Nam similis titulus est apud Livium lib. XL. sed locus est corruptissimus, atque etiam mancus in vulgatis codicibus, in quibus legitur: *Supra valvas templi tabula cum titulo hoc*: DVELLO. MAGNO REGIBVS DIRIMENDO * CAPVT * SVBIGENDIS * PATRANDAE PACIS ** HAEC PVGNA EXEVNTI L. AEMILIO. M. AEMILII. F. * AVSPICIO. IMPERIO. FELICITATE, DVCTVQVE EIVS INTER EPHESVM [1] CAMVCHVMQVE INSPECTANTE [2] COS. IPSO ANTIOCHO, EXERCITV OMNI EQVITATV, ELEPHANTISQVE, CLASSIS REGIS ANTIOCHI [3] ANTEA SIC VICTA, FVSA, CONFVSA, FVGATAQVE EST. IBIQVE EO DIE NAVES LONGAE CVM OMNIBVS SOCIIS CAPTAE [4] XLII EA PVGNA PVGNATA REX ANTIOCHVS, REGNVMQVE........, EIVS REI ERGO AEDEM LARIBVS PERMARINIS VOVIT.

Atilius Fortunatianus, cum agit de Saturniis versibus, hujusmodi tabulæ meminit: *Apud nostros in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriæque suæ titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia reperi exempla: Ex Regili tabula*: DVELLO. MAGNO. DIRIMENDO REGIBVS. SVBIGENDIS. Et infra in Acili Glabrionis tabula: FVNDIT, FVGAT, PROSTERNIT MAXIMAS LEGIONES. Et infra de Saturnio versu: *Hic versus obscurus quibusdam videtur, quia passim & sine cura eo homines utebantur, maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas hujusmodi versibus incidebant*: SVMMAS OPES QVI REGVM REGIAS REFREGIT.

Hæc mihi in mentem veniebant de hac inscriptione cogitanti. Sed ut in omnibus iis rebus, quæ conjectura investigantur, anceps oratio reperiri solet, vereor ne ab eo, quod quæritur, longius aberraverim. quæ si ita fuerint, tu tamen conatus nostros, amice Lector, boni consules, & valebis.

1 Fort. SAMVMQV. 2 Fort. EOS. 3 Fort. delendum ANTEA SIC. 4 Fort. XIII. Sed vide Sigonium & F. Ursinum ad Liv. XL. c. 52.

De eadem Inſcriptione hæc habet I. LIPSIUS in ſuo ad Inſcriptiones Smetianas Auctario.

Si quis volet, ad hiſtoriam (e Polybio, Zonara, aliiſque petitam) ſic concinnet, me duce.


Segeſt ANOs ſocios & cognatos popli R.
obſidioneD. EXEMET. LECIONES. cartacinienſeis
mAXIMOSQUE. MACESTRATOS. Luceis bovebous amiſſeis
nOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELam opidum
pUCNANDOD. CEPET. ENQUE. EODEM. MACeſtratod bene
iEM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. ceſet.
CLASESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PAravetque
CUMQUE. EIS. NAVEBuS. CLASES. POENICAS. OMneis, paratis
SUMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTEd. maximod
DICTATORED. OLOrOM. IN. ALTOD. MARID. PUCNandod vicet.
tricintaQUE. NAVES. cepeT. CUM. SOCIEIS. SEPTEMremoſque
quinqueresmOSQUE. TRIRESMOSQUE. NAVEIS. XX. depreſet.
aurOm. CAPTOM. NUMEI.
arcenTOM. CAPTOM. PRAEDA. NUMEI.

In quibus ratio priſca ſcribendi & loquendi ſervanda hæc. D *littera in fine addita poſt vocalem: de quo more monui in meis Antiquis.* C *perpetuo pro* G. *hac ſcilicet littera nondum inventa.* O *pro* V. *ut* Maceſtratos, Conſol, ollorom. E *pro* I *crebro, ut* Cepet, *pro cepit*, Navebos, *pro navibus. Conſonantes numquam geminatæ, ut* Claſes, Numei. Trireſmos, *antique dicit Triremos.* Poplo, *pro Populo, ex uſu loquendi.* Exfociont, *id eſt, effugiunt. Alia tibi liquent.*

F I N I S.

ANTIQUÆ
INSCRIPTIONIS,
QUA
L. SCIPIONIS
BARBATI F.
EXPRESSUM EST ELOGIUM,
EXPLANATIO.

PARADIGMA INSCRIPTIONIS.



Incisa est in Lapide longo palmos V. *uncias* IV. *lato palm.*II. *unc.*X. *hac fere forma & inæqualitate characterum: nisi quod eos sculptor, ob tabellæ angustias, pene sibi cohærentes pressius finxit, cum in Lapide contra laxioribus spatiis distinguantur.*

ANTIQUÆ INSCRIPTIONIS,

QUA

L. SCIPIONIS BARBATI F.

EXPRESSUM EST ELOGIUM,

EXPLANATIO.



Effossa est altero abhinc anno Romæ ad portam Capenam hæc Inscriptio. quæ, quod interpretem fortasse nacta non sit, hactenus neglecta & sine honore jacuit; a nonnullis etiam, quos merito rideas, barbari sequiorisque sæculi suspicione damnata est. Mihi vero, nisi mea me fallit conjectura, egregium hoc monumentum, nulli omnium quæ Romæ sunt vetustate concedere, atque inter præcipua memorabile videtur. Quod ut tute, Lector, mecum sentias, ubi sinceram ejus sententiam expressero, res ipsa, ut spero, persuadebit. Sic enim legendam censeo.

Hunc unum plurimi consentiunt Romæ
Bonorum optimum fuisse virum
Lucium Scipionem. Filius Barbati
Consul, Censor, Ædilis hic fuit.
Hic cepit Corsicam, Aleriamque urbem,
Dedit Tempestatibus ædem merito.

Nunc ergo suam ipsa, ut vides, prodidit ætatem. Nam cum L. Scipionem, cujus elogium continet, Barbati filium vocet, Barbatum autem in Scipionum familia unicum sciamus fuisse Cornelium Scipionem Barbatum, qui anno V. C. CDLVII. comitia Consulum creandorum causa Dictator habuit, & anno insequente Pontifex Max. ædem Concordiæ, Livio teste, dedicavit: (lib.9.) reliquum est, ut ad proxima omnino tempora Inscriptionem hanc referamus; atque adeo Duiliana ipsa, quæ vetustatis nomine præ omnibus hodie celebratur, (si tamen hæc vere illa est antiqua, & non alia potius interpolata, priorisque loco, ut fama est, a posteris restituta) nihilo recentiorem esse fateamur. cum Duilii victoria navalis, cujus honori columna illa rostrata posita est, in annum inciderit ab V. C. CDXCIII. quem annum qui excepit, is L. Scipionem Consulem vidit, & res ab eo in Corsica gestas, quæ hoc elogio commemorantur.

Jam ævo illi, hoc est prisco & antiquo sæculo, congruere obsoletam vocum literarumque formam, quæ tota cernitur Inscriptione, quis neget? Quamquam vox quidem in ea nulla est, si Duonum excipias, quæ Latina prorsus & usitata non sit. Duonum autem pro Bono ab antiquis dici solitum auctor est Festus, apud quem etiam in Topper, Duona ad naves portare vetus scriptor ait, pro eo quod est Bona portare; & in Carmine Saliari Duonus ceruses, ut Grammatici exponunt, Bonus est creator. Hac igitur voce dempta, reliquæ omnes vulgo notæ sunt, sed a communi tamen usu remotæ, vel orthographiæ dissimilitudine, vel inepto, ut videtur, discre-
D pantium casuum nexu & conjunctione, vel denique inusitata duarum maxime literarum forma & charactere. Ceterum hæc omnia, ut ostendam, non exoticam barbariem, sed Romanam vetustatem illam redolent, quam dixi.

Atque ut hinc potissimum exordiar, L istud uncinatum, & P ad Π Græcorum instar semiclausum, in aliis etiam ejusdem ævi monimentis, nummis scilicet, tabulisque æreis videre est; & a nobis ipsis utriusque olim exemplum in Privernatis lapidis fragmento, in quo APPIOS CONSOL inscriptus legebatur, animadversum meminimus. Rursum
E quod O pro V passim exhibet in HONC, CONSENTIONT, LVCIOM, & aliis, non opificis errore vel inscitia, sed ex eo prorsus veterum more factum est, quo hæc invicem, Fabio teste, permutabant, ut Hecoba, Notrix, & Dederont, Probaveront. (lib.1. cap.4) Eodemque modo quia pro V longa nunc OI nunc OE usurpabant; hinc est quod OINO pro VNO scriptum est, & PLOIRVME pro plurume; sicut in alia Inscriptione Alatrina coiravit pro curavit, & in Siliorum plebiscito apud Festum oetier pro utier. At vero V contra I loco scribere, ut PLOIRVME,
F OPTVMO, usque adeo Romæ ab antiqua consuetudine inoleverat, ut quod Optimus, Maximus, mediam I literam, quæ veteribus V fuerat, acceperint, C. primum Cæsaris inscriptione factum ferant. Ita quod E similiter I quoque locum occupat in PLOIRVME, FVET, DEDET, TEMPESTATEBVS, & MERETO, priscæ itidem vetustatis est indicium, vel Duilianæ columnæ argumento, in qua Exenet pro Exemit & Cepet pro Cepit, aliaque id genus visuntur: & Inscriptionis ejusdem Alatrinæ, in qua hæc inter alia ita scripta

ſunt, OB HAS RES SENATVS FILIO STIPENDIA MERETA ESE IOVSIT. Quibus in verbis aliud præterea extat in ESE & IOVSIT antiquæ ſcripturæ veſtigium, quod & in hac quoque noſtra in FVISE, & in Duiliana inſcriptione in CLASES impreſſum eſt; cum ſimplici S hæc omnia ſcribantur, quæ gemina ſolemus. quia ſemivocales, ut idem Fabius obſervat, non geminare diu fuit vetuſtiſſimi moris. Denique ejuſdem omnia notæ comperies, ſi cetera perſequare. Nam nihil eſt omnino, ſeu literarum formam ſpectes, ſeu variam illarum inter ſe permutationem, quod temere aut caſu poſitum, & ab illo quem dixi priſcæ antiquitatis fonte ductum non ſit. Reſtat ut de verborum nexu & junctura dicamus: in quo vereor ne difficilius ſit perſuadere.

lib. 1. cap. 7.

Quis enim Romæ unquam ita locutos putet, Lucium Scipione, cepit Corſica, dedit æde? aut quis cetera fere omnia, quæ ad eum modum vix cohærent, Latinæ linguæ legibus adverſari & ſolœciſmis ſcatere non cenſeat? Verum hic tu mihi, Lector, pauliſper, ut ait ille, ſuſtine patientiam, & vide, num quod vitio errorique imputas, tribuendum ſit potius vetuſtati. Quid enim? an contra Grammaticæ leges ſcriptum dici poteſt, quod ejus artis uſum & leges omnes anteceſſit? Grammatica olim Romæ, ut Suetonius Tranquillus teſtatur, ne in uſu quidem erat; rudi ſcilicet ac bellicoſa gente armis potius quam liberalibus diſciplinis vacante: primuſque, ut idem opinatur, ejus artis ſtudium in urbem intulit Crates Mallotes, Attali regis legatus, inter ſecundum & tertium bellum Punicum, hoc eſt annis poſt Scipionem Barbatum ſupra centum & viginti. Ante id tempus, Grammaticæ regulis nondum conſtitutis, una Romæ loquendi ſcribendique lex erat populi conſuetudo. Quæ quoniam continuo in motu varia erat, & ſubinde mutabatur; ita Romanæ tum linguæ magnas fieri neceſſe fuit mutationes: mirum ut proinde non ſit, vel Saliorum carmina vix tandem Sacerdotibus ſuis ſatis intellecta fuiſſe, quod Fabius affirmat; vel Polybii ætate, ut ipſemet narrat lib. III. ægre etiam ab antiquitatis peritiſſimis potuiſſe explicari verba fœderis, quod Romani primum cum Carthaginienſibus poſt exactos reges pepigerant. Non ergo, ſi quid eſt in iſta Inſcriptione, quod aures noſtras accuratis Grammaticorum præceptionibus aſſuetas offendat, id tanquam a recte loquendi ſcribendique legibus abhorrens illico damnandum eſt, ſed illius potius ætatis agnoſcenda conditio, quæ nullis adhuc erudita magiſtris, cum ſcriptores nondum ullos haberet, quorum exempla ſectaretur, in primis quodammodo linguæ ſuæ cunabulis balbutiebat. Poſthæc enim ſecuta eſt artis diſciplina, elegantiſſimorumque auctorum imitatio, quæ rudem linguam perpolivit, brevique ad eam perfectionis dignitatem perduxit, quæ florente republica viguit, ſtetitque quandiu Romana res ſtetit, tum exinde cum imperio ipſo ſenſim deflexit: & quod in ædificiis ceteriſque rebus accidere ſolet, per eoſdem gradus & incrementa, quibus adoleverat, revocata, priſtinam rurſus ad infantiam balbutiemque redacta eſt.

lib. de illuſtr. Grammat.

Atque hæc quidem ita diſſerui, quaſi in confeſſo eſſet, Latinitatis leges neque in hac Inſcriptione ſervatas, neque illo ſæculo eas fuiſſe, quæ poſtea fuerunt. Quid ſi contra nihil in ea eſſe contendamus, quod Grammaticorum placitis repugnet, totamque iſtam, quæ admirationem parit, vitioſæ orationis ſpeciem ab eadem ipſa, quam in ceteris oſtendimus, pronuntiandi ſcribendique antiqua conſuetudine natam eſſe? Enimvero ſi rem propius intueare, animadvertes profecto, ea, quæ in hoc genere reprehenduntur, omnia ferme unius M literæ defectu in extremis aliquot vocibus laborare. Hanc autem, ut exilis & obſcuri, cum dictiones claudit, ſoni, nec enuntiari, nec ſcribi olim ſolitam, tum maxime cum inſequentium dictionum a vocali erat initium; atque hoc more, quod Fabius itidem obſervat, DIE HANC, non, DIEM, ſcripſiſſe Cenſorium Catonem quis neſcit? Fac igitur, quod Catonis ætate tum fiebat, cum proximæ dictiones a vocabulis inchoabantur, id L. Scipionis rudiore adhuc ævo fieri conſueſſe, qualecumque illarum eſſet initium: atque ita, ubi M litera in ejus elogio expreſſa non eſt, expreſſam puta, ut OINOM, DVONOROM, OPTVMOM, VIROM, legas, & L. SCIPIONEM, itemque CEPIT CORSICAM, ALERIAMQVE VRBEM, & DEDET AIDEM: jam ſalva atque integra erunt omnia; nullæ paraptoſes, nulla vocum abſona connexio, nihil denique quod Criticorum amuſſim cenſuramque reformidet.

lib. 9. cap. 4.

Sed de inſcriptionis verbis totaque illorum compoſitione ſat multa: nunc paucis quid illa rerum nos doceat (docet autem ſane permulta) conſideremus. Primum enim acceptum huic ferant neceſſe eſt Romanæ hiſtoriæ ſtudioſi, quod Scipioni Barbato filium fuiſſe docet, cum Barbati filium ii, qui Romanorum ſtemmata deſcribunt, nullum prodant. Nos vero hujus admonitu L. Scipionem, non illum ſane, qui anno CDLV. Conſul factus, in Hetruria, ut Livius narrat, non in Corſica rem geſſit; ſed alterum anni CDXCIV. Conſulem, Barbato patre natum didicimus. Hic enim eſt, quem de Corſis, Sardiſque, & Pœnis proximo poſt anno triumphaſſe notant tabulæ Capitolinæ, cujuſque in Corſica victoriæ in Epitome Liviana, & apud Florum, Eutropium, Oroſium, & alios crebra eſt mentio. Ac ne quis ambiguo locus eſſet, Aleriam quoque claram olim ejus Inſulæ urbem, Sullana poſthæc, ut Plinius ſcribit, colonia nobilitatam, a Scipione captam tum fuiſſe, Zonaras, vel Dio potius apud Zonaram teſtatur: etſi pro Aleria Valeriam vocat; ſed mendoſi codicis vitium, ut hoc illi etiam inter cætera debeamus, corrigit Inſcriptio. Et quamquam diſſimulandum non eſt, L. Scipionem hunc, qui de Corſis triumphum egit, Lucii filium in Faſtis appellari, Scipionem autem Barbatum a Livio Publium dici, non Lucium: nemo tamen eſt, qui non intelligat facilius fuiſſe, ut vel in tabulas Capitolinas, vel in Livii codicem error irreperet, quam ut Inſcriptionis hujus, quæ L. Scipionem Barbati filium facit, in dubium vocari fides queat.

lib. 10.

lib. 3. cap. 6.

Quale porro eſt, quod eadem L. Scipionis Cenſuram (ut de Ædilitate nihil dicam) commemorans, ſimul nos quomodo reſtitui Capitolinæ tabulæ debeant, admonet, docetque C. Duilii anno CDXCV. in Cenſura collegam Lucium hunc Scipionem fuiſſe, quem exeſæ tabulæ tribus tantum extremis literis deſignant? Scio aliter doctiſſimo viro, & Ro-

manæ historiæ peritissimo, visum Onufrio A Panvinio, qui Cn. Scipionem Asinam suspicatus est. At vero assentiri ne possim facit, partim quod L. Scipionis censuræ locus in Fastis nullus erit, nisi hic concedatur; partim quod si Cn. Scipio Censor cum Duilio fuisset, ut placet Onufrio, prælatus illi haud dubie in Fastis esset, cum prior quoque in Consulatu, quem biennio ante una gessit, nominetur. Lucius autem noster cur Duilio in Censura postponatur, in promptu causa est, quod Consul quoque post illum fuisset. Quare supplere sine fuco ex Inscriptione nostra licet, quod in tabulis Capitolinis eo loco B desideratur. De Tempestatum autem æde quid dicam? sive illa est ædes Tempestatis, quam P. Victor in prima urbis regione, cui a porta Capena nomen, locat, sive alia uspiam ab hac diversa, quod mihi ægre persuaserim, quis, nisi in hoc lapide legeretur, non ejus ædis conditorem ignoraret? Causam quidem, cur Tempestati data sit ædes, exortam in mari Corsico tempestatem fuisse significat Ovidius, nec obscuri ejus sunt versus e VI. Fastorum.

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur, C
Cum pœne est Corsis obruta classis aquis.

Sed quam multos hæc ipsa Corsicæ procellæ commemoratio, dum afflictæ classis ductorem, ædisque auctorem quærunt, in errorem induxit? Nam fuere qui ad Claudium
lib. 30. Neronem anni DLI. Consulem, cujus atrox & naufragio proxima tempestas a Livio describitur, referendum censerent: alii rursum Marcello, alii Metello, frivolis omnes ducti rationibus, tribui maluerunt. quibus nimirum si elogium hoc legere licuisset, nunquam D dubitassent, quin ex illius verbis petenda esset Ovidianorum versuum interpretatio.

Et tot igitur hisce nominibus in lucem prodire tam illustre monimentum intererat, & ipsius in primis, cujus laudes exequitur, L. Scipionis, quem bonorum ætatis suæ virorum optimum in tenebris perpetuo jacere par profecto non erat: & tamen apud alios quidem scriptores hoc ejus virtutis præconium frustra quæras; ita de illo silent omnes, cum P. Nasicam ex eadem gente centum fere post annis optimum virum Senatus sententia judicatum, dignumque, qui Magnæ Matris simulacrum exciperet, habitum, plurimi literis prodiderint; & in Atilii Calatini sepulcro non dissimile incisum elogium Cicero ipse in Catone non sileat; quem plurimæ consentiunt gentes populi primarium fuisse virum.

Cujus ego Atiliani elogii quoties reminiscor, toties in mentem venit, ad L. quoque Scipionis sepulcrum pertinuisse Inscriptionem in qua versamur: ut duorum clarissimorum civium, ætate, honoribus, rebus gestis prope æqualium, conjuncta fuerint ut loco, sic etiam tituli gloria & similitudine monimenta. Etenim extra portam Capenam & Calatini & Scipionum sepulcra fuisse, vel ex eodem M. Tullio notum est: ad Capenam autem ef- Tusc. 1. fossum hunc lapidem fuisse præfati initio sumus. Nec vero laborandum censeo, quoniam intra urbis mœnia est effossus, sepeliri autem intra mœnia mos non erat, eone aliquando translatus e sepulcro, an sepulcrum ibi olim conditum, & mœnia post id tempus cum pomœrii finibus translata sint. Quoquo enim modo res habeat, suus nimirum honos & pretium erit Inscriptioni; tibique, ut confido, Lector, jam satis persuasum, non abs re illam a nobis principio laudatam, dignamque quam merito magni omnes faciant visam esse, quæ præter vetustatis commendationem tanti viri memoriam prope intermortuam excitarit, & jocundam simul non vulgarium & hactenus ignotarum rerum notitiam complectatur. Romæ anno M. DC. XVI.

FINIS.

DE

DE
PACIS TEMPLO,
UNDE COLUMNA
EXEMPTA
IN EXQUILINUM EST TRANSLATA,

AD

SANCTISSIMUM D. N.

PAULUM V.
PONT. MAX.

JOSEPHI CASTALIONIS J. C.

ROMANI OPUSCULUM.

BEATISSIMO PATRI
AC
DOMINO NOSTRO
PAULO QUINTO
PONTIFICI MAXIMO
PRINCIPI OPTIMO.



Emplum Pacis omnium maximum ab Imperatore Vespasiano ædificatum, Imperatore Commodo conflagrasse memoriæ proditum est [1]. *Ejus fornices aliquot, parietinæque, disjectis collapsisque amplissimis membris, quæ in sacram viam vergebant, adhuc supersunt. Ornamentorum indicium Columna striata ex marmore admirandæ altitudinis, quæ fornicis latus convexum fulcire videretur, ad hoc usque tempus reliqua extabat. Eam, Beatissime Pater, Templorum conditor, Urbisque restaurator, eximi inde, atque in Exquilini Montis aream, quæ ad meridiem spectat, transvehi, anteque Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesiam cum Sanctissimæ Dei Genitricis signo superimposito collocari præcepisti, ut monumentum* [2] honoris impensi ultioni passionis ejus filii, qui etiam nativitati fuerat attributus, *sanctiore loco spectaretur. Opinionem autem de Templi Pacis ruina vulgatam cur minus probem, quidque causæ fuerit, quamobrem Vespasianus Templum Pacis condiderit, accurate, ut mihi videor, disputavi. ad eamque rem confirmandam de Jani Gemini Templo, deque ejus institutione, usuque, qua in Urbis Regione fuerit, ex qua materia conflatum, qua altitudine, quot portas habuerit, morem ejus aperiendi cludendique cujus decreto, quamque honorificum ei, in cujus gratiam id fieret, per quem aperiretur cluderetur que, & ad quæ usque tempora perduraverit, veterum testimonia produxi. Hanc vero lucubrationem meam Sanctitati Vestræ inscriptam volui, quod Columnam e Templi Pacis ruinis magno labore, ingenti sumptu avulsam, in Exquiliasque translatam in Vestibulo S. Mariæ Majoris ampliato statuendam, ab eaque ad Portam Cœlimontanam, quæ hodie Sancti Joannis Laterani appellatur, & ad Portam Neviam, seu Majorem, eo consilio vias aperiendas mandaveris, ut in Urbem utrinque recta ingredientibus venerabile monumentum statim in oculos incurrat. Accedit etiam quod in Urbe ornanda studium magnificentiamque Sanctitatis Vestræ admirari satis vix quisquam possit, laudare vero, aut recensere, ne possit quidem. Nam, ut quædam perstringam, in Vaticano ad Principis Apostolorum Basilicam novam vetere diruta anteriorem partem sumptuosissime adjecisti, frontem magnificentissime exstruxisti, in Exquiliis Sanctæ Mariæ Majoris sacrarium amplissimum, & Canonicorum contubernia ædificasti, Matris Dei ædem incomparabilem excitasti, marmore, auro, gemmis, statuis, picturisque exornasti, sacro instrumento instruxisti, Cleroque peculiari redditibus attributis auxisti. Aquam formis ductuque ex agro Bracciano in Janiculum Va-*

1 Herodianus in Commodo. 2 Orosius lib.7. cap.6.

ticanumque, & transmisso Ponte Sixto in viam Juliam salubriorem & per æstum gelidiorem redditam vi superne scaturientium aquarum, se seque præcipitantium cum sonitu vasto & jucundo prospectu, perduxisti. Scalas ad Tiberis ripam fecisti. Quirinalem clivum direxisti, dilatasti, leniorem effecisti, Pontificias ædes in eo colle construxisti, vias Urbanas & Transtiberinas vel aperuisti, vel enormes direxisti, opificum institorumque limina cohibuisti, commeatus ex Urbe in Transtiberinam Regionem faucibus ad Insulam Tiberinam Pontis Fabricii patefactis expeditiores reddidisti; viam cognomento Scrofæ arctatam flexuosamque laxasti, & ad normam rexisti, qua neque commode transire, neque stare multitudo poterat, cum per eam Cardinalium, vel Legatorum, vel ad Galerum purpureum suscipiendum, aut Regum Oratorum pompa cum comitatu pro tanta dignitate splendido in morem prope triumphantium obequitare consueverit; a Panthei quoque vetustissimi Templi platea Porticuque fere ipsa vendentium sordidas tabernas summovisti; Ripam denique Tiberis e conspectu S. Hieronymi Illyricorum Ecclesiæ, emporio lignorum in locum opportuniorem translato, a vehiculariorum, nautarum, bajulorumque obsidentium omnia, concursantiumque & altercantium frequentia vindicari jussisti, curante incredibilis industriæ viro Lælio Biscia Apostolicæ Cameræ Clerico, qui Bernardini Patris Jurisconsultorum nostra memoria facile principis Jurisprudentiæ heres, doctrina, fide, bonisque artibus, ad superiores honorum gradus contendit. Ingenii mei opusculum qualecumque, Beatissime Pater, ad Sanctitatis Vestræ pedes venerabundus defero, supplexque Apostolicam Benedictionem peto, ut quæ de immortalibus Sanctitatis Vestræ operibus ad Urbis ornatum spectantibus jampridem animo sum complexus, litterarum monumentis mandari a me aliquando possint. Deus Sanctitatem Vestram Ecclesiæ Catholicæ quam diutissime servet in statu felicissimo.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Servus

JOSEPHUS CASTALIO.

DE
TEMPLO PACIS,
ATQUE EX OCCASIONE
DE
JANI GEMINI TEMPLO,
BELLIQUE PORTIS.



Unt qui Pacis Templum partu Beatissimæ Virginis Romæ corruisse pie quidem credant, sed eos temporum ratio fugit, & scripta quædam incerti vel suppostitii potius auctoris, unde id hauserunt, falsa esse Cardinalis Baronius optime de Catholica Ecclesia meritus verissimis argumentis convincit. Nam neque Pacis Templum proximum Foro exædificatum fuisse ante Imperatorem Vespasianum accepimus, neque Vespasiano rerum potito Virgo peperit, sed Octaviano Augusto. Imperator sane Vespasianus anno post Christum natum septimo fere & septuagesimo Pacis Templum condidit & exornavit. Præclare Cardinalis Baronius rem totam primo Annalium tomo mendaciis involutam aperuit. Utinam pari felicitate vir doctissimus causam indagasset, quamobrem Vespasianus Templum Pacis ædificaverit. Conjectura enim ductus putavit Vespasianum ejus Templi constructionem aggressum esse, quod quæ a Prophetis de Christo Principe Pacis dicta essent, in se translata Judæorum adulatione, in primisque Josephi Historici, Imperator crederet. Ego vero aliud spectasse Vespasianum arbitror, cum Templum illud exstrueret; esto enim, divinationi prodigiisque plurimum tribuerit ante adeptum Imperium Vespasianus, Vitellio certe superato, bellis civilibus confectis, regia potestate suscepta, republica constituta, pace terra marique parta, tale quid ut auscultarit, haud facile mihi persuaserim. Templum sane Pacis Vespasianus posuit, opinor, monumentum virtutis, & felicitatis suæ, stabilitique in domo sua Imperii, quod antea crebra temporum mutatione nutaverat. Nam paucis mensibus Galba, Otho, Vitellius regnarunt, alius alium insidiis belloque persecutus. sententiam meam confirmat Basis inscriptio, quæ in ædibus Farnesianis visitur.

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM.

Firmat etiam, quod dixi, Suetonius in Vespasiano: *Rebellione*, inquit, *trium Principum, & cæde, incertum diu & quasi vagum imperium suscepit, firmavitque gens Flavia*. & eodem: *Per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque Remp. stabilire primo, deinde & ornare*. Mucianus quoque apud Tacitum Vespasiano suadens, ut Imperium a legionibus oblatum acciperet, Exemplo Caii, Claudii, & Neronis, qui longo Imperio domum fundarunt, est usus. Ab Josepho quidem capto Imperium Vespasiano prædictum fuerat; qua de re sic Suetonius, *Et unus*, inquit, *ex nobilibus captivis Josephus cum conjiceretur in vincula constantissime asseveravit, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore*. De Judæorum prædictionibus paulo aliter apud Suetonium Tacitumque habetur. Nam quod a Prophetis vaticinatum erat de Rege Regum, Judæi ad se pertinere præsumentes, a Romanis defecerunt. *Percrebuerat*, inquit Suetonius, *Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. id de Imperatore Romano, quantum eventu postea prædictum patuit, Judæi ad se trahentes rebellarunt*. Tacitus item, *Pluribus*, inquit, *inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur, quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerunt. Sed vulgus more humanæ cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutabantur*. de Judæis a Tito Cæsare obsessis loquitur Tacitus. Ceterum prodigiis, vaticiniis, Mathematicorumque divinationibus Vespasiano liberisque ejus Imperium prædictum iidem narrant. Tacitus enim, *Post Muciani orationem*, inquit, *ceteri audentius circumsistere, hortari, responsa vatum & siderum motus referre*. Et supra: *Prosperæ Vespasiani res, præsaga responsa, & inclinatis ad credendum animis loco omnium etiam fortuna*. superiusque: *Occulta lege fati, & ostentis, & responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus Imperium post fortunam credimus*. a Tito etiam consultum Cinaradem Paphiæ Veneris Sacerdotem apud eundem legimus. quid? quod a Paulo Orosio [1] Christiano Historico de rebus ab Imperatore Vespasiano post victoriam more majorum gestis traditum est, nonne ad Templi quoque Pacis ædificationem patrio ritu factam trahi potest? *Imperatores*, inquit, *Vespasianus & Titus conti-*

1 Lib. 7. cap. 6.

A *nuo omnibus bellis & tumultibus domi forisque compressis pacem totius Orbis pronunciaverunt, & Janum Geminum obseratis cohiberi claustris sextum demum ipsi post Urbem conditam censuerunt. Jure enim idem honos ultioni passionis Domini impensus est, qui etiam nativitati fuerat attributus.* Audin' Janum geminum a Vespasiano clausum? Morem vero fuisse vetustissimum ex S. C. per Consulem aperiendi Jani, cum bellum indiceretur, Virgilius libro Æneidos VII. testatur:

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus Urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
B *Roma colit; cum prima movent in prælia Martem.*
Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ, & sævi formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.
Ipse vocat pugnas. sequitur tum cetera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.

C Idem libro I. ab Augusto Janum clausum bellis terminatis innuit:

Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana Fides & Vesta Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt. diræ ferro, & compagibus artis
Claudentur belli portæ.

Livius lib. I. de Numæ Regis institutis agens, *Janum*, inquit, *ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit, apertus, ut in armis esse civitatem, clausus, pacatos circa omnes populos, significaret.* D *bis deinde post Numæ Regnum clausus fuit, semel T. Manlio Consule post Punicum primum perfectum bellum, iterum quod nostræ ætati Dii dederunt, ut videremus post bellum Actiacum ab Imperatore Cæsare Augusto pace terra marique parta.* In eo autem, quod Orosius a Vespasiano Janum sextum clausum scripserit, aut supputationis error effecit, aut, quod verius puto, fragmentum Taciti secutus Janum a Nerone clausum omisit; sic enim numerum ineat, oportet, qui Orosii Historiam sequitur, Numa Rex primo Janum, clausit T. Manlius iterum, Augustus ter; nam post Actiacam victoriam primum, post Cantabros devictos iterum, & Or- E be terrarum toto pacato tertium Janum clausit. Suetonius in Augusto assentiri videtur Orosio & Dioni, si legamus minus corrupte, ut censuit Philippus Beroaldus, *Janum*, inquit, *Suetonius Quirinum semel atque iterum a condita Urbe ante memoriam suam multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clausit.* [1]

Orosius a Suetonio stat, qui sic scriptum reliquit. [2]

F *Cæsar victor ab Oriente rediens VIII. Idus Januarii Urbem triplici triumpho ingressus est. ac tum primum ipse Jani portas sopitis omnibus finitisque bellis civilibus clausit.*

[3] *Cæsar parum in Hispania per ducentos annos actum intelligens, si Cantabros atque Astures duas fortissimas gentes Hispaniæ suis uti legibus sineret, aperuit Jani portas, atque in Hispanias ipse cum exercitu profectus est.*

[4] *Cantabricæ victoriæ hunc honorem detulit Cæsar, ut tunc quoque belli portas claustro cohiberi juberet. ita tunc secundo per Cæsarem quarto post Urbem conditam clausus est Janus.*

Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione ad Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas tertio ipse clausit. quas ævo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo signavit. nec prius unquam, nisi extrema senectute Augusti pulsatæ Atheniensium seditione & Dacorum commotione patuerunt.

[1] *Eo tempore, quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cujus adventui pax ista famulata est.*

Nihil Orosii verbis disertius, nihil constantius ad fidem faciendam ter ab Augusto Jani portas clausas fuisse.

Neque Suetonio ceterisque Historicis repugnat Livius, qui scripserit semel a T. Manlio post Numam, iterum ab Augusto clausum fuisse Janum. Nam satis habuit Livius id recensere, quod primum ætati suæ contigisset. neque aliter dicendum de Plutarcho in Numa, ubi a Livii sententia discedere non videtur. Quare frustra dubitat Lipsius, & injuria Plutarchum notat, quod a Livio deceptus Historiam Romanam plane non tenuerit ut Græcus. Plutarchus enim in commentario de Romanorum fortuna, ubi de Numæ temporibus & felicitate agit, bellum Cantabricum exortum Janum ab Augusto clausum aperuisse narrat. non ignoravit igitur res Romanas Græcus, neque ei consilium fuit recensere quoties Augustus Janum clauserit, cum susceptam de Populi Romani fortuna Numa Rege disputationem prosequeretur. necessarium enim tunc Populo Romano fuisse otium per trium & quadraginta annorum spatium ad vires colligendas, quo pares hostibus futuri essent, censuerat, non item aliis temporibus Reipublicæ statu satis constituto. sub enim T. Manlii Consulatum subito bellum exortum Populo Romano minime periculosum extitisse contendit, idem de Augusti temporum varietate commemorat. Ex iis igitur apparet, neque Livium, neque Plutarchum aliter sensisse, atque Suetonius scriptum reliquerit, licet minus exposuerit pluries ab Augusto Janum fuisse clausum. Fulvius quoque Ursinus Orosium secutus in notis ad Suetonium sic censuit: *Ter*, inquit, *clausit. Nam Augustus Janum primo clausit post devictos Antonium & Cleopatram, secundo post Cantabricam victoriam, tertio cum jam toto Orbe pax esset.* A Sabellico dissentio, qui legit tertio, ut a Numa primo, iterum a T. Manlio clausum, Augustus tertio clauserit. id est bis ante Augustum, ab Augusto semel sit Janus clausus, ridicule is omnino interpretatur verba illa breviore temporis spatio, quam scilicet prius illud fuisset a Numæ temporibus ad primi belli Punici exitum. ceterum a Nerone Janum clausum docet Suetonius. docent ejus numismata litteris in orbem incisis.

IMP·NERO·CAESAR·AVG·PONT·MAX·TR·POT·P·P·
PACE·P·R·TERRA·MARIQ·PARTA·IANVM·CLVSIT·
S C

1 eod. 20. 2 lib. 6. cap. 18. 3 & cap. 20. 4 eod. cap.

1 Et infra eodem cap.

Orosius tale quid a Nerone factum non scribit, sive impii, teterrimique, & Christianis infestissimi Tyranni odio, sive quod falso id a Nerone obtrusum de pace parta crederet, cum ex fragmento Taciti a senectute Augusti ad Vespasianum bella perpetua terrarum Orbem perterruisse didicisset. Taciti fragmentum sic apud Orosium [1] legitur.

Sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novæ gentes sæpe ex usu, & aliquando cum damno quæruntur, usque ad Vespasiani duravit Imperium. Panvinius aliam rationem secutus videtur, qui ex antiquis nummis & inscriptionibus ob res in Germania bene gestas Neronem quinto & Vespasianum sexto Janum clausisse fidem fecit. Est & Neronis numisma cum ara Pacis ex S. C. cusum, a Dioneque traditur simulacrum Pacis Augustum erexisse. quæ res consuetudinem Romanorum veterum & Gentilismum sapit. Aut igitur Vespasianus clauso Jano Templum Pacis ad ostendendam pacem a se Populo Romano partam ædificavit, aut Neroni quoque & Augusto Judæus quispiam adulator imposuerit. Nihil prorsus sacris litteris cum idololatria est commune. Simulacrum Pacis, ara Pacis, templum Pacis, ad Idolorum cultum, æque ac belli portæ referuntur, ubi erat Janus, ut ex Virgilio docuimus.

——nec custos absistit limine Janus.

Portæ autem belli ita occludi Senatusconsulto, ut recludi jubebantur. quod Virgilius [2] dixit.

Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Et paulo infra:

Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas.

Dio libro quinquagesimo primo scribit ex honoribus a Senatu Augusto post Actiacam victoriam decretis nihil jucundius extitisse, quam Senatusconsultum de Jano claudendo. neque absurdum fuerit, nonnulla etiam aliunde petita de Jani portis recensere. Ovidius libro Fastorum I. cur bello aperiretur, & pace rursus clauderetur Janus, eleganter exponit.

At cur pace lates, motisque recluderis armis?
Nec mora, quæsiti reddita causa mihi.
Ut populo pateant reditus ad bella profecto,
Tota patet dempta Janua nostra sera.
Pace fores obdo, ne qua discedere possit,
Cæsareoque diu munere clausus ero.
Dixit, & attollens oculos diversa videntes,
Aspexit toto quidquid in orbe fuit.
Pax erat, & vestri Germanice causa triumphi
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.
Jane fac æternos pacem, pacisque ministros.
Neve suum, præsta, deserat auctor opus.

Macrobius vero Saturnalium libro I. cap. IX. aliam affert causam, quamobrem bello recluderentur Jani portæ: *Cum*, inquit, *Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex Jani æde per banc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas, aut exustas ferventi aqua, aut devoratas rapida voragine deperiisse. ea re placitum, ut belli tempore veluti ad urbis auxilium profecto Deo fores reserentur.* de Jani subsidio Romanis adversus Sabinos per ferventes aquas præstito Ovidius eodem libro meminit. Morem autem eum Jani claudendi aperiendique perdurasse non solum ad Imperatorum Gentilium, sed etiam Christianorum priora tempora, ut pleraque alia, ex historicis constat. Julius Capitolinus scribit Gordianum Juniorem Prætextato & Attico Consulibus aperto Jano gemino, quod signum erat indicti belli, profectum esse contra Persas cum exercitu ingenti. Ammianus Marcellinus libro decimo sexto hæc inquit, *dum per eas partes & Gallias pro captu temporum disponuntur, Constantius concluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis Romam gestiebat visere post Magnentii exitum absque nomine & sanguine Romano triumphaturus.* Operæ sane pretium est ex iis, quæ Procopius libro I. de bello Gothico scripta reliquit, in medium proferre, ubinam Jani templum fuerit, qua amplitudine & materia, quot portas habuerit, quo loco apud Romanos Catholicæ Religionis cultores Justiniano Imperatore sit habitum.

Utendum autem mihi fuit Nicolai Mariæ Modafari utriusque linguæ peritia viri præstantissimi versione, quando Christophori Personæ vulgata translatio multis partibus deterior apparet, neque Græcæ editioni fideliter respondet, ut eruditus lector judicabit.

Tunc Jani templi portis Romanorum quidam vim inferentes reserare illas occulte tentarunt. Hic vero Janus primus fuit antiquorum illorum Deorum, quos Romani materna lingua Penates appellabant, habetque vero templum in Foro ante Curiam, quod occurrit progresso parumper a Tribus FATIS, sic enim Romanis Parcas appellare mos fuit. Templum vero totum æneum quadrangularis figuræ, tantæ magnitudinis quanta ad Jani statuam tegendam satis sit. Est quoque ænea non minor cubitis quinque, hoc est palmis septem cum dimidio, ipsa statua. Cetera quidem hominis similis, sed bifronti est capite, & facierum altera ad orientem, altera ad occidentem solem vertitur. & utrique æneæ portæ respondent, quas pacis tempore rebusque prosperis occludere veteres Romani consueverunt, cum vero bello premerentur, aperire. Quoniam vero Christianorum dogma, si qui uspiam alii, Romani in honore & veneratione habuerunt, has portas nondum ne pugnantes quidem aperuerunt. Sed in hac obsidione nonnulli veterem (opinor) opinionem in mente habentes, has reserare occulte moliti sunt. sed præstare omnino non potuere, id dumtaxat assecuti, ne fores quemadmodum antea sese invicem contingentes conjungerentur. Latuere autem qui hoc facere tentaverunt, nullaque ejus facinoris inquisitio, quippe rebus mirum in modum undequaque turbatis, facta est. quandoquidem neque Principibus cognitum est, neque in Populum, nisi ad paucos admodum pervenit: diserte omnino perspicueque Procopius rem totam adeo exposuit, ut nihil amplius desideretur. libet tamen appingere quæ apud Varonem de ejus rei origine habentur. *Tertia*, inquit, *Janualis dicta ab Jano, & ideo ibi positum Jani signum, & institutum a Numa Pompilio, ut scribit in Annalibus Piso, ut sit aperta semper cum bellum sit. nusquam traditum est memoriæ nisi Pompilio Rege fuisse clausam, & post T. Manlio Consule bello Carthaginensi primo confecto, sed eodem anno apertam.* Quod autem, ut unde digressi sumus, revertamur, & templo & basi inscriptum fuerit, Paci æternæ, eodem pertinet. brevi enim proximi superiores Principes imperaverant. Vespasianus vero extincta partium factione, in domo sua constitutum Imperium, non modo diuturnum, sed & æternum putavit, votumque id Vespasiani, liberorumque ejus potius, quam ex genesi, vati-

[1] Lib. 7. cap. 1. [2] Lib. 7.

ciniisque fidem fuisse credibile est, ut de Urbe Roma æterna dicebatur, non quod re vera æterna futura esset, quæ toties capta, incensa, direpta, & excisa a barbaris fuerit. Sed votum id populi, scriptorumque veterum fuit æternitatis potius, quam constans persuasio; quanquam non ignorem, & Romam Deam a Gentilibus habitam, & duraturam cum mundo creditam, & ut apud Virgilium Juppiter de Romanis loquitur:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Livius libro quarto *in æternum Urbe condita, & in immensum crescente*. hodieque supra Portam Portuensem legitur:

OB. INSTAVRATOS. URBI. AETERNAE. MVROS.

Tibullus:

Romulus æternæ nondum fundaverat Urbis
Mœnia. ——

Ausonius:

Urbis ab æternæ deducam Rege Quirino.
Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ.

Ammianus Marcellinus: *decolorabant speciem Urbis æternæ. Et Apronianus regens Urbem æternam, & æternæ Urbis Episcopo & Maximum Urbi præfecit æternæ*. Ut igitur de Urbe Roma æterna percrebuerat: ita & de pace domus Imperatoris

A Vespasiani æterna Gentilium, vel voto, vel errore accipiendum esse, non ad Judæorum adulantium vaticinia detorquendum crediderim. Neque novum quid, insolensque, & a Romanorum moribus alienum in Pacis templi constructione Imperator Vespasianus instituit. Nam cui Senatus claudendi Jani gemini honorem decrevisset, ob pacem Populo Romano terra marique partam, ei & Pacis simulacrum, Pacis aram, Pacis & templum excitare jus erat, quod ex Senatus Consulto cusa numismata ostendunt. Hæc igitur vera extitit causa, cur Imperator Vespasianus templum Pacis magnificentissime construxerit atque exor-
B naverit. Falsus autem est, ut id obiter notem, Rosinus, & Dempsterus, antiquitatum Romanarum auctores, qui templum Pacis inchoatum a D. Claudio asserunt. nam eos refellit diserte Suetonius his verbis in Vespasiano: *Fecit & nova opera, templum Pacis foro proximum*. En tibi inter nova opera Suetonius templum Pacis recenset. unde igitur acceperunt illi inchoatum a D. Claudio? verum hominibus tenebras offudit, quod sequitur. *Divique Claudii in Cœlio Monte cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone funditus destructum*. loquitur enim Suetonius de templo D. Claudii, non ab ipso Claudio cœpto, sed ab Agrippina:
C vide quam errent tota via, qui multa quidem congesserunt, sed sine delectu & judicio. neque vero mirandum est, cum ii ab Annio Beroso Fabios Pictores, Sempronios, Catones commentitios suppositos & obtrusos sibi pro germanis & veris venditent.

F I N I S.

JOSE-

JOSEPHI CASTALIONIS J. C.
EXPLICATIO
AD
INSCRIPTIONEM AUGUSTI,
QUÆ IN BASI EST OBELISCI STATUTI
PER
S. D. N. SIXTUM V.
PONT. OPT. MAX.
ante Portam Flaminiam, alias Populi.

CAMILLO CAPILUPO
PROTONOTARIO
ET
SECRETARIO APOSTOLICO
JOSEPHUS CASTALIO S. P. D.



Uperioribus diebus me in rhedam susceperas, cum esset tecum Julius Capilupus vir humanissimus, ut una Obeliscum ante ædem S. MARIÆ, cui Populi cognomen est, statutum & restitutum spectaremus. Quem SIXTUS V. Pont. Opt. Max. e Circo maximo, ubi in partes tres confractus altissimis ruderibus obrutus multa sæcula delituerat, ad Portam Flaminiam transferendum sua impensa curaverat. Cumque eo pervenissemus sanctissimæ CRUCIS superimpositæ signum venerati incredibilem ex hujusmodi spectaculo voluptatem caperemus, sanctissimique Domini Nostri in exornanda Urbe & procuranda Religione studium multis laudibus extolleremus, ac singula diligenter intueremur, elegantissimam vetustissimamque in Basi inscriptionem, unde Obelisci per Augustum ex Ægypto usque in Urbem transvecti tempus, item ipsius Augusti honores, & consilium in Obelisco erigendo cognosci potest, animadvertimus. Inibi ego quædam non inerudite, tibi vero non injucunda, explicavi. Quæ quoniam ad antiquitatis cognitionem pertinere videbantur, a me petisti ut ea litteris mandarem. Itaque feci, ut jussisti. an vero etiam satisfecerim, ignoro. Extabit quidem certe hoc qualecumque observantiæ erga te meæ testimonium. Vale. Romæ III. Idus Maias. M. D. LXXXIX.



OBELISCI AUGUSTI
INSCRIPTIO
AB
JOSEPHO CASTALIONE
JURISCONSULTO EXPLICATA.

IMP. CÆSAR. DIVI. F
AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGVPTO. IN. POTESTATEM
POPVLI. ROMANI. REDACTA
SOLI. DONUM. DEDIT



HÆC sunt in basi Obelisci, quem Augustus ex Ægypto devexit, & in Circo Maximo statuit, elegantissime insculpta, quæ, quam brevissime fieri poterit, explicabo, si prius de Obelisci in Circo subrecti tempore disseruero. Videtur igitur id incidisse in annum ab urbe condita DCCLIII. Julio Antonio Africano & Q. Fabio Maximo Consulibus. Annus autem colligitur non ex Augusti Consulatu undecimo, sed ex Tribunicia potestate quartadecima. Non enim eo ipso anno, quo Augustus XI. Consulatum gessit, Obeliscus importatus, aut erectus est. Nam eo anno Dictatura deposita Tribuniciam potestatem primum accepit, quæ quamvis perpetua Augusto delata esset, tamen singulis annis iniri & continuari videbatur. Itaque ejus potestatis anni ex ordine notabantur, quemadmodum fit nostro tempore, cum quid factum esse S. D. N. SIXTI Papæ V. Pontificatus anno tertio, aut quarto, aut quinto scribimus. Consulatus vero non omnes Augustus continuavit. Siquidem inter XI. & XII. Consulatum septemdecim anni interfuerunt. eo tamen toto intervallo semper sic notatum reperio Cos. XI. ut ex subjecta inscriptione intelligi potest, quæ in marmorea Basi est apud Farnesios Romæ.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT.
NERONE. CLAVDIO. DRVSO
T. QVINCTIO. CRISIPINO COS.
VOLCANO.

Vides hic mentionem undecimi Consulatus trahi ad annum quinctumdecimum Trib. potest. adjectosque ejus anni Consules. Non enim erat una eo anno Augustus Consul. Nam tres Consules eodem anno extitissent, quod absurdum est dicere. præterquam quod undecimus Consulatus notatur in decimaquarta, & decimaquincta Trib. potest. Addo, ex quo primum Trib. potest. iniit Augustus, usque ad XIIX. Trib. potestatis annum, quo anno duodecimum Consul fuit, sic notatum esse in veterum monumentis Cos. XI. quo significatur ad eam diem undecies Consul fuisse. Ceterum suprascriptos Consules Carolus Sigonius Cassiodori errorem secutus contra veterum monumentorum fidem in annum DCCXLII. Urbis cond. & Trib. Pot. Aug. XIV. Consulum serie perturbata collocat. Hactenus de tempore. Nunc ad singula interpretanda adgrediamur.

IMP.

Hoc loco prænomen est, quo primus omnium usus est C. Julius Cæsar Dictator in locum C. prænominis gentilitii, ut ostenderet se per antonomasiam unicum Imperatorem esse, quod Catullus irridens his hendecasyllabis exagitat.

Irascere iterum meis Jambis
Immerentibus unice Imperator.

Et quamquam hoc titulo, qui subsecuti sunt, Imperatores & Principes imperium ac supremam in omnes potestatem suam instar regni denotare voluisse non negaverim, tamen ausim affirmare non eo consilio Cæsari Dictatori a Senatu prænomen Imperatoris decretum fuisse, sed quod omnium Imperatorum res gestas & numero & celeritate, ut Cicero inquit, Cæsar superasse intelligeretur. Quare ad laudem, non ad potentiam declarandam delatum prænomen Imperatoris Cæsari existimo, & opinionis meæ auctor est Cicero cum multis in locis, tum his verbis, laudetur vero hic Impera-

tor, aut etiam appelletur. Nec me movet quod Dio contrariam sententiam tueri videatur. Nam loquitur de temporum suorum consuetudine, & in hoc fallitur æque ac in eo quod credit Tribuniciam potestatem ab Imperatoribus susceptam ad se, non ad plebem tuendam. Sed rectius Cornelius Tacitus, qui longe aliter nobiscum sentit. Neque enim aut Senatus regiæ potentiæ prænomen decrevisset nondum omnino oppressa republica, aut decretam Cæsar suscepisset, qui a se regiæ notæ invidiam amotam volebat. Nondum autem omnino oppressa Repub. dixi, quod spes erat, ut constituta Repub. Cæsar Dictatura, ut Sulla fecerat, abiret. Denique fuerunt etiam qui Imperatoris prænomine abstinuerunt Tiberius, Caligula, & Claudius, qui tres Principes perpetua serie Augustum secuti sunt. Fuisse autem Cæsari Dictatori a Senatu prænomen Imperatoris decretum, auctor est Suetonius in Cæsare. idem in Tiberio scriptum reliquit, prænomen Imperatoris Tiberium recusasse. & sic notatum est in Obelisco Vaticano:

DIVO. CÆSARI. DIVI. IVLII. F. AVGVSTO. TI. CÆSARI. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTO. SACRVM.

Et in veteri aquæductu supra portam Majorem:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF MAXIM
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIÆ
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CÆRVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV.
ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT.

Et in hortis Colotianis:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆSAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IIII.
ARCVS. DVCTVS. AQVÆ. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CÆSAREM
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT.

Neminem esse puto, qui ignoret, vel ex eo quod præponatur nomini, seu cognomini, prænomen, appellari debere ad differentiam ejus, quod addebatur nomini hoc modo, Imperator iterum, tertium, & deinceps, ut infra explicabimus. Per cognomina enim honores & potestates exprimi solent, ut Romulus Rex, Pompejus Consul, Cæsar Dictator. Sed Imperatoris prænomine usi sunt posteriores Principes ad denotandam potentiam. Quare a Græcis Imperator dicitur αὐτοκράτωρ.

CÆSAR

Octavius in Juliorum familiam adoptatus Cæsaris cognomen accepit. Quare ex Octavio dictus est Julius Cæsar Octavianus, paulo inflexo atque auctor prioris familiæ nomine. Is enim fuit mos apud Romanos, ut qui adoptaretur nomen ejus, qui adoptasset, acciperet, non nihil immutato vetere suo nomine. Sic qui antea vocabatur T. Pomponius Atticus, factus est per adoptionem Q. Cæcilius Metellus Pomponianus. Illud quoque obiter adnotare hoc loco libet, Cæsarem posterioribus temporibus dictum esse eum, qui consors quidem Imperii assumebatur ab Imperatore, sed Augusti cognomen, & majestas penes unum Imperatorem remanebat. Erat tamen spes, ut in demortui Imperatoris locum Cæsar succederet. Vivo certe Imperatore, & volente, nulli umquam Cæsarum tributum fuisse adeo plenum jus, præterquam Vero, & Valenti, Gratianoque, Ammianus Marcellinus lib. XXVII. testatur his verbis: *In hoc tamen negotio Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares, sed Augustos germanum nuncupavit, & filium benivole satis. Nec enim quisquam ante adscivit sibi pari potestate collegam, præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua majestatis Imperatoriæ socium fecit.* Cum hæc non satis haberet explorata Accursius noster, & tamen explicaret verba legis septimæ C. de Mathematicis & maleficis, lapsus est. Quo in loco ab Imperatore Constantio Augusto cavetur, ne quis in comitatu suo vel Cæsaris divinandi artem exerceat. ille particulam, *vel*, expositivam ratus pro *id est* ridicule interpretatus est, quod eo tempore Julianum Imperatoris Constantii Augusti fratrem patruelem Cæsarem fuisse non observasset.

DIVI. F

id est

Divi Filius.

Aliud Dictatoris perpetui post mortem, & in Divorum numerum relati prænomen. Quin autem sit prænomen cum præponatur nomini, & quemadmodum Lucii, Marci & Titi filius dicitur, quæ sunt prænomina, soleatque etiam ita efferri Divi filius, nemini dubium esse opinor. Is sane honos habitus est reliquis fere omnibus Imperatoribus, eorumque liberis, uxoribus, & parentibus vel a successoribus, vel a S. P. Q. R. Quibus vero cærimoniis ea res perageretur, Herodianus tradit.

AVGVSTVS

Cognomen ipsi Octaviano tributum a Senatu, Augusto septimum & Marco Agrippa tertium Consulibus anno post Urbem conditam DCCXXVI. Ea de re Suetonius in Augusto ita scribit: *C. Cæsaris, & deinde Augusti cognomen assumpsit, alterum testamento majoris avunculi, alterum Numacii Planci sententia, cum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem Urbis, prævaluisset ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, Augusta dicantur ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens:*

Augusto augurio postquam inclita condita Roma est.

Fuisse autem Augusti cognomen Idibus Januariis acceptum ab Octaviano post orbem terrarum in Populi Romani potestatem redactum, Ovidius lib. I. Fast. elegantissime scribit:

Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis.
Redditaque est omnis populo provincia nostro.
Et tuus Augusto nomine dictus avus.

Et paulo infra:

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes,
Hic socium summo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant Augusta patres, Augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.
Hujus & augurium dependet origine verbi
Et quodcumque sua Juppiter auget ope.

Augeat imperium nostri ducis, augeat annos,
Protegat & nostras querna corona fores.

Disertissime ab Ovidio explicata est hujus verbi etymologia, quod Octavianus propterea appellatus sit Augustus, quod non quemadmodum majores a devictis provinciis vel rebus gestis cognomina invenerunt, sed universo terrarum orbe recepto & pacato venerabili ac divino cognomine sit auctus. Itaque irridendi sunt qui Augustum ex eo quod imperium auxerit dictum volunt. Græci, qui vocabuli vim tenerent, sic verterunt σέβαστος, quod significat, ut ita dixerim, adorabilis. Ausonius in gratiarum actione: *Unus in ore omnium Gratianus potestate Imperator, virtute Victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater*.

PONTIFEX MAXIMVS

Augustus Pontifex Maximus creatus est anno ab Urbe condita DCCLX. Ti. Claudio Nerone & Quinctilio Varo Consulibus pridie Nonas Martias, ut est apud Ovidium lib. III. Fastorum. Illud sane adnotandum est, Augustum Pontificem fuisse sed non maximum, quam diu vixit Lepidus, cui vivo, ut refert Suetonius, adimere noluit Pontificatum maximum. Tiberius quoque antequam Augusto succederet Pontifex fuit sine maximi nomine. Idem ab excessu Augusti Pontifex Maximus factus est. De Tiberio Pontifice tantum fit mentio in lapide, qui est prope Mausoleum:

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM.
IMP. ITERVM.
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CÆSARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT
EX. S. C.

De hoc maximo Augusti sacerdotio Ovidius libro Fastorum tertio meminit:

Cæsaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honor.
Ignibus æternis æterni numina præsunt.
Cæsaris Imperii pignora juncta vides.

Et quæ sequuntur.

Ex hoc lapide, qui est in Ponte Insulæ Tiberinæ, apparet Pontificis Maximi titulum ab Imperatoribus usurpatum fuisse usque ad Theodosium Imperatorem.

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CAESARES
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIFEX. MAXIMVS.
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P.

Et:

FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P.

Et:

FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIFEX. MAXIMVS.
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P. P. P.
PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARIQ. IVSSERVNT.

Ausonius quoque in gratiarum actione Gratianum Augustum Pontificem maximum nominat his verbis: *Sic potius, sic vocentur, quæ tu Pontifex Maximus Deo participatus habuisti*. Idem paulo supra Pontifex religione.

IMP. XII.

id est

Imperator duodecimum.

Vetus erat consuetudo Populi Romani, ut qui exercitibus præessent re bene gesta militum acclamatione Imperatores salutarentur, laureatasque ad Senatum literas mitterent, laureatosque lictores & fasces haberent usque ad triumphum. Senatus quoque Imperatoris nomen decernebat. Cicero Philippica XIV. *At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, Imperatorem appellaret Senatus?* Idem paulo infra dicit Imperatorem esse virtutis, & victoriæ nomen, Consulem vero beneficii P. R. Quod autem a militibus Imperatores salutabantur, testis est Cicero, qui ad Cœlium de se ita scribit: *Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses hostes sempiternos. Multi occisi, capti, reliqui dissipati. Castella munita improviso adventu capta, & incensa. Ita victoria justa Imperator appellatus apud Issum*. Hæc quoque militaris appellatio apud Augustos remansit, quotiens vel ipsi, vel ipsorum auspiciis alii rem feliciter gesserant. Victoriarum quoque numerus notabatur per hujusmodi imperatorias salutationes. Totiens enim prælio inito hostes occidione occisos, fusos, fugatosque a quopiam intelligimus, quotiens Imperator notatur. Numerus autem per notas conceptus XII. id est duodecimum, quomodo exprimendus sit, nemo est paulo in his studiis versatus, qui nesciat. A. Gellius lib. X. cap. I. in eam sententiam videtur ire, ut tertium, quartum, quinctum, & sextum ex auctoritate Ennii, & Catonis, & Græca consuetudine proferat. Nos illum nummis & lapidibus auctoribus sequimur. Sic est supra porticum Panthei:

M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT

COS. XI.

id est

Consul undecimum.

Et si supra, cum de statuti Obelisci in Circo maximo tempore ageremus multa, tetigimus, quæ huc referri possunt, tamen de Augusti Consulatibus nonnulla in medium proferemus. Primum Consulatum iniit minor XX. annis, cum per leges non liceret, Hircio & Pansa Consulibus apud Mutinam interfectis. Suetonius in Augusto: *Consulatum XX. ætatis anno invasit admotis hostiliter ad Urbem legionibus, missisque qui sibi nomine exercitus deposcerent. Cum quidem cunctante Senatu Cornelius Centurio princeps legationis rejecto sagulo ostendens gladii capulum non dubitasset in Curia dicere, hic faciet, si non feceritis vos. Secundum Consulatum post novem annos. Tertium anno interjecto gessit; sequentes usque ad undecimum continuavit. multisque mox cum deferrentur recusatis duodecimum magno, id est septemdecim annorum intervallo, & rursus de-*

cimumtertium biennio post ultro petiit, ut C. & L. filios amplissimo præditos magistratu, suo quemque tirocinio deduceret, in forum. Quinque medios Consulatus a sexto ad undecimum annuos gessit. Ceteros autem sex aut novem, aut sex, aut quattuor, aut tribus mensibus, secundum vero paucissimis horis. Nam die Kalendarum Januariar. cum mane pro æde Capitolini Jovis paululum Curuli sella præsedisset, honore abiit suffecto alio in locum suum. nec omnes Romæ, sed quartum Consulatum in Asia, quintum in Insula Samo, nonum Tarracone iniit. Hactenus Suetonius. Supra diximus non significari statutum esse Obeliscum in Circo maximo ab Augusto eo ipso anno quo XI. Consulatum gereret, quamvis sic notatum sit XI. id est undecimum. sed post quartumdecimum annum initi undecimi Consulatus. quod probat numerus proxime notatus Tribuniciæ potestatis cum undecimo item Consulatu. Significatur autem, ut diximus, Augustus ad eam diem undecies Consul fuisse. Consulatum vero primum Augustus XVI. Kal. Majas accepit, ut ex Ovidio lib. IV. Fastorum intelligitur.

Ut titulum Imperii quamprimum luce sequenti
Augusto juveni prospera signa darent.

TRIB. POT. XIV.

id est

Tribunicia potestate quartumdecimum.

De Tribunicia potestate Augusti sic Suetonius in Augusto: *Tribuniciam potestatem perpetuam recepit, in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptavit.* Cornelius Tacitus lib. I. annalium initio Tribunicio jure ad plebem tuendam usum esse Augustum narrat. quam ob causam inventam fuisse Trib. potestatem Varro lib. 4. de lingua Latina scribit hoc modo: *Tribuni plebeii, qui ex Tribunis militum primum Tribuni plebeii facti, qui plebem defenderent in secessione Crustumerina.* hac de re tota consulendus Livius libro II. Dio autem, qui de temporis sui more præterita judicat, Tribunicia potestate muniri solitos Imperatores existimat. sed cum in hoc, tum in prænomine Imperatoris Latinos auctores sequendos censeo. Trib. certe potestas apud Romanos sacrosancta habita inviolabiles eos reddebat. adeo ut indemnatos necare liceret quicumque adversus Tribunicia potestate præditos aut vim afferre, aut male dicere ausi essent. Quod vero apud Suetonium legitur in Tiberio Tribuniciam potestatem Tiberio datam in quinquennium, & rursus eamdem datam in quinquennium, vereor ne aut falsus sit auctor, aut locus mendosus, ac pro quinquennio ultimo, fortasse reponendum *decennium*. Nam ex nummorum serie, quos in libro rei antiquariæ dispusuit Goltzius, & ex tabulis Capitolinis cognoscimus Tiberium ante Augusti excessum Tribunicia potestate quartumdecimum, & amplius functum fuisse. qui numerus est supra duo quinquennia. Sic in Tabulis Capitolinis:

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. DIVI. N. TR. POT. XIII.

Præterea tradit Dio Tribuniciam potestatem Tiberio primum datam in quinquennium, iterum in decennium. Cornelius quidem Tacitus tempus non adjecit, cum ita scripsit: *Nero collega Imperii, consors Tribuniciæ potestatis adsumitur* & infra: *Augustus paucis ante annis cum Tiberio Tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet.*

AEGVPTO. IN. POTESTATEM
POPVLI. ROMANI. REDACTA

Eo respexit Augustus in Obelisco devehendo, ut memoriam Ægypti ab se in provinciæ formam redactæ propagaret. Illud certe sciendum est, Ægyptum ab Augusto debellatam esse non tempore in basi hujus Obelisci prænotato, sed Augusti Consulatu sexto, novemdecim ante hoc tempus annis. Quod autem diximus Augusto sextum Consule Ægyptum captam fuisse, admonuit nos totius antiquitatis peritissimus Fulvius Ursinus nummi argentei facta copia, in quo literis in orbem excusis sic legitur: IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. VI. in altera parte crocodilus est, supra & infra literis sic notatis AEGVPTO. CAPTA. Ex quo facile confirmari potest constantem & perpetuam eam fuisse scribendi rationem, ut penultimæ syllabæ vocalis per Latinam literam V, quæ est ultima vocalium, non autem per Græcam literam Y, quæ nunc profertur perinde ac I, tertia Latinorum vocalis. Sic quoque Sulla, non Sylla & scribendum & enuntiandum est, quemadmodum Tullius Latine dicitur, qui Græce Τύλλιος. Sullæ Dictatoris fit mentio in perveteri lapide, qui est apud Fulvium Ursinum, quem iterum honoris causa nomino, & ad quem visendum multi mortales ex Gallia, Hispania, Germania, in Urbem Romam, quod Livio Patavino contigisse litterarum monumentis proditum est, sæpe veniunt.

L. CORNELIO. L. F.
SVLLÆ. FELICI
DICTATORI.
VICVS. LACI. FVND.
SOLI. DONVM. DEDIT.

Quem in Ægypto a Regibus Obeliscum Soli dedicatum Augustus non ignorabat, eidem Soli Ægypto in potestatem Populi Romani redacta gentium errore ductus Romæ domum dedit. Sapientissime autem SIXTUS QUINCTUS PONT. MAX. Ecclesiastica ditione ab exsulum pestifera impressione liberata, Urbe Roma constituta atque ornata, impia veterum superstitione penitus exstirpata, eundem Obeliscum ex profundissimis Circi maximi latebris altissimis egestis ruderibus sumptu maximo erutum sanctissimæ CRUCI statuit Trophæum. Quod infrascriptis versibus complexi sumus.

Quæ Pelusiacis Obeliscum Augustus ab oris
Post domitam Æguptum vexit, solique dicavit,
Visceribus Circi hunc mediis, altisque ruinis
Effossum SIXTUS veterum reparator honorum
Flaminiam ad Portam statuit, solisque sacravit
Auctori, signoque CRUCIS splendescere jussit,
Pacatæ Italiæ monumentum Urbisque redactæ
In sanctos legum mores, placidamque quietem.

F I N I S.

PETRI ANGELII BARGÆI

D E

PRIVATORUM PUBLICORUMQUE

ÆDIFICIORUM

URBIS ROMÆ

EVERSORIBUS

EPISTOLA

A D

PETRUM USIMBARDUM

FERDINANDI MEDICIS MAGNI DVCIS
ETRURIÆ A SECRETIS PRIMUM.

PETRI ANGELII BARGÆI

DE

PRIVATORUM PUBLICORUMQUE

ÆDIFICIORUM

URBIS ROMÆ

EVERSORIBUS

EPISTOLA.

PETRUS ANGELIUS BARGÆUS

PETRO USIMBARDO S.P.D.



Etis a me, ut tibi scribam, quibus argumentis adductus orum opinionem minus esse veram existimem, qui Theatris, Thermis, Circo maximo, Obeliscis, Aquæductibus eversiones ac ruinas, quas in Urbe Roma videmus, a barbaris nationibus, hoc est a Gothis atque a Vandalis, illatas atque editas fuisse affirmant: tum ut ad hanc hujusmodi disputationem adjungam, quamobrem Hieroglyphicas notas, quas in Commentario de Obelisco e Græco in Latinum verti, adversante Plinii auctoritate, illi Obelisco potius tribuerim, quem Octavianus Augustus D. F. in Circo maximo posuit, quam illi, quem Constantius Constantini F. Imperator ex Ægypto allatum in eodem loco multis post annis statuit & collocavit. Ego vero, mi Usimbarde, hautquaquam ignoro vocari me in eam disputationem, quæ cum *παράδοξος* sit, fortasse multos adversarios mihi minime litigioso sit excitatura, tamen ut intelligas amorem a me tuum sic amari, nihil ut sit, quod tu a me jure tuo non modo petere, sed etiam exigere & possis, & debeas, non verebor de tanta re, hoc est de tantarum substructionum ruinis ea in hanc scriptionem conjicere, quæ me in eam mentem impulerunt, ut a vulgata omnium opinione dissentirem. in quo, si quod conabor, minus præstare fortasse potero, ego me eo proverbio consolabor, quo docemur *πάντα τὰ καλὰ εἶναι δύσκολα.* nam, ut hoc non succedat, nulla certe reprehensio tam illustrem & periculosum conatum consequetur.

D Etenim, ut Poeta valde bonus testatum reliquit, *In magnis voluisse sat est.* Quid autem majus ac difficilius esse potest, quam inveteratam atque in omnium animis penitus defixam opinionem convellere? quod tamen tantum abest, me ut a proposito deterreat, ut ad liberandam a calumnia tam invictam atque illustrem nationem acrioribus etiam stimulis urgeat. Nec tamen is sum, qui ægre laturus sim, si quis exstiterit, qui argumentationes & conjecturas meas minus probaverit. par enim est, ut id probet, quod ad veritatem propius accedere arbitratur. Ego certe, cum in illa opinione essem, in qua, nisi fallor, cæteri propemodum omnes versantur, quærer emque E illustrium Scriptorum auctoritates, quibus hujusmodi opinionem firmiter stabilirem, in ea loca incidi, quæ me in contrariam partem vel invitum & nolentem abduxerunt. Atque hæc ut me fortasse deceperint, aliis certe ingrata esse non debebunt, si verum illud est *ὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντα εἰδέναι:* idque tanto magis, quod, quæ a me dicentur, ita dicentur, ut, si quis meliora in medium attulerit, ei ego sim non modo acturus, sed etiam habiturus gratias immortales: quando nullum beneficium ab ullo majus accipimus, quam cum ab errore liberamur. Sed ne F diutius suspensa oratione mea expectatio tua teneatur, sic ad causam aggrediar, ut *ὁμηρικῶς ὕστερον πρότερον* ad propositas mihi abs te quæstiones respondeam. Cum igitur Hieroglyphicas illas notas ex Hermapione Latine interpretarer, atque Ammiani auctoritatem secutus Obelisco illi tribuerim, quem Augustus in Circo maximo posuerat, non ignorabam me id facere, quod in dubium ab aliquo revocari posset, qui apud Plinium, cum de

duobus Obeliscis Augusti loquitur, hæc verba legisset. *Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum opere philosophiæ continent.* Quis enim tam hebes est, qui non intelligat, hæc si vera sunt, illud falsum esse, quod Ammianus testatur? Neque ego tam parum in legendo diligens existimari aut debeo aut possum, qui cum totum illud caput interpretatus in Commentarium meum de Obelisco retulerim, ea verba vel imprudens vel oscitans præterierim, quæ se etiam aliud agenti legenda offerebant. Sed cum viderem me eo esse adductum, ut aut cum Ammiano, aut cum Plinio sentirem, placuit, ut ab illo potius, quam ab hoc starem. neque hujusmodi consilii mihi esse reddendam rationem censui, quod neque Plinium libenter accusabam, neque longior in disputando esse volebam, quam Commentarioli illius ratio postularet. At Plinius doctior, quam Ammianus: quis negat? sed idem tamen, vel eorum culpa, quorum opera in admirabili illo opere conficiendo utebatur, vel scribendi festinatione, & rerum multitudine, quas memoriæ prodendas susceperat, obrutus, atque ipsemet a se ipso abductus, a compluribus in tradenda rerum veritate parum considerate versatus esse existimatur: usque adeo, ut vulgo etiam Plinius quodam quasi peculiari cognomento Mendax nominetur. Quamobrem hac quidem in re sequi Ammianum malui, nec, ut verum fatear, eum me secutum esse adhuc pœnitet; quando ut hoc facerem plures caussæ impulerunt. Una, quod locum Plinii, cum ex veterum codicum collatione, tum ex ipsa verborum inter se constructione, corruptum esse animadvertebam. Quid enim est? *Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum opere philosophiæ continent.* An fortasse sic interpretabimur? ut dicamus continet rerum naturæ interpretationem opere Ægyptiorum philosophiæ. præclaram vero verborum consecutionem, & Pliniana subtilitate & brevitate dignam, in qua explicanda si qui sibi vehementer placuerint, suum illis in interpretando acumen & judicium non invitus relinquo. Altera caussa est, quod Aurelius Cassiodorus lib. III. Variarum scribit in ambobus Obeliscis, qui sunt in Circo maximo, altero Augusti, altero *Constantii sacra priscorum Chaldaicis signis, quasi literis indicari.* Quod si verum est priscorum theologiam in ambobus illis obeliscis descriptam esse; præterquam quod necessario sequitur, Plinii locum aut corrupte legi, aut id memoriæ prodere, quod falsum est, id etiam necessario concluditur, Hermapionis interpretationem Constantiano Obelisco nullo modo tribui posse. Etenim si, ut Cassiodorus testatur, eæ Hieroglyphicæ notæ theologiam veterem complectuntur, Hermapionis autem interpretatio nihil hujusmodi designat, sine ulla dubitatione concludi potest, interpretationem illam nihil prorsus ad Obeliscum Constantianum pertinere. At Plinio potius, quam Cassiodoro assentiendum. esto. Sed ego hac quidem in re illorum neutri magnam fidem habendam esse arbitror. quippe quos vulgi opinionem & famam potius sequutos esse verisimile sit, quam quod aut ipsi notas illas intelligerent, aut aliquem haberent, quem in Hieroglyphicis interpretandis consulerent. Erat plane & Plinio & Cassiodoro Hieroglyphicorum usus incognitus: quod ex Strabone discere possumus: qui imperante Octaviano Augusto Cornelium Gallum in Ægyptum secutus est. ejus hæc sunt verba ex libro XVII. Τῶν γεογραφ ἐν δὲ τῇ ἡλιουπόλει καί οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον οἱ ἱερεῖς. μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τὸ παλαιόν φιλοσόφων ἀνδρῶν, καὶ ἀστρονομικῶν. ἐκλέλοιπε δὲ καὶ τοῦτο νυνὶ τὸ σύστημα, καὶ ἡ ἄσκησις. ἐκεῖ μὲν οὖν οὐδεὶς ἡμῖν ἐδείκνυτο τῆς τοιαύτης ἀσκήσεως προεστώς, ἀλλ' οἱ ἱεροποιοὶ μόνον, καὶ ἐξηγηταὶ τοῖς ξένοις τῶν περὶ τὰ ἱερὰ hoc est: *In urbe autem Heliopoli ingentes domos vidimus, in quibus sacerdotes versabantur, ferunt enim hanc olim fuisse sedem sacerdotum, hominum scilicet philosophiæ atque astronomiæ deditorum. quorum ordo & studium hac quidem ætate funditus interiit. quamobrem nemo illis nobis oblatus est, qui hujusmodi disciplinam profiteretur, sed sacerdotes tantum, & qui sacrorum ritus hospitibus commonstrarent.* Hæc Strabo. e quibus haud difficillime colligi potest id, quod supra est a nobis dictum, usum scilicet Hieroglyphicorum ea ætate sacerdotibus etiam Ægyptiis ignoratum fuisse. Philosophia enim & Astronomia iis notis descripta occulebatur. quas cum intelligeret nemo, nemo etiam supererat, qui apud Ægyptios de iis facultatibus loqui posset. Itaque idem Strabo eodem in loco, παρηκολούθει δὲ, inquit, τις ἐξ Ἀλεξανδρείας ἀναπλέοντι εἰς τὴν Αἴγυπτον Γάλλῳ ἡγεμόνι Χαιρήμων τοὔνομα, προσποιούμενος τοιαύτην τινὰ ἐπιστήμην, γελώμενος δὲ τὸ πλέον ὡς ἀλαζὼν καὶ ἰδιώτης. hoc est: *Cornelium autem Gallum Præfectum ex urbe Alexandria in Ægyptum navigantem Chæremon quidam secutus est, qui se hujusmodi scientiæ cognitione præstare simulabat: sed sæpe & sæpius tanquam gloriosus ostentator & imperitus a nobis ridebatur.* Hæc Strabo. e quibus Chæremonem percipimus hominem fuisse quibusdam persimilem, qui in Regum & Principum aulis versantes, nihil cum sciant, nihil tamen se nescire profitentur. is igitur Cornelio Gallo, ut verisimile est, pollicitus se se omnia, quæ Hieroglyphicæ notæ complecterentur, declaraturum, vanissimus est inventus. id enim (nisi plane fallor) significant ea verba προσποιούμενος τοιαύτην τινὰ ἐπιστήμην. hoc est, qui se tali quandam scientiæ cognitione instructum esse simulabat, id est instructum cognitione Hieroglyphicorum, quibus philosophia apud Ægyptios continebatur. Neque enim simpliciter ad philosophiæ professionem referri ea vel possunt, vel debent, cum & Diodorus Siculus, & Strabo, viri cum in omni doctrinarum genere, tum in Philosophia & Mathematicis præstantes adessent, qui quod ad hujusmodi facultates pertinet, hominem primo statim congressu aperire potuissent. Nihil est igitur dubitandum, quia ex his verbis pro comperto habere nos oporteat, regnante Augusto D. F. fuisse ferme neminem, a quo Hieroglyphicæ notæ intelligerentur, ut mirum non sit, si ii, qui Augusti ætatem consecuti sunt, cum in maxima rerum obscuritate, quod ad Hieroglyphicorum cognitionem pertinet, versarentur, alii aliter eadem de re loquerentur & scriberent. id quod si & Plinio & Cassiodoro accidisse existimabimus, haud omnino longe a veritate aberrasse videri poterimus. alter enim rerum naturæ interpretationem, alter Priscorum ceremonias & ritus ad religionem pertinentes iis Hieroglyphicis contineri scribit, quæ in ambobus Circi maximi Obeliscis inscripta sunt. Ergo aut uterque, aut certe alteruter deceptus est. Ut etiamsi concesserim Hieroglyphicorum notitiam ad Plinii & Cassiodori ætatem pervenisse, tamen, quia necesse est vel hunc, vel illum ignorasse quid scriberet, quando in eadem re diversa sentiunt, sine ulla reprehensione ab utroque dissentire libere possum. cum præsertim habeam alium ducem, quem sequar, Ammianum scilicet Marcellinum, qui & Hieroglyphica ipsa ex Hermapionis libro interpretatur, & in Augusti D. F. obelisco esse inscripta testatur. Cujus hæc sunt verba: *Secutæque ætates alios transtulerunt: quorum unus in Vaticano, alter*

in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt. Qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri, quem videmus in Circo, Hermapionis librum secuti interpretatum literis subjecimus Græcis. quæ verba quis tam hebes est, qui non videat sic esse explicanda? ut secutas ætates dicat, quæ Augusti, non quæ Constantii ætatem, qua ipsemet Ammianus vixit, consecutæ sunt. ut hominis sit parum omnino perspicacis, existimare Ammianum eo in loco corruptum esse. Etenim si ipse Constantianum Obeliscum statui vidit, qui fieri potest, ut secutas ætates eas intelligamus, quæ ipsius auctoris ætatem consecutæ sunt? At inter hæc verba & eum locum, in quo supra de Octaviani Augusti Obeliscis loquitur, ea interjecta sunt, quæ ad Obeliscum Constantianum pertinent, ut dubitare nos cogat, quas ætates designet. ille vero, si ab homine attento & illud agente legatur, non modo non cogit, sed ne patitur quidem. Quoniam igitur imperante Augusto D. F. duo tantummodo Obelisci Romam invecti fuerant, quorum alterum in Circo maximo, alterum in Campo Martio Augustus statuerat, enumeratis Obeliscis, qui post ætatem Augusti in Urbem ab aliis fuerunt importati, ad Augusti Obeliscum revertitur, quem trecentis quadraginta annis & amplius ante Constantianum Obeliscum in Circo maximo posuerat: ut non inepte hunc Augusti Obeliscum veterem Obeliscum appellet, nam & ipsum Octavianum Augustum *veterem principem*, & Obeliscum Constantianum *recentem obeliscum* superius appellaverat, quem ipse scilicet statui in Circo viderat. par igitur erat, ut Augusti obeliscum veterem obeliscum nominaret. addidit autem IN CIRCO, ne eum intelligeremus, quem in Campo Martio ab eodem Augusto statutum supra dixerat. Nam qui legunt *veteri quem videmus in Circo*. Velim mihi dicant, quisnam auctor apud Latinos, vel Græcos Circum maximum, veterem Circum appellaverit? quando etiam ipsemet Ammianus supra scriptum reliquit: *Quorum unus in Circo maximo, alter in Campo locatus est Martio*. Quamquam ne sic quidem locum corrumpentes, quod volunt assequuntur. Nam ut legatur, *veteri quem videmus in Circo*, aperte tamen significat se loqui non de Constantii, sed de Augusti Obelisco. Nam si Constantianum intelligi voluisset, jam non *vidimus*, sed quemadmodum antea, *Recens in Circum adductum*, vel *Recens in Circum maximum vidimus*, dixisset. Etenim si ea vox *veteri* adjungatur *circo*, ut de Constantii Obelisco Auctor loqui existimetur, Obeliscum Augusti illinc excludet. Verum sum ineptus, qui hasce pueriles ineptias, & nimis anxie quæsitas lucubrationis meæ reprehendendæ occasiunculas tam subtiliter persequar, & studiose refellam. quasi vero cuiquam paulo eruditiori dubium esse possit, quod dicimus, cum rerum ordo, & historiæ contextus, & verborum consecutio apud Ammianum hujusmodi sit, ut, qui secus, hac quidem in re, quam nos existimaverit, callidus potius calumniator, quam disertus interpres haberi debeat. quando necesse habet verba apud illum Auctorem pervertere, & totum illum locum, quem alii integerimum esse judicant, corruptum esse dicere, ut, quam maxime cupit, sententiam non conficiat ille quidem, sed quasi per speciem oblatam somniet. Nam si nobis licet, ut nostra stabiliamus, veteres auctores, quorum scripta ad nos pervenerunt. vel pervertere, vel negligentiæ, vel vanitatis nomine sine ullo probabili argumento non solum habere suspectos, sed etiam quasi indicta caussa condemnare, jam nihil tam absurdum esse poterit, quod palam atque aperte profiteri atque asserere nequeamus. Sed quorsum hæc tam multa? nempe, ut hanc caussam semel perorem, & orationem meam sic concludam, ut, postquam nulla ætas est tam fœlix, quæ suos non habeat Chæremones, & Bavios, liberum unicuique esse velim in quaque re id sentire, quod maxime probaverit. nam ut ego in eadem sententia constantissime permaneo, ita nihil prohibeo, ut alii, quod semel senserunt, quo jure, quave injuria pertinacissime tueantur ac defendant. Suum enim cuique pulchrum est: & ita se res habet, te tua, me delectant mea. Neque ego eam provinciam suscepi, ut simiæ persuadeam, ne simiis ipsa suis turpissimis scilicet bestiis tantopere delectetur. Nam quod Constantianum Obeliscum a Constantino ejus fratre fuisse in urbe Heliopoli in Solis templo humi depositum, & Alexandriam devectum in Commentariolo illo meo scripserim, nihil est, quod quisquam me gravius reprehendat. cum enim haberem neminem, quem sequerer, præter unum Ammianum, ea de re sic loquentem, ut percipi minime possit, Constantinumne patrem, an Constantinum filium fuisse dicat, qui Obeliscum illum demolitus fuerat, ego Constantino filio hujusmodi demolitionem tribuendam putavi. Quando idem Ammianus id a Constantino factum fuisse memorat, quod eum Obeliscum in Urbem Romam importare, & illic tanquam in totius Orbis terrarum templo statuere & consecrare decrevisset. id quod in Constantinum patrem parum convenire mihi videbatur, cum ille non Romam, sed Byzantium urbem ornandam suscepisset, quam etiam ex suo ipse nomine Constantinopolim appellari voluisset. Hac igitur conjectura ductus, ut mihi quidem videtur, satis probabili, Constantinum filium Constantis & Constantii fratrem ejus demolitionis auctorem feci inventa deinde atque e terræ latebris eruta ejus Obelisci base atque inscriptione, falsum esse patuit, quod de Constantino filio suspicatus fueram, ut nescio cui facillimum fuerit inventis frugibus glandium usum reprehendere. tum oportuit scriptionem meam reprehendi, cum ea Inscriptio nondum in lucem prodierat. quamquam, ut Constantinum patrem ejus demolitionis auctorem fuisse constet, mirandum tamen non est, si, nemo mihi hac in re facem cum prætulerit, ego in tantis tenebris aliquid offenderim, & dum eum quero, qui, Obeliscus ille ut deponeretur curavit, si in ipsius filium incurrerim. profecto ego Davus eram, non Oedipus, qui, uter eorum illud opus aggressus esset, divinare ac statuere possem. in quo tamen si hoc meum peccatum memoriæ peccatum esse dicerem, caussam meam illustrium Scriptorum exemplo & auctoritate, Aristotelis, Ciceronis, Plinii, tueri possem; quorum μνημονικὰ ἁμαρτήματα complura memorantur. nunc autem non memoriæ, sed rerum obscuritati tribuendum dico: si patris factum filio attribuerim. Sed quid si ejus Inscriptionis auctorem historiam eorum temporum non satis notam & explicatam habuisse ostendero? obstabit ne quidquam, quamobrem ab illo dissentiendum, ac discedendum esse non putem? Ejus hi sunt Hexametri:

Hoc decus ornatum genitor cognominis Urbis
Esse volens cæsa Thebis e rupe revellit.

Hic sine ulla dubitatione auctor inscriptionis testatur Obeliscum illum Constantini patris jussu e rupe Sienæ & cæsum & revulsum. id quod falsum, plenumque erroris est. quemadmodum ex Ammiani XVII. libro didicimus, cujus hæc sunt verba: *Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id*

ſine modo ſtrepebant, quod cum Octavianus Auguſtus Obeliſcos duos ab Heliopolitana civitate tranſtuliſſet Ægyptia, quorum unus in Circo maximo, alter in Campo locatus eſt Martio, hunc recens advectum difficultate magnitudinis territus nec contrectare auſus eſt, nec movere. diſcant qui ignorant, veterem principem translatis aliquibus hunc intactum ideo reliquiſſe, quod Deo Soli ſpeciali munere dedicatus fixuſque intra ambitioſi templi delubra, quæ contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat. Verum Conſtantinus id parvi ducens avulſam hanc molem ſedibus ſuis, nihilque committere in religionem recte exiſtimans, ſi ablatum uni templo miraculum Romæ ſacraret, id eſt in templo Mundi totius, jacere diu perpeſſus eſt, dum tranſlationi pararentur utilia. Hoc Ammiani teſtimonio Auctor Inſcriptionis convinctus diſcedat neceſſe eſt, quamquam, ſi paulo conſideratior fuiſſet, non tam temere inſcribendum id curaviſſet, quod refutari ac refelli facillime poterat. nam, præterquam quod multos tum fuiſſe in Urbe Roma veriſimile eſt, qui eum Obeliſcum Heliopoli ſtantem viderant, abſurdum exiſtimari poterat, Conſtantinum exſcindi eam molem, & in ipſa Hieroglyphicas notas inſcribi voluiſſe, cum & multos obeliſcos paratos haberet, quos ex Ægypto Romam aveheret: & imperante Conſtantino nulli ſupereſſent, quemadmodum oſtendimus, qui Hieroglyphicorum notitiam haberent: & ut ſupereſſent, Conſtantinus tamen Latinis, vel Græcis potius, quæ vulgo intelligebantur, quam Ægyptiacis notis, quarum notitiam vel nulli prorſus, vel certe pauciſſimi habebant, ſui memoriam poſteris commendari voluiſſet. imperite igitur, quiſquis eorum carminum auctor fuit, hiſtoriam de Obeliſco Conſtantiano nobis deſcripſit. In qua præterea non parum peccaſſe exiſtimari poteſt, quod memoriæ prodidit Conſtantinum patrem ideo obeliſcum illum excidendum curaviſſe, quod Byzantium deferri vellet, cum ex Ammiani hiſtoria conſtet humi depoſitum a Conſtantino fuiſſe, ut Romam inveheretur, ibique tanquam in communi omnium gentium templo collocaretur. Quamobrem nihil video cur ille vera, ego falſa de hujuſmodi Obeliſci demolitore dixiſſe exiſtimari debeam. neque enim quemquam eſſe arbitror, qui neſcio cui (ut Fabiano verbo utar) verſificanti majorem fidem habeat, quam hiſtoriæ ſcriptori, ſi non Latinitatis, veritatis quidem in primis obſervanti. Verum ἅλις non modo δρυός, ſed λεπτολογημάτων, ne dicam λεπτολεσχιῶν: in quas ego propterea ſum ingreſſus, quod vererer, ſi eas ſilentio præteriſſem, ne quis exiſtimare me non quidem eas contempſiſſe, ſed cauſſæ diffiſum erratum agnoviſſe meum. taciturnitas enim, ut ille inquit, imitatur confeſſionem. Ergo his omiſſis πρός τὸ πρότερον revertamur. Verum, ut eo, quo intendimus, ſine errore perveniamus, primum conſtitui neceſſe eſt, quoties factum eſt, ut Roma a Gothis ac Vandalis capta ac direpta fuerit, & quibus potiſſimum temporibus hoc ipſum acciderit. Et ſane ſi Paulo Oroſio viro integerrimo, & Procopio hiſtoriæ ſcriptori vel in primis gravi, qui, Gothis Italiam obtinentibus, floruit, & apud Belliſarium non ſolum medicinam fecit, ſed etiam rebus gerendis præfuit, credi oportet; quinquies omnino contigit, ut ea Urbs ab iis nationibus intra centum & triginta ſex annos per vim occuparetur, ab Alarico, a Genſerico, a Ricimere, a Totila, qui bis eam & cepit & diripuit. trecentis autem ac ſexaginta annis poſt eas calamitates ab Arnulfo Germanorum Rege obſeſſa illa quidem & capta eſt, ſed tamen, quod ad publicorum ædificiorum & ſubſtructionum ruinas pertinet, nihil omnino incommodi paſſa eſt. Satis enim ſuperque ille habuit a Fortunato Pont. Max. Auguſtum appellari, atque inungi, & populum Romanum jurejurando ſibi devincire. quod cum feciſſet, Roma incolumi relicta diſceſſit. Ac primum quidem anno a Chriſto nato ccccx. Alaricus ab ſe per dolum captam ſpoliavit. Qui omnium primus poſt Radageſum in Italiam irrupit, & cum acceptis ab Honorio Imp. conditionibus in Galliam ſe conferret, jamque, ut nonnulli memorant, ad Cottias Alpes perveniſſet, Stiliconis exercitum, qui illic, ut Gothos exciperet, in inſidiis deliteſcebat, magna occidione delevit, iratuſque Honorio ob violatam fidem iter convertit: & vaſtata magna & celeberrima Italiæ parte, Romam etiam cepit ac diripuit. Qua in re tantum abſuit, ut dolori ſuo paruerit, atque iracundiæ ſervierit, quod jure belli facere potuit, ut inſignis & incredibilis erga Romam lenitatis ac continentiæ exempla ediderit, cum tamen ſine reprehenſione in populum Romanum acerbiſſime ſævire potuiſſet. Fuerat enim ab Honorio ſtipendiis, quæ una cum exercitu meruerat, fraudatus: deinde ſimulata pactione Galliarum per inſidias appetitus: ut ſtipes ac truncus exiſtimari deberet, niſi omnibus, qui Honorio parebant, iratiſſimus veniſſet. At ille Romam ingreſſus edicto cavit, ne quis aut virginem, aut viduam, aut honeſtam alioqui mulierem violaret: neve quenquam attingeret, qui in ſacram aliquam Ædem confugiſſet: utque a cædibus, quantum fieri poſſet, omnes temperarent. Potuit ne quicquam vel humanius vel mitius ab eo deſiderari, qui vel Urbem amicam ac ſuam per vim expugnatam in poteſtatem redegiſſet? Ac libet hic & ipſius Alarici, & totius exercitus factum commemorare, quod incredibilis in Chriſtianum nomen pietatis indicium ad æternum ejus nationis decus ſic tum conſtitutum eſt, ut e piorum memoria deleri nunquam oporteat. Atque utinam qui noſtra ætate eandem Urbem hoſtes ab ſe expugnatam depopulati ſunt, hujuſmodi exemplum ſibi ante oculos poſuiſſent: qui Chriſtiani cum eſſent, nihil ſibi tamen reliquum ad crudelitatem atque impietatem fecerunt, cum ii neque ſacrarum ædium, neque ſacrarum virginum, neque honeſtiſſimarum mulierum pudori pepercerint, cum Procerum ac Pontificum ſedes, ac Sanctorum templa diripuerint, & cede & ſanguine omnia compleverint. Sed his omiſſis quæ a graviſſimis ſcriptoribus & reprehenſa & complorata ſunt, pulcherrimum illud Gothorum factum ex Paullo Oroſio in hanc ſcriptionem noſtram transferamus. Sed ne forte aliquid de meo addidiſſe hic exiſtimer, Oroſii ea de re teſtimonium ſic recitabo, ut paululum in melius commutatis verbis ſententiam religioſe ſervaverim. *Barbaris*, inquit, *Urbem paſſim diripientibus, quidam ex iis domum uſui divini miniſterii dedicatam ingreſſus eſt; cumque illic mulierem jam natu grandem reperiſſet, quæ Deo Opt. Max. virginitatem ſuam jam inde ab ineunte ætate conſecraverat, atque ille non modo nobilitate inter Gothos excelleret, ſed etiam Chriſtianus eſſet, per ſummam modeſtiam ab ea poſtulare inſtitit, ut, quicquid auri argentique haberet, palam proferret, quod cum mulier ab ſe peti audiviſſet, ſic dicto paruit, ut ingentium opum vim magnam in apertum contulerit, eæ erant vaſa ex auro argentoque tum pondere tum pulchritudine mirabiliter conflata, quæ cum Barbarum operis artificio obſtupefactum intueri virgo illa animadvertiſſet, Petri, inquit, Apoſtoli cultui ſacra hæc inſtrumenta ſunt, auferto, ſi libet, ac de facto tu videris. Ego enim, quia prohibere, quominus id tu facias, non poſſum, neque reſiſtam neque conatus tuos refutabo*

Hæc Barbarus cum audisset, & injecta sibi religione ad venerationem commotus esset, Alarico Regi per nuntium significavit. At ille ad Apostoli ædem vasa omnia quamprimum referri, & non modo virginem, sed reliquos etiam omnes, qui ad eam se adjunxissent, stipantibus pompam militibus incolumes reduci jussit. Ea domus in media Urbe posita longe a Vaticano aberat. inde cum singulorum capitibus singula vasa essent imposita, longo ac pulcherrimo ad videndum spectaculo ad Basilicam sic deportari cœpta sunt, ut utrinque conglobati milites cum exsertis ad defensionem gladiis piam illam pompam comitarentur & munirent, hymnosque Deo Optimo Maximo Romani ac Gothi simul canerent, quibus permulti, qui se in latebras conjecerant, exciti ad eos prodeuntes concurrebant, iisque, quo plures ad talem comitatum confugerent, eo alacrius Barbari defensores circumfundebantur. His Orosius postquam admiratione obstupefactus acclamavit, alia subjicit, quæ hæc sunt. *Tertia die Barbari, postquam Urbem ingressi fuerant, nulla vi coacti, sed judicio ipsi suo ac voluntate discedunt, aliquot tantummodo ædibus incendio absumptis, multo tamen paucioribus, quam quæ anno ab Urbe condita* DCC. *subito factis & fortuitis ignibus arserunt.* Hæc Orosius, quorum adstipulator est Cassiodorus libro XII Variarum, Epistola XX cum ait: *Nam cum Rex Alaricus Urbis Romæ deprædatione satiatus Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox ut rei caussam cognovit, ad Sancti Petri Basilicam ipsorummet direptorum manibus deportari jussit, ut cupiditas, quę prędandi aviditate flagitiose peccaverat, incredibili sanctimonia commissum scelus expiaret.* Ex his etsi paulo aliter, quam ab Orosio commemorantur, tamen qui Gothorum in diripienda Urbe placabilitatem atque clementiam non suspexerit, eum esse oportet omnium affectionum animi, quibus ad ultionem & crudelitatem impellimur, expertem. At ii multas domos incendio absumpserunt. quis negat? neque enim victor exercitus & injuria affectus contineri potuit, quin resistentibus Romanis, & arma contra ferentibus, & cædes committeret, & in ædificia ignem injiceret. Sed ut aliquot domus conflagraverint, certe Thermæ, Theatra, atque Obelisci trium dierum spatio ab iis vastari ac dejici non potuerunt, præsertim in Urbis direptione occupatis. Atque hoc quam verum sit, Jornandes, in eo libello, quem De Rebus Geticis scriptum reliquit, his verbis testatur. *Postremo* (inquit) *Romam ingressi* (de Gothis loquitur) *Alarico ita jubente Urbem modo spoliant, ab incendiis abstinent, neque ullam Sanctorum Ædibus injuriam fieri patiuntur.* Idemque in eo libello, quem de regnorum & temporum successione in lucem dedit: *Alaricus* (inquit) *Rex Wisegothorum vastata Italia Romam ingressus est, opesque Honorii Augusti prædatus Placidiam ejus sororem captivam abduxit. quam postea Ataulpho successori suo moriens in matrimonium conjugi jussit.* Vides igitur quam non insolenter, immo quam mansuete Gothi in ea direptione se gesserunt. Quem quidem primum Urbis casum circiter XLIV. annis post altera consecuta est calamitas, quam eadem Urbs a Vandalis capta magnam atque improvisam accepit. Ut autem caperetur, hæc caussa fuit. Imperabat Romæ Valentinianus ejus nominis tertius. Is cum Maximi viri opibus & copiis potentissimi uxorem deperiret, neque illius potiundæ, quod pudicissima esset, spem ullam haberet, hanc hujusmodi rei conficiendæ rationem excogitavit. Maximum ad se evocat: evocatum tesserarum ludo provocat ea pactione, ut si ipse vinceretur, Maximo certam auri summam persolveret: sin vinceret, annulum, quem Maximus gestabat, ipse auferret. jactis tesseris Valentinianus annulo potitur: eumque ad Maximi uxorem Maximi ipsius nomine perferendum curat, jubetque, ut ea statim viso annulo ad Imperatoris uxorem salutandam se conferat. Illa vero cum paruisset nuntio, atque ita ad ædes Imperatoris pervenisset, ab ejus facti consciis non quidem ad Eudoxiam, sed ad Valentinianum perducta est, & ab eo constuprata. amissa igitur pudicitia domumque inde suam reversa Maximo rem omnem detegit, hominemque ad vindictam cohortatur. qui tantam injuriam ulcisci cum statuisset, ne quid temere festinandi facinoris, quod animo conceperat, cupiditate committeret, bono esse animo uxorem jubet, ipse interea suis artibus Aetium rei bellicæ peritissimum & magno animo & virtute virum, cujus ductu Valentinianus Attilæ conatus & copias represserat, Valentiniano affectati imperii nomine suspectum facit. ille, quod alioqui tanti Ducis virtutem non parum pertimesceret, Aetium de medio tollendum curat. quo sublato Maximus Valentinianum nihil tale cogitantem aggressus obtruncat, atque imperium invadit. & quoniam ejus uxor jam antea decesserat, Eudoxiam Valentiniani uxorem in matrimonium, quamquam invitam & recusantem, ducit. eamque sibi ut conciliet, fatetur se amoris erga illam sui magnitudine atque impatientia victum, auctorem fuisse, ut Valentinianus occideretur: atque ea, quam perditissime amabat, quo jure, quave injuria potiretur. At Eudoxia simulans se non invitam in eo matrimonio esse, nuntium ad Genfericum Vandalorum Regem mittit, qui tum Carthagine regnabat, eumque ad occupandam ac deprædandam Urbem Romam invitat & cohortatur. Gensericus oblatam occasionem non aspernatus, maximam classem ædificandam instruendamque quam primum curat; in eamque exercitu conscendere jusso sic navigavit, ut Romam de improviso oppresserit. quod quidem cum accidit, Maximum Romani fugientem inimice insectantur, ac saxis facta lapidatione obruunt, ac membratim discerptum in Tiberim projiciunt. Gensericus Eudoxia una cum Eudocia & Placidia, quas Valentinianus ex Eudoxia susceperat, ac præterea gazam omnem imperatoriam in Aphricam, ac tegularum, quæ & ex ære conflatæ fuerunt, & inauratæ, e Capitolini templi tecto partem dimidiam ablatam una cum statuis, quas demolitus fuerat, ut iis Carthaginem ornaret, secum avehit, quatuordecim tantum dies in Urbe moratus. quamquam illa, antequam in Aphricam deferrentur, facto naufragio perierunt omnia. Hæc de Roma a Genserico capta ac direpta scribit Procopius libro III. de bello cum Vandalis gesto. Ut constare facile possit, Vandalos in avehenda præda occupatos tempus consumere non potuisse in ædificiis & substructionibus, quas hodie humi dejectas ac prostratas passim videmus, evertendis. Neque enim verisimile est Procopium, & Vandalis parum æquum, & earum calamitatum, quæ iis temporibus acciderunt, non indiligentem Scriptorem, silentio præteriturum fuisse, si illi ad hanc faciem eversam Urbem reliquissent. quemadmodum testari videtur Jornandes in libro De Rebus Geticis, cum ait: *Valentinianus Imp. dolo Maximi occisus est. & ipse Maximus tyrannico more regnum invasit. quod audiens Gensericus Rex Vandalorum ab Aphrica armata classe in Italiam venit, Romamque ingressus cuncta devastat.* Id quod ego ex Chronico Cassiodori sic interpretor, ut Romam opibus spoliatam, non autem eversam & dirutam intelligat. sic enim Cassiodorus: *Valentiniano* VIII. *& Anthemio Coss. in Campo Martio ab*

amicis Aetii Valentinianus occiditur, post quem Maximus invasit Imperium. qui intra duos menses a militibus extinctus in Tiberim projicitur. Eodem anno per Gensericum omnibus opibus suis Roma vacuata est. Hæc ex Cassiodori Chronico. Is autem annus fuit ab accepta Salute CCCCLV. Tertius vero, post Alaricum Gothorum, & Gensericum Vandalorum Regem, Ricimer Suevus extitit, qui anno Salutis CCCCLXXII Urbem & cepit & diripuit, sic tamen, ut præda contentus ædificiis pepercerit. Qua quidem in re probanda ea persequi, quæ in conjectura posita sunt, ubi certissimis argumentis rem demonstrare, &, ut dicitur, quasi τενέδίῳ πελέκει controversiam dirimere possis, hominis est alieno otio & facilitate nimium licenter abutentis. Ergo totam hanc superiorem disputationem ex temporum successione atque ex historiæ veritate concludamus. Alaricus Gothus Romam cepit ac diripuit anno a Christo nato CCCCX. Gensericus Vandalus CCCCLV. Ricimer Suevus CCCCLXXII. Theodericus autem Amalus Gothorum Rex, cujus exstat epistola prima Cassiodori ad Anastasium Imp. regnare in Italia cœpit anno Salutis CCCCCXIII. ætate igitur & Alarico, & Genserico, & Ricimere posterior. Is Aurelio Cassiodoro epistolarum magistro usus est, homine in primis gravi. apud quem certissima extant testimonia, quæ palam clamant, nullum fuisse Romæ publicum ædificium neque a Gothis, neque a Vandalis, qui eam Urbem ceperant ac diripuerant, eversum. At primum quidem ex epistola LI. libro III. Variarum constat, Circum maximum regnante Theodorico non minus fuisse integrum, quam cum Romæ priores illi Cæsares Remp. regebant. ostiorum, quæ duodecim, metarum, quæ septem erant, numerum neque auctum, neque minutum: non Euripum, non Obeliscos defuisse, quorum unus Soli, Lunæ alter sacratus esset: *Euripus* (inquit) *maris vitrei reddit imaginem: unde illic delphini æquorei aquas interfluunt. Obeliscorum quoque altitudines ad cœlum extolluntur: sed potior Soli, inferior Lunæ dicatus est. ubi sacra priscorum Chaldaicis signis quasi literis indicantur.* Sic ille. Mox una cum Circo descriptis spectaculis, quæ in Circo edebantur, subjicit: *Hæc nos coacti fovemus, ne defuisse videamur populorum impensissime nos rogantium postulatis, quibus propositum est ad ea convenire, dum cogitationes serias objiciunt.* Et mox epistolam sic concludit: *Quapropter largiamur expensas: non semper ex judicio demus. expedit interdum desipere, ut populum possimus desideratis gaudiis oblectare.* Ergo post Urbem ab Alarico, a Genserico, & a Ricimere direptam, non solum Circus Maximus intactus remanserat, sed ludi etiam statis temporibus a Populo Romano exercebantur. Jam vero neque in aquarum ductus, neque in Thermas fuisse ab iisdem Gothis ac Vandalis ruinas editas, idem Cassiodorus epistola sexta lib. VII. Variarum testatur, cujus partem hic subscribemus, ut adeundi Cassiodori laborem legentibus demamus: *Nam thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quædam æquora non haberet? fluit aqua Virgo tam pura, ut nos magnopere delectet: quam ideo sic appellatam credimus, quod nullis sordibus polluitur. nam cum aliæ maximis imbribus ac turbulentis tempestatibus & rivis violentur, hæc aerem perpetuo serenum purissime labens unda mentitur. quis possit talia sermonibus idoneis explicari? Claudiam per tantam fastigii molem sic ad Aventini caput esse perductam, ut cum ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum quasi imam vallem irrigare videatur* Et paulo post: *Qua de re per Indictionem illam Comitativam tibi formarum sub magna deliberatione cre-*

A *dimus: ut summo studio nitaris efficere, quod tantis ac talibus rebus expedire videris. In primis noxias arbores, quæ ruinas ædificiis afferunt, (sunt enim quidam quasi arietes, non illi quidem, qui illuc importentur, sed qui ad prosternenda mœnia per se adnascuntur) censemus radicitus amputari oportere. si quid autem conficiente senio procubuerit, pervigili charitate reparetur.* Hæc ille & multo plura ex eadem epistola a nobis prætcrita, quæ luce clarius demonstrant Gothos ac Vandalos, qui multis annis ante quam Theodericus in Italia regnaret, Urbem Romam diripuerant, injuste accusari, quod Thermas & Aquæductus everterint. neque me movet, quod idem Cassiodorus libro XII. Epistola XX. de Alarico sic loquatur, ut tantarum substructionum excisionis & ruinæ condemnare illum videatur: *Sed quid mirum,* (inquit) *si Sanctorum vasa diripere noluit, qui tanta se Urbis vastatione ditavit?* Etenim hic Cassiodorus vastationem pro depopulatione ac rapina usurpavit, neque id sine exemplo. Cicero orat. II. in Catilinam: *Quid enim expectas? bellum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas?* In hanc autem significationem hujusmodi vocem accipi oportere apud Cassiodorum loco supra a nobis citato illud ostendit, C quod verbum ditavit ad vastationem adjunxit. neque enim se ditant, qui ædificia vel igne absumunt, vel ferramentis ac vectibus humi dejiciunt, sed qui locupletum domos auro, argento, gemmis spoliant, atque ex ærario pecuniam omnem auferunt. est ergo illic vastatio pro direptione posita. nam alioqui Cassiodorum sibi non constare, ex iis, quæ superius recitata sunt, pateret, mentiri etiam temporum ratio & veritas ipsa ex historia petita convinceret. qui enim fieri potuit, ut vel Alaricus, vel Gensericus, vel etiam Ricimer ea ædificia vastaverit, hoc est everterit, si tanto post D tempore eadem Theodericus ut integra & a vetustate paululum labefactata describit? Nam quod ad Aquæductus pertinet, nulli dubium esse potest, qui Procopium legerunt, quin illi neque a Gothis, neque a Vandalis diruti non fuerint. is enim libro primo De Bello Gothorum sic scriptum reliquit: *Quamobrem Gothi rebus ad hanc rationem dispositis, ædificia omnia, quibus aqua in Urbem devehitur, interscindunt, ne invecta obsessis copiam sui faceret. Sunt autem Romæ quatuordecim omnino aquæductus, ex latere substructi, ea latitudine ac profunditate, ut hominem equo insidentem facile capiant.* Ergo Gothi, qui Vitige Duce Romam E obsidebant, aquæductum interscindunt, ne aqua in Urbem influat. Vitiges autem interfecto Theodahado, qui Amalasuntæ Theoderici filiæ, in Vulsinensis lacus insulam relegatæ, atque ibidem interfectæ, in regnum successerat, in Italia regnabat. ex quo necessario concluditur aquæductus nusquam fuisse vel eversos vel corruptos a Gothis & a Vandalis, qui ante regnantem Theodericum, & Urbem a Vitige obsessam, Urbem ab se expugnatam diripuerant. At Vitiges dum obsidione Urbem premeret, aquæductus omnes evertit. interscidit ille quidem atque interrupit, non etiam F evertit. & interscidit, ne aqua obsessis suppeditaretur: quod sex septemve ex aquæductu demptis lateribus fieri facillime potuit. Atque hoc tamen illi facere licuit in ea aquæductuum parte, quæ extra Urbem erat: nam quæ Urbis ambitu & mœnibus includebatur, cum Urbem non ceperit, ab illo certe everti non potuit. Reliquum nunc est, ut postquam Circum Maximum, Thermas, & Aquæductus non fuisse a Barbaris eversos ac dirutos ostendimus, qui Alarico, Genserico, ac Ricimere ducibus Urbem diripuerant, quique

Vitigem secuti eandem obsederant, ostendamus A
etiam eosdem theatris sic pepercisse, ut, quod ad illos pertinet. nihil prohibuerit, quo minus ea ad nos integra pervenerint. quod quo facilius probemus, ejusdem Cassiodori testimonium ex Epistola LI. libri. IV. Variarum recitabimus, in qua Theodoricus Rex Symmachum Patricium theatro his verbis curatorem præficit: *Et ideo* (inquit) *theatri substructionem magna se mole solventem consilio vestro statuimus esse reborandam: ut, quod ab auctoribus vestris in ornatum patriæ constat esse concessum, non videatur sub melioribus posteris imminutum. quid non solvas, o senectus, quæ tam robusta quassasti? montes facilius cedere putarentur, quam soliditas illa quateretur: quando* B
moles ipsa sic tota de cautibus fuit, ut præter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse crederetur. Hæc Theodericus Rex. ex quibus facile apparet theatrum non a Barbaris excisum, sed aliqua ex parte vetustate labefactatum fuisse. itaque idem his verbis epistolam concludit: *Et ideo sive masculis pilis contineri, sive tale ædificium refici potuerit, expensas vobis de nostro cubiculo tribuendas curavimus, ut & vobis acquiratur tam boni operis fama, & nostris temporibus videatur antiquitas decentius innovata.* Theodericus igitur, non quod C
vel Gothi vel Vandali Urbis direptores ac vexatores dissolverant, sed quod senectus & temporis diuturnitas conquassaverat, instaurandum & stabiliendum curavit. His ita constitutis, neminem fore puto Barbaris illis tam inimicum, qui Alaricum, & Gensericum, & Ricimerem a culpa eversæ Urbis non liberet. Restat modo ejusdem criminis reus Totilas: quem annis circiter uno & viginti post Theoderici excessum Gothi interfecto Alarico regem sibi creaverunt, hominem non modo rei militaris in primis peritum, sed, quod dictu mirabile sit, humanitate, clementia, & incredibili erga Deum pietate cum quovis ex D
veteribus comparandum. Ille Neapoli, quam diu obsederat, in potestatem redacta, cum jure belli in eos, qui se inviti dediderant, crudeliter animadvertere posset, non modo cunctis pepercit, sed etiam summam curam adhibuit, ut ex Medicorum præcepto pristinam valetudinem, ex diuturna fame amissam & profligatam, recuperarent: omnesque mox viatico etiam adjuvit, & eo, quo maxime vellent, ut se reciperent permisit. Ille familiarem suum, quem propter excellentem in re militari virtutem magnopere diligebat, cum is virgini cuidam in urbis Neapolis direptione stuprum intulisset, capite plecti jussit, ejusque bona E
omnia virgini donavit. Ille hostium uxores, nobiles fœminas a se captas ad viros suos nulla plane injuria affectas reducendas curavit. Ille denique cum Urbem Romam evertere ac solo æquare statuisset, idque se facturum Romanorum Legatis multo ante denunciavisset, cum primum Urbem victor ingressus esset, ad Ædem Petri Apostoli supplex se contulit, ac Pelagii Pontificis precibus ab ira ad clementiam conversus Gothis per edictum imperavit, ut a cædibus abstinerent. quod ita religiose observatum est, ut Rusticianam Symmachi filiam & Boetii uxorem, quæ, F
ut patrem & virum Theoderici Regis jussu interemptos ulcisceretur, Theoderici statuas deturbandas curaverat, cum eam Gothi ad cædem exposcerent, incolumem servaret, neque illi injuriam ullam fieri passus esset. Sed quorsum hæc tam multa pertinent? ad ea scilicet, quæ postea consecuta sunt. Nam cum ille Urbem victor obtineret, eaque ut solo æquaretur e Gothorum imperio esse existimaret, a Bellisario per literas admonitus tam immanem cogitationem prorsus abjecit. His enim verbis Bellissarius epistolam suam concludit: *His ita se habentibus recta velim intelligas e duobus alterum fore necessarium. aut enim hoc bello victus ipse succumbes: aut, si ita forte contigerit, nos superabis. Quod si viceris, & Romam everteris, jam non alterius Urbem, sed tuam deleveris. quam si servaveris, ex possessione cæterarum omnium præstantissima opulentior fiet. Sin autem ad deteriorem fortunam tuam res nobis successerit, Roma incolumi abs te conservata gratia tibi apud victorem conciliabitur, & non odium. Qua per te tum forte deleta nullus tibi relinquetur ad humanitatem consequendam & clementiam locus.* Et quæ sequuntur. Huic epistolæ a Bellisario ad Totilam scriptæ subjicit Procopius: *His litteris Totilas diligenter perlectis, & ut prudentissime monentibus assensus Urbem nullo affectam damno servavit, deque hac sua in eam voluntate per oratores certiorem Bellisarium fecit.* Qua de re postea cum Romam a Bellisario in Justiniani potestatem redactam iterum Totilas oppugnaret, a Gothorum primariis objurgatus est, cum illum temere fecisse dicerent, quod cum Urbem Romam cepisset, eam funditus non evertisset. Ex his igitur Procopii locis scire possumus, Urbem Romam non fuisse, neque incendio absumptam, neque ejus tertiam partem a fundamentis eversam a Totila, quod plerique, sine certo tamen auctore, tradiderunt, quorum opinionem nescio quam ob caussam secutus Blondus historiam a Procopio hac de re diligenter perscriptam perverterit. Nam cum Procopius Romam a Totila servatam fuisse scribat, ac tantummodo circiter tertiam murorum, quibus cingebatur, partem humi prostratam: Blondus ab eodem incensam, eversam, & deletam memorat. Collenucius autem annum & amplius ab omnibus incolis plane derelictam fuisse auctor est: idque factum esse non inficior, sed cum Procopio affirmo Urbem non fuisse eversam. cujus hæc sunt verba: *Romam in primis a fundamentis evertere decrevit, sed muri tantum, & id quidem diversis in locis, diruit, quantum totius muri partem esse hanc tertiam conjicere quis possit.* Mox subjicit Totilam, ut paulo ante ostendimus, perlectis Bellisarii literis omnem cogitationem de evertenda Urbe abjecisse, & eam integram, sed omnibus habitatoribus vacuam reliquisse; quippe qui delectos patricios quasi obsides secum ire, reliquos autem omnes cum liberis & conjugibus in Campaniam proficisci, jusserit. Ergo, si Procopio credimus, deserta quidem ac derelicta est, sed tamen non eversa. Nam si eversa esset, nihil erat, cur postea Bellisarius ad eam occupandam festinaret. neque, ut supra diximus, tantæ Urbis excidium Procopius, qui apud Bellisarium hujusmodi bello interfuit, tacitus præterisset. Cur enim tam turpi mendacio historiam suam dehonestaret? *Urbem* (inquit) *nullo affectam damno integram servavit.* hoc perinde est, ac si dixisset, nullum in ea ædificium vel publicum vel privatum evertit. At, si Collenucio & Blondo credas, omnia fuere illic solo æquata, omnia a fundamentis eversa fatearis necesse est. Utris autem fidem potius habeas, Blondo ne & Collenucio, qui nongentis annis & amplius a Totila abfuerunt, an Procopio, qui regnante in Italia Totila floruit, rebusque ab ipso & Bellisario gestis interfuit, ac Romam ipsam præsens præsentem, atque in re præsente videre potuit? præterquam quod, si mentiretur, infinitos testes tum habuisset, a quibus hujusmodi mendacium redargueretur. nunc autem ejus ætatis scriptores nulli sunt (quod ego sciam) qui Procopium testimonio suo vanitatis condemnent. cujus ego auctoritatem, hac quidem in re, recentiorum

omnium scriptorum, qui ab illo dissentiunt, au- A ctoritati longe anteponendam censeo. præsertim cum ex recentioribus etiam scriptoribus minime desint, qui a me stent. Benardinus Corius Paullum Diaconum secutus in Justiniani Imperatoris Vita sic ferme scriptum reliquit: *Totilas nocte Romam ingressus, loco certo cum exercitu constitit indeque continuato usque ad illucescentem diem tubarum clangore, Romanis, quos ipse salvos esse cupiebat, signum dedit, uti omnes se in ædes sacras reciperent, quo facto, aliquot dies in Urbe sic commoratus est, ut Romanos perinde omnes ac filios benigne tractaverit.* Hæc Corius. e quibus omnibus B confidentissime asseverare possumus, Totilam in ea Urbis direptione sic se gessisse, ut amicus potius Romanis, quam hostis in Urbem accesserit. At dixerit fortasse aliquis Urbem ipsam fuisse a Totila tunc eversam, cum iterum ab eodem capta est. Ego vero eum, qui hoc objecerit, aut in legenda historia parum versatum esse, aut hominem memoria non satis bona præditum existimabo. Nam Procopius eodem III. libro sic ea de re scriptum reliquit: *Miserat Totilas ad Francorum Regem Legatos, qui ab eo peterent, sibi ut filiam in matrimonium collocaret, quod ille se facturum præcise negavit. eum enim nec Italiæ regem* C *tum esse, nec futurum postea dixit: quippe qui captæ Urbis, cujus ipse partem everterat, possessionem retinere non potuisset. qua responsione Totilas commotus, summa diligentia commeatus in Urbem importari, ac resarciri instaurarique omnia confestim jussit, quæ vel ignibus absumpta essent, vel ipsemet evertenda curavisset.* Hæc Procopius, quæ & ipse etiam Blondus memoriæ prodidit extremo libro VI. primæ Decadis. Ergo (inquit aliquis) ex Procopii verbis proxime citatis apparet Totilæ jussu aliqua ædificia in Urbe eversa esse. Ego vero, quamquam interpretor Totilam ea refecisse, quæ fortuiti ignes absumpserant, etiam antequam ipse Ur- D bem cepisset, quamque murorum partem ipsemet diruerat, non ausim tamen negare & in priore & in posteriore hac Urbis direptione id accidere potuisse: præsertim cum ingressus in Urbem Totilas necesse habuerit, & cum Romanis acerrime resistentibus prælium committere, & Adriani molem oppugnare, in quam equites CCCC. se receperant. Sed ut hoc alicui nimis præfectra sententiam suam defendenti concedamus, constat tamen ex eodem Procopii loco, mox omnia fuisse summa diligentia restituta, ut parietinæ, quæ hodie passim in Urbe Roma conspiciuntur, neque Totilæ, neque ipsius exercitui tribui debeant. Nam quod Fran- E corum Rex Urbis partem a Totila eversam dicit (ut & ego quoque sententiam meam tuear) duobus modis intelligi potest. Uno, ut criminis augendi caussa iis verbis rem amplificet: altero, ut partem Urbis appellaverit eam muri partem, quam & ipse etiam Procopius a Totila humi diversis in locis prostratam superius dixerat. Et sane Francorum Rex, cum ab se jure optimo Totilæ affinitatem repudiatam esse significare vellet, quod neque tunc Italiæ rex esset, neque in futurum esse posset, id objecit, quod conatus irritos & vires Totilæ imbecillas in primis declararet. is enim F tertiam murorum partem everterat, ne Romam hostes ingressi mœnibus præterea se tutarentur, Gothosque excluderent, sed ut æquo se ac patenti campo credere cogerentur. quod cum secus evenisset, quam Totilas existimarat ac voluerat, cum a Gothorum principibus, ut supra commemoravimus, tum a Francorum Rege male audiit. Sed utcumque sit id, certe quod in Urbe vel sua, vel aliorum culpa dirutum fuerat, in pristinam formam quamprimum revocavit. quemadmodum & Blondus & Procopius testatum reliquerunt, quod (ut puto) sibi ipse persuasisset jure illum Italiæ regem vocari non posse, qui regni atque imperii sedem Romam nulla ex parte comminutam ac deformatam non obtineret. His igitur sic se habentibus, nihil obstat, quo minus secundum Gothos & Vandalos, qui soli ex barbaris Urbem diripuerunt, sententiam dicamus. In quem igitur eversæ Urbis culpam conferemus? absolutis enim Gothis ac Vandalis, cum postea præter Arnulphum Germanum, de quo supra locuti sumus, nulli Romam ceperint, difficillimum est conjectura assequi, & quasi divinare, undenam factum sit, ut tot ingentia ædificia, tot civium domus, tot immanes substructiones corruerint. Et primum quidem, quod ad privatorum domos atque ædificia pertinet, haud difficillima est (ut mihi quidem videtur) divinatio. Nam & incendiis fortuitis, quod non semel in Urbe Roma evenisse legimus, & de industria oblatis, cum orta seditione cives inter se pugnant, absumi potuerunt. Scimus autem celeberrima oppida, & florentissimas Italiæ urbes, suscitatis in iis Guelforum, quos appellant, & Gibellinorum partibus, sic desertas ac derelictas fuisse, ut ne vestigia quidem earum exstent ulla: præterea vel morbo vel bello sublatis familiis, vel ad inopiam redactis, cum reliqui essent nulli, a quibus inhabitarentur, mirum videri non debet si vel vetustate vel situ corruptæ subsederint, quod quam vere a me dicatur, ex S. Gregorii Dialogis intelligi potest, in quibus ille scriptum reliquit, Romæ deficientibus incolis parietes etiam ipsos corruere. post cujus ætatem verisimile est urbem ipsam desertiorem fuisse: cum præsertim Pontificatu in Galliam translato populum Romanum ad miram infrequentiam & paucitatem devenisse non ignoremus. quo scilicet tempore potentissimi quique & in primis opulenti relicta Urbe in suis se oppidis continebant. Quid quod cives ipsi partim Pontificibus, partim Imperatoribus faventes, cum se mutuis cædibus & vastationibus ulciscerentur, & infensissime persequerentur, necessario sequebatur, ut eversis domibus Urbis aspectum miserabilem redderent. id quod cum sæpe alias, tum Gregorio ejus nominis VII. Pont. accidisse historiæ testantur. Is ab Henrico IV. Imp. & a Populo Romano obsidebatur inclusus in Adriani mole, quod Sancti Angeli Castellum vocant. qua quidem in obsidione Germani, qui Vaticanum & Transtiberinam Urbis partem occupaverant, sæpe trajecto Tiberi ingentibus damnis Urbem affecerunt; majoribus etiam affecissent, nisi Robertus Normannus opem obsesso Pontifici mature attulisset. Cujus virtute & viribus Henricus perterritus obsidionem solvit, seque tanta celeritate ex Urbe proripuit, ut non prius Robertus Portam Flaminiam attigerit, quam ille Senas pervenerit. Romani tamen ingredienti in Urbem Roberto cum se hostiliter opposuissent, in Capitolium rejecti sunt sic, ut ignibus in domos injectis a Porta Flaminia usque ad Campum Martium omnia conflagraverint. Ac tum fortasse accidit, ut Obeliscus, quem illic ab Augusto D. F. positum fuisse scimus, quemque jacentem humi ac detectum superioribus diebus vidimus, semiustulatis Hieroglyphicis totus deformaretur. Normanni certe cum in Cœlium se recepissent, indeque in Romanos eruptiones facerent, quicquid inter Cœlium & Capitolium est, igni ferroque absumpserunt, clivumque Capitolinum, depulsis inde Romanis, & secum abducto Gregorio, incenderunt. probabile autem est eo in certamine & conflictu multorum domos atque ædi-

A ædificia corruisse: quæ mox variis de caussis refici minime potuerunt. Neque ineptus existimari quis possit, qui bonam magnamque ædificiorum partem terræmotibus conquassatam & eversam fuisse contendat. Nam & Sanctus Gregorius cap. xv. libri II. Dialogorum scribit, Canusii Antistitem aliquando se ad Sanct. Benedictum Abbatem visendum contulisse, &, cum in sermonem de Totila, qui tum Gothis imperabat, & bello Græcos ac Romanos persequebatur, incidisset, futurum dixisse, ut Roma a Barbaro illo everteretur: Benedictum autem respondisse; Illa vero non a Barbaris exscindetur, sed a tempestatibus, a fulguribus, B a turbinibus, a terræmotibus fatigata interibit. Atque hoc ipsum sanctissimi hominis oraculum idem Gregorius paulo post affirmat exitu ipso fuisse comprobatum, cum ait: *Cujus prophetiæ mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac Urbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, ejusque ædificia longo senio laxata; quæ ruinis crebrescentibus prosternuntur*. Et homilia XIIX. in Ezechielem: *Quia enim (inquit) Senatus deest, populus interiit, jam vacua ardet Roma. quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus ipsa* C *quoque destrui ædificia videamus?* Hæc Gregorius, cujus testimonio fidem non habere nefas sit. Nam, præterquam quod vitæ sanctitate excellebat, ac patriæ ruinas magno animi cum dolore præsens præsentes intuebatur, nihil etiam habebat, cur in re omnibus nota turpiter mentiretur: &, quod a Barbaris patratum esset, id ad tempestates & terræmotus transferret. probabile igitur est his omnibus de caussis Romæ multa ædificia cum privata tum publica sic humi procubuisse, ut aut postea restituta fuerint nunquam, aut eorum parietinæ tantum superfuerint. Verumenimvero ut terræmotus, & turbines multa pro- D straverint, Circum certe Maximum, & Thermas, & Theatra non ulla vi tempestatum, sed hominum opera fuisse diruta cognoscimus. quando neque ulla conquassationum indicia, quæ a terræmotu relinqui consueverunt, in Theatris perspiciuntur: & in Thermis, ab Antonino Caracalla vel a Diocletiano exædificatis, parietes saxo ad inferiorem sui partem a fabris exciso & comminuto concidisse sic patet, ut, qui ab hominibus eversos esse negaverit, jure optimo odiose obstinatus haberi & possit & debeat. Quod si externæ nationes, quemadmodum supra ostendimus, in has E ipsas substructiones non sævierunt, quosnam earum eversores fuisse autumabimus? an in ipsummet Populum Romanum culpam conferemus? at ille tanta Urbis suæ ornamenta & decora nunquam sustulisset. An, ut plerique censuerunt, Sancto Gregorio tantarum molium eversionem tribuemus? at probabile non est, hominem Romæ summo loco natum, patriæ amore flagrantem, omnis doctrinæ & veterum historiarum cognitione excellentem, ad ea delenda animum induxisse suum, quæ majorum suorum præstantiam & Imperii Romani magnitudinem quasi F vivam conservarent, & aspectu ipso tum peregrinis, tum civibus talem tantamque, qualis & quanta olim fuerat, repræsentaret. Hæc ego non ignoro doctos homines illis objecisse, qui tantarum demolitionum auctorem & suasorem Pontificem illum prodiderunt, qua quidem in sanctissimi hominis defensione ita vehementer exarserunt, ut Statuarum, Obeliscorum, Theatrorum, Thermarum, Circorumque eversiones & ruinas improbum facinus appellare non dubitaverint, ad quod committendum Gregorius cum vir humanissimus, tum patriæ suæ civis amantissimus adduci se nunquam pateretur. Ac sane fuit tempus, cum ego quoque mihi persuaseram nullo modo concedi oportere, ut in Pontificem tam eruditum, & ab omni virtutum genere paratissimum, hujusmodi crimen (si modo crimen appellandum est) derivaretur. itaque non mediocriter eos accusabam, qui, ut mihi quidem tum videbatur, tam falsam opinionem, non modo ipsi habuissent, sed etiam in aliorum animis hominum penitus insevissent. Verum ego postea, veterum Patrum libris aliquanto diligentius & lectis & observatis, intellexi me quasi unum ex iis esse, qui in Gentilium scriptis assidue versati, sic eorum monimenta & res gestas cum admiratione adamare consueverunt, ut parum absit, quin illius quoque ætatis Deos sibi esse colendos statuant. Quid enim aliud præ se ferunt, qui Signorum & Statuarum eversores tam acerbe reprehendendos esse putant? quamquam enim Gregorius & illustri loco Romæ erat natus, & liberalium facultatum studio excellebat, idem tamen, præter quam quod Pontificatui præerat, Christianæ etiam pietatis amore sic flagrabat, ut tum demum verum se patriæ amatorem esse crederet, cum e civium omnium animis Gentilium Deorum memoriam exstirpasset, inque eorum locum Christi Liberatoris nostri cultum introduxisset. An ille, ut antiqui operis Signa retinerentur, permittere debuit, ut exuta Christiana pietate homines se ad impietatem & Gentilium ritus referrent? neque enim ignoramus hoc ipsum ante Gregorium sæpe fuisse a Romanis tentatum, cum multi essent, qui Remp. in tot tantasque calamitates incidisse dicerent, quod abjecto Deorum cultu Christi cultum & religionem suscepissent. id quod auctore Augustino, Lactantio, Arnobio, Orosio, Prudentio, cæteris ita constat, ut putidum sit in re tam clara testimoniis uti. Etenim usque adeo altas Gentilitatis error in animis hominum radices egerat, eas ut exstirpare ac revellere sanctissimi Patres ac Pontifices non nisi difficillime possent. quare non modo non reprehendendi, se etiam magnopere laudandi sunt, si ipsi Deorum simulachra vel comminuenda, vel demolienda curaverunt: quæ suo ipsorum aspectu in hominibus impiæ superstitionis cultum quotidie renovabant, & Christianæ pietatis igniculos, si qui a patribus accensi fuerant, exstinguebant. Fuisse autem bonam magnamque partem Deorum Signa, quæ eversa sunt, inde intelligimus, quod publice nullis fere statuæ decerni consueverant, nisi iis, qui propter præclara in Remp. merita eo honore non indigni esse crederentur: privatim autem qui aut domi, aut in sepulchris, aut in hortis sibi vel suis statuerent, haud sane multos, nisi ex nobilitate, qui hujusmodi honorem sibi ambitiosissime expetebant, exstitisse, ex eo conjicere possumus, quod quæ hodie humi obrutæ reperiuntur, omnes ferme vel Veneres, vel Apollines, vel Joves, vel Mercurii, vel Bacchi, vel Satyri, vel aliud quidpiam hujusmodi sunt, quod aut ad eam superstitionem, aut ad aliquam Gentilitatis fabulam pertineret. Ut mirum videri non debeat, si in demoliendis evertendisque hujusmodi Signis, quæ plurima erant, ea quoque humi dejecta sunt, quæ præstantibus virtute viris posita fuerant. Nam si ad delendum ex hominum memoria Deorum cultum in impietatis monimenta sæviendum erat, difficillimum profecto fuit cavere, ne una cum hujusmodi simulachris illustrium virorum statuæ dejicerentur. quarum tamen ingentem numerum a Genserico Vandalorum Rege ut in Aphricam, & a Constante Constantini & Gregoriæ filio, ut in Siciliam aveherentur, sublatum

legimus: quarum illæ in mari Aphrico, hæ in freto Siculo adversis tempestatibus demersæ sunt. Illæ etiam, quæ in Adriani mole & plurimæ & pulcherrimæ spectabantur, quo tempore Vitiges Gothorum Rex Romam obsidebat, in fragmenta ab obsessis diffractæ sunt, & in obsessorum oppugnatorumque capita devolutæ. Ut hæc hujusmodi Statuarum eversio jam non in unum Pontificem Gregorium, sed in Vandalos, in Græcos, in Romanos ipsos conferri debeat. Ut igitur quæstionem hanc concludamus, quantum conjectura assequi possumus, existimamus statuas omnes, quæ Gentilium Deos nobis effingebant, partim Gregorii atque aliorum Pontificum jussu, partim a populo ipso Christiana pietate jamdudum imbuto vel comminutas, vel disjectas, vel terra obrutas fuisse, quo facilius tam nefaria superstitio funditus tolleretur. quando eam ab humani generis hoste non solum mordicus retentam, verum etiam variis artibus ad ætatem ipsius Gregorii in Urbe propagatam inde perspicimus, quod Bonifacius IV. qui aliquot annis post Gregorium Pontifex fuit, Pantheon Cybeli ac reliquis Diis Gentium consecratum, a Phoco Imp. impetravit, ut ea superstitione liberatum & expiatum Mariæ Virgini Deiparæ dedicaret. quod certe fieri non oportuit, si nullæ omnino Gentilitatis reliquiæ superesse putabantur. pie igitur sancteque tum Gregorius, tum alii Pontifices fecerunt, quibus ita mandantibus ac suadentibus Populus Rom. Deorum Signa vel evertit ipse, vel ab aliis everti passus est. quorum pietatem Pius V. & Xystus V. Pontifices Max. sic imitati sunt, ut eorum alter ex ædibus Vaticanis hujusmodi omnes statuas alio amandare cogitaverit; alter e turre Capitolina incredibili sua cum laude dejici jusserit. Quod si nunc ferri non debet, ut publice spectentur, cum superstitionis & impietatis illius cultus nulli plane in animis hominum resident, quid tum fieri oportuit, cum multi adhuc superessent, qui execrabiles illos ritus ceremoniasque aut colerent ipsi, aut a majoribus suis coli meminissent? Ego vero cum summi illius ac sanctissimi Pontificis factum ipsum per se præclarum atque divinum tum nobis expositum ad imitandum statuo. Atque utinam idem præstare sine veteris Historiæ ac Philosophiæ bonarumque artium amissione ac sine Græcæ & Latinæ linguæ damno in abolendis iis libris potuisset, qui tam diræ superstitionis memoriam ad nos propagaverunt! nihil enim dubito quin idem magno cum Reip. Christianæ bono præstitisset. Patres certe Societatis Jesu, quos Christianæ pietatis acerrimos, doctissimos, ac prudentissimos assertores nemo non agnoscit & prædicat, præterquam quod Deorum statuas & imagines in Japone, ut insulanos a superstitione ad Christi cultum deducant, comminuendas & delendas curant, eorum etiam scripta importari prohibent, e quibus Gentilium superstitionem agnoscere atque haurire queant. magnum enim momentum ad veram pietatem affert impiorum rituum ac falsorum dogmatum ignoratio: quorum nullum vix cognosci potest, quin adolescentulorum animi fideles ac simplices aliquam labeculam contrahant. Atque hactenus de Statuarum eversoribus. Deinceps videndum est, quosnam fuisse opinemur, qui Theatra, qui Circum, qui Thermas, qui Aquæductus, & Obeliscos exciderit, & antiqui operis intactum nihil in Urbe propemodum reliquerit. Cumque ex superiore disputatione perspicuum sit, nullo modo posse hujusmodi culpam in barbaras atque externas nationes conferri, operæ pretium erit, ut tantarum substructionum usum indagemus. illo enim patefacto ac demonstrato, haud difficillimum fuerit conje-

A ecturæ de iis faciendæ aditum aperire, & ad veritatem eam, quam quærimus, proxime accedere. Atque nemo est veteris memoriæ tam rudis atque expers, qui id nesciat. Ergo ut mihi scribendi, cæteris legendi laborem demam, non ad usum, sed ad abusum ante oculos exponendum non pigebit Lactantii verba ex libro VI. de vero cultu excerpta hic adscribere: *Voluptas* (inquit) *oculorum varia & multiplex est, quæ capitur ex aspectu rerum, quæ sunt in usu hominum vel natura vel opere delectabiles. Hanc Philosophi rectissime sustulerunt. ajunt enim multo esse præclarius & homine dignius cœlum potius, quam cælata intueri. sed*
B *cum diserte ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cœli spectaculum excitarunt, tamen spectacula hæc publica non contemnunt, atque his & delectantur, & libenter intersunt. Quæ quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentissime valent, tollenda sunt nobis: quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimum: nam qui hominem quamvis ob merita damnatum in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quam si homicidii, quod fit occulte, spectator & particeps fiat*. Et paulo
C post: *Quæro nunc an possint pii & justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec cruore contenti. quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, & cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat, irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est, & tanquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras. alios illis compares dari poscunt recentiores, ut quam primum oculos suos satient, hac consuetudine imbuti humanitatem perdiderunt. itaque non par-*
D *cunt etiam innocentibus, sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt*. Hæc ille de spectaculis, in quibus vel in Theatro, vel in Circo gladiatorum munus populo exhibebatur, ac mox ex hujusmodi disputatione occasionem sumit ostendendi, non licere Christiano homicidam esse, quod cum probavit, hæc subjicit: *Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor; siquidem populo sanguis ille præstatur*. Atque his, quæ a Lactantio dicta sunt, adstipulatur Tertullianus capite IV. de Spectaculis. in quo non mi-
E nus a pietate & a Christi cultu excidere illum affirmat, qui spectator in Theatrum vel in Circum accedit, quam illum, qui vel Capitolium vel Serapeum sacrificator vel adorator intraverit. idem Cæcilius Cyprianus testatur in quadam epistola ad Donatum, in qua de hujusmodi spectaculorum immanitate ac perditissima lascivia sic disputat, ut ab eis Christianum hominem longissime repellat. ut mirum non sit, si Tertullianus Theatrum sacrarium Veneris appellet, quando & Lactantius *In scenis quoque* (inquit) *nescio an sit corruptela vitiosior. nam & Comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut de amoribus meretricum: &, quo*
F *magis sunt eloquentes qui vitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi & ornati. item Tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia & incesta Regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudentissimi motus quid aliud, nisi libidines, docent & instigant? quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? qui*

docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes aut virgines faciant, cum & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? admonentur utique, quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu concitatur: ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probatque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula revertuntur. nec pueri modo, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos peccare jam non decet, in talem vitiorum ſemitam dilabuntur. Circenſium quoque ludorum ratio quid aliud habet, niſi levitatem, vanitatem, inſaniam? tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur. Ut jam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum exclamare, & efferri, & exilire cœperint. Vitanda ergo ſpectacula ſunt, non ſolum ne quid vitiorum pectoribus inſidat, quæ ſedata & pacifica eſſe debent, ſed ne cujus nos voluptatis conſuetudo deliniat, & a Deo atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebritates Deorum feſta ſunt. ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt conſtituti. Et primitus quidem Venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ ſunt: Ludi autem Scenici Libero: Circenſes Neptuno; paulatim vero & cæteris Diis idem honos tribui cœptus eſt. ſingulique Ludi nominibus eorum conſecrati ſunt. Si quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quæ religionis gratia convenitur, diſceſſit a Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales & feſta celebravit. Hæc & plura Lactantius; quæ nos docent Theatri & Circi ſpectacula non ſolum a piis eſſe fugienda, quod animos fœdiſſimis vitiis contaminent, ſed etiam quod ſpectari non poſſint quin Idololatras nos eſſe fateamur. quo nihil eſſe ſcimus Deo odioſius. Ergo quicunque tandem ii fuerint, qui Theatrum & Circum everterunt, gratiſſimum Deo Opt. Max. feciſſe exiſtimari debent. quando, ut auctor eſt Tertullianus, & ipſemet Circus Soli προηγουμένως conſecratus fuerat, & ſingula Circi ornamenta ſingula erant Deorum templa. Ova, hoc eſt Ædes ad ovi ſimilitudinem exædificatæ, Caſtori & Polluci: Delphines Neptuno: Tres Aræ Diis Samothracibus: Obeliſci Soli & Lunæ: Euripus Matri Magnæ adſcribebatur. Apud Metas Conſus ſub terra delitefcebat. in medio ſpatio Ædes Soli conſecrata viſebatur. cujus faſtigio Solis effigies impoſita ſub Dio longe lateque collucebat. nec Murtiæ, hoc eſt Veneris, ſimulachrum aberat. Quamobrem nihil illic ſpectari poterat, quod humani generis hoſtis ſibi non vendicaſſet. Etenim præter hæc, quæ & a Caſſiodoro & a Tertulliano commemorantur, P. Victor multas alias Deorum ædes in eadem undecima regione, quam eandem cum Circo Maximo fuiſſe ſcimus, enumerat, Mercurii ſcilicet, Ditis Patris, Cereris, Proſerpinæ, Portumni, Herculis, Junonis, Matutæ, aliorum. An hæc omnia cum incredibili Chriſtianæ pietatis detrimento ſarta tecta ſervari oportuit, ut Urbis ornamento conſuleretur? & quo in loco ſedem vera Religio collocaverat, in eo diræ ſuperſtitionis monimenta ſpectanda fuerant? immo vero ſic abolenda, ut ne veſtigium quidem ullum ſupereſſe pii Pontifices paterentur. Quorum principem maximum illum Gregorium fuiſſe arbitror: tum quod tam illuſtre tamque pium factum cum ejus pietate ac doctrina conſentit, tum quod Ædes ipſe ſuas, quas prope Circum Maximum habebat, cultui divino dedicavit. præterquam quod non deſunt, qui affirment Sabinianum, qui Gregorio in Pontificatu ſucceſſit, in animo habuiſſe Gregorii acta omnia reſcindere: quod ad id agendum a quibuſdam inſtigaretur, qui ægre ferrent, quod Signa, quæ paſſim in Urbe ſpectabantur, dejici omnia & confringi juſſiſſet. id quod nos paulo ante ad ſummam ejus Pontificis gloriam fuiſſe verum opinabamur. Cujus opinionis, dum in ipſius vitam & ſanctitatem intuebor, me nunquam pœnitebit. Cæterum ut ſine ulla dubitatione affirmare poſſe videor, vel Gregorium, vel alium quemvis eorum temporum Pontificem, vel ipſoſmet Romanos, qui Chriſto Deo ſe addixerant, piorum patrum cohortatione atque inſtinctu concitatos, Theatrum & Circum everti ſſe, ita etiam eoſdem fuiſſe arbitror, quorum opera Thermæ corruerint. Nam ut omni Deorum cultu & ſuperſtitione liberæ eſſent, magnam certe peccandi occaſionem iis, qui ſe ad eas contuliſſent, afferebant. De quibus Apulejus: *Nudati* (inquit) *& flammæ largiſſimæ vapore recreati, calidaque perfuſi, & oleo peruncti menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt*. Sed & antiqui operis ſtatuas illic non defuiſſe, quæ vel ad ſuperſtitionem vel ad laſciviam homines invitarent, Poetæ cujuſdam Græci carmen teſtatur.

Ην τὸ πάρος φιλέεσκες Αρες σκοπίαζε Κυθήρην
Ενθάδε λουομένην νάμασι φαιδροτάτοις
Δέρκεο νηχομένην, μὴ δ' ἴδῃ. οὐ γὰρ Αθήνην
Παρθένον εἰσοράας οἷα τε Τειρεσίας.

Hæc nos, ut potuimus, Latina ſic fecimus:

Quam prius ardebas Venerem Mars aſpice Divam.
Hic ſe dum puro flumine nuda lavat;
Aſpice nantem illam: nec jam vereare futurum, ut
Intactam aſpicias Pallada Tireſias.

Multæ igitur in balneis ad voluptatem illecebræ, multa luxuriæ irritamenta, quemadmodum his verbis teſtatur Seneca: *Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem: circa balnea ac ſudatoria, ac loca Ædilem metuentia, mollem, enervem, mero atque ungento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam.* Hæc Seneca morum graviſſimus magiſter. Sed & apertius Juvenalis Satyra VI. nullam turpitudinem abfuiſſe oſtendit a balneis, quippe quas viri & mulieres una frequentare, & promiſcuas habere conſueviſſent.

Balnea nocte ſubit: conchas & caſtra movere
Nocte jubet: magno gaudet ſudare tumultu.
Cum laſſata gravi ceciderunt brachia maſſa,
Callidus & criſtæ digitos impreſſit Aliptes,
Et ſummum dominæ femur exclamare coegit.

Poſſem ad idem oſtendendum multa ex Martiale hic adſcribere, niſi me verborum obſcœnitas, qua ille licenter utitur, deterreret. Verecundius omnino Paulus Silentiarius. cujus epigramma non malum extat de promiſcuo virorum & mulierum balneo.

Αγχι μὲν ἐλπὶς ἔρωτος. ἑλεῖν δ' οὐκ ἔστι γυναῖκας
Εἶρξε πολὺς παφίην τὴν μεγάλην ὀλίγη.
Αλλ' ἔμπης, γλυκὺ τοῦτο. ποθοβλήτοις γὰρ ἐπ' ἔργοις,
Ελπὶς ἀληθείης ἐστὶ μελιχροτέρη.

Quæ nos cum jam inde ab adoleſcentia in totidem verſus ludentes converterimus, qualiacumque ſint, in hunc locum conjicere voluimus, ut qui Græce neſciunt, ex his intelligant id, quod de Balnearum licentia & laſcivia ſcribimus, non eſſe commentium.

Spes prope amoris adeſt. Sed nullam invadere fas eſt
Arcuit ingentem portula parva Cyprim.
Hocce tamem dulce eſt. rei ſpes namque cupitæ,
Quam res ipſa animo ſuavior eſſe ſolet.

Sed in te tam clara quid opus eſt Poetarum teſtimoniis uti, cum Clemens Alexandrinus præſto ſit, qui cap. V. libri III. Pædagogi mulieres ſcri-

bat spectari nudas in balneis consuevisse, cum se in iis exuere, & sui inspiciendi potestatem facere illis, qui se eo lavatum contulerant, tanquam quibusdam corporum cauponibus non erubescerent. itaque fiebat, ut cum viris & fœminis communes essent balneæ, ibi omnes omnem temperantiam exuerent, quando ex ipso potissimum aspectu amor in hominib. excitatur. quemadmodum testatur Cyprianus in eo libello, quem de habitu virginum scripsit: *Quid vero (inquit) quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis pudori & pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ cum viros, atque a viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? nonne ad corruptelam & injuriam suam desideria præsentium sollicitant & invitant?* Hæc vir ille sanctissimus, quæ, quam turpiter & flagitiose balneæ frequentarentur, ostendunt, verius ut impudicorum impudicarumque celeberrimi conventus dici possent, quam sudoris & corporis sordium lavacrum. neque enim corpora tantum lavabantur, quantum inquinabantur animi, & in omnem turpitudinem præcipites ferebantur. Quamquam autem & Imperatoriis & Censoriis legibus cautum aliquando fuit, ne fœminæ cum viris lavarent, neve promiscuis balneis cum viris uterentur, essentque balneæ separatim exædificatæ, quas illæ tantum adirent; tamen quia leges in desuetudinem abeunt, & tacito consensu obliterantur, & sibi indulgendo homines licentiores fiunt, satius omnino fuit hujusmodi loca funditus evertere, quam occasionem tam improbe peccandi liberam relinquere. Non possum igitur satis mirari eorum prudentiam & sanctitatem Pontificum, quicunque ii fuerint, qui Caracallæ, qui Diocletiani, qui Constantini aliorumque Thermas & Balneas evertendas curaverunt, sedes scilicet & latebras luxuriæ, intemperantiæ, & flagitiis consecratas. Non est igitur dubitandum quin talium ædificiorum eversio & vastitas, quando neque Gothis, neque Vandalis, neque Germanis attribui potest, eorum opera confecuta sit, qui Christiani cum essent, hujusmodi scelera ferre, neque poterant, neque debebant. Quod autem ad Aquarum ductus pertinet, ut hæc quoque ad ea, quæ superius diximus, addamus, alia omnino caussa est, quamobrem plerisque in locis dilapsi corruerint. Etenim substructiones illæ multis erant per sese incommodis & periculis obnoxiæ, quando aut vetustate, aut vi tempestatum, aut gelicidiis, aut caloribus expositæ dilabuntur, aut succrescentibus arborum radicibus laxantur. Interdum etiam qui prædia aquæductibus propinqua incolunt, & lateres & saxa ex iis ad ædes ruri exædificandas, vel ad aquam suffurandam eximunt, qua suos ipsi hortos & prata irrigent. ex quo fit, ut, proxima quæ sunt, commoveantur, & ruinam struant. Itaque ad hujusmodi Ductuum tutelam Villici, Castellarii, Curatores, Silicarii, Tectores, aliique opifices adhibebantur: magnusque præterea custodum numerus, qui duabus familiis continebatur, altera publica, altera Cæsaris: ut ad eos alendos & annuis pensionibus & salariis prosequendos immensos sumptus fieri oporteret. Atque hoc qui sibi copiosius explicari voluerit, is librum Julii Frontini de Aquæductibus secundum consulat. ex eo enim intelliget hujusmodi substructiones non nisi incredibili impensa servari integras posse. Ut, Repub. & ad inopiam & ad ingentem incolarum & civium paucitatem redacta, necessario corruerint; cum præterea nemo esset, qui eas aut ab injuriis, quas supra commemoravimus, tueretur: aut aliquo casu labefactatas & collapsas restitueret, id quod florentibus etiam Populi Romani rebus non semel accidisse ex multis inscriptionibus cognosci potest: quæ cum omnibus in promptu sint, nihil necesse est, ut hic a nobis recitentur. His ad hanc rationem absolutis, superest, ut ea disputatione scriptionem hanc nostram terminemus, quæ ad Obeliscos potissimum pertinet. Nam si illi ad tollendam superstitionem, cum Diis dicati essent, Pontificum jussu eversi sunt, quæ caussa fuit, quamobrem iidem Pontifices Obelisco Vaticano pepercerunt? quem suo loco stantem vidimus ne tantulum quidem ulla ex parte læsum? neque enim existimare possumus cæteros Obeliscos vel terræmotu vel fulmine dejectos esse, cum vectium & ferramentorum vestigia, quibus eversi sunt, adhuc exstant in infimæ partis lateribus, quæ basim spectant. Hic, quamquam historia nos nihil adjuvat, ex historia tamen ea petemus, quibus conjecturam nostram fulciamus, & quoad a nobis fieri poterit, proxime ad veritatem accedamus. Nemo autem est, qui ignoret, tum Gregorium, tum Pontifices, qui eum vel antecesserunt, vel consecuti sunt, permultos, Imperatorum Byzantinorum potentiam usque adeo semper pertimuisset, ut magnopere caverint ne qua in re illos læderent. quando eorum nonnulli per summam injuriam Roma evocati, vel in carcerem conjecti sunt, vel in exilium missi cum alii permulti, tum Joannes, Sylverius, Vigilius, & Martinus eorum nominum primi. Quod itaque vererentur, ne qua in re apud eos Imperatores offenderent, satis habebant ea ædificia & moles excidere, quæ summa ipsorum Imperatorum voluntate extingui poterant. cujusmodi fuerunt Theatra & Balneæ; quæ cum impie peccandi materiam hominibus subministrarent, a Christianis Imperatoribus facile impetratum est, ut tollerentur. id quod iis etiam Obeliscis contigisse probabile est, qui, Gentilitatis cultui & superstitioni dicati cum essent, summo Justiniani & cæterorum Imperatorum, qui Christianæ pietati se addixerant, consensu sublati sunt. scimus autem duos illos Obeliscos, qui in Circo Maximo statuti fuerant, Soli unum, alterum Lunæ, ut supra diximus, fuisse consecratos. id quod etiam de eo, qui in Hortis Sallustianis spectabatur, memoriæ proditum fuit, idemque de cæteris existimari par est: ut in Commentariolo illo nostro de Obelisco demonstravimus. At Obeliscum Vaticanum Augusto D. F. ac Tiberio Impp. ex ipsa Inscriptione a Caligula dicatum fuisse constat, ut cum nulla superstitionis vestigia in eo residerent, dejiciendi ejus caussam Pontifices non habuerint. Cæsarum itaque nomen fuisse, quod illum integrum atque incolumem servavit, verisimile est: quemadmodum etiam Trajani & Antonini columnas cochlides, triumphales arcus Titi, Domitiani, Severi, Gordianorum. ad quorum eversionem nihil omnino erat, cur Pontifices magnopere incitarentur. Atque hæc de Obeliscis, quæ mihi maxime probabilia visa sunt. Nunc quoniam a multis quæri video, quo pertineant ea quadrata Cava, & a quibus facta sint, quæ in Amphitheatro, nonnullisque aliis publicis ædificiis plurima exstant, non inviti conjecturam nostram hic apponemus. Extant Epistolæ Cassiodori duæ Theoderici regis nomine scriptæ: una ad Senatum Urbis Romæ: altera ad Symmachum Patritium. In hac saxa inter se sic esse commissa scribit, ut, cum commissuræ non appareant, tota illa moles natura extitisse videatur: in illa vero ad Senatum, aeris non minimum pondus, &, quod propter mollitudinem diripi facillime potuit, e mœnium ornatu plumbum fuisse exemptum queritur. Si quis igitur conjecturæ locus est, non inepte, ut mihi quidem videtur, nec sine argumento existimari poterit hujusmodi Cava, quando omnia propemodum in lapidum commissuris sunt: & ad commissuras contegendas, & ad ædificiorum & immanium illarum substructionum ornatum, sic ære & plumbo fuisse obstructa, ut spectantium oculis mirabiliter affulgerent. Vale, Romæ Id. Maii CIↃ IↃ LXXXVII.

F I N I S.

PETRI ANGELII BARGÆI
COMMENTARIUS
DE
OBELISCO
AD
SANCTISS. ET BEATISS. D. N. D.
XYSTUM V.
PONT. MAX.

CAPITA RERUM
QUÆ IN
COMMENTARIO
DE
OBELISCO
CONTINENTUR.

Obeliscus unde dictus.
Veru quid sit.
Veru Sabinorum.
Obelisci descriptio.
Obeliscus cur ὑποκορισικῶς dicatur.
Obelisci nomenclatura ex allegoria ducta reprehenditur.
Obeliscum Ægyptio nomine radium Solis significari.
Obeliscum ab Herodoto Obelum dici.
Obeliscum dictum fuisse a multitudine parvulorum Obelorum.
Obeliscum dictum esse κατ' ἀντίφρασιν.
Obeliscum dictum esse a parvulo Obelo Sphæræ superiori infixo.
Allegorias in perquirenda vocum notatione spectari non oportere.
Obeliscus ex quo lapidum genere fieret.
Pyrhopæcilos lapis unde dictus, & e quibus montibus exscinderetur.
Obeliscus cur e lapide Pyrhopæcilo.
Obelisci figuram Solis radios imitari.
Obeliscum Metæ similem cur dicat Ammianus.
Meta quid sit, & unde dicatur.
Metam in extremis Circi partibus locari consuevisse.
Metam quoties circumagerentur currus.
Metam a Græcis Κῶνον vocari.
Umbram terræ a Cicerone Metam noctis dici.
Pyramides alias triangulares, alias quadrangulares esse.
Obeliscum a Plinio trabem dici.
Obeliscum a Mitre rege fuisse institutum.
Heliopolim Sacerdotum sedem.
Sacerdotes Ægyptios fuisse doctissimos.
Pythagoram, Democritum, Zamolxim, Solonem, Platonem, Eudoxum ad Sacerdotes discendi causa se contulisse.
Mitres & Menas an idem.
Menas primus in Ægypto regnavit.
Menam Lunam, Mitram Solem significare.
Solem ab Ægyptiis Osyrim dici.
Lunam ab Ægyptiis Isim dici.
Cur in Regum Ægyptiorum nominibus ab auctoribus variatum sit.
Herodoti erratum, qui Memphim a Mena conditam dicat.
Memphim ab Uchoreo Uchorei F. conditam.
Uchoreum ab Eusebio Epaphum Jovis F. fuisse dictum.
Epaphum ex Io & Jove in Ægypto natum.
Memphim ædificatam anno mundi IIMIↃCCDX. *vel* IIMIↃXI.
Obeliscos plurimos Thebis fuisse.
Thebæ Ægyptiæ qualis urbs & quanta.
Thebæ Ægyptiæ cur ἑκατόμπυλοι.
Diodorus Siculus in Ægyptum proficiscitur Olympiade CXXC.
Diodorus Siculus Historiam scribit annis plus minus LVIII. *ante natum Christum.*
Thebas Memphi condita desertas a regibus.
Obeliscum multo ante Pyramidem fuisse institutum.
Obeliscum nobiliorem Pyramide esse.
Pyramides substructas a regibus ad sepulturæ usum.
Josephi Historici locus reprehensus, ac defensus.
Moses nascitur ante Memphim cond. annis ferme centum.
Moses annum agens octogesimum ex Ægypto Hebræos eduxit.
Pyramides falso existimari Granaria fuisse.
Opinio quorumdam de Pyramidum antiquitate refutata.
Obeliscos omnes universe Soli sacratos.
Obeliscos duos a Sesostride Thebis Jovi dicatos, CXX. *cubitorum singulos.*
Locus Diodori declaratus.
Pallades dici solitas Virgines Jovi sacras.
Scribendi ratio duplex apud Ægyptios, quarum altera ἐπισολογραφικὴ, altera ἱερογλυφικὴ dicebatur.
Figuræ aliquot Hieroglyphicæ declaratæ.
Græcos pro Hieroglyphicis figuris dicta quædam brevia usurpavisse.
Barbaros Hieroglyphicis figuris usos esse.
Idanthuræ Regis Scytharum litteræ Hieroglyphicæ ad Darium.
Hieroglyphicarum notarum usum duplicem.
Obeliscorum Hieroglyphicæ notæ quas res complectentur.
Hieroglyphicæ notæ in Obelisco Augusti explicatæ.
Rhamestes, cujus fit mentio in Obelisco Augusti, qui fuerit.
Rhamises apud Plinium utrum idem cum Rhameste.
Rhameses apud Eusebium quis.
Phero Sesostridis filius.
Sesostris terræ orbem prope totum subegit.
Sesostrim regibus sub jugum missis in triumpho quot annis ferri voluisse.
Pheronem ab Herodoto dici, qui in Obelisco Augusti Hero dicitur.
Græcos nominibus a vocali incipientibus addere consuevisse Æolicum digamma.
Pheronem & Pharaonem eumdem.
Pharaonem dignitatis cognomen.
Ægyptii natura leves.
Alexander Magnus Jovis filius.
Arsacidæ Persarum reges Solis & Lunæ fratres.
Ptolemæus cognomento Ceraunius.
Antigonus Solis filius.
Antiochus Syriæ rex Deus.
Domitianus & Caligula Joves Latiales.
Ægyptii reges Apollinis & Solis filii.
Ægyptii Solem præcipue colebant.

Mitras ex nomine Solis dictus.
Cultus omnis Deorum ab Ægyptiis emanavit.
Persæ Solem colebant.
De Mitræ, id est Solis, cultu apud Persas.
Mitræ signum quale.
Mitras cur in antro colebatur.
Apollinem a Sole diversum fuisse apud Ægyptios.
Obeliscos quatuor a Sochi rege in urbe Heliopoli cubitorum XLVIII.
Obeliscos duos a Rhamise, alterum cubitorum XL. *alterum cubitorum* LXVI.
Plinii locus correctus.
Mnevis quis fuerit.
Memnonis Regia.
Memnonis Colossum a Sole mane percussum vocalem sonum reddere.
Plinii locus restitutus.
Cambysem Ramisis Obelisco pepercisse.
Cambysem in Ægypto & templa devastasse, & Obeliscos corrupisse.
Obeliscus a Smarre cubit. XLVIII. } *Nullis inscripti notis.*
Obeliscus ab Heraphio cub. XLVIII.
Obeliscum a Nectabi excisum cubit. LXX.
Obeliscum Nectabis Ptolemæus Philadelphus Alexandriæ statuit.
Quo modo Obeliscus Nectabis Alexandriam devectus sit.
Obelisci duo Alexandriæ cubit. XLII. *ad Ædem Cæsaris.*
Mesphees Ægypti rex, & Mephres idem.
Phero Sesostridi successit in regnum.
Obelisci duo a Pherone facti cubit. C. *longitudine, latitudine* VIII.
Obeliscos Pheronis Soli sacratos fuisse.
Phero excæcatus.
Phero visum recuperat, & quomodo.
Phero voti compos Obeliscos suos Soli sacrat.
Obeliscos duos ab Augusto Romam devectos, & alterum in Circo maximo, alterum in Campo Martio fuisse positum.
Obeliscus in Campo statutus horas ac dierum incrementa & decrementa ostendebat, & quomodo.
Obeliscos tantum duos regnante Augusto in Urbem invectos, postea vero sex.
Obeliscos octo omnino Romæ fuisse, ex veterum scriptorum testimonio.
Obeliscos duos in Circo maximo.
Obeliscum unum in Campo Martio.
Obeliscos duos ad Mausoleum Augusti.
Obeliscum unum in Circo Caii, & Neronis in Vaticano.
Obeliscum unum in Insula Tiberis.
Obeliscum unum in Hortis Sallustianis.
Obeliscos XLII. *minores in Urbe Roma.*
Plinii locus defensus.
Obeliscum Vaticani fractum, ac dimidiatum.
Suetonii locus declaratus.
Obeliscum Vaticani alterum fuisse ex iis duobus, quos Phero Sesostridis filius centenum cubitorum recepto visu Soli sacravit.
Hermolaus Barbarus a negligentia defensus.
Plinii locus restitutus.
Obeliscus Pheronis quot annis ante Pontificatum Xysti V. fuerit a Pherone Soli dedicatus.
An erratum ab eo sit qui Obeliscum Vaticani antiquiorem bello Trojano fuisse scribit, & ea in re quos ex veteribus secutus esse videri possit.
Argonautas fuisse ante bellum Trojanum annis fere centum.
Obeliscus Constantinianus.
Ammianus Marcellinus & P. Victor cur dissentire videantur, cum de Obeliscis duobus Circi max. loquuntur.
Obeliscos duos Circi maximi confractos & comminutos existimari posse.
Navium trium, quarum fit mentio ad Obeliscos ex Ægypto Romam invehendos ædificatarum, Cajanam fuisse maximam.
Obeliscus ex Smaragdo quatuor cubitorum longitudine, latitudine trium.
Obeliscum e quatuor Smaragdis quadraginta cubitorum longitudine, latitudine in parte quatuor, in parte duorum.
Colosseum Serapim e Smaragdo cubit. IX.
Brevis ἀλληγορία ad Obeliscos pertinens.
Caussæ quibus Xystus V. Pont. Max. videri possit adductus, ut Obeliscum Cajanum in Aream Vaticani deferri curaverit.
Xystus V. Pont. Max.
Latrocinia sustulit.
Annonæ caritatem sublevavit.
Mores emendavit.
Vias novas in Urbe stravit.
Ædes Lateranas magnificentissime restituit.
Aquas uberes & salubres in Urbem induxit.
Veteres Ecclesiæ ceremonias renovavit.
Deorum statuas e Capitolina turre dejecit.
Apostolorum Petri & Pauli signa ex ære columnis cochlidibus imposuit.
Templa situ collabentia ac pene deserta & instauravit, & frequentari instituit.
Sacella exædificavit.
Obeliscum Pheronium e vetere sede avulsum in Aream Vaticani transtulit.
Obelisco Crucem imposuit, ut jam non ad superstitionem, sed ad veram pietatem religiose spectaretur.

SAN-



SANCTISSIMO AC BEATISSIMO

D. N. D.

SYXTO V.

PONT. MAX.



Raeclarum illud est, BEATISSIME PATER, *& omni laude dignissimum, quod Plato libro* v. *de Rep. scriptum reliquit; Civitates tum demum felices & perbeatas fore, cum aut in iis Philosophi dominarentur, aut, eas qui regunt, philosophari sic inciperent, ut unam eamdemque & philosophandi & imperandi rationem esse censerent. Nam Philosophia cum animum excolat, & ad bene beateque vivendum instituat; animus autem corporis imperio praesit, ex quo rerum omnium externarum usus, qui maxime hominum societati conservandae sit idoneus, comparetur; non video qua ratione fieri hoc possit, si gubernandae Reipub. ratio a recta instituendi animi ratione dissentiat: quae e Philosophiae praeceptis tantummodo hauriri consuevit. Civitates enim hominum coetus cum sint, coetus autem ipsos non unus atque alter, sed plures conficiant, profecto, nisi singuli ad virtutem dirigantur, & parere legibus assuescant, coetus illi aut dissolvantur necesse est, aut ita consistant, ut in turbulentissimo Reipubl. statu miserrime conflictentur. itaque, qui alteram facultatem ab altera sejunxerunt, rem non modo non necessariam, sed ne utilem quidem excogitarunt. quamquam enim Philosophi qui sunt, ita se interdum ab rebus agendis abducunt, ut, cum corpore domi atque in urbe sint, animo (ut idem Plato inquit) in coelum avolent, & utrum vicini, quos habent, belluae sint, an homines, plane nesciant: tamen, si se ad capessendam Rempubl. conferant, mirum quantum & prudentia & virtute ceteris antecellant omnibus. cujus rei caussa est, quod non temere, neque repentino quodam animi impetu, sed ratione & consilio ducti ad eam accedunt; non ut ex inopiae sordibus emergant, sed ut illam, tanquam parentem, juvent, & in primis beatam esse velint, quod nunquam facient, qui se prius ad omnem virtutem non conformaverint. quemadmodum enim regulam oportet esse tum rectam tum firmam, qua quis utatur in faciundo opere, atque in superficie exaequanda, lineisque ducendis, nulla ut ex parte contortae atque obliquae sint; ita sane is, cujus fidei Respubl. committitur, animo excultus, & moribus institutus sit oportet: ut, qualis ipse est, tales eos esse velit, quibus imperat. id quod haud difficillime consequemur, si prius e Philosophia didicerimus, qua ratione ipsi nobis imperemus. Nam quemadmodum, qui cadit, alterum ne cadat sustinere non potest; ita qui vitia sibi prius ex animo radicitus non extraxerit, sibique acrius imperare non assueverit, vix, ac ne vix quidem fieri poterit, aliis ut juste imperet. Neque enim bene imperabit unquam, qui, cui ipse pareat, habet neminem. Habere autem necesse est in Repub. Principes qui sunt, cui diligentissime pareant, legem: quam Pindarus omnium reginam mortalium atque immortalium vocat: eam videlicet, quae non quidem vel in aes incisa, vel in tabulis perscripta, atque exarata legitur: sed quae semper una nobiscum versatur & excubat, neque libere vagari aut a voluptatibus seduci animum permittit, eumque, ut ventos Aeolus imperio premit, & vinclis & carcere fraenat, sic illa quasi invitum & repugnantem in officio continet. Atque haec quidem lex*

nihil aliud est, quam ratio ipsa, cui uni, qui aliis imperant, assidue pareant necesse est. Sed nunc eo rem redactam videmus, ut ferme omnes, qui in Rep. principem locum tenent, servitutem teterrimam esse putent, si cujus imperium sequantur; idque unum in imperio summum bonum esse putant, si nullius imperio subsint, & ex animi libidine, non ex præscripto rationis cuncta administrent. Quemadmodum Dionysius Siciliæ Tyrannus, qui tum demum se cum imperio esse intelligere dicebat, cum quæ vellet, ea nulla interposita mora fieri videret. ex quo Caligulæ Imperatoris nefariæ illæ voces: Tam bona cervix simul ac jussero deponetur. &: Memento omnia mihi & in omnes licere. & blande rogantibus convivis, quid rideret? Quid? nisi uno meo nutu jugulari vos statim posse? quod quid aliud est, quam exclusa justitia, quæ quamdam divinæ sapientiæ imaginem in civitate repræsentat, aditum injustitiæ patefacere, & malorum omnium caussas in Remp. invehere? atque hoc sane plerisque omnibus usu evenit, qui relicta penitus Philosophia ad eam modo facultatem se conferunt, quæ vulgato etiam proverbio ad se perdiscendam, tanquam ad auream messem metendam, adolescentes cohortatur. qui cum ita animo affecti postea se Reip. gubernandæ dediderunt; nihil prius atque antiquius habent, quam verborum formulas & sententiolas ex Jurisconsultorum placitis ac responsis excerptas, quibus possunt cumque malitiosis interpretationibus eo detorquere, quo volunt, qua ratione plerumque accidit, ut, quos minus par est, ii potissimum funditus evertantur, & fortunis omnibus exuti frustra deinde hominum fidem implorent. Quid ergo? juris legumque scientia contemnenda est, & e Rep. exterminanda? minime hoc quidem. Sed aut cum ea Philosophiæ parte copulanda, quæ mores ad virtutem dirigit, quod optimi quique Jurisconsulti faciunt: aut exoranda, sibi ut persuaderi patiatur, Philosophiam quoque per se eam esse, quæ Rempub. optime gubernare & possit & soleat. Possem hic, si evagari & orationem prolixiorem facere liberet, multorum Pontificum exemplis uti: quibus, quod diximus, facillime tueremur. Sed ne nos otio atque humanitate tua abuti videamur, BEATISSIME PATER, *non evolvam nunc quidem veterum annalium scriptores, sed proximorum annorum memoriam repetam, quibus Pontifices professione liberalium facultatum inter se diversi (eorum enim partim Jurisconsulti, partim Philosophi ac Theologi fuerunt) Remp. Christianam sic administrarunt omnes, nulli ut ex iis reprehendi a quoquam possint. Nam in eorum Pontificatu, qui in juris prudentia excellebant, ea jurisprudentiæ vestigia impressa sunt, quæ maxime laudabilia esse in gubernanda Rep. consueverunt: & eos, qui e Philosophiæ quasi adytis ad eandem dignitatem provecti sunt, sic se egregie gessisse constat, ut commemorationem nominis sui cum omni posteritate adæquaverint. Itaque, quamquam omnes optimam Reip. regendæ rationem secuti sunt, alios tamen aliis pro temporum conditione antecelluisse nemo est qui neget. In eadem enim virtute gradus quidem sunt aliis alii superiores; ut cum non omnes in iisdem consistant, omnes tamen laudem, qua digni sunt, apud bonos consequentur. Homerus Achillis personam sic tractat, cæteris ut omnibus anteponat Heroibus, qui ad Trojanum bellum convenerant, cum interea de eorumdem virtute mirabiliter & sentiat & loquatur. Quod si interdum longe illustrior unius quam alterius Pontificatus habitus est, & vero etiam fuit; quid de te,* XYSTE V. *Pontif. Max. statuendum est, quem multo ante cunctorum hominum vota Pontificem expetiverunt, quam admirabilis ille sanctissimorum Patrum consensus Pontificem declaravit? & id quidem merito. Sciebant enim te sic semper vixisse, ut, quam, puer cum esses, expectationem de te commoveras, eam longe multumque superaveris. Commoveras autem tantam, quantam ab eo commoveri par fuerat, quem Deus Optimus Max. nondum natum dormienti patri ex ejus uxore, quæ tum prægnans erat, summa felicitate filium in lucem proditurum indicarat: usque adeo, ut te mox exortum pater tanti oraculi non immemor, addito nomine, quod fore sperabat, confirmaverit. Felicem enim vocari voluit. cujus plane divini ominis vim non modo exitus, sed etiam prima illa pueritiæ atque educationis rudimenta tuæ comprobarunt. quanta enim ea fuit felicitas, quod a teneris (ut Græci dicunt) unguiculis ea in te fuit,* BEATISSIME PATER, *ingenii magnitudo, ea memoriæ præstantia, ut doctorem discendo præcurreres, & eorum, quæ didiceras, obliviscereris nunquam? Neque enim felicitatem iis finibus circumdandam censeo, quibus eam vulgo homines circumscribunt. Nam ad*

hoc quidem multo majoris momenti apud me est, ingenii celeritate excellere, naturæ bonitate ad ea procliuem ferri, e quibus morum probitatem & rerum scientiam hauriamus, quam uel illustri loco natum esse, uel opibus & copiis ita cæteris omnibus antecellere, ut ea modo de caussa nos homines admirentur; perinde atque illam Colchorum ouem, quæ, præter aureum uellus, nihil plane habebat, quamobrem magnopere appeteretur. Sunt quidem diuitiæ, si recte utamur, aptissimum ad laudabiliter agendum instrumentum: sin secus, haud quis erret, si, quemadmodum omnium scelerum administras uocauerit, ita malorum omnium (ut Euripides ait) caussas hominibus afferre dixerit. Euertit Alexander Priami F. regnum patris opulentissimum. Etheocles & Polynices regii fratres, & in regia opulentia educati, usque adeo inter se oderunt, ut uterque alterum mutuis uulneribus fœdissime confoderit, & Thebanum imperium perdiderit. Sextus Tarquinius Superbi F. diuitiis & potentiæ fastu elatus Lucretiæ castissimæ fœminæ stuprum cum intulisset, in exilium una cum patre pulsus est. Sed profecto dies dicentem me deficiat, si eos enumerare perrexero, quibus opes detrimentum ac perniciem attulerunt. quocumque enim apud Historicos aut Poetas oculos conuertes, & immensas quasdam atque incredibiles uel priuatorum hominum, uel maximorum regum diuitias inspicies, fere quo majores fuerint, eo etiam plures grauioresque calamitates mox consecutas esse animaduertes. Et uero, si Platoni credimus, fieri uix potest, ut, qui ditissimus est, siquidem ex opinione uulgi diuitias metiamur, idem sit ualde bonus. boni enim qui sunt, iidem felices sint necesse est. Sed hæc spinosiora fortasse sunt, quam epistolam deceant. Illud certe nemo non fatebitur, eum, qui domi delicate atque adeo in rerum omnium affluentia educatur, cum adoleuerit, ad uoluptatem potius, quam ad laborem animum appellere, nisi seuerissimi custodis disciplina accesserit hujusmodi, quæ adolescentis animum a uoluptatum illecebris reuocet, & ad uirtutem traducat. quod quam paucis contingat, nemo bonus est, qui magno suo cum dolore non perspiciat. Nihil igitur est, cur in diuitiis felicitatem collocemus; ac ne in majorum quidem splendore & claritate. quid enim aliud est hic se jactare, quam ea de re insolenter gloriari, quæ ad nos uel nihil, uel certe parum pertinet? ut non immerito illud in eos, qui id faciunt, & circumferatur, & quadret: **Τὶ πατέρα αἰνήσει, εἰμὴ κακοδαίμονα τέκνα;** *quasi dicat, nemo est omnino, quem plane infelicem & abjectissimæ sortis hominem existimare non debeamus, si præter majorum suorum gloriam nihil habuerit, cujus gratia se cæteris magnopere commendet. At Romulus, Theseus, Lycurgus, ac sexcenti alii, quos nominare necesse non est, ingenio potius & uirtute, quam magnis quibusdam opibus & nobilitate freti Respub. constituerunt, quæ paulatim auctæ peperere auctoribus suis immortalitatem. quoties Cicero gloriatur, se hominem Arpinatem Romæ nobilitatis claustra refregisse? quoties diligentia, studio, ac labore consecutum esse, ut Metellis, Scipionibus, Lucullis, aliis æquaretur? quin etiam confictis ac detortis in nobilitatis contemptum uocibus Lentulitates nescio quas & Appietates irridet. Et sane multo pluris facienda est ea nobilitas, quam quisque sibi peperit, quam quæ a majoribus nostris in nos deriuatur & redundat. Illa enim nostra est, hæc aliena: illam nihil prohibet, cur nobis totam non asseramus, hanc alterius uirtuti tribuamus necesse est. Atque ut ex perenni fonte perennibus aquis arua irrigantur ad fertilitatem; sic ex illa præclarissimæ semper actiones existunt, quibus humanum genus mirabiliter juuatur: ex hac non item. Etenim quemadmodum in occlusis canalibus ac paludibus aquæ, quæ aliunde influxerunt, plerumque corrumpuntur & putrescunt; sic in iis, qui præter majorum splendorem nihil habent, quod homines mirentur, omnis ad honeste agendum uis atque impetus concidit funditus ac refrigescit, ut jam non laudandi, sed magnopere uituperandi esse uideantur. Quid ergo? nihil omnino est ab iis parentibus esse ortum, qui nobiles & habeantur & sint? immo magnum quoddam bonum nullo cum bono comparandum, si, quibus illud contigit, non inani quadam opinione ac jactantia, sed uirtute & factis, quæ solidam gloriam parere consueuerunt, quasi sartum tectum (ut ajunt) atque integrum conseruabitur: quod quidem nemo unquam consequetur, qui neque animi uirtute, neque ingenii bonitate maxime excellit. Atque hanc ego hujusmodi excellentiam, ut eo, unde digressa est, reuertatur oratio, felicitatem appello, quæ propemodum incredibilis ac*

divina in te ipso, PATER BEATISSIME, *adhuc puero, & pene dixerim, etiam tum in cunis vagiente sic se extulit, sic se spectandam protulit, nemo ut te, Felicem cum appellaret, vere felicem esse non opinaretur. Sed eam tu felicitatem cum in Dei Opt. Max. cultu & pietate totam reponeres, neque felicem eum esse posse existimares, qui se cum ipso Deo, quoad a se fieri posset, quam maxime non conjungeret, te in Sancti Francisci familiam adoptandum tradidisti; sic tamen, ut nomen retinueris tuum. Sciebas enim ex ea permultos olim prodiisse, qui cum & doctrina insignes & singulari vitæ integritate essent, præterquam quod Ecclesiam Catholicam propemodum labantem humeris ipsi suis, ne humi procumberet, sustinuerant, in cœlum etiam recepti una cum mentibus illis purissimis ac beatissimis præsentes præsentem Deum inspicerent, atque omnibus gaudiis perfusi ejus conspectu & divinitate fruerentur. ad quorum exemplum te conformare vel in primis cupiebas. itaque sic te totum Philosophiæ, ac mox Theologiæ dedidisti, sic eorum studiorum cupiditate incensus flagravisti, ut brevi in utraque incredibiles progressus feceris. quibus quidem in facultatibus perdiscendis cum assiduus versareris, non ita tamen te a Musis, hoc est, ab his humanioribus & lenioribus litterarum studiis avertisti, ut subsecivis horis ea non coleres & in dicendo te non exerceres, quantum quidem principes facultates, id est Philosophia, ac Theologia, paterentur, quantumque otii ad id agendum a domesticis publicisque ejus familiæ curis tibi concederetur. quamobrem in ea facultate sic te, juvenis cum esses, exercitatum ostendisti, nemo ut frequentius ad populum, qui in templis ad Christianam doctrinam audiendam convenerat, conciones habuerit. At quas conciones? in quibus scilicet dubitarent eruditi ac docti homines, major ne esset selectissimorum verborum atque optimarum sententiarum copia; an sanctissimorum mysteriorum explicatio clarior; an ad Christianam pietatem institutio facilior; an vitiorum reprehensio severior; & ad pie sancteque vivendum cohortatio vehementior: nemo ut prorsus te audierit, in quo ignes quasi quidam excitati non sint ad se emendandum. nec mirum sane, quippe qui ea, quæ aliis præcipiebas, ipse tuo exemplo facienda demonstrares. Non enim vitæ genus tuæ ab oratione dissentiebat; non mores a præceptis: talem te domi gerebas, talem institueras, qualem foris haberi volebas; re, inquam, & factis ejus familiæ disciplina dignum, quæ tum fuit, cum instituta est, severissima scilicet, & Christianarum virtutum plenissima. quæ cum rerum humanarum more nonnihil a pristina illa sanctissimorum Patrum vivendi ratione declinasset; ipse, quod nemo satis laudare, nemo satis mirari queat, unus ferme ex omnibus gravissimis illis veterum institutis delectabaris, ac sine cujusquam fere vel æmulatione vel exemplo tecum ipse certabas, tecum contendebas. quamquam non ego te,* BEATISSIME PATER, *tantis laudibus ornandum arbitrarer, si quos tum Franciscos, si quos Bonaventuras habuisses, ad quorum normam vitæ rationem conformare cogereris. Versabaris tu quidem inter eos Patres, qui, si ætatis hujusce mores inspiciamus, laudabiliter vixisse existimari debeant; non ita tamen, exemplo ut suo ad illud vitæ genus perantiquum ac prope divinum impellere quemquam possent. Sed par erat, ut, quem Deus Opt. Max. universo terrarum orbi solum ad imperandum selegerat, eundem etiam, tanquam unicum Christiani sacerdotis exemplar, ad imitandum solum proponeret. Vestigiis igitur tuis,* BEATISSIME PATER, *cum insisteres, te ipse cum æmulareris, cum præsens præsentem, præter unum te, haberes neminem, quem sequi magnopere velles, ita vixisti, multo ut prius totam Europam nominis celebritate compleveris, quam quisquam pedum celeritate peragraverit. Quamobrem quocunque te contuleras, quacumque ingrediebaris, omnes te tanquam quemdam ex veterum annalium memoria mirabantur. stipitem illum plane ac truncum esse oportebat, qui tot tantasque virtutes non suspiceret, qui tam singularis sanctitatis hominem sibi omni cultu non esse observandum statueret. Ut minime mirari par sit, si te unum, qui vitæ actiones omnes ad virtutem jam inde a pueritia direxeras, qui tibi fortissime imperare didiceras, qui Christianæ doctrinæ fontes penitus imbiberas, atque impiorum hominum sectas identidem in Ecclesia exorientes acerbissime oderas, si te, inquam, sic moratum, sic institutum, educatum Sanctissimi Pontifices tanquam in specula excubare voluerunt, ex qua tu impendentes procellas prospiceres; & si qui essent, qui in Ecclesiam perniciosas opiniones inferrent, & quasi lolium inter frumenta sererent, eos tu, pro summa sapientia tua, compesceres,*

ac, si res ita postularet, gravissimis etiam suppliciis coerceres. quo in munere obeundo cum te mirabiliter gessisses, cum praeterea plurima extarent alia virtutis ac pietatis tuae vestigia, non in Italia modo, sed etiam in Hispania, quae persequi si velim, jam non epistolam a me, sed longissimam orationem scribi oporteat; cum, inquam, tot tamque ingentibus tuis in Remp. meritis praemium aliquod illustre diutius deberi non posset, in Cardinalium ordinem Pius V. Pont. Max. pene invitum te ac nolentem cooptavit. quo facto, cum caeteri omnes magnum iis Patribus accessisse decus judicarent, & tibi tamen de tanto honore gratularentur, tu laborem in Ecclesia juvanda tibi ex ea dignitate auctum statueres, tantum abest, ut animum in otio quasi consenescere passus sis, ut dies noctesque vel in rebus agendis, vel in sanctissimorum Patrum scriptis & perlegendis & ad integritatem restituendis invigilaveris. cujus rei gravissimi testes sunt S. Ambrosii libri, quos cum perversorum hominum, & ab Ecclesia Romana, hoc est Catholica, dissentientium studia multis in locis plane depravavissent, ita tu ex vetustissimorum codicum fide emendavisti & publicae utilitatis caussa in lucem edendos curavisti, ut vel ex una hac re laudem sis immortalem apud omnes bonos adeptus. Quamquam haec, si cum iis, quae postea consecuta sunt, comparentur, hujusmodi videri possunt, ut digna quidem illa sint, quae dilaudemus, non tamen, quae nobis maximam admirationem moveant. Etenim, quod ante te plerisque aliis accidit, ea tibi Pontificatum pepererunt; sed, quod nullis fortasse aliis usu evenit, Pontificatus virtutes alias multo praestantiores in te esse ostendit: quae, nisi tantam occasionem nactae fuissent, delitescerent etiam nunc illae quidem, & nullorum oculos in se converterent. ut, quod Aristoteles ex sententia Biantis refert, verissimum esse constet, unumquemque scilicet ex magistratu, quem gerit, facile declarari qualis sit. Nam tu cumprimum ad supremum istum locum provectus es, re ipsa demonstrasti non quidem humana quapiam ope te adjutum, sed a Deo Opt. Max. ex tanto sapientissimorum Principum numero selectum, qui multis incommodis affectam, ac si non funditus eversam, labantem certe ateque in dies in pejus ruentem Remp. susciperes ac recreares: qui naviculam fluctuantem ac propemodum ab adversa tempestate demersam in portum subduceres, & in tuto collocares. Nemo enim est, PATER BEATISSIME, *qui non meminerit, quibus periculis salus non modo illorum, qui aut ruri in re familiari sua occupati praediis colendis operam dabant, aut omnino peregre proficiscebantur, sed illorum etiam omnium, qui cum in aliis, tum in hac ipsa Urbe, Romae, inquam, atque adeo domi suae se continebant, exposita fuerit, & quasi quadam audacissimorum sicariorum conjuratione ad quaestum & rapinam expetita. Scimus complures & noctu & interdiu trucidatos fuisse homines innocentes: scimus grandem pecuniam per vim & metum a multis exactam: scimus ex complexu parentum filios in solitudines abductos, ut aut miserrime jugularentur, aut ingenti pretio redimerentur. quid plura? jam non deerant, qui Viriatos, qui Atheniones, qui Bargulos & Spartacos imitati latronum ac servitiorum duces se esse palam atque aperte profiterentur. quorum etiam nomine percussos nummos vidimus, ut jam parum abesset, quin magistratus etiam & collegia auro, argento, aeri flando feriundo ab iis creatum iri suspicaremur. atque hoc sane aliquo modo ferri potuit, si in extremis hujusce Reip. atque Imperii finibus accidisset. Nunc autem in ipso medio Latio, in ipsa, inquam, urbe Roma, quam caeteris omnibus urbibus certissimo praesidio ad salutem esse oportebat, haec ipsa scelera fieri audivimus, vidimus, sensimus; ut jam ad ea coercenda ne externa quidem auxilia & conductae ingenti cum aerarii dispendio copiae sufficerent. quas calamitates, cum agri libere coli non possent, neque mercaturae sine periculo ac certissimae mortis metu exerceri, necessario & frugum inopia, & foedissima fames consequebatur. neque sane hoc ideo a me dicitur, quod eum, qui tum Reipubl. praeerat, tanquam unicam tantorum malorum caussam reprehendendum & accusandum censeam. absit hoc a mea & aliorum cogitatione: sed ut intelligatur quantum in una eademque virtute homo homini praestet, quantumque intersit inter eum qui a philosophia institutus ad Rempubl. accedit, & illum qui cancellis quasi quibusdam conclusum se putat a juris legumque scientia, quos, etiam cum Reipubl. ratio postulat, refringere non audeat. Dubitandum enim non est, quin ea, quae tum fiebant, ipso invitissimo fierent, qui imperabat. Sed profecto nemo tam felix est, qui in magna & numerosa familia non*

habeat aliquos suæ potius ipsorum utilitatis cupidos, quam eorum gloriæ studiosos, quorum negotia in gubernanda Repub. administrant; quare cum per summam fraudem eos, qui Reip. præsunt, decipiant, facile fit, ut improbis hominibus ad improbe agendum aperto aditu atque impunitate proposita status Reip. funditus convellatur, & omnia sursum deorsum temere ferantur. quod quidem tum accidere qui meminerint, si quidem ii boni sunt, fieri minime potest, quin toti horreant & contremiscant, seque servatos esse non magnopere mirentur & gaudeant e tanta gladiorum licentia, e tanto sicariorum numero, atque improbissimorum hominum audacia; qui locupletum omnium fortunas prædam esse suam arbitrabantur, & innocentissimorum quorumque vitam acerbe & penitus oderant. Verumenimvero, quemadmodum usu evenire interdum consuevit, ut, post fœdissimos imbres & magnam aliquam turbulentamque tempestatem Solem discussis nubibus repente cum intuemur, ipsius lucem & pulchritudinem eo lætiores oculis usurpemus nostris, quo minus id futurum putabamus: ita, in tanta rerum omnium confusione cum misere jactaremur, eamque in dies magis magisque augeri videremus, neque ulla spes e tot miseriis, quæ undique in nos ingruebant, evadendi ostenderetur, Dei Opt. Max. providentia & beneficio nobis jam non minus insperantibus, quam pereuntibus repente consultum fuisse animadvertimus. Etenim evocato (ut par est existimari) in cœlum atque in beatarum mentium consortium GREGORIO XIII. cum Patrum comitia propter multas & maximas caussas longiora fore, quam vellemus, quamque Reip. tempora postularent, vulgo arbitraremur, Dei, inquam, Opt. Max. voluntate atque instinctu factum est, ut tu, BEATISSIME PATER, intra paucissimos dies, vel horas potius incredibili cum lætitia bonorum omnium Pontifex Max. creareris. Quis enim te cum purissimæ & castissimæ vitæ hominem, tum eximiæ sanctitatis sacerdotem, & spectatæ virtutis virum, qui tot annos in Rep. administranda cum laude versatus esses, in eum locum provectum fuisse non lætaretur, quo cum pervenisses, maximis illis atque inveteratis morbis, quibus affligebamur, medereris? Neque vero, qui ex tam felici nuntio gaudiis omnibus exultarunt, decepti sunt: quando non prius in puppi sedens clavum Reip. tenuisti, quam nos sedatis quasi tempestatibus tranquille vehi cœpti sumus. Ut jam tum non major ad bonos lætitia, quam ad improbos & facinorosos metus pervenisse videretur. Itaque, qui paulo ante domi se mœrentes continebant, neque propter grassatores exire in publicum audebant, libere jam per Urbem vagabantur: qui vero aliorum vitæ ac fortunis pæne aperte bellum indixerant, scelerum suorum sibi conscii, aut e bonorum conspectu profugerunt, aut capti, & gravissimo supplicio affecti pœnas eas dederunt, quas meriti fuerant. id quod si in Urbe solum accidisset, in qua vel indicta caussa nocentes homines plecti possunt, mirabile quiddam & dictu inauditum videri deberet. tantam fuisse de virtute tua expectationem, tantam de severitate & justitia opinionem; ut non ante imperare cœperis, quam audaces & pravi homines e civitate facessere, atque alio se conferre cogitaverint. Nunc autem iis ipsis, qui foris in aratores, in pecuarios, in mercatores licenter atque impune grassabantur, sic res cessit, ut, qui statim non aufugerint, morte mulctati liberos ad pascendum atque ad arandum agros reliquerint, ac viatores omni metu liberarint. Quid enim timerent iis omnibus e medio sublatis, qui latrocinia exercebant? præsertim cum eorum ipsorum, quibus cæteri tamquam ducibus parebant, capita sudibus & longuriis præfixa pœnas præteritorum scelerum pependisse non ignorarent. Atque hæc quidem hujusmodi cum sint, satis ut laudari ac pro rei magnitudine celebrari nequeant, illud tamen mirabilius & habetur & est: quod cum ærarium penitus exhaustum esset, neque vel publicis vel privatis frumentum reperiretur, famesque impenderet maxima, sic a te tanto incommodo obviam itum est, ut ex summa inopia & caritate rei frumentariæ consecuta sit annonæ vilitas, si temporum conditionem spectemus, incredibilis. Quod quidem ipsum, si illi, qui jam corroborato atque undique opibus & copiis affluenti Pontificatu faciunt, id faciunt, quod Principis liberalitatem, clementiam, & humanitatem apud omnes testatur excellentem; quo nomine factum tuum appellabimus, BEATISSIME PATER? qui cum vix Pontifex a Patribus salutatus esses, cum vix haberes, unde domesticos sumptus tolerares, & annona sic ingravesceret, ut jam plane inopia ac fames, non caritas timeretur; effeceris tamen, ut, undique frumento in Urbem comportato, neque

civibus, neque peregrinis deesset, unde copiose alerentur. Est hoc, est, inquam, opinione omnium majus, & quod heroicæ cujusdam naturæ vim atque instinctum præ se ferat. Tu XYSTE V. *Pont. Max. cum a pecunia inops atque imparatus fœdissimam famem depuleris, egentissimos quosque sublevaris, in eam rem auri pondo* IIM. *& amplius impenderis; omnibus salutem repente attuleris, inter homines potius, quam inter Heroas recenseberis? quid enim aliud est Heroem esse, quam omni ope humanum genus juvare, & iis potissimum prodesse, quibus summa Dei Opt. Max. voluntate præsis? Nam qui unam aliquam virtutem habent, digni illi quidem sunt, quos diligamus & miremur: sed qui in omnibus excellunt, jam non amandi solum & suspiciendi, sed, ut veterum more loquar, tanquam Semidei quidam e cælo ad nos delapsi omni veneratione ac pietate observandi & colendi sunt. nec loquor nunc de te, tanquam de Pontifice, cui videlicet in terris Christi Liberatoris nostri personam gerenti omnia officia, quæ ad cultum & pietatem pertinent, debentur; sed de ipsius animi tui singulari magnitudine ac præstantia. Quamquam difficile sit, ut qui non simulate & ad tempus, sed vere atque ex animo virtute aliqua excellit, idem etiam reliquas omni ope ac studio non complectatur ac foveat. Ergo cum tu & justitiæ & fortitudinis in delendis latrociniis, in pacandis imperii finibus exempla pæne innumerabilia edidisses, cum munificentiam & liberalitatem tuam incredibili caritate conjunctam in sublevanda cunctorum inopia re ipsa ostendisses; & in iis sumptibus, qui supervacanei sunt, resecandis modeste ac temperanter vivendum esse docuisses, cum ingentem vim pecuniarum sine ulla hominum querela ac nullo imposito vectigali in ærarium ad ultimos casus a te constitutum retulisses: cum in istius sanctissimæ sedis auctoritate ac dignitate tuenda ne potentissimorum quidem Regum inimicitias tibi esse fugiendas declarasses; in eoque animi magnitudinem incredibilem præ te tulisses: opus etiam aggressus es, quod & in præsentia apud omnes magnificentiæ laude nomen sic illustrat tuum, illustrabitque in futurum, ut e memoria hominum interiturum sit nunquam. Nam qui quavis de caussa Romam se conferent, qni ut plurimi semper fuerunt, sic posthac futuros innumerabiles & auguramur & cupimus, cum vias apertas ac directas, cum aquas ad omnium & voluptatem & utilitatem copiosissimas ac saluberrimas in Urbem inductas, cum Apostolorum signa cochlidibus columnis imposita, cum nobilissimum Obeliscum in media Vaticani area, atque adeo ante ædem S. Petri, & in maximorum Pontificum quasi vestibulo collocatum spectabant,* XYSTI V. *Pont. Max. magnificentiam cum Christiana religione conjunctam spectabunt; ejusque altissimum & veræ gloriæ cupidum animum divinis laudibus jure optimo prosequentur: quippe qui non intra longi temporis decursum, sed intra paucissimorum mensium, cum vix Pontificatum attigisses, turbulentissimam civitatem in tranquillissimum statum redegeris; audacium insolentiam coercueris; neminem pacis atque otii studiosum non reddideris; famem atque inopiam exterminaris; ærarium expleveris; vias ad religiosissimas quasque sanctorum ædes munieris; &, quod nulli antea ausi sunt Pontifices Max. iidemque ab omni rerum & pecuniarum affluentia instructissimi, ut tam vastam molem e loco suo commoverent, & in eum locum comportarent, in quem ad amplitudinem atque ornamentum ejus templi, quod in orbe terrarum augustissimum atque amplissimum futurum esset, inferri omnes cupiebant, unus tu,* PATER BEATISSIME, *incredibili cum omnium admiratione, ac felicissimo successu propemodum derepente atque ex improviso invexeris; effecerisque, ut vel uno hoc nomine exteræ omnes nationes sibi urbem Romam primo quoque tempore visendam, & tantarum rerum auctorem suppliciter adorandum, cum ipsæ in præsentia statuant, tum in posterum eos, qui id fecerint, beatissimos fuisse prædicaturæ sint. Sed sentio me longius omnino provectum, quam tuæ Sanctitatis aures fortasse ferre possint. Quamquam enim verissima sunt, quæ de incredibili virtute tua palam ab omnibus gloriose prædicantur; majora tamen isto animo tuo ad difficillima quæque, eademque præclarissima tum erecto, tum instituto agitas; & quæ jam facta a te sunt, perinde ac si ad te nihil pertineant vel oblivisceris, vel pro nihilo ducis; &, ut iter qui faciunt, tametsi illi quidem ad id quod a se confectum vident, interdum cogitatione referuntur, ad id tamen taciti se cohortantur & parant, quod conficiendum restat ante, quam eo perveniant, quo se perventuros esse decreverunt, ita tu,* PATER BEATISSIME, *cum quidem non ea, quæ ad exitum perduxeris, sed quæ*

perducere constitueris assidue tecum mediteris & cogites. Ego ne futurarum laudum, quæ tibi tum ab omnibus tribuentur divinæ atque immortales, fructum præcerpere voluisse videar, contraham vela orationis meæ, precatus a Deo Opt. Max. ut incolumitatem & salutem diutissime tueatur tuam; &, quoniam mihi celebrandi, quæ gesseris, voluntatem tribuit incredibilem, eas etiam ingenii vires tribuit, quæ rebus, quas egisti, quasque acturus es longe majores, explicandis ornandisque sufficiant. Interea si, quæ in commentarium de Obelisco retulimus, tibi esse vel legenda, vel certe non abjicienda duxeris; ego, BEATISSIME PATER, *futurum non desperabo, ut me non omnino indignum existimes, cui aliquam benevolentiæ tuæ partem esse impertiendam arbitrere. Sic te Deus Opt. Max. salvum & incolumem diutissime nobis servet.*

Ingentes si facta decent ingentia Reges,
Te Regum Regem SYXTE quis esse neget?

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS.

PETRI

PETRI ANGELII BARGÆI

COMMENTARIUS

DE

OBELISCO.



ETſi in re valde antiqua & perobſcura, cujus veſtigia magno cum labore vel indagare vel odorari oporteat, pauciſſima ſunt, quorum ope nos, quod volumus, aſſequamur; ex iis tamen & paucis & parum explicatis ea eligere conabimur, quæ generatim C quidem ad omnium Obeliſcorum, ſingillatim vero ad ejus, quem Cajus in Urbem importavit, cognitionem facere videbuntur: id enim in primis quærendum eſt. Atque hoc ipſum, quo commodius perſequi, & conjecturas noſtras, quoad fieri hac hujuſmodi in re a nobis poterit, certiſſimis argumentis confirmare valeamus, ab illis, qui hæc legent (ſi modo ulli legent) impetratum cupimus, ut paulo altius, quam fortaſſe ipſi velint, exordiri nobis liceat. Sic enim fiet, ut & nos quaſi ſemel manu arreptum atque apprehenſum funem ſecuti, ex hujuſmodi labyrinthi plane cæcis ambagibus egredi, atque ex va- D riarum opinionum fluctibus, Symplegadum more inter ſe concurrentibus, evadere minus deſperemus: & illi cum ad inſtitutæ a nobis commentationis finem pervenerint, judicare facile queant, recte ne, an ſecus curſum in tantis tenebris, atque in tam anguſtis vadis tenuerimus. Sed, ne cujuſquam animum diutius quam par eſt a lectione remoremur, & aliena facilitate atque otio licenter abutamur, jam nunc a nominis notatione id, quod in quaque re Stoici facere conſueverunt, totius diſputationis noſtræ initium capiemus.

Obeliſcum igitur vocem eſſe Græcam, & a voce Græca ὀβέλϛ derivari, nemo eſt qui dubitet. E ea Latine veru nominatur: inſtrumentum ſcilicet ferreum, quod in prima ſui parte craſſiore corpore cum ſit, paulatim minuitur, donec in acutam cuſpidem deſinat. Eo carnes ad ignem circumvolutæ torreri conſueverunt. Virg. libro II. Georgicorum:

Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.

A cujus ſimilitudine Sabini telum, quo in bellis utebantur, veru appellaverunt: itaque idem Virg. lib. VII. Æneidos:

Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello.

Quo tamen in loco Servius Grammaticus jux- F ta nonnullorum opinionem pro veru pilum accipi debere ſcribit. Quod tamen non longe a veru, ſi pili formam inſpexerit, diſtare videatur. Eſt igitur Obeliſcus aſperrimus lapis in figuram metæ cujuſdam ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam: utque radium imitetur, gracileſcens pauliſper, ſpecie quadrata, in verticem productus anguſtum, manu levigatus artificis, formarum autem innumeras notas Hieroglyphicas appellatas habens, quas ei undique videmus inciſas, atque ad jam tum exorientis ſapientiæ initia commonſtranda ex veterum auctoritate adinventas. Hæc ferme ſunt verba, quibus Ammianus Marcellinus Obeliſcum non definit ille quidem, ſed deſcribit. Cæterum quoniam diximus unde dictus ſit, & verbi notatio a nobis allata cum hujuſmodi deſcriptione conſentit, videamus etiam cur potius Obeliſcus, quam Obelus, ἱποκοριϛικῶς ſcilicet, nominetur, Græcorum more: qui ſtellulas, regulos, rotulas, quaſillos parvulos, Deos Panes ἀϛερίσκϛς, βασιλίσκϛς, τροχίσκϛς, καλαθίσκϛς, πανίσκϛς vocant. Cum enim immane quoddam ſaxum ſit, cujus altitudo, ut ſuo loco oſtendemus, alicubi CXX. cubitorum ſit; par eſſe videbatur, ut in eo appellando voce potius rem ipſam augente, quam diminuente uteremur. Neque enim aliud eſt Obeliſcus, quam Latine ſi dixeris veruculum, hoc eſt parvulum veru. Non ignoro eſſe qui hujuſce vocis diminutæ rationem eo acute ac ſubtiliter revocent, ut affirment non magis Obeliſci formam apud Ægyptios, quam nomen ipſum eſſe inter Hieroglyphicas notas percenſendum: ut, quemadmodum Obeliſcus, id eſt, moles illa ſaxea ad veru ſimilitudinem conformata mentem ſignificat noſtram ad unum modo Deum ſe efferentem, inſtar radii ſolaris, qui quo longius a Sole diſcedit, eo latior fit: quo minus, eo acutior, & in unum ipſum lucis auctorem quaſi in punctum deſinit: ſic ingens illud ſaxum, ſi cum acie mentis noſtræ ſeſe in Deum erigentis comparetur, rem minutiſſimam ac perexiguam videri oporteat. Docta ſane ac peracuta notatio, ſi pro certo nobis conſtaret, Ægyptios ipſos, apud quos Obeliſcus primum inventus eſt, ſua ipſorum lingua hujuſmodi molem diminuenti voce appellaviſſe. Quamquam Plinius Ægyptio nomine ſignificari Solis radios teſtatur, illic ſcilicet, ubi ad hanc rationem loquitur: *Trabes ex eo facere Reges quodam certamine, Obeliſcos vocantes, Solis numini ſacratos, radiorum ejus argumentum in effigie eſt, & ita ſignificatur nomine Ægyptio.* hæc Plinius. Sed ſi tamen illi tam grande ſaxum ὑποκοριϛικῶς nominabant; cur Herodotus, qui in Ægypto fuit, & omnia a Sacerdotibus diligenter vel curioſe potius perſcrutatus eſt, non illos quidem Obeliſcos, ſed Obelos vocat? ut mihi omnino veriſimile videatur, Ægyptiorum lingua fuiſſe ea voce dictos, quæ Obelo, non Obeliſco reſponderet. Quamquam non ignoro Diodorum-Siculum, & alios Græcos & Latinos ab Herodoto hac quidem in re diſcedentes, dixiſſe Obeliſcum: cujuſce nomenclaturæ rationem, quantum conjectura conſequi poterimus, hinc jam aperire incipiemus. Quando igitur Herodotus, ante quem

A nemo apud Græcos, quod sciam, ejus saxeæ trabis mentionem fecit, Obelum semper, Obeliscum nominat numquam; credibile est, ut mihi quidem videtur, ab iis, qui Herodotum consecuti sunt, eam esse vocem usurpatam, qua, qui Ægyptum invisissent, plurimum uterentur. Eos autem ab infinito propemodum earum trabium numero, quæ in Ægypto erant minores, hujusmodi omnes lapides Obeliscos appellavisse: quales Romam ex Ægypto plurimas advectas fuisse scimus, ut Obeliscorum multitudo proprium & peculiare Obelorum nomen obscuraverit. Fieri etiam poterit, ut Obelisci a contrario sensu nominati sint: nimirum, B ut quemadmodum lucum a lucendo dicimus, quem arborum densitate & frequentia umbrosum atque obscurum esse constat; ita illi Obeliscum appellaverint, cum κατ᾽ ἀντίφρασιν immanem esse molem significare voluerint: ad cujus altitudinem ante hominum oculos exponendam & quasi repræsentandam nulla vox satis idonea reperiretur: satius ut fuerit ad oppositum verbum confugere, quam illud usurpare, in quo præter unam hujusmodi vocis translationem nihil omnino spectaremus, quod re postmodum cognita & perspecta animum nostrum ad admirationem magnopere traduceret: ex quo etiam, nisi plane fallor, factum C est, ut vulgo tam immanem molem derivato nomine ab acu ὑποκοριστικῶς *Aguglia*, quasi tu dixeris aciculam, appellemus. Non enim minus ad acus, quam ad veru formam & similitudinem accedit. Tertia restat ratio, quamobrem hujusmodi nomen tantæ moli fuisse impositum existimare non inepte fortasse debeamus, ea est, quod cum tantorum lapidum vertici orbem inauratum imponi, atque in suprema ipsius orbis parte veruculum infigi consuevisse constet, id quod ex eo globo, qui in Cajani Obelisci vertice spectabatur, discere omnes potuimus, factum esse, ut tota illa moles diminuenti nomine fuerit appellata. Quarum nota- D tionum eam quisque sequatur, quam maxime probaverit, si quam modo probaverit, aut certe ipse meliorem excogitet. Quod si etiam ἀλληγορικῶς accipi voluerit; nihil est, quamobrem reprehensionem pertimescat meam. Unicuique enim debet esse judicium suum maxime liberum. Mihi satis superque est in medium adduxisse, quæ in primis probabilia esse videbantur; omissis allegoriis, quarum vi, nihil ferme est, quod ad divinitatem aliquo modo referre nequeamus: præsertim si liceurit eas quavis in re, aut in voce, aut in numeris scrupulose & subtiliter Pythagoreorum more perse- E qui. Obeliscum igitur, seu tu Obelum cum Herodoto nominare malueris, ex asperrimo lapide fieri consuevisse, & Ammianus tradidit, & cæteri scriptores memoriæ mandaverunt: inter quos Diodorus Siculus σκληρὸν λίθον saxum, ex quo fiebant, vocat: id est rude, asperum ac durum. quem quidem lapidem Plinius Pyrhopæcilon vocatum fuisse scribit, antequam Syenites vocaretur. etenim Pyrhopæcilos dictus est, quod punctis quibusdam ignei coloris distinctus ac varius undique interluceat. eum postea Syenitem nominarunt, quod ex iis montibus, qui Æthiopiam attingunt, atque a Syene Thebaidos non longe absunt, exscindeba- F tur. Id autem duplici de caussa ab Regibus Ægyptiis factum fuisse arbitror: nimirum, ut & hujusmodi monumenta diutissime conservarentur, & Soli, cui dicabantur, tum ex figura, tum ex colore in primis convenirent. Saxum enim illud durissimum cum sit, neque intercurrentibus venis & scissuris dissilit, neque exeditur salsugine, neque vetustate collabitur, neque ullarum tempestatum injuriam pertimescit; ut, nisi hominum opera atque ignium vis accesserit, sempiternum atque immortale permansurum esse videatur: quod aliis non accidit. Figura vero, in quam conformatur, quod Solis radios imitetur, ad Solem quoque referatur necesse est. Sensim enim instar metæ ad proceritatem consurgit, & illam quidem excelsam. Est omnino Obeliscus ita factus, ut, quamquam idem cum meta non est, tamen haud sane longe discedat a specie & figura ipsius metæ. cujus quoniam Ammianus in Obelisci descriptione meminit, eumque illi persimilem esse dicit, non omnino absurde fecisse videbimur, si, antequam longius progrediamur, quid sit meta statuerimus. Quamquam enim res ipsa per se satis nota est; tamen, quia ad institutam a nobis scriptionem magnopere pertinet, ut exacte cognoscatur, non pigebit hic adscribere quæ scitu non omnino indigna videbuntur.

Metam igitur Latini dixerunt a metiendo, sive a metando, quod idem est. statui enim consueverat in extremis Circi partibus, ad quam currus in ludis curulibus cum pervenissent, necesse habebant septies circum metam agi. Propertius libro II. Elegia XXV.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota.

& Horatius:

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Ea Pyramis quasi quædam erat. a perampla enim & lata basi incipiens in acutum apicem desinebat. Sed Pyramis tribus, aut etiam quatuor lateribus constabat, ut loco suo dicemus: meta in orbem surgebat, tendebatque tanquam turbo inversus in acumen. Itaque eam Græci κῶνον vocabant, de quo Aristoteles in Problematis, ἔστι δὲ κῶνος, ᾧ ἡ βάσις κύκλος. *Conus*, inquit, *est*, *cujus basis circulus est*. qua voce Cicero quasi Latina utitur lib. II. de Nat. Deorum: *Conum*, inquit, *tibi ais & cylindrum & pyramidem pulchriorem, quam sphæram videri*. & lib. I. *At mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur esse formosior*. Meta igitur dicebatur quarumcunque rerum congeries, quæ latam & globosam basim cum haberet, in acutum verticem desinebat. Quare Cicero libro II. de Divin. umbram terræ metam noctis vocat: *Vident*, inquit, *hæc constantissimo motu Lunæ, quando illa e regione Solis facta incurrat in umbram terræ, quæ est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit*. Unde etiam & coni dicuntur a Græcis turbines illi teretes, quos pueri funiculo circumacto in orbem præcipites converti cogunt, dum in compitis inter se ludunt. quin & metas appellamus seu fœni, seu paleæ, seu frumenti strues: quas a rusticis in agris & apud villas passim confici videmus, quo commodissime defendantur a pluviis. Quamquam autem diximus figura orbiculata & globosa metas construi, non ignoramus tamen Pyramides, quæ metæ sunt, nonnullas inveniri, quarum aliæ sunt quadrangulares, aliæ triangulares. Sed ad Obeliscum redeamus, quem quia metæ similem Ammianus esse dicit, nos in meta declaranda longiores fortasse fuimus, quam oportuit. Eum, ut paulo ante dicebamus, Plinius trabem appellat, & a Mitre fuisse institutum asserit, qui in Solis urbe regnum obtinebat, idque illum fecisse somnio admonitum: quemadmodum in ipso Obelisco inscriptum fuerat. ut mirari, ne dicam ridere, illos liceat, qui affirmant & Obeliscos & Pyramides a

doctissimis illis Sacerdotibus excogitatas, ut essent A nobis tanquam quædam mentium nostrarum imagines, quæ ab humanis cogitationibus ad divinas nos traducerent, & cum Deo rerum omnium auctore conjungerent. Præclarum sane inventum, & doctorum piorumque Sacerdotum sapientia vel in primis dignum, si ad hoc ipsum faciendum ab iis potius, quam a superstitioso Rege ad expiandum somnium fuisset institutum. Neque tamen is sum, qui nesciam Heliopolim potissimam fuisse sedem Sacerdotum, qui Philosophiæ & Astronomiæ cæterisque omnibus liberalibus facultatibus operam darent, & Pythagoram, Democritum, Zamolxin, B & Solonem eo profectos esse; Platonem vero & Eudoxum tredecim ipsos annos apud illos permansisse, ut Philosophiæ Theologiæque arcana perdiscerent. Versabantur illi quidem in rerum natura indaganda, sed ita tamen, ut, quam ipsi cognitionem assecuti essent, eam aut obscure traderent, aut omnino alios occultarent. Fieri igitur potuit, ut, quod Mitres somniaverat, ipsi acute excogitata radiorum solarium imagine quasi quadam re ipsa conformaverint, & inde philosophandi occasionem præbuerint multis. Facile enim est interpretari C quod fortuito sit inventum, id prudenter fuisse excogitatum. Utrum autem Mitres (seu Mithras dici malueris, idem enim nomen est) qui primus Obeliscum adinvenit, idem sit cum Mena, qui primus Ægyptiorum Rex fuit, equidem non ausim affirmare. quando & Menas Lunam, & Mitres Solem significat, utrunque apud Ægyptios in magna veneratione & cultu habitum: quorum alterum Osyrim, alterum Isim vocabant. Herodotus certe ac Diodorus nusquam Mitræ Regis, quod sciam, mentionem faciunt: Menam autem uterque scribit primum in Ægypto regnavisse. Eusebius ex libris D Manethonis sacerdotis Amasim Ægypti Regem primum nominat: Mephrem quartum: ut in tanta rerum ac nominum obscuritate & confusione nihil certi statui possit. Id vero inde factum arbitror, quod innumerabiles pene Reges in Ægypto cum regnaverint, perpaucorum nomina memoriæ mandata sunt a scriptoribus; ac non eadem ab omnibus omnia, sed ab aliis alia, prout quisque ex Sacerdotibus, quorum erat cura, ut acta conscriberent, hunc, aut illum Regem vel amabant, vel oderant. Quare apud Diodorum legimus inter Uchoreum & Sesostrim XIX. ætates, annos scilicet quingentos septuaginta, intercessisse, cum interea præter Miridem nullus, qui Ægypto imperaverit, E neque a Diodoro ipso, neque ab Herodoto nominetur. Cum autem Eusebius horum nusquam meminerit, aliorum meminerit, verisimile est a Manethone, quem ipse sequebatur, silentio fuisse prætermissos, itemque alios ab aliis: quorum fidem & scripta Herodotus ac Diodorus secuti sunt. Mirum certe, ut eo, unde discessimus, redeamus, illud est, quod Herodotus Menam illum fuisse scribit, qui Memphim condidit, quam ab Uchoreo conditam fuisse Diodorus testatur, annis scilicet post Thebas, quæ in Ægypto erant, conditas Iↄxxxv. Eusebius autem ab Epapho Jovis & Ius filio Memphim conditam memorat, Græcorum commenta F & fabulas secutus, apud quos tamen Epaphum fuisse Ægyptium confitentur omnes. Ajunt enim Io, post multos errores, in Ægyptum pervenisse, ibique a Jove pristinæ formæ restitutam & compressam peperisse Epaphum, a quo deinde Memphis originem habuerit suam. Quin etiam Herodotus Thalia scribit Apim bovem a Græcis vocari Epaphum, ut hoc hujusmodi nomine significetur vel homo aliquis certus, vel bellua, quæ apud Ægyptios sit. Quando etiam Pindarus Ode x. τῶν νεμέων multas urbes ab Epapho in Ægypto conditas fuisse testatur, cum ita canit: πολλὰ δ' Αιγύπτῳ κατώκισθεν ἄστη ταῖς Επάφου παλάμαις. & quidem facilis est transitus ex Api in Epaphum, & ab Api legimus Memphim conditam esse, & Apim ipsum primum fuisse, qui in Ægypto Deus appellatus sit, & Serapis cognominatus. ut Apis bos, Apis Deus, Apis Memphis conditor uno nomine a Græcis Epaphus appelletur. sed ille sive Uchoreus, sive Epaphus, sive uterque unus & idem fuerit, verum a Græcis aliter, aliter ab Ægyptiis nominatus, constat ex Eusebio, præter quem, qui nobis in tantis tenebris lumen præferat, habemus neminem, Memphim ab eo fuisse exædificatam anno mundi cIↄ cIↄ cIↄ Iↄ ccx. cum tamen ex eodem pateat, Amasim, quem ipse primum Ægypti Regem nominat, viginti quinque annos cum imperio in Ægypto fuisse, hoc est ab anno mundi cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ cccLXXVIII. ad annum cIↄ cIↄ cIↄ ccccxcIII. qua ratione anni ipsi ccxxxII. inter eum, qui primus in Ægypto regnavit, & eum, qui Memphim condidit, intersuerunt. Neque refert, quod annos mundi Eusebius aliter, aliter alii numeraverint. Plerumque enim rerum ipsarum, quæ acciderunt, inter se distantia eadem ferme est apud omnes. exempli gratia, Moses apud Eusebium in deserto præest Judæorum genti circiter annum mundi cIↄ cIↄ cIↄ Iↄ ccv. apud alios cIↄ cIↄ Iↄ. apud eumdem Troja capitur a Græcis anno mundi cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ xx. apud alio cIↄ cIↄ Iↄ ccxxc. hic si alterius calculum ex alterius calculo subduxeris, vigintiquinque annorum differentiam confeceris, quæ nulla omnino est. Atque hoc quidem in loco cum Thebarum meminerimus, non temere a nobis fiet, si nonnulla de ea urbe, in qua plurimos Obeliscos fuisse legimus, quasi aliud agentes dicemus; quæ tamen a re proposita longissime non aberrabunt. Thebæ, quam Ægyptii Jovis urbem vocant, si Diodoro credimus, a Busiride secundo Ægypti Rege conditæ sunt. cujus urbis circuitum CXL. stadia metiebantur, quæ sunt passuum decem & septem millia & quingenti, si octonis quibusque stadiis millenos passus contineri statuerimus. magna in ea & pulcherrima ædificia, & sumptuosissima Deorum templa, aliaque urbis ornamenta quam plurima, dignissima illa quidem, quæ omnes mirarentur. præterea privatorum civium ædes, quarum aliæ quatuor, aliæ quinque contignationibus ac tectis constarent: tanta vero rerum omnium affluentia, ut non modo in Ægypto, sed ne in toto quidem terrarum orbe urbes essent, quæ cum Thebis comparari possent. Quare Homerus cum Achillem pertinacissime negantem inducit velle se cum Agamemnone in gratiam redire ita loquentem facit:

——ὅ δ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται
Αἵθ' ἑκατόμπυλοι εἰσι διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
Ανέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισι καὶ ὄχεσφιν.

hæc ita, ut potuimus, Latine vertimus:

Nec mihi si dederit quidquid confertur in urbem
Thebas Ægypti, quarum domus omnis abundat:
Quæque adeo centum portas præbere patentes,
Et quaque ex porta bis centum exire feruntur
Sublimes in equis juvenes, & curribus altis.

Sunt tamen qui putent, Thebas non ideo ἑκατομπύλους dictas, quod centum portas haberent, sed quod multa & magna templorum vestibula, quæ Græce προπύλαια dicuntur, in ea forent: ideoque urbs cognominata fuerit ἑκατόμπυλος quasi πολύπυ-

λος. uti sit numerus finitus pro infinito positus. sed hoc qualecunque sit, illud pro comperto habetur, viginti millia curruum ex ea ad bellum exire consuevisse. centum enim equorum stabula inter Memphim & Thebas ad eam viam fuerunt, qua juxta flumen ibatur: quorum singula ducenos equos capiebant. tantorum autem ædificiorum vestigia & fundamenta vidisse se Diodorus testatur, cum circiter Olympiadem cxxc. Cornelium Gallum secutus in Ægyptum se contulit, annis videlicet, ante quam Jesus Christus Liberator noster nasceretur, plus minus LVIII. Quæ tamen urbs tam opulenta, tamque rebus omnibus & ad vitam necessariis & ad incredibilem quandam magnificentiam ostentandam comparatis ornata atque instructa cum esset, deseri a Regibus, simulatque Memphis florere ac celebrari cœpta est, usque adeo, ut paucissimi superessent, qui eam incolerent. Hæc tam multa de Thebis a me dicta sunt, quo commodius eorum opinionem refutaremus, qui putant Obeliscos ad Pyramidum formam inventos ac factos. Nam idem Diodorus testatur inter cætera propemodum infinita Thebarum ornamenta, qualia sunt tum dona ex argento, auro, ebore Diis immortalibus consecrata, tum innumerabiles Colossi, fuisse etiam Obeliscorum ex uno ac solido lapide constantium admirabiles substructiones. Quod si Thebæ ante conditam Memphim amplius quingentos annos floruerunt, & Pyramides a Memphiticis Regibus excogitatæ atque exstructæ sunt; sine ulla dubitatione concludi potest, multo ante fuisse Obeliscum, quam Pyramis fuerit. præsertim, cum ex auctoritate Plinii, quemadmodum paulo ante ostendimus, constet a Mitre, qui in Solis urbe longe vetustiore, quam Memphis, regnabat, Obeliscum fuisse adinventum; Pyramidem autem a Chembete, qui Memphi multis post seculis regnum obtinuerit. Tempore igitur multo prior Obeliscus, quam Pyramis: & ut tempore, ita etiam dignitate & veneratione superior. Nam præterquam quod mirabile est tam portentosam molem ex unico ac durissimo saxo exscindi integram potuisse, finis etiam & caussa si spectetur, cur Obeliscus extiterit, videbitur esse Pyramidi longissime præferendus. Mitres enim Rex conficiendum curavit, ut quasi ex concepto voto Soli donum daret: in eoque rerum a se gestarum memoriam Ægyptiacis notis perscriptam ad posteros propagaret. At Pyramides sepulchri caussa fuisse a Regibus substructas certo scimus. Quas quoniam diximus Memphiticorum Regum fuisse inventum ad sepulturæ usum, ut ex Diodoro & Herodoto cognoscimus, & eorum quidem Regum, qui multis post Memphim conditam ætatibus illic regnaverunt, Josephum historiæ scriptorem, si Eusebii calculus verus est, negligentiæ condemnabimus, qui libro II. Rerum Judaicarum Hebræos asserat ab Ægyptiis Regibus in exædificandis Pyramidibus occupari ac defatigari solitos fuisse. Id quod juxta illum calculum nullo modo verum esse potest. Mosem enim natum esse ostendit Eusebius ante Memphim conditam annis ferme centum, isque annum cum ageret octogesimum Hebræos ex Ægyptiorum servitute liberavit: aliquot annis scilicet ante quam Memphis conderetur. ut hinc etiam eorum error intelligatur, qui Pyramides Granaria fuisse existimant a Josepho illo perantiquo Jacobi filio instituta ad annonæ caritatem sublevandam, quam ipse somnium Regis interpretatus tanto ante futuram prædixerat. Sin autem Eusebium in subducendo temporum calculo deceptum esse statuemus, & recentiorum calculum veriorem esse existimabimus, nihil erit cur de Josephi fide dubitemus. quando ex eo calculo Memphim esse conditam constat, quo tempore Jacobus Josephi pater in Ægyptum descendit, multis scilicet annis ante Mosem natum. Quanquam oblitus non sum, Diodorum dicere, nonnullos esse, qui Pyramides affirment annos ter mille quadringentos, & amplius ante Augusti ætatem, quo imperante ipse historiam scripsit, fuisse exædificatas. id quod si verum esset, duæ res in primis absurdæ consequerentur. Una, Pyramides multis ætatibus ante Diluvium fuisse: hoc est, ante mortem Noæ annis cIↃcccccLV. moritur enim Noas, si Eusebium sequimur, anno mundi cIↃ cIↃ cIↃ ccLIII. si alios, cIↃ IↃ cLVI. Ut utrumvis fuerit, necesse sit non modo multis ante Diluvium annis Pyramides fuisse, sed etiam, si recentiorum calculum probamus, tum fuisse, cum Adamus annum ætatis agebat suæ IcLII. Vixit enim annos IↃccccxxx. Altera, quod Reges in Ægypto nulli cum essent, ædificatæ fuissent: & tamen constat eas Memphiticorum Regum sepulcra esse. quibus regnantibus nulli omnino Hebræi in Ægypto relicti fuerant: omnes enim multo ante in libertatem una cum Mose ipsorum Duce se asseruerant. Quare longe probabilius est, quod eodem in loco idem Diodorus ex opinione sua ponit, Pyramides scilicet substructas fuisse annis ante ætatem suam mille: ante Urbem scilicet conditam ccxLVI. post captam vero Trojam cLXXVIII. post Memphim conditam ccccxc. vel IↃ ccxIIII. qua ratione satis superque probatum a nobis videtur id, quod de Obeliscorum antiquitate, & de Josephi historiarum scriptoris fide supra diximus. Atque, ut omnes, quod volunt, facile indagare per se queant, duplicem annorum mundi calculum subjecimus, alterum Eusebii, alterum recentiorum, qui ab Eusebio discedentes propius ad veritatem accessisse existimantur.

Anni Mundi Eusebiani.		*Anni Mundi recentiorum.*	
2303	Noas nascitur.	1156	
2803	Diluvium.	1656	
3253	Noas moritur.	2106	
3475	Jacobus Josephi pater.	2238	
3508	Memphis conditur.	2238	Quo tempore Jacobus in Ægyptum descendit.
3610	Moses nascitur.	2413	
4020	Troja capitur.	2780	
4308	Phero Sesostridis F.	2838	LVIII anno post Trojam captam.
4444	Urbs conditur.	3224	
5198	Christus nascitur.	3952	Ut hanc eandem esse & Augusti & Diodori Siculi ætatem intelligamus.
6783	Xystus V. Pont.	5537	

His ita in ordinem redactis, ad Obeliscum, unde discessimus, revertamur. Cum igitur aperte pateat & ex auctoritate Plinii, & ex ipsius formæ linearumque æquabili dimensione tum primum Obeliscum, tum eos, quos postea ad eamdem rationem cæteri Reges fabricati sunt, Soli sacratos esse: tamen, ut hoc universe verum sit, aliis etiam Diis separate dicabantur. legimus enim a Rege Sesostride Obeliscos duos centum viginti cubitorum Thebis Deo, qui illic præcipue colebatur, fuisse statutos. Deum autem illum Jovem esse testatur Strabo lib. XVII. Geographiæ his verbis: *ἀνατεθέασι δὲ τῷ* Ερμῇ *πᾶσαν τὴν τοιαύτην σοφίαν. τῷ δὲ* Διὶ, *ὃν μάλιστα τιμῶσιν, εὐειδεστάτη, καὶ γένους λαμπροτάτου παρθένος ἱερᾶται, ἃς καλοῦσιν οἱ* Ελληνες Παλλάδας. hoc est: *Attribuerunt autem & consecrarunt hanc omnem hujusmodi sapientiam Mercurio. Jovi autem, quem maxime colunt, virgo consecratur, quæ & formosissima sit, & nobilissimo genere nata. hujusmodi autem virgines a Græcis nominantur Pallades*. Duplex autem scribendi ratio apud Ægyptios in consuetudine fuit, ut Herodotus Euterpe, & Clemens Alexandrinus Stromate quinto nos admonet. una, quæ sacris, altera, quæ popularibus notis uteretur. & hanc quidem *ἐπιστολογραφικὴν* vocabant, scribendis scilicet epistolis accommodatam: alteram vero Hieroglyphicam, hoc est sacram, dicebant, qua *ἱερογραμματεῖς* utebantur. ii sunt rerum mysticarum interpretes ac scribæ. Sacræ notæ, quæ dicebantur, unius rei unica pictura interdum unum, interdum multa significabant, ut si vulturem pinxissent, intelligi rerum omnium naturam volebant: si apem, regem: si scarabeum, solem: si hippopotamum, impietatem: pietatem, si ciconiam: si canes duos, duo hemispheria, vel tropicos duos: solem autem, cum morbos infert, si accipitrem. Qui mos ad Græcos etiam, atque adeo ad Barbaros transit. Nam Græci quidem cum signa & scalpturas illas Ægyptias omisissent, brevibus quibusdam dictis plurima comprehendebant. cujusmodi erant oracula, unde Apollo *λοξίας*, id est obliquus, & quasi flexuosus est cognominatus: & sapientum præcepta: Nosce te ipsum: Tempori parce: A fabi abstineto: Super terram ne navigato: & alia sexcenta, quæ brevissima cum sint, multarum rerum congeriem complecti solent. Barbari autem Ægyptiorum consuetudinem secuti quibusdam animantium imaginibus animi sensa expresserunt, ut Idanthuras Scytharum Rex, qui ad Darium trajecto Istro bellum minantem eas litteras misit, in quibus murem, ranam, avem, jaculum, aratrum pinxerat: neque ullum verbum præterea addidit. e quorum animantium figuris alii Scythas imperium Dario tradituros interpretabantur, quod ex mure domos, ex rana aquas, ex ave aerem, ex jaculo arma, ex aratro regionem significari dicerent. alii non posse Scytharum tela a Persis evitari, nisi illi e Scythia tanquam aves evolarent, aut terram, aut aquam, tanquam mures & ranæ subirent. Hæ igitur notæ brevissimum locum ad multas res significandas postulabant: quod fieri minime licuisset, si popularibus & ad epistolam scribendam aptis notis uterentur: quæ cum plures sint, & ad exprimendum animi sensa necessario adhibeantur omnes, profecto ad tot res percensendas nullius Obelisci latera suffecissent, in quibus & Regum illorum opes, & copiæ perscribebantur; & quas ipsi nationes devicissent, & quos ad fines imperium propagassent, & quemadmodum Scythas, Bactrianos, Indos, & Jones armis debellavissent, & in ditionem potestatemque redegissent suam. Addebatur præterea & vectigalium magnitudo pene incredibilis, & militum multitudo inæstimabilis, & alia hujusmodi permulta, quæ Regibus illis opulentissimis ac potentissimis videntur. Que, nisi sacris illis notis usi essent, nunquam tam exigua ac brevi unius lateris area complexi fuissent, si præsertim grandiores notas, quo facilius legi possent, quemadmodum fieri solet, incidi curavissent. Duplicem igitur usum ex se pariebant Hieroglyphicæ notæ: unum, quod supra est a nobis demonstratum, cum Theologiæ seu Philosophiæ arcana contegebant, eaque iis duntaxat patefaciebant, qui sapientiam omni conatu appeterent: alterum, cum paucis imaginibus longam rerum ac verborum seriem complecterentur. Quod ut, quam vere a nobis dicatur, intelligi possit, subjiciemus hic ea quæ notis Ægyptiacis descripta legebantur in latere Obelisci veteris, qui erat in Circo maximo positus. Nam si eadem litteris, aut Græcis, aut Latinis exarari quis ibidem voluisset, næ ille longe latiorem campum frustra quæsivisset. Verba autem illic Ægyptiace inscripta, Græce olim interpretatus est Hermapion, quæ nos ad hanc rationem Latina fecimus.

A parte Australi.

Hæc sunt, quæ Regi Rhamesti donavimus, quem totum terrarum orbem gubernans Sol & Apollo amat, fortis veri amator Heronis filius, ex Deo genitus, conditor orbis terræ, quem Sol selectum habuit, fortis Martis Rex Rhamestes, cui cum fortitudine & audacia subjectus est totus terrarum orbis, Rex Rhamestes Solis filius immortalis.

Ordo secundus.

Apollo fortis, is qui revera dominus est diadematis, & Ægyptum gloria a se cumulatam possedit, is qui Solis urbem splendidam fecit, & reliquum orbem terrarum condidit, & ingenti bonore prosecutus in Solis urbe Deos collocatos ac positos, quem Sol diligit.

Ordo tertius.

Apollo fortis Solis filius, totus lucidus, quem Sol selectum habuit, & Mars strenuus donavit: cujus bona omni tempore permanent: quem Ammon diligit, cum donariis expleverit Phœnicis delubrum, cui Dei vitæ tempus largiti sunt. Apollo fortis Heronis filius Rex orbis terrarum Rhamestes, qui servavit Ægyptum, postquam aliam gentem superavisset, quem Sol amat, cui longum tempus vitæ Dii largiti sunt, dominus orbis terrarum Rhamestes longævus.

Alius ordo secundus.

Sol Deus magnus dominus cœli, largitus sum tibi vitam satietatis expertem: Apollo fortis dominus diadematis incomparabilis, quorum signa dedicavi in hac regia, dominus Ægypti: & exornavit Solis urbem itidem & ipsum Solem dominum cœli; una confecit opus bonum Solis filius Rex longævus.

Tertius ordo.

Sol Deus dominus cœli Rhamesti Regi largitus sum potentiam, & in omnes dominatum, quem Apollo veri amator dominus temporum, & Vulcanus Deorum pater selectum habuit propter Martem. Rex longe gratissimus Solis filius, & a Sole amatus.

A parte Orientali primus ordo.

Magnus a Solis urbe Deus cœlestis Apollo fortis Heronis filius, quem Sol educavit, quem Dei honore prosecuti sunt, qui universo terrarum orbi dominatur, quem Sol selectum habuit, inclytus propter Martem Rex: quem Ammon amat: & is qui totus collucet, longævum Regem esse jussit.

Hæc hujusmodi leguntur apud Ammianum Marcellinum. qui Græca maluerit, ex ejus libro XVII. petere poterit. Quoniam vero idem auctor ad ipsius inscriptionis finem addit & reliqua, facile intelligimus eam inscriptionem esse multo longiorem. Quamquam etiam idem existimari potest ex ipsa Epigraphia a parte orientali: quam cum neque secundus, neque tertius ordo consequatur, necesse est multa fuisse ab Ammiano prætermissa, quæ & Ægyptiace in ipso Obelisco & Græce apud Hermapionem legebantur. de qua quidem re quid attinet dubitare? cum idem Ammianus dicat in omnibus Obelisci lateribus fuisse incisas Hieroglyphicas notas; nunc autem eas tantum interpretatas & exscriptas videamus, quæ in parte Obelisci ad Austrum vergente sculptæ fuerant. Nam, quæ partem septentrionalem spectabant, nullæ omnino repræsentatæ sunt, ac ne illæ quidem, quæ partem Obelisci occidentalem occupaverant. Cæterum quod ad Rhamestem pertinet, cui Obeliscus est inscriptus, nullam ejus mentionem apud Herodotum aut Diodorum reperio. Eusebius Rhamesem in Ægypto regnavisse sexaginta sex ipsos annos testatur: nimirum ab anno mundi cIↃ cIↃ cIↃ IↃ CCCXXC. ad annum cIↃ cIↃ cIↃ IↃ CCCCXLVI. Plinius vero Rhamisem scribit Ægyptiis imperavisse, quo tempore Ilium captum est. id autem accidit anno mundi cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ XX. ut quod ad Plinium & Eusebium pertinet, septuaginta quatuor annorum tantum differentia intersit, quam in tanto temporum cursu nullius esse momenti judicamus. Et sane verisimile est, hunc Rhamisem Plinianum eundem fuisse cum Rhamese Eusebiano, & cum Rhameste, cujus in Augusti Obelisco, qui in circo fuerat positus, fit mentio: quando & in eadem ferme tempora incurrunt, & idem nomen est, si ex Rhameste unicam litteram dempseris, aut si Rhamesi eamdem addideris. Videmus enim ab auctoribus Barbarorum Regum nomina non iisdem litteris exarari, neque pronuntiari eodem vocis sono. Herodotus & qui eum consecuti sunt Latini scriptores Sesostrim vocant, quem Diodorus Siculus Sesoosim nominat. Huc accedit conjecturæ nostræ non tenue argumentum, quod Rhamestes in superiore Obelisci inscriptione longævus appellatur, Rhameses autem cum sexaginta sex annos imperaverit, valde senem fuisse eum oportet cum mortuus est. Neque obstat quod Rhameses Zeto in imperio successerit, Rhamestes vero Heronis filius fuerit, etenim fieri potuit, ut Rhamestes, seu tu Rhameses dici malueris, vel ex privata domo ad regnum pervenerit, vel in ejus patris nomine variatum ab auctoribus fuerit. quamquam Heronis nomen inter Ægyptiorum Regum nomina ab Herodoto numeratur, ac Sesostridis filius fuisse perhibetur, qui terrarum orbem prope totum victoriis peragraverit suis, sic ut Colchos etiam & Scythas in ditionem potestatemque Ægyptiorum Regum redegerit. unde Valerius Flaccus libro V.

Nec minus hic varia lætatus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic, ortusque tuens: ut prima Sesostris
Intulerit Rex bella Getis: ut clade suorum
Territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem:
Phasidis hos imponat agris, Colchosque vocari
Imperat: Arsinoen illi, tepidæque requirunt
Otia læta phari, pinguemque sine imbribus amnem.

Et Lucanus:

Venit ad occasum mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit.

Sesostrim enim in tantam ferociam atque arrogantiam processisse legimus, ut Reges, quos forte duci jubebat, singulis annis ad currum jungeret, seque ab iis per urbem triumphantem vehi juberet. quibus versibus hos, qui sequuntur, idem Lucanus subjicit:

Ante tamen vestros amnes Rhodanumque Padumque
Quam Nilum de fonte bibit.

Ex hoc igitur Sesostride natum esse illum constat, quem Obelisci inscriptio Heronem, Herodotus Pheronem vocat, secutus scilicet veterum Græcorum dialectum, qui vocibus a vocali incipientibus digamma Æolicum addebant. Itaque Helenam Felenam: Hormias Formias: Hebrim Febrim: Halesum Falesum, & inde Faliscos & ἀνέρα, & ἄνακτα, & οἶκον Fανέρα, Fάνακτα & Fοῖκον dicebant: quod & Servius Grammaticus ad illud ex septimo Æneidos, *Æquosque Faliscos*, & Dionysius Halicarnasseus l. I. cum de Velia loquitur, testantur. Itaque, ut mihi quidem videtur, non inepte existimari potest, eundem esse Obelisci superioris Heronem, & Herodoti Pheronem, quando utrumvis dixeris, idem dixeris. & fortasse idem est cognomen Ægyptiorum Regum, quos Moses in libris suis Pharaones nuncupat, nos autem Cæsares & Augustos appellamus. quam conjecturam confirmat Diodorus Siculus, cum eum, quem ab Herodoto Pheronem nominari diximus, ipse Sesostrim Sesostridis filium vocat. Sed in tanta rerum obscuritate cum aliud nihil occurrat, quod sequamur, præter conjecturam, unicuique facile concedemus, ut illud probet, quod ipse in primis probabile esse judicabit. si Ægyptiorum Sacerdotum commentarii una cum imperio non periissent, nihil profecto foret, quod magnopere laboraremus. Nunc amissis Regum illorum successionibus, & perturbata temporum serie, quis est, qui quidquam pro comperto statuere possit? Ergo ut ad Obeliscum redeamus, ex inscriptis notis constat Rhamesti Regi dicatum fuisse, aut certe a Rhameste Rege, quicunque tandem is fuerit, Soli donum datum: a quo Reges Ægyptii, natura videlicet leves, & inani fastu elati, ac tumidi, quemadmodum Adrianus Imperator in epistola quadam sua ad Servianum Cons. de omnibus Ægyptiis scriptum reliquit, diligi se atque amari gloriabantur, & Solis ipsius filii existimari volebant, quorum amentiam imitatus est Alexander Philippi filius cognomento Magnus ad eos profectus, & ab Ammonis Sacerdotibus Jovis filius appellatus. Nam ita se postea non solum vocari passus est, sed etiam jussit. Atque hæc quidem vanitas cum ab Ægypto emanavisset, longe lateque postea pervagata est. Nam & Arsacidæ Persarum Reges Solis se & Lunæ fratres appellabant; & Ptolemæus Ceraunii cognomine delectabatur: & Antigonus ab Hermodoro Rhetore Solis filius est dictus. nec minus Syriæ Rex Antiochus supra hominis conditionem sese efferens Deus vocari voluit: Domitianus autem & Cajus Caligula, ut nostros etiam attingamus, & optimi maximi, & Latiales Joves ex ipsorum jussu consalutati sunt. Mirum igitur esse non debet, si Reges suos Ægyptii modo Apollines, modo Solis filios vocabant. Etenim præcipue Solem colendum & adorandum arbitrabantur, quem & lucis auctorem, & rerum omnium parentem existimarent. videbant enim nihil esse in rerum natura, quod ab ejus calore non procrearetur, ac vitam nancisceretur suam. Quamobrem in eam mentem adduci me facile patior, ut Mitrem, quem

nos ex auctoritate Plinii primum Obeliſcum adinveniſſe diximus, in Ægypto cum regnaret, Regem fuiſſe putem, qui ſe Solem appellari voluerit. Mitres enim Solem ſignificat Perſarum voce, ut quidam arbitrantur, ut nos, Ægyptiorum. Quando ab Ægyptiis omnem Deorum cultum, & omnes omnium ſuperſtitiones & ceremonias ad reliquas orbis terrarum partes emanaſſe conſtat, ac præſertim ad Perſas, apud quos Solem in ſumma veneratione habitum eſſe atque adeo etiam adoratum nemo ignorat. Cum igitur & ab Ægyptiis idem fieri conſueviſſe ſciamus, & Ægyptum divinarum ceremoniarum & religionum omnium quaſi quoddam ſeminarium fuiſſe ſcriptores tradant, & in ea Regem Mitrem regnum obtinuiſſe Plinius afferat; veriſimile eſt, hujuſmodi vocem ab Ægyptiis potius, quam a Perſis originem habuiſſe. Cum præſertim Phœnices hoc nomine uſos eſſe videamus. Servius Grammaticus ad illud ex primo Æneidos: *Huic conjux Sichæus erat. Quoties* (inquit) *Poeta aſpera invenit nomina, vel in metro non ſtantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. nam Sichæus Sicbarbas dictus eſt: Belus Didonis pater Mithres.* hæc Servius. Scimus autem Dionem ex urbe Tyro, quæ totius Phœniciæ emporium erat, & finibus ſuis Ægyptum propemodum attingebat, in Africam ſe contuliſſe, in qua Carthaginem condidit. Cæterum de Mithre, id eſt de Solis cultu, a Lactantio grammatico in extremo primo commentario in Statii Thebaidem nonnulla dicuntur, quæ ſcitu digna cum ſint, hoc in loco prætermittere noluimus. verſus autem, quos interpretatur, quoſque ab Adraſto Argivorum Rege hymnum Apollini canente referri Statius facit, hi ſunt:

Adſis o memor hoſpitii Junoniaque arva
Dexter ames: ſeu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim
Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mitram.

Ad quæ verba ait Lactantius, Apollinem a variis gentibus variis nominibus fuiſſe cognominatum: ab Achæmeniis ſcilicet Titanem: ab Ægyptiis Oſyrim: Mitram a Perſis, apud quos ad hanc rationem coleretur. Leonem fingebant Perſica veſte indutum cum tiara, qui utraque manu reluctantis tauri cornua comprimeret & contorqueret, idque ſignum in antro concluſum religioſe colebant; quod leo Solem, taurus Lunam ſignificaret, quæ lucem a Sole cum mutuetur, quantoque longius ab ipſo abſit, tanto magis ipſa luceat, reluctari quodammodo videtur, & omni conatu obniti, ne cum Sole conjungatur, aut conjuncta cum ſit, ne diutius in eo ſtatu permaneat, in quo neque ipſa a nobis videri poſſit, neque Solem interdum videri patiatur: cum ſcilicet inter Solem & aſpectum noſtrum ipſa ſe interponit. Ideoque in antro non ſub dio una cum Sole colebatur. Mitram igitur cum conſtet Solem eſſe, & id nomen ab Ægyptiis Regibus uſurpatum: conſtare etiam par eſt, cur in vetere Obeliſco Rex Rhamiſes, modo Apollo, modo Solis filius nominetur; quando Ægyptii Solem ab Apolline diverſum eſſe voluerunt. hoc eſt Solem patrem, Apollinem, filium ἀλληγορικῶς ſignificantes Solem vi ſua facultatem in hominum animis, atque adeo in ipſius terræ viſceribus divinatricem procreare: quam veteres Apollinem vocaverunt. Itaque oracula non Soli, ſed Apollini tribuebantur, ut Apollinem inde Solis filium non imperite nominaverint. Cæterum quod ad Obeliſcos pertinet, ut ad rem propoſitam revertamur, Mitres, quemadmodum ſupra dictum eſt, omnium Ægyptiorum Regum primus in Solis urbe, quam etiam Heliopolim vocant, ubi ipſe regnabat, Obeliſcum inſtituit, in eoque inciſis Ægyptiacis notis teſtatus eſt, id eſſe ab ſe factum, quod ut faceret in ſomnis admonitus fuiſſet. hunc poſtea conſecuti alii Reges in eadem urbe alios Obeliſcos ſtatuerunt: inter quos Sochis, cujus etiam meminit Strabo lib. XVI. Geographiæ, quatuor omnino numero ſtatui curavit. Quorum longitudinem quadragenis octonis cubitis metiebantur. Rhamiſes vero, quo regnante Ilium captum fuiſſe ſcribit Plin. duos, quorum prior altitudine quadragenum cubitorum, poſterior undecentenum pedum, latitudine autem cubitis quatuor. quo quidem in loco cum Plin. dicat Rhamiſem digreſſum inde, ubi fuit Mnevidis regia, eum Obeliſcum, de quo proxime loquebamur, poſuiſſe. quæ de hujuſmodi loco mihi in mentem veniant proferre, & cum aliis communicare non pigebit, ut ſtatuere poſſimus, locus hic integer ne ſit, an mendoſus. Strabo igitur lib. XVII. ſcribit Mnevim bovem eſſe, quem Memphitæ Apim vocent, eumque & coli ab Heliopolitanis, & Deum haberi, illique ſeptum attributum eſſe, in quo publice aleretur. Quare aut Mnevidius regiam pro ſepto illo accipi oportet, aut loco Mnevidis reponendum eſt Memnonis, de cujus regia ſic idem Strabo: ὑπὲρ δὲ ταύτης ἡ Ἄβυδος, ἐν ᾗ τὸ μεμνόνειον βασίλειον θαυμαστῶς κατεσκευασμένον ὁλόλιθον τῇ αὐτῇ κατασκευῇ. ἥπερ τὸν λαβύρινθον ἔφαμεν. οὐ πολλαπλοῦν δέ. hoc eſt: *Supra hanc eſt Abidus, in qua Memnonis eſt regia, mirabiliter ſubſtructa, tota ſcilicet ex lapide: quemadmodum labyrinthum eſſe diximus: ſed tamen non tam multiplex.* Ac de hac quidem regia idem Strabo non ita multo poſt, ſe hæc & audiſſe & vidiſſe teſtatur, cum eo Cornelium Gallum ſecutus eſſet, eſſe ſcilicet illic Coloſſos duos, quorum alter terræ motu corruiſſet, alterum, qui adhuc ſtans integer ſervaretur, ſemel ſingulis quibuſque diebus ſonitum edere; quaſi percuſſum, ab ea videlicet parte, quæ baſi proxima eſt; eumdemque ſe inaudiſſe circiter diei horam primam, cum illuc ejus miraculi cauſſa ſe contuliſſet: in quo tamen dubitare ſe fatetur, utrum is ſonitus ſponte ab ipſa ſtatua edatur, an aliquo eorum hominum artificio: cum veriſimile non ſit ex lapidibus ita coagmentatis, nulla extrinſecus accedente vi, crepitum fieri. Quamquam Cornelius Tacitus homo alioqui parum ſuperſtitioſus, & nihil omnino religionibus addictus, de eadem ſtatua ſic loquitur, verum ut eſſe exiſtimare videatur, quod vulgo homines afferebant: vocalem ſcilicet ſonum reddere, ubi ſolaribus radiis icta eſſet. De quo quidem miraculo Plinius lib. XXXVI. cap. VII. ſic ſcribit: *Non abſimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis ſtatua dicatus. quem quotidiano Solis ortu contactum radiis, crepare dicunt.* & Juvenalis etiam Satyra XV.

Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ.

Quoniam autem ex eodem Strabone Memnonis regiam Thebis fuiſſe conſtat, & hoc in loco Plin. de Thebaico Obeliſco loquitur; facile in eam opinionem venio, ut pro Mnevidis reponi debeat Memnonis: cum præſertim Mnevim ἐν τῷ σηκῷ, id eſt in ſepto, non τῷ βασιλείῳ, id eſt in regia ali conſueviſſe ſciamus. Diſceſſiſſe igitur Rhamiſem Heliopoli, & Thebas ſe contuliſſe intelligere nos oportet, ubi prope Memnonis regiam, vel in ipſa regia Obeliſcum illum ſtatuerit: in cujus altitudine tradenda ſuſpicor Plinii verba eſſe corrupta. Quomodo enim fieri poteſt, ut is lapis Obeliſcus ſit, cujus latera in ſenos pedes pateant, altitudo in undenos tan-

A tum assurgat? & quoniam facilis lapsus est in numeris, in quibus & apud Plinium & apud alios erratum sæpissime deprehendimus; non temere fortasse a nobis fiet, si pro undecenis undecentenis reposuerimus. sic enim fiet, ut ejus altitudo sexaginta sex cubitorum sit, latitudo quatuor. Et ita etiam locum Plinii legit Polydorus Virgilius. quod a me postquam locum restituissem, animadversum est. Et sane ridiculum foret in tantulo opere XXM. hominum fuisse defatigata, quemadmodum Plinius testatur esse factum, cum mirum etiam videri debeat in Obelisco sexagenum senum cubitorum faciendo tot millia operarum fuisse ab eo Rege adhibita, ut ad ejus calculi rationem in
B Cajano Obelisco exscindendo & conformando triginta millia trecenti triginta tres & amplius homines se exercuerint. erat enim centenum cubitorum, antequam frangeretur, ut suo loco demonstrabimus. Illum autem tanti sibi esse faciendum Rex existimavit, ut cum ab Architectis atque Artificibus esset statuendus, vereretur que ne tanto ponderi sustollendo ac sustinendo machinæ, quæ adhibebantur, non sufficerent, molesque illa collapsa frangeretur, ad Obelisci apicem filium suum adalligari jusserit, cujus tanti periculi metu Architectis injecto, intentiore cura salus lapi-
C dis ab illis procuraretur. quod & factum est. Ex quo patet, quanto in honore hujusmodi moles apud Ægyptios Reges haberetur, quantumque illi errare videantur, qui Obelisco Pyramidis nomen imponunt; cum Obelisci inter dona, quæ Diis immortalibus dabantur, in templis statuerentur, & ἀναθήματα a Græcis vocarentur; Pyramides vero inter Regum sepulcra numerarentur; quarum aliæ tribus, aliæ quatuor lateribus, & iis omnibus modo inter se æqualibus, modo inæqualibus constarent sic, ut nonnullæ latitudine contractiores essent, longitudine porrectiores; omnes autem a latissima basi surgerent. Obelisci vero ea-
D dem semper forma, hoc est quadrangulari, fingerentur, atque ab infima sui parte minus ampli & spaciosi cum existerent, ipso aspectu pulcherrimi videbantur, & omnium admiratione & cultu dignissimi: id quod in Obelisco, quem in area Vaticani Syxtus V. Pont. Max. statui jussit, aspiciendo sic experimur, ut ab eo oculos avellere ac revocare nequeamus, indeque illud, quod vetere proverbio jactatur, verissimum esse intelligamus. nam quæ tanta ac talia opinione omnium existimabantur, ut ab omnibus laudari & sempiternæ
E memoriæ mandari mererentur, ea ἄξια ὀβελίσκου dicerentur. Quamobrem Cambyses, qui Ægyptum aggressus Diis hominibusque bellum indixerat, & cuncta igne ac ferro sibi illic esse devastanda statuerat, cum Thebas expugnaret, atque incendium, quo ædificia conflagrabant, ad Obelisci crepidines pervenisset, ne tam præclara atque adeo affabre facta moles excocta collaberetur, ignem exstingui jussit: & quorum vitæ non pepercerat, eorum operi pepercit, aut religione impeditus, aut, ut cum Plinio loquar, tam eximiæ molis reverentia commotus. Quamquam aliter omnino Straboni visum est, qui Cornelium Gallum in eam
F provinciam ab Augusto missum secutus Ægyptum peragravit, omniaque diligenter inspexit, & nobis fideliter enarravit. Ejus hæc sunt verba ex XVII. lib. Geographiæ in hunc locum a nobis translata: *Nunc autem ea urbs* (de Heliopoli loquitur) *plane deserta est, in qua templum visitur vetere Ægyptiorum more exædificatum: quod quidem permulta cum insaniæ, tum impietatis, qua Cambyses præditus fuerat, indicia præ se fert: quippe qui partim igne, partim ferro templa omnia circumcidens atque amburens devastabat: quemadmodum etiam Obeliscos, quorum duo Romam delati sunt, non omnino illi quidem male habiti ac protriti: alii vero in eadem urbe ac Thebis, quæ nunc Diospolis, id est Jovis urbs, appellatur, partim stantes & vehementer ab igne ambesi, partim humi jacentes conspiciuntur.* hæc Strabo. ex quibus constat, nullos ferme hujusmodi Obeliscos Romam fuisse ex Ægypto advectos, qui non essent aliqua ex parte læsi. Quamquam postea (ut par est credere) Imperatorum, qui invehendos curaverant, jussu ac diligentia, quantum ab Artificibus fieri præstarique potuit, in pristinam formam dignitatemque restituti. Scribit idem Plin. alterum a Smarre, alterum ab Heraphio nullis inscriptum notis positum; quorum uterque esset quadragenum octonum cubitorum, ejusdem scilicet longitudinis, qua is est, quem in Circo suo Caligula statuit. De Smarre autem atque Heraphio Ægypti Regibus nihil, quod sciam, ab auctoribus memoriæ proditum est: nisi si eumdem esse Smarrem & Smendim velimus, quem Eusebius viginti sex annos Ægyptiis imperavisse scribit, ante Ægyptum videlicet a Cambyse captam, & in servitutem redactam annis plus minus quadringentis septuaginta. legimus præterea Nectabim Regem ingentis magnitudinis, nimirum octoginta cubitorum, Obeliscum excidisse, in eoque nullas notas incidi curavisse, quem Ægypti Rex is, qui libros divinam Scripturam complectentes ex Hebraico in Græcum sermonem per septuaginta Interpretes ab Eleazaro Judæorum Pontifice Hierosolyma evocatos, & in bibliotheca pæne innumerabilibus cujuscumque facultatis & scientiæ libris a se instructa habuit, Ptolemæus, inquam, Philadelphus Alexandriæ in Arsinoe munus amoris erga conjugem eandemque sororem suam Arsinoen statuit. Quamquam in devehenda in eam urbem, statuendaque tam ingenti mole, multo magis laboratum fuit, quam in exscindenda. Sunt enim qui dicant a Satyro Architecto unica rate Alexandriam advectam: alii a Phœnice fossa usque ad eum locum, ubi excisus Obeliscus jacebat, e Nilo perducta, duas naves in latitudinem patulas ædificatas esse, quarum utraque ejusdem ponderis pedalibus lapidibus onerata Obeliscum utrinque extremis partibus suis ripas conjungentem subiret: atque ita cum subiisset, lapidibusque illis egestis, quibus ad justam mensuram perinde atque ab Obelisco deprimebatur, allevata esset, Obeliscum exciperet, deveheretque, quo devehi oporteret. Illum postea Maximus quidam Præfectus Ægypti Alexandriæ in forum jussu translatum suo statuit, cacumenque recidit, ut auratum fastigium adderet, quod tamen postea non fecit. In eadem urbe duo in portu ad ædem Cæsaris quadraginta duorum cubitorum positi sunt, quos exscindi curaverat Rex Ægypti Mesphees, quem arbitror ab Eusebio Mephrem nominari. is ab anno mundi IIMMIↃXXXVI. ad tria millia quingenta quadraginta octo in Ægypto duodecim annos regnavit, annis scilicet ante Cæsaris dominatum mille sexcentis quatuor. eorum alter humi dejectus & comminutus est, alter etiam nunc in eodem loco (ut ferunt) erectus conspicitur, in quo primum statutus fuerat. Cæterum quod ad Obeliscorum magnitudinem pertinet, omnium maximi duo Thebis visebantur a Sesostride excitati, centum viginti cubitorum altitudine, & Deo, qui illic præcipue colebatur (ut inquit Diodorus) dedicati. eum autem fuisse Jovem ex Strabone diximus. in iis vero Sesostris & copiarum magnitudinem, & vectigalium multitudinem, & earum nationum numerum, quas armis debellaverat, & in potestatem redegerat suam, notari inscribique curaverat, cui cum in regnum suc-

successisset Phero, sic enim ab Herodoto appellatur : quamvis auctore Diodoro ipse se Sesostridem ex patris nomine, ut supra diximus, cognominari voluerit; duos & ipse Obeliscos fecit altitudine centum cubitorum, latitudine octo: eosque in urbe Heliopoli statuit Soli consecratos. cujus rei caussam Herodotus & item Diodorus percensent, fabulosam illam quidem, sed quæ veterem Ægyptiorum Sacerdotum ac Regum superstitionem nobis mirifice ante oculos ponat. Excreverat Nilus ad inusitatam magnitudinem, & agros undique aquis multo majoribus, quam quemadmodum quotannis statis diebus facere consuevisset, circumfusis occupaverat. Phero itaque in amnem jaculum contorsit, ob quod impie commissum facinus oculis excæcatus est. cumque nihil a Medicis excogitari posset, quo visum recuperaret, ad implorandam Deorum opem confugit: quos tametsi cultu novem ipsos annos propitios sibi reddere perseverasset; numquam tamen quidquam impetrare potuit, quamobrem a tanta calamitate liberaretur. decimo tandem anno admonitus ab oraculo est, ut & Deum, quem Heliopolitani colerent, pie sanctèque veneraretur, & alicujus fœminæ lotio faciem sibi purgaret & lavaret, quæ cum viro tantum suo consuetudinem habuisset. ergo ille facto ab uxore sua initio cum multas frustra expertus esset, unam tandem cuidam olitori nuptam adinvenit, a qua sanatus est, eam que ille recuperato visu postea uxorem duxit; cæteras omnes uno in loco concremari jussit: quem locum Ægyptii e re nata sacram Glebam nominarunt. & Phero ut se memorem accepti beneficii testaretur, Deoque gratias ageret, quas posset maximas, juxta præceptum oraculi duos Obeliscos Heliopoli ex solido atque unico lapide excisos & conformatos, de quibus paullo ante loquebamur, consecravit: qui cum ingentes essent, minores tamen viginti cubitis erant iis, quos ejus pater Sesostris Thebis erexerat. quos si cum eo, qui in Circo Caii & Neronis positus fuerat, comparemus, sesquiduplo majores adinveniemus, vix ut credibile sit, tam ingentis ac portentosæ magnitudinis saxum ullo ex monte exscindi potuisse. Eorum autem, quos a Pherone fuisse Soli dicatos diximus, neutrum, si Plinio & Ammiano fidem habemus, Augustus Romam detulit, sed utrumque vel religione vel molis magnitudine impeditus ac deterritus reliquit. nam quem ille ab Heliopolitanis acceptum, & in urbem devectum in Circo Maximo statuit, a Rege Semneserto excisum fuisse testatur Plinius: quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit. Sesostris autem & Phero ejus filius annis ante ducentis sexaginta Ægyptiis imperarunt. præterquam quod Pheronis Obelisci centum quinquaginta pedum, hoc est centum cubitorum, fuerant: Augusti autem Obeliscus in Circo positus centum viginti quinque pedum & dodrantis, præter basim ejusdem lapidis: nisi forte suspicemur Diodorum & Herodotum in metienda Obeliscorum altitudine etiam bases complexos esse. Qua ratione non omnino inter se illi ac Plinius dissentire viderentur. Sed huic conjecturæ vehementer refragatur, quod P. Victor hunc Obeliscum in Circo Maximo ab Augusto positum esse scribit pedum octoginta octo semis; alterum autem, de quo paulo post dicendum est, pedum centum triginta duorum. quod si Plinium cum P. Victore idem dicere velimus, necesse est, ut Plinianæ mensuræ basim adjiciamus altitudine sex pedum & quadrantis: quæ basis cum depressior omnino sit, quam tantam molem deceat; non video, quid hac in re aliud afferri possit ad hujusmodi scriptores inter se con-

A ciliandos, quam opinari, aut non ejusdem magnitudinis pedes apud Plinium & Victorem esse; quod ridiculum est; aut, quod facillimum est, numerorum notas apud alterutrum, vel etiam apud utrumque a librariis fuisse corruptas. Utcumque igitur sit, Augustus duos Obeliscos Romæ statuit, alterum in Circo Maximo a Semneserteo Rege excisum, quo regnante Pythagoras, ut diximus, in Ægypto fuit, si Plinium sequamur; nam Eusebius non Semnesertum, sed Anamasim in Ægypto regnavisse, tum scribit, cum eo Pythagoras se contulit: alterum in Campo Martio, B quem, Sesostris, ut ille inquit, exciderat, eumque novem pedibus minorem fuisse testatur, hoc est pedum centum sexdecim & dodrantis. atque hic etiam Plinius a Diodoro longissime discedit. quippe qui, ut supra diximus, Obeliscos duos a Sesostride positos scribat centenum vigenum cubitorum, hoc est pedem centum sexaginta, majorem scilicet hoc nostro Pliniano pedibus quadraginta tribus & quadrante; quem si Sesostris fabricatus est, aut alium ab iis duobus fuisse oportet, cujus nullam fecerint mentionem neque Herodotus neque Diodorus; quando ne illorum quidem deorum, quos statuit Sesostris, Herodotum C usquam meminisse videmus: aut alterius Regis fuerit necesse est; cujus in tradendo nomine vel Plinius erraverit, vel librariorum culpa mendum insederit. Cæterum cujuscumque fuerit, nam a Sesostride excisum adduci non possum, ut credam; quando illum Regem gloriæ appetentissimum fuisse legimus, usque adeo ut inscriptos victoriarum suarum cippos innumerabiles reliquerit, & se totius orbis terrarum dominum appellaverit; quare verisimile non fit, eum hac una in re sic se gessisse, ut a superioribus Ægypti Regibus vincererur. Sed tamen cujuscumque fuerit inscriptas habebat, quemadmodum etiam is, qui in Circo Ma- D ximo ab Augusto fuerat positus, præter rerum naturæ interpretationem, & philosophiæ documenta, res plane diversas ab iis, quas in altero Obelisco posterius in Circum maximum invecto Ægyptiis notis incisas supra demonstravimus, sui etiam usum admirabilem ad deprehendendas Solis umbras dierumque ac noctium magnitudines præstabat. Nam cum Romani veteres Hetruscos imitati initium diei a media nocte ordirentur, eumque meridie, id est sexta diei sequentis hora, terminarent, ac propterea fieret, ut in duodenas horas & nox & dies divideretur, ipsæque horæ E essent inæquales, prout Sol ab æquinoctiis vel propius, vel longius discederet; necessario sequebatur, ut quota hora esset ex umbris vel decrescentibus vel augescentibus deprehenderetur. Neque enim quisquam tam hebes est, qui nesciat solstitialium dierum sextam horam brevissima umbra designari: contra vero brumæ longissima, si cum cæterorum dierum meridie comparetur, atque ut umbræ certioribus finibus terminatæ in terram jacerentur, regulasque ipsas ex ære stratis lapidibus inclusas evidentius attingerent, Manlius Mathematicus ejus Obelisci apici inauratam sphæram addidit: cujus vertice umbra in F semetipsam colligeretur, & alia atque alia vel incrementa vel decrementa suo ipsius apice jacularetur. Sed hæc alterius operæ, non nostræ, cum sint, ambitiosiores omnino, quam par est, existimari poterimus, nisi missa faciamus. Ergo ut ad institutum revertamur, duo tantum Obelisci Augusto regnante Romam devecti sunt: cum primum scilicet ipse Ægyptum devicto Antonio atque interempta Cleopatra in Senatus populique Romani ditionem redegisset. Nam quod P. Victor septem numerat, dubium non est, quin

multis annis poſt Auguſti obitum in urbem fuerint importati eorum duo in Circo Maximo: unus in Campo Martio: duo in Mauſoleo Auguſti: unus in Caii & Neronis Circo: in Inſula Tiberis unus, poſiti ſpectabantur: octavus in Salluſtianis hortis: qui ab æde Sanctæ Suſannæ, quæ in Monte Quirinali eſt, ad portam Collinam pertinebant, totamque interjectam vallem complectebantur. is, ut ferunt, Lunæ erat conſectatus, Ægyptiiſque notis inſcriptus. & in iiſdem hortis humi proſtratus & confractus etiamnum videri poteſt. Ac tot quidem Obeliſcos majores Romæ fuiſſe colligimus ex Plinio, Ammiano, ac P. Victore: non ignoramus tamen a Bartholomæo Marliano & a M. Fabio Calvo in deſcriptione Urbis tres addi, quorum unus in Circo Floræ, quem eundem cum Salluſtiano eſſe arbitror; alter extra portam Exquilinam ſit, tertius in Circo Antonini Caracallæ. Sed nos eos percenſere voluimus, quorum mentionem a veteribus Scriptoribus fieri meminimus. Ridicula vero quæſtio eſt ea, quam a nonnullis anxie tractatam video. Nimirum, cur Plinius ab Ammiano Marcellino diſſentiat, quod hic plures, ille pauciores Romæ Obeliſcos numeret: quaſi vero difficillimum ſit ſcire, a Trajano, quo imperante Plinius vixit, ad Julianum, quem Ammianus regnantem vidit, interfuiſſe annos plus minus ducentos ſexaginta quatuor: quo temporis ſpatio Obeliſcorum & majorum & minorum numerus augeri facillime potuerit. nam minores quidem quadraginta duos in Urbe fuiſſe idem P. Victor teſtis eſt. ad eos igitur duos, quos Auguſtus ſtatuit, tertius additur a Plinio in Vaticano Caii & Neronis Principum Circo, *ex omnibus unus omnino fractus in molitione, quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus*. Hæc enim Plinii ipſius verba ſunt. qui eadem de re lib. XVII. cap. LX. ita ſcriptum reliquit: *Abies admirationis præcipuæ in navi, quæ ex Ægypto Caii Principis juſſu Obeliſcum in Vaticano Circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit*. Suetonius etiam in Claudio cap. XX. *Portum*, inquit, *Hoſtiæ extruxit circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſolo mole objecta: quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus Obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus*. hæc Suetonius. ex loco Plinii, quem citavimus, apertiſſime conſtat, hunc tertium Obeliſcum, qui nunc quoque in Vaticano eſt, alterum ex iis duobus fuiſſe, quos a Pherone Seſoſtridis filio ex oraculo Soli ob reſtitutum ſibi viſum fuiſſe dicatos memoravimus, Cum ipſemet Plinius ad ea, quæ citavimus, verba hæc addat: *Ejuſdem remanet & alius centum cubitorum, quem poſt cæcitatem viſu reddito ex oraculo Soli ſacravit*. Nihil itaque dubitari oportet, quin hic Vaticanus Obeliſcus Pheronis Obeliſcus fuerit. quod ſi eſt, quemadmodum certe ex Herodoti, Diodori, & Plinii verbis inter ſe maxime conſentientibus conſtat, quando, præter eos duos, nullum alium a Pherone ſtatutum fuiſſe legimus; neceſſe profecto eſt, Obeliſcum Vaticanum in molitione fractum fuiſſe; aut cum in Ægypto humi deponeretur, aut cum jam in urbem Romam invectus in Circo Caii ſtatueretur. Nam uterque Pheronis Obeliſcus centenum cubitorum erat, hic autem, qui nunc in Vaticano eſt, quadragenum octonum eſt. ut major ejus pars fracta & comminuta in molitione fuerit; id eſt cum vel e ſede ſua moveretur, vel in Circo Vaticano, uti diximus, ſtatueretur. moliri enim idem eſt, quod movere, & ſubſtruere. Livius lib. IX. *Num montes moliri ſua ſede paramus*? & Virg.

Moliri ja tecta vident, & fidere terræ.

Vel etiam cum a Cambyſe ambuſtus ac deformatus a Cajanis operis atque artificibus ad priſtinam integritatem ac dignitatem, quantum fieri poſſet, reſtitueretur; quod ut credam, Suetonii verba faciunt, in quibus Obeliſcum hunc Vaticani nominari magnum video. Neque enim ideo magnum fuiſſe appellatum arbitror eorum comparatione, qui parvi ſunt, quales etiamnunc aliquot Romæ conſpiciuntur. ſed ut magnitudine iis, qui juſſu Auguſti unus in Circo maximo, alter in Campo Martio ſtatuti fuerunt, longe præſtitiſſe intelligeretur. idque ex hujuſmodi quaſi cognomine non defracto & communito, ſed de integro adhuc vel Heliopoli ſtante, vel Romam primum advecto accipi oportet. nam alioqui non ipſe magnus cognominari debuit, ſed is, quem in Circo maximo Auguſtus ſtatuerat, pedum octogenum octonum, hoc eſt cubitorum quinquagenum octonum & beſſis. quod eo magis fieri par fuit, quod qui in Campo Martio erat, perinde ac Vaticanus, quadragenis octonis cubitis in altitudinem aſſurgebat; erantque omnino ambo inter ſe magnitudine pares. huc accedit quod navis, qua ſuum Auguſtus vexerat, quamquam propter magnitudinem miraculi gratia Puteolis aſſervabatur, multo tamen minor fuerat, quam ea, qua Cajus Cæſar Obeliſcum Vaticanum importaverat, omnibus, ut inquit Plinius, quæ unquam in mari viſæ eſſent, mirabiliore. Quando probabile eſt eam, antequam operæ Obeliſcum e ſede molirentur, exædificatam fuiſſe ad eam magnitudinem, quæ & ſuſtinendo centum cubitorum Obeliſco, & Romam devehendo par foret. Deinde ſi legendum apud Plinium eſt, *Factus imitatione ejus quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus*, quæro, cujus rei imitatione? an figuræ? at omnes alii ſunt ad eamdem quadratæ trabis effigem conformati. an quod uterque nullas notas inſcriptas haberet? ut purus etiam & ſine Hieroglyphicis is fuerat, quem a Nectabi Rege exciſum a Ptolemæo Philadelpho Alexandriæ fuiſſe ſtatutum diximus. Nam quod ad materiem pertinet, omnes ex eodem lapide conficiebantur. Supereſt ergo, ut imitatio ad magnitudinem referatur, quæ cum centenum cubitorum eſſet, neceſſario concluditur Obeliſcum hunc Vaticanum parte majore diminutum ad nos perveniſſe, aut certe tum confractum eſſe, cum jam in Urbem invectum operæ Cajanæ molirentur. Nihil igitur neceſſe fuit, locum Plinii mutare, & Hermolaum Barbarum doctiſſimum hominem negligentiæ nomine non ſolum ſuſpectum reddere, ſed etiam indicta cauſſa condemnare. eſt enim, niſi plane fallor, locus integer. in quo ſi quod mendum eſt, in eo eſt, quod Seſoſtridis filium non Pheronem, neque Seſoſtridem, ſed Nuncoreum nominavit; quem Diodorus Uchoreum Uchorei filium vocat, & decem novem ante Seſoſtridem ætatibus in Ægypto regnaviſſe teſtatur. Ergo aut librarii erratum eſt, aut ipſius auctoris μνημονικὸν ἁμάρτημα. cujuſmodi nonnulla apud Ciceronem, atque adeo etiam apud Ariſtotelem legere licet: quæ quoniam ab aliis animadverſa & notata ſunt, nihil neceſſe eſt, ut hoc in loco a me commemorentur. ille potius ſcrupulus eximendus eſt, qui nobis a Plinio ex iis verbis, quibus illic utitur, injectis videri poſſit. ait enim, *Ejuſdem remanet & alius centum cubitorum*. Nam cum alius dicatur a Latinis de pluribus, alter de duobus, videtur ſignificare, a Pherone Seſoſtridis filio non duos, ſed plures Obeliſcos Heliopoli ſtatutos fuiſſe. quod quoniam hiſtoriæ refragatur, nos dicimus, alius pro alter a Plinio fuiſſe uſurpatum: idque non ſine veterum exemplo. Sallu-

ſtius in Catilina, cum de Catone & Cæſare loquitur: *Genus*, inquit, *ætas*, *eloquentia prope paria fuere*, *magnitudo quoque animi & gloria*: *ſed alia alii.* hoc eſt, ſed alia Catoni, alia Cæſari. Et Virg. cum Trojani quærerent, quem cum Darete in pugilatu committerent, alium, non alterum dixit:

Quæritur huic alius, inquit, *nec quiſquam ex agmine tanto*,
Audet adire virum.

& lib. VI.

Alius Latio jam partus Achilles.

& Cic. lib. VII. epiſt. *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.* Sunt & alia exempla, a quibus ſuperſedendum mihi eſſe ſtatui, ne in re valde nota diutius quam par eſt verſari voluiſſe videar. poſſem quoque tueri hanc vocem ea ratione fuiſſe hic a Plinio relatam non ad duos illos Obeliſcos a Pherone Soli conſecratos, ſed ad multos alios, qui tum Heliopoli ſpectabantur ſtantes, aut etiam humi jacentes, quod in ſuperiore Virgilii exemplo fieri etiam poteſt. Si quis autem ſcire cupiat, quot annis ante Syxtum V. Pontificem Maximum Phero Seſoſtridis filius in Ægypto regnaverit; is fruſtra, niſi plane fallor, in re perantiqua & dubia laborabit. Si enim Euſebium & Diodorum ſequamur, Pheronem Seſoſtridis filium regnaviſſe comperiemus anno poſt captam Trojam CCCXXXI. Nam inter Memphim conditam & Pheronem viginti ipſas ætates interfuiſſe ſcribit Diodorus, hoc eſt annos ſexcentos, ut ſingulis ætatibus tricenos annos tribuamus, quod ab Herodoto faciendum eſſe didicimus. Memphim autem conditam eſſe conſtat ex Euſebio anno mundi IIIMIↃCCVIII. vel ut alii volunt IIMCCXXXVIII. Trojam vero captam IIIIMXX. qua ratione annorum ſumma poſt captam Trojam LVIII. vel CCCXXXI, uti diximus, conficietur. Ut inter Syxti V. Pontificatum & Pheronem anni ipſi interfuerint vel IIMCCCCLXXII. vel IIMIↃCXCIX. Quod ſi Ariſtoteli potius credendum eſſe ſtatuerimus, & Valerio Flacco, Seſoſtridem & Pheronem multo ante Trojanum bellum fuiſſe fateamur neceſſe eſt. Nam Ariſtoteles Polit. VII. Seſoſtridem longo temporum intervallo Minoe Cretenſium Rege priorem fuiſſe teſtatum reliquit. Minos autem, ut Herodotus Polymnia ſcribit, tribus ætatibus, hoc eſt annis ferme centum, Trojanum bellum anteceſſit. Ex quo ſequitur aut Euſebii & recentiorum calculum falſum eſſe, aut Ariſtotelem deceptum id pro certo pronuntiaſſe, quod minus exacte ad calculum revocaverat. Cum præſertim ab eodem Ariſtotele eodem in loco tribui Seſoſtridi videamus, quæ neque Herodotus neque Diodorus uſquam tribuerunt. quanquam illius res geſtas diligentiſſime perſecuti ſunt. Ego in lite tam perplexa amplius pronuntiandum eſſe cenſeo. Nam quod ad Valerium Flaccum pertinet, qui templum apud Colchos, ad quos Argonautæ pervenerant, fuiſſe ſcribit, in quo res geſtæ a Seſoſtride pictæ ſpectabantur, nullius momenti argumentum eſſe arbitror. Etſi enim ex eodem Euſebio didicimus annis centum ante bellum Trojanum Argonautas fuiſſe, qua ratione neceſſe ſit Seſoſtridem & Pheronem multis annis Trojanum bellum anteceſſiſſe, nos tamen veritatem ex Hiſtoria & Faſtis, non ex Poetis petendam cenſemus; qui, prout illis commodum eſt, rerum & temporum ſeriem perturbant, ut cauſſam inveniant, qua granditatem fabulæ & actioni a ſe inſtitutæ pariant. Itaque Ennius & poſt eum Virgilius Didonem ab Ænea adamatam ac poſtea relictam amoris impatientia mortem ſibi conſciviſſe finxerunt. Cum tamen ex Hiſtoria didicerimus Carthaginem fuiſſe a Didone ſive ab ejus patre (utrumque enim dici-

A tur) conditam annis poſt captam Trojam plus minus CL. Utcumque tandem ſit, juvat me vel auctoritatis pondere, vel inclinatione voluntatis in eam partem propendere, quam video Ariſtoteli placuiſſe. probabilius enim eſt in tanto decurſu temporum, quæ nemo ex veteribus diſtincte adnotavit, calculos falli, quam virum illum diligentiſſimum ac doctiſſimum a vero aberrare. Sed nos hac in re diligentiores fuimus, ut unicuique judicium ſuum liberum relinqueremus. Supereſt nunc, ut de illo loquamur, quem multis poſt Auguſtum annis in Circum Maximum importatum legimus. Cum ille vel religione motus,
B quod Soli præcipue ſacratus eſſet, vel ponderis gravitate, & tantæ molis magnitudine territus, intactum Heliopolitanis reliquerat. At Conſtantinus, qui cum Conſtantio & Conſtante fratribus Romæ imperabat, e Solis templo avellendum curavit. mox Conſtantino mortuo navi, quæ trecentis remigibus agebatur, ad eum uſum comparata Hoſtiam, indeque adverſo Tiberi ad Alexandri vicum devectus conſtitit, tribus ſcilicet millibus paſſuum ab Urbe diſtante. Ex quo loco per portam trigeminam in Circum maximum ergatis ac trochleis auctus eſt, ibique non ſine incredibili multorum artificum atque operarum labore
C erectus, illique inaurata ſphæra impoſita: quæ ſolaribus radiis percuſſa fulgorem longe lateque jaceret. Hic inter ſe videntur diſſentire P. Victor & Ammianus Marcellinus. nam ille in deſcribenda Circi maximi regione XI. *Obeliſci*, inquit, *duo*: *jacet alter*, *alter erectus*. contra Ammianus trumque erectum eſſe teſtatur, quod ſane mirum videri poſſit, cum in eorumdem Imperatorum tempora incidiſſe ambos certum ſit. quæ tamen controverſia penitus tolletur, ſi Obeliſcum illum diu in Circo maximo, ut veriſimile eſt, jacuiſſe exiſtimemus, antequam ſtatueretur. quo jacente
D ſcilicet, P. Victor regionem illam deſcripſerit: Ammianus autem jam erecto & conſtituto hiſtoriam ſuam exaraverit. id quod ſi verum eſt, quemadmodum certe exiſtimari oportet, haud omnino ſine argumento cogitare poterimus, eos Obeliſcos, qui in Circo maximo fuerant, confractos & comminutos eſſe, cum eos ſeu barbaræ nationes, quæ in Urbem irruperant, ſeu etiam ipſimet Romani humi dejecerunt. neque enim credendum eſt quemquam tum fuiſſe, qui ſibi tantos ſumptus in moliendis de ſede ſua, humique ſenſim deponendis hujuſmodi tam vaſtis molibus faciendos eſſe ſtatueret, quantos fieri oportuiſſe non ignoramus in demoliendo ac deponendo
E Obeliſco, quem in aream Vaticani transferri vidimus. Quod etiam cæteris omnibus Obeliſcis accidiſſe quis dubitat? præſertim cum videat eos, qui ad Auguſti Mauſoleum antea cum ſtarent, nunc ita proſtratos & comminutos, ut fragmenta tantum ſuperſint. Quorum quoniam in mentionem incidimus, non erit a re propoſita plane alienum, ſi quæ de iis legendo obſervavimus, vel conjectura conſequi potuimus, cum ſtudioſis rerum priſcarum hominibus communicaverimus. Primum igitur nihil eſt, cur opinemur ab Auguſto fuiſſe
F vel in Urbem invectos, vel eo in loco ſtatutos, quando neque Plin. neque Suet. eorum mentionem facit ullam, qui annis poſt Auguſtum plus minus XXCIIII. Trajano ſcilicet & Adriano imperantibus hiſtorias ſcripſerunt ſuas: ſed ne Strabo quidem, qui ipſius Auguſti temporibus floruit, eorum Obeliſcorum meminit, cum tamen Mauſoleum ita deſcribat, ut ambitioſe propemodum omnia perſequatur, quæ locum illum ornare atque illuſtrare videbantur. Neque, quod ſciam, quiſquam alius e veteribus meminit præter P. Vi-

ctorem : qui duos Obeliſcos in Mauſoleo Auguſti fuiſſe memorat, magnitudine pares, ſed cæteris omnibus, qui Romam invecti fuerant, longe minores. quippe qui quadraginta duorum pedum & ſemis, hoc eſt cubitorum viginti octo, tantum eſſent. Quorum unus, cujus fragmenta humi atque adeo in media ipſa via jacebant, Syxti V. Pont. Max. juſſu avecta ſunt, atque ante hortos ſuos, quos in Exquiliis habet ante ædem Sanctæ Mariæ cognomento Majoris, in priſtinam Obeliſci formam concinnata. Alter adhuc eodem in loco poſt ædem beati Rocchi proſtratus & comminutus viſitur. Quod autem ad naves pertinet, quibus ex Ægypto in Urbem importati ſunt, trium omnino auctores meminerunt : duarum videlicet Plinius : Ammianus unius : & eas omnes maximæ cujuſdam ac portentoſæ magnitudinis fuiſſe teſtantur. Nam eam, qua D. Auguſtus in priore Obeliſco ex Ægypto ad Urbem vehendo uſus fuerat, miraculi gratia Puteolis navalibus perpetuis dicavit, ac mox incendium aſſumpſit. Multo tamen majorem illam fuiſſe credimus, quæ Vaticanum Obeliſcum Hoſtiam importavit; de qua ſic Plin. *Abies admirationis præcipuæ in navi, quæ ex Ægypto Caii Principis juſſu Obeliſcum in Vaticano Circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit. Qua nave nihil admirabilius viſum in mari certum eſt. Centum viginti millia modium lentis pro ſaburra ei fuere, longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Hoſtienſis portus latere lævo. ibi namque demerſa eſt a Claudio Principe, cum tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis, obiter Puteolano pulvere, advectiſque.* deque eadem idem Plin. cap IX. lib. XXXVI. *Divus Claudius*, inquit, *aliquot per annos aſſervatam, qua Cajus Cæſar importaverat, omnibus, quæ unquam in mari viſæ ſunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere ædificatis perductam Hoſtiam portus gratia merſit.* hæc Plin. quibus Sueton. his verbis aſſentitur : *Portum*, inquit, *Hoſtiæ extruxit circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſolo mole objecta, quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus Obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus : congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent.* Atque hanc quidem navem ex earum genere fuiſſe veriſimile eſt, quæ in longitudinem inſtar triremium porriguntur. Si enim magnam oris Hoſtienſis portus partem demerſa occupavit; profecto neceſſe eſt longiſſimam fuiſſe, ut Ammianus magnifice potius & oratorie dixerit, navem illam ſuam, quæ ad Conſtantianum Obeliſcum ex Ægypto deferendum ædificata eſt, inuſitatæ magnitudinis fuiſſe : idque ex eo intelligi vult, quod trecentis remigibus ageretur. Sed brevius omnino ille quidem, vel obſcurius potius locutus eſt, quam res ipſa, de qua agebatur, poſtulabat. nos, quia navem a Cajo exædificatam ad Obeliſcum centenum cubitorum, omnium ſcilicet maximum, excipiendum demonſtravimus, in ea ſententia perſiſtimus, ut nullam aliam navem cum Cajana nave comparari potuiſſe cenſeamus. cujus magnitudinem, ſi quis exactius ſcire deſideret, is ex objectæ portui molis longitudinis dimenſione, quod haud difficillime fieri poteſt, ſi non omnino quanta fuerit pro certo ſtatuere poterit, non longiſſime tamen ab eo, quod quæret, aberrabit. Et quoniam Plinius, cum de Cajanæ navis magnitudine locutus eſſet, ſubjicit hæc verba : *Alia ex hoc cura navium, quæ Tiberi ſubvehant : quo experimento palam fuit, non minus aquarum huic amni eſſe, quam Nilo.* Videndum eſt, qua ratione concludat Tiberim eſſe æqua-

A lem Nilo. Nam quod quidam exiſtimavit Obeliſcum illum fuiſſe ab Heliopoli ad mare devectum, cum Nilus excreviſſet, & item Romam invectum, cum Tiberis aquis auctus flueret, commentitium eſt, & nullius momenti conjectura. Neque enim fluminum altitudines inter ſe comparantur, cum imbribus aut liquatis nivibus augentur : ſed cum ſuapte natura fluunt. Exiſtimare igitur oportet, eam navem, ſeu ratem appellare malueris, qua Nilo ad mare devectus, quaque Tiberi in Urbem invectus Obeliſcus fuit, ejuſdem fuiſſe magnitudinis. aliter enim dignoſci non potuit Nilus ne an Tiberis ex ſua natura plenior B flueret. Quare non temere ſenſiſſe videri potero, ſi locum Plinii mendoſum eſſe, & in eo aliquid deſiderari dixero, ex quo navem, qua Tiberi ſubvectus Obeliſcus eſt, parem illi fuiſſe intelligamus, qua Nilo antea ad mare devectus fuit. Hujuſmodi autem navem multo majorem fuiſſe Obeliſco, quem vehebat, neceſſe eſt. neque enim aliter tanta moles a flumine ſuſtineri potuiſſet. Sed hanc omnem curam & cogitationem iis relinquamus, quorum ad facultatem pertinet ratiocinari, quibus artificiis, quibuſque machinis quæque moles ac pondera ſuſtineri & perferri ſine C offenſione poſſint. Atque his ita ſe habentibus, illud mirari libet, quod Theophraſtus Ariſtotelis auditor, & vir in primis doctus & gravis in eo libello, quem περὶ λίθων ſcriptum reliquit, in Ægyptiorum Sacerdotum commentariis memoriæ mandatum teſtatur, eorum Regi a Rege Babylonio muneris loco miſſum Obeliſcum ex Smaragdo quatuor cubitorum longitudine, latitudine trium. præterea fuiſſe apud eos in Jovis delubro alterum Obeliſcum e quatuor Smaragdis compoſitum & concinnatum, quadraginta cubitorum longitudine, latitudine vero in parte quatuor, in parte duorum. Quod ſi vere a Theophraſto atque ex D hiſtoriæ fide traditum eſt; cur non etiam credamus, quod Apion cognomento Pliſtonices ſcriptum reliquit? Fuiſſe ſcilicet in labyrintho Ægypti Coloſſeum Serapim e Smaragdo novem cubitorum. Ut ſi Smaragdi magnitudinem ſpectemus, mirari minime libeat Genuenſium patinam, quam illi hodie ex Smaragdo confectam, & in ſacrario aſſervatam hoſpitibus venerabundi oſtendunt. Sed hæc πάρεργα. Ergo iis omiſſis ad Obeliſcum redeamus, & hanc ſcriptionem noſtram aliquando tandem ſuis finibus terminemus. Dictum a nobis ſuperius eſt, Obeliſcum, quamquam eum Mitres E primus inſtituit, ut ſomnio ſatisfaceret, poſſe tamen ex figura qua conſtat pie ſancteque ad hominum mentem in Deum ſe ſe erigentem ἀλληγορικῶς referri. quemadmodum enim radii ſolares eo latius diffunduntur & pateſcunt, quo longius a ſole abſunt : coeunt autem in unum quaſi punctum, cum in auctorem & parentem ſuum Solem deſinunt; ita Obeliſcus, cujus quatuor latera quatuor totius orbis terrarum partes ſignificant, cum ab infima ſui parte late pateat, paulatim gracileſcit, donec acutiſſimo apice terminetur. Ad cujus imaginem mens noſtra, ſi ſe in varias curas diſtrahi ſinat, & humanis affectibus affixa hæreat, F nunquam ſe colligit, ſed ſi uſu veniat, ut ab hujuſmodi cogitationibus, atque ab honorum ac divitiarum, aliarumque terreſtrium rerum cupiditatibus ſeparare ac disjungere ſe incipiat, non conſiſtit illa quidem, donec in altum paulatim erecta & acutior facta, Deum invenit, in eoque tota immergitur & conquieſcit. Sed hanc partem, quæ ad ἀλληγορίαν pertinet, quoniam ab aliis & acute & copioſe tractatam video, conſulto prætermittam. Illud tamen, quod hujus ſcriptionis noſtræ proprium eſt, ſi tacuero, fortaſſe id feciſſe videri

potero, quod jure optimo in multorum reprehensionem incidere debeat. Dicimus igitur Syxtum V. Pont. Max. incredibili sapientia duas res potissimum videri secutum esse, cum in eam mentem venit, ut tam insignem Obeliscum in patentem locum importaret, ejusque apici crucem imponeret: quarum altera est, ut uno eodemque tempore eum se esse ostenderet, qui & beneficentissimi Patris & summi Principis; altera, qui religiosissimi Sacerdotis & Pontificis Maximi personam gerere se non ignoraret. itaque animum ad exornandam Urbem & ad pietatem in hominum mentibus imprimendam conferre oportuit: si tantorum nominum pondus & majestatem laudabiliter ferre & tueri voluisset. Neque enim quidquam expectari tum a Patre & Principe, tum a Sacerdote & Pontifice majus potest, quam & in populum gratuita caritas, & publicorum operum insignis magnificentia, & vitæ innocentia singularis, & Christianæ pietatis in quaque re studium incredibile. In quibus quidem omnibus omnium bonorum opinione & consensu tantus exstitit, quantus ne desiderari quidem a quoquam vel potuit vel debuit. Quippe qui cum primum est a Patribus Pontifex nominatus, & sicarios, qui tum in ipsa Urbe, tum in cæteris Italiæ partibus impune grassabantur, sustulit funditus; & ingravescentem in dies annonam sua pecunia, & ea quidem ingenti, sublevavit: & mores re ipsa sic correxit, ut pie sanćteque omnes sibi esse vivendum dixerint: Urbem vero patefactis ac directis viis commodiorem & pulchriorem reddiderit: quibus ad religiosissima quæque Sanctorum templa sine ulla molestia, immo etiam cum incredibili animi voluptate, iri a civibus & peregrinis possit. Quirinalem montem, repurgatis fontium rivis, & itineribus eorum ad perennem usum ingenti sumptu apertis & confectis, perque ea saluberrimis aquis & copiosissimis in Urbem introductis, mirabiliter excoluerit. usque adeo scilicet, ut qui illic hortos habent, non jam de hortis ad voluptatem instruendis, sed de ædibus ad familiarem & quotidianum usum ædificandis cogitent. Templa vero & sacella, quæ vel temporum injuria, vel hominum negligentia aut labebantur, aut minus certe jam frequentari cœpta erant, magnificentissime instauravit. Ædes Lateranenses in monte Cœlio, quas Silvester aliique sanctissimi Pontifices habitarunt, cum situ & squalore obductæ viserentur, partim parietibus & porticibus a fundamentis excitatis, partim ambulacris & conclavibus in pristinam dignitatem & usum restitutis; effecit, ut & eorum locorum quasi quadam admonitione incolumis servaretur memoria, eorumque propemodum aspectum oculis illi usurparent suis, qui templum illud augustissimum religionis caussa, aut statis anni diebus, aut alio quovis tempore, plurimi ex omnibus adeunt nationibus. Nam cum illic illi ipsi scalarum gradus sint ex Hierosolymis in Urbem a Piis Pontificibus atque Imperatoribus perlati, qui Christum salutis nostræ authorem in prætorium ad Pontium Pilatum ascendentem, ut cruciaretur, sustinuerunt; quique ejus vestigia, pæne dixerim, impressa etiamnum reservant, & præterea cum permulta alia, tum columnæ visuntur, quæ, cum idem Deus & homo moreretur, mirabiliter una cum templo a summo vertice ad imam partem scissæ sunt; turpe omnino videri poterat, quod loco tam ab omni cultu derelicto haberentur. Et vero res ipsa non minus a bonis omnibus tacite reprehendebatur, quam esset apud exteras nationes in insigni infamia; Romæ, in qua urbe Christiana pietas sedem fixerit, tot hominum millia ejusdem pietatis colendæ caussa morti se devoverint, sanctissimi Pontifices inhabitarint, ea propemodum contemni monumenta, quæ castissime colere & religiosissime venerari oporteat. Id autem etsi in primis animo & cogitatione fieri necesse est, tamen nisi externi etiam templorum & piorum locorum cultus atque ornamenta adhibeantur, ex quibus veram erga Deum pietatem mentibus infixam esse constet, paulatim eo res recidit, ut una cum locis ipsis pietas etiam ipsa, si non omnino contemnatur, in ea certe existimatione non sit, in qua divina atque humana omnia præcepta & instituta semper haberi, & vero etiam esse voluerunt. Quemadmodum enim hominum intemperantiam non modo alunt, sed etiam augent atque identidem excitant signa ac tabulæ, quæ ad venustatem & lasciviam ab excellentibus artificibus & finguntur & pinguntur; ita eorumdem animos ad Dei Optimi Max. cultum atque ad pie sanćteque vivendum revocant magnificæ templorum ac sacellorum substructiones, religiosorum locorum ornatus non vulgares, qui quantumvis ingentes sumptus faciendos esse indicent, quorum ope ad pietatem e media rerum humanarum cogitatione & voluptatum illecebris interdum sic revocemur, nihil ut tam pretiosum esse apud nos censeamus, quod in primis uni ipsi Deo non debeatur. Optime itaque factum, quod vetustissimum illud sanctissimorum Pontificum domicilium restituerit: quod eodem in loco veteres Ecclesiæ ritus ac cæremonias renovaverit: neque tantarum rerum memoriam paulatim intermori passus sit, quæ propemodum obliteratæ ex hominum animis magno cum Christianæ pietatis detrimento parum aberat, quin penitus interirent. Eo etiam pertinent Apostolorum duorum signa, Petri scilicet & Pauli, ex ære mirabili artificio facta, & cochlidibus columnis imposita, quorum altera Trajani, altera Antonini Pii res gestas lapideis imagunculis ad eas quasi in Theatro quodam repræsentandas fictis & conformatis complectitur. Quæ nos parari cum vidissemus, continere ἐνθουσιασμὸν non potuimus, quin his carminibus factum sanctissimi Pontificis, ut mihi quidem videtur, pulcherrimum prosequeremur.

Quam quondam posuere Patres Populusque columnam
Trajano ob victos pectora sæva Getas,
Hanc Syxti pietas Quinti ter maxima sanctis
Subjecit pedibus, Petre beate, tuis:
Ut, quæ Barbaricis Urbem testata potentem est
Gentibus imposito colla gravasse jugo,
Hæc eadem parere tibi testetur & Urbem,
Terrarum & quidquid maximus orbis habet.

Hæc in Trajani, quæ sequuntur in Antonini cochlidem scripta sunt.

Quæ cochlidis moles nobis operosa columnæ
Ostentat valida bella peracta manu,
Atque Antonini, post regna eversa Quiritum,
Servat in inciso marmore facta Pii:
Maximus hæc subter pedibus premit omnia Paulus,
Armatus libro Paulus & ense manum.
Syxtus enim Quintus statui sic jussit, ad omnes
Clamet ut ex alto conspicuoque loco,
Et vita insonti, & doctrina, & fortibus ausis
Barbara sunt Latio colla premenda jugo.

Et vero si Aristogitonis & Harmodii statuæ ab Atheniensibus in foro positæ, quod Hipparcho Pisistrati tyranni filio, eodemque Hippiæ tyranni fratre interempto libertatem patriæ restituissent suæ, præclarissimum factum civibus in memoriam, quoties conspicerentur, revocabant; si idem apud Romanos Bruti illius, qui Tarquinios eje-

cit, ſignum in celeberrima Urbis parte poſitum faciebat, ſi nobiliſſimæ quæque familiæ majorum ſuorum, qui Remp. præclare geſſiſſent, imagines domi habebant propoſitas, quas eorum liberi ac nepotes intuentes eos imitarentur, quos illæ repræſentabant, ſi in nobiliſſimis quibuſque urbium locis hujuſmodi ſexcenta alia proponebantur, picturæ, arcus, navium roſtra, trophæa, columnæ, quæ poſteros illuſtrium facinorum identidem admonerent, neque e memoria cuiquam elabi paterentur, ſed accenderent potius, atque adeo inflammarent animos ad præclare agendum; cur hoc quoque prudentiſſime cogitatum non judicabitur, his præſertim temporibus, quibus maxime opus eſt, ut, quacunque re fieri poteſt, in Chriſtianis hominibus divini cultus memoria renovetur, & ad iram Dei placandam aſſiduis precibus excitetur. Utinam curam hanc unam majores noſtri, atque adeo Pontifices omnes ſuſcepiſſent, ut Deorum omnium imagines ac ſigna ex hominum oculis & memoria penitus tollerentur, ac pro iis eorum ſtatuæ, qui Chriſtiane, hoc eſt pie ſancteque, vivendo in cœlum evocati ſunt, reponerentur. id enim ſi factum eſſet, longe melius Chriſtianæ pietati conſultum fuiſſet. Nunc autem eo ventum eſt, ut cum ſummi alicujus Principis, aut viri alioquin opulenti ædes ingredimur, aut hortos ac villas adimus, ea ſigna & picturas paſſim conſpiciamus, quæ nos dubitare plane cogant, pietas ne illic Chriſtiana, an gentium, quas appellant, ſuperſtitio colatur. Quod ſi hæc in privatorum ædibus ferenda non ſunt, quanto minus in publicis areis ac viis, atque adeo in ipſa Urbe Roma, in quam omnes omnium exterarum nationum oculi conjecti ſunt? quod quæcumque hic fieri vel vident vel audiunt, eadem ſibi licere arbitrentur. Ut non immerito exiſtimemus eadem peccata graviora eſſe, ſi a Principibus, quam ſi a privatis hominibus committantur. illi enim tanquam in Sole verſantur, & facile reperiunt, immo etiam paratos ſemper habent quamplurimos, quos exemplo ſuo corrumpant. Id quod nobis, qui in umbra propemodum delitеſcimus, minus uſu evenire conſuevit. Prudenter itaque & hæc ſanctiſſimorum Apoſtolorum ſigna columnis cochlidibus impoſita ſunt a prudentiſſimo Pontifice, & ea e Capitolii ture dejecta, quæ quaſi ex edito loco clamare videbantur, nondum impuros illos gentium Deos victos e Capitolio diſcedere voluiſſe. diſceſſerunt illi aliquando tandem, & locum, ita jubente Syxto V. Pont. Max. & acerrimo Chriſtianæ pietatis aſſertore, melioribus dederunt. quod factum cum eſſet, & pie ſancteque factum, nemo bonus negaret; remanebat in Urbe Obeliſcus, de quo ſupra copioſe locuti ſumus, ruderibus ille quidem, & ædium, quæ corruerant, parietinis & cæmentis pæne obrutus: ſed quod miraculi loco haberi debeat, nullam omnino vel barbararum nationum, quæ captam Urbem & everſam ſolo æquaverunt, & cæteros Obeliſcos humi dejectos confregerunt, vel Romanorum etiam ipſorum injuriam paſſus, aut aeris & ingruentium ventorum vi atque intemperie ulla ex parte vel exeſus vel comminutus: ut ad aliquem alicujus ætatis uſum & felicitatem conſervari videretur. at in qua Urbis parte remanebat? nempe in Vaticano, atque in ipſo Caii & Neronis Circo, quem eorum hominum, qui jam inde a Chriſtianæ pietatis initio Chriſto humanæ ſalutis auctori nomen dederant, ac datum conſtantiſſime tuebantur, ſæpe ſanguine redundantem viderat: in quo duo Imperatores, geminæ humamani generis faces, in Chriſtianum nomen ſævientes currum flagitioſiſſime agitarunt: in quo

A denique & templum Petro Apoſtolorum principi magnificentiſſimum ſit ædificatum, & ſedes ad inhabitandum ſummis Pontificibus attributa. Itaque ille quidem ſic deliteſcebat, ut & ſcelerum, quæ illic commiſſa fuerant cum plurima tum immania, recordatione & memoria quaſi lugere, & loci religionem & frequentiam perhorrere ac reformidare quodammodo videretur: mirareturque identidem ſecum, quod ſe illic tam diu eſſe cum civitas ipſa, in qua Chriſtiana pietas tanto ante tempore ſedem fixiſſet, tum Pontifices Maximi, qui relicto Cœlio Vaticanum incolebant, patienter ferrent. ac profecto non defuerunt, qui Patrum memoria ſæpe animo agitaverint, qua ratione, B quo ſumptu, quibuſque machinis tam immanis moles e ſede, in qua fuerat poſita, integra avelleretur, & in area Vaticani ſic ſtatueretur, ut auguſtiſſimi templi veſtibulum non modo ornare, ſed etiam venerari videretur. idque quo minus fecerint, cauſſam omnino fuiſſe exiſtimare poſſumus, quod partim ſumptu deterriti, partim artificum inſcitiæ diffiſi, partim temporum iniquitate impediti, atque immatura morte ſublati, vel alio animum traduxerint, & a pulcherrimi facti gloria revocaverint, vel rem pæne inchoatam perficere C non potuerint. Stabat itaque trabs illa ſaxea, quamquam obſcuro in loco, in Vaticano tamen: viſebaturque quotidie ab externis nationibus non omnino ſine Chriſtianæ pietatis detrimento: a ſacroſanctis enim altaribus ac locis pijs in ſui admirationem omnium oculos convertebat. quorum etiam plerique Cæſaris cineres venerabantur: quos in ſphæra illa inaurata, quam Obeliſco impoſitam videbant, incluſos eſſe falſo ex vulgi opinione ſibi perſuaſerant. quamobrem ne diutius cum tanto nominis Chriſtiani dedecore atque injuria tam antiquum antiquæ impietatis & flagitiorum monumentum ſupereſſet, atque ut animos hominum D potius a ſuperſtitione ad verum Dei cultum referri oportere admoneret, poſtquam ſartum tectum, ut ita loquar, ad Pontificatum ſuum perveniſſe Syxtus V. Pont. Max. animadvertit, non ille quidem evertendum & infringendum ſibi eſſe exiſtimavit, ſed e ſede avellendum ſua, & impoſita illi cruce in celeberrimo loco ſtatuendum. Atque ab hac tam laudabili cogitatione nullæ, neque rei nummariæ difficultates, quæ exhauſto penitus ærario ſummæ erant, neque incredibilis annonæ caritas, qua vehementer laborabatur, deterrere potuerunt, quominus opus tam laborioſum & a nullis antea tentatum aggrederetur. E Quamquam vulgo non deerant, qui tam grande incœptum reprehenderent, idque Veſpaſiani auctoritate tuerentur, qui artifici cuidam pollicenti ſe in Capitolium magnas quaſdam columnas exigua impenſa perducturum, reſpondit, velle ſe plebeculam paſcere. Optime ille quidem, ſi, ut Obeliſcum moliretur, in paſcenda plebe eum ſe, quem oportebat, non præſtitiſſet. Cui enim dubium eſt fuiſſe nos magnum famis periculum ſubituros, niſi Deus Opt. Max. Pontificatum huic uni detuliſſet? qua de re plura non dicam. illud dicam, quod nemo eſt qui neget; nec ulli ſcilicet F defuiſſe unquam unde ſe copioſe aleret, nec a cæteris operibus ceſſatum: in quibus præterquam quod plurimorum inopia cotidiano victu ſuſtentabatur, ingens etiam erogabatur in plebem pecuniarum vis; quod qui beneficentiſſimi Patris & liberaliſſimi Principis munus eſſe in primis neceſſarium non intelligit, is ſe aut plane malevolum, aut Reip. gubernandæ penitus imperitum fateatur neceſſe eſt. Sed quid agas? nunquam incœptis quantumvis egregiis & laudabilibus obſcuri & latentis animi obtrectatores defuerunt. oſtendit hoc

Homerus, qui Therfitem abjectiffimæ fortis hominem Agamemnoni, Neftori, Ulyffi, Achilli, & cæteris illis Græcorum principibus obloquentem facit, omnibufque contumeliofiffime maledicentem: cum tamen illi & rerum geftarum gloria illuftres effent, & prudentia, quæ in adminiftranda regendaque Rep. & virtute, quæ in bello faciendo, profligandifque hoftibus principem locum obtinet, mirabiliter excellerent. fed, ut Ulyffes Therfitem, vir fcilicet fapientiffimus hominem nequam & perditum, ita Syxtus V. Pont. Max. non quidem impacto ad illius exemplum in frontem fceptro, fed plane levato in annonæ caritate populo, & fide, quæ paffim in tanta graffatorum & latrociniorum frequentia conciderat, reftituta, malevolorum fermones compefcuit; & quod femel animo conceperat, effecit. effecit autem non quidem cum voluit, nam ad id diem Kal. XVIII. Octobris conftituerat, quo die Chriftiani homines Exaltationem Crucis celebrant, fed ante diem fextum Kal. ejufdem menfis, quod alii artificum negligentiæ, ego divinæ voluntati tribuendum cenfeo. Nam cum eo die Sol tertiam Libræ partem peragret, e figno, quod ad nos pertinet, ab- A jectiffimo, ipfe omni dignitate fpoliatus Crucem adorare fupplex & potuit & debuit in fummo illo Obelifco pofitam, quem fibi a Pherone Sefoftridis F. Heliopoli recepto vifu dicatum, deinde Augufto & Tiberio Cæfaribus Romæ a Caligula confecratum meminiffet: mirandæ fcilicet antiquitatis molem, quam tum in media Vaticani area atque ante ejus templi veftibulum, quo nullum eft in toto terrarum orbe magnificentius, ftatui, ejufque vertici Crucem imponi juffit Syxtus V. Pont. Max. ut quemadmodum depulfæ cæcitatis cauffa ab Ægyptio Rege olim ftatuta fuerat, ita in futurum diffufæ a Chrifto crucifixo evangelicæ B lucis teftis effet, & a fuperftitione hominum animos ad Chriftianæ pietatis cultum avocaret; quod quidem fapientiffimi ac fanctiffimi Pontificis, & liberaliffimi Principis factum, hujufmodi effe homines cum fateantur, ut pro tantæ fubftructionis magnificentia, & incredibili reverentia, quam adhibere par eft adverfus Deum, quamque omnibus ex afpectu ipfo incuti fibi fentiunt, nemo quantumvis eloquens laudare fatis poffit, nos pro ingenii noftri tenuitate his trimetris fumus cupide potius, quam ornate profecuti.

HAnc molem vifu (vetus eft ea fama) recepto
Sacravit Soli Solis in Urbe Phero.
Mox Urbem in mediam navi per cærula vectam
In Circo voluit Cajus effe fuo.
Poftremo Syxtus divulfam e fede priore
Hanc tulit in fedem, fuppofuitque Cruci,
Mentibus ut cæci difcant, hinc effe petendum,
Quod queat ad cælum pandere lumen., iter.

OBELISCUS

AD

LECTOREM.

OBruta ruderibus moles, Urbifque ruinis,
Stabam ego jam populo vix bene nota meo.
Nunc emota loco, cœloque invecta patenti,
Sublimen lætor vertice ferre Crucem.
Quid fim, quid fuerim, quis me fabricaverit auctor,
Si quæris; fcripta hæc qualiacunque docent.
Quæ te non aliter forfan legiffe juvabit,
Quam me animo atque oculis cernere poffe tuis.
Sed tu, five illud, five hoc facis, Uni age grates
Dic Syxto. Syxtus præftat utrumque tibi.

PETRI ANGELII BARGÆI.

AD

SYXTUM V.

PONT. MAX.

UT Pater, ut Princeps, ut fummus, Syxte. Sacerdos
Plebem alis, Urbem ornas, jufque piumque colis.
Plebs læta exultat, fe fe Urbs miratur, & uni
Relligio obftrictam fe videt effe tibi.
Ubertas frugum tectis, Fontefque, Viæque,
Templa, Obeli, Cochlides, Signa, Sacella, Cruces.
Vive Pater: vive, o Princeps; vive alme Sacerdos;
Quodque facis, populos perge beare tuos.
Sic nullos ventura fuiffe fatebitur ætas,
Aut fore, quos uni conferat aufa tibi.

PETRI ANGELII BARGÆI.

OBELISCUS PHERONIUS.

OLim Syenes arduis e montibus
Immanis, afper, & perhorridus lapis,
Urbem vetuftam vectus Heliopolim,
Sublime cæli fuftuli ad limen caput.
Sic namque juffit clara regis inclyti
Virtus Pheronis, utriufque luminis
Vifu recepto, cujus ufum amiferat
Ob numen a fe fluminis læfum: illius

Ut afferebat cæca fecli vanitas,
Secli vetusti vanitas, perennibus
Ineſſe numen arbitrantis fontibus,
Auctiſque Nili fluxibus : fed ut tamen
Phero ſuperbi filius Seſoſtridis,
Qui ſolus imperarat orbi maximo,
Jove annuente cæcitatem depulit,
Soli ſacravit lucis ipſe me patri.
At plurimarum plurimis ætatibus
Deinceps peractis gentium, per æquora
Longinqua nave providus vaſtiſſima
In Romuli altam vexit urbem Cajus
Circoque in ipſo, quem ſibi ſubſtruxerat,
Longe imminentem ludicris curulibus
Famæ dicavit Cæſarum, ſat inſcius,
Ætas futura quot viciſſitudines
Rerum pararet omnium Quiritibus.
Quas ipſe ſolus, ipſe ſolus undique
Fugi ruinis obrutus, quo ſcilicet
Non comminutus parte ab ulla, at integer
Servarer hoc ad tempus in quo Pontifex,
Quotquot fuerunt omnium vel maximus,
Ventura necnon quot videbunt ſecula,
Syxtus revulſum pertulit in aream
Late patentem. tum ferendam vertici
Crucem ſupremo fixit, ut palam foret,
Hanc eſſe ſolam, quæ Pheroni, & omnibus
Perenne lumen præfærat mortalibus.

CONQUESTIO OBELISCI,

quod a quibuſdam vocetur
Pyramis.

Cum pateam facies æquas in quattuor ; & cum
Trabs vaſta in vaſtum porrigar acta veru ;
Pyramidis contra non unus ſemper & idem
Vel laterum numerus, vel modus eſſe queat,
Nomine cur hoc me quiſquam vocat ? Illa ſepulchrum eſt ;
Donum ego ſum templis numinibuſque datum.
Illa ſuo cineres gremio complexa tuetur :
Servo ego in inciſis regia facta notis.
Ipſe uno conſto e lapide : e compluribus illa :
Illa immota manet : quo vocor, ipſe ſequor.
Finibus & quod nos certis disjungit, idemque
Haud patitur juſta lege ſubire jugum.
Turcæ illa imperium perfert ; me Syxtus ad æthram
Extulit, invictæ ſuppoſuitque Cruci.
Hinc igitur prorſus vox longe infauſta faceſſat,
Nec me, ſed tumulos vendicet illa ſibi.

PETRI ANGELII BARGÆI.

FINIS.

JOSEPHI CASTALIONIS
JURIS CONSULTI
DE
COLUMNA TRIUMPHALI
IMP. ANTONINI
COMMENTARIUS
AD SANCTISS. ET BEATISS.
D. SIXTUM V.
PONT. MAXIMUM.



COLVMNA ANTONINA

SANCTISSIMO PATRI
AC
D. N.
D. SIXTO V.
PONT. MAX.
JOSEPHUS CASTALIO.



Ici vix potest, Beatiss. Pater, quam ipse ad scribendum excitari soleam, cum aliquod opus aut vetustate deformatum instauras, aut inchoatum consummas, aut novum incredibili celeritate, & magnificentia exstruis. Sed quid ego de me loquor? quotus porro quisque est in dicendi facultate exercitatus, qui ad laudes tuas celebrandas animum non appulerit? Eos enim bonis omnibus amores tui commovisti, ut tantam virtutem, sapientiam, magnificentiam nemo tacitus suspicere ac venerari possit. Ipsa profecto Roma regio sumptu ornata, ædificiis, & aquæductu superbissimo aucta, ac prope iterum in suis collibus condita atque exædificata gratias agere tibi gestit. Equidem nuper de Imperatoris Antonini Columna commentarium concinnavi, in quo illud mihi proposui, ut quoad possem, usui essem lectoribus. Quare necesse mihi fuit nonnunquam digredi, latiusque evagari, laudare veteres auctores, corruptos restituere, obscuros illustrare, a recentioribus interdum discedere, item docere, quæ ratio fuerit columnæ triumphalis statuendæ, quid per eam denotetur, quando & quibus poni cœpta, præterea an eodem spectet arcus triumphalis, & quam vetus sit ejus usus, postremo quibus testimoniis miraculum sedatæ in Germania sitis, & victoriæ de barbaris Christianorum precibus cælesti auxilio partæ nitatur. De te vero, Beatiss. pater, & pauca, & quæ meritis tuis minime respondeant, intertexui. Nam quæ tanta dicendi vis & copia, quod inquam aureum eloquentiæ flumen esse potest, quod laudes tuas non dicendo, sed ne recensendo quidem assequi valeat? Antonini columnam rebus gestis insignem instaurasti, urbis atque adeo orbis terræ ornamentum restituisti, qui statuas, columnas, arcus & ad omnem memoriam monumenta futura jam dudum religione, justitia, fortitudine, pietate, prudentia & sanctitate meruisti. Faxit Deus, ut quæ longe etiam majora cogitatione complexus es, aliquando efficias, & nostro, id est, Ecclesiæ Catholicæ bono quam diutissime vivas. Romæ V. Kal. Octob. CIↃ IↃ XXCIX.

JOSEPHI CASTALIONIS

DE

COLUMNA TRIUMPHALI

COMMENTARIUS.



DIvino plane factum consilio videtur, ut post urbis imperiique Romani eversionem, quædam Romæ triumphantis monumenta adhuc supersint. Equidem quotiescumque columnas Trajano & Antonino optimis principibus erectas video, sic statuo C extare illas ad Sixti V. Pontificis Optimi Maximi ostendendum in Sanctos Dei cultum. Quamobrem cum superiores Pontifices, & ii, quos in Sanctorum numerum relatos accepimus, Gentilium ædibus templisque ad religionis nostræ ritus ab idolorum nefaria superstitione conversis immortalem nacti sint gloriam, quis parem Sixto V. Pont. Opt. Max. pietatem in consecrandis SS. Petro & Paulo Apostolorum principibus Imperatorum Columnis in cælum summis extollendam laudibus non censeat? Quod si magnificentissimus Princeps hoc tantum ea in re secutus videri posset, ut urbem operibus & novis exædificatis, & veteri- D bus reparatis ornatam redderet, exemplo tamen atque auctoritate religiosissimorum Imperatorum Arcadii & Honorii niteretur. *l.* III. *C. de Pag. & Sarac. Templis*. qui templorum quidem sacrificia Paganis interdixerunt, sed publicorum operum ornamenta servari, integrumque ædificiorum statum esse jusserunt. Theodoricus Gothorum in Italia Rex & ipse Christianus, multa suo aere opera Romæ restituit, ludos etiam Circenses exhibuit. Omnium ergo sermonibus Sixti V. magnificentia & pietas celebretur, atque ad omnem posteritatem doctorum hominum scriptis proferatur. Is enim Antonini Columnam cochlidem Imperatoris M. Aure- E lii rebus gestis, & Christianorum precibus victoria de Germanis parta insignem, quassatam certe incendio, & temporis injuria disruptam ingenti sumptu instauravit, Sanctoque Paulo ejus statua ex ære inaurata superimposita dedicavit. Facturus itaque operæ pretium mihi videor, si de ea Columna non nihil afferam, deque eo, quod in ipsa incisum est, miraculo testimonia diversorum scriptorum congeram. Initium autem a vetustissimo Columnarum usu in clarissimorum virorum gloriam comparato altius ducemus. Nam & rerum præclare gestarum Columnæ indices erant, & eo- F rum famam quibus dedicatæ essent, supra ceteros mortales in cælum, ut Plinius inquit *l.* XXXIV. *c.* 6. attollendam esse denotabant. Fuisse vero morem hunc longe antiquiorem, quam quidam eruditi homines putarunt, illud indicio est, quod in nummis statuas Columnis impositas est videre. Fulvius certe Ursinus vir singulari judicio, & pari bonarum litterarum cognitione, in illo suo optimæ frugis pleno de familiis Romanis libro nummos, in quibus victoria Columnæ insistens impressa est, ad Ancum Martium Regem, vel ad alium quempiam ex eadem gente, qui bene pugnavit, spectare existimat. Est & L. Minucii statua Columnæ imposita in denariis cusa, quam populus Romanus ob SP. Mælii detectum opprimendæ reipublicæ consilium & conatum ei extra portam Trigeminam statuit. Cum hujusmodi denariis faciunt, quæ Plinius commemorat *lib.* XXXIV. *cap.* 5. si recte expendantur. Non enim de statua sine Columna L. Minucii, quem C. Mænio, item C. Duilio annumerat, quibus Columnæ positæ fuerat, sed & de Columna statuam sustinente loquitur. *Item*, inquit, *L. Minucio Præfecto annonæ extra portam Trigeminam unciaria stipe collata nescio an primo honore tali a populo. antea enim a Senatu erat*. Supra de eadem re inquit *l.* XVIII. *c.* 3. *Minutius Augurinus, qui SP. Mælium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit undecimus plebis tribunus: qua de causa statua ejus extra portam Trigeminam a populo stipe collata statuta est*. Sed Livius fusius rem explicat *lib.* III. Quid quod Ennius de Scipione dixit: *Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam Columnam, quæ res tuas gestas loquatur*? Quid quod Athenienses in Ceramico iis, qui pro patria in prælio oppetiissent, Columnas cum inscriptionibus statuerunt; & Isocrati, quod eloquentiam ad nonagesimum octavum ætatis annum professus esset, statuam in Columna decreverunt? Strabone *lib.* IV. signa rerum gestarum Herculis & Liberi patris in Columnis quibusdam fuisse narrantur. Huc etiam pertinent Virgilii versus de Augusti Columnis, *l.* II. *Geor.*

Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum & navali surgentes aere Columnas.

Sed & quæ Servius super his versibus notavit, apponere molestum non est; multum enim ad rem, quam tractamus, confirmandam faciunt: *Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis quattuor effecit Columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ, quas hodieque conspicimus. Unde ait, Navali surgentes aere Columnas. Nam rostratas Bilius posuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in rostris, alteram ante Circum videmus a parte Januarum*. hæc Servius. Ceterum in Commentariis impressis non *Bilius*, sed *Julius Cæsar* mendose, in manuscriptis autem *Vilius* legitur. Omnino rectius, quod testatus est Fulvius Ursinus vir doctissimus in suis ad Servium notis. *Bilius* autem, non *Vilius* legendum est; sed quam crebro B. in V. & rursum V. in B. verti consueverit, nemo est, qui nesciat. Bilius autem is est, qui primus navali pugna Pœnos superavit, deque iis triumphum egit, quique postea Duilius appellatus est. Rostratam quoque & aliam Columnam in Capitolio fuisse, est legere in altero ex quinque

libris, qui novissime reperti ad tres Livii Decadas, ut appellant, additi sunt. Locus a Carolo Sigonio suppletus sic legitur:

Columna rostrata in Capitolio bello Punico priore posita a M. Æmilio Consule, cui collega Ser. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. hæc verba (*priore posita a M. Æmilio*) a Sigonio scite quidem interposita sunt, sed nonnulla notanda esse hoc loco mihi videntur. Primum quod de Columna rostrata in Capitolio nusquam fieri mentionem video, eoque argumento in primis adducor, ut locum suspectum esse credam, quod Plinius, dum singula diligenter recenset, hanc Columnam silentio præterit. Deinde quod in Capitolinis Consulum tabulis prior consul est Ser. Fulvius, idemque ordo servatus est in triumphis. M. quidem Æmilius XII. Kal. Febr. triumphum egit, pridie vero Ser. Fulvius triumphaverat. nam anno ab Urbe condita CD. XC. II. X. ambo cum essent Consules, Pœnos navali prælio vicerunt, iidem anno sequenti Proconsules in Urbem triumphali curru invecti sunt. Verum quo res testatior sit, quæ in tabulis Capitolinis de amborum triumpho leguntur, adscribam:

SER. FVLVIVS. M. F. M. N. PAETINVS. A. CDX
NOBILIOR. PRO. COS. DE. COSSVRENSIB.
ET. POENEIS. NAVALEM. EGIT. XIII. K. FEBR.
M. AEMILIVS. M. F. L. N. PAVLVS. AN. CDXCIX.
PRO. COS. DE. COSSVRENSIBVS. ET. POENEIS
NAVALEM. EGIT. XII. K. FEBR.

Eosdem Consules Pœnorum classem in potestatem redegisse auctor est Polybius, triumphasse vero de Carthaginiensibus Capitolinæ tabulæ. de Columna rostrata ne verbum quidem. Quod si ambo Consules cum hostibus pugnarunt, ambo hostium naves depresserunt, reliquas ceperunt, ambo triumphum de iisdem consecuti sunt, cur ad alterum Consulem Columna, & non ad utrumque pertinet? præsertim cum triumphi honor unius diei brevissimo spatio contineatur, Columnæ vero memoria perpetua sit. Præterea M. Æmilius Ser. Fulvio contra Verrii Flacci testimonium præfertur. Qui denique fieri potuit, ut Columnam statuerit Æmilius Consul, qui Proconsul triumphavit? Hæc me in suspicionem induxerunt, ut locum esse adhuc corruptum, ne dicam adulterinum, arbitrarer. Verum eruditiores hoc viderint. Longe autem omnium vetustissimum est, quod de C. Mænii statua in Columna Plinius ita meminit *l.* XXXIV. *cap.* V. *Celebratio antiquior Columnarum, sicut C. Mænio qui devicerat priscos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ populus Romanus præstabat, eodemque in consulatu in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat anno Urbis* CDXVI. *item C. Duilio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis; quæ est etiam nunc in foro.* Numerus a Plinio proditus *lib.* VIII. ut hoc etiam addamus, anno videtur redundare, si Capitolinis lapidibus fides habetur. Livius de Columna nullum verbum, sed statuas equestres L. Furio Camillo & C. Mænio raram illa ætate rem in foro positas fuisse narrat. Crediderim hoc datum alteri Consuli Mænio, qui suis auspiciis Antiates bello navali potentes subjugavit, neque hoc commune cum collega habuit. Fuisse autem maxime gloriosam hanc de Antiatibus victoriam non solum ipsi Mænio, verum etiam populo Romano ex eo colligi potest, quod paulo infra Livius dicit rostris navium Antiatium suggestum in foro exstructum, & adornatum, rostraque id *templum* appellatum fuisse. Quare factum est, ut soli C. Mænio, non item collegæ Furio Columnæ honos decretus sit.

A nam & dispar etiam triumphus actus est, quod ex hoc Verrii Flacci testimonio confirmatur:

L. FVRIVS. SP. F. M. N. CAMILLVS. COS. ANN. CDXV.
DE. PEDANEIS. ET. TIBVRTIBVS. IIII. K. OCT.
C. MAENIVS. P. F. P. N. COS. DE. ANTIATIBVS. AN. CDXV.
LAVINIEIS. VELITERNEIS. PRIDIE. K. OCT.

Porro sibilis explodendum est, quod quidam putant hanc esse eam Columnam, quæ Menia dicta est, & ad quam fontes cædebantur, idque vel ex ipso sæculorum intervallo falsum esse cognoscitur. fuit enim C. Mænio posita Columna anno CDXV. iste vero Menius Columnam in venditione domus sibi
B reservavit anno DLXIX. L. Valerio Flacco & M. Porcio Catone Censoribus. Quod Asconius Pedianus sic docet: *Menius cum domum suam venderet Catoni & Flacco Censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius Columnæ, super quam tectum projiceret provolantibus tabulatis, unde ipse & posteri ejus spectare munus gladiatorum possent: quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur Columna Menia vocitata est.* hæc Pedianus ad illum Ciceronis locum in Divinatione: *Vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi caussam præripere conemini potius, quam aliquos a Columna Menia vestri ordinis*
C *reos reperiatis.*

De eadem Columna Menia intellexisse M. Cicero videtur in Cluentiana, qui sic inquit: *Manilium plerique noratis. non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non ullum existimationis bonæ fructum umquam cogitarat, sed ex petulanti atque improbo scurra in discordiis civitatis ad eam Columnam, ad quam multorum sæpe conviciis perductus erat, tum suffragiis populi pervenerat.* Non est etiam alienum a proposito nostro, quæ de Cæsaris Columna scripta sunt recensere. Suetonius in Cæsare: *Plebs statim a funere ad domum Bruti & Cassii cum facibus tendit, atque ægre repulsa obvium sibi*
D *Helvium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius esset is, quem graviter pridie concionatum de Cæsare requirebat, occidit, caputque præfixum ejus hastæ circumtulit. Postea solidam Columnam prope* XX. *pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque Parenti patriæ. Apud eamdem longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveravit.* Lactantius Firmianus eamdem Columnam fuisse a Dolabella sublatam testatur his verbis: *Quod si Consul non fuisset Antonius, C. Cæsar pro suis in rempub. meritis & defuncti hominis honore caruisset, & quidem consilio Pisonis soceri & L. Cæ-*
E *saris propinqui, qui vetabat funus fieri, & Dolabellæ Consulis qui Columnam in foro, id est, titulum ejus evertit, ac forum expiavit.* Sed ante Lactantium Cicero, qui iis rebus interfuit, ad Atticum hæc scripsit: *O mirificum Dolabellam meum. jam enim dico meum, antea (crede mibi) subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res babet de saxo, in crucem, Columnam tollere, locum illum sternendum locare. Quid quæris? Heroica sustulisse mibi videtur simulationem desiderii adbuc quæ serpebat in dies, & inveterata verebar ne periculosa nostris tyrannoctonis esset.* Et Philippica prima initio: *A-*
F *lia porro propria Dolabellæ, quæ, nisi collega abfuisset, credo ei fuissent futura communia. nam cum serperet in urbe infinitum malum idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, & quotidie magis magisque perditi homines cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellæ cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros & nefarios liberos, talisque eversio illius execratæ Columnæ, ut mirum mibi videatur, tam valde reliquum tem-*

pus ab illo uno die dissensisse. Joannes Baptista Pius, qui commentarios in Epistolas ad Atticum patrum memoria scripsit, lapsus est, cum explicaret locum illum *de Saxo, in crucem*. sic enim interpretatus est, ut plurimum laborasse atque insudasse ex multiplici expositione, & rerum nihil ad id, de quo agitur, pertinentium coacervatione cognosci possit. *de Saxo* (inquit) *in crucem, hoc est, de malo in pejus*. Sed cum intelligeret esse nonnullos, qui saxum illud Tarpejum esse contenderent, ex quo Rei majestatis devolvebantur, plurimum hæsitans sententiam contra priorem explicationem tulit his verbis: *Sed hoc erat de maximo in minus malum*. Quare nova quædam somniavit a re prorsus aliena. Non habebat Pius distincta suppliciorum genera, & personarum status, ex quo factum est, ut de saxo præcipitari esse longe gravius quam in crucem tolli opinaretur. Atqui servis crux erat statuta, liberis saxum Capitolinum. Sed quoniam & servi & liberi multa seditiose Cæsaris desiderio, & scelerate admiserant, Dolabella Consul liberos de saxo præcipitavit, Servos in crucem sustulit, cavitque, ne quis tale quid in posterum auderet proposita cruce vel saxo, ut ipse Cicero in epistola sequenti scriptum reliquit. Poterat hujus rei admoneri Pius, si Ciceronis & Suetonii locos contulisset, ut nos fecimus. Nunc res postulat, ut quando Columnarum usum antiquissimum esse multis auctoribus probavimus, disputandum etiam sit, utrum Arcus sit novitium inventum, quod Plinius inquit, ut idem significaret quod Columna; an vero & veteres quoque in eorum gloriam, a quibus respublica bene gesta esset, tale quid erexerint. Equidem ut in eorum sententiam, qui fornices apud priscos fuisse contendunt, pedibus eam, faciunt auctorum testimonia infra scripta. Livius *l.* XXXIII. fere initio: *L. Stertinius ex ulteriore Hispania ne tentata quidem triumphi spe quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem, & matris Matutæ, unum in Maximo circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit* CCLXIII. & lib. XXXVII. initio: *P. Cornelius Scipio Africanus, priusquam proficisceretur, fornicem in Capitolio adversus viam, qua in Capitolium ascenditur, cum signis septem auratis duobus equis, & marmorea duo labra ante fornicem posuit*. & Cicero pro Planco: *Equidem si quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuso qui est in summa Sacra via, cum ego ad Fabium fornicem impellor, sed eum qui in meipsum incurrit atque incidit*. Idem in Verrem: *Videt ad ipsum fornicem Fabianum in turba Verrem*. ad quem locum Asconius Pedianus hæc scripsit: *Fornix Fabianus arcus est juxta regiam in Sacra via a Fabio Censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est*. de hoc Fabio quæ Plinius memoriæ commendavit, non alienum est appingere *libro* VII. *cap.* 5. *Q. Fabius maximus Cos. apud flumen Isarum prælio commisso adversus Allobrogum Arvenorumque gentes ad sextum idus Augustas* CXXXM. *perduellium cæsis febri quartana liberatus est in acie*. hæc Plinius. Ceterum fornices Diis, ut infra dicemus, Duces excitarunt, Arcus vero a S. P. Q. R. Imperatori Augusto primum, quod sciam, statuti sunt. sic enim locus Plinii defendi potest, qui inquit *l.* XXXIV. *c.* 6. *Columnarum ratio erat attolli supra ceteros mortales, quod & arcus significant novitio invento*. alioquin falsus esset Plinius. Id ita interpretamur fuisse quidem primis reip. temporibus fornices, ut ex supra scriptis auctorum locis docuimus, sed non fuisse arcus triumphales, neque in hunc usum. Quam vero secus Antiquarii & in primis Marlianus hac de re differat, videndum esse arbitror. Contendunt isti fuisse Arcus antiquiores ipsa rep. quippe quos Romulo, Horatio Cocliti, & Camillo factos dicant, & Juvenalis Satyræ 3. initio,

Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam,

suo arbitratu explicant *arcus Romuli*. Quod etiam opinatur Johannes Britannicus Juvenalis commentator, qui addit, posse fieri ut intelligantur Arcus tergeminorum Horatiorum, meræ nugæ. His testimoniis cum credant se fidem fecisse, Arcus esse inventum vetustissimum, conenturque Plinium contradicentem interpretari, in errorem incidunt. quippe qui opinentur Arcus ex marmore factos simulacris devictarum gentium magnificentissime ornatos extremis reip. temporibus fieri cœptos esse, & ob id *novitios* a Plinio appellatos. Ex hoc efficitur id, quo nihil absurdius dici potest, ut contra Dialecticorum regulas plus & minus faciat differre specie. nam cum Plinius dicat Arcus significare æque ac Columnas, idque novitio invento, fateamur necesse est, paucis ante Plinii memoriam annis Arcus exstrui Imperatoribus, aut Triumphalibus viris cœptos esse. Si enim illud datur, ut sicut Columnæ, ita Arcus a veteribus ob res præclare gestas ponerentur, continuo sequatur necesse est absurdum illud, quod paulo supra diximus, Arcus ornatos denotare excellentem alicujus virtutem: inornatos vero non habere hanc vim. Sed isti non vident, in quem nodum se induerunt, inde explicari se minime posse. Quid si ita quis dicat: Domus quæ non sit suffulta ingentibus columnis, non est domus. quis non videat idem dici posse de Columnis triumphalibus antiquis? Minus enim triumphales erunt, quæ non ad eam altitudinem perductæ sunt, neque tot, tantisque rerum simulacris circumquaque refertæ, ut sunt, quas Trajano & Antonino dedicatas hodie quoque videmus. Quare aut Plinius, ut dixi, falsus est, vel locus mendosus, aut alio confugiendum est. Ego quæstionem hanc posse definiri sic censeo, si contra istorum opinionem Arcus fuisse vel penitus negemus, vel non in hunc usum comparatos dicamus. Nam quæ supra de fornicibus ex Livio & Cicerone protulimus, eo pertinent, ut cuivis facile persuaderi possit, fornices aut ab iis ipsis, qui ex provinciis reversi essent, aut ab iis qui in provincias proficiscerentur, religionis ergo exstructos fuisse. Arcus vero triumphales a S. P. Q. R. in alicujus gloriam ob ejus in remp. merita excitatos videmus, vel legimus. Id quod ante Augusti tempora contigit, quod sciam, nemini. Itaque Plinius vere dicit hujusmodi honoris rationem initam esse novissime. De Germanici Arcu sic Cornelius Tacitus *lib.* II. *Annal. Fine anni Arcus propter ædem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, & ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar Dictator Populo Romano legaverat, sacrarium gentis Juliæ, effigiesque Divo Augusto apud Bovillas dicantur*. Infra de arcu Drusi: *Simul nuntiato regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum decrevere Patres, ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. structi & arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Cæsarum lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset*. Suetonius quoque de hoc Drusi arcu in Claudio sic: *Præterea Senatus inter alia complura marmoreum Arcum cum tropæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipsi, posterisque ejus*. Est & Neronis arcus mentio apud Tacitum annalium XIII. *Ob hæc consalutatus Imperator Nero, & Senatusconsulto supplicationes habitæ, statuæque & arcus & continui consulatus principi*.

Ceterum omissa de triumphali arcu quæstione, ad Columnas redeo. Est apud me nummus argenteus, cujus in altera parte est Vespasiani effigies optime expressa, & in orbem litteris ductis, *Divus Augustus Vespasianus*. in altera vero parte Columna est cum urna superimposita, clypeo, quod Imperatoribus dedicari solebat infra medium appenso, utrinque ramis laureis statutis, & litteris adjectis, quæ indicant Vespasiano talem honorem ex Senatusconsulto habitum. Longum facerem, si hujus generis singula persequi vellem, quæ Imperatoribus a Senatu decreta sunt. Non possum sine gravissimo scelere silentio præterire duas illas immanes Columnas, Trajano alteram, Antonino alteram dedicatas, quæ non solum Urbi Romæ, sed Orbi terrarum ornamento sunt, ac pro miraculo unico hodie spectantur. Sunt enim altitudinis admirandæ, & circumquaque ab imo ad summum rebus gestis insculptis ornatæ. Introrsum vero ascensum ad fastigium usque per gradus in gyrum ductos instar excelsissimæ turris facile præbent. Antonini Columna (nam de altera alius dabitur dicendi locus) erat valde confracta & multis in locis non rimas modo, verum & fenestras amplissimas, vel potius portas discussis marmoribus duxerat. Quare ad ejus fastigium pervenire licebat nemini. Eam Sixtus V. Pont. Opt. Max. qui justitia, religione, prudentia ceteros, se ipsum ædificandi magnificentia superavit, luxatam commisit, collabentem firmavit, fœde hiantem obstruxit, restituit, ornavit. Nos ad ejus cacumen multoties ascendimus, S. Pauli imaginem venerabundi propius adoravimus, totam urbem summa cum voluptate de loco editissimo circumspeximus, gradus numeravimus, & fenestellas, quæ luminibus intromittendis deserviunt. In graduum numero prodendo corrupti sunt Rufi & Victoris libri. Antiquarii falsi. Nos centum & nonaginta esse deprehendimus. Fenestellas vero 41. Marcus Aurelius hanc Columnam, in qua expeditiones suas cælavit, Antonino patri dedicavit. Hactenus de Columnis. Nunc ad insignem illam de Quadis Sarmatisque victoriam in eadem Columna expressam, quam M. Aurelius Christianorum beneficio consequutus est, veniamus. Quartam adversus Christianos persequutionem exercuit M. Aurelius. Quamobrem in Imperium Romanum iram Dei provocavit, quo factum est, ut continuo immissa pestis adeo per Italiam & Provincias sævierit, ut urbes civibus orbæ, & agri colonis exhausti solitudinis vastissimæ similes redderentur. Exercitus quoque ea lues delevit & absumpsit. Hac necessitate impulsus Aurelius ingruente bello Marcomannico novos delectus habuit, sine ullo status, nationis, cultus, aut professionis discrimine, ut scribit Capitolinus. Nam servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, tantusque timor belli Marcomannici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus imploraverit. Hæc sane potissima fuit causa, quamobrem & Christiani in exercitu Imperatoris M. Aurelii fuerint, & eorum persequutio refrixerit *§. fin. l. Generaliter. ff. de Decur.* Mirari satis non possum quosdam ad Tertullianum & Nicephorum allegare Ulpianum *lib.3. de off. proconsf.* Unde M. Aurelii Augusti in Christianos benignitatem & gratitudinem intelligi posse opinentur. Sed istis facile Alciati nostri viri eruditissimi auctoritas imposuit. Is enim dispunctionum *libro* III. *cap.*8. præclare multa colligit, & vere disputat de hoc Christianorum adversus Germanos miraculo. Verum in duo incidit errata. Alterum est, quod verba legis non mendosa emendandi studio corrumpit. Alterum quod interpretatur Judaicam superstitionem Christianam, idque molitus est, ut Accursium & Bartolum contrariis legibus laborantes, ut ipsemet testatur, levaret. Erit operæ prætium, opinor, legem apponere, ut in pand. Flor. est legere: *Eis, qui Judaicam superstitionem sequuntur, D. Severus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent*. Hæc sunt legis verba. Nunc ut ipse quid sentiam, eloquar, converso ordine disputationem aggrediar. Modestinus videtur *l. Spadonem. ff. de Exc. tut.* hanc legem in Judæos tantum, non in Christianos latam esse interpretari his verbis: *Jam vero Judæi quoque non Judæorum tutores erunt, quemadmodum cetera munera subeunt. namque ea constitutione solutos esse volunt solum illis rebus, per quas superstitio eorum pollui videatur*. ex iis Modestini verbis declaratur Ulpiani responsum, *sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent*. Id est, omnia a Judæis obiri munera Imperatores voluerunt, præter ea, quæ eorum cultum inquinarent. Nunc venio, quod prius fuerat propositum, ut doceam corruptum fuisse legis textum ab Alciato. Nam is quo facilius probaret a Divis fratribus constitutionem ejus emanasse in Christianorum favorem, ex *Severo* fecit *Verum* dispunctis duabus primoribus litteris contra fidem manuscriptorum codicum, atque adeo contra ordinis rationem. Quis enim ita dixerit, ut qui primus renuntiatus sit in Comitiis Consul, post alterum perverse eum enunciet? Quis non scribat *Cicerone & Antonio Coss.* potius quam *Antonio & Cicerone Coss.* Quis est, qui ab Imp. Mar. Aurelio L. Verum fratrem in Imperii æqualem potestatem cooptatum fuisse, cum sciat, Aurelium Vero præponendum esse non judicet, perinde ac Severus pater Antonino filio præponitur? Quando igitur non rectus servatus est ordo, & manuscripti libri reclamant, restituantur duæ illæ principes literæ, quas Alciatus expunxit, & ex *Vero* iterum fiat *Severus*. Illud quod argumento est, & quidem firmissimo, non fuisse prorsus hanc legem, ut isti cum Alciato volunt, a Divis fratribus compositam, quod L. Verus multis ante annis, quam insignem illam victoriam de Germanis Christianorum precibus Imp. M. Aurelius consecutus esset, decesserat. Quamobrem concludamus, nihil ad hoc miraculum, neque ad Christianos eam legem pertinere, quæ de Judæis tantum loquitur, & in Judæorum gratiam conscripta est a L. Septimio Severo & Antonino filio Augustis, quorum nomina simul incisa in marmore ad S. Marcum sic leguntur:

IMPP. CAESS. SEVERVS. ET. ANT. . . . .

Ad legem vero ultimam C. de Judæis, quæ huic contraria est, ac Judæis dignitatibus honoribusque interdicit, respondemus Accursium tuentes, non esse adeo novum, aut insolens per novissimas leges superiores corrigi. Huc accedit, quod non solum ab Impp. Paganis permissum fuerat Judæis honores gerere, verum etiam ab ipsis Impp. Christianis, & quidem religiosissimis multa eis vel concessa, vel confirmata privilegia in Codice Theodosiano leguntur. Arcadius & Honorius militiam tantum Judæis ademerunt. Theodosius autem junior, & Valentinianus piissimi Principes, severiores in Paganos & Judæos leges tulerunt, Judæosque ab honoribus repulerunt: *Ne* (ut verba legis ult. C. de Judæis usurpem) *acquisiti sibi officii auctoritate muniti adversus Christianos, & ipsos plerumque sacræ religionis antistites veluti insultantes Fidei nostræ judicandi vel pronunciandi quamlibet habeant potestatem*. Quod igitur Judæis Severus & Antoninus dederunt, Theodosius & Valentinia-

nus ademerunt eadem de causa, ob quam a publicis officiis Judæos Concilium Toletanum quartum summovit, 17. *q.4. C. constituit.* Nam quantum Judæi non solum in provinciis, verum etiam in Italia paulo ante Theodosii & Valentiniani tempora potuerint, vel ex Rutilii Numatiani, quem superioribus annis emendatum atque adnotationibus illustratum edidimus, versibus infra scriptis intelligi facile potest.

Sed male pensavit requiem stationis amœnæ
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Judæus agebat,
Humanis Animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
Damnaque libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus obscænæ convicia debita genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit.
Radix stultitiæ, cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius relligione sua est.
Septima quæque dies turpi damnata veterno
Tamquam lassati mollis imago Dei.
Cetera mendacis deliramenta catastæ
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam numquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis, Imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Tempus est, ut auctorum testimonia, quod initio proposui, de cælesti illo contra barbaros auxilio a Christianis implorato, atque impetrato congeramus. Tertullianus ordinem ducat. Is in Apologetico *c.5.* sic: *Ceterum de tot exinde Principibus usque ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos e contrario edimus protectorem, si litteræ M. Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit adjecta etiam accusationis damnatione & quidem tetriore.* Eusebius in Chronicis: *Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus bellis sæpe ipse intererat, sæpe duces nobilissimos destinabat, in quibus semel pertinaciter exercitui qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso pluvia divinitus missa est; cum e contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant litteræ M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Idem lib.v. hist. Ecclesiast. c.5. *Igitur Antonini temporibus, quibus hæc gesta referuntur, M. Aurelium fratrem ejus Cæsarem bella inferentem Germanis & Sarmatis tradunt historiæ, cum siti ejus periclitaretur exercitus, æstuantem & quærentem quid facto opus esset, reperisse quosdam milites Christianos, quibus, ut nostris mos est, flexis genibus deprecantibus exaudisse Deum deprecationes eorum. Et subito contra omnium spem largissimis imbribus profusis exercitus quidem periclitantis, pro quo oraverant Christiani, sitim sedatam; hostes vero, qui jam exitialiter imminebant, fulminibus crebris & cœlitus prolapsis ignibus effugatos. Quod factum refertur quidem & ab historicis Gentilium. Sed quia nostrorum orationibus impetratum sit, non refertur. Quippe apud quos etiam cetera miracula, quæ a nostris gesta sunt, non habent fidem. Nostrorum vero & Tertullianus hoc memorat, & apud Græcos Apollinaris, qui etiam ipsam legionem pro insignis facti miraculo mutato nomine vocitatam dicit ab Imperatore* Fulmineam. *Tertullianus vero M. Imperatoris epistolas etiam nunc haberi dicit, quibus de his apertius indicatur.* lib.IV. cap.12. Nice-

A phorus de hac ipsa re sic scribit: *Cum M. Antoninus bellum contra Germanos & Sarmatas gereret aciemque adversus hostes strueret, exercitum ejus omnem propter sitim gravem & diuturnam, ad rerum omnium inopiam & desperationem pervenisse, ac legionem nostram in genua more nostro procubuisse precantem atque Dei opem implorantem: eamque rem ut novam & insolitam hostibus terrorem ingentem incussisse, atque illis ad eum modum orantibus aliud insuper majus præter opinionem & expectationem accidisse. Cum enim frequentibus fulminum ictibus hostes pulsos, tum quod ea sunt subsecuti multa densorum imbrium in exercitum jam jam siti & aquæ penuria interiturum recreatum & restitutum esse.* B *Tam efficaces scilicet nostrorum fuisse preces. Hanc rem profani etiam historici tradidere, qui de Romanis Imp. scripserunt: non illi quidem precibus nostrorum miracula tanta adscribentes (quomodo enim id facerent, qui alieni prorsus a nobis sunt animis?) sed qui partium nostrarum sunt aut nobis favent nulla depravati affectione simpliciter & vere hominibus id factum nostris tribuunt. Ex quibus Apollinaris memoriæ mandavit Imperatorem statuisse, ut legio ea, quæ ex Christianis constaret militibus, prærogativa quadam principem in exercitu obtineret locum aliisque semper præiret copiis. Cui idem* C *etiam Imperator nomen* Ceraunoboli, *hoc est,* Fulminatricis *imposuit.* & quæ sequuntur. Paulus etiam Orosius ejus rei ita meminit *libro* VII. *cap.9. Hoc quidem bellum providentia Dei administratum esse cum plurimis argumentis, tum præcipue epistola gravissimi ac modestissimi Imperatoris altissime declaratum est. Nam cum insurrexissent gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis pæne Germania, & in Quadorum usque fines progressus exercitus, circumventusque ab hostibus propter aquarum penuriam: potius sitis quam hostis periculum sustineret, ad invocationem nominis Chri-* D *sti, quam subito magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palam fecerant, tanta vis pluviæ effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine injuria refecerit: Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes gloriosissimam victoriam, & omnibus pæne antiquorum titulis præferendam rudi parvoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio reportarunt. Extare etiam apud plerosque dicuntur litteræ Imp. Antonini, quibus sub invocatione nominis Christi per milites Christianos & sitim illam expulsam & collatam fatetur fuisse victo-* E *riam.* Julius Capitolinus in M. Aurelio: *Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit suis pluvia impetrata, qui siti laborarent.* Loquitur Capitolinus de Imp. M. Aurelio, cui cœleste auxilium acceptum refert, homo nimirum Gentilis & a religione nostra prorsus abhorrens Imperatori nihil tale agnoscenti blandiri maluit, quam secundum Christianos pronuntiare. Longe gravius peccatum est ab ejusdem farinæ homine Dione in Marci vita, qui M. Aurelium Arnuphis Magi nescio cujus opera ad pluviam eliciendam usum esse comminiscitur. sed a Xiphilino reprehenditur: *Posthæc,* inquit, *bellum cum aere, præliumque magnum cum iis* F *qui Quadi appellantur, fuit. Quo ex bello victoria præter spem vel potius Dei beneficio consequuta est, propterea quod Romani, cum essent in prælio atque in maximum periculum venissent, mirabiliter sane ac divinitus conservati sunt. Cum enim interclusi a Quadis in locis oportunis conferti pugnarent fortiter, atque interim Barbari differrent prælium, sperantes eos calore & siti perituros, quos circum occupatis locis omnibus sic concluserant (erant enim multo plures) ut aquam habere nullo pacto possent: cumque Romani*

A *mani in tantas difficultates incurrissent, ut morbo, vulneribus, ardore solis, ac siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent aut alio secedere, sed in acie stantes atque in locis constitutis arderent, nubes derepente ita coactæ sunt, ut maximus imber aquæ ceciderit non sine Dei beneficio. Fama est Arnuphim Magum Ægyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium illum qui est in aere aliosque dæmonas quibusdam artibus Magicis invocavisse ac per eos pluviam extorsisse.* Hæc quidem a Dione dicuntur. Sed is mihi mentiri videtur volens an invitus nescio. Volentem magis arbitror, cum non ignoret legionem, quæ *Fulminatrix* appellatur pro-
B prio nomine (ejus enim mentionem facit in recensione ceterarum) ex nulla alia caussa (neque enim alia circumfertur) quam ex ea quæ in eo bello accidit, id nomen accepisse, quæ jam etiam tunc Romanis saluti, Barbaris exitio fuit. Non enim Arnuphis Magus erat, cum nusquam memoriæ proditum sit, Marcum Magorum societate aut præstigiis fuisse delectatum. Quod igitur in hac re dico, tale est: Cum Marcus legionem unam haberet ex militibus Melitenis (hi omnes Christum colunt) ad eum Præfectus prætorianorum venit,
C nescientem in illo prælio quid consilii caperet, timentemque toti exercitui; eique fertur dixisse, nihil esse quod ii qui Christiani nominentur, precibus impetrare non possint, esseque legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Qua re cognita Marcum ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent. Quod cum fecissent, Deum eos exaudisse subito, percussisseque hostes fulmine, ac Romanos pluvia recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum edicto Christianos honore affecisse, ipsamque legionem *Fulminatricem* appellasse: atque iis de rebus epistola Marci extare dicitur. Græci qui-
D dem sciunt eam legionem κεραυνοβόλον appellari, ejusque rei testes sunt: caussam vero cur ita appellata sit, non dicunt. Dion addit, *Romanos cum plurimum pluviæ caderet, omnes suspexisse in cœlum, eamque in ora recepisse, deinde scutis galeisque subjectis inde sorbsisse largiter, equisque ad bibendum dedisse: cumque Barbari in ipsos impetum facerent, bibentes simul pugnasse, compluresque saucios sanguinem infusum in galeas simul cum aqua absorbuisse. Hi propterea gravia damna accepissent urgentibus hostibus, quod magna ex parte in bibendo erant occupati, nisi vehemens grando, compluraque fulmina in hostes cecidissent. Itaque licebat videre in eodem loco aquam ignemque simul de cœlo ca-*
E *dere, atque ob eam caussam valere alios, & bibere, exurique alios, ac prorsus interire. Non enim ignis attingebat Romanos. Quod si forte interdum cum eis misceretur, extinguebatur subito. Neque imber juvabat Barbaros, sed non secus inflammabat atque oleum, ita ut aquam requirerent pluvia perfusi, infligerentque sibi vulnera, quo ignem sanguine restinguerent. Pars confugiebat ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset, ita ut eorum Marcus etiam misertus sit: eoque facto a militibus septimum Imperator appellatur. Quod etsi admittere non consueverat, priusquam esset decretum a Sena-*
F *tu, tamen non repudiavit, quasi id divinitus acciperet. de quo etiam ad Senatum scripsit. Faustina quoque mater exercituum appellate est.*

Hæc Dio & Dionis reprehensor Xiphilinus. Erat plane consuetudo, ut quæcunque Christiani Deum pro Populo Romano exorassent, ea Diis Gentilium accepta referrentur. Qua de re sic Tertullianus in Apolog. cap. 40. *Nudipedalia Populo denuntiatis. Cælum apud Capitolium quæritis: Nubila de laquearibus expectatis aversi ab ipso & Deo & Cælo. Nos vero jejuniis aridi & omnium continentia expersi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere voluntates invidia cælum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Juppiter honoratur.*

Plures fortasse quam necesse fuerat, Auctores laudavimus. Reliquum est, ut M. Antonini celebratissimæ illius epistolæ, quæ ad Justini Martyris librum extremum adjecta in Bibliotheca Vaticana servatur, exemplum subjiciamus.

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS AVGVSTVS. PARTHICVS. GERMANICVS SARMATICVS. PONTIFEX. MAXIMVS TRIBVNCIAE. POTESTATIS. XXVIII IMP. VII. COS. III. PATER. PATRIAE PRO. COS. S. P. Q. R.

S. D.

Certiores vos feci de consilii propositique magnitudine, & quæ in Germania mihi in discrimine atque obsidione alia ex aliis inciderunt, quum in ejus medio labore atque æstu confectus fuissem. Sane dum Carnuti essem, speculatores nobis indicarunt LXXIIII. *hostium dracones prope nos novem millibus adesse. Idemque Pompejanus quem bello ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus, renuntiavit. Cumque in nostrorum militum exercitu haberemus tantum legiones primam Geminam, & decimam Fretensem, hostium vero* DCCCC. & LXXXVII∞. *essent, measque ipsius copias cum ingenti barbarorum atque hostium exercitu comparassem, deos patrios votis susceptis rogavi. Sed quum ab eis negligerer neque ab hostibus premi animadverterem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Christiani dicuntur, accersivi, ac rogavi, invenique magnam eorum multitudinem, illosque minis compuli; quod minime decuerat, propterea quod postea illorum vim ac potestatem cognovi. Itaque non ad telorum præparationem, non ad armorum neque ad tubarum usum se contulerunt. Hoc enim illis facere Dei causa & nomine, quem in conscientia gestant, consuetum non est. Æquum igitur est, ut quos impios esse & a Deo alienos opinabamur, eos existimemus Deo munitos esse. Cum enim se humi projecissent, non solum precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis ac sitis qua urgebamur remedium aliquod adferretur: quinque enim diebus aquam non sumpseramus, quod ea non suppeteret. Eramus enim in media Germania montibus undique conclusi. Simul autem atque sese humi abjecerunt, ac Deum illum precati sunt quem ego ignorabam, statim e cælo pluvia delapsa est in nos quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grando ignis specie ac similitudine & fulmina; eorumque orationibus ac precibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci neque expugnari potest. Quamobrem illinc exorsi concedamus talibus, ut sint Christiani, nequa arma ejus generis contra nos petant, & impetrent. Censeo autem neminem, quod Christianus sit, esse in crimen & in judicium vocandum. Quod siquis inventus fuerit, crimini dare cupiam, quod Christianus sit, ei quidem, qui in crimen vocatur, manifestum fieri volo nihil aliud objectum esse quam quod Christianus tantum est; eum autem qui Christianum accusavit, vivum exuri. Illum vero qui Christianum se esse professus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei credebatur, liberatum, is, cui provincia commissa est, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem S. C. etiam sanciri volo, atque hoc meum edictum in foro Divi Trajani proponi, ut legi possit. Curæ autem erit Vitrasio Pollioni Præfecto urbis, ut ad omnes Provincias hæc constitutio mittatur, neque quisquam qui eam exscribere vel ipsa uti voluerit, probibeatur. Valete.*

Hæc habui quæ de Triumphalis Columnæ ratione dicerem, & de miraculo Germanicæ sitis discussæ gravissimorum scriptorum testimonio collige-

rem ad Imperatoris Antonini Columnam a Sanctissimo D. N. D. SYXTO V. Pont. omnium qui fuerunt, erunt maximo restitutam & S. Paulo dedicatam. Qua in re hoc tantum secutum esse me vere profiteor, ut optimi Principis religionem magnificentiamque pro ingenii mei tenuitate ad exteras nationes, posterosque proferrem, atque una eademque opera cupidæ antiquitatis cognoscendæ juventuti prodessem. Quod utrum assecutus sim, nescio. Illud certo scio me ad hæc scribenda officio & pietate adductum, nihil præterea spectasse. Huc etiam pertinet adjecta Elegia, quam & religionis nostræ amore incensus, & optimi Principis justitia incitatus composui.

AD S. D. N. D. SIXTUM V. PONT. MAX. JOSEPHI CASTALIONIS ELEGIA.



Quam bene junguntur discordia semina rerum,
Subsidio CHRISTUS *dum venit ipse suis.*
Nubibus ex iisdem prorumpit & ignis & imber,
Atque novum fœdus flamma latexque ferit.
Nihil nocet ignis aquæ, pluvia non pellitur ignis;
Sed gelidis vires flamma resumit aquis.
Romanos largus sitientes recreat imber:
Agmina Quadorum fulmine tacta cadunt.
Barbarus ipse nequit restinguere fontibus ignem:
Pectora inexhausto rore Latina madent.
Hoc Pater omnipotens precibus legionis amicæ
Præbuit, & Marci signa levavit ope:
Cum premeret nostros positis Germania castris,
Aridaque arcerent omnibus ora vadis.
Tale quid Italiæ qui te præstare fatentur,
Signum insigne tuum, maxime SYXTE, *notant.*
Monte Leo insistens alto micat igne trisulco
Subjectas valles, ac loca cuncta tuens.
Hinc placido pecori lætissima pabula præbet,
Hinc jacit in rabidos fulmina crebra lupos.
Scilicet Ausonias componis legibus urbes,
Supplicio sontes tollis, honores bonos.
Pax colitur, pœnas damnata licentia pendit.
Jure agitur. Latio vis procul omnis abest.
Vive, vale, longumque tuis, Pater optime, terris,
Consule, & Hesperiis aurea sæcla refer.

FINIS.

FRAGMENTA VESTIGII VETERIS ROMÆ,

EX LAPIDIBUS FARNESIANIS

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

CUM NOTIS

JO. PETRI BELLORII.

Mmmmmm ij

FRAGMENTA. VESTIGII.

VETERIS. ROMÆ.

EX. LAPIDIBUS. FARNESIANIS.

NUNC. PRIMUM. IN. LUCEM. EDITA.

CUM. NOTIS. JO. PETRI. BELLORII.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

CAMILLO MAXIMO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

JO. PETRUS BELLORIUS FEL.



ACRI Orbis Sedes Vaticano culmine cœlo proxima nova ſurgit Roma, cujus tu decus es ſacra Purpura nitens Eminentiſſime Princeps. At vetus illa terrarum quondam gentiumque domina, Mundi compendium ac miraculum, illa, inquam, exuto cultu, deleta facie, everſoque Capitolii triumphali faſtigio, adeo in ſemet ipſa obruta jacet, ut ejus rudera, quibus vix pepercit ætas, documento ſint, non tantum nobiſcum noſtra interire, ſed una ſimul cum hominibus, urbes & imperia brevi duratura. En tibi Urbis ipſius lapideum veſtigium, in fruſta ſciſſum, & dejectum. Suis utinam partibus integrum maneret; aureas utinam ac fama nobiles oſtenderet moles. Tempus edax in lapides ſævit, & nos in veſtigio veſtigium quærimus. Itaque eruditorum hominum morem ſecuti, qui e tumulo jacentem Romam antiquæ majeſtati reſtituere, atque a temporum injuriis vindicare ſcriptis ſuis conati ſunt, collecta Veſtigii fragmenta in lucem proferimus, hac præſertim ætate, qua Roma ſuis felix Alteriis ſideribus, atque CLEMENTIS X. Pontificis Optimi Maximi tranquilla Providentia, clarior firmiorque reſurgit. Tuo vero perenni nomine rediviva fragmenta inſcribimus: cum enim ipſe in Virtutum ſacrario, inque Muſarum hymnis duraturus vivas, & eniteas, non eſt quod illa tenebras amplius interitumque pertimeſcant. Munus ſane tuum tibi offerimus, hoc eſt, patria, & avita Romana monumenta, quæ in pretio habes, & foves; nam conquiſitis undique vetuſtatis theſauris, Romulidumque tuorum clypeis & imaginibus, triumphalia ornamenta magis ad æmulationem & animi laudem, quam ad noſtram, exterorumque admirationem ædificas. Qualeſcunque vero fuerint in hoc opere noſtri ingenii partes, ea, qua me ſoles, humanitate ſuſcipe. Votum meum ſupereſt, quod publicum votum eſt, ut te Deus ſtudiorum optimorum virtutumque patrocinio, ſuæque bono Eccleſiæ quam diutiſſime ſervet incolumem; dum interim Nomini tuo, quaſi tutelari numini, devotum devinctumque animi meum hiſce publicis aris ſacro.




JO. PETRI BELLORII IN FRAGMENTA VESTIGII VETERIS ROMÆ

NOTÆ.



EPTIMII Severi ætate lapideis tabulis incisum fuisse nostrum Vestigium indicat unius fragmenti inscriptio, tabula IV. infra exhibenda: SEVERI. ET. ANTONINI. AUGG. N. N. *Severi & Antonini Augustorum Nostrorum*. quod sane intelligendum est de Septimio Severo, & Bassiano Antonino ejus filio. Indicant quoque Lollianorum & Celoniæ Fabiæ tituli, cum utraque gens floruerit sub Severo, ut suis locis adnotamus. Effossum vero in templo Romuli via sacra satis constat; in eo enim instaurando, sive exornando, ipse Imperator lapideis tabulis stratis, Urbis ichnographiam in pavimento descriptam locavit. Severus porro Urbis Restitutor, & Fundator Imperii fuit cognominatus, celebravitque sæculares ludos, in quibus Urbis, Populique Romani conservationem, imperiique æternitatem diis commendabant: quo tempore descriptum fuisse Urbis vestigium credibile est. De ejusdem magnificentia in instaurandis Urbis ædificiis Spartianus: *Sunt per plurimas civitates opera ejus insignia: magnum vero illud in civitate ejus, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, nusquam prope suo nomine adscripto, servatis tamen ubique titulis conditorum*. Post Severum sub aliis Imperatoribus, auctum immutatumque vestigium discimus ex aliis titulis nobilium ædificiorum, ut Basilicæ Licinii, & Areæ Valerianæ tabulis III. & XIV. Sequioribus Christianorum sæculis diruta, ac incensa Urbe, in nova instauratione seu dedicatione ejusdem templi, quod S.S. Cosmæ & Damiano dicatum est, mutila & disjuncta pavimenti vestigiique fragmenta in murorum loricas aptata fuere, veterum aliquot sepulcralium lapidum permixta ruderibus, quemadmodum imminuta, & confusa eruta sunt. Sedente Paulo III. fragmenta ipsa in Farnesianas ædes translata, Fulvius Ursinus schedis descripta adservavit in sua Bibliotheca, quæ Vaticanæ accessit. Perpauca quidem, eademque saucia magni illius admirandique corporis membra sunt, ad illustrandas tamen, decorandasque Romanas antiquitates, figuris, ac titulis suis plurimum conferunt. Unde incuria veteris Urbis Descriptorum culpa non vacat, cum ad hanc diem reliquias, quarum summa auctoritas est, ipsi aut non animadverterint, aut inconsulto præterierint. Nos quoad potuimus iis supplendis operam impendimus, in quo studio profuit nobis Andreæ Bufalini Architecti diligentia: hic universam recentis Urbis ichnographiam omnibus numeris absolutam explevit, brevi in publicam lucem editurus. Ædificia tum recentiora tum vetera, quæ remanent, dimensus est, & Farnesianos lapides meditatus, suas animadversiones nobis suppeditavit, quas propriis locis referimus. Nos fragmenta ipsa interpuncta, ac distincta ea facie, qua lacera, ac disrupta supersunt, mutilosque titulos nude, ut jacent, hisce tabulis delineari, incidique curavimus. Usi porro sumus *Vestigii* vocabulo haud veteris significationis, a Daniele Barbaro tamen, Bernardino Baldo, Guillielmo Philandro in Vitruvium, atque a Joanne Baptista Villalpando in Apparatu Urbis ac Templi Hierosolymitani, aliisque in usum recepto; cum Latina lingua propriam vocem non habeat, quæ Græcorum ichnographiæ ad amussim respondeat. Quæ vero in his Fragmentis restituendis minime assecuti sumus, efficient, ut irriti conatus nostri aliorum eruditioni ad illustrandas Antiquitates sint incitamenta.


1
CORNIFICI
MINER
BAE
HOR REA
LOLI IANA

TABULA I.

CORNIFICIA.

Domus Cornificii, seu Cornufici, ut habent veteres Nummi, a P. Victore censetur regione XII. Piscina publica, quæ a Circo maximo tendebat ad Thermas Antoninianas. Pancirolus in Notitiam, Cornificium intelligit, qui floruit sub Augusto, ejusque exercitui præfuit in Sicilia. ædemque Dianæ, hortatu ipsius Augusti, Romæ condidit, ut Dion & Tranquillus. Peramplam etiam ædificavit domum, quæ, ut videmus, gradus habuit, atrium, seu vestibulum cum porticibus, ut Vitruvius de ædibus nobilium, qui honores, magistratusque gerunt, animadvertit lib.6. cap.6. *Nobilibus vero, qui honores, magistratusque gerendo præstare debent officia civibus, facienda sunt vestibula regalia, alta atria, & peristylia amplissima, sylvæ, ambulationesque laxiores ad decorem majestatis perfectæ.* Qua regionis parte sita fuerit domus Cornificia, in obscuro latet, sed lucem affert nostrum vestigium e proximo delubro Minervæ.

MINERBÆ.

Regio XII. Piscina publica, in qua censeri diximus domum Cornificiam, confinis erat regioni II. Cœlimontanæ, ubi a P. Victore censetur etiam delubrum Minervæ cognomento Captæ, proximum quidem Cornificiæ, in utrisque ambarum regionum confiniis, ut ex nostro vestigio patet. Locum Minervæ indicat Ovidius in infimo clivo Montis Cœlii, Alexander Donatus statuit non longe ab æde Divi Gregorii, deque ejusdem situ & quinquatriis sic Ovidius in Fastis:

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nomina quæ a junctis quinque diebus habent.
Cœlius ex alio, qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via;
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cœpit habere suo.

Domus ergo Cornificia proxima erat Minervæ delubro in planicie, quæ a Circo maximo tendit ad thermas Antoninianas.

Hæc Minervæ ædes exemplum præbet prospectus, qui peripteros dicitur a Vitruvio lib. 3. quasi circumalatus; alæ autem columnæ sunt a lateribus ambientes ædem. Cum vero columnatio in fronte & postico simplex sit, formationem etiam & exemplar præbet ædes pseudodipteros dictæ ab eodem Vitruvio; hoc est, simplicem habentis ordinem columnarum, ad differentiam dipteri ædis, quæ duplicibus alis & columnationibus ambiebatur; & sic pseudodipteros est dipteron mentiens. Vitruvius hoc Hermogenis architecti inventum laudat; is enim, interiori columnatione sublata, laxiorem circa cellam ambulationem fecit, & sumptus tantum, aspectum non imminuit: *Eas autem symmetrias constituit Hermogenes, qui etiam primus octastylon, pseudodipterive rationem invenit. Ex dipteri enim ædis symmetria sustulit interiores ordines columnarum triginta quatuor, eaque ratione sumptus, operisque compendia fecit. Is in medio ambulationi laxamentum egregie circa cellam fecit, de aspectu nihil imminuit, sed sine desiderio supervacuorum conservavit auctoritatem totius operis distributione.*

HORREA LOLLIANA.

Lolliana, non Loliliana; namque interjectum I signum in marmore, non littera est. A Lolliis Lolliani consulares, qui floruerunt sub Septimio Severo. Lollianus, qui & Gentianus, collegam habuit Bassum in consulatu, anno Urbis DCCCCLXIV. ejusque munia in lapidibus describuntur apud Gruterum, sequens mutila inscriptio est:

Q. EPIDIO. L. F. POL. RVFO
LOLLIAN. GENTIANO
AVGVRI. COS. PROCOS. PROV
LVGDVNENSIS. COMITI
IMPP. SEVERI. ET. ANTONINI
AVGG. LEG. LEG. XX

Famianus Nardinus in sua Antiqua Roma ex Panvinii descriptione regionis XII. recenset fontem Lollianum subditque inscriptionem:


APPIO. ANNIO. BRADVA
T. VIBIO. BARO. COS.
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VVLPIVS. FELIX
N. CONFLONIVS. VITALIO
C. CLODIVS. SATVRNINVS

Cæterum in ſingulis Urbis regionibus, ultra privata, multa erant publica horrea, quæ Lipſius in Electis, ex P. Victore ad CCIX. agnoſcit. Sumebant nomina ab auctoribus, Horrea Aniceti, Varguntei, Sejani: & ab ipſis Imperatoribus, Horrea Auguſti, Domitiani. Horreis vero utebantur, non tantum ad reponenda frumenta, verum etiam ad alia commoda; nempe ad aſſervanda ex publico depoſita, & pignora. Scribit Lampridius, Alexandrum Severum ædificaſſe publica horrea ad cuſtodiam etiam privatorum bonorum: *Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona hi, qui privatas cuſtodias non haberent*. Extitere inſuper plurima frumentaria horrea ad quotidianum victum & publica alimenta ex liberalitate Romanorum Imperatorum; ut abunde idem Lipſius. nec alio ſenſu accipienda videntur Horrea Auguſti, Horrea Domitiani, ab iiſdem ſcilicet Imperatoribus, qui horrea ad publica alimenta conſtituerunt. Hæc plurimum aucta ſub Trajano & Hadriano, pueris puelliſque alimentariis Romæ, & per univerſam Italiam admiſſis. In noſtro veſtigio cellæ in quadraturam diſpoſitæ cernuntur, inque earum medio, cavædium ſive cohortile Corinthium denominatum a Vitruvio, quod differebat a Tuſcanico genere; quoniam trabes ab atrii latitudine trajectæ imponebantur columnis, quæ in noſtro cavædio apparent. Cavædia Tuſcanica nullas circumhabebant porticus. Vitruvius lib.6. cap.3. de Cavis ædium: *In Corinthiis iiſdem rationibus trabes & compluvia collocantur, ſed a parietibus trabes recedentes in circuitionem circa columnas componuntur*. Peramplam vero aream, quam cum porticibus inſpicimus, ad horreorum uſum aptam cenſemus.

Veſtigium, quod horreis Lollianis proximum eſt, aream habet muro circumcluſam, in cujus medio ſtatuæ baſis ſita.

Superius veſtigium Cornificiæ proximum ad thermas ſpectare videtur.





11
CVS OCTAVIAE ET HE
AEDIS IOVIS
AEDIS IVNONI S
AEDIS HERCVLIS MVSAE
AQVE
DVCTI
VM

TABULA II.

PORTICVS. OCTAVIAE. ET. HErculis.
AEDIS. IOVIS.
AEDIS. IVNONIS.
AEDIS. HERCVLIS. MVSARVM.

Mirare in hoc insigni vestigio, Octaviæ, & Herculis Musarum porticus: imo columnarum sylvas, & Romanam magnificentiam in ædificando; inque ipsis porticibus excultas Deorum ædes. Quatuor simul ædificia continentur in hoc fragmento, Porticus Octaviæ, Ædes Jovis, Ædes Junonis, Ædes Herculis Musarum; quibus exquirendis studium impendimus. Duæ fuerunt Octaviæ Porticus; altera Octaviæ sororis Augusti, theatro Marcelli propior; altera Gn. Octavii, qui de rege Perseo triumphavit, propinquior Pompeii theatro, ut distinguit Festus lib.16. *Octaviæ porticus duæ appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit, alteram theatro Pompeii proximam Gn. Octavius Gn. filius, qui fuit Æd. Cur. Pr. Cos. Decemvir sacris faciendis, triumphavitque de rege Perseo navali triumpho, quam combustam reficiendam curavit Cæsar Augustus.* Prima nobis inspicienda proponitur perampla & nobilis Octaviæ porticus, quadrata structura, inclusis in ipsa Jovis & Junonis ædibus. Augustus, ut refert Suetonius, nomine Octaviæ sororis, porticum struxit adjectam theatro Marcelli, ejusdem Octaviæ filii, prope Circum Flaminium. In ipsa porticu, inter alia ædificia, Jovis & Junonis ædes includebantur, ut ex Plinio conjicitur, cujus locum illustrat nostrum vestigium. Plinius lib. 36. cap. 5. ubi clarorum artificum nomina & opera recenset, de prima Jovis æde subobscure, de secunda Junonis expresse loquitur: *Intra Octaviæ vero porticum, in æde Junonis ipsam Deam Dionysius & Polycles, aliam Venerem eodem loco Philippus, cætera signa Praxiteles. Item Polycles & Dionysius Timarchidis filii Jovem, qui est in proxima æde, fecerunt.* Scilicet simulacrum Junonis in æde ipsius Deæ, & simulacrum Jovis in proxima Jovis æde: nec semel tantum junctas invenies Jovis & Junonis statuas & aras. Elucescunt Plinii verba in nostro vestigio, ædes simul cum titulis Jovis & Junonis in Octaviæ porticibus exhibente. Videant peritiores, sint ne duo illa templa, de quibus Vellejus hist. lib.1. a Metello Macedonico posita: *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat.* Junonis & Apollinis autumant Alexander Donatus & Famianus Nardinus; nos Jovis & Junonis asserimus nostri vestigii fulti auctoritate. Harum ædium architectos docet idem Plinius Saurum & Batrachum Lacones, qui nominum eorum argumenta ranam atque lacertam in columnarum spiris insculpsere: *Nec Saurum, atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones. Quiddam & opibus præpotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes, qua negata, hoc tamen alio loco, & modo usurpasse. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculpta nominum eorum argumenta, rana atque lacerta.* Cognomen adhuc retinet Ecclesia sanctæ Mariæ in porticu, nunc sanctæ Gallæ, quam fuisse Junonis ædem; alteram vero proximam Ecclesiam sancti Nicolai ædem Jovis autumat Andreas Bufalinus. In hujus exteriori angulo reliquiæ remanent Dorici generis. Has ædes incendio vexatas instauraffe Hadrianum suadet inscriptionis fragmentum effossum in molitione domus prope eamdem Ecclesiam, quod in ædibus Eminentissimi Cardinalis Maximi, ad Quatuor fontes adservatur:

IMP. CAESAR
DIVI. NERVAE. NEPOS
PONTIFEX. MAXIMVS
HAS. AEDES. INCENDIO
CAIVS. MARCVS. PVBLIVS
ET. INCENDIO. VEXATAS

Octaviæ porticum rationibus Jonicis extructam fuisse, indicant columnæ plurimæ cum Jonicis capitulis, quæ non solum medianam navem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in porticu sustinent, sed etiam domos aliquot prope eamdem Ecclesiam fulciunt. Ante vestibulum ambarum ædium in nostro vestigio, bases positæ sunt, in quibus sive Deorum, sive illustrium virorum signa eminebant. Octaviæ porticus statuis, picturis, cæterisque ornamentis insignes fuere. Includebant veteres ejusdem Metelli porticus, qui Macedonia subacta, Lysippi statuis Romam translatis, eas porticus exornavit, frontem ipsarum ædium spectantibus, ut ex Velleii loco supra citato: *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat; quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, Macedonia detulit.* In cella ambarum ædium ara posita est; sed Jovis pronaon contra antas habet columnas binas, quibus magnifice pronaon ipsum exornatur; in postico nulla columnatio, sed area, & muri, qui utramque ædem concludunt. In frontis porticus medio, sex utrinque majores columnæ positæ sunt sustinentes fastigium; atque e conspectu grandes bases duæ, quæ sane Arcum, aut Jani proximum templum designant, de quo Nardinus regione IX. Donatus lib.2.

AEDIS. HERCVLIS MVSARVM.

PRope Octaviæ porticum in circo Flaminio Ædes fuit Herculis Musarum, cujus meminit Eumenius in oratione pro reparandis scholis: *Ædem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille nobilior ex pecunia censoria fecit*. Eumdem Fulvium ædis conditorem laudat Cicero in oratione pro Archia; ipsamque instauratam a Martio Philippo vitrico Augusti probat Alexander Donatus ex Suetonio: *Multaque a multis extructa sunt, sicut a Martio Philippo Ædes Herculis Musarum*. Quoad titulum, PORTICVS. OCTAVIAE. ET HE- libenter interpretaremur HECATONSTYLON. Sic Porticus Pompeii Hecatonstylon dicta, hoc est, centum columnarum; sed obstat in fragmento lapidis subsequens littera disrupta, quæ pedem habet rectum, non curvatum in C. unde interpretamur Porticus Octaviæ & Herculis: ex duplici conjectura. Occurrit primo nobilis Herculis pictura Artemonis manu efficta, quæ in Octaviæ porticibus memoratur a Plinio: *Nobilissimas autem, quæ sunt in porticibus Octaviæ, ex ejus operibus, Herculem ab Oeta monte Doridos exuta mortalitate, consensu Deorum, in cœlum euntem*. Consuevere Romæ nobiles porticus a nobilibus picturis denominari; ut Porticus Europæ, Porticus Argonautarum, ab Europæ & Argonautarum imaginibus, deducto more ab Atheniensibus, qui præclaram porticum Pœcile dixerunt a variis picturis Polygnoti. Sed urget potior ratio ex aspectu nostri vestigii, in quo porticus Octaviæ porticui Ædis Herculis Musarum juncta conspicitur; unde uno eodemque communi titulo comprehenduntur porticus Octaviæ, Herculis porticus, quæ & eadem Philippi est. Hic, ut diximus, æde ipsius Herculis inaurata, proxime ingentem, nobilemque porticum extruxit, de qua Martialis lib. 5.

Vites censeo porticum Philippi,
Ne te viderit Hercules, peristi.

Innuit Martialis statuam non in porticu positam, sed in templo, sive in templi vestibulo. Sic porticus Argonautarum ab adjuncta æde Neptuni, porticus Neptuni, duplici nomine appellata fuit. Dion. lib.35. *Agrippa eodem tempore propriis sumptibus Urbem exornavit, & porticum Neptuni, propter victorias navales extruxit, & Argonautarum pictura decoravit*.

AQVEDVCTIVM.

AQuæductus Aquæ Claudiæ agnoscit in hoc vestigio Andreas Busalinus, quorum reliquiæ adhuc visuntur in monte Cœlio tendentes ad viam triumphalem, & Palatinum. Unde ultimum hujus tabulæ ædificium, triplici murorum præcinctione, Septizonium esse Severianum arbitratur; cum Onuphrius Panvinius non dissimile Septizonii vestigium ostendat libro de Ludis Circensibus in Circi maximi ichnographia.

Juxta Octaviæ porticum, hæc nostra tabula incipit a vestigio murorum Urbis, quibus turres, ut & hodie, interjectæ sunt. De muris, ac turribus Urbis instauratis ab Arcadio extabat nobilis inscriptio super veteri porta Portuensi Transtiberim in molitione novorum mœnium sublata:

S. P. Q. R.

IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBVS
ARCADIO. ET HONORIO VICTORIBVS ET TRIVMPHATORIBVS
SEMPER. AVGG. OB INSTAVRATOS VRBI AETERNAE MVROS
PORTAS AC TVRRES EGESTIS IMMENSIS RVDERIBVS EX SVG
GESTIONE V. C. ET INLVSTRIS MILITIS ET MAGISTRI VTRIVSQVE
MILITIAE FL. STILICONIS AD PERPETVITATEM NOMINIS
EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT
CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO V. C. PRAEF. VRBIS
D. N. M. Q. EORVM.


III
I ICAL
MENTARIA
ASTR.AMISI
TIVM
PLV MD I

TABULA III.

L I C A L. Basilica Licinii.
M E N T A R I A. Armamentaria
A S T R A. M I S E. Castra Mise
T I V M. natium

AD horum titulorum intelligentiam, initium ducimus a Castris Misenatium, quæ locant in Esquiliis. Auctor est Suetonius, Augustum classem Miseni, & alteram Ravennæ, ad tutelam superi & inferi maris, collocavisse. Hi classiarii Romæ sua castra & hospitia habebant, sive vocati, sive delecti, sive alia quavis de causa ad urbem accedentes. Probat nostrum vestigium, classiarios Misenatium castris proximum habuisse armamentarium, quemadmodum Castris Peregrinis aliud armamentarium fuit in regione Cœlimontana, in descriptionibus Rufi & Victoris memoratum. Cum Neapoli essemus in illustri Musæo Francisci Antonii Picchiatti Regii Architecti, æneam tabulam, sive tesseram inspeximus palmari magnitudine minorem, quæ pertinet ad classiarios Misenenses, dimissos honesta missione, ac Romana civitate donatos ab Imperatore Philippo, ipsamque ineditam hic referre visum est:

IMPP. CAESS. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P P. PROC, ET
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG.
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. DESIGNAT. P. P.
IIS. QVI. MILITANTES. SVNT. IN. CLASSE. PRAETOR. PHILIPPI
ANI. SEV. MISENENSE. QVE. EST. SVB. AELIO. AEMILIANO. PR.
OCTONIS. ET. VICENIS. STIPENDIIS. DIMISSIS. H. M
QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. FILIISQVE. EORVM
QVOS. SVSCEPERINT. EX. MVLIERIBVS. QVAS. SECVM. CONCESSA
CONSVETVDINE. VIXISSE. PROBATE. SINT. CIVITATEM ROMA
NAM. DEDERVNT. ET. CONVB. CVM. ISDEM. QVAS. TVNC. SE

O O

CVM. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT. SI. QVI
TVNC. NON. HABVISSENT. CVI. S. QVAS. POSTEA. VXORES. DI
XISSENT. DVMTAXAT. SINGVLIS. SINGVLAS. AD. V. KAL. IAN.
IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FELICE. AVG. COS. DES. III
ET. IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AVG. COS. II. DES. COS
E X. O P T I O N E
T. FL. T. FIL. ALEXANDRO. N. ITAL. D. MISEN. ET. MARC
PROCVLAE. VX. EI. ET. MARC. ALEXANDRO. ET. FL. MARCO. ET
VLP. SABINO. AVREL. FAVSTAE. FIL. EIVS
DESCRIPT. ET. RECOGNIT. EX. TABVLA. AENEA. QVE. FIX. EST. ROMAE
IN. MVRO. POST. TEMPLVM. DIVI. AVG. AD. MINERVAM

Castra vero Misenatium in colle Esquilino sita fuisse verisimile est, non longe a Gallieni arcu; si vera conjectura est ex nostro vestigio, in quo legimus BASILICA LICINII a Licinio Gallieno, quæ corrupte *Sicinii*, *Sissinii*, & *Sicinini* apud Ammianum, Panvinium, aliosque. Ibi stetisse Licinianam Basilicam suadet Capitolinus scribens de ipso Gallieno: *Cum esset ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur*. In eadem ergo Basilica Gallienus judicia exercebat; & juvat Alexandri Donati conjectura, qui in Esquiliis hortos ipsius Imperatoris locat: *Constat Gallieno Esquilinum collem carum summopere fuisse; ibique ei positum arcum, eundemque in eodem colle admirabilem colossum collocare voluisse. Quare ejus hortos inde abducere non possum*. Si quis tamen Basilicam Liciniam ab Imperatore Licinio denominatam malit, non contendimus; cum non longe ad Ursum pileatum, Palatium Licinianum locent. Elapso anno 1671. in hortis Cæssis, ad arcum Gallieni, statuæ effossæ sunt, raro artificio elaboratæ; e quibus Musæ quatuor sedentes, Minerva, Mercurius, Bacchus; aliæque in proximis hortis Marchionis Palumbariæ, inter nobiles urbis ruinas. Ad proximam etiam Ecclesiam sancti Juliani, insignis eruta fuit pictura, Clementis VIII. Pontificatu, quæ novæ nuptæ, seu sponsæ lavacrum refert, figuris plurimis arte mira expressis; hodieque in hortis Aldobrandinis in Quirinali adservatur.

T E M P L V M. D I vi

REgione VIII. in Descriptionibus Rufi, & Victoris, atque in Notitia recensetur *Templum Divorum Penatium*, *Templum Divi Julii*, *Templum Divi Augusti*, *Templum Divi Titi*, *Templum Divi Trajani*. Quodnam vero ex his designetur in nostro vestigio, ut & cætera ædificia hujus tabulæ, latet.

TABULA IV.

DLARIVS Sandalarius.

VIcus designatur in nostro vestigio, unde supplemus titulum: *Sandalarius*. Quamvis desit A intermedia litteris D & L cum ad supplendum sensus nullus proprior occurrat. Extabat Vicus Sandalarius regione IV. Via sacra, & frequens erat librariorum officinis, auctore Gellio lib.58. *In Sandalario forte apud librarios fuimus, cum ibi in multorum hominum cœtu, &c.* Apollinem Sandalarium cognominatum putant ab hoc vico; quod ibi ejus statua posita fuerit ab Augusto, referente Suetonio, a Victore & Rufo descripta. Sed non despicienda est contraria ratio, vicum ipsum ab Apolline nomen sumpsisse, cum aliquæ Apollinis statuæ sandaliis calceatæ sint, ut celebris illa, quæ & hodie conspicitur in hortis Vaticanis. Sic Vicus Tragædus a simulacro Jovis Tragædi dictus. Vici Sandalarii apud Panvinium sequens inscriptio:

GERMANICO. CAESARE Cos
C. FONTEIO. CAPITONE
SEIAE. FORTVNAE. AVG.
SACR.
SEX. FONTEIVS. Ↄ. L. TROPHIMVS
GN. POMPEIVS. GN. L. NICEPHORVS
MAG. VICI
SANDALIARI. REG. IIII
ANNI. XVIII. D. D

CLIVVS. VICTORIAE

SIc dictus ab æde ipsius Deæ, quæ fuit in Palatino. Varro lib.1. loquens de porta Romana, seu Romanula a Romulo designata: *Alteram Romanulam, quæ est dicta ab Roma, quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ sacellum; & porta Romanula instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ*. Alexander Donatus clivum statuit ex descensu Palatini in Circum maximum; Famianus Nardinus in parte altera collis Capitolium versus, auctoritate Iginii, apud Asconium in Pisoniana, qui de ædibus P. Valerii Publicolæ hæc refert: *P. Val. Volesi filio Publicolæ ædium † locum sub Velis, ubi postea fuit ædes Victoriæ ex lege, quam ipse tulit, populum concessisse*. Velia dicebatur pars collis Palatini alta, & prærupta eminens in forum, hodie sancti Theodori Ecclesiæ imminens.

SEVERI. ET. ANTONINI. AVG. N. N. Severi, & Antonini Augustorum nostrorum.

COlligitur ex hoc titulo, ut diximus in præfatione, vestigium seu ichnographiam istam descriptam fuisse Severo Principe. Namque epitheta, *Dominorum Nostrorum*, *Cæsarum Nostrorum*, *Augustorum Nostrorum*, quæ passim in lapidibus, & nummis leguntur; vota, dedicationes, seu opera publica, & monumenta viventium Principum indicant. Interim animadvertimus, hoc ædificium, qualecumque fuerit, e regione Palatini locum habuisse, in cujus valle a meridie, Severus ædificavit Septizonium, nec longe Thermas Antoninus ejus filius.

NAVALEM. PER


NAvalis quadrata structura convenit cum Varrone nuper citato de porta Romanula: *Alteram Romanulam, quæ est dicta ab Roma, quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ Sacellum, & Porta Romanula instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatur*.


BAL. SVRAE. Balneum, seu Balineum Suræ

DE hoc Aurelius Victor: *Trajanus*, inquit, *ob honorem Suræ, cujus studio imperium arripuerat, lavacrum conditum condidit*. Has thermas fuisse in Aventino conjicimus ex P. Victore, qui privata Calnea Trajani in Aventino collocat, ubi domus quoque fuit L. Licinii Suræ ter Consulis, semel sub Nerva, bis sub Trajano, ut ex Cassiodoro, & fastis. Hic, teste Dione, suis sumptibus Gymnasium Populo Romano ædificavit. In vestigio apparent peristylia quadrata, & oblonga, & ambulationes, aliaque ad balneum, & ad palæstram accommodata.

Ultimum sine titulo, hujus tabulæ fragmentum referri ad Capitolium existimat Andreas Bufalinus verisimili conjectura ductus: habet enim gradus duplices primi, & secundi clivi, atque in summa arce Templum Jovis Capitolini, adjectumque alterum templum Jovis Custodis. Sed hæc eidem Bufalino, aliisque antiquitatis studiosis diligentius examinanda relinquimus.

TABU-


IV
DLARIVS
VVS VICTORIA
ETA ES
SEVERI ET
TONINI AVG
NAVALEM FER
RIVI
BAL SVRAE


V
VACH
A
M
FR

TABULA V.

LAVACHR. A. Lavacrum Agrippinæ.

Agrippinæ matris Neronis Lavacrum P. Victor, & Antiquarii constituunt in Viminali, qua collis deflectit in vallem Quirinalem, e conspectu Ecclesiæ sancti Vitalis. Marlianus refert ibi effossa duo Bacchi simulacra, utraque inscripta IN. H. LAVACR. AGRIPPINAE. Elapsis annis erui vidimus plumbeos, ac testaceos tubos, quibus aqua ducebatur; atque in ejusdem vallis hortis, fontium Nymphæ truncum tenentis hydriam in ulnis. Lavacri reliquias exhibet nostrum vestigium forma rotunda: in medio labrum locatum est. Ad ipsum vero lavacrum per gradus descensus, seu potius ascensus, & aditus datur; nam, ut docet Vitruvius de Balneorum dispositionibus, & partibus: *Primum eligendus est locus quam calidissimus, solique expositus*. Unde Seneca Ep. 86. Scipionis Africani villam describens: *At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant*. Martialis de Balneo Hetrusci:

Nusquam tam nitidum micat serenum,
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit,

Plinius Jun. de Comi deliciis: *Quid Balneum illud, quod plurimus sol complet, & circuit?* & alibi. Inde infertur Balneum Agrippinæ, positum in Valle Quirinali, gradibus elevatum fuisse, aptatumque ad recipiendum solem. Superiori ejusdem collis parte, ubi Templum, & Cœnobium Monialium B. Martyris Laurentii, Thermæ extabant cognomento Olympiadis. Colligitur hinc mulieres propter honestatem, balnea seu lavacra diversa a virorum balneis habuisse. In communibus vero thermis mulieres, & viri locis diversis sejunctim lavabantur, ut ex Varrone l. 3. Analog. Elagabalus viros, & mulieres in balneis misceri permisit: quam licentiam sustulit Severus Alexander, ut Lampridius scribit.

Ædificium lavacro proximum, in hemicycli formam curvatur; rectam porticum, & ambulationem in fronte habet, reliquam circularem; piscina esse videtur, locusque natatu aptus, habetque in postico loculos; batim in medio, seu podium, quod oblectamenti causa, in stagnum extenditur. Bases item statuarum in fronte locantur, cum ad Thermarum ornamentum, celeberrimorum Artificum signa ponere moris fuerit, ut de Lysippi statua ab Agrippa in suis Thermis dicata Plinius lib. 35. *Distringentem se a Lysippo factum ante Thermas dicavit mire gratum Tiberio principi*. Lucianus in descriptione Balnei ab Hyppia Architecto ædificato, in media domo, in qua erant piscinæ, statuas geminas Æsculapii, & Hygiæ, seu Sanitatis memorat: *At media domus, & fastigio excelsissima & jucundo lumine amœnissima, tres aquæ frigidæ piscinas in se complectitur, Lacæno marmore exornata. Sunt etiam in illa statuæ geminæ, ex albo lapide antiqui operis, & artificii; altera quidem Hygiæ, altera vero Æsculapii*. Seneca in eadem Epistola: *Quid cum ad Balnea Libertinorum pervenero? quantum statuarum, quantum columnarum nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensæ causa*. Porticus, Stagna, Thermæ simul recensentur a Martiale lib. 5.

Campus, Porticus, Umbra, Virgo, Thermæ.

Rotundi ambitus vestigium porticu, columnisque circumductum ædis esse, quæ adhuc stat inter ripam Tiberis, & Ecclesiam B. Virginis cognomento Cosmedin, titulo Sancti Stephani denominata, existimat Andreas Busalinus. Hanc marmorea structura, Corinthiisque modulis nobilem Pomponius Lætus Matutæ attribuit, & ex eo Marlianus a Donato relati.

Juxta hanc ædem alterum in nostra tabula vestigium extat, quod idem Busalinus esse autumat proximi templi Fortunæ Virilis, nunc S. Mariæ Ægyptiacæ nuncupati. Porticu in fronte, lateribus, & postico undique circumducitur; de quo ædificandi genere Vitruvius libro 3. de sacrarum ædium compositione. Quamvis autem hoc templum humile, atque ex Albano lapide constructum sit, ob modulorum tamen venustatem, & symmetriam, Jonici generis exemplar, & canon est; unde peritiores Architecti Jonicas hausere rationes.

Sequuntur in hac tabula aliorum ædificiorum magnifica vestigia.

TABULA VI.

SVBVRA

SUburam Alexander Donatus in ea parte Esquiliarum statuit, ubi nunc recens Subura. Famianus Nardinus in Regione II. Cœlimontana, inter Cælium, & Esquilias; locum indicat ab Ecclesia Divi Petri, & Marcellini, ad Amphitheatrum; idque rationibus firmat. In nostro vestigio Atrium apparet columnis suffultum, ædis opinamur Consulis Stellæ, de quo Statius, & Martialis;


Vel si malueris, prima gradiere Subura,
Atria sunt illic Consulis alta mei.

Refert Suetonius, Cæsarem habitasse primo in Subura, sed modicis ædib us.


LIBERTATIS. Atrium Libertatis.
BASIL. AEMILI. Basilica Aemilii Pauli.


DE Æde, & Atrio Libertatis in Aventino non semel Livius, & ibidem P. Victor utrumque enumerat. Nos de Atrio Libertatis prope forum Cæsaris, & Pauli Basilicam intelligimus ex M. Tullii Epistola ad Atticum, cujus non integro, & obscuro loco magnam lucem affert nostrum vestigium. Hæc Tullius: *Paulus in medio foro Basilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis; illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quæris? Nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Cæsaris amici, me dico, & Oppium, disrumpatis licet monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus, & usque ad Atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sextertium, cum privatis non poterat transigi minore pecunia.* Loquitur Tullius de refectione Basilicæ, ac de Foro Cæsaris ampliando usque ad Atrium Libertatis; sive ut Lambini sententia, de Basilica Pauli pertingente ad Atrium Libertatis, quemadmodum ostendit nostrum vestigium. Constat igitur ad Basilicam Æmiliam, & forum Cæsaris stetisse Atrium Libertatis, quod in Aventino tantum decernit Famianus Nardinus. Animadvertimus Pauli Basilicam sæpius instauratam, & refectam præcipue sub Augusto, ac Tiberio, referentibus Tacito, & Dione; quæ sive laxata, sive perducta, vetus atrium clausit, retinuitque in semetipsa, religioso titulo, ut ex nostro vestigio satis superque probatur. Basilica Æmilia Inscriptionis æneæ fragmento memoratur, quod adservatur in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Maximi:

REG. XIIII. IN.
ENOVARI. ID
TIBICI IN
OET. PRIMO. SALVTE
CAESETIO. PROBO. C
ETIAM. ADITVM. PAVLI
MVTEM. SIC. ACCIPIAM
SINT. MAGIS


VI
BVRA
LIBERTATIS
BASIL
EMILI




VIII
SV MICH
P.E.CO.ST
AR.M
R.I.A
ONIS


BALNEVM
CAESARIS
A B

TABULA VII.

BALNEVM. CAESARIS.

BAlneum Cæſaris Dictatoris, de quo ſane intelligendus eſt titulus. Sic Domus Cæſaris, Horti Cæſaris, Forum Cæſaris, Ludus Cæſaris, Navalia Cæſaris; quæ cuncta Cæſaris dictatoris ſunt. Balnei ſeu lavacri forma in noſtro veſtigio deſcribitur, ovali circuitione, quatuor hemicyclis, ſeu hemisphæriis prominentibus. Hemisphæria in Laconicis ſudationibus deſcribit Vitruvius lib. 5. *Laconicum, ſudationeſque ſunt conjungendæ tepidario, eæque quam latæ fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam hemiſphærii, mediumque lumen in hemiſphærio relinquatur.*

Supra Cæſaris Balneum e regione tria ex ordine numerantur privata ædificia, ſive privatæ domus. Singulis patet introitus, qua longa & recta dirigitur via. In antico cubicula ſunt; ſequitur cavædium, ſive cohortile ſubdiale primum; inde aliæ ſuccedunt interiores cellæ; indeque cavædium interius, & ſecundum, quod periſtylium eſt cum quadrata porticu, ut ex Vitruvio lib. 6. ex more Græcorum: *Apud Græcos in ædificiis periſtylia duo erant diſpoſita, primum, & ſecundum; hoc interius, & peramplum.* quod & domus interior dicitur a Virgilio, in Priami regia, eademque penetrale in altera regia Latini;

Lucus erat tecti medio in penetralibus altis.

Nam ut idem Vitruvius lib. 5. cap. 9. aperti hypæthrique loci viridibus ornabantur: *Media vero ſpatia, quæ erant ſub dio inter porticum, adornanda viridibus videntur.* Interiora vero loca & triclinia non licebat adire niſi familiaribus, & vocatis.

Alterum ſuperius veſtigium Balneo imminens ſubſtructione triplici murorum, & columnatione duplici in fronte, ac lateribus, Septizonii alterius veſtigium eſſe videtur a Severiano diverſum, quod ſupra oſtendimus Tabula II. Præter Severianum ipſum, aliud Septizonium memoratur in Eſquiliis, eidemque proxima domus natalis Titi, auctore Suetonio: *Natus eſt* (Titus) *Kal. Januarii inſigni anno Cajana nece, prope Septizonium.* Antiquarii locant ad Thermas Titianas.

TABULA VIII.

SVMICH. Summi Choragii.

SUmmum Choragium in deſcriptione Rufi regione III. Samium pro ſummo corrupte apud Victorem; in Notitia præſtantiſſimum choragium. Noſtro veſtigio conſenſit inſcriptio apud Panvinium, a Pancirolo indicata:

HERCVLI . ET. SILVANO . EX . VOTO
TROPHIMIANVS
AVG . LIB
PRO . SVMMI . CHORAGI
CVM . CHIA . CONIVGE

Choragium locus erat, in quo tragœdiarum, & comœdiarum chori exercebantur; & ex eo cuncta ad ludos ſcenicos neceſſaria promebantur, ac proprie ad theatrum pertinebat: quamvis transferatur ad alios etiam ludicros apparatus, ut de templo Veneris, & Romæ intelligit Famianus Nardinus ex Dione. Hadriano reſcripſerat Apollodorus Architectus de ſtructura hujus templi, *Sublime illud, & concavum fieri oportere, ut ex loco ſuperiori in ſacram uſque viam inſignior proſpectus eſſet, & magis conſpicuus.* Adnotamus illud ἐκφανέϛερον ſublimius, & ex loco ſuperiori, unde fortaſſis Choragium ſummum, & ſublime.

RECOST. Græcoſtaſis.

PAncirolus: *Græcoſtaſim. locus eſt, ubi Græcorum, aliarumque nationum legati ſubſiſtebant a Senatu audiendi. A Græcis nomen ſumpſit, etſi alii quoque ibi morarentur.* Varro, *Sub dextra*, inquit, *hujus a comitio locus ſubſtructus, ubi nationum ſiſterent legati, qui ad Senatum eſſent miſſi: is Græcoſtaſis appellatur a parte, ut multa.* Dicitur Græcoſtaſis, id eſt, Græcorum ſtatio. Hoc ædificium pertinebat ad regionem VIII. fori Romani; de cujus germano ſitu conſule Nardinum ex Plinio. In noſtro fragmento deſcribitur nobilis ædificii veſtigium, gradibus ſublimis cum porticu, ſeu pronao.

A R M R I A. Armamentaria.


SUpra tabula III. ostendimus Armamentaria duo, alterum in Esquiliis, alterum in regione Cælimontana, castris proximum; & plura in urbe fuisse Armamentaria discimus ex Herodiano de Gallicano: *Jussit effringi publicis armamentariis, in quibus pompæ magis instrumenta, quam belli asservabantur.*

ILONIS. Cilonis, seu Silonis domus.

DE Cilonis, aut Chilonis domo infra tabula X. si vero restituere libet Silonis, videndus est Seneca in Suasoriis & Controversiis, in quibus plures hujus cognominis celebres Declamatores recensentur sub Augusto, ipsiusque Senecæ ætate. Nos hoc fragmentum pertinere existimamus ad Fabium Cilonem, qui sub Severo plurimum gratia & auctoritate valuit, ejusque merita describuntur in basi statuæ in ædibus Eminentissimi Cardinalis Maximi:

L. FABIO. M. F. GAL. CILONI. SEPTI
MINO. C. ATINIO. ACILIANO. LE
PIDO. FVLGINIANO. COS.
COMITI. IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. PII.
PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB. P. P.
SODAL. HADRIANAL. CVR. MIN. LEG.
AVG. PR. PR. PROVINC. PANN. ET. MOE
SIAE. SVP. BITHIN. ET. PONT. DVCI. VE
XIL. PER. ITALIAM. EXERCITVS. IMP.
SEVERI. PII. PERTINACIS. AVG. ET. M.
AVRELI. ANTONINI. AVG. PRAEPO.
SITO. VEXILLATION. PERINTHI. PER
GENTIB. LEG. AVG. PR. PR. PROVIN. GA
LAT. PRAEF. AER. MILITAR. PROCOS. PROV.
NARBON. LEG. AVG. LEG. XVI. F. F. PR. VRB.
LEG. PR. PR. PROV. NARB. TRIB. PL. QVAEST.
PROV. CRET. CYR. TRIB. MIL. LEG. XI. CL.
X. VIR. STLIT. IVDIC. CVR. R. P. NICO
MEDENSIVM. INTERAMNA
TIVM. NARTIVM. ITEM. GRAVI
SCANORVM
TI. CL. AMBRELIANVS. 7. LEG. V.
MACEDONICAE. OB. MERITA

Lucio Fabio Marci filio Galeria Ciloni Septimino. Cajo Atinio Aciliano Lepido Fulginiano Consuli
Comiti Imperatoris Lucii Septimii Severi Pii Pertinacis Augusti, Arabici, Adiabenici, Patris Patriæ,
Sodali Hadrianali, Curatori Miniciæ, Legato, Augusti, Proprætori Provinciæ Pannoniæ, & Mœsiæ superioris, Bithyniæ, & Ponti, Duci Vexilli per Italiam exercitus Imperatoris Severi Pii Pertinacis Augusti, & Marci Aurelii Antonini Augusti, Præposito Vexillationibus Perinthi pergentibus, Legato Augusti, Proprætori Provinciæ Galatiæ, Præfecto Aerarii militaris, Proconsuli Provinciæ Narbonensis, Legato Augusti legionis decimæ sextæ Flaviæ Fidelis, Præfecto (Vrbis
Legato Proprætori Provinciæ Narbonensis, Tribuno Plebis, Quæstori Provinciæ Cretæ, Cyrenes, Tribuno militum legionis undecimæ Claudiæ,
Decemviro stlitibus judicandis, Curatori Reipublicæ Nicomedensium, Interamnatium, Nartium, item Graviscanorum,
Tiberius Claudius Ambrelianus Centurio legionis quintæ Macedonicæ ob merita.


IX
PATRICIVS
MON
CANDELARI
HORTIP

TABULA IX.

ORDIA. Concordia.

AGnoſcit Buſalinus in hoc veſtigio Templum Concordiæ in clivo Capitolino imminens foro, cujus templi ſtat adhuc porticus octo columnis conſpicua cum titulo: SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. INCENDIO. CONSUMPTUM. REST.

BALINEVM. AMPELID. Balineum Ampelidis

IN Regione XIV. Tranſtyberina a Victore deſcibitur Balineum Ampelidis, Famianus Nardinus ad Portam Septimianam locat, Blondi auctoritate, qui labra, ſeu receptacula duo ſcatentis aquæ ibi ſe vidiſſe teſtatur. Præter clariores Cæſarum Thermas, ut advertit Donatus, plurimas privatorum civium certum eſt extitiſſe, & plurimas alias ad quæſtum paratas, quæ populum quotidie lavantem excipiebant. Etenim P. Victor, ut etiam adnotavit Philander, ſupra octingentas agnovit. Plinius lib. 36. *Agrippa gratuita præbita balnea* CLXX. *quæ nunc Romæ ad infinitum numerum crevere*. Unde in veterum ædificiorum effoſſionibus, Thermarum, & Balineorum rudera frequenter inveniuntur.

PATRICIVS. Vicus Patricius.

INter Eſquilias, & Viminalem, ubi nunc ædes ſancti Laurentii in fonte, Divæ Pudentianæ, & ima pars Hortorum Perettinorum, Vicum Patricium extitiſſe conſentiunt Antiquarii. Feſtus: *Sub Eſquiliis, quod ibi Patricii habitaverunt, jubente Servio Tullio, ut ſi quid novi molirentur, e locis ſuperioribus opprimerentur*.

MON. Monumentum Comitis Herculis, ſeu Monumenta Mariana.

VIa ſalaria Comitis Herculis extitiſſe monumentum, indicat Suetonius de Veſpaſiano: *Quin & conante quodam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, cujus monumentum extat via ſalaria, referre, irriſit ultro*. Marianorum Monumentorum meminit Vitruvius lib. 3. de Ædium proſpectu Peripteros: *Ad Mariana Honoris & Virtutis ſine poſtico, a Mutio facta*. Noſtrum veſtigium cum area deſcribit Valerius lib. 2. cap. 5. *In area Marianorum Monumentorum*. de loco non conſtat. Probare nititur Famianus Nardinus Mariana monumenta eſſe tropæa C. Marii de Cimbris, hodie in Capitolio; at illa bina tropæa Marii non ſunt, ſed Trajani Auguſti; extabant in Caſtello Aquæ Martiæ in Eſquiliis, ab eodem Trajano reſtitutæ, eademque referunt Germanorum, Dacorum, & Sarmatarum arma, de quibus Germanico, & Dacico bello Trajanus triumphavit. Eorum elegantiſſima ſculptura coæva Columnæ Trajanæ, ſatis ipſius Imperatoris ætatem indicat, ut in noſtris notis ad eamdem Columnam nuper editam, etiam auctoritate veterum numiſmatum probatum eſt. Alexander Donatus jure negat illa eſſe Mariana Monumenta: *Equidem ut ibi fuiſſe Tropæa Marii nullo modo dicerem, ita fuiſſe Caſtellum Aquæ tuto affirmarem. Nam, ut conſtat ex Frontino, Aqua tam Claudia, quam Martia poſt hortos Pallantianos, qui fuerunt in Eſquiliis, effundebatur*. & paulo poſt: *Ab illo videlicet qui extruxit, aut inſtauravit, tropæis ornatum*. Poſt Trajanum, Aquæductus Aquæ Martiæ inſtauratos ab Alexandro Severo, argumento eſt ejuſdem Imperatoris nummus, qui idem Caſtellum expreſſe refert cum tribus arcubus, ac tropæis. Antiquarii Alexandrinis thermis adſcribunt.

HOREA. CANDELARIA
De Horreis ſupra Tabula I.
HORTI. P. Horti Pallantiani vel Plautiani

HOrti Pallantiani a Pallante illo ditiſſimo Claudii Liberto: hos ad Portam Neviam, nunc Majorem, collocat Donatus. de ipſis Frontinus: *Finiuntur ductus Arcus Claudiæ, & Anienis poſt Hortos Pallantianos, unde in uſum Urbis, fiſtulis deducuntur*. P. Victor regione V. Eſquilina Plancianos vel Plautianos nominat; mutantes, ut inquit Donatus, ſubinde cum Dominis nomen. Plautianus enim multum gratia, & opibus valuit ſub Severo.

AREA. M. Area Mercurii.

NOn longe a Porta Capena, ubi nunc Sancti Cæſarii templum, fuit Aqua Mercurii, quam hauriebant Mercatores, ut abluerent perjuria, juxta Ovidii deſcriptionem in Faſtis. Nardinus prope aquam ipſam collocat ejuſdem Dei aream & aram enumeratam a Rufo Regione prima Portæ Capenæ: *Area Mercurii cum Ara, ad quam ſacrificant Mercatores*. Areæ ipſius veſtigium quadratum apparet in noſtro fragmento.

TABULA X.

SEPT. IA. Septa Trigaria.

A Rufo, & a Victore Septa Trigaria in Regione IX. cenſentur. Septorum locus erat, in quo aut exercebantur, aut venales exponebantur equi, ut ex Plinio intelligitur in fine Naturalis hiſtoriæ, dum inter Italiæ bona equos vernaculos laudat, nullis aliarum Regionum poſthabendos: *Neque equos quidem in Trigariis præferri ullos vernaculis animadverto*. Poſſet hinc aliquis elicere equorum præſtantiam a Trigarum curulibus certaminibus: nam Trigaria a Trigariis Agitatoribus videntur denominata; ac ſæpe in area Septorum ludi ab Auguſtis dati ſunt. De Septis infra in hac tabula.

HORTI. CELONIAE. FABIAE.

REgione XII. a P. Victore deſcribitur Domus Chilonis; Nardinus putat Magii Chilonis, qui M. Marcellum Athenis confodit, ut ex Valerio Maximo, & Sulpicio apud Ciceronem. Panciroſus in Notitia: *Domum Chilonis. legendum eſt Cilonis*. Fabius Cilo is eſt, qui imperante Severo bis Urbi præfuit, ut Dion, Spartianus, & Ulpianus tradunt, cujus & nos vetus elogium, & inſcriptionem retulimus tabula VIII. Cognomen vero Fabii convenit cum titulo noſtri veſtigii: *Celoniæ Fabiæ*. Celonia nempe a nomine, ſeu agnomine Cilonis patris; Fabiæ a cognomine gentilitio. Itaque Fabium Cilonem ſpecioſam domum in urbe ædificaſſe, & Celoniam Fabiam hortos ſuos excultos habuiſſe comperimus. Cæterum Cilonis, aut Celonis I litera in E mutata, non eſt novum in antiquibus Inſcriptionibus.


LIA. Septa Julia.


UTrumque fragmentum Septorum faciem oſtendit, quorum pilæ æqualibus intervallis, ſimul invicem, undequaque reſpondent; ac ſeptem porticus recta tendentes componunt. Andreas Bufalinus hujus ædificii reliquias agnoſcit ad viam latam, in ſubſtructionibus ædium Aldobrandinarum; etenim ſuper totidem pilis ex Tiburtino lapide ædes ipſæ conſtructæ ſunt, e fundamentis caput eruentibus, quibus Arcus impoſitos fuiſſe apparet. Porticus ſive ambitus primus viæ latæ conterminus patet latitudine ſua palmis 26. & cæteris amplior eſt; quæ major latitudo etiam in noſtro veſtigio perſpicua eſt. Porticus ipſas recta proceſſiſſe a Macello, ut vocant, Corvorum, ad forum Antonini, tum ex reliquis, quæ adhuc ſuperſunt, tum ex aliis effoſſis in molitione veſtibuli, & frontis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in via lata, proximarumque ædium conſtat. Septa locus erat, quo conveniebat populus ad ferenda ſuffragia in Comitiis. Locum ipſum, prius ligneis cancellis ſeptum, voluit Cæſar marmoreis extruere; Lepidus ædificavit; M. Agrippa abſolvit & exornavit, idemque ab Auguſto Septa Julia cognominavit, ut ex Cicerone epiſt. ad Atticum, atque ex Dione. Non adverſantur Septa ipſa in Regione Campi Martii, & Citorio proxima, quod ædes Aldobrandinæ pertingant ad Viam latam; nam Agrippa tum vetera ſepta perfecit, tum nova perduxit, ut bene advertit Nardinus. Marcus Agrippa pluſquam regia, hoc eſt, Romana magnificentia, planiciem univerſam Martio adjectam inſignibus operibus, & monumentis exornavit: Pantheon fecit, Thermas, Hortos, Porticum, Diribitorium; Fontem Aquæ Virginis duxit; Septa vetera inſtauravit ornavitque; & in planicie Campo Martio proxima, alterum Campum, & altera Septa continuavit. Agrippinorum Septorum locum Nardinus deſignat inter Collegium Romanum, & Capitolium, ubi & nos recognoſcimus noſtrum veſtigium in Aldobrandinis Ædibus. Opinamur tamen Septa Julia ab Agrippinis non fuiſſe diverſa, ſemel tantum a Lampridio Septa Agrippæ cognominata, quia M. Agrippa ædificavit; ſic Lampridius in vita Alexandri: *Baſilicam Alexandrinam inſtituerat, inter Campum Martium, & Septa Agrippina*. In Septis conſueviſſe vendi pretioſas merces colligitur ex Martiale; locus enim erat accommodatus ad eaſdem exponendas, quia tutus, & concluſus in populi frequentia:

In Septis Mamurra diu, multumque vagatus,
Hic ubi Roma ſuas aurea vexat opes.

In Area vero Septorum ampliſſima ſpectacula non raro ab Auguſtis data tradit Suetonius in Caligula, Claudio, & Nerone.

Subſequens fragmentum cum longis periſtyliis tribus adſcribimus ſpecioſis, ac pæne admirandis ædificiis, quæ ſteterunt ad Campum Agrippæ. ea fuere: Porticus Vipſana, Porticus Polæ ejuſdem Agrippæ ſororis, Porticus Europæ, Porticus Argonautarum, quarum ſitus in incerto ſunt.


H
X
SÆPT
IA
HORTI CELONIAE FABIA


XI
LVDVS
MAGNVS
MACELLVM

TABULA XI.

MVTATORIVM.

IN descriptione Rufi, & Victoris Regione Prima Portæ Capenæ legitur Mutatorium Cæsaris. Placet opinio Francisci Albertini de Mirabilibus novæ, & veteris Urbis: *Erant & Mutatoria, ut Mutatorium Cæsaris, quæ erant privatæ domus Magnorum ad secessum, & delitias, variis picturis, & marmoribus exornatæ*. Athenæus de Persarum deliciis, Reges Persarum, & Parthorum pro anni tempore ædes mutasse refert: *Celeberrimi omnium virorum, ob suas delicias, Persæ primi fuere, quoniam in Susis Reges hyemabant, æstateque degebant in Ecbatanis. Susa ob loci amœnitatem vocata fuisse scriptum reliquit Aristobolus, ut etiam Chares: est autem Susum Græca voce, lilium. Versantur per autumnum in Persepoli, & reliquam totius anni partem in Babylonia*. Romani Imperatores, ultra Palatinas ædes, habuere privatas domos, ac Thermas, quas pro anni tempore mutabant; ut de Thermis hyemalibus Aureliani scribit Vopiscus: *Thermas Transtyberina Regione Aurelianus facere paravit hyemales, quod aquæ frigidi aeris copia illic deesset*. Nostri etiam Principes cubicula, & ædes mutant; ut Quirinale Palatium dici Mutatorium Pontificum possit, cum ipsi e Vaticano discedentes, in Quirinali per æstatem commorarentur: nunc ob cœli salubritatem, firma statio & facilis Aulicis, & Urbanis hominibus, qui Tyberim relinquentes, colles, & proximam collibus planiciem incolunt. Pancirolus: *Mutatorium Cæsaris pro Ædificio accipitur, forte pro domo publica, quam Cæsar Pontifex Maximus habitavit. Tranquillus: Habitavit primo (inquit) in Suburra modicis ædibus, post autem Pontificatum maximum, in sacra via domo publica. Mutatorium potest appellari, quod eam Cæsar mutaverit*. Nardinus Circum esse decernit, qui Caracallæ dicitur e Regione ejusdem Capenæ, Mutatorium appellatum, quod in ipso celebrarentur ludi, alibi celebrari sueti. Nostrum vestigium locum quadratum designat, cum porticibus, nullamque Circi faciem refert.

DONEA. Adonea, sive Adonidis Aula.

ÆDes Palatinæ augusta magnificentia, & amœnissima varietate nobiles plurima ædificia continebant; templa, porticus, aulas, thermas, cœnationes, bibliothecas, viridaria, aliasque peregrinas delicias; quas inter Adonidis hortos ex more Assyriorum, floribus refertos, ipsi Adonidi in florem commutato sacros. Auctor est Philostratus in vita Apollonii de Domitiano loquens: *Postquam Regis alloquendi Apollonio ocium fuit; ii, quibus mandatum fuerat, in Regiam ipsam introduxere. Forte autem Rex cum Palladi nuper sacrificasset, viridi ramo coronatus in Adonidis aula constiterat. Erat autem aula illa hortulis undique circumdata, & floribus abundabat, quos Assyrii in honorem Adonidis, mysteriorum causa domi plantant*. In nostro vestigio inspicimus multiplices porticus, & ambulationes mira columnarum structura dispositas, & in medio Aula Adonidis, undique exornata hemicyclis elegantissime, hortulisque, & areis oblongis ab utroque latere septa. An hæc illa pellicum diæta, gynæceum, & domicilium fœminarum cum porticu? de qua Plutarchus in Poplicola: *Qui*, inquit, *Capitolii magnificentiam admiratur, si unam videat in Domitiani domo Porticum, vel Basilicam, vel Balneum, vel Pellicum Diætam*.

At cum spaciemur in Adonidis Hortis, de ipsius floris nomine vulgatum Ovidii carmen in fine libri x. Metamorphoseon restituendi suæ antiquæ, ac genuinæ lectioni, ex codice manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ nobis sese offert occasio. Describit Poeta interempti ab Apro Adonidis cruorem in florem purpurei coloris conversum;

—— cum flos de sanguine concolor ortus
Qualem quæ lento celant sub cortice granum
Punica ferre solent, brevis est tamen usus in illo;
Namque male hærentem, & nimia levitate caducum
Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.

Qui perflant omnia venti? Alius sensus est, ac pulcherrimum sane ænigma, quo Poeta Anemonis floris nomen tacite describit; qui flos cum nimia sua levitate caducus sit, & a ventorum flatibus facile excutiatur, ideo dixit Poeta, & nos legimus in antiquo codice,

Excutiunt iidem, qui præstant nomina, venti.

Nam ἀνεμώνη Anemone flos est Adoneus, & ἄνεμος ventus. Et sic Venti, qui male hærentem sua levitate florem excutiunt, iidem præstant, ac dant nomen flori Anemoni.

AREA RADICARIA VI.

Area Radicaria Regione XII. Piſcina publica deſcribitur, in qua, ut exponit Pancirolus, radices vendebantur. VI. Vicus forte Piſcinæ dictus, vel alius vicus ex plurimis ejuſdem Regionis.

LVDVS MAGNVS

Tarquinius Priſcus quintus Romanorum Rex, devicti Latinis, Ludos magnos celebravit in Circo, qui poſtea dictus eſt Maximus; *Solemnes deinde annui manſere ludi Romani, magnique varie appellati*. Virgilius:

Magnis circenſibus actis

Alius tamen a Circo Maximo Ludus magnus, & diverſis Regionibus ponendus. Ædificium ovale eſt quadrata porticu concluſum, cui & viæ, & manſiones in quadraturam formatæ pariter hærent. Hujus ludi ichnographiam præbet Fulvius Urſinus ex hoc eodem veſtigio ſua ætate reperto, in libro, cui titulus eſt, *Imagines, & Elogia Virorum Illuſtrium*, ejuſque verba ad explicationem deſcribimus: *Ludi vero matutini, & Ludi Magni (quorum Medici in lapidibus nominantur Eutychus Neronis libertus, & Calpurnius Hilarus) mentionem faciunt P. Victor, & Sex. Rufus in Reg. II. & III. Opinorque gladiatorios fuiſſe ludos, in quibus ſe gladiatores ſolerent exercere; cujuſmodi is, qui Æmilius dicebatur, ab Horatio deſcribitur in arte poetica. Suetonius in Cæſare: Et formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, &c. Ludi autem magni ichnographiam in vetuſtæ Romæ nuper repertis reliquiis ita notatam animadvertimus*. Ludi gladiatorii privati erant ludi, & ſcholæ: hic magnus, & forte publicus.


MACELLVM


Livianum ne, an magnum? pro incomperto eſt. P. Victor Macellum magnum in Eſquiliis Regione V. Livianum Regione II. Cœlii montis conſtituit. Structura quadrata eſt in longum directa cum porticu, & officinis. Macelli ſcenographiam aſpicimus in nummo Neronis: Porticum habet rectum, in medio tholum rotundum. In macello olera, carnes, cæteraque obſonia vendebantur, ut præter Varronem, & Plutarchum Plautus in Aulularia:


Venio ad Macellum, rogito piſces, indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.

In nummo legitur MAC. AUG. Macellum Auguſti; nec aſſentiendum illis eſt, qui litteram C in G commutant, tituloque corrupto, ædificium Macelli ad auream Neronis domum referunt, ac ſi diceret, *Magna Auguſti Domus*.

THEA-


THEATRV




E S


OSTYLVM
ANVS
VLIA
HEATRVM
IARCELLI

TABULA XII.

THEATRVM.

TRia in Urbe celebrantur Theatra; ea fuere Pompeii, Marcelli, Balbi. Theatri Pompeii integrum veſtigium habemus infra tabula XV. Marcelli fragmentum in fine hujus tabulæ. Conſequitur inde, ut hoc primum fragmentum ad Balbi Theatrum referatur. L. Cornelius Balbus vir triumphalis hortatu Auguſti theatrum ſtruxit, cujus ſedes incerta eſt. Tito Principe conflagraſſe Theatrum Balbi, & ſcenam Pompeii auctor eſt Dion: *Multa Romæ conflagraverunt, Theatrum Balbi, ſcena Pompeii*. Titus inſtauravit. Externa theatri curvatura, & hemicyclus columnis, nobili ſtructura fulciebatur; atque elegans, & perampla fuit univerſa moles, cujus pulpitum, & ſcena per lineas rectas indicantur in hoc fragmento: quæ infra concinne in integro Pompejani theatri veſtigio deſcribuntur.

TOSTYLVM. Hecatonſtylum.

HEcatonſtylon ἑκατόνϛυλον; hoc eſt Porticus centum columnarum. Hæc fuit magna, & celebris illa Pompeii Porticus Hecatonſtylon dicta ad ipſius Pompeii Theatrum. Euſebius in Chronico: *Theatrum Pompeii incenſum, & Hecatonſtylon*. Centenario numero cum Poetæ, tum Oratores utuntur in amplificando. Duplicant etiam centum, & centum; non quod centenarius numerus ſit definitus, ſed etiamſi res ipſa centeſimum excedat, ut Pompejanæ porticus columnationes recta procedentes ſatis indicant in noſtro veſtigio, quæ majori longitudine producebantur. Andreas Buſalinus ipſum veſtigium refert ad inſignes reliquias, quæ durant adhuc in Cœlio, Amphitheatrum verſus, & agnoſcit murorum ſtrues, & hemicyclos per intervalla, deſcendentes a ſummitate collis in planiciem, ubi Porticus ſteiſſe autumat. Videtur inde Hecatonſtylum in Hoſtilium, ſeu Curiam Hoſtiliam corrupte commutatum. Hemicycli, & muri apparent ad formam noſtri veſtigii; at columnarum porticuſque indicamenta non extant, ſed aulæ, cubicula, thermarum, aquæductus, fontes, & nymphæa exhibentur.

VLIA. Julia.

PErtinet forte hoc veſtigium ad Curiam Juliam, de qua Dion: *Curia ubi congregaretur Senatus, Julia ab ejus nomine dicta apud Comitium, ſtatim ex decreto prius facto, ædificata fuit*. Idem ab Auguſto conſecratam ſcribit: *Conſecravit templum Minervæ, & Chalcidicum dictum, & Senatum Julium factum in honorem Patris ſui*. De ipſa Gellius, & Suetonius in Caligula.

Proximum Templi fragmentum Trajani eſſe confirmat veſtigium apud Antonium Labaccum; gradus habet, pronaum, & cellam.

THEATRVM MARCELLI.

IN hoc fragmento ſcenæ porticus, & pulpitum deprehenduntur: ichnographiam integram exhibet Sebaſtianus Serlius lib. 3. de Architectura, cum qua conferas.

TABULA XIII.

INTEL. In Tellure.

QUi locus, quodque ædificium fuerit *in Tellure*, non conftat. Famianus Nardinus Regione IV. Templum Telluris inquirens in Foro Nervæ, advertit Servii verba VIII. Æneidos: *Carinæ funt ædificia facta in Carinarum modum, quæ erant intra Templum Telluris*. Probat illud *intra* non importare quæ in templo funt, fed templo adjacentia ædificia, quafi infra templum, non in templo. Affentimur Nardino, fed ampliori interpretatione, intra templum Telluris, & in Tellure idem effe, idemque fignificare credimus ex noftri veftigii titulo, referrique ad exteriora loca. Satis probant acta fancti Gordiani: *Clementianus præcepit ei caput amputari ante Templum in Tellure, corpufque ejus projici ante Palladis ædem*. Anaftafius de Divo Cornelio: *Quem tamen juffit ibi præfentari cum Præfecto Urbis in Interlude*. emendat Nardinus *in Tellure*. Idem Nardinus templum Telluris ftatuit ad Forum Nervæ, feu Palladium, ubi nunc ædicula fanctæ Mariæ Angelorum in via Alexandrina, quæ antiquitus tendebat ad Carinas, dividebatque Regiones viæ facræ, & Fori Romani: quæ via in noftro veftigio apparet.

AE D E S.


AEdes duæ, quas proximas videmus, fuerint ne Telluris, & Palladis fupra defcriptæ, non aufim affirmare, verifimile tamen eft utrique dicatas, cum ex actis fancti Gordiani Templum Telluris a Templo Palladis non longe fletiffe ad forum Palladium intelligatur.

Quoad architectonicas rationes, fuperioris ædis cella ex eurhythmia Vitruviana, parte quarta longior eft quam lata, habetque in antis columnas angulares duas. Vitruvius lib.3. *Proftylos omnia habet quemadmodum in antis columnas angulares duas*. Habet præterea fimplices alas, & ambulationes a lateribus, fimplicemque porticum in fronte, non obfervato integro ordine, & numero columnarum. Secunda ædes non habet alas a lateribus, nec regulam retinet in pronao, neque in cella, cum fua latitudine longitudinem excedat: Ante gradus utriufque ædis bafis ftatuæ pofita eft.

TABULA XIV.

CA. G. D. Calvini Gnei Domitii.

VEftigium triangulare fepulcralis Pyramidis effe videtur, columnis ab unoquoque latere ex ordine refpondentibus; unde interpretamur Gn. Domitii Calvini. Nec intereft, quod agnomen Calvini fuperponatur prænomini & nomini Gn. Domitii in hoc titulo; namque idem accidit in infcriptionibus numifmatum Confularium, RVF. M. LVCILI, nempe M. Lucilius Rufus, TRIO. L. LVCRETI, id eft, Lucius Lucretius Trio. Gens Domitia, altera Calvinorum, altera Ahenobarborum cognomine ufa fuit, ut ex Suetonio tradit Fulvius Urfinus: *Gn. Domitius Calvinus, qui Conful anno DCC. XIII. cum C. Afinio Pollione fuit: & Imperator ex Hifpania, de qua Procof. triumphavit anno DCC. XII. eft appellatus*. Domitiorum fepulcrum fuit in Colle Hortulorum, in quo Neronis reliquiæ, & cineres conditæ fuerunt. Suetonius in ejus vita: *Ecloge, & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod profpicitur e Campo Martio, impofitum Colle Hortulorum. In eo monumento folium Porphyretici marmoris, fuperftante Lunenfi ara, circumfeptum eft lapide Thafio*. Hoc monumentum ftatuunt Antiquarii ad Portam Flaminiam, ubi Ecclefia Sanctæ Mariæ de populo. Sed Domitius Nero ex Ahenobarbis diverfum forte a Calvinis habuit monumentum; quod in alia parte Campi Martii, vel in alio urbi proximo loco credibile eft extitiffe. Inter nobilia Gentis Domitiæ ædificia, quæ Romæ in Hortis extabant, Aviarii Domitiorum exiguum quidem, fed lepidum, atque elegans monumentum habemus in antiqua rotunda, marmorea urnula, in qua Philomela, feu Lufcinia tumulata fuit, cum jocofa infcriptione. Adfervatur in Bibliotheca Eminentiffimi Cardinalis Maximi, & nos levioribus, ac mitioribus Mufis hic damus:


XIII
INTELL
AEDE S


XIV
CA
GD
H
E
IN.TER
PIS
AR
IERIAI

DIS AVIBVS
LVSCINIAE . PHILVMENAE . EX . AVIARIO . DOMITIOR
SELECTAE . VERSICOLORI . PVLCERRIMAE . CANTRICI
SVAVISS. OMNIB . GRATIIS . AD . DIGITVM . PIPILLANTI
IN . POCVLO . MVRRHINO . CAPVT . ABLVENTI
INFELICITER . SVMMERSAE . HEV . MISELLA
AVICVLA . HINC . INDE . VOLITABAS . TOTA
GARRVLA . TOTA . FESTIVA . LATITAS . MODO
INTER . PVLLA . LEPTYNIS . LOCVLAMENTA
IMPLVMIS . FRIGIDVLA . CLAVSIS . OCELLIS
LVSCINIA . PHILVMENA . DELICIAE . SVAE
QVAM . IN . SINV . PASTILLIS . ALEBAT
IN . PROPRIO . CVBICVLO . ALVMNAE . KARISS
LACRVMANS . POS
HAVE . AVIS . IOCVNDISSIMA . QVAE . MIHI . VOLANS
OBVIA . BLANDO . PERSONANS . ROSTELLO . SALVE
TOTIES . CECINISTI . CAVE . AVIS . AVIA . AVERNA
VALE . ET . VOLA . PER . ELISIVM
IN . CAVEA . PICTA . SALTANS . QVAE . DVLCE . CANEBAT
MVTA . TENEBROSA . NVNC . IACET . IN . CAVEA

INTER. Intermontium. Inter Aggeres, vel inter Lignarios.

PIS. Templum, ſeu ædes Opis in Capitolio.

AR. LERIA I. Area Valeriana, vel Arcus Valeriani.

A Publio Victore Regione IX. ponitur ſtatua Valeriana: forte in hac area.

Magni Auguſtique ædificii, ſine titulo, ſuccedit veſtigium; in quo Gymnaſium & Porticus cum ambulationibus; Balineum a ſiniſtra loculis, & pilis exornatum, in cujus medio labri baſis quadrata. Hinc magnifica cubicula, cum quibus Aula, ſeu Muſæum, pilis pariter, & loculis excultum. Inde Pinacotheca oblonga, ab uno, alterove capite, hemicyclis curvata; aliaque, mira ſtructura diſpoſita. Hic referre libet Regiam Alexandriæ Ægypti deſcriptam a Strabone: *Urbis publica fana pulcherrima, & Regias, quæ quartam tertiamque totius ambitus partem occupant. Pars etiam Regiarum eſt Muſæum, quod deambulationem habet, & exedram, & maximam domum, in qua Cœnaculum eſt eorum, qui Muſæi conſortes ſunt.*





TABULA XV.

THEATRVM ... EI. Theatrum Pompeii.

EN Pompejani Theatri integrum vestigium. Spectatorum cuneos aspice, & circulares gradationes; in quarum centro orchestra. Orchestram rectilinea dividit scena, quæ frons theatri est: in cornibus hinc inde porticus. Daniel Barbarus in Vitruvium lib. 5. cap. 6. *Ab scena ad theatri cornua erant porticus, sed non ita continui ut cornua theatri tangerent, quamvis in aliquibus vestigiis videtur; sed erant tamquam alæ, & pteromata ipsius scenæ.* Aula Regia in medio cum valvis, & aperitionibus, per quas Actores exibant in scenam. Dextra, ac sinistra Regiæ hemicycli, seu nichii, in quibus etiam valvæ, & aperitiones structura magnifica columnarum. Vitruvius eodem libro: *Ipsæ autem scenæ suas habent rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant Aulæ Regiæ, dextra ac sinistra hospitalia, secundum autem ea spatia ad ornatus comta; quæ loca Græci περιάκτυς dicunt ab eo quod machinæ sunt in his locis versatiles trigonos habentes.* Ubi Daniel Barbarus: *Valvæ mediæ, quæ medio cuneo, e quinque scenæ attributis respondent, ab ornamentis, & amplitudine, quam habent, Regiæ dicebantur. Utrinque aliæ portæ erant concharum modo, quas nichios dicimus: ita pro fronte scenæ tres erant aperitiones, ante quas in singulis machinæ erant collocatæ.* Post scenam porticus, & ambulationes extant, de quibus idem Vitruvius cap. 9. *Post scenam porticus sunt constituendæ, uti cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus quo se recipiat ex theatro, Choragiaque laxamentum habeant ad Chorum parandum, ut sunt Porticus Pompejanæ.*

Pompejus devicto Mithridate, Romam reversus theatrum struxit expressum e Mitylenæo, ut inquit Plutarchus; grandius tamen, & pulchrius. Scribit Dion ædificatum fuisse non a Pompejo, sed a liberto ejus Demetrio, nomenque ad Pompejum retulisse, ne male audiret, quod libertus tantum pecuniæ collegisset, unde tantos sumptus facere posset. Sufficiebat large hoc theatrum, teste Plinio, quadraginta hominum millibus, habebatque exiguo dissitas intervallo, Pompeii Porticum, Regiam seu Basilicam, & Curiam, ut bene advertit Alexander Donatus. Theatri curva pars, spectatorumque cunei a Campo Floræ tendebant, seseque inclinabant a meridie viam Clavariorum versus, ut & hodie in Ursinarum ædium stabulis fornicum descendentium circulariter ad orchestram reliquiæ spectantur: quas Bufalinus exhibet cum integra theatri descriptione in sua recentis Urbis Ichnographia. A Cuneorum, & gradationum fronte scena vergebat ad Ecclesiam Sancti Caroli ad Catinarios. Quare Porticus, quæ stetit a tergo scenæ, ut inquit Donatus, propinquior Circo Flaminio, & Capitolio fuit. Alia vero Porticus, quam etiam a tergo circularis curvaturæ theatri aspicimus in nostro vestigio, recta tendebat versus Campum Floræ. In eodem Theatro ludos dedit Nero, totumque inauravit, ut ostenderet Tiridati Arsacidi Regi Armenorum. *Totum*, inquit Dion, *Theatrum intus cum scena inauravit, auro etiam ornatis quæ intromittebantur, extensis supra velis, quæ stelli aureis distinguebantur. Quare ille ludorum dies aureus nominatus est.* Multa egregiaque fuere in eo theatro ornamenta. Plinius: *Pompejus Magnus in ornamentis theatri mirabiles forma posuit effigies, ob id diligentius magnorum Artificum ingeniis elaboratas.* Fuere quoque Gentium, & Nationum in ipso simulacra, ut ex Suetonio, & Plinio.


THEATRVM
FI


XVI
PORTIC
AE
BALNE
COTINI
AREA
D
DALIN
POL
SER APAEV
AE
REA APO
A
VOS
VTE B
V RN
PVBLI
GIA
ASTA
N O V
VLPIA
BE

TABULA XVI.

PORTICUS. AE. Porticus Æmilia.

ALiquot Porticus columnæ superſunt in fragmento. Livius Decade 4. *Ædilitas inſignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi, &c. Porticum unam extra Portam Trigeminam Emporio ad Tyberim adjecto, alteram ad Portam Fontinalem ad Martis aram, quo in campos iter eſſet, perduxerunt.* Alexander Donatus Trigeminam Portam nunc Sancti Pauli, ad eum locum, ubi & hodie ſita eſt, translatam ab Imperatore Claudio, probat ex commentario Elidis Grammatici veteris, apud Gellium, in quo ſcriptum erat: *Aventinum antea, ſicuti diximus, extra pomœrium excluſum; poſt auctore D. Claudio receptum, & intra pomœrii fines obſervatum.* Unde ante Claudium, ſtatuit Donatus, eamdem Trigeminam ad Scholam Græcam, ubi nunc templum Sanctæ Mariæ in Coſmedin. Quam ſententiam ex Livio, & Dionyſio, aliiſque refellere nititur Nardinus lib. 1. cap. 5. Forte Claudius univerſum Aventinum clauſit, quem antea Ancus Rex in civitatem comprehenderat. Pomœrium auxit Auguſtus; ac Tiberii ævo certum eſt Aventinum intra ambitum Urbis fuiſſe comprehenſum. Ad cujus argumentum addimus nobilem Arcum in Urbe a Plebe Urbana Germanico & Druſo dicatum; cujus veſtigia, paucis ab hinc annis, effoſſa ſunt ad Tyberim, in ſubjecto clivo, ac planicie, qua Templum Divæ Sabinæ, & horti Dominicanæ familiæ eminent in colle; cujus Arcus inſignes inſcriptiones in Ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Maximi adſervatas hic tranſcribimus:

PLEBS. VRBANA. QVINQVE. ET
TRIGINTA. TRIBVVM
DRVSO. CAESARI. TI. AVG. F
DIVI. AVGVSTI. N
DIVI. IVLII. PRONEPOTI
PONTIFICI. AVGVRI. SODAL. AVGVSTAL.
COS. ITERVM. TRIBVNIC. POTEST. ITER
AERE CONLATO.

PLEBS. VRBANA. QVINQVE. ET
TRIGINTA. TRIBVVM
GERMANICO . CAESARI
TI. AVGVSTI. F
DIVI . AVGVSTI . N
AVGVRI. FLAMINI. AVGVSTALI
COS. ITERVM. IMP. ITERVM
AERE CONLATO.

BALNEA. COTINI. Cotini privata Balnea.

AREA. POL. Area Pollucis, de qua in ſequentibus.

PUBLI. Villa Publica, ſeu Vicus Publicius.

NAE. Fortunæ, ſeu Dianæ templum.

AREA. APO. Area Apollinis.

NOn ſolum ante Deorum Templa, Areæ a Diis cognomina ſumebant, ſed aliquæ erant in Urbe Areæ cum aris Diis ſacræ, ut tabula IX. Area Mercurii cum ara a Ruſo deſcripta, Regione prima Portæ Capenæ; & in hac tabula expreſſas habemus Areas Pollucis, & Apollinis cum aris: hæc vero gradibus ſublimis conſpicitur.

Area cum ara in Quirinali ab Imperatore Domitiano dedicata fuit, cippis ſeu cancellis ferreis clauſa, cujus inſcriptio Tiburtini lapidis e fundamentis Eccleſiæ Sancti Andreæ Soc. Jeſu, Pontificatu Urbani VIII. eruta fuit:

HAEC . AREA . INTRA. HANCCE
DEFINITIONEM . CIPPORVM
CLAVSA.VERIBVS.ET.ARA.QVAE
EST.INFERIVS.DEDICATA.EST.AB
IMP. CAESARE. DOMITIANO.AVG.
GERMANICO.EX.VOTO SVSCEPTO
QVOD . DIV . ERAT . NEGLECTVM . NEC
REDDITVM.INCENDIORVM
ARCENDORVM . CAVSA

Verubus ſane clauſa, ne cui liceret infra illos terminos ædificium extruere, manere, negotiari, ut ex alia inſcriptione in Manutii Ortographia.

VRNI. Templum Saturni.

REGIA. Regia Numæ ſive Pontificis.

VLPIA. Baſilica Ulpia.

NOVA. forte Via nova.


FRagmentum ſine titulo, Viæ novæ adverſum, Porticibus ambitur, in cujus medio ovalis area, ſupra quam hemicyclus, nulli privato uſui ædificium aptum videtur. Perſimilem Ichnographiam Serlius exhibet lib.3. de Architectura, ex reliquiis, quæ ſuperſunt apud Pompeii Theatrum, a Campo Floræ ad ſepta Judæorum, ſive Porticus ſit, ſive Pompejana Curia.


TABULA XVII.

CIS. Ciſternæ.

IN noſtro veſtigio ad regulam Vitruvii, Ciſternæ deſcriptæ ſunt triplici ordine conſtructæ, quorum quilibet quatuor, ſeu plures videtur habere ciſternas, interjectis cuniculis, connexas; ut percolationibus de uno in aliud receptaculum, puriores & ſalubriores aquæ redderentur. Vitruvius lib.8. cap.7. cum loquitur de aquis ducendis a ſuperioribus locis: *Ea autem loca ſi duplicia, aut triplicia facta fuerint, uti percolationibus aquæ tranſmutari poſſint, multo ſalubriorem ejus uſum efficient; limus enim cum habuerit quo ſubſidat, limpidior aqua fiet, & ſine odoribus conſervabit ſpiritum.*

Proximum e regione veſtigii fragmentum indicat Ciſternas Titianas (vulgo *le ſette ſale*) in quibus continebantur aquæ ad uſus Thermarum Imperatoris Titi in Eſquiliis. Novem ſunt Ciſternæ cum aperitionibus obliquis de una in aliam; quarum ichnographiam integram, & rationes cognoſces apud Serlium in libro de Architectura.


XVII
NA
CLS


XIX
MAGNI
HOR.
C
A
X


XVIII
ATR
HAE
RA
MCE
IS
OR
CIR
FLAMI
ER
VA
IA
C

TABULA XVIII.

A T R. Amphitheatrum.

AMphitheatri Flavii veſtigium. Deſcribuntur Porticus ab exteriori ambitu uſque ad arenam præcinctam ovali forma. Porticus ipſas interſecant ſcalarum aditus, per quos aſcendebatur ad cuneos, & ſubſellia. Super Porticibus cunei, & ſedilia ſpectatorum, eadem forma per declive deſcendebant a ſummo uſque ad arenam, ubi gladiatorii ludi edebantur. Ex dignitate vero ſedendi gradus diſtributi erant; ita ut Senatores in orcheſtra, hoc eſt, in ultimo circuitu ad arenam, quæ ſatis in noſtro veſtigio apparet. Proximi orcheſtræ cunei dicebantur Equeſtria, in quibus ſedebant Equites. Tertia loca populo adſignata Popularia dicebantur, quæ fuſius vide apud Lipſium lib. de Amphitheatro.

Non pigeat hic inſcriptionem veterem advertere, quæ Amphitheatri Flavii Architecto adſcribitur, elapſis annis reperta, erutaque ex Cœmeterio Divæ Agnetis, via Nomentana, jam pridem apud Felicem Rondeninam Antiquitatum ſtudioſiſſimam matronam, & a Joanne Severano in Roma ſubterranea Boſſii relata.

SIC . PREMIA . SERVAS . VESPASIANE . DIRE
CIVITAS . VBI . GLORIAE . TVAE . AVTORI
PREMIATVS . ES . MORTE . GAVDENTI . LETARE
PROMISIT . ISTE . DAT . KRISTVS . OMNIA . TIBI
QVI . ALIVM . PARAVIA . THEATRVM . IN . CELO

Non ſpuria, neque recens inſcriptio eſt, ſed orthographia, & characteres longe ſequiorem Veſpaſiano Auguſto ætatem indicant; nec in ipſa Amphitheatri, ſed Theatri mentio habetur.

C I R. Circus.

F L A M I. Flaminius.

DEeſt veſtigium univerſum cum magna tam præclari ædificii jactura, de quo Donatus & Nardinus ſcripſere.

TABULA XIX.

IN fine hujus Tabulæ prægrandibus literis titulum habemus, qui Circum Maximum notat.

C. AX. Circus Maximus.

PLurima Circi fragmenta in tabula ipſa ſunt interpuncta; primum, quod ſuperius eſt, curvaturam, ſeu hemicyclum Circi refert, ſed Circo Maximo non reſpondet, unde alterius partem eſſe opinamur. Fragmentum ad dextrum latus rectis lineis deſcriptum ad Circum Maximum ſane ſpectat. Prima linea Euripum deſignat, aream verſus, atque in interiorem Circi partem. Poſt Euripum aliæ tres rectæ lineæ indicant porticus ſimplices; majores duas, tertiamque minorem. Externe porticui hærent Circi Officinæ: in arena vero media interjacet ſpina, cujus extremitas continebat metas. Ad quarum rerum explicationem faciunt quæ de Circo Maximo ſcribit Dionyſius Hiſtoriar. lib. 3.

Longitudo enim ejus trium ſtadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum a duobus majoribus lateribus, & uno minore cingitur Euripo, qui aquas recipiat decempedali profunditate ſimul, & latitudine. Poſt Euripum extructæ ſunt triplices porticus, ima habent lapidea paulum ſcandentia, ſicut in theatris, ſedilia, ſuper duplici contignatione ſunt lignea. Duas majores porticus, tertia minor conjungit, tranſverſim lunata ſpecie appoſita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis octo ſtadiorum latitudine, capax centum quinquaginta millium hominum. Reliquum e minoribus latus, quod ſubdiale eſt, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, omnes uno clauſo repagulo. Externe ambit Circum ſimplex contecta porticus habens officinas, & ſuperne cellas, per quas ſpectatores intrant, & aſcendunt per officinas ſingulas, ut nulla confuſio exoriatur inter tot hominum millia tum venientia tum diſcedentia.

RREA. ANA. Horrea Galbana, seu Galbiana.

IN Notitia: *Horrea Galbæ*, *& Procurator Horreorum Galbanorum*. In duabus vero inscriptionibus apud Panvinium legitur, *Fortunæ*, *& Genio Horreorum Galbianorum*; sive Imperatoris Galbæ, sive alterius.


TABULA XX.

HUjus ultimæ tabulæ primum fragmentum, sine titulo, forma rotunda, ac circuitionibus tredecim descriptum, Mausolei Augusti vestigium esse Bufalinus, aliique sentiunt; quamvis Marlianus tres tantum circumferentias, & ambitus agnoverit. Opus sane omnium, quæ extabant in Campo Martio, præclarissimum, quod sua mole, velut aggere, Tyberim pertingebat. Quasi mundi zonas dispositos circulos aspicimus; ita ut major minorem includat usque ad centrum. Ad horum circulorum rationem, & regulam, Mausoleum ipsum specie pyramidali decrescens perveniebat ad culmen. Septem ex his circuitionibus, & zonis, loculos, & monumenta cognatorum ipsius Augusti continebant; sex reliquæ humo repletæ, alterna invicem congerie terræ, virentes arbores alebant, quibus Mausoleum ad verticem usque cooperiebatur. Strabo lib. 5. Campi Martii enumerans ædificia: *Quorum omnium*, inquit, *præclarissimum est Mausoleum*, *agger ad amnem*, *supra sublimem albi lapidis fornicem congestus & ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus*. *In fastigio ænea statua Cæsaris Augusti*. *Sub aggere loculi ejus*, *& cognatorum*, *& familiarium*. *A tergo lucus magnus ambulationes habens admirabiles*. *In medio autem Campo busti ejus ambitus ex albo saxo in orbem cinctus ferrea sepe*, *intus alnis consitus*. Loculorum quadrata monumenta disposita in circuitionibus satis apparent in nostro vestigio.

Ædificia, quæ sequuntur cum areis, & cellis, quamvis sine titulis, in obscuro lateant; cum aliis, quæ ignota sunt in his tabulis; formam tamen, & speciem veteris Romæ, ejusque magnificentiam indicant.



INDEX


F

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Abascantianum *balneum ubinam fuerit Romæ*. 980. D.
Accæ *Larentiæ Romanæ meretrici divini honores redditi*. 1294. C.
—— *ab hac quomodo lupæ fabula nata sit*. 891. C.
—— *illa multa bona populo Romano legavit*. ibid.
—— *ejus sepulcrum*. vid. *sepulcrum*.
Accensi *quinam olim dicti fuerint*. 1658. D.
Accensores *facularum quinam dicti inter veteres Christianos*. 1790. E.
Acceptorium *quid vocaverint veteres Romani*. 1639. B.
Accius *Navius cotem novacula secuit*. 1144. B.
—— *ubi statua ei posita fuerit*. ibid. C.
Actii *Poetæ statua Romæ olim fuit*. 979. C.
Actuarii. vid. *tabelliones*.
Adonidis *horti*. vid. *horti*.
Adoptionis *mos circa nomen qualis fuerit apud Romanos*. 1861. F.
Æ syllabam *veteres Romani consuetudine Græca per ai scribebant*. 1824. A.
Ædes *olim inter & templa Deorum qualis fuerit differentia*. 973. B.
—— *S. Anastasiæ*. 894. D.
—— *Fortunæ muliebris ubinam fuerit Romæ*. 983. E.
—— *S. Mariæ Liberatricis*. 894. B. F.
—— *S. Laurentii in fonte undenam hoc nomen acceperit*. 996. C.
—— *S. Laurentii in miranda*. 894. B. F.
—— *Larium ubinam olim fuerit Romæ*. 1035. E.
—— *Sp. Cassii quare jussu populi solo æquata*. 1049. A.
—— *Mephitis ubinam fuerit Romæ*. 1074. E.
—— *Veneris Erycinæ ubinam fuerit Romæ*. 1084. B.
—— *& lucus Rubiginis in qua parte urbis fuerit*. 1085. D.
—— *Opis & Saturni in qua parte urbis fuerit*. 1149. F.
—— *Victoriæ ubinam Romæ fuerit constructa*. 1155. B.
—— *Martis Ultoris in quo foro Romæ fuerit*. 1115. E
—— *Herculis Victoris in quo foro Romano fuerit*. 1196. D.
—— *in eam neque canibus neque muscis ingressus erat*. ibid. E.
—— *Matutæ, Servii Tullii opus, ubinam fuerit*. 1197. B.
—— *Fortunæ Sejæ vel Fortis Fortunæ vel fortunæ Virginis an eadem fuerit*. ibid. D.
—— *vetus Concordiæ a Camillo fuit constructa*. 1199. B. C.
—— *Tiberius quare aliam dicaverit*. ibid.
—— *Jovis Tonantis ubinam in Capitolio fuerit*. 1205. A.
—— *Concordiæ ubinam fuerit in Capitolio*. 1241. C.
—— *complures Fortunæ in Capitolio fuerunt*. 1242. F.
—— *Primigeniæ, Obsequentis, Privatæ, Viscosæ*. ibid.
—— *Jovis Sponsoris ubinam in Capitolio fuerit*. 1243.
—— *Veneris Calvæ ubinam in Capitolio*. ibid. B. C
—— *undenam hæc sic fuerit dicta*. ibid.
—— *Veneris Capitolinæ in qua parte urbis*. ibid. C.
—— *Opis ubinam fuerit in Capitolio*. 1243. D.
—— *Jovis & Herculis ubinam fuerit in Capitolio*. 1244. A.
—— *Fortunæ equestris in qua regione urbis olim fuerit*. 1262. C.
—— *Fortunæ equestris in campo Minore*. 1296. F.
—— *Neptuni in campo Minore*. 1297. B.
—— *Apollinis in monte Palatino ab Augusto extructa*. 1332. E.
—— *Vestæ Palatinæ ubinam fuerit*. 1335. C.
—— *quo tempore annuum ejus festum celebratum fuerit*. ibid.
—— *Victoriæ in quod saxum Cybeles delatum, ubinam fuerit*. 1337. A.
—— *Jovis Victoris ubinam in monte Palatino* ibid. C.
—— *Orci prope Palatium Cæsarum fuit*. 1338. E. F.
—— *Fortunæ hujusce diei ubinam fuerit*. 1339. B.
—— *Solis ubinam in Circo Maximo*. 1358. F.
—— *Veneris ubinam in decima regione*. 1363. C.
—— *Juventutis in Circo Maximo a quo vota*. 1360. D.
—— *Floræ ubinam in decima regione*. 1362. E.
—— *Cereris ubinam fuerit*. ibid. F.
—— *Junonis Matutæ in foro Olitorio*. 1373. B.
—— *Spei in eodem foro fuit*. ibid.
—— *Junonis Sospitæ ubinam fuerit*. ibid. C.
—— *Spei a Calatino ubinam dedicata*. 1373. E.
—— *Herculis Olivarii ubinam fuerit*. 1374. A.
—— *Bonæ Deæ Subsaxanæ in qua regione fuerit*. 1380. D.
—— *Minervæ seu Palladis Aventinæ in quo loco fuerit*. 1393. A.
—— *hæc Poetis & histrionibus dicata erat*. ibid. B.
—— *Victoriæ ubinam in monte Aventino*. 1395. A.
—— *Libertatis in monte Aventino erat*. ibid. B.
—— *Silvani in eodem loco fuit*. 1396. E
—— *Deæ Tutilinæ an fuerit in Aventino monte* 1397. A. B.
—— *Apollinis Medici ubinam fuerit*. 1399. A.
—— *Jovis ubinam in Insula Tiberina*. 1417. E.
—— *quis eam dedicaverit*. ibid.
—— *Deæ Mephitis in Vico Patricio fuit*. 1546. F.
—— *quare ita fuerit dicta*. ibid.
—— *Junonis Lucinæ in qua regione olim fuerit*. 1548. C.
—— *Malæ fortunæ in Esquiliis fuit*. 1550. D.
—— *Dii Fidei ubinam in sexta regione*. 1553. F.
—— *Fortunæ publicæ in qua regione fuerit*. 1555. D.
—— *Salutis ubinam Romæ fuerit*. ibid. E.
—— *Dei Serapidis ubinam a Caracalla ædificata*. 1557. A.
—— *Quirini in qua regione urbis fuerit*. ibid. C.
—— *Martis Ultoris in foro Augusti erat*. 1568. B.
—— *Vejovis in qua regione urbis fuerit*. 1573. E.
—— *Herculis Custodis Circi Flaminii*. 1577. E.
—— *a quo condita*. ibid.
—— *Herculis Musagetæ ubinam fuerit*. ibid.
—— *a Marco Fulvio fuit condita*. ibid.
—— *Junonis Reginæ & Dianæ in nona regione*. 1578. A.
—— *Castoris quare ad Circum Maximum collocata*. 1578. A.
—— *Martis in qua regione urbis fuerit*. ibid.
—— *Jovis Statoris ubinam fuerit Romæ*. ibid.
—— *Veneris Victricis ubinam a Pompejo constructa*. 1578. C.
—— *Larium ubinam ab Æmilio Regillo vota*. 1584. D.
—— *Orci ubinam in monte Palatino fuerit*. 1589. B.
—— *Fortunæ Respicientis in monte Palatino*. ibid. C.
—— *Herculis Victoris duæ fuerunt Romæ*. 1594. A.
—— *Pietatis in foro Olitorio, a quo dedicata*. 1595. C.
—— *Junonis vel Junonis Matutæ ubinam fuerit*. ibid. D.

—— *Spei a Calatino consecrata fuit*. ibid.
—— *Isidis Athenodoriæ ubinam fuerit*. 1599. B.
—— *Jovis Lycaonis & Fauni in qua regione Urbis fuerit*. 1610. D.
—— *Herculis Musarum ubinam fuerit Romæ*. 1257. C.
—— *Mercurii* vid. *Mercurius*.
—— *Tempestatis* vid. *Tempestas*.
—— *Camænarum* vid. *Camænæ*.
—— vid. *Fanum*.
—— vid. *Templum*.
Ædes *Juturnæ in qua regione urbis fuerit*. 1303. D.
—— *Narcissi Claudii Cæsaris liberti prædivitis ubinam fuerit*. 1304 B.
—— *Portumni in qua regione urbis fuerit*. 1366. D. 1564. B.
—— *Furinarum ubinam fuerit Romæ*. 1413. B.
—— *sacra quale ædificium olim dictum fuerit*. 1531. D.
Ædicula *Dianæ ubinam fuerit Romæ*. 1005. C. D.
—— *Isidis in qua parte Urbis fuerit*. 1017. F.
—— *Serapidis ubinam fuerit*. ibid.
—— *Musarum in qua regione Urbis fuerit*. 1057. C.
—— *Capraria in qua parte Urbis fuerit*. 1124. E.
—— *cum de Diis dicitur quid proprie sit*. 1234. E.
—— *Fidei ubinam fuerit in Capitolio*. 1238. E.
—— *Vortumni ubinam in monte Aventino*. 1392. F.
—— *Fidei & Fortunæ dubiæ in qua regione urbis*. 1397. B.
—— *Michaelis Archangeli ubinam fuerit Romæ*. 1424. F.
—— *quot ædiculæ olim fuerint Romæ*. 1433. B.
—— *Deæ Tutelinæ in qua regione Urbis fuerit*. 1604. E.
—— *Fidei in monte Aventino*. ibid. F.
—— *Fortunæ dubiæ in qua regione Urbis* ibid. F.
Ædiculas *Nympharum incustoditas ipsa loci religio tutas præstabat*. 1802. A.
Ædificia *insularia quo tempore Romæ inceperint ædificari*. 987. A.
—— *qualia Romæ maxime mirabilia fuerint*. 1031. A.
—— *quousque se extenderint ædificia continentia Romæ*. 1761. A.
Ædiles *etiam habebant jus edicta publicandi*. 1481. C.
—— *varii fuerunt eorumque varia munera*. ibid.
—— *plebis summam habebant auctoritatem*. ibid. C.
—— *luxui obviam ire solebant*. ibid. D.
—— *an Romæ jus habuerint dandæ & vendendæ aquæ*. 1656. A.
—— *eorum numero numerabantur Magistratus*. ibid. D.
—— *undenam sic fuerunt dicti*. ibid. D.
Ægeria *vallis* vid. *Vallis*.
Ægyptus *ab Augusto in provinciæ formam redacta*. 1866. B.
Ægyptii *ubinam Romæ habitaverint*. 1506. A.
—— *natura leves & inani fastu elati erant*. 1916. D.
—— *Reges suos Apollines & Jovis filios appellabant*. 1916. F.
—— *ab his omnis Deorum cultus, superstitiones & cæremoniæ emanarunt ad cæteras gentes*. 1917. A.
—— *eorum Reges* vid. *Reges*.
Ælius pons *Romæ publicus non fuit*. 1528. A.
Ælia porta vid. *Porta*.
Æneæ *adventus in Italiam an pro fabula habendus*. 888. A. B. 889. B.
—— *is an. Trojæ restiterit & Antenor in Italiam profectus sit*. 890. B.
—— *in Jovem Indigetem post fata transivit*. 1554. E.
—— *quid secum Troja extulisse dicatur*. 1566. C.
Æquimelium *in qua parte Urbis fuerit*. 1058. A. 1150. C.
—— *quid proprie ita fuerit dictum*. 1566. B.
Ærarium *sanctius ubinam Romæ fuerit*. 1166. F.
—— *quotuplex fuerit olim*. 1167. A. B.
Æsculapii *delubrum in Insula Tiberina fuit*. 1916. D.
—— *qua de causa Æsculapius Romam fuerit transportatus*. ibid.
—— *ejus Anguis quomodo Romam advenerit*. 1609. E.
—— *undenam eo fuerit deductus* ibid. E.
—— *quomodo Quirites eum receperint*. ibid. F.
Agentes *in rebus quinam dicti fuerint inter Romanos*. 1311. F.
Ager *omnis Romanus a Numa in pagos fuit divisus*. 979. B.
—— *Veranus ubinam fuerit Romæ*. 1079. A.
—— *multi martyres ibi olim sunt sepulti*. ibid. A.
—— *Albionius ubinam Romæ fuerit*. 1413. F.
—— *Tarquiniorum fuit antea dictus campus Martius*. 1580. E.
—— *Julii Martialis ubinam in decima quarta regione*. 1609. C.
—— *Tarquinii superbi & Servii Tullii ubinam*. 1064. D.
Agonalia *qualia festa fuerint apud veteres*. 1277. B.
—— *quales ludi olim sic dicti fuerint*. 1278. D. E.
Agonensis porta *quare ita fuerit dicta*. 930. D.
Agonius collis *ubinam Romæ fuerit*. 954. E.
Agonus *sive Egonus mons Quirinalis postea fuit dictus*. 930. E.
Agrippæ *monumentum fuit in campo Martio*. 1292. D.
—— *is plurimis salientibus aquis Romam instruxit*. 1639. A.
—— *ejus ædilitas in quale tempus inciderit*. 1738. A.
Alagabalum *quænam gentes solem nominarint*. 1562. A.
Albæ *Longæ ædificatio a quo facta fuerit*. 888. A.
Alaricus *quando Romam ceperit*. 1876. A. 1879. B.
Albudina *aqua an unquam fuerit Romæ*. 1457. B.
—— *ejus fons ubinam olim fuerit*. 1641. B. E.
Albula *olim Tiberis fluvius fuit dictus*. 1614. C.
Album *Prætoris Romani quid olim fuerit*. 1021. E.
Alexander *magnus se Jovis filium jactavit*. 1557. E.
—— *ab Ammonis sacerdotibus ita primum fuit appellatus*. 1916. D.
Alexander *Severus an aquam deduxerit Romam*. 1686. E. F.
Alexandrina *aqua qualis Romæ fuerit dicta*. 1456. E.
Algentiana *aqua ubinam olim fuerit Romæ*. 1455. E.
—— *ejus aquæductus ubinam fuerit*. 1760. D. E.
—— *an intra mœnia Romæ fuerit recepta*. ibid. E.
—— *undenam hoc nomen primum fuerit derivatum*. 1772. D.
Algidus *mons qualis olim fuerit Romæ*. 1772. D.
—— *ubinam ille fuerit*. ibid. E.
—— *an idem dictus fuerit etiam Albanus*. 1773. A.
—— *an ubique sit nomen oppidi*. ibid. E.
Alius *pro alter sæpius usurpabant Romani*. 1924. F.
Almo *fluvius quomodo hodie dicatur*. 977. C.
—— *ubinam fuerit in prima regione urbis*. 1532. C.
—— *ejus aqua quare dicta fuerit sancta a Romanis*. ibid. C.
Alsia *aqua an olim fuerit intra mœnia Romana*. 1457. B.
Alsietina *aqua a quo in Urbem deducta* 1452. C.
—— *quare Augustus eam eo deduxerit*. 1640. C.
Alsium *maritima Etruriæ urbs an aquæ Alsietinæ origo*. 1760. C.
Alta semita *qualis regio Romæ sic fuerit dicta*. 1089. B.
Altare *Jovis Viminei ubinam fuerit Romæ*. 1550. E.
—— *quare Juventæ & Termino in cella Minervæ erectum*. 1572. B.
Altitudo *salientium aquarum quanta Romæ fuerit*. 1618. B.
—— *aquæductuum Romanorum quanta*. 1643. A. B.
Amaltheam *suam dilectam quibus præfecerit Jupiter*. 1799. E.
—— *ea & Melissa fuerunt sorores germanæ*. 1801. D.
—— *hæ Jovem puerum lacte & melle nutriverunt*. ib. D.

Amasis *primus Ægyptiorum Rex quot annos regnaverit*. 1910. B.
Ambactum *qualem operarium vocarint veteres Latini*. 1658. D.
Ambitus *veterum mœniorum urbis Romæ*. 912. A. B. &c.
Ambulacra *Crassipedis ubinam Romæ fuerint*. 976. A. B.
Amphitheatrum *Flavium ubinam fuerit Romæ*. 1014. A.
—— *Statilii Tauri in qua regione urbis fuerit*. 1064. C. 1290. E.
—— *Castrense ubinam olim fuerit*. ibid. 1544. A.
—— *Statilii Tauri quam magnum fuerit*. 1290. E. F.
—— *Trajani ubinam in campo Martio fuerit*. 1291. A.
—— *Balbi ubinam ibidem fuerit*. ibid. B.
—— *in quo diversum fuerit a Circo*, 1352. E. F. 1578. B. C.
—— *quot amphitheatra olim fuerint Romæ*. 1432. F.
—— *Flavium ubinam in tertia regione*. 1535. D.
—— *quam magnum olim fuisse credatur*. 1544. A. B.
—— *cui usui inservierit*. ibid.
—— *quot & qualia Roma simul habuerit*. 1578. B.
—— *Statilii Tauri in qua regione fuerit*. 1583. B.
—— *Trajani ubinam fuerit*. ibid.
Ancilia *qualia sacra fuerint inter Romanos*. 1321. B. C.
—— *ea indicta bello moveri solebant*. 1322. A.
—— *a Saliis illa quomodo solita sint moveri*. 1586. A.
Ancla & *anclare unde dictum apud Latinos*. 1645. D.
Anconitani *in calce viva tributum solebant pendere Romanis*. 1490. D.
Ancus Martius *Romanorum Rex ubinam habitaverit*. 1035. E.
—— *quousque murum Romæ perfecerit*. 1754. A.
Anemonis *floris nitida descriptio* (15)
—— *est flos Adoneus*. ibid.
Angerana Dea *vid. Dea*.
Anio *quot Pontes habuerit Romæ*. 1446. C.
—— *quomodo fuerint singuli appellati*. ibid. C.
—— *ubinam originem habuerit*. 1642. A.
—— *ejus aquæ quare minus fuerint limpidæ*. 1655. A. B.
Anionem veterem *quis in urbem perducendum curaverit*. 1636. A.
—— *ejus descriptio & mensura aquarum*. 1650. D.
—— *cui usui fuerit Romæ*. 1655. C. D.
—— *quando hoc nomen acceperit*. 1691. A.
Anio novus *qualis rivus sic fuerit dictus*. 1453. F.
—— *ubinam prope Romam inceperit*. 1618. A.
—— *frigidissimus & limpidissimus erat*. 1655. D.
—— & *aqua Claudia quare a scriptoribus conjungantur*. 1634. E.
—— *quando hoc nomen primum acceperit*. 1641. A.
—— *qualis fuerit ejus ductus*. 1642. B.
—— *mensura ejus aquarum qualis fuerit*. 1652. A.
Anna Perenna *quænam fuerit Romæ*. 1560. A. B.
Annales *Pontificum Romanorum quid continuerint*. 888. D. E.
—— *quando confici cœperint*. ibid. E.
Annia *aqua qualis olim fuerit Romæ*. 1457. A.
Antoniana *aqua ubinam olim fuerit Romæ*. 1456. D.
Antigonus *ab Hermodoro Rhetore Solis filius est appellatus*. 1916. D. E.
Anseres *an Junoni olim fuerint sacri* 1225. E.
—— *ubinam in Capitolio fuerint alti*. 1228. C.
—— *anser argenteus quare in Capitolio fuerit positus*. 1241. F.
—— *in cujus rei memoriam hoc fuerit factum*. ibid. F.
—— *sacri in sacello Junonis alebantur*. 1612. C.
Antiochiani *balneum* vid. *balneum*.
Antiochus *Syriæ Rex Deus vocari voluit*. 1916. E.
Antiquitates *quales Romæ adhuc sint maxime illustres*. 1624. B.
Antrum *Cyclopis ubinam fuerit Romæ*. 1006. A. B.
—— *Egeriæ ubinam olim fuerit Romæ*. 1506. F.
—— *quale antrum ita olim dictum fuerit*. ibid. F.
—— *Nymphis quare olim antra fuerint dedicata*. 1800. C. D.
—— *qualia hæc antra fuerint*. ibid. D.
Aperto capite *sacra facere erat in sacris Herculis peculiare*. 1594. A.
Apum *puritatem & industriam magni æstimavit antiquitas*. 1801. C.
—— *quare apes semper circa antra Nympharum pingantur*. 1801. A. B.
—— *reges Hieroglyphice significabant apud Ægyptios* 1913. C.
Apis *Ægyptiorum a Græcis vocatur Epaphus*. 1909. F.
—— *an Memphim condiderit*. 1910. A.
—— *primus in Ægypto Deus appellatus est*. ibid. A.
—— *fuit cognominatus Serapis*. ibid.
Apollo *ubinam habuerit templum Romæ*. 975. E.
—— *ex ebore fuit Romæ in foro Augusti*. 1185. D.
—— *Cœlispex qualis statua sic fuerit appellata Romæ*. 1366. B.
—— *eum veteres Gentiles vocaverunt Solem*. 1562. A.
—— *Agyæus & Thyrænus qualis fuerit apud veteres* 1802. B. C.
—— *a variis gentibus variis cognominibus fuit nominatus*. 1917. D.
—— *quale nomen habuerit inter Græcos*. 1913. D.
—— *Sandaliarius v. Sandaliarius*.
—— *ejus ludi v. ludi*.
Appiæ *rivus ubinam fuerit detectus*. 1695. C. D.
—— *via*. *v. via*.
Aquæ *an olim tempore Romuli e templo Jani subito eruperint*. 901. D. 902. A.
—— *quot olim fuerint Romæ*. 1432. A. B. &c. 1434. C. 1756. B. C. &c.
—— *qualem Sibyllini libri in Capitolium perduci voluerint*. 1637. B.
—— *Tepula quæ dicebatur undenam Romam deducta*. 1638. C.
—— *Crabra quæ dicta fuit ubinam Romæ fuerit*. ibid. C.
—— *quare veteres eas sub terram merserint prope Romam*. 1643. A.
—— *omnes quomodo Romæ fuerint divisæ*. 1653. A. B. &c.
—— *omnes apud Antiquos in publicos usus erogabantur*. 1655. F.
—— *quare eas non nisi ex castello duci voluerint Romani*. 1661. C.
—— *quo jure in prædium sociorum data fuerit*. 1662. A.
—— *caducæ quales Romæ dictæ fuerint*. ibid. B.
—— *possessores, per quorum fines aquæductus transibant ab extraordinariis oneribus erant immunes*. 1671. B. C.
—— *eam Romæ venalem haberi nolebant Imperatores*. 1674. D.
—— *aquarum Romanarum variæ origines*. 1717. F.
—— *quomodo olim Romæ fuerint dispositæ*. 1758. E.
—— *earum fontes olim a gentilibus culti fuerunt*. 1633. C. E. 1790. C.
Aquæ Alexandrinæ *quales fuerint apud Romanos*. 1687. A. B.
—— *altissimæ in orientaliori urbis angulo undenam venerint*. ibid. B.
Aquam Anienis *quis in urbem introduxerit*. 1634. F.
Aqua Annia *vel Amnia undenam hoc nomen habeat*. 1771. C.

Aquam Antonianam *qui Marciæ ductui accedere fecerit*. 1775. C.
Aqua Anionis *ejusque mensura*. 1650. B. C.
—— *Tepulæ ejusque mensura qualis*. 1650. F.
Aqua Appia *ejusque mensura*. 1649. D.
—— *in quam partem urbis olim pervenerit*. 1694. E. F.
—— *omnium cis Tiberim depressissima erat*. 1695. C.
Aquæ Alsietinæ *quare mensurari non potuerint*. 1751. C.
Aqua Augustæ *qualis Romæ fuerit dicta*. 1452. E.
—— *admodum salubris erat*. 1618. A.
—— *ubinam fuerit Romæ*. 1718. C. D.
—— *ejus origo ubinam fuerit* Romæ. 1618. C. D.
Aqua Claudia *e quibus fontibus pullulaverit*. 1618. C.
—— *quis eam primus inchoaverit*. 1641. A.
—— *quis perfecerit*. ibid.
—— *ejus mensura*. 1651. E. F.
—— *in quam partem urbis fuerit deducta*. 1690. E.
—— *ejus fontes ubinam fuerint*. 1718. A.
Aquæ Crabræ *decursus ubinam circa Romam*. 1757. B.
—— *quomodo alias fuerit dicta*. ibid. E.
—— *an unquam nomine Almonis indigitetur*. 1758. E.
Aqua Herculanea *Romæ laudatissima erat*. 1618. B.
Aqua Janiculensis *fuit aqua Trajani*. 1704. B.
—— *an Alexandrina fuerit vocata*. 1705. A.
Aqua Julia *qualis olim fuerit dicta*. 1617. C. D.
—— *ejus mensura*. 1651. A.
Aqua Labicana *quare ita fuerit dicta*. 1704. B.
Aqua Martia *ubinam fuerit Romæ*. 1544. F.
—— *omnium a Romanis dicebatur saluberrima*. 1617. B.
—— *undenam hoc nomen habuerit*. ibid B.
—— *ejus mensura qualis fuerit*. 1650. C. D.
—— *ejus altitudo quanta fuerit Romæ*. 1694. A. B.
—— *ejus fontes ubinam fuerint*. 1717. F.
—— *quam male a scriptoribus fuerit collocata*. 1720. E. F.
—— *erat saluberrima totius terrarum orbis*. 1735. E.
—— *Dirceis prope Thebas præferenda*. 1736. A.
—— *e Tiburtinis montibus veniebat*. ibid. B.
—— *non celeriter calefiebat*. ibid. C.
—— *Julia & Tepula cum Martia ubinam junctæ fuerint*. 1737. E.
—— *ejus erogationis locus*. 1738. E.
—— *quis eam primus in Urbem ducere auspicatus sit, discrepant Auctores*. 1747. A.
—— *Martia an Marcia scribi debeat*. 1748. A.
Aqua Mercurii *ubinam fuerit Romæ*. 973. E. 1531. E.
—— *cui usui inservierit*. ibid.
—— *Mercurii*. v. *Mercurius*.
Aqua Paula *unde dicta sit*. 1456. A.
Aqua Septimiana *undenam sic fuerit dicta*. 1775. A.
Aqua Serena *ubinam fuerit Romæ*. 1718. B.
Aqua Setina *an unquam fuerit circa Romam*. 1776. E.
Aqua Sextina *Romæ undenam derivari debeat*. 1709. F.
Aqua Tempestatis *ubinam in prima regione*. 1331. F.
Aqua Tepula *ubinam fuerit Romæ*. 1650. D.
—— *Aquæ Tiberinæ Romæ erant medicinales*. 1614. E.
Aqua Trajana *moletrinis erat addicta Romæ*. 1770. D.
—— *ubinam olim fuerit Romæ*. 1455. B.
Aqua Virgo *a quonam in urbem deducta fuerit*. 1451. C. 1561. B.
—— *quare ita a Romanis fuerit dicta*. 1452. B. 1617. 1676. 1788. 1879. E.
—— *in quam partem urbis fuerit deducta*. 1452. B. C.
—— *an in thermas Agrippæ duci potuerit*. 1489. C.
—— *ejus exitus ubinam fuerit Romæ*. 1561. A.
—— *putida reddebat quæ abluebat*. 1617. E.
—— *ejus mensura*. 1651. B.
—— *nullis sordibus polluebatur*. 1676. B.
—— *ubinam ejus prima origo*. 1681. D.
—— *ejus aquæ ductus quam fuerit firmus olim*. ibid. E.
—— *ejus exacta descriptio*. 1682. A. B.
—— *quare non recta via Romam deducta sit*. 1684. E.
—— *quis ejus aquæ ductus auctor*. 1685. A. B.
—— *quis eam primus Felicem appellaverit*. 1721. A.
Aquarum castellum *in qua parte urbis fuerit*. 1068. E.
Aquæ ductuum *admirabilis structura*. 1447. A.
—— *e longinquo petitorum primus fuit aquæ Agrippæ*. ibid. C. D.
—— *quis eam in urbem deduxerit*. ibid.
—— *eorum multi a sequentibus Imperatoribus nova acceperunt nomina*. 1454. F.
—— *quot olim fuerint Romæ*. 1455. A.
—— *quando Roma tales primum acceperit*. 1616. E.
—— *quisnam eorum primus fuerit auctor*. 1617. A.
—— *quinam postea alios addiderint*. ibid. B.
—— *primus a quo Romam introductus*. 1633. C.
—— *quot Frontini tempore fuerint Romæ*. 1634. C.
—— *eos collapsos quis restauraverit*. 1637. A. B.
—— *eorum structuræ quale tempus maxime idoneum fuerit*, 1665. A.
—— *eorum instauratio quibusnam Constantinopoli competierit*. 1672. C.
—— *Aquæ Virginis ubinam inceperit*. 1685. C.
—— *Martiæ, Claudiæ & Anionis ubinam inceperit*. ibid D.
—— *Juliæ aquæ ubinam inceperit*. ibid. E.
—— *Tepulæ ubinam inceperit*. ibid.
—— *Aquæ Alsietinæ ubinam inceperit*. ibid. F.
—— *Anionis veteris ubinam inceperit*. 1686. B.
—— *quot Procopii tempore Romæ fuerint*. 1749. C.
—— *quot ex iis perierint*. ibid. C.
—— *eorum magnitudo*. 1758. A.
—— *an omnes & ubique lateritio opere facti fuerint*. 1758. E. F.
—— *Aquæ Septimianæ ubinam fuerit Romæ*. 1759. D. E.
—— *ejus exacta descriptio*. ibid. E.
—— *an Romæ post Gothos & Vandalos incolumes remanserint*. 1879. E.
—— *quando & quomodo corruerint*. 1891. D.
—— *non nisi incredibili impensa conservari potuerunt*. ibid. E.
—— *Aquæ Claudiæ ubinam fuerit Romæ*. (6)
Aquarii *quomodo & quare fuerint signati*. 1789. B.
Aquarioli *sordidum & impudicum munus fuit*. 1663. E.
Aquila & Priscilla *ubinam habitaverint Romæ*. 1387. C.
Aquileges *vel Aquilices quinam dicti fuerint inter Romanos*. 1639. C.
Aquarii *quomodo aquam venalem circumtulerint Romæ*. 1663 E.
Ara *cœli ubi hodie sita* 916. E. 950. D.
Ara *Consi ubinam fuerit Romæ*. 894. E.
—— *Orbonæ in qua regione urbis fuerit*. 1036. A.
—— *malæ Fortunæ ubinam Romæ fuerit*. 1079. E.
—— *Jovis Liminei in qua regione urbis fuerit*. 1081. C.
—— *Victoriæ ubinam fuerit*. 1139. A. B.
—— *Opis & Cereris in qua regione urbis fuerit*. 1149. F.
—— *Aii Locutii ubinam Romæ fuerit*. 1153. E.
—— *Jovis Pistoris in qua parte Capitolii fuerit*. 1242. A.
—— *Juventutis ubinam fuerit in Capitolio*. 1234. D. 1572. B.
—— *Dei Termini ubinam fuerit*. 1234. D. 1572. B.
—— *Martis ubinam Romæ fuerit*. 937. B. 1289. A.

—— *aræ tres Diis Samothracibus consecratæ fuerunt*. 1889. D.
—— *Mercurii ubinam fuerit Romæ*. (13.)
—— *ubinam eas Diis infernalibus Romani ponere soliti sint*. 1290. A.
—— *Ditis & Proserpinæ ubinam in Campo Martio*. ibid. A.
—— *Febris ubinam fuerit in monte Palatino*. 1337 D.
—— *Palatina ubinam fuerit posita*. 1340. B.
—— *Consi sub terra ubinam in Circo Maximo*. 1359. F.
—— *Maxima ubinam fuerit Romæ*. 1364. C.
—— *quid ea proprie fuerit*. ibid. E.
—— *ab Hercule sibi ipsi posita*. 1365. A.
—— *Jovis Inventoris ubinam ab Hercule dicata*. 1366. C.
—— *Lavernæ in qua regione urbis fuerit*. 1382. A. 1393. E.
—— *Evandri ubinam in Aventino monte*. 1391. C.
—— *Jovis Elicii ubinam in Aventino monte*. 1394. C.
—— *Aræ duodecim quid olim sic dictum fuerit Romæ*. 1410. E.
—— *ubinam dicatæ fuerint*. 1608. A.
—— *Aii Locutii qualis fuerit in octava regione*. 1566. B.
—— *Accæ Laurentiæ in Velabro fuit* 1569. F.
—— *Neptuni quare ad circum Marcelli colloeata*. 1578. A.
—— *Martis qualis in nona regione fuerit*. 1582. F.
—— *Ditis & Proserpinæ quare sub terra fuerit*. 1583. A.
—— *Maxima in foro Boario erecta*. 1593. E.
—— *Jovis Inventoris qualis & ubi fuerit*. ibid. F.
—— *Lavernæ qualis in duodecima regione fuerit*. 1600. B.
—— *Lunæ ubinam in duodecima regione*. 1601. C.
—— *Junonis Reginæ quare a Camillo dicata*. ibid. C. D.
—— *quando id factum fuerit*. ibid. D.
—— *Herculis Victoris ubinam fuerit dicata*. ibid. F.
—— *Evandri in qua regione urbis fuerit*. 1602. B.
—— *Jovis Elicii a Numa dicata fuit*. 1603. D.
—— v. *Jupiter*.
—— *ubinam in monte Aventino*. ibid.
—— *Aræ Divarum Corniscarum ubinam fuerint*. 1609. A.
—— *Arbor quæ* sacra *dicebatur, ubinam fuerit Romæ*. 1009. A.
Arbores *quænam vetustissimæ fuerint*. 1611. C.
—— *Arboses pro Arbores dicebant veteres*. 1827. A.
Arca fœderis *Judæorum an adbuc Romæ reperiatur*. 1031. C. D.
—— *ea in æde Lateranensi semel tantum quotannis religiose ostenditur*. 1538. C.
—— *an adbuc in monte Nebo existat*. ibid. E.
—— *an fuerit in secundo templo*. 1032. A. B.
—— *an adbuc ullibi inveniatur*. 1538. D.
—— *an secunda quædam Arca secundum typum prioris a Zorobabele fuerit facta*. 1538. E.
Archivum *publicum Romanorum in monte Aventino erat*. 1604. B.
—— *quidnam ita a Romanis dictum fuerit*. ibid. B.
Arcus triumphales *primis temporibus extra vias non erigebantur*. 941. D.
—— *Titi ubinam fuerit Romæ*. 1042. E.
—— *Virginis in qua parte urbis fuerit*. 1115. E.
—— *Gordiani ubinam fuerit Romæ*. 1117. F.
—— *Veri & Marci Augustorum in qua parte urbis fuerit*. 1118. A.
—— *Camilli vel Campiliani ubinam fuerit*. 1123. A.
—— *Fabianus in qua parte urbis fuerit*. 1141. D.
—— *primæ portæ*. 920. A.
—— *Jani quadrifrontis in compitis*. ibid. A.
—— *Fabianus ubinam olim fuerit Romæ*. 1027. D.
—— *Severi in qua regione urbis fuerit*. 1160. E.
—— *Tiberii in qua parte urbis fuerit*. 1167. C.
—— *triumphalis Claudii ubinam collocatus*. 1298. D.
—— *Domitiani in qua regione urbis fuerit*. ibid. F.
—— *an ille non rectius dicatur Drusi*. 1299. C.
—— *Constantini perelegans Romæ fuit*. 1346. C.
—— *marmorei quot olim Romæ fuerint*. 1433. A.
—— *Drusi ubinam in prima regione*. 1532. F.
—— *Titi an in quarta regione fuerit*. 1540. C. D.
—— *Domitiani an extra portam urbis*. 1562. D.
—— *Imperatoris Severi qua occasione collocatus*. 1566. E.
—— *Compitalitius ad portam Septimianam fuit*. 1608 A.
—— *quem Augustus in honorem Drusi privigni collocavit*. 1700. C.
—— *Augusti apud Ariminum fuit*. 1701. B.
—— *in Drusi honorem quando fuerit erectus*. 1703. C. D.
—— *Lucii Veri ubinam fuerit*. 1704. A.
—— *utrum sit novitium inventum inter Romanos*. 1945. C.
—— *cuinam primum fuerit statutus*. ibid. E.
—— *an fuerint antiquiores quam ipsa Respublica*. 1946 E.
—— *ornatus qualis dictus fuerit inter Romanos*. ibid. D.
—— *Germanici quo tempore fuerit extructus*. 1946. E.
—— *Drusi quo tempore fuerit extructus*. ibid. E.
—— *qua occasione*. ibid.
—— *Neronis quo tempore fuerit extructus*. ibid. F.
Ardeatina *via ubinam fuerit Romæ*. 982. C.
Areas *quid vocare soliti sint veteres Romani*. 988. D.
—— *quid discriminis fuerit inter areas & fora*. 989. A. B.
—— *area Radicaria undenam Romæ nomen acceperit*. 1379. A. (16)
—— *Mercurii ubinam fuerit Romæ*. (13.)
—— v. *Mercurius*.
—— *Radicaria ubinam fuerit Romæ*. (16.)
—— *cui usui inservierit inter Romanos*. (ibid.)
—— *areæ quando a Diis cognomina acceperint*. (21.)
Arellius *pictor nobilis inter Romanos fuit*. 1468. C.
Argenteus nummus *quando primum Romæ signatus sit*. 1827. A.
—— *olim varii pretii fuit*. ibid. C.
Argeos *ubinam Romani in Tiberim jacere soliti sint*. 1442. D.
—— *ex quo instituto hoc factum*. ibid. E.
Argiletum *quid proprie dictum fuerit Romæ*. 1370. E. 1595. A. B.
—— *ubinam ibi fuerit*. ibid. A.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid. B.
Argonautæ *quot annis ante bellum Trojanum fuerint*. 1925.
Ariccia *urbs an itra Romam olim inclusa*. 1761. B.
Arietem *Jovi immolabat Flaminica omnibus nundinis*. 1538. A.
Arimini *olim principium Galliæ cis-Alpinæ*. 1620. A.
Arma *a militibus Romanis quando in templo Martis suspensa*. 973. B. C. 1531. C.
Armamentarium *Misenatium ubinam Romæ fuerit*. (7.)
Armilustrum *quid veteres Romani vocare soliti sint*. 1391. E.
—— *& Armilustrium quomodo inter se differrent*. ibid. E. F.
—— *quid posterius dictum fuerit a Romanis*. ibid. F.
—— *qualis locus dictus fuerit Romæ*. 1602. C.
—— *qualis ludus*. ibid. C.
Arnulfus *Germanorum Rex quando Romam occupaverit*. 1875. F.
Ars sculpendi *tempore Imperatoris Aureliani multum de præstantia sua perdidit*. 1097. B.

I N D E X

Arsacidæ *Persarum Reges Solis & Lunæ fratres se appellabant*. 1916. E.
Arx *Capitolina an tempore Romuli intra urbis ambitum fuerit*. 895. E. F.
—— *ubinam in Capitolio fuerit*. 1223. D.
—— *quomodo ab eo fuerit distincta*. 1224. B. C.
Asinaria *porta ubinam fuerit Romæ*. 939. C. D.
—— v. *porta*.
Aspiratione *nunquam nisi in vocali utebantur veteres Romani*. 1828. D.
Asses *sextantarii a quo tempore in usu esse cœperint*. 1828. C.
Astu *qualis locus Athenis olim fuerit*. 974. C.
Asylum *a Romulo quem in usum conditum*. 895. E.
—— *ubinam Romæ fuerit*. ibid.
—— *ubinam fuerit in monte Capitolino*. 1571. A. 1216. A.
—— *quid proprie sic inter Romanos dictum fuerit*. 1573. B. C.
—— *quam diu illud jus duraverit inter illos*. ibid. C.
—— *qualia Tiberius aboleri jusserit*. ibid. D.
—— *Romanum non tantum pro servis sed & pro ingenuis fuit*. ibid. D.
Athenæum *ab Hadriano Imperatore fuit erectum Romæ*. 1221. E.
—— *cui usui inservierit*. ibid. E.
—— *in qua parte urbis fuerit*. ibid. E.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 1222. A.
—— *quid veteres ita vocare soliti sint*. 1574. D.
—— *ubinam Romæ in Capitolio fuerit*. ibid. E.
Athenarum *mœnia, earumque magnitudo*. 912. D. 913. D. E. & *seq*.
—— *earum media pars muris carebat*. 914. A.
Atriensis *qualis servus olim dictus fuerit*. 1331. D.
Atrium *domus quid proprie olim fuerit*. 1039. D. E.
—— *quibusnam usibus inservierit olim*. 1040. A. B.
—— *Libertatis in monte Aventino quale dictum fuerit*. 1395. B.
—— *quis illud inter Romanos instauraverit*. 1604. A.
Attalicas *vestes quales veteres appellare soliti sint*. 1479. C.
Atys *sub pinu fuit necatus*. 1612. B.
Auctiones *bonorum ubi solitæ sint fieri Romæ*. 1372. A. B.
Aventinus *mons quando muris Romæ fuerit inclusus*. 907. F.
—— *in qua parte urbis fuerit*. 952. E.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 953. A. B.
—— *ab Anco Martio quibus populis ad inhabitandum datus*. 1385. C.
—— *quis eum primus Romæ adjecerit*. 1525. A.
—— *qualia templa nunc habeat*. 1530. E.
—— vid. *Mons*.
Averruncum *Deum quare invocaverint Quirites*. 1574. A.
Aventinus Sylvius *Albanorum Rex ubinam Romæ sepultus*. 1602. F.
Auguratorium *ubinam in monte Palatino*. 1331. A.
Auguria *in pomœriis augures capere solebant*. 910. B.
Augusta *aqua qualis fuerit Romæ*. 1640. B.
—— *quare sic fuerit dicta*. ibid. C.
Augusta *quare loca religiosa olim dicta fuerint*. 1862. D. E.
Augusti *nomen quot fontes habuerint Romæ*. 1771. D. E. &c.
Augustus *primus in provinciis censum instituit*. 1513. B.
—— *quo tempore Pontifex Maximus creatus sit*. 1863. B.
—— *Consul an fuerit ante vigesimum annum*. 1864. E. F.
—— *quoties Jani portas clauserit*. 1851. D.
—— *an erexerit simulacrum pacis*. 1853. B.
—— *quot obeliscos Romæ erexerit*. 1922. A.
—— *quibusnam illud nomen fuerit datum a Romanis*. 1862. D.
—— *cognomen quando Imperatori Octaviano datum*. ibid. E.
—— *a quibus illud primum fuerit factum*. ibid.
Aullus Gellius *an Agellius sit appellandus*. 903. A.
Aurea domus *Neronis ubinam fuerit Romæ*. 1539. D.
Aureus *nummus quando primum Romæ signatus sit*. 1827. B.
Aurelia porta *ubinam Romæ fuerit*. 943. A. B.
—— vid. *porta*.
—— *via jam tempore Ciceronis cognita fuit*. ibid. E.
Aurelianus *primum post reges muros urbis Romæ dilatavit*. 906. B.
—— *ejus mœnia tamen non ampliore fuere ambitu quam hodierna*. 922. C.
—— *an eidem glebæ ambo inædificata fuerint*. 1525. D.
—— *quare templum Solis construxerit*. 1561. E.
—— *quale id fuerit templum* ibid. E.
—— *ejus aqua qualis olim dicta fuerit Romæ*. 1456. E.
Aurelius *Imperator quartam adversus Christianos persecutionem exercuit*. 1947. B.
—— *an Magorum præstigiis fuerit delectatus*. 1951. A.
Aurigæ *quatuor factionum Circensium quomodo distincti fuerint*. 1253. D. E.
Auspicium *perenne* 1293. A.
—— *ubinam illud observaverint Romani*. ibid.
Ausum *pro aurum dicebant veteres Latini*. 1827. A.

B.

B *loco aliarum literarum sæpe ponebant Romani*. 1814. A.
Babylonis *reliquiæ an adhuc inveniri possint*. 1508. E.
—— *quot mille passus ea urbs fuerit Roma minor*. 1510. A.
Bacchus *an unquam ut senex pictus sit*. 1099. D.
—— *ejus templum* vid. *templum*.
Balbus *primus exterorum Romæ triumphavit*. 1291. B.
Balneum *Vettii Bolani ubinam fuerit Romæ*. 981. B.
—— *Mamertini in qua regione urbis fuerit*. ibid. B.
—— *Daphnidis ubinam olim fuerit*. 1058. B.
—— *Agrippinæ, Neronis matris ubinam fuerit*. 1080. E. F.
—— *Pauli in qua parte urbis olim fuerit*. 1092. B. 1553. E.
—— *Abascantianum* vid. *Abascantianum*.
—— *Antiochiani ubinam fuerit Romæ*. 981. A.
—— *Torquati* vid. *Torquatus*.
—— *Palatinum quale Romæ sic dictum*. 1122. A. B.
—— *ubinam illud fuerit in Palatio*. 1330. E.
—— *Cn. Domitiani Calvini in monte Palatino fuit*. 1343. C.
—— *quot balnea olim Romæ fuerint*. 1433. B. 1435. A. (13)
—— *Narcissi Claudii Imperatoris liberti, ubinam olim fuerit*. 1584. D.
—— *frequentius Balineum quam balneum dicere solebant veteres* 1597. C.
—— *privilegia balneis publicis tributa*. 1661. D.
—— *quare a quibusdam Imperatoribus fuerint eversa*. 1890. A.
—— *commune solebat esse viris & fœminis*. 1891. A.
—— *Suræ quare ita fuerit olim dictum*. (8)
—— *Balnei Cæsaris exacta descriptio*. (11)
—— *Ampelidis ubinam fuerit Romæ*. (13)
—— vid. *Thermæ*.
Baptisterium *Constantini an olim fuerit Romæ*. 1534. D. E.
—— *ubinam fuerit*. ibid.

—— Constantiæ Constantini sororis ubinam fuerit. 1551. E.
Barbari animantium imaginibus animi sensum exprimebant. 1913. C. D.
—— a quibus illi hoc didicerint. ibid.
Barbarorum Regum nomina ab auctoribus non eodem modo exarantur. 1915. C. D.
Basilii sepulcrum latrociniis fuit infame. 985. B.
Basilica & regia apud Romanos voces synonymæ sunt 1029. A.
Basilicæ qualia ædificia fuerint olim Romæ. 1567. D. 1183. D.
—— non multum erant dissimiles hodiernis Byrsis. ibid.
—— an etiam inaugurari solitæ ut templa & curiæ. 1159. E. F.
—— Pauli Æmilii ubinam olim fuerit Romæ. 1030. A.
—— Constantini ubinam olim fuerit Romæ. 1034. F.
—— & forum quare sæpius a scriptoribus confundantur. 1050. D. 1541. F.
—— Caii & Lucii ubinam Romæ fuerit. 1067. C.
—— a quo constructa. ibid. C.
—— veterum nunquam fuit decagona aut rotunda. ibid. D.
—— Sicinii ubinam olim fuerit Romæ. 1077. B.
—— Portia in qua regione urbis fuerit. 1144. E. F.
—— in hac Tribuni plebis jus dixerunt. 1145. A.
—— ea omnium prima in urbe Roma exstructa fuit. 1145. B. 1567. D.
—— quænam hanc insecutæ sint. 1567. D. E.
—— Sempronia in qua regione Urbis fuerit. 1152. D.
—— Julia ubinam olim fuerit Romæ. 1159. C.
—— in ea causæ Centumvirales agi solebant. 1160. A. B. 1566. D.
—— Pauli in qua regione urbis fuerit. ibid. D. 1567. C.
—— Pauli Æmilii qualis olim fuerit. 1179. B.
—— Argentaria in qua regione Urbis fuerit. 1186. C. D.
—— cui usui inservierit. ibid.
—— Trajani in qua parte Urbis fuerit. 1187. D.
—— Pompeii ubinam olim fuerit Romæ. 1264. A.
—— Antonini in qua regione Urbis fuerit. 1300. D.
—— quot olim basilicæ Romæ numeratæ fuerint. 1431. C.
—— sive curia fuit in singulis foris Romanis. 1541. E. F.
—— Sicinini in qua regione urbis fuerit. 1548. C. D.
—— Opimii ubinam olim fuerit Romæ. 1565. D.
Basis Capitolina regiones urbis Romæ continens. 966. C. 790. A.
Belenus qualis Deus fuerit apud veteres. 1562. A.
Belisarius partem murorum Romanorum instauravit. 923. A.
—— quare alteram partem intactam reliquerit ibid. A.
—— an eos contraxerit. 1628.
—— an auxerit. ibid.
—— qua via cum exercitu Romam venerit. 1533. A.
Bellonæ ædes qualis olim Romæ fuerit. 1256. B.
—— in qua regione urbis fuerit. ibid.
—— quis eam voverit. ibid. D.
—— v. ædes.
—— eam inter Deas quare coluerint Gentiles. 1574. B.
Belum quænam gentes olim coluerint. 1562. A.
Benedicti prophetia de ruina Romæ. 1885. A.
—— quis ille fuerit. ibid.
Beneventum colonia Romanorum quare sic dicta. 1815. E. F.
Berenice Ptolomæi uxor fuit ab Ægyptiis consecrata 1557. E.
—— quo titulo id ab iis fuerit factum. ibid. E.
Bibliotheca Ulpia ubinam fuerit Romæ. 1103. D.
—— duæ fuerunt, altera Græcorum, altera Latinorum librorum. 1189. B.
—— quando in foro Trajano fuerit exstructa. ibid.
—— in quem locum ex foro Trajano fuerit translata. 1189. D. 1558. C.
—— permultis libris omnis generis fuit instructa. 1569. A.
—— qualis olim fuerit in Capitolio. 1220. B.
—— quis hujus fuerit auctor. ibid. C.
—— quis primus bibliothecam publicaverit. ibid. C. 1604. C.
—— quot publicæ tempore Augusti fuerint. ibid. D. E.
—— domus Tiberianæ ubinam in monte Palatino. 1325. A.
—— Libertati dedicata in monte Aventino. 1395. B.
—— quot publicæ fuerint Romæ. 1430. C.
—— quot celebriores inter illas fuerint. ibid.
—— Alexandrina aliquando numero multitudinis appellatur, & quare. 1569. B.
—— Marcelli ubinam in nona regione fuerit. 1576. F.
—— Vaticana a quonam primum collecta. 1614. B.
Bilius primus navali pugna Pœnos superavit. 1942. F.
—— is Duilius postea est appellatus. ibid. F.
Ais ex duis veteres fecere Romani. 1914. B.
Blattaria qualia balnea vocarint veteres (9)
Bona Dea multa nomina habebat apud Antiquos. 1599. D.
—— eorum enumeratio. ibid. D.
—— v. Dea.
Bona proscriptorum ubinam hastæ subjici consueverint 1595. C.
Borysthenes equus Hadriani Imperatoris dictus olim fuit. 1613. E.
—— ejus epitaphium. ibid. E. F.
Bovillæ ubinam prope Romam sitæ fuerint. 1509. E.
Bovem Lucam quale animal vocarint veteres Romani. 1819. E.
Bruttiorum pœna, qui ad Hannibalem desciverant. 1579. E.
Bubulli generis negotiatio ubinam Romæ fieri solita. 1570. B.
Bullæ Pontificum an auctoritatem dare possint antiquitatibus. 1720. C.
Burramus lacus ubinam olim fuerit. 1767. A.
Busiris secundus Ægyptiorum Rex fuit. 1910. D.
—— Thebas quo tempore condiderit. ibid. D.
Busta Gallica ubinam olim fuerint Romæ. 1016. E.
—— cui usui inservierint. ibid.
—— quare ita a Romanis fuerint dicta. 1536. B. C.
Bustum Cæsarum ubinam in campo Martio fuerit. 1289. C. 1581. A. D. E.
—— a quo primum fuerit ibi extructum. ibid. E.

C.

Caci scalæ quot & ubinam fuerint Romæ. v. scalæ.
Cadavera viliora ubinam olim Romæ sepulta fuerint. 1071. F.
—— pauperculorum ubinam olim Romæ comburi consueverint. 1545. E.
—— pauperrimorum relinquebantur putredini. ibid. E.
Cardines portarum Capitolii quare fuerint ærei. 1207.
Caducæ quales aquæ dictæ fuerint apud veteres. 1656. A. D.
Cadus quid proprie fuerit apud veteres Romanos. 1645.
Cæsar an in via sacra propriam domum habuerit. 1032. E.
—— undenam hoc nomen primum acceperit. 1861. E. F.
—— quisnam ita posterioribus temporibus dictus fuerit. 1862. A.
—— cum dicitur absolute, Dictator Cæsar intelligitur.
(11)

—— *ejus statua equestris*. v. *statua*.
Cajus *Cæsar qualem statuam Hierosolymis locandam imperaverit*. 1557. F.
Cajus Caligula *Latialis Jupiter salutatus*. 1916. E.
Calabri *in bubus tributum solvebant Romanis*. 1490. D.
Calix *qualis modulus fuerit in aquæductibus*. 1648. A.
—— *aquarum Romæ quare aliquando non signatus*. 1662. D.
—— *calices aquæductuum quomodo deberent ordinari*. ibid. E.
Camarini *a quo devicti & sub hasta venditi fuerint*. 1385. C.
Camœnarum *ædes & lucus ubinam fuerint Romæ*. 975. D.
—— *pagus ubinam olim fuerit*. 1766. C.
—— *lucus* vid. *Lucus*.
—— *fons* vid. *Fons*.
Cambyses *cum omnia Thebis ferro flammaque devastaret, Obelisco tamen pepercit*. 1919. D. E.
Campanus *ager olim optimum ferebat frumentum*. 1614. F.
Campani *in calce viva tributum solvebant Romanis*. 1490. D.
Campus *cum absolute ponitur apud Romanos scriptores semper significat campum Martium*. 937. F.
—— *quot campi olim fuerint Romæ*. 1431. A. 1434. A.
Campus Agrippæ *ubinam fuerit Romæ*. 1120. B.
Campus Bruttianus *in qua regione Urbis fuerit*. 1412. D.
—— *qualis fuerit*. 1608. F.
Campus Codetanus *ubinam fuerit Romæ*. 1608. F.
—— *quare ita fuerit dictus*. ibid. F.
Campus Cœlimontanus *ubinam fuerit incertum est*. 1003. E.
Campus Esquilinus *ubinam fuerit Romæ*. 1071. F.
Campo di fiore *undenam hoc nomen habeat*. 1583. D. E.
Campus Horatiorum *ubinam Romæ fuerit*. 980. C.
Campus Jovis *in qua regione Urbis fuerit*. 1296. E.
Campus Martialis *ubinam fuerit Romæ*. 1003. B.
Campus Martius *extra Romam fuit*. 915. C.
—— *ejus exacta descriptio*. 1272. D. E. &c.
—— *quando Marti fuerit consecratus*. 1273. B.
—— *a quo id fuerit factum*. ibid.
—— *quare is simpliciter fuerit vocatus Campus*. ibid. C. D.
—— *qua regione & loco fuerit delectus*. ibid. E.
—— *antea Tarquiniorum ager fuit dictus*. 1580. E.
—— *duplex fuit major & minor*. ibid.
—— *cui rei fuerit destinatus*. 1581. A. B.
Campus Minor *ubi fuerit*. 1293. B.
—— *an sit idem qui campus Tiberinus*. ibid.
Campus Sceleratus *ubinam fuerit in sexta regione*. 1559. D.
—— *Agrippæ ubinam fuerit disputant Antiquarii*. 1562. E.
Campus Tiberinus *ubi situs fuerit*. 1294. A.
—— *bodie campus Florum dicitur*. ibid. A.
Campus Vaticanus *ubinam fuerit Romæ*. 1419. D. E. &c.
Campus Veranus *extra quam portam fuerit*. 1548. E.
Campus Viminalis *ubinam fuerit Romæ*. 1081. D. 1550. E.
Canales *quales aquæductus appellaverint veteres*. 1656.
Canalicolæ *quales homines dicti fuerint inter Romanos*. 1170. C.
Cancellarii *quare Notarii olim fuerint dicti*. 1181. C.
Candidati *quo olim in loco se populo conspiciendos præbuerint*. 1283. C.
Caniculæ *sideri quare rufæ canes immolatæ fuerint*. 938. E.
Canis *in crucem actus quare Romæ in pompa gestatus*. 1612. C.
Canna *qualis mensura fuerit inter Romanos*. 1714. D.
Canon *quid significet apud veteres historicos*. 1490. C. D.
—— *quid apud inferioris ævi scriptores*. ibid. E.
Capena porta *hodie* S. Sebastiani. 915. D.
—— *quare a Poetis madida stillansque dicta*. 937. D.
—— *an olim fuerit dicta porta triumphalis*. 1528. A.
—— *ita dicebatur regio prima Romana*. v. *Regio*.
Capitolium *an a Romulo an vero Tito Tatio Romæ additum sit, incertum est*. 895. A.
—— *muris cinctum & portis instructum fuit*. 900. D.
—— *saxis quadratis fuit substructum*. 950. D.
—— *quomodo antea vocatum fuerit*. 951. B.
—— *undenam hoc nomen acceperit*. ibid. C. 1575. C. 1530. D.
—— *ejus incolæ in quas tribus Romæ fuerint transcripti*. 958. D.
—— *vetus ubinam in Quirinali fuerit*. 1099. E.
—— *eo triplici via ascendebatur*. 1198. C. D.
—— *quomodo ab arce fuerit distinctum*. 1224. A. B. *fuit omnium Deorum domicilium*. 1227. F.
—— *unde aurei cognomen acceperit*. 1236. C.
—— *quot Capitolia olim fuerint Romæ*. 1432. F.
—— *vetus quando hoc nomen acceperit*. 1557. B.
Capitolini montis *exacta descriptio*. 950. D. E.
—— *ille mons a quo Romæ fuerit adjectus*. 1525. A.
—— *qualia bodie habeat ædificia*. 1530. D. E.
—— *qualia olim habuerit*. ibid. E.
—— *quomodo antea fuerit appellatus*. 1530. C. D.
Capras *quare circa Jovis ædem pinxerint veteres*. 1799. E.
Capras *quare Nymphis & fontibus immolaverint veteres*. 1801. D.
Captivi *quousque Romæ in triumphum duci soliti*. 1207. C.
Caput *vici Africi ubinam fuerit Romæ*. 999. B.
—— *quare ita fuerit dictum*. ibid. B.
Capitis supplicio *ubinam Romani affecerint reos*. 1073. B.
Caput *Colossi Neroniani quam varie mutatum fuerit*. 1588. B.
Capite intecto *quibusnam Numinibus sacrificarint veteres*. 1727. F.
Caracalla *imperator undenam hoc nomen acceperit*. 1377. D.
Carcer *in monte Capitolino ubinam fuerit*. 1208. B. C.
—— *in quo carcere Petrus Apostolus fuerit detentus Romæ*. ibid. B.
—— *Mamertini qualisnam in monte Capitolino*. ibid. C.
—— *qua occasione ille ibi extructus*. ibid. D.
—— *Latomiarum ubinam fuerit*. ibid. F.
—— *Tullianus qualis olim dictus fuerit*. 1209. A.
—— *ubinam fuerit in foro Romano*. 1566. E.
—— *qualis locus in Circis ita dictus fuerit*. 1352. F.
—— *Claudii Decemviri qualis ita dictus fuerit*. 1252. D.
—— *ubinam fuerit in nona rogione*. 1581. A.
—— *cui usui fuerit in Circis Romanis*. 1591. A.
Cardinem *qualem lineam vocarint Aruspices*. 1505. A.
Carinæ *in qua regione fuerint Romæ*. 1013. A.
—— *unde vicus hoc nomen acceperit*. ibid. D.
—— *tale nomen qualia loca Romæ habuerint*. 1535. C. D.
—— *veteres ubinam fuerint Romæ*. 1541. D.
—— *qualia ædificia sic fuerint dicta Romæ*. (18)
Carmentalis porta *Romæ a Romulo fuit extructa*. 895. D.
—— *in qua parte Urbis fuerit*. 901. A. B.
—— vid. *porta*.
Carseolana *Colonia ubinam fuerit*. 1722. D.
Carthaginis *numismata* vid. *numisma*.
Carthago *an a Didone an vero ejus matre fuerit condita*. 1925.

—— *quot annis post captam Trojam*. 1926.
Carthusianum *monasterium hodie occupat partem thermarum Diocletianarum*. 1558. B.
Caryatides *quid olim significaverit Romanis*. 1268. C.
—— *quales columnæ fuerint*. 1579. D.
Casa *Romuli ubinam fuerit in Capitolio*. 1240. A.
—— *qualis domus ita dicta fuerit*. 1319. C. D.
Cassinas *ager olim optimum ferebat oleum*. 1437. A.
Castellarius *quisnam dictus fuerit apud Romanos*. 1786. E.
Castellum *S. Angeli, olim moles Hadriani*. 1611. F.
Castellum *aquæ Augustæ ubinam fuerit Romæ*. 1619.
—— *ita vocabant veteres receptaculum aquarum*. 1786. D. E.
—— *quomodo a Romanis fuerit fabricatum*. 1700. C. D.
Castorem *& Pollucem ex ovo prodiisse credidit Antiquitas*. 1591. E.
—— *illius ædes ubinam fuerit in Circo Flaminio*. 1257. F.
Castra *quot olim fuerint Romæ*. 1433. C. D.
—— *equitum singulorum quot ibi fuerint*. ibid. D.
Castra Gentiana *ubinam fuerint Romæ*. 1124. E.
Castra Lecticariorum *ubinam ibi fuerint*. 1406. D.
Castra Missenatium *ubinam olim fuerint Romæ*. 1001. C.
—— *qualia loca ita dicta fuerint*. 1023. C. D.
—— *quinam ibi morati fuerint*. (7.)
—— *eorum armamentarium* ibid.
Castra Peregrina *ubinam olim fuerint Romæ*. 1001. B. C.
—— *qualia ita dicta fuerint*. ibid.
Castra Prætoria *quis Romæ destruxerit*. 925. B.
—— *ubinam illa olim fuerint Romæ*. 1082. A. B.
—— *an semper ibi in eodem fuerint loco*. 1509. B.
—— *qualis locus ita dictus fuerit* 1532. C.
—— *extra quam portam olim ibi fuerint*. 1550. F.
Catonem *inter & Cæsarem comparatio*. 1925. A.
Catularia porta vid. *porta*.
Cava *quadrata in Amphitheatro aliisque ædificiis a quibus facta*. 1892. E.
Cavædia *qualis locus olim dictus fuerit a Romanis*. (4.)
Causæ *Centumvirales ubinam agi solitæ*. 1160. A. B.
—— *civiles Romæ agebantur sub dio*. 1181. B.
Cella *Minervæ ubinam in Capitolio fuerit*. 1234. C. D.
—— *Palatina Atriensis qualis locus fuerit*. 1331. D.
—— *in Circis cui usui fuerit*. 1356. F.
Cenotaphium *Alexandri Imperatoris ubi fuerit*. 1613. A.
Census *civium Romanorum variis temporibus habiti*. 1511. C. D. &c.
Censores *ubinam convenerint in monte Aventino*. 1614.
—— *Romæ jus habebant dandæ & vendendæ aquæ*. 1656. A.
Census *populi Romani ubinam primum fuerit actus*. 965. F.
—— *quis eum primus in Provinciis instituerit*. 1513. B.
—— *stante Republica Romæ tantum fuit habitus*. ibid. B.
Centenariæ *quales mensuræ apud Romanos*. 1647. B.
—— *eo numero in amplificando utuntur tam Poetæ quam Oratores*. (17.)
Centrum *circuli quid proprie dicatur*. 1509. A.
Centumvirorum *jurisdictio Romæ quousque se extenderit*. 1211. E.
Centuriæ *olim in campum Martium convocatæ singulæ ordine a Prætore citari solebant*. 1284. A.
Cerdones *quare olim ab Urbe excluderentur*. 1406. E.
Ceriolensis *vicus an pars Carinarum fuerit*. 1013. E. F.
Certamina *gymnica in circis exercita*. 1592. C. D.
Cestii *familia qualis olim apud Romanos*. 1475. D. E.
—— *pyramis* vid. *pyramis*.
Carta *quo tempore in Ægypto fuerit inventa*. 1412. A.
Choragium *summum quo tempore fuerit Romæ*. 1015. B.
—— *in qua regione Urbis olim fuerit collocatum*. (11.)
—— *qualis locus ita dictus fuerit Romanis*. ibid.
Christus *an fuerit in Larario Imperatoris Alexandri Severi*. 1607. D.
—— *an ipse ei templum facere voluerit*. ibid. E.
—— *quo anno mundi fuerit natus*. 1911. F.
Christiani *in quot regiones Romam distinxerint*. 962. A. B.
—— *ubinam unaquæque regio fuerit sita*. ibid. E. F.
—— *ubinam olim Romæ cum sacris delituerint*. 1532. A.
—— *eorum Cryptæ tempore persecutionis ubinam fuerint*. 1549. B.
—— *an eis potestas fuerit publicas Ecclesias ædificandi sub Ethnicis Imperatoribus*. 1409. D. E.
—— *in exercitu Marci Aurelii qua de causa fuerint*. 1947. E.
—— *an aliquando sub nomine Judæorum intelligantur a Romanis*. 1948. A.
—— *Ceraunoboli nomen quare eorum legio habuerit*. 1950 B.
Chrysocolla *quale genus lapidis fuerit olim*. 1360. E.
Chrysocolla *Caligula & Nero Circum straverunt*. 1592. B.
Ciconia *pietatem hieroglyphice significabat apud Ægyptios*. 1913. C.
Ciminia *aqua an fuerit inter aquæductus Romanos*. 1774. C.
—— *an fuerit eadem cum Sabatina*. 1456. B. 1774. C.
Circenses *pompæ* vid. *pompæ*.
Circorum *exacta descriptio*. (23.)
Circus Agonalis *ubinam fuerit in nona regione*. 1581. A.
—— *quare ita fuerit dictus*. ibid. D.
—— *ejus exacta descriptio*. 1277. B. C. &c.
Circus Alexandri Severi *in qua regione fuerit*. 1276. F.
Circus Aureliani *ubinam fuerit. Romæ*. 1065. C.
Circus Caracallæ *ubinam Romæ fuerit*. 979. E. 1532. A.
—— *qua de causa fuerit extructus*. 979. F.
—— *differentia inter hunc & Circum Maximum*. ibid. F.
Circus Elagabali *ubinam in quinta regione fuerit*. 1544. C.
Circus Flaminius *quota regio urbis fuerit*. 1247. A. B.
—— *ab eo an triumphi Romæ inceperint*. 943. A.
—— *ejus exacta descriptio*. 1253. C. D &c.
—— *legatis hostium quando in eo Senatus dari inceperit*. 1528. B.
—— *non raro a Tiberi inundabatur*. 1559. C.
—— *quis ejus primus fuerit conditor*. ibid. 1577. E.
Circus Floræ *ubinam fuerit Romæ*. 1075. E. 1101. C. 1557. C.
—— *ejus descriptio*. 1547. A. B.
—— *& theatrum Floræ an inter se differant*. 1548. E.
Circus Maximus *quænam regio fuerit dicta Romæ*. 1349. F.
—— *ubinam ea regio fuerit sita*. ibid.
—— *ejus exacta descriptio*. 1350. *& seq.*
—— *a Tarquinio Prisco an primum fuerit institutus*. 1350. D. E.
—— *undenam nomen Circi primum acceperit*. 1351. A.
—— *quare Maximus olim fuerit dictus*. ibid. B.
—— *ejus forma*. ibid. B. C.
—— *ejus longitudo & latitudo*. ibid. D. E. 1590. D.
—— *quot millia spectatorum capere potuerit*. ibid. C. 1590. D. E.

—— *in quo diversus a theatris*. 1352. E. F.
—— *sæpius incensus & ampliatus est*. 1355. A. B.
—— *an idem* intimus *dictus fuerit*. 1361. D.
—— *ejus ex valle Murcia exactissima descriptio* 1589. E. F. *& seq.*
—— *quorum permissu diebus ludorum irrigari debuerit*. 1656. E. F.
—— *post Gothos & Vandalos Romæ incolumis remansit*. 1879. C.
—— *non a terræ motu sed ab hominibus dirutus est*. 1885. D.
—— *Soli προηγουμένως consecratus erat*. 1889. C. D.
—— *ejus singula ornamenta singula erant Deorum templa*. ibid. D.
—— *ejus ornamenta qualia fuerint*. ibid. D.
Circus Neronis *in campo Vaticano fuit*. 1420. C.
Circus Sallustius *ubinam in sexta regione fuerit*. 1558. C. D.
Cispius *mons ubinam fuerit Romæ*. 955. E.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid.
Cisternæ *quomodo olim Romæ fuerint constructæ*. (22.)
Citonius *mons sive collis ubi fuerit*. 1282. D.
—— *unde ita dictus*. 1283. F.
Cives *Romani quo tempore maximo fuerint numero*. 1512. C.
Classes *in sex populum divisit Servius*. 958. A.
Classem 120. *navium sexaginta diebus instruxit* Duilius *Consul Romanus*. 1822. E.
Claudia aqua *quando in urbem deducta*. 1453. A.
Claudii *templum* vid. *templum*.
Clatra *Dea qualis fuerit apud Romanos*. 1101. A.
Clivus Capitolinus *in qua parte Urbis fuerit*. 1201. B. C.
Clivus Cinnæ *ubinam fuerit Romæ*. 1429. B.
Clivus Cucumeris *in qua regione urbis fuerit*. 1086. B.
Clivus Martis *quando & quomodo in planitiem deductus*. 1696. F.
Clivus publicus *ubinam Romæ fuerit*. 1101. E.
Clivus Victoriæ *in qua regione Urbis fuerit*. (8.)
Clivus Virbius *vel Orbius vel Urbius an unquam fuerit Romæ*. 1336. C.
—— *in qua regione Urbis olim fuerit*. 1507. B.
Cloacæ *variæ olim fuerunt Romæ*. 1170. B. &c.
—— *cloacarum omnium Romanarum exacta descriptio* 1457. C. D. &c.
—— *quis eas primus Romæ fabricaverit*. ibid. C.
—— *Maximam quis fieri curaverit*. ibid. E.
—— *ubinam illa olim fuerit Romæ*. 1567. A.
—— *quando illæ Romæ in usu esse cœperint*. ibid. C. D. 1618. E.
—— *cloaca Maxima ubinam in ripa Tiberina habuerit exitum*. 1594. E.
—— *in cloacis veterum Romanorum quid maxime admiratione dignum fuerit*. 1618. E.
—— *quis veteres expurgaverit & novas addiderit*. 1619. A.
Cluere *antiqui purgare dicebant*. 1177. A.
Cluiliæ fossæ. v. *fossæ*.
Cluverus *refutatur*. 887. *& seq.*
Codeta *qualis ager Romæ sic dictus*. 1412. E.
Cœciliæ, *Metelli Cretici filiæ sepulcrum ubinam fuerit*. 984. E.
Cœditiæ tabernæ. v. *tabernæ*.
Cœlimontana regio *fuit secunda Romæ*. 989. F.
—— *porta*. v. *porta*.
Cœliolus collis *sic dictus ubinam Romæ fuerit*. 917. E. F. 951. F. 952. A. B.
Cœlius mons *in qua parte Urbis fuerit*. 951. C. D.
—— *an a Romulo Romæ fuerit adjunctus*. 896. D.
—— *quis eum primus muris circumdederit*. 902. C.
—— *ejus exacta descriptio* 651. C. D.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 952. D.
—— *quomodo antea fuerit dictus*. ibid. E.
—— *qualia ædificia in eo fuerint*. 1000. D. E.
—— *quo tempore Romæ fuerit junctus*. 1505. D.
—— *qualia hodie habeat ædificia*. 1530. E.
Cœmeterium Sanctorum *an fuerit in Circo Neronis*. 1421. A.
Cœnas triumphales *ubinam dare fuerint Romani soliti*. 1230. B.
Cœna Vitellii *celebris inter antiquos fuit*. 1615. A.
Cœnaculum *in quo Petrus & alii Apostoli Romæ habitarunt, ubinam fuerit*. 1117. D.
Cœnatio Jovis *qualis locus in Palatio sic vocatus*. 1330. E.
Cœre *urbs olim in Italia quomodo nunc dicatur*. 1706. A
Cœruleus *unus ex præcipuis aquæ Claudiæ fontibus*. 1752. D.
Cohortes *prætoriæ quot olim fuerint Romæ*. 1433. C.
—— *quot urbanæ ibi fuerint*. ibid. C.
—— *quot excubitoriæ ibi fuerint*. ibid.
Coliseum *sive Colosseum quare hodie ita dicatur*. 1535. D.
—— *idem est quod olim Amphitheatrum Titi*. ibid. D.
Collatina porta. v. *porta*.
Collina porta *quare ita fuerit dicta*. 930. D. *Ea quoque Agonensis dicta*. ibid.
—— v. *porta*.
Collina *una ex regionibus urbis Romæ*. 957. B.
—— *ubinam illa fuerit*. ibid.
Collis *hortulorum ubinam fuerit Romæ*. 922. D.
—— *portæ Latinæ an olim Cœliolus fuerit*. 992. A.
—— *Latiaris in qua parte Urbis fuerit*. 1093. B. C.
—— *Martialis ubinam fuerit Romæ*. ibid. E.
Colosseus Serapis. v. *Serapis*.
Colossum *solis ubinam Nero erexerit Romæ*. 1036. E.
—— *varietas scriptorum de hoc Colosso*. 1037. C. D.
Colossus *Jovis ubinam fuerit*. 1296. D.
—— *Apollinis, Tuscanici operis, ubinam in monte Palatino*. 1334. B.
—— *quot in universum olim Romæ fuerint*. 1432. F.
—— *quot ænei olim ibi fuerint*. 1433. B.
—— *quot marmorei*. ibid. B.
—— *Maximus in qua regione Urbis fuerit*. 1539. E. F.
—— *ingens fuit in templo Apollineo Augusti*. 1588. A.
—— *colossi duo in Memnonis regia quales fuerint*. 1918. C.
Columnæ *pro tropæis in foro positæ erant ab antiquis*. 1170. E.
—— *earum usus antiquior est quam statuarum*. ibid. E.
—— *quales Claudio statutæ fuerint*. 1171. B.
—— *eas super cadavera collocare undenam natum*. 1464. C.
—— *e marmore quando primum Romæ visæ*. 1564. C.
—— *quales olim in foro Romano fuerint*. 1567. B.
—— *æreæ quatuor ex rostris navium Ægyptiarum conflatæ ubinam positæ*. 1576. A.
—— *inter eas & pilas qualis sit differentia*. 1804. F.
—— *indices erant rerum præclare gestarum*. 1943. D.
—— *quam antiquus hic fuerit mos*. ibid.
—— *columna rostrata quo tempore in Capitolio collocata*. ibid. A.
Columna Antonini *ubinam fuerit in campo Martio*. 1580. F.
Columna cochlis Antoniniana *ubinam Romæ fuerint*. 1302. E.
—— *cochlides columnæ quot olim fuerint Romæ*. 1432. F.
—— *generis Corinthiaci an Jovi Statori conveniant*. 1319. B.
Columna Cæsaris *quo tempore fuerit posita*. 1944. D.
—— *a quibus fuerit posita*. ibid. D.
Columna Lactaria *ubinam fuerit Romæ*. 1372. B. 1595. C.
—— *cui usui olim inservierit*. 1372. B.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid.

Columnæ milliariæ *in via Appia quales fuerint*. 1619. F.
—— *quis has & alias per totam Italiam primus posuerit*. 1620. A.
—— v. *milliaria*.
Columna milliaria *in qua parte Urbis fuerit*. 1164. D.
—— *cui usui inservierit*. ibid. D.
—— *a quo fuerit constituta*. 1165. E.
Columna Mœnia *undenam hoc nomen acceperit*. 1145. D.
—— *ubinam Romæ olim fuerit posita*. 1944. B C.
Columna Messia *in Circo maximo undenam hoc nomen acceperit*. 1359. C.
Columna Sessia *unde dicta*. 1359. C.
Columna Trajana *ubinam fuerit Romæ*. 1186. E.
Columna Tutelina *undenam hoc nomen habeat*. 1359. C
Comitis Herculis *monumentum ubinam extiterit Romæ* (13)
Comitium *ubi fuerit*. 1564. D.
—— *quis locus ita dictus fuerit*. ibid.
—— *quando velis tegi cœperit*. ibid. E.
—— *is locus cui rei in principio inservierit*. 1139. D.
—— *quare ita fuerit dictum*. ibid. D.
—— *ubinam olim fuerit Romæ*. ibid. F.
—— *quo tempore primum fuerit tectum*. 1140. C.
—— *primarius ejus usus qualis fuerit*. ibid. E.
—— *in quo Horatii Coclitis statua, ubinam fuerit*. 1540. F.
Comitia quotuplicia *fuerint apud Romanos*. 1530. B.
Comitia centuriata *unde ita dicta fuerint*. 1530. B.
Comitia curiata *qualia fuerint dicta*. 1140. E.
—— *qua de causa hæc olim fuerint instituta*. ibid. E.
Commentarii *sacerdotum Ægyptiorum quando perierint*. 1619. C.
Commentarii Servii Tullii. 888. F.
Compitum *Fabritii ubinam Romæ fuerit*. 949. A. B. 971. D.
Compita *Romæ circiter quartam partem circorum absolvebant*. 966. E.
—— v. *Regiones*.
—— *quot olim fuerint Romæ*. 1531. B.
—— *Larium quot Roma olim habuerit*. 1767. E.
Compositio *Antiochi magni adversus venena*. 1610. B.
Conciones *Consulum ubinam Romæ habitæ fuerint*. 5[illegible]5. A.
Conditoria *Romæ olim in urbe non permittebantur*. 1559. B.
Consecrationis *apud Romanos schemata*. 1612. C.
Constantinopolis *quomodo Romam perdiderit*. 1516. C.
Constantinus *Urbis ambitum quomodo ampliaverit*. 925. B.
—— *ubinam & a quo fuerit baptizatus*. 1004. F.
—— *a quo tempore ei nomen* Maximi *datum*. 1345. E
Consulatus *omnes an Augustus continuaverit*. 1359.
Consules *ubinam Romæ triumphum petere consueverint*. 942. A.
—— *cum auspicarentur aut deponerent Magistratum ubinam verba ad populum fecerint*. 1137. A.
—— *ubinam Romæ jus dicere soliti sint*. 1188. B.
—— *undenam togam pictam accipere soliti sint*. 1233. F.
—— *genti alicui bellum indicturi undenam hastam jacere soliti sint*. 1256. B.
—— *ordinarii quinam dicti fuerint a Romanis*. 1486. C.
Consul *erat beneficii nomen, Imperator virtutis*. 1864. C.
Consum *quem Deum appellaverint Romani*. 1590. B. 1591. F.
Conus *quid proprie dicatur apud Græcos*. 1908. D.
Coriolanus *ubinam circa Romam castra metatus sit*. 983. F.
—— *ejus castra ubinam in prima regione fuerint*. 1533. B.
Corneta *qualis locus olim Romæ fuerit*. 1046. C.
—— *ubinam fuerit*. ibid.
Cornificia familia *sub Augusto Romæ floruit* (3)
Cornus *Romuli dicebatur hasta ejus revirescens*. 1319. F.
—— *ubinam servata fuerit*. 1320. A. B.
—— *in quo loco olim germinaverit*. 1585. E.
Cornuti *quare aliqui Imperatores Græci in nummis videantur*. 1557. E.
Cornuum *decus in ludibria virorum quis primus inter antiquos converterit*. 1557. E.
Corona *Jovis Capitolini fuit ex solido auro*. 1233. D.
—— *quercea ante domum Augusti quare e decreto Senatus*. 1323. D.
—— *civica qualis dicta fuerit inter Romanos*. 1587. F. 1584. A.
—— *navalis a Claudio adhibita*. ibid. A.
—— *ejus & vittæ promiscuus usus inter antiquos fuit*. 1734. E. F.
—— *qualem coronam Augustus Agrippæ dederit*. 1787. A.
—— *navalem coronam quis primus acceperit*. ibid. B.
—— *militaris ubinam distributa fuerit Romæ*. v. *militaris*.
Corollæ *quid significaverint apud veteres*. 1472. B.
Corpora *damnatorum nuda abjiciebant Romani*. 1215. A.
Corvus *salutator a mancipe quodam sutrinæ exanimatus*. 1620. F.
—— *quomodo & ubi sepultus fuerit*. 1620. F. 1621. A.
Cotem *novacula secuit Accius Navius*. 1144. B.
Crabra *aqua quo tempore & quare Tusculanis fuerit relicta*. 1639. A.
Crassipedis *ambulacra* v. *ambulacra*.
—— *horti*. v. *hortus*.
Crateres *lapidei erant symbola Nympharum hydriadum*. 1800. F.
—— *eorum symbolis erant involuta arcana veteris theologiæ*. 1801. A.
Crates *Mallotes primus Grammaticæ studium in Urbem intulit*. 1838. B.
—— *quo tempore id fuerit factum*. ibid. B.
Crepido, *in qua cineres Tribunorum militarium conditi, ubinam fuerit*. 1361. E.
Crux *erat major pœna quam Saxum*. 1945. A. B.
—— *erat Servorum*. ibid. B.
Crypta *Laurentiana Romæ subterraneæ pars non minima*. 1548. E.
—— *Nepotiana ubinam olim fuerit*. 1074. D. E. 1546. F.
—— *erat locus, in quo histriones exercebantur*. 1291. D.
—— *qualis fuerit ante Ædem Apollinis*. 1585. E.
Cultus *communis Sylvani & Herculis ubinam fuerit Romæ*. 1729. D.
Cunei *quid in amphitheatris*. (23)
Cura *sumptuum funeralium ad quod ædilium genus pertinuerit*. 1481. D.
Curatores *quinam dicti fuerint in vicis apud Romanos*. 989. D.
Curatores *regionum quot fuerint*. 989. D.
—— *quæ ipsis potestas data fuerit*. ibid.
—— *aquarum Romæ quinam dicti fuerint*. 1659. A.
—— *eorum catalogus*. ibid. B.
—— *viarum quales dicti fuerint*. ibid. F.
—— *aquarum quid observare debuerint*. 1660. A.
—— *viarum quis primus perpetuos fecerit*. 1659. E.
—— *quot in universum olim fuerint Romæ*. 1433. B.
—— *operum publicorum quinam dicti fuerint Romæ*. 1629.
—— *hi non erant Magistratus, sed quasi Magistratus*. ibid.

Curiæ *qualia olim ædificia dicta fuerint inter Romanos*. 947. D. E.
—— *duorum generum erant inter veteres*. 894. E. 948. A. 1530. A. B.
—— *hujus etymon quodnam sit*. 998. B.
—— *an hæc nomina ipsis a Sabinis originibus imposita*. 948. B.
—— *quare fuerint in singulis foris Romanis*. 1541. E. F.
—— *ubi senatus congregabatur, quomodo fuerit dicta* (17)
Curias *quot Roma ab initio habuerit*. 995. D.
—— *divisio populi in Curias quamdiu duraverit*. 1530. B. C.
—— *singulæ Romæ divisim habitabant*. ibid. A. B.
Curia Calabra *olim in Capitolio fuit*. 1228. B.
—— *cui usui inservierit*. ibid. B. 1239. C. D.
—— *in qua parte Capitolii olim fuerit*. 1574. F.
Curia Hostilia *ubinam fuerit Romæ*. 1137. C.
—— *per multos gradus eo adibatur*. ibid. F.
—— *conflagravit cum P. Clodii corpus cremaretur*. 1138. A.
—— *a quo restituta fuerit*. ibid. A.
—— *an fuerit olim in secunda regione*. 1534. A.
—— *cui usui inservierit inter Romanos*. 1564. D.
Curia Hostilia secunda *ubinam fuerit Romæ*. 1000. C.
Curia Julia *in qua parte Urbis fuerit*. 1138. B. C.
Curia Marcelli *ubinam fuerit in nona regione*. 1576. F.
Curiæ novæ *ubinam olim fuerint Romæ*. 949. A. 971. D.
Curia Octaviæ *in qua parte Urbis fuerit*. 1252. C.
Curia Pompeii *in qua regione Urbis fuerit*. 1263. A.
—— *celebris erat morte Cæsaris*. ibid. A.
—— *an fuerit in campo Martio & ubinam*. 1581. A.
Curiæ veteres *in qua parte Urbis Romæ fuerint sitæ*. 894. E. 1537. C.
—— *vetus Curia ubinam fuerit Romæ*. 1022. A.
—— *Curia vetus an eadem cum loco cui nomen curiæ veteres*. 1321. A. B.
Curiata *undenam sic fuerint dicta*. 1530. B.
Curiones *quinam olim dicti fuerint inter Romanos*. 947. C.
—— *quis tales singulis curiis Romanis præfecerit*. ibid. 1529. E.
—— *eorum munus quale olim fuerit*. ibid. F.
Currus *quot in Circis singulis vicibus excurrerint*. 1353. B. C.
—— *curruum viginti millia e Thebis in bellum exire consueverant*. 1911. B.
Curtius fons *prope Romam fuit binonymus*. 1641. F.
Custodes *sacri ignis quot in initio fuerint Romæ*. 1566. C.
—— *quot postea*. ibid. C.
Cybeles *imago ubinam a Gallis sacerdotibus olim lavari solita*. 977. E. 1532. D.
—— *mater Deum hæc ab antiquis fuit æstimata*. 1336. C.
—— *sub saxi forma culta fuit*. ibid. 1588. E.
—— *ejus statua*. v. *statua*.
Cyclopis *antrum*. v. *antrum*.

D.

D pro P usurparunt veteres Latini. 1146. E.
—— *literam quomodo mollire tentarint Romani*. 1814. A.
—— *addebatur fini vocis in vocalem desinentis*. 1815. A. B.
Damnata aqua *ubinam olim fuerit Romæ*. 1456. D.
Dea *Viriplaca qualis dicta fuerit ab Antiquis*. 1337. D.
—— *bona Dea qualis olim sic fuerit dicta*. 1388. E. F.
—— *Deæ quare olim a Romanis sedentes effictæ*. 1471. C.
Debitum (*ob*) *nemo olim Romæ in carcerem publicum conjectus, sed in privatum*. 1211. E.
—— *postea alia mitior adhuc lex lata est*. ibid. F.
Decem tabernæ *ubinam fuerint Romæ*. 1096. C.
Decemviri *ob quas causas inspicere soliti sint libros Sibyllinos*. 1637. D.
Decies centena millia *quomodo notarint Romani*. 1827. E.
Decurionem *quis primus singulis decuriis Romanis præfecerit*. 1529. E.
Defunctorum *cum corporibus quare cariora quæque in rogum intulerint gentiles*. 1481. F.
Delphinum *gentiles Neptuno consecrabant*. 1360. B. 1889. D.
Delubrum *Larum in quo foro Romano fuerit*. 1191. E. F.
—— *Cnei Domitii in Circo Flaminio fuit*. 1258. E. 1578. A.
—— *Jovis Statoris in qua regione Urbis fuerit*. ibid. F.
—— *Minervæ in monte Palatino fuit*. 1589. C.
—— v. *fanum & templum*.
Democritus *quare olim Heliopolin adire voluerit*. 1909. A.
Denates *pro Penates veteres dixere*. 1146. E.
—— *quales Dii ita ab eis fuerint dicti*. ibid. E.
Denuntiatores *quinam dicti fuerint inter veteres Romanos*. 989. E.
Deos *adorare quo gestu soliti sint veteres*. 1470. F.
—— *eorum simulacra*. v. *simulacra*.
Deus Apis *quare ita fuerit dictus*. 1611. A.
Dii Consentes *quot numero olim fuerint*. 1564. E
—— *quare ita a Romanis fuerint dicti*. ibid. E.
Deus Fidius *cujus gentis olim Deus fuerit*. 1093. E.
—— *quot olim habuerit nomina*. ibid. E.
—— *quarum rerum tutela ei fuerit commissa*. ibid. E.
—— *a Sabinis Deus Santus & Sabo & Sangus, & Sancus dictus*. 1553. F.
—— *per eum jurare solebant veteres*. ibid. F.
—— *ejus sacellum perforatum habebat tectum*. 1094. D.
Deus Fontinalis *qualis fuerit apud Romanos*. 1790.
Dii Juventutis *& Termini Jovi in Capitolio cedere noluerunt cum omnes id facerent*. 1572. B.
—— *quo tempore id acciderit*. ibid. B.
Deus Mutinus Titinus *qualis fuerit*. 1340. A.
Dii Nixii *quales dicti fuerint inter Romanos*. 1572. B.
—— v. *Nixii*.
Deus Ridiculus *vel Rediculus qualis sic dictus a Romanis*. 1533. A.
Deo Serapidi *quam maxime deditus fuit Caracalla*. 1557. A.
Deus Summanus v. *Summanus*.
Deus Terminus. v. *Terminus*.
Diaconia *Sancti Angeli in Piscario*. 1425. C.
—— *quando constructa fuerit*. ibid. F.
Diaconi *septem quando super quatuordecim regiones constituti Romæ*. 961. D. E.
Diæta *Mammeæ fuit Romæ in ædibus Palatinis*. 1587. D.
—— *Pellicum ubinam fuerit Romæ* (15)
Dianæ *ædem nemini mari nato Romæ introire licuit*. 1074. D.
—— *ubinam illa fuerit*. ibid. D.
—— *quare illa in triviis a veteribus culta fuerit*. 1788. B.
—— *quare ab Antiquis fuerit dicta Trivia*. 1802. D.
—— *quare olim dicta fuerit Triformis*. ibid. D.
—— *ejus ædes*. v. *ædicula*.
Dianius collis *qualis olim fuerit Romæ*. 1601. C.
Dido *ex urbe Tyro in Africam se contulit*. 1917. B.
Diei *initium a quo tempore Romani orsi sint*. 1922. D.
Digitus *sexta decima pars pedis erat apud Romanos*. 1645. B. C.

—— *duplex erat quadratus & rotundus*. ibid. C.
—— *uter altero major fuerit*. ibid.
—— *erat minima pars agrestium mensurarum*. ibid. D.
—— *quadratus in longitudine & latitudine æqualis est*. 1648. B.
Diluvium *quo anno mundi venerit*. 1911. E.
Diocles Peparethius *primus de condita Roma scripsit*. 888. B. C.
Dionysius Halicarnassæus *quibus auctoribus originem & tempus conditæ Romæ literis prodiderit*. 889. A. B.
—— *quando vixerit*. 907. D.
Dionysius Tyrannus *quando se esse cum Imperio dixerit*. 1898.
Diopteron *qualis ædes apud Romanos*. (3)
Diræ *quo nomine in cœlo, terris, & inter inferos appellatæ sint*. 1609. B.
Diribitorium *in qua regione Urbis fuerit*. 1120. E. F. 1581. A.
—— *cui usui inservierit inter Romanos*. 1563. A.
Divi *titulus an etiam vivis Imperatoribus datus*. 1043. B. 1540. D.
—— *tale prænomen fere omnibus Imperatoribus, eorumque liberis, uxoribus & parentibus datus fuit*. 1862. C.
Dividicula *vocabant veteres receptacula aquarum*. 1644. D.
Divitiæ *aliquem felicem non faciunt*. 1899.
Divortii *formula apud Romanos*. 1589. A.
—— *quis primus Romæ divortium ab uxore fecerit*. 1817. E.
Dius Fidius *Sabinorum Deus*. 1553. F.
Dogas *quales aquæductus vocarint veteres*. 1656. F.
Doliolum *erat locus Romæ in quem conspuere nefas erat*. 1170. C. D.
—— *ubinam ille locus olim fuerit*. ibid. D.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid. D.
—— *fuit mons Romæ e fragmentis vasorum figulinorum enatus*. 1401. C. 1605. F.
Domini nostri *quid in scriptoribus significare soleat*. (8)
Domitiani *equestris statua ubinam fuerit Romæ*. 1157. C.
Domitianus Latialem *Jovem se salutari voluit*. 1619. E.
Domus & *insulæ quomodo differant*. 986. D.
—— *quot olim Romæ fuerint*. 1433. B.
—— *quot fuerint in prima regione Urbis*. ibid. B.
—— *domibus singulis quot aquarum unciæ Constantinopoli destinatæ fuerint*. 1617.
Domus Æliorum *ubinam fuerit Romæ*. 1070. C. 1545. D.
Domus Aniciorum *ubinam fuerit Romæ*. 1418. F.
Domus Anci Marcii *ubinam in quarta regione fuerit*. 1539. E.
Domus Augusti *ubinam in monte Palatino fuerit*. 1322. D.
—— *quomodo fuerit olim ædificata*. 1586. C.
—— *varia ejus ornamenta*. ibid. C.
Domus Balbini *Imperatoris in qua parte Urbis fuerit*. 1149.
Domus Catuli *in monte Palatino admodum magnifica fuit*. 1340. E.
Domus Chilonis *cujus fuerit in duodecima regione incertum est*. 1381. A. B. 1600. A.
—— *quinam ille Chilo fuerit*. (19)
Domus Ciceronis *an in imo Palatino fuerit*. 1341. E.
—— *quando Clodius eam in templum Libertatis imaginariæ converterit*. 1589. C.
Domus Claudii Centimali *ubinam Romæ fuerit*. 1008. E.
—— *quare postea solo a Romanis fuerit æquata*. 1535. B.
Domus Clodii *in qua regione Urbis fuerit*. 1342. E.
Domus Cornificii *ubinam fuerit Romæ*. 1381. F.
—— *quomodo ædificata olim fuerit*. (3)
Domus Cnei Octavii *in qua parte Urbis fuerit*. 1341. B. C.
Domus Crassi *ubinam fuerit Romæ*. 1340. E.
Domus Catilinæ *ubinam in monte Palatino fuerit*. 1324. A.
Domus Dionysii *in qua regione Urbis fuerit*. 1343. A.
Domus Domitii Calvini *ubinam fuerit Romæ*. 1343. B.
Domus Ennii *Poetæ an fuerit in Aventino*. 1397. B. 1604. E
Domus Faberii Scribæ *in qua parte Urbis fuerit*. 1398. A.
—— *quomodo fuerit ædificata* 1604. E.
Domus Galli *in qua regione Urbis fuerit*. 1604. F.
Domus Hadriani *privata in qua regione fuerit*. 1381. A.
Domus Junii *Senatoris in qua parte Urbis fuerit*. 1535. A.
Domus Lampadii *Præfecti Urbis ubinam fuerit*. 1556. F.
Domus Laterni *ubinam fuerit in secunda regione*. 1003. F. 1534. D.
Domus Livii Drusi *ubi fuerit*. 1342. B.
Domus Mamurræ *ubinam fuerit Romæ*. 1008. F.
Domus Manlii *ubinam fuerit in Capitolio*. 1575. B.
Domus Marcellæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1398. B. 1604. F.
Domus Martialis *ubinam fuerit Romæ*. 1114. B.
Domus Maximi *ubinam fuerit in monte Aventino*. 1398. A. 1604. F.
Domus Merulana *ubinam fuerit Romæ*. 1021. B.
Domus M. Fulvii *Flacci in monte Palatino fuit*. 1341. A.
Domus Milonis *ubinam fuerit Romæ*. 1206. E.
Domus Navii Microscopi *in qua parte Urbis fuerit*. 1115. B.
Domus Neronis *ubinam fuerit Romæ*. 1039. A.
—— *tanta erat ut totam Romam cingeret*. 1510. A. B.
Domus Parthorum septem *ubinam fuerit Romæ*. 1600. A.
—— *a quonam Imperatore ea septem Parthis donata fuerit*. 1381. F.
Domus Persii *ubinam fuerit Romæ*. 1079. F. 1550. D.
Domus Philippi *ubi fuerit*. 1009. A.
Domus Phyllidis *in monte Aventino fuit*. 1393. D.
Domus Plinii *ubinam fuerit Romæ*. 1023. D.
—— *Plinii Junioris in qua parte Urbis fuerit*. 1079. F.
Domus Pompeii *ubinam olim Romæ fuerit*. 1049. A. 1263. D. E.
Domus Pomponii Attici *ubinam olim fuerit*. 1559. E.
Domus Pontificis Maximi *Romæ erat publica*. 1539. B.
—— *in qua regione Urbis fuerit*. ibid.
Domus Propertii *ubinam fuerit Romæ*. 1079. E. F.
Domus Publicolæ *in qua parte Urbis fuerit*. 1155. A.
—— *Janua in ea peculiari privilegio foras aperiebatur*. ibid. E.
Domus Regis Sacrificuli *ubinam fuerit Romæ*. 1033. B.
Domus Salustii *in qua parte Urbis fuerit*. 1104. A.
Domus Scauri *in qua regione fuerit*. 1341. C.
Domus Servii Tullii *ubinam fuerit Romæ*. 1546. D.
Domus Scipionis Nasicæ *in qua parte Urbis fuerit*. 1539. C.
Domus Spurii Cassii *ubinam in quarta regione*. 1541. D.
Domus Stellæ *Poetæ ubinam fuerit Romæ*. 1012. F. 1535. C.
Domus Symmachi *in qua regione fuerit*. 1009. A. 1414. B. 1535. A. 1609. B.

Domus Tatii Regis *in qua parte Urbis fuerit*. 1575. B.
Domus Tejæ Meretricis *ubinam in Capitolio fuerit*. 1240. F.
Domus Tiberiana *in monte Palatino fuit*. 1343. C.
—— *quomodo fuerit ædificata*. 1587. B.
Domus Vectiliana *ubinam Romæ fuerit*. 1008. B.
—— *quomodo Commodus Imperator in ea fuerit occisus*. 1534. F.
Domus Veri *Imperatoris ubinam fuerit Romæ*. 1533.
—— *in ea natus & educatus fuit Marcus Aurelius Imperator* ibid.
Domus Virgilii *fuit Romæ in Esquiliis* 1071. D. 1546. A.
Domus Uxoris Vitellii *in qua regione fuerit*. 1397. F. 1604. F.
Domus Umbricii *in qua regione Urbis fuerit*. 1398. B. 1604. F.
Dona *militaria triumphaturi Imperatores distribuere solebant*. 943. A.
—— *ubinam illud ab eis fieri debuerit*. 1528. B.
Dracones *erant inter signa militaria Persarum*. 1561. E.
—— *etiam Parthi iis uti consueverant*. ibid. E.
—— *quare id ab iis factum fuerit*. ibid.
—— *quando iis etiam uti inceperint Romani*. ibid. F.
Drusi *Arcus ubinam fuerit Romæ*. 976. E.
Drusus Tiberii frater *quare fuerit in campo Martio sepultus*. 1292. D. E.
—— *an privignus an patris filius Augusti fuerit*. 1700. C.
—— *an Augur fuerit*. 1703. B. C.
—— *quando ab Augusto cohæres filii institutus fuerit*. ibid. E.
Duilius *primus rem Romanam prospere mari gessit*. 1942. F.
—— *idem Bilius quoque fuit appellatus*. ibid. F.
Duodenariæ *quales mensuræ aquariæ apud Romanos fuerint*. 1647. B.
Duonum *pro bonum dicebat veteres Romani*. 1836. F.

E.

E *loco* *j* *scribebant veteres Romani*. 1837. D.
Egeria *cum Nympha consuevisse Numam quare creditum fuerit*. 978. C.
—— *vallis* vid. *vallis*. *fons* vid. *fons*.
Egesta *civitas olim in Sicilia fuit*. 1815. D. E.
Elagabalus *etiam fuit dictus Varius & Decius*. 1601. A. B.
—— *ejus lavacrum* vid. *lavacrum*.
Elephantes *currui triumphali junxerunt Pompejus & Alexander Severus*. 942. B.
—— *quare ita portam ingredi non potuerint*. ibid.
—— *eorum statuas quibusnam dare solita sit antiquitas*. 1038. D.
Elephas Herbarius *ubinam Romæ fuerit positus*. 1246. C.
—— *quomodo funambuli Romæ fuerint*. 1548. B.
—— *iis utebantur Carthaginenses plurimum in præliis*. 1819. D.
—— *hi primum Pyrrhi Regis bello in Italia visi sunt*. ibid. E. F.
Eliquari *quid significet*. 1642. D.
Emere *antiquitus pro accipere ponebatur*. 1656. E
Emporium *extra portam Trigeminam fuit*. 1398. D.
—— *mercium peregrinarum ubinam fuerit Romæ*. 1535. E.
—— *aliarum rerum & eduliorum ubinam fuerit*. ibid. E.
—— *quid in eo extra portam Trigeminam venale fuerit*. 1605. A.
—— *quisnam illud Romæ mœnibus incluserit*. ibid. E.
En *pro in scripserunt veteres Romani*. 1814. F.
Ennius & *Livius Andronicus primi Poetæ Latini*. 890. F.
—— *scriptor Romanus quo tempore fuerit mortuus*. 1817. A.
Enodios *quare Mercurius olim fuerit dictus*. 1802. B.
—— *tale nomen quare etiam Diana acceperit*. 1802. D.
Epaphus *Jovis & Jus filius quando fuerit natus*. 1909. E.
—— *an is sit qui Memphim condidit*. ibid. E.
Epulonum *collegio Romæ qualis cura incubuerit*. 1465. D. E.
Epulonum *quale olim munus fuerit Romæ*. 1470. B. C.
—— *hæc dignitas olim maximo in honore fuit*. 1466. B.
—— *eorum Septemvir quisnam olim dictus fuerit*. 1606. B.
Equiria *quales ludi fuerint apud veteres*. 1277. D.
—— *qua occasione a Romulo fuerint instituta*. 1278. E.
—— *ubi hi ludi celebrati fuerint*. 1581. C.
—— *in quo campo fieri soliti, si quando Tiberis campum Martium inundasset*. 1003. B.
Equitum centuriæ *tres ex curiis initio Romæ eligebantur*. 945. D. 1529. E.
Equi Tyridatis *quales sic fuerint dicti*. 1120. A.
—— *ubinam Romæ olim fuerint collocati*. 1562. D. E.
Equi ænei *inaurati quot olim Romæ fuerint*. 1433. A.
—— *eburnei quot ibidem fuerint*. ibid. A.
Equum *quare Marti immolare soliti sint Romani*. 1537. F.
Equo *suo sepulcrum in Vaticano fecit Imperator Severus*. 1613. D.
—— *equo suo Consulatum destinavit Caligula*. ibid. E.
Erynnies *Græcis Furiæ dicuntur*. 1609. B.
—— *quare tres dicantur fuisse numero*. ibid. B.
Esquiliæ *solæ olim majores erant, quam nunc integra urbs Roma*. 1507. F.
Esquilina Regio *quam partem Urbis olim occupaverit*. 1543. D. E.
Esquilinus mons *a quo Romæ fuerit adjectus*. 1525. A.
—— *qualia nunc temporis habeat templa*. 1530. E. F.
—— *quot olim habuerit colles*. 1544. A.
—— *ejus collis Gallieno Imperatori fuit carus*. (7)
—— vid. *Exquilinus*.
Esquilina *porta* vid. *porta*.
Evander *an primus conditor Urbis Romæ fuerit*. 887. B. 891. D.
—— *ejus quinque monumenta Romæ reliqua*. 892. E.
—— *coloniam Græcam Arcadicam Romam deducit & ei hoc nomen dat*. 1523. F.
Eudoxus *quare tredecim annos Heliopoli habitaverit*. 1909. B.
Eumenides *apud inferos, quæ in cœlo Diræ, dicebantur*. 1609. A.
Euripus *ejusque aquæ an fuerint in Circo Flaminio*. 1255. B.
—— *quid olim in circis ita dictum fuerit*. 1353. E. 1591. A.
—— *quis ejus primus fuerit auctor*. ibid. E.
—— *qua de causa ille olim fuerit inventus*. 1354. A.
—— *temporarius extra circum cui usui destinatus*. ibid. B.
—— *undenam acceperit aquam in circo Maximo*. ibid. C. D.
—— *quales aquæductus Euripos vocarint veteres*. 1656. F.
—— *quisnam Imperatorum eos primus sustulerit*. 1657. D.
—— *Romæ maris vitrei reddebat imaginem*. 1839.
—— *Matri Magnæ adscribebatur*. 1889. D.
Excubitoria *quot olim fuerint Romæ*. 1433. C.
Excultores fontium *quinam dicti fuerint apud veteres Christianos*. 1790.
Exquilina *quænam regio dicta fuerit*. 957. B.

—— *in qua parte Urbis illa fuerit*. 959. A.
—— *porta cui usui Romæ olim inservierit*. 933. D.
Exquilinus mons *ubinam Romæ fuerit*. 955. C.
—— *plura olim habuit fastigia*. ibid. D.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 956. C.
—— vid. *Esquilinus*.

F.

Factiones *quatuor aurigarum in circis*. 1577. C.
—— *earum quatuor colores principales*. ibid. C. D.
—— *quid iis coloribus fuerit significatum a Romanis*. ibid.
—— *quintum his Domitianus quare adjecerit*. ibid. D.
—— *earum stabula*. ibid. C.
—— *sex colores in ludis Circensibus quando inventi*. 1592. C.
Falernus *ager olim optimum ferebat vinum*. 1437. A.
Familiæ *multæ Romæ a dignitatibus nomina acceperε*. 1466. C.
Familiam *veteres dicebant servos*. 1657. F.
—— *quot aquarum causa olim fuerint Romæ*. 1663. B. C.
—— *quam magnæ illæ fuerint*. ibid.
Familiares *servos suos appellare solebant veteres Latini*. 1657. F.
Fanum *Dei Ridiculi ubinam Romæ fuerit*. 980 B.
—— *Herculis ubinam Romæ fuerit*. ibid. C.
—— vid. *Ædes & Templum*.
Fasti *Capitolini ubinam reperti fuerint*. 1141. D.
Favissæ Capitolinæ *cellæ quædam in Capitolio erant*. 1574. E.
—— *earum exacta descriptio*. 1238. B. C.
Fauni *filia, soror, avia, uxor fuit bona Dea*. 1599. D.
Fauni *Ithyphalli quid*. 1802. B.
—— *eorum templum* vid. *templum*.
Faustina *quare mater exercituum appellata sit*. 1951. E.
Faustini *templum* vid. *templum*.
Febrem *quare inter Divas coluerint Gentiles*. 1574. A.
Felicitas *quibus finibus circumscribenda sit*. 1899.
Fenestralis *vel Fenestrella an fuerit porta Romæ*. 939. B.
Ferentina *porta ubinam Romæ fuerit*. 935. A. B.
—— vid. *porta*.
Ferias *stultorum qualesnam appellaverint Romani*. 949. C.
Ferro *ubinam Romæ in capitalis criminis reos animadversum*. 1546. A.
Fesiæ *pro feriæ dicebant veteres Latini*. 1827. A.
Festras *pro fenestras dicebant veteres Latini*. 1826. D.
Festum *Floræ quando & quomodo fuerit celebratum*. 1075. E.
—— *Lucaria festa quo tempore anni Romæ celebrata*. 1110. D.
—— *Saturnalium quis primus Romæ instituerit*. 1166. B.
—— *Septem montium quo tempore Romæ celebratum*. 956. D.
Ficelia *ubinam olim fuerit Romæ*. 1114. C. E.
Ficus *Ruminalis ubinam fuerit Romæ*. 1143. C. 1316. E. 1565. C. D.
—— *sub hac an Romulus & Remus olim expositi*. ibid. C. D.
—— *ejus etymon quodnam*. 1144. A.
Ficus Navia *Romæ fuit in Comitio*. 1144. B.
Ficus Velabrensis *ubi fuerit*. 1370. B.
Fideicommissa *temporibus antiquis raro vim suam & jus obtinebant*. 1478. F.
Fidei-commissarii *quinam dicti fuerint inter Romanos*. 1439. F.
—— *eorum munus*. ibid.
Fidei *sacrarium ubinam fuerit Romæ*. 978. B.
Figularis *porta* vid. *porta*.
Figulinam artem *quinam primum exercuerint*. 1492. B
Figulinæ *ubinam olim fuerint Romæ*. 1167. C.
Fiscalia vina *qualia olim dicta fuerint*. 1117. A.
—— *undenam hoc nomen primum acceperint*. 1562. A.
Fistula *quinaria in aquæ ductu qualis olim dicta fuerit a Romanis*. 1648. B.
—— *omnis generis mensuræ*. ibid. C. D. &c.
—— *in aquæductibus debuerunt signari*. 1662. E.
Flaminia via *illustris apud veteres Romanos fuit*. 1510. D.
—— *porta* vid. *porta*.
Flaminica *quænam dicta fuerit a Romanis*. 1538. A.
Flamma *quare symbolum divinitatis fuerit apud veteres*. 1791. C. D.
Flora Dea, *quare* Rustica *a Martiali dicatur*. 1101. C. D.
Flora *meretrix Romana ludos Florales instituit*. 1294. D. 1583. E.
Florales *ludi* vid. *ludi*.
Fluviis *divinitatem aliquam adscribebant gentiles*. 1633 E.
—— *quare dicti fuerint sacri a Romanis*. 1790. D.
Fœminæ *olim in conviviis adhibitæ fuere*. 1473. A. B.
—— *Romanorum in luctu quomodo vestitæ*. ibid. F.
—— *iis quare Herculis sacris interesse non licuerit*. 1594. A.
Fœneratores *ubinam Romæ convenire soliti fuerint*. 1172. A.
—— *ubinam illi habitaverint*. 1176. A.
Forma Trajana *ubinam fuerit Romæ*. 1705. A. B.
Formas *ductuum facere quid significet in re agraria*. 1739. D.
Formulæ *quales inscriptionum ad aquas pertineant*. 1736. E. F.
Fons *Egeriæ ubinam fuerit Romæ*. 978. A.
—— *Camœnarum ubinam ibi fuerit*. ibid.
Fontes *aquæ salientis quis primus Romæ fecerit*. 988. C.
—— *fontes olim dicebantur Nymphæ apud Romanos*. 1085. C.
—— *Servilius in qua parte Urbis fuerit*. 1159. D.
—— *in carcere Capitolino quomodo ortus*. 1208. C.
—— *Lollianus an in duodecima regione fuerit*. 1382. B.
—— *Musarum ubinam fuerit in prima regione*. 1532. D.
—— *eorum origines venerari solebant veteres*. 1633. E. F.
—— *iis divinitatem aliquam adscribebant gentiles*. ibid. F.
—— *quinam salubritatem ægris corporibus adferre crediti sint*. 1634. D.
—— *Curtius ubinam fuerit prope Romam*. 1718. A.
—— *Cæruleus ubinam fuerit*. ibid. A.
—— *Claudiæ ubinam proprie fuerit*. 1724. E.
—— *Marcius in qua regione Urbis fuerit*. 1725. B.
—— *eorum symbolis erant involuta arcana veteris Theologiæ*. 1801. A.
Fontinalia *qualia sacra olim Romæ fuerint*. 1634. C.
—— *quomodo fuerint peracta a Romanis*. 1790. B.
Fontinalis porta *ubinam fuerit Romæ*. 938. A.
—— *quare ita fuerit nominata*. ibid. B.
Fornacalium *festum quale Romæ ita dictum fuerit*. 949. C.
Fornices *Romanorum aquæductuum quam altitudinem habuerint*. 1631.
—— *an olim apud veteres Romanos in usu fuerint*. 1945 C. D.
Fortunæ *muliebris signum ubi fuerit Romæ*. 983. E.
—— *ejus ædes in qua regione Urbis fuerit*. ibid. E.
Fortuna *Respiciens ubi fuerit*. 1340. A.
Forum *inter & aream quid olim fuerit discriminis*. 989. A. B.
—— *& Basilica quare sæpius confundantur*. 1050. D.
—— *quisnam fora primus multiplicaverit*. ibid. D.
—— *in omnibus civitatibus reperiebantur*. 1131. D.

—— *quibus usibus olim inservierint.* ibid. D. 1541. E.
—— *tale nomen quare & omnibus tribunalibus datum.* ibid. D. E.
—— *quamdiu spectacula in iis fuerint edita.* 1134. D.
—— *in iis fuit incredibilis numerus statuarum.* ibid. E.
—— *eorum, quæ Romæ fuerunt, enumeratio.* 1431. B. 1434. B.
—— *quomodo, qua occasione & a quibus fuerint multiplicata.* 1541. E.
Forum Antonini *in qua regione fuerit.* 1303. A. 1550. F.
Forum Archemonium *ubinam in septima regione.* 1115. B.
Forum Augusti *in qua regione Urbis fuerit.* 1185. A.
—— *quare illud ab Imperatore fuerit institutum.* 1568. A.
Forum Boarium *in qua regione Urbis fuerit.* 1194. C. D.
—— *undenam primum hoc nomen acceperit.* ibid. E. F.
Forum Julii Cæsaris *in qua parte Urbis fuerit.* 1183. B. C.
—— *quomodo illud a Romanis fuerit ornatum.* 1184. B. C.
—— *cui rei olim a Romanis fuerit destinatum.* ibid. 1567. E.
Forum Cupedinis *undenam Romæ hoc nomen acceperit.* 1046. C.
—— *in qua parte Urbis olim fuerit.* ibid. C. 1541. C.
—— *cui rei destinatum fuerit.* ibid. D.
Forum Nervæ *in qua regione fuerit.* 1049. F. 1541. D.
—— *qualibus ornamentis Imperator Alexander Severus illud instruxerit.* 1053. F. 1568. C.
—— *ab aliis Palladii nomen accepit.* 1542. A.
—— *undenam hoc nomen Palladii primum natum sit.* 1050. A.
—— *cur transitorium vel pervium dictum fuerit.* 1050. D. E. 1542. A.
Forum Olitorium *in qua regione Urbis fuerit.* 1371. F. 1581. A.
—— *ejus exacta descriptio.* 1598. B. C.
Forum Piscarium *ubinam fuerit in ripa Tiberina.* 1192. B. 1370. C.
—— *cui rei a Romanis fuerit destinatum.* 1595. C.
Forum Pistorium *ubinam fuerit Romæ.* 1400. C.
—— *cui rei a Romanis fuerit destinatum.* 1605. E.
Forum Romanum *in qua regione Urbis fuerit.* 1131. E. F.
—— *a quo primum fuerit extructum.* ibid.
—— *quousque Augustus id ampliaverit.* 1132. E.
—— *ejus longitudo & latitudo qualis fuerit.* 1133. D. E. &c.
—— *ornamenta hujus fori qualia olim fuerint.* 1134. A.
—— *initio tabernis fuit cinctum.* ibid. C.
—— *quando & quare hæ sensim fuerint diminutæ.* ibid. C.
—— *per excellentiam quare sic dictum fuerit.* 1131. E.
—— *ejus descriptio.* 1564 B. C. &c.
Forum Sallustii *ubinam in sexta regione.* 1557. D.
Forum Suarium *in qua parte Urbis olim fuerit.* 1518. F. 1581. A.
Forum Trajani *in qua parte Urbis fuerit.* 1186. E.
—— *hoc cætera omnia fora opulentia & magnificentia longe anteibat.* 1187. A.
—— *etiam Ulpium fuit dictum.* 1568. D.
—— *cui usui inservierit.* 1569. A.
Forum Vespasiani *an unquam fuerit Romæ.* 1015. B.
Fortuna Mammosa *quid Romæ fuerit incertum est.* 1380. F. 1599. F.
Fortunæ Virilis *templum.* 1594. F.
Fossas *Quiritium quis Romæ addiderit.* 902. D.
—— *fossæ Cluiliæ vel Clœliæ ubinam fuerint Romæ.* 984. D.
Frontinus *quo tempore Romæ floruerit.* 1598. A.
—— *quis ille fuerit qui de aquæductibus scripsit.* 1629. 1630. A.
—— *ejus scripta varia.* ibid.
—— *quo tempore de aquæductibus scripserit.* 1707. B.
—— *quam accurate de aquis scripserit.* 1739. C.
Frumentaria porta *an olim fuerit Romæ.* 939. A.
—— *v. porta.*
Frumentarii *quinam dicti fuerint apud Romanos.* 1311. F.
Fures *ubinam puniti fuerint Romæ.* 1171. A.
Furias *inter Divas quare retulerint gentiles.* 1574. B.
—— *furiæ in terra, quomodo in cœlis & apud inferos dictæ fuerint.* 1609. A.
Furina Dea *qualis olim fuerit dicta.* 1609. A.
Furinalia *qualia sacra dicta fuerint apud Romanos.* 1413. C.

G.

G *consonans ab antiquis per* C *fuit scripta.* 1817. C.
—— *quando & a quo ea litera apud Romanos inventa fuerit.* 1817. E.
—— *an Latinus sermo eam primum introduxerit.* ibid. E
Gabina via *& Tiburtina prope Romam an fuerit eadem* 932. D. E.
—— *porta ubinam olim Romæ fuerit.* 934. F.
Gabii *ubinam olim siti fuerint.* 933. F.
Gajanium *& Gajanum quid olim Romæ fuerit.* 1427. B.
Galli *in equis tributum solvebant Romanis.* 1490. D.
Galileus *egregias de pendulorum motu & proprietate dedit observationes.* 1485. A.
Galiusa porta *v. porta.*
Gemelli decem *quidam locus fuit Romæ.* 981. C.
Genio *maligno a quibus gentibus templa dedicari soleant.* 1574. A.
Genius *populi Romani aureus ubinam fuerit Romæ.* 1246. C. D.
Gensericus *quo tempore Romam ceperit ac diripuerit.* 1878. C. 1879. B.
Gentilitatis *errores quomodo evellere conati sint Pontifices Christiani.* 1886. C. D.
Germalum *quis locus fuerit apud Romanos.* 1317. C. D.
—— *undenam sic ab illis fuerit dictus.* 1585. C.
Germanicæ linguæ *duæ diversæ sunt dialecti.* 1805. B.
—— *earum differentia in quibus consistat.* ibid. B.
Getæ *nomen ex omnibus monumentis Caracalla deleri jussit.* 1194. E.
Gigantes *tempore Plinii Romæ visi.* 1559 A.
—— *eorum corpora miraculi gratia ubi asservata fuerint.* ibid. A.
Glebam Sacram *qualem locum vocarint veteres Ægyptii.* 1921. C.
Gracchus *Tribunus plerasque vias Romanas fecit.* 1635. D.
Gradus *Aurelii vid. Tribunal.*
Græci *veteres brevibus dictis plurima comprehendebant.* 1913. C.
—— *vocibus a vocali incipientibus digamma Æolicum addebant.* 1916. B.
Græcostasis *quis locus olim Romæ dictus fuerit.* 1141. E.
—— *undenam hoc nomen acceperit.* ibid. E.
—— *in qua parte Urbis fuerit.* ibid. F.
—— *cum incendio conflagrasset hoc ædificium, ab Antonino Pio restitutum fuit.* 1142. C.
—— *exterorum legatorum erat diversorium.* 1565. C.
—— *ejus exacta descriptio.* (11.)
—— *ad quam regionem urbis pertinuerit.* ibid.
—— *undenam hoc nomen primum derivatum sit.* ibid.

Gram-

Grammatica *quando in usu cœperit esse inter Romanos.* 1837. A.B.
Gratiarum *numerus olim quare ternarius.* 1732. B. C
—— *earum & Nympharum consortium.* ibid. B.
Gregorius *qualem prophetiam de ruina Romæ narret.* 1885. A.
—— *an thermas, theatra & circos Romæ everterit.* ibid.

H.

Hadriani Imperatoris *Sepulcrum ubinam olim fuerit.* 940. C. 1612. A.
—— *ille Imperator populo restituit jus creandi Magistratus.* 1284. F.
—— *an ille unquam thermas construxerit.* 1487. B.
Hæredibus *in testamento aliquando præscribebant veteres diem, intra quem monumentum perficere deberent.* 1467. A.
—— *hæredes quales aliquando instituere soliti sint veteres.* 1478. D.
Harena *qualis locus dictus fuerit in Circo.* 1592. B.
—— *cui usui inservierit* ibid. C.
Haruspices *in Velabro olim frequentes erant.* 1570. A.
Hasta *Romuli revirvisse credita est.* 1319. F. vid. *Cornus.*
—— *hastam cruentam quo tempore miserint Consules Romani versus regionem hostilem.* 1578. B.
Haustrum *qualis mensura dicta fuerit apud Romanos.* 1645. D.
Hecatonstylon *qualis porticus Romæ sic fuerit dicta.* (17.)
—— *ubinam in nona regione fuerit.* 1581. A.
Heliopolis *olim fuit sedes Sacerdotum Ægyptiorum.* 1872. A.
—— *quinam Sacerdotes ibi potissimum habitarint.* 1909. A.
Herculis *comites ubinam Romæ habitarint.* 957. C.
—— *ubinam postea fuerint sepulti* ibid. D.
—— *Custodis ædes ubinam fuerit Romæ* 1256. F.
—— *Musarum ædes a quo & ubi condita.* 1257. C. D. 1577. E.
—— *Hercules quare dicatur Olivarius.* 1595. D. E.
—— *& Sylvani cultus olim communis Romæ.* 1729. D.
—— *fanum* vid. *fanum.*
Herculanea aqua *qualis olim fuerit Romæ.* 1769. D. E.
Herculaneus rivus *in qua parte Urbis fuerit.* ibid. C.
Hermetum *qualis locus in Palatio Imperatorum fuerit.* 1330. E. 1587. D.
Hermæ *Ityphalli.* 1802. B.
Herodotus *primus Obeliscorum fecit mentionem.* 1907. A.
Hetruriæ *limes ultimus ubinam olim fuerit.* 1611. C.
Hieroglyphicis *philosophia apud Ægyptios continebatur.* 1872. B.
—— *Hieroglyphica scribendi ratio Ægyptiorum qualis fuerit.* 1913. C.
Hieronymus *sub quibus Imperatoribus vixerit.* 1238. D.
Hippodromus *ubinam in Palatio fuerit.* 1331. B.
Hippopotamus *impietatem hieroglyphice significabat apud Ægyptios* 1913. C.
Hispani *in equis tributum solvebant Romanis.* 1490. D.
—— *eorum maximus valor.* ibid.
Hœdos *quare Nymphis & fontibus immolarint veteres.* 1801. D.
Homines *ex fœno facti cui usui inter Romanos inservierint.* 1535. F.
Honoris *templum ubinam Romæ fuerit.* 974. E. F.
—— *a quo fuerit dedicatum.* ibid.
Honorius *Imperator muros Romæ restaurari curavit.* 925. C.
—— *& Arcadius Imperatores de quibusnam aquis dederint leges.* 1735. E
Horæ *Romanorum quare fuerint inæquales.* 1922. D
—— *quis primus inter Romanos aqua noctium & dierum horas diviserit.* 1555. C
Horatii *quot numero Romæ fuerint.* 974. B C
—— *eorum sepulcrum ubinam fuerit Romæ.* 974. C
—— *eorum soror ubinam fuerit sepulta.* ibid. B.
Horatius *Poeta quo tempore vixerit.* 1171. F
Horologium solare *quis primus Romæ fecerit.* 1095. E 1555. B
—— *quis illud in Foro posuerit.* 1171. C
—— *ab Augusto quale in campo Martio positum.* 1281. E
—— *in quo loco ibi illud posuerit.* 1580. F
—— *qualem usum ei postea addiderit Augustus.* 1582. A
Horrea *qualia ædificia proprie dicta fuerint a Romanis* 989. B
—— *Aniceti ubinam proprie fuerint.* 1399. C
—— *Galbæ in qua regione Urbis fuerint.* 1400. A
—— *quot in universum olim fuerint Romæ.* 1435. A
—— *multorum extra portam Trigeminam erant.* 1605. C
—— *an etiam in aliis locis Romæ fuerint.* ibid. D
—— *Lolliana ubinam olim Romæ fuerint.* (3.)
—— *publica multa præter privata erant in singulis Urbis regionibus.* (4.)
—— *iis non tantum ad conservandum frumentum utebantur Romani.* ibid.
—— *quid in iis præterea reponere soliti sint.* ibid.
Horti *plurimi olim celebres fuere Romæ.* 1598. B
—— *eorum luxus quomodo ceperit incrementa.* ibid. B
Horti Adonidis *ubinam fuerint Romæ.* (15.)
Horti Agrippæ *in qua parte Urbis fuerint.* 1270. B
Horti Argiani *vel Largiani ubinam fuerint.* 1126. A
Horti Asiniani *in qua regione Urbis fuerint.* 1379. C 1598. A
—— *quales & quam celebres hi olim fuerint.* 1598. B
Horti Julii Cæsaris *ubinam olim fuerint Romæ.* 1408. B C
Horti Caligulæ *& Agrippinæ ubinam fuerint.* 1611. E
Horti Celoniæ Fabiæ *quales olim fuerint.* (14.)
Horti Crassipedis *ubinam Romæ fuerint.* 976. C
Horti Domitiæ *in qua regione Urbis fuerint.* 1011. F
—— *qualis illa Domitia fuerit.* 1423. D
Horti Elagabali *in quinta regione Urbis erant.* 1065. F
Horti Imperatoris Galbæ *ubinam fuerint.* 1608. F.
—— *Horti Getæ in qua regione Urbis fuerint.* ibid. F
Horti Lamiani *in qua regione Urbis fuerint.* 1071. D 1546. A
Horti Luculli *ubinam olim fuerint Romæ.* 1105. F 1585. A 1309. E
—— *quantæ fuerint amœnitatis.* ibid. E F
Horti Mæcenatis *in qua regione Urbis fuerint.* 1070. D 1545. D
Horti Martialis *in qua regione Urbis fuerint.* 1492. B
Hortus Mirabilis *Romæ quare ita fuerit dictus.* 1186. A
—— *ubinam ille fuerit.* ibid. A
Horti Neronis *ubinam Romæ in Insula fuerint.* 1422. C D 1611. C E
Horti Ovidii *ad pontem Milvium olim fuere.* 1430. B.
Horti Pallantiani *ubinam fuerint Romæ.* 1066. D E (13.)
Horti Pompeii *in qua regione Urbis fuerint.* 1264. D
Horti Reguli *Causidii ubinam fuerint incertum est.* 1431. B
Horti Sallustii *quales olim fuerint Romæ.* 1104. A B
—— *ubinam olim in sexta regione fuerint.* 1558. D E
Horti Spei Veteris *ubinam fuerint Romæ.* 1066. F
Horti Torquatiani *ubinam Romæ fuerint.* 1066. F
—— *quales illi fuerint.* ibid.

Hospitia *Peregrinorum qualis locus fuerit Romæ*. 1534 A
—— *Classiariorum Misenatium ubinam fuerint*. ibid. B
—— *Classiariorum Ravennatium ubinam fuerint*. ibid. B
—— *Albanorum militum ubinam fuerit*. ibid. C
Hostia bonæ Deæ *qualis olim fuerit*. 1599. E
Humana *omnia variis mutationibus obnoxia*. 885. C D
Hypæthra *templa quænam olim dicta fuerint*. 1216. F

I

Jacobus *Josephi pater quo tempore fuerit natus*. 1912. E
Jalysi *imago a Protogene quomodo picta*. 1033. A
Janiculensis *porta* vid. *porta*.
Janiculus *mons & loca trans Tiberim an olim fuerint extra Romam* 902. F. 903. A
—— *unde ita dictus fuerit*. 1410. F 1608. A
—— *quare & quando Romæ fuerit adjectus*. 1525. A 1606. C D
—— *quinam primi ejus incolæ fuerint*. 1606. E
—— *quinam postea ibi habitarint*. ibid. E
—— *ante quare dictus fuerit Antipolis*. 1608. A
Janualis porta *an olim eadem fuerit quæ Carmentalis*. 897. E 901. C D
—— *ubinam illa fuerit*. ibid. E
—— *quare olim ita fuerit dicta*. 901. E
Janua Caci *ubinam olim fuerit*. 161. F
Jani *transitus portarum Romæ fuerunt dicti*. 928. C 1173. C
—— *quare per dextrum Janum portæ Carmentalis contra hostem exierint Fabii*. 929. C
Jani *templum ubinam olim Romæ fuerit*. 901. B 1542. E F.
Janus *multiplex olim Romæ fuit*. 1173. C &c.
—— *quare Quirinus fuerit dictus*. 1175. B
—— *quare præter alia nomina etiam Consivius dictus fuerit*. 1608. A
—— *Medius qualis sic dictus & ubinam Romæ fuerit*. ibid. F
—— *quam patentes tempore belli templum Jani habuerit portas*. 1542. B C
Jani *Compitalitii quinam dicti fuerint*. 1542. D
—— *quando habuerint duas frontes*. ibid. E
—— *quando inceperint habere quatuor*. ibid.
—— *quare initio tantum bifrontes fuerint*. 1543. A
—— *Janus an fuerit Noah*. ibid. A
—— *quot Jani olim fuerint Romæ*. ibid. D
—— *ejus portæ quare tempore pacis clausæ & belli apertæ fuerint*. 1608. B C
—— *undenam Janus dictus fuerit a veteribus*. 1802. C
—— *quem Janum Augustus clauserit*. 1175. A
—— *quem Vespasianus clauserit*. 1851. A
—— *cum bellum indiceretur ex Senatus consulto per Consulem aperiebatur*. 1851. A
—— *quoties in universum fuerit clausum Jani templum*. 1851. D E
—— *quare tempore pacis claudi soleret*. 1853. D E
—— *an hoc etiam ad Imperatorum Christianorum tempora perduraverit*. 1854. A
—— *ubinam hoc Jani templum fuerit*. ibid. B
—— *qua amplitudine & materia factum fuerit*. ibid. C D &c.
—— *quot portas habuerit* ibid. D
—— *quo loco apud Christianos sit habitus Janus*. ibid.
—— *primus fuit illorum Deorum, quos Penates vocant*. ibid. C
—— *ejus statua qualis fuerit figuræ & magnitudinis*. ibid. C
Idanthuræ *Scytharum Regis literæ ad Darium Regem quomodo scriptæ*. 1913. D
Ignis *æternus in templo Vestæ quomodo fuerit cultus*. 1158. F
—— *ubinam & quomodo ibi conservatus fuerit* 1168. A 1566. C
—— *ignem quare veteres in Religionibus adhibuerint*. 1791. D
Ilex *celebris in Vaticano*. 1420. B 1611. B C
Illyrii *olim Solem coluerunt*. 1562. A
Imber *precibus Christianorum militum in exercitu M. Aurelii impetratus*. 1949. C D
—— *quo tempore & qua occasione illud fuerit factum*. ibid.
Imagines *majorum in qua parte domus collocaverint veteres Romani*. 1039 D E
—— *quare illud ab ipsis factum fuerit*. ibid. E
Imago *Scipionis Africani ubinam fuerit in Capitolio*. 1234. C
Impendium *quid significet apud latinos*. 1664. F
Imperatores *Romani de Jovis templo togam pictam sumere solebant*. 1234. F
—— *eo prænomine quis primus omnium usus sit*. 1860 E.
—— *quinam eo abstinere voluerint*. 1861. B
—— *Cæsari quando illud nomen a Senatu decretum*. ibid. B
—— *quamdiu hi usurparint nomen Pontificis Maximi*. 1863. D
—— *quinam militum Romanorum acclamatione olim* Imperatores *salutati fuerint*. 1864. B
—— *Imperator fuit virtutis nomen, Consul vero beneficii*. 1864. C
—— *quoties quis* Imperator *salutatus esse legitur, toties hostes vicisse existimandus est*. 1864. C D
—— *an Imperatores Tribunitia potestate ad se, an vero plebem tuendam usi sint*. 1865. C D
Impluvia *quis locus in ædibus olim dictus fuerit apud Romanos*. 1039. D
Incendia *frequentia olim fuerunt Romæ*. 1009. C
—— *adversus ea nocturnas vigilias commentus est Augustus*. ibid. C
—— *incendium Neronis ubinam Romæ inceperit*. 1563. C
—— *fortuita quo tempore maxime Romæ fuerint*. 1884. B
Incitato *equo suo Consulatum destinaverat Caligula*. 1613. E
Incolarum *quantum numerum Roma florens habuerit*. 1514. D. E
—— *quo tempore fuerit maximus*. ibid.
Infula *fasciam quandam significabat apud Romanos*. 1472. C D
Insincera aqua *qualis dicta fuerit antiquis*. 1651. F
Instrumentum *quam multa significet apud Latinos*. 1219. C D
Instrumentum Imperii, *a Vespasiano confectum, quid fuerit*. 1219. E
Insulas *quid olim veteres vocaverint*. 985. D E 1533. C
—— *quot fuerint Romæ in prima regione*. ibid.
—— *quot Roma in universum habuerit*. 1433. B 1435. A
Insula Phyllidis *in qua regione fuerit*. 1312. E
Insula Tiberina *quando Romæ fuerit enata*. 1415. C
—— *quomodo & qua occasione enata fuerit*. ibid. C D
—— *ejus exacta descriptio*. ibid.
—— *ab aliis Mesopotamia vel etiam Lycaonia dicta fuit*. 1609. C D
—— *ubinam illa olim fuerit Romæ*. ibid. C D
Intermelium *quid proprie fuerit ignoratur*. 1194. C
Interlude *qualis locus fuerit in Palatio*. 1332. A
Intermontium *Capitolii quid Romani vocaverint*. 1216 B
Inundationes *Tiberis quomodo & a quibus impeditæ*. 1615. C

Jo *post multos errores quando pervenerit in Ægyptum*. 1909. F.
—— *quando pepererit Epaphum*. ibid. F.
—— *post mortem dicta est Isis* 1554. E.
Johannes *Apostolus ubinam in ahenum bulliens immissus*. 918. A.
—— *quo tempore id Romæ contigerit*. 1697. C.
Jonides *quales nymphæ dictæ fuerint apud veteres Græcos*. 1732. E.
—— *earum numerus*. ibid. E.
—— *an hæ fuerint nymphæ aquaticæ*. ibid. E. F.
—— *earum nomina* ibid. E.
Josephi *prædictiones* vid. *Prædictiones*.
Irrigare *Circum quid significet apud veteres Latinos*. 1656. E.
Isidis *templum ubinam olim fuerit Romæ*. 975. E.
—— *ita Lunam vocare solebant veteres Ægyptii*. 1919. A.
Isis *fuit dicta tertia regio Romana*. 1010. C.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid.
Isis Patricia *Romæ ædem, sacellum, an statuam habuerit incertum est*. 1074. D.
Isis Athenodoria *non ædem sed statuam habuit Romæ*. 1380. C. 1599. B.
Isium Metellinum *quid & ubinam fuerit Romæ*. 1006. D.
Italia *non sufficiebat alendæ multitudini Quiritium*. 1605. D.
Iter *unius diei quot stadiorum sit*. 1502. E.
Judæi *ubinam Romæ sedes suas habuerint*. 1406. C. 1506. A.
—— *ubinam ante captam Hierosolymam Romæ habitarint*. 1532. E.
—— *quare inde migrare postea debuerint*. ibid. E.
—— *quinam Imperatores ipsis permiserint honores adipisci*. 1948. A.
—— *an etiam Christiani quando per Judæos sint intelligendi*. ibid.
—— *iis quam multa ab Imperatoribus Christianis sint concessa*. 1948. E.
—— *militiam Honorius & Arcadius iis ademerunt*. ibid.
Judicia *ubinam fuerint exercita a Romanis*. 1021. C.
Jugera *quot pedes continuerint apud Romanos*. 1351. E.
—— *eorum mensura quare a Frontino non sit adhibita*. 1739. C.
Jugurtha *Rex ubinam incarceratus*. 1566. F.
Julia aqua *a quo primum in Urbem deducta*. 1450. C.
Juliani *castellum ubinam olim fuerit*. 1767. A.
Junonis *templum ubinam fuerit in Capitolio*. 1225. E.
—— *Juno Lucina inter Romanos a parturientibus invocata*. 1228. C.
—— *ejus ædes ubi fuerit*. 1548. C.
—— *Monetæ ædes ubinam Romæ fuerit ædificata*. 1240. E.
—— *Reginæ Dianæ a M. Æmilio in circo Flaminio dicata ædes*. 1257. E.
—— *Junonis Matutæ ædes ubi fuerit*. 1373. B.
—— *quare a Romanis Juno vocata fuerit Mephitis*. 1547. A.
—— *Juno Juga matrimoniis præerat*. 1566. A.
Jupiter *Elicius ejusque religio præ cæteris terribilis erat*. 958. A.
—— *ejus ara ubinam olim fuerit Romæ*. ibid. A.
—— *Jovis Reducis templum ubinam Romæ fuerit*. 1001
—— *quomodo eum repræsentare soliti fuerint veteres Romani*. 1232. F
—— *Pompejanus qualis statua sic fuerit appellata Romæ* 1296. D.
—— *a capra secundum veteres nutritus fuit*. 1799. E.
—— *præcipue Thebis colebatur*. 1913. A.
—— *Jovis & Junonis statuas sæpe junctas invenimus*.
—— *templum ubinam olim fuerit*. ibid.
Jurisdictio *Præfecti Urbis Romæ quousque se extenderit*. 1761. B.
Juthurna *Nympha undenam sic fuerit dicta*. 1734. E.
—— *qualis illa olim fuerit apud Romanos*. 1788. E.
—— *quando ab illis recepta* ibid.
Jus *civitatis habere in duabus aut pluribus urbibus Romanæ leges non permittebant*. 1512. C. D.
Jus *aquæ publicæ impetratæ Romæ an etiam sequi solaret hæredes*. 1661. D.
Jus jurandum *qui Romæ præstare debeat, altare apprehendere solebat*. 1172. D.
Justitia *divinæ sapientiæ imaginem repræsentat in civitate*. 1898.

L.

L. L. *quid significet in inscriptionibus veterum*. 1734. F.
Labicana porta *ubinam Romæ fuerit*. 934. A.
—— vid. *porta*.
Labicana via *ubinam Romæ fuerit*. 992. A.
Labici *verus situs ubinam Romæ fuerit*. 1773. A. B.
Lacunaria *quando in Capitolio inaurari cœperint*. 1235 A.
Lacum *quid veteres appellare soliti sint*. 988. A. B. 1087. C.
—— *illud nomen postea etiam exiguæ collectioni aquarum dederunt Romani*. 1271. B.
—— *quot olim fuerint Romæ*. 1433. B 1434. D
Lacus Curtius *fuit in medio foro Romano*. 898. B 1567. A.
Lacus Juthurnæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1148. B.
Lacus Pastoris *ubinam olim fuerit Romæ* 1015. F.
Lacus PhilippiIm peratoris *ubinam fuerit Romæ*. 1415 B.
Lacus Promethei *in qua regione Urbis fuerit*. 1068. B.
Lacus Regillus *in qua regione Urbis fuerit*. 1799. F.
—— *ejus aquæ admodum potui ineptæ erant*. 1710. D.
Lacus Sanctus *ubinam olim fuerit Romæ*. 977. E.
Lacus Servilius *in qua regione Urbis fuerit*. 1160. D
Lacus Torquati. 981. C.
Lacus Vadimonii *sacer antiquis fuit*. 1633. E.
Lacus Vespasiani *ubinam in prima regione*. 1531. F.
—— vid. *Vespasianus*.
Lanii *in Velabro frequentes erant*. 1570. A.
Laocoontis statua vid. *statua*.
Lapis Manalis *miræ virtutis olim habitus fuit Romæ*. 973. D.
—— *niger a Romulo ad sepulturam sui destinatus, ubinam Romæ fuerit*. 1141. C.
Lapides *sive milliaria viarum a quo loco olim numerata fuerint Romæ* 1085.
—— *quot passus inter singulos fuerint interpositi*. ibid.
Lararium *quale Imperatores in Palatio habuerint*. 1330 F.
—— *duplex olim in usu fuit inter Romanos*. 1331. A. 1587. E.
—— *cui usui inservierit*. ibid. A.
—— *Augusti in monte Palatino erat*. 1588. D.
—— *qua de causa ab eo fuerit exstructum*. ibid.
Lasibus *pro Laribus dicebant veteres*. 1927. A.
Laterani *domus* vid. *domus*.
Lateres *Græcorum quot generum fuerint*. 1485. C.
—— *Romani plura olim laterum genera habuerunt quam Græci*. ibid. D.
Lateritia structura *quanto in pretio fuerit apud veteres Romanos*. 1693. B.
Lateritii operis *parietes Romæ fieri quare lex vetuerit*. 1515. A.
Latina porta vid. *porta*.
Latini *Scriptores aliquando lascivias Poetarum suis scriptis intexunt*. 1654. E.

Latitudo *longitudinem tertia parte superabat in omnibus ædificiis Romanorum*. 1133. E.
Latrinæ *publicæ quot olim Romæ fuerint*. 1433. A.
Lavacrum Agrippinæ *ubi olim fuerit*. 1080. E. 1550. E.
—— *qualis illa Agrippinæ fuerit*. (9.)
Lavacra publica *a Decio Imperatore constructa fuere*. 1601. A.
—— *in qua parte Urbis*. ibid. A.
Lavacrum Elagabali *ubinam fuerit Romæ* 976. A. 1531. F.
—— *publicum ab illo in Palatio exstructum*. 1329. A.
Laudes *divinas canere apud omnes populos olim in more positum fuit*. 1470. C.
—— *hoc etiam a Romanis in cœnis privatis factum* ibid. C.
Laverna *dicebatur olim Dea furum*. 1086. B.
—— *quare eam coluerint gentiles*. 1574.
Lavernalis porta vid. *porta*.
Laverniones *antiquis fures dicti*. 1600. B.
Laurus *Vipsanæ in qua regione Urbis fuerint*. 1271. F.
—— *ante Domum Augusti ex decreto Senatus fuit*. 1323. D.
—— *lauri duæ olim ante Palatium Imperatoris fuere*. 1587. F.
—— *lauro quare capita Imperatorum cincta fuerint*.
Laureatas *literas quinam ad Senatum mitterent*. 1846. E.
—— *lictores laureatos & fasces quinam & quamdiu habuerint*. ibid. B.
Laurentius *ubinam in craticula ustulatus*. 1080. B. 1550. D. E.
Lecticarii *quinam dicti fuerint inter veteres*. 1406. D.
Lectisternia *quando Romani indicere solerent*. 1468. E.
—— *quo apparatu olim præparata fuerint*. ibid. F.
—— *veteres olim in iis assidere soliti fuerunt*. 1493. A.
Legati *hostium olim intra Romam non admittebantur*. 941. C.
—— *ubi illis Senatus dari solitus a Romanis*. ibid. C.
—— *Nationum ad Senatum missi Romanum, ante quamcuriam subsistere debuerint*. 1137. C.
curiam subsistere debuerint. 1137. C
Legiones *etiam Carthaginienses habuere*. 1819. A.
Legio fulminatrix *Christianorum undenam sic dicta*. 1949. F.
Lemonia *tribus undenam hoc nomen acceperit*. 1695. D.
Lemonii *pagi reliquiæ ubinam prope Romam reperiantur*. 1740. D. 1766. D.
Lenones *ubinam olim Romæ frequentes fuerint*. 1178. B.
Leo *Solem significabat apud Persas*. 1917. D.
Leptitani *tributum in oleo solvebant Romanis*. 1490. D.
Lex *Agraria a quo primum fuerit lata*. 1217. C.
—— *Aquaria qualis apud antiquos fuerit*. 1566.
—— *legum initiis adscribi solebat tribus, quæ prima ad suffragium ferendam vocata erat*. 1657. F.
—— *severissima erat contra fures aquarum*. 1792. B.
—— *leges superiores aliquando per novissima corrigebant Romani*. 1948. E.
Libera Dea *eadem quæ olim Proserpina*. 1593. C.
—— *hanc triformem fingunt Poetæ*. ibid. C.
—— vid. *Proserpina*.
Liberti *Cæsaris ubinam fuerint sepulti*. 1281.
Libitina *vocabatur Dea, quæ funeribus præerat*. 938. C.
Libitinensis *porta ubinam fuerit Romæ*. 938. C.
Libræ aquariæ *quomodo factæ apud Romanos*. 1636. F.
Librari *aqua quo sensu dicatur apud Latinos*. ibid. E.
—— *ejus peritiam veteres non exacte habuerunt*. 1726. A. B.
Librariæ officinæ *ubi nam fuerint Romæ*. 1045. B. C.
Libri *lintei*. 888. F.
Libri *Numæ ubi & a quo reperti fuerint*. 1608. C.
—— *quæ causa sit quare per tot annos integri durare potuerint*. ibid. D.
—— *an genuini fuerint*. ibid. E.
Libri Sibyllini *ubinam ab Augusto fuerint conditi*. 1333. D.
—— *tres a Sibylla Cumana redemti ubinam custoditi fuerint*. 1572. C.
—— *quo fato olim deperditi fuerint*. ibid. C.
—— *quomodo postea alii ab Imperatoribus conquisiti*. ibid. C. D.
—— *Sibyllæ Cumanæ* vid. *Sibylla Cumana*.
—— *ob quas causas Romani eos inspicere soliti sint*. 1637. D. E.
—— *quomodo illud facere soliti sint*. ibid.
Licinius *aliquando a scriptoribus dicitur Sicinius, Sissinius & Sicinus*. (7.)
Ligorius *literatorum Simius*. 1737. C.
Limentinum *Numen unde dictum fuerit apud Romanos*. 1802. C.
Literæ *veteres Græcæ non multum a Latinis diversæ fuerunt*. 1325. B.
Litera Tautica *quid significaverit apud Ægyptios*. 1599. C.
Lituus *in nummis est certum insigne auguratus*. 1703. B.
Livius *accuratus & religiosus scriptor*. 889. C.
Livius Andronicus *inter primos Poetas Romanos fuit*. 890. F.
Locus *Corniscarum Divarum ubinam fuerit Romæ*. 1413. B.
Lolliana *familia sub Septimio Severo Romæ floruit*. (3.)
Londinum *quot incolas circiter habeat*. 1515. B.
Loretum *qualis locus fuerit Romæ*. 1602. C.
Lotos *Romulea Urbi æquæva in quarta regione Urbis fuit*. 1541. B.
Lucani *solvebant Romanis tributum in porcis*. 1490. B.
Lucaria festa *ubinam olim fuerint celebrata*. 1560. A.
Lucerum Tribus *undenam Romæ in initio hoc nomen acceperit*. 946. C. D.
—— *in qua parte Urbis habitaverit*. 947. B.
Lucina *Dea undenam hoc nomen acceperit*. 1075. C.
Lucius Albinius *quomodo sacra Romana conservaverit cum Urbs a Gallis caperetur*. 1706. A.
Luci *quot olim fuerint Romæ*. 1433. E. 1435. A.
—— *sacri varii a Servio Tullio plantati*. 1543. E.
Lucus Annæ Perennæ *ubinam in sexta regione*. 1560. A.
Lucus Camænarum *ubinam fuerit olim Romæ*. 1506. F. 1532. D.
—— vid. *Camænæ*.
Lucus Caii *& Lucii ubinam fuerit Romæ*. 1067 F.
Lucum Dianium *quis Romæ primus consecraverit*. 1507. B.
Lucus Esquilinus *in qua regione Urbis fuerit*. 1063. A.
Lucus Fagutalis *ubinam fuerit Romæ*. ibid. A.
Lucus Furinarum *ubinam fuerit Romæ*. 1609. A.
Lucus Hylernæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1402 A.
Lucus Junonis *vel Lucinæ ubinam fuerit Romæ*. 1075. A. 1290. C. 1548. C.
Lucus Lavernæ *ubinam fuerit Romæ*. 1086. B. 1393. E. 1553. B.
Lucus Laurentinus *ubinam fuerit in monte Aventino*. 1392. E.
Lucus Mavortianus *in qua regione Urbis fuerit*. 1312. B.
Lucus Poetilinus *ubinam fuerit Romæ*. 1082. D 1551. C.
Lucus Querquetulanus *ubinam fuerit Romæ*. 1062. B.
Lucus Rubiginis *ubinam fuerit Romæ* 1085. D. 1309. B.
Lucus Vestæ *in qua regione Urbis fuerit* 1156. B. F.
Lucrino *e sinu an aquæ Romam ascenderint*. 1760. C.
Ludi *quot olim fuerint Romæ*. 1433. A.

—— *eorum celebritates qua de causa institutæ*. 1889. B. C.
Ludus Æmilius *in qua parte Urbis fuerit*. 1146. A.
Ludi Apollinares *quo tempore fuerint instituti*. 1255. E.
—— *ubinam olim Romæ fuerint celebrati*. 1577. E.
Ludi Capitolini *quinquennales quales olim fuerint*. 1221. B.
—— *in his Poetæ carmine certare solebant*. ibid.
—— Ludi Circenses *cuinam Deo fuerint dicati*. 1591. F.
—— *eorum non ante fiebat initium, quam a Magistratu signum mappa datum esset*. 1593. B.
—— *undenam hic mos olim fuerit derivatus*. ibid.
Ludi Compitalitii *ubinam Romæ editi fuerint*. 966. F. 1531. B.
Ludi Florales *olim in vico Patricio celebrati fuerunt*. 1075. D.
—— *quomodo a Romanis celebrati fuerint*. ibid. E.
—— *quo tempore id ab illis fuerit factum*. ibid. E. 1547. C. D.
—— *an olim fuerint duplices inter Romanos* 1547. A. B.
Ludus Gallicus *ubinam olim fuerit Romæ*. 1534. F.
Ludi Gladiatorii *olim in foro Boario fuere*. 1570. D.
Ludi literarii *ubinam fuerint Romæ*. 1134. D.
Ludus Matutinus *in qua regione fuerit*. 1534. F.
—— *quibus exercitiis fuerit destinatus*. 1005. E. (16)
Ludi magni *ubinam olim fuerint Romæ*. 1022. B.
—— *quisnam illos primus celebraverit*. (16)
—— *quales olim fuerint Romæ*. ibid.
Ludi Megalenses *ubinam Romæ celebrati fuerint*. 1351. B.
Ludi Piscatorii *quales olim fuerint*. 1409. C.
—— *ubinam fuerint celebrati*. 1607. C.
Ludi Seculares *quomodo a Romanis celebrati*. 1470. D. E.
Ludiones *primi ex Hetruria Romam acciti fuere*. 1448.
Lumina *quomodo ab Ecclesia ad Religionem traducta*. 1791. D.
Luminaria *ad fontes accendere solebant veteres Christiani*. 1791. A.
Luna *inter Ægyptios in magna veneratione fuit*. 1909 C.
—— *nova*. v. *nova*.
Lupæ *plures æneæ a populo Romano erectæ*. 1146. A.
Lupanaria *quot olim fuerint Romæ*. 1433. A.
—— *quare olim in porticibus Circi permissa*. 1592.
Lupariæ *sive Lupanaria ubinam fuerint Romæ*. 998. E
Lupercal *in qua regione Urbis fuerit*. 1944. F. 1316. A.
—— *qualis locus olim Romæ ita dictus fuerit*. 1565. D.
—— *Pani Lycio ab Evandro consecratum fuit*. 1585. C.
Lupus *quibus Numinibus sacer apud Romanos fuerit*. 1764. A.
Lupus piscis *optimus ubinam olim fuerit captus* 1614. E.
—— *& Lucius an sit idem piscis*. ibid. F.
Lustrum *primum quando a Romanis fuerit institutum*. 1511. C.
—— *qua occasione id ab illis fuerit factum*. ibid.
Lyceus mons *in Arcadia cui Deo sacer fuerit*. 1316. A.

M.

M *quando vocalis sequebatur non scribebant veteres Romani*. 1839. A.
Macellum *olim carnes & pisces venales habebat*. 1006. E. F.
—— *quot macella olim fuerint Romæ*. ibid. E.
—— *Livianum in qua parte Urbis fuerit*. 1076. F. 1548. C.
—— *in quibus regionibus olim varia macella Romæ fuerint*. 1432. F.
—— *antiquorum ab hodiernis differebant*. 1535. A
—— *Corvorum in qua regione Urbis*. 1563. E.
Macellum Magnum *ubinam fuerit Romæ*. (16)
Macella urbs *ubinam fuerit in Sicilia*. 1821. B.
Magistratus *Romani ubinam fuerint electi*. 1564. D.
—— *qualis olim habuerit jus dandæ vel vendendæ aquæ*. 1656. A. B.
Majoûbus *pro majoribus dicebant veteres*. 1827. A.
Malachbelum *quænam gentes Solem dixerint*. 1562. A.
Malus *in Circo olim erectus*. 1357. F. 1591. F.
Mamertini *balneum* v. *balneum*
Mamurræ *domus* v. *domus*.
Manalis lapis. v. *lapis*.
—— *fons qualis fuerit apud veteres*. 1634. C.
Mancipia *ubinam emerent & venderent Romani*. 1565. F.
Mania *mater Larum existimabatur*. 1413. F.
—— *ejus sacellum ubi fuerit* ibid. F. 1609. B.
—— *ei initio pueri mactabantur*. 1609. B.
Mansiones *Albanæ ubinam fuerint Romæ*. 1000. E.
Manus *ferreas primus excogitavit Duilius*. 1823. B.
Manu-missiones *ubinam Romæ a Consulibus factæ*. 1188. C.
—— *qualis dies huic solemnitati fuerit dicatus*. ibid. D.
Mappa *signum dari solebat in ludis Circensibus*. 1356. C.
—— *aliquando pro ipsis ludis Circensibus ponitur*. 1397. D.
—— *aurea quid fuerit apud Romanos*. 1397. C. D.
—— *a quo tempore ea signum dari cœperit in ludis Circensibus* 1593. B.
Mapparius *quinam dictus fuerit apud veteres Romanos*. 1356. D.
Marcomannici *belli timor tempore M. Aurelii quantus fuerit*. 1947. E.
Marcus Titius *quando aquæductus collapsos restauraverit*. 1637. A.
Marforii *statua fluminis alicujus simulacrum fuit*. 1182. C.
Mariana *monumenta ubinam fuerint Romæ*. (13)
Marii *tropæa in qua parte Urbis fuerint posita* 1068. F.
—— *domus ubinam olim fuerit Romæ*. 1245. E.
Marmorata ripa *unde dicta sit*. 898. D.
Martialis *Poeta ubinam habitaverit*. 1535. C.
—— *quotannis singulos Epigrammatum libros edere solebat*. 1052. D.
Martia *aqua ubinam olim orta*. 1449. D.
—— *a quonam primum in Urbem fuerit deducta*. ibd. C.
Martis *ædes in Circo Flaminio olim fuit*. 1239. E.
—— *ejus statua* v. *statua*.
Matris *familias quænam laus præcipua fuerit apud Romanos* 1801. F.
Matronæ *Vacallinehæ qualia Numina olim fuerint*. 1734. C.
—— *Mairæ quales Deæ inter Romanos* ibid. C.
—— *Sulevæ qualia Numina fuerint* ibid. C.
—— *Campestres quales Deæ fuerint* ibid. C.
Matuta *Latinorum est, Græcorum Leucothea*. 1373. D
—— *tale nomen undenam Juno habuerit*. v. *Juno*.
Mausoleum *in qua regione Urbis olim fuerit*. 1279. D.
—— *fuit totius familiæ Cæsarum commune conditorium*. 1292. E.
—— *Hadriani & Antoninorum* 1612. A. D.
—— *Honorii Imperatoris in Vaticano fuit*. 1426. E. F.
—— *Augusti ubinam fuerit in campo Martio*. 1428. F. 1580. F. 1581. E.
ejus exacta descriptio. (24)
—— *descriptio Mausolei Imperatoris Honorii* 1613. A. B.
—— v. *sepulcrum*.

Medius fidius *formula juramenti*. 1553. F.
Megalenses ludi. v. *ludi*.
Mehercules *undenam illud nomen natum*. 1365. A.
Meleagricus *porticus* v. *porticus*.
Melicerta *post mortem Portumnus dicebatur*. 1554. E.
Meliosibus *pro melioribus dicebant veteres*. 1827. A.
Melissam *Nympham usum mellis primum invenisse credidit Antiquitas* 1801. B.
—— *quare ita postea Sacerdotes Dearum & Deorum fuerint dictæ* ibid. C.
—— *Melissa & Amalthea fuere sorores germanæ*. ibid. D.
—— *hæ Jovem puerum lacte & melle nutriverunt*. ibid. D.
Meliteni *omnes tempore Marci Aurelii Imperatoris Christiani fuere*. 1951. B.
Memnonis *Regia quam mirabiliter olim fuerit extructa*. 1918. C.
Memphis *quando fuerit condita* 1912. A. B.
—— *quot annis post Thebas* 1911. C.
—— *qualis urbs fuerit & ubinam sita*. 1925. B. C.
Menas *Lunam significabat apud Ægyptios* 1909. C.
Menas *Rex an Memphim condiderit*. ibid. E.
Mendici *in Sublicio Romæ stipem petere solebant*. 1442. C. 1615. F.
—— *& tenuioris fortunæ homines ubinam Romæ habitare solerent*. 1507. E.
Mensarum *pedes etiam a Romanis pro Diis culti fuere*. 1235. A.
—— *mensæ oleariæ quot olim fuerint Romæ*. 1433. D.
—— *mensas etiam mutare solebant Romani in conviviis*. 1471. E.
—— *an unicuique convivarum mensa singularis olim posita fuerit*. ibid. F.
Mensura *milliaris quæ*. 1713. E.
—— *mensuræ omnes, quibus Roma utitur, procurante Luca Pæto, in marmore Capitolino incisæ & expositæ superiori seculo fuerunt*. 1713. E.
Mephitis *Juno erat Dea fœtoris*. 1074. F.
Mercatores *aqua Mercurii perjuria abluere olim Romæ solebant*. (13)
Mercatus *in foro singulis nonis diebus fiebat Romæ*. 1014. D. E.
Mercurii *aqua in qua parte Urbis fuerit Romæ*. 1777. C.
—— *qualis ita a Romanis olim dicta fuerit*. 973. E.
—— *quem in usum a mercatoribus fuerit adhibita*. ibid. E.
—— *ejus area ubinam olim fuerit Romæ*. ibid. F.
—— *ejus ædes in qua parte Urbis fuerit*. 974. A.
—— *ejus templum in qua parte Urbis fuerit*. 975. E.
—— *ejus statuas cum rigido veretro fingebant veteres*. 1802. B.
—— *quibus in locis illas ponere soliti sint*. ibid. B.
—— *quare ante ædes ad januam cultus fuerit*. ibid. B.
Mesphees *Rex Ægyptiorum an sit idem qui Mephres*. 1920. E.
Meta Sudans *qualis fons olim Romæ dictus fuerit*. 1042. B. C.
—— *qua in parte Urbis ille fuerit*. ibid. B.
—— *undenam illud nomen ab antiquis acceperit*. 1540. A.
—— *ejus aquæ quales fuerint*. ibid. A.
Metam noctis *quid Cicero vocaverit*. 1908. D.
Meta *quid in Circis proprie fuerit*. 1357. D.
—— *e qua materia olim fuerit fabricata*. ibid. E. 1591. E.
—— *non longe a figura & specie Obelisci recedebat*. 1908. A.
—— *undenam Latini eam sic dixerint*. ibid B.
—— *quare constituta fuerit in extremis Circi partibus*. ibid. B.
—— *quod ad figuram, erat similis turbini inverso*. ibid. C.
—— *quidquid ex lato in acutum verticem desinit apud Latinos* meta *vocatur*. ibid. D.
Metia *porta ubinam Romæ fuerit*. 938. C.
Mica aurea *cujus puellæ nomen fuerit*. 1008. C.
Mica *quænam cœnatio in Palatinis ædibus dicta fuerit*. 1587. D.
Milites *prætorianos quisnam abrogaverit*. 1001. D.
—— *salvi e bello reversi ubinam arma suspenderint*. 1531. C.
Militiarum turris *ubinam Romæ sit*. 1092. E.
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid. E.
Milliarensem *quid vocaverint veteres Romani*. 1557.
Milliaria *columna prima ubinam a Romanis olim fuerit erecta*. 1526. C.
Milliarium *ex quot pedibus olim constiterit Romæ*. 1714. A.
—— *ex quot cannis secundum vulgatam opinionem*. 1714. B.
—— *ex quot cannis, secundum Holstenium* 1715. A.
—— *vetus quot cannas continuerit*. 1806. E.
Milliarium aureum *ubinam fuerit Romæ*. 1566. A. 1526. C. 1805. D.
Milonis *domus* v. *domus*.
Minervæ *templum ubinam fuerit Romæ*. 975. E.
—— *eam texentem induxit Orpheus*. 1802. A.
—— *cognomento Captæ delubrum in qua regione Urbis olim fuerit* (3)
Minervium *quid olim fuerit Romæ*. 1000. A.
—— *in qua regione Urbis illud fuerit*. ibid. A
Minos *Cretensium Rex quot annis Trojanum bellum antecesserit*. 1925. C.
Minutiæ *Curatores quinam olim fuerint Romæ*. 1659. F.
Misenatium *castra*. v. *castra*.
Mithram *Persæ vocarunt Solem* 1562. A.
Mitres *an primus Obeliscum constituerit*. 1908. F.
—— *qua de causa illud opus inceperit*. ibid. F.
—— *an idem fuerit qui & Mithras dictus est*. 1909. B.
—— *an idem cum Mena, qui primus Ægyptiorum rex fuit*. ibid. C.
—— *Solem significabat inter Ægyptios*. ibid. C.
—— *idem & Persarum idiomate significabat*. 1917. A.
Modulus *& Modiolus quomodo inter se differant*. 1638. F.
—— *aquarum ad quam mensuram institutus*. 1645. B. D.
Mœnia *Romana an sint prolata inter Servium Tullium & Aurelianum*. 903. E. F. 904. A. B.
—— *eorum ambitus ante tempora Aureliani* 912. A. B.
—— *quousque a Servio prolata fuerint*. 916. & seq.
—— *Aureliano quousque fuerint prolata*. 919. D. E. &c.
—— *eorum circuitus quam magnus olim fuerit*. 1497 C. D. &c.
—— *quousque ab Augusto dilatata fuerint*. 1498. C. D.
—— *in semicirculum fuerunt disposita*. 1500. A.
—— *an totam olim ambierint urbem*. 1502. D.
—— *eorum tempore Aureliani exacta mensura*. 1516. A.
—— *an tunc temporis fuerint majora quam antea*. ibid. B.
—— *Athenarum & Syracusarum quantum olim habuerint ambitum*. 1497. C.
Molas *in Tiberi ædificare quando inceperint Romani*. 1439. C.
—— *quomodo eæ antiquitus circumactæ fuerint*. 1615. D.
Moles Hadriani *quam sibi in sepulcrum erexit, qualis fuerit*. 1424. A. B.
—— *quisnam Imperatorum ea pro arce uti inceperit*. ib. D.

— *ubinam ædificata in campo Martio*. 1581. A 1612. A
Moliri *apud Latinos idem est quod movere & substruere*. 1923. F
Monasteria *Diaconissarum quando fuerint probibita*. 994. E
Monetæ *appellatio quare in assibus & semissibus hærere cœperit*. 1241. B
Monetæ *a monendo nomen*. 1575. C
— *ejus officina ubinam fuerit in Capitolio*. vid. *Officina*.
Montes *quot olim fuerint Romæ*. 1434. A
— *quomodo illi olim fuerunt dicti*. 1530. C D &c
Mons Aventinus *in qua regione Urbis fuerit*. 1600. D
— *quare infelix & inauspicatus fuerit dictus*. ibid. D E
— *ejus exacta descriptio*. ibid. E & *seq*.
Mons Capitolinus *ubinam fuerit Romæ* 1570. E
— *ejus exacta descriptio*. ibid. E F & *seq*.
Monte Cavallo *undenam Romæ sic dicatur*. 1097. F
Mons Citorius *vel Citatorius ubinam Romæ fuerit*. 1582. B
— *cui usui inservierit*. ibid B
Mons Sacer *in qua regione Urbis fuerit*. 1086. D 1553. C
Mons Vaticanus *in qua parte Urbis fuerit*. 1419. C D &c.
— *undenam ita olim fuerit dictus*. 1610. F
— *ejus exacta descriptio*. 1419. C D &c.
— *ob quas causas olim infamis habitus sit*. 1611. A B
Monopodium *quale genus mensæ appellarint veteres*. 1471. C
— *ea quare rotunda fuerint*. ibid. D
Monumentum *Comitis Herculis ubinam fuerit Romæ*. 1109. F
— *Caii Cestii in qua regione Urbis fuerit*. 1401. E
— *sua monumenta omni genere cultus exornabant veteres*. 1474. C
— *monumenta veterum sæpius a scriptoribus corrupta*. 1730. B
— *Scipionis Africani* vid. *Scipio Africanus*, & *Sepulcrum*.
Moses *Propheta quo tempore fuerit natus*. 1912. E
Mugonia porta *ubinam fuerit Romæ*. 897. E F 899. C D 900. A
— *etiam Trigonia & Romana fuit dicta*. ibid. B C
— *undenam Mugonia fuerit appellata*. 899. C 900. C
Mularum *ludi quales olim fuerint dicti*. 1360.
— *quomodo olim Romæ celebrati fuerint*. 1361. D
Mulli *Corsici celebres inter Romanos erant*. 1615. A
Municipiorum *stationes ubinam fuerint Romæ*. 1178. D
— *quid hæ stationes fuerint*. ibid. E
Murænæ *Siculæ celebres inter Romanos fuere*. 1615. A
Murtius *an aliquis locus Romæ sic fuerit dictus*. 1350. D
— *in qua regione Urbis ille fuerit*. 1350. D
Murtia *Dea Amorum dicebatur inter Romanos*. 1359. D
— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid. E
Murorum *Romanorum vera magnitudo*. 920. F
— *ii ab Honorio refecti fuerunt*. 925. C
— *muro ex saxis quadratis Urbem munire aggressus est Tarquinius Priscus*. 1525. B
— *murus Aureliani an hodierno fuerit major*. 1526. A
Musarum *statuæ in quo templo Romæ collocatæ olim fuerint*. 1578. A
— *eæ quot fuerint numero secundum vetustiorum sententiam*. 1735. B
Musivo *opere quo tempore templa ornare moris fuerit*. 995. E
Mutatorium *quales ædes dictæ fuerint Romæ*. (15.)
Mutatorium *Cæsaris*. 980. A
Mutinus Titinus *Deus* vid. *Deus*.
Myrti *duæ ante Quirini templum quomodo vocatæ*. 1095. E
— *mira quadam virtute præditæ erant*. ibid. E

N.

Næniæ *Deæ sacellum ubinam fuerit*. vid. *Sacellum*.
Nævia *porta in qua regione Urbis fuerit*. 933. A 935. C
— *undenam sic fuerit dicta olim a Romanis*. ibid.
— vid. *porta*.
Nævii *sylva ubinam olim fuerit Romæ*. 983. D
— *domus in qua regione Urbis fuerit*. ibid. D.
Napææ *Nymphæ montium antra frequentare credebantur*. 1800. E
Νάπαι *saltus & montium cavernæ Græcis dicuntur*. ibid. E
Natatorium *quis primus Romæ instituerit*. 1596. B
Naumachia *quando ab Augusto in campo Martio facta*. 1281. C
— *vetus ab eodem facta ubinam fuerit*. 1281. D 1407. D 1544. E
— *Cæsaris ubinam fuerit olim Romæ*. 1407. A
— *Neronis Naumachia an unquam fuerit in rerum natura*. 1423. A
— *ubinam olim fuisse credatur*. ibid.
— *Domitiani ubinam fuerit in nona regione*. 1584. F
— *Naumachiæ quot olim Romæ fuerint*. 1433. A
Naumachiæ *ab Imperatoribus repræsentari solebant in Euripo Circensi*. 1591. B
Naumachia Augusti *temporaria ubinam fuerit* 1606. F
— *in Vaticana valle Naumachia Augusti an Neronis fuerit incertum est* 1611. E
Navalia *Romanorum quis locus Romæ fuerit*. 1398. C
— *cui usui inservierint*. ibid. C
— *ubinam ea fuerint*. 1428. C D
— *quisnam ea Romanis mœnibus primus incluserit*. 1605. E.
Navalis porta vid. *porta*.
Navium *appulsus in quo loco olim fuerit Romæ*. 944. B. 1366. E
Navem *maximam quis Romanorum Imperatorum fabricaverit*. 1924. C
Nebulones *fraudum architecti dici solent, & quare*. 1600 C
Nectabis *Rex Ægypti quantæ magnitudinis Obeliscum exscindi curaverit*. 1920. B
Negotiatorum *sedes in quo foro Romano fuerit*. 1198. B
Nemus *Annæ Perennæ ubinam fuerit Romæ* 1110. E
Neptuni *ædes in circo Flaminio fuit*. vid. *Ædes*.
Neptunum *Consum appellabant veteres*. 1590. B.
Nero *an etiam suo tempore Janum clauserit*. 1852. E
— *ejus aurea domus ubinam fuerit* vid. *Aurea*.
Neroniani *arcus*. vid. *Arcus*.
Nervæ *Imperatoris laus circa aquæductus Romanos*. 1655. D.
Nili *statua in quo templo Romæ fuerit*. 1032. F
Nilos *quales aquæductus vocarint veteres*. 1656. E F
Nini *reliquiæ an adhuc inveniri possint*. 1508. E.
Nixus & *Nisus quomodo differant apud Latinos*. 1312. D
Nixii Dii *ubinam olim fuerint in Capitolio* 1572. B
— *quales sic dicti fuerint a Romanis*. ibid. vid. *Dii Nixii*.
Noachus *an unquam in Italiam transierit*. 1524. C
— *an a Romanis Janus fuerit dictus*. 1543. A.

—— *quo anno mundi fuerit natus*. 1011. E
Nobiles *qui Romæ capitis damnati essent, in quam insulam fuerint deportati*. 1419. B
—— *ubinam Romani nobiles olim sepulti fuerint*. 1464. C.
—— *ita veteres Romani ingenuos vocare solebant*. 1829. A
Nomen *Patronorum adsciscere solebant liberti*. 1478. C
—— *nomina assumebant alia qui in Deorum numerum erant relati*. 1554. D E
—— *an omnibus illud inter Romanos contigerit*. ibid E
—— *nomina hominum contrahere solebant veteres Romani*. 1813. F
—— *cognationis aliquando Romani amicis populis tribuebant*. 1816. C
Nomentana porta vid. *porta*.
Nonæ *Lunares quomodo publicatæ apud Romanos*. 1575. A
Notarii *septem quando constituti super quatuordecim regiones Romanas*. 962. A B
—— *quare id fuerit factum*. ibid. B
Notitia Romani Imperii *qui liber ita dicatur*. 966. B
—— *de eo libro judicium*. ibid. B
Novam Lunam *quinam ante proditos fastos observaverint inter Romanos*. 1575. A
Noxiorum *venditio ubinam Romæ fieri solita*. 1016. D
Numa Pompilius *an Quirinalem veteri Urbi adjecerit*. 902. B
—— *omnium Regum Romanorum Deorum cultor devotissimus fuit*. 1099. F
—— *ubinam a Romanis fuerit sepultus*. 1608. C
—— *ubinam & a quo libri ejus reperti fuerint*. ibid. D
Numinibus *quibusdam capite intecto sacrificabant veteres*. 1727. F
—— *Numina fere omnia fœminini sexus apud veteres ternario numero concluduntur*. 1735. A
—— *Numen Forculum quale fuerit apud Romanos*. 1802. C
Numeri *apud Orosium magna ex parte corrupti leguntur*. 1826. E. F.
—— *idem & Eutropio accidit*. ibid F.
—— *in iis facilis lapsus est apud omnes auctores*. 1919. A.
—— *numerus ternarius* vid. *Ternarius*.
Numismata *prisca Carthaginis quare habuerint insignia capitis & colli equini*. 1530 D
Nuncoreus *Hermolai est Uchoreus Diodori*. 1924 E
—— *quotus ille Rex Ægyptiorum fuerit*. ibid. E
—— *cujus fuerit filius*. ibid.
Nundinæ *unde olim dictæ apud Romanos*. 1014. E
—— *quo loco olim celebratæ fuerint*. ibid. E
Nuptiæ *undenam olim fuerint dictæ*. 1733. C
Nympharum *& Gratiarum consortium*. 1732. B
—— *earum numerus apud veteres Romanos*. ibid. B
—— *vocabulum hoc proprie Deabus aquarum convenit*. ibid. F
—— *eis antra sacra erant apud veteres*. 1800. C
Nympheum *quis locus dictus fuerit a veteribus*. 1553. C 1799. B
—— *quot olim fuerint Romæ*. 1433. A
—— *cui usui inservierint*. 1553. C
Nympheum Alexandri *Severi in qua regione Urbis fuerit*. 1087. B 1593 C 1704. E
Nympheum *a M. Aurelio ubi fuerit ædificatum*. 1020. C 1537. A
Nympheum Gordiani *ubi fuerit*. 1550. F

O

O *pro U frequenter scribebant veteres Romani*. 1820. B 1837. B. 1592. A
Obeliscus *in Circo Maximo a quo erectus fuerit*. 1358. A
—— *Soli erat dicatus*. ibid. E
—— *fuit & alius Lunæ dicatus*. ibid. E
—— *Constantinus & Constantius multo majorem quam Augustus ex Ægypto Romam devehendum curarunt*. ibid. B
—— *eumque in Circo maximo, loco prioris eversi, erexerunt*. ibid. C. 1592. A
—— *hic idem ille esse fertur, qui hodie ante Basilicam S. Johannis in Laterano visitur, a Sixto v. erectus*. ibid. C D
—— *Obeliscus ab Augusto olim Romæ illatus, & in Circo Maximo erectus, hodie in* area Populi, *seu ad portam Flaminiam conspicitur*. ibid D
—— *Obeliscum, qui olim in Circo Elagabali surgebat, hodie fractum area Cardinalis Francisci Barberini in Quirinali ostentat*. 1544. D
—— *quot Obelisci majores olim Romæ fuerint*. 1418. E F. 1430. E
—— *Obeliscus qui olim in Vaticano fuit a quo Romam fuerit allatus*. 1420. D
—— *Caii ubinam olim fuerit Romæ* 1427. B
—— *parvi quot olim fuerint Romæ*. ibid. 1430. E
—— *ubinam olim in Circis fuerint positi*. 1532. B
—— *an tantum sex Obelisci majores olim Romæ fuerint*. 1610 A B 1923. A
—— *an etiam Obeliscus in insula Tiberina olim fuerit*. 1610. A B
—— *Nuncorei Sesostridis filii ubinam Romæ positus*. 1611. D
—— *quis illum Romam devexerit*. ibid. D
—— *Obelisci Soli & Lunæ consecrati erant* 1889. D
—— *Obelisco Vaticano quare Pontifices Romani pepercerint*. 1892. A D
—— *undenam Obelisci nomen derivari debeat*. 1095. E
—— *quomodo Latine efferri debeat*. 1906. C
—— *Obelisci descriptio*. 1905. F
—— *quare diminutive efferatur a Græcis*. 1906. C D. &c.
—— *quid hieroglyphice significare a quibusdam putetur*. ibid. D.
—— *quis auctorum Græcorum primus ejus mentionem faciat*. 1907. A.
—— *apud Herodotum* Obeli *semper, numquam* Obelisci *vox occurrit*. 1907. A.
—— *a specie & figura Me'e non longe discedebat*. 1908. A
—— *multo ante quam Pyramis fuit exstructus*. 1911. C.
—— *dignitate & veneratione Pyramide superior fuit*. ibid. D.
—— *ex uno & solido lapide an factus fuerit*. ibid. D.
—— *qua de causa ab antiquis erectus fuerit*. ibid. D.
—— *an tantum Soli dicari potuerit*. 1913. A.
—— *inter dona erat, quæ Diis immortalibus dabantur*. 1919. C.
—— *errant, qui Obeliscum & Pyramidem confundunt*. ibid C.
—— *quis primus Regum Ægyptiorum Obeliscum erexerit, & ubi*. 1918. A.
—— *Ptolomæus Philadelphus ingentem Obeliscum Nectabis Regis Alexandriæ in honorem conjugis suæ erigi curavit*. 1920. C
Obelisci *omnium maximi olim Thebis visebantur, a Sesostride Rege excitati* ibid. F
—— *Phero Rex quare duos Obeliscos Heliopoli statuerit*. 1921. A B &c.
—— *cujus olim Regis Ægyptii Obeliscum Augustus Romam detulerit*. ibid D
—— *quot Obelisci Augusto regnante Romam devecti*. 1922. F
—— *quot fuerint in Mausoleo Augusti*. 1927. A
—— *quot Obelisci majores olim Roma florente fuerint*. 1923. A
—— *ex Smaragdo quatuor cubitorum longitudine, latitudine trium*. 1928. C

—— *e*

—— *e quatuor Smaragdis quadraginta cubitorum longitudine*. ibid.
Ocriculum *oppidum an intra Romam fuerit inclusum*. 1761. B
—— *quot passus ab Urbe olim remotum fuerit*. ibid. C
Octavius *in Juliorum familiam adoptatus quando sit*. 1861. F
—— *quando primum Cæsaris cognomen acceperit*. ibid. F
—— *quare & quando dictus fuerit Augustus*. 1862. D E &c.
October *quare equus Marti immolatus Romæ fuerit dictus*. 998. B
Odeum *Domitiani in qua regione Urbis fuerit*. 1307. F
Oe *pro* U *scribere solebant veteres*. 1821. A
Officina *Monetaria ubinam fuerit in Capitolio*. 1241. A 1575. B
—— *minii ubinam olim Romæ fuerit*. 1557. C
Olearii *ubinam olim negotiari consueverint Romæ*. 1595. D
Olei *propolæ in Velabro olim frequentes erant*. 1570. A
Oletare *quid significaverit apud veteres Romanos*. 1657. E
Olorom *pro illorum scribebant veteres Romani*. 1825. A
Oppidum *quid in Circis ab Ennio fuerit dictum*. 1353 A.
Oppius *mons in qua regione Urbis fuerit*. 955. D E
—— *undenam a Romanis ita fuerit dictus*. ibid.
—— *pars magna erat Esquiliarum*. 1544. A
Ops Consivia *qualis Dea fuerit vocata*. 1608. A
Oracula *Sibyllina quando fuerint exusta*. 1572. C
—— *an adhuc ullibi sincera reperiantur*. ibid. D
Orbona Dea *qualis fuerit apud Romanos*. 1036. A
—— *undenam hoc nomen a Romanis acceperit*. 1539. E
—— *ara* v. *ara*.
Orchestra *qualis locus fuerit in Amphitheatris*. (23)
Orcum *quare coluerint veteres Romani*. 1589. B.
Oreniades *Nymphæ antra frequentare credebantur*. 1800. E.
Ormisda Persa, *quas res Romæ quam maxime admiratione dignas judicaverit*. 1031. A 1538. B
Ornare & *parare, cum de classe loquerentur, jungebant Romani*. 1822. B
Orphei *statua ubinam olim fuerit Romæ*. 996. B
Orthea *quid significet apud veteres Romanos*. 996. A
Ostrea Lucrina *celebria fuerunt apud Romanos*. 1615. A
Ostia *urbs an intra Romam fuerit inclusa*. 1761. B
Ostiensis *porta ubinam olim fuerit Romæ*. 944. E
—— *porta*. v. *Porta*.
Ou *medium inter* o & u *sonum habebat apud Romanos*. 1823.
Ovidius *Poeta quo tempore Romæ vixerit*. 1171. F
—— *ejus domus ubinam in Capitolio fuerit*. 1245. A
Ovile *qualis locus olim Romæ dictus fuerit*. 1284. B.
—— *cui usui inservierit*. 1582. C
—— *in qua regione Urbis illud fuerit*. ibid. C
Ova *Castori & Polluci sacra in Circo Maximo fuere*. 1360 B
—— *undenam hæc fabula inter Romanos fuerit nata*. ibid.
Ova *in Circo dicebantur templa ad ovi similitudinem ædificata*. 1889. D

P

Pacis *templum in qua regione Urbis olim fuerit*. 1030. F
—— *spolia templi Hierosolymitani olim in eo reposita fuerunt*. 1034. C D & *seq.* v. *templum*.
Pacuvius *Poeta pictor nobilis inter Romanos fuit*. 1468. B
Palatinus mons *fundamentum quasi totius Romæ fuit* 949. E
—— *ejus exacta descriptio*. 950. A
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid. C 1530. C
—— *hodie veterum quondam Imperatorum Palatii rudera adhuc ostendit*. 1530. C
—— *in dorso ejus hodie visitur illustris hortus Farnesianus*. ibid. C
Palatina *regio urbis Romæ quos olim terminos habuerit*. 960. A
—— *ejus descriptio*. 1313. A B &c.
Palatium *barbaris seculis dici cœpit omne ædificium præ cœteris splendidum & magnificum*. 1122. E
—— *olim proprie ita dicebatur domus Imperatorum Romanorum in monte Palatino*. 1321. E
—— *ejus descriptio*. 1324. & *seq.* 1587. B C &c.
—— *quousque illud Caligula & Nero extenderint & ampliaverint*. 1325. B 1326. C
—— *quomodo a sequentibus Imperatoribus idem amplificatum & exornatum fuerit*. 1327. & *seq.*
—— *quoties illud & quando conflagravit*. 1328. F 1587. A C
—— *palatia quenam Roma hodie habeat maxime insignia*. 1623. B
Palatium Caracallæ *ubinam fuerit Romæ*. 1597. E
Palatium Laterani *ubi olim situm fuerit*. 1004. C
—— *quando destructum fuerit*. ibid. D
—— *quot Palatia hujus nominis Romæ fuerint*. ibid. D E
Palatium Licini *ubinam fuerit Romæ*. 1068. B. 1544. F
Palatium Sessorianum *ubinam fuerit Romæ*. 1063. E
Palatium Vespasiani *ubinam in prima regione fuerit*. 1532. A
—— *hic olim martyres pro tribunali examinati fuere*. ibid. A
Palladium *ubinam olim asservatum fuerit Romæ*. 1158. D E 1566. D
—— *Soli Vestali Maximæ illud videre licuit*. 1158 E
Pallori *templum dicatum erat Romæ*. 1574. A
Palma *quo tempore in ara Jovis Capitolini enata*. 1234. B
Palmus recens *architectonicus an idem valeat quod dodrans veterum*. 1715. A
Palus *Capreæ olim Romulo fatalis fuit*. 1580. E
—— *ubinam fuerit*. ibid. E
Pandana *porta quare ita dicta*. 897. B
—— *eadem & Libera & Romana vocata*. ibid.
Pandana porta *non urbis Romæ sed arcis Capitolinæ fuit*. 900. D
Pandere *undenam habeat originem inter Latinos*. 900. E
Panis *conficiendi artificium quo tempore fere penes solos Germanos fuerit*. 1805. A
Pannones *Solem pro Deo coluerunt*. 1562. A
Pantheum *an unquam dictum fuerit Jovis templum*. 1296. E
—— *an ab Agrippa Jovi Ultori sacratum fuerit*. 1267. E 1579. A
—— *quare a Romanis ita fuerit dictum*. 1267. C
—— *ejus exacta descriptio*. ibid. & *seq.*
—— *Templum hoc præstantissimis Urbis operibus annumerabatur*. ibid. D.
—— *cur semper invadentibus Barbaris fuerit conservatum*. 1580. B
—— *Minervæ Medicæ ubinam olim fuerit Romæ*. 1753. C
Parcas Deas *Romani tria Fata appellare solebant*. 1854. C
Parisiorum *urbs quot incolas habeat*. 1515. B
Parœciæ *hodiernæ an & quatenus possint comparari cum Curiis veteris Romæ*. 947. C D E

Patricii *quinam tempore Imperatorum dicti fuerint Romæ*. 1181. E F
—— *ubinam olim habitaverint Romæ*. 1546. E (13.)
Patris patriæ *nomen Tiberius in initio recusavit*. 1588. A
Pavorem *pro Deo coluerunt veteres gentiles*. 1574. A
Pegmata *quid vocaverint veteres Romani*. 1015. E 1536. A
Penates *quales Dii Romæ dicti fuerint*. 1854.
—— *quisnam primus illorum fuerit*. ibid.
Penetrale *qualis pars domus olim dicta*. (11.)
Pentapylon *Jovis Arbitratoris quid proprie fuerit*. 1338. A
Penus *qualis locus in templo Vestæ dictus fuerit*. 1158 C D
Persæ *per ignem & aquam jurare solebant*. 1633. F
—— *ob deliciarum studium celeberrimi olim fuere*. (15.)
Pervigiliæ *veterum Romanorum quamdiu duraverint*. 1470. D
Pes *veterum quot constet unciis*. 1714. C
—— *ejus mensura varia fuit apud Romanos*. 1715. C
—— *quænam videatur omnium exactissima*. ibid. C D
—— *Capitolinus, ejusque exacta mensura*. 1717. D
Pestilentiæ *ob morbum libros Sibyllinos inspiciebant Romani*. 1637. E
Petra Scelerata *ubinam fuerit Romæ*. 1016. B 1536. B
—— *qualis locus a Romanis ita dictus fuerit*. ibid.
Petronia amnis *ubinam olim Romæ fuerit*. 1292. E
—— *eum Magistratus auspicato transibant, cum in Campo quid agere vellent*. ibid. E
Petrus Apostolus *in quo carcere Romæ fuerit detentus*. 1208. B C
—— *ubinam fuerit sepultus*. 1421. A
—— *ubinam ibidem fuerit crucifixus*. 1422. D
Phalera portus *Athenarum*. 913. F
Phalerici *muri magnitudo quanta olim fuerit Athenis*. 912. E
Phaontis *suburbanum* vid. *Suburbanum*.
Pharao *apud veteres Ægyptos erat commune nomen Regum*. 1916. C
Phengites *quis lapis dicatur*. 1541. B
—— *quando & ubi primum sit repertus*. ibid. B
—— *columna quædam ex Phengite Romæ hodienum ostenditur*. ibid. C
Phero *Sesostridis filius quo anno fuerit natus*. 1911. E
—— *quo tempore in Ægypto regnare inceperit*. 1925. E F
—— *an non etiam Sesostris fuerit dictus*. 1927.
—— *qua de causa fuerit excæcatus*. ibid.
—— *quibus mediis postea visum receperit*. ibid.
Philosophiæ *necessitas in Republica*. 1898.
—— *ejus laus*. ibid.
Piacularis porta vid. *porta*.
Pilæ *post lusum Antiqui calidis balneis lavari consueverant*. 1792. D E
Pila *quid significet apud Latinos*. 1664. F 1804. F
Pilæ *dicebantur columnæ, ad quas res venales exponebantur*. 1098. C
—— *ad Pilas porticuum, quæ forum Romanum cingebant, plurimæ olim cauponum & librariorum tabernæ erant*. 1804. C
—— *inter eas & columnas qualis sit differentia*. 1804. F
Pila Horatia *ubinam Romæ fuerit*. 1170. E
—— *undenam hoc nomen acceperit*. ibid. E
Pila Naris, *Narem fluvium repræsentabat*. 1556 F
—— *in qua regione Urbis illa fuerit*. 1908. C 1556. E
Pila Staffilaris *quænam ita dicta, & ubi olim fuerit*. 1803. C D &c.
—— *unde ita dicta*. 1806. B C
Pila Tiburtina *ubinam fuerit Romæ*. 1113. F
—— *ejus descriptio*. 1560. D
Pinciana porta vid. *Porta*.
Piræeus portus *an fuerit olim intra ambitum Urbis Athenarum*. 914. A &c.
Pisces *Tiberis grati saporis olim erant*. 1614. E
—— *odoris tamen non optimi*. ibid.
Piscina *duplicem apud Latinos habet significationem*. 1642. D
—— *quem in usum eas facere consueverint Romani*. 1643. C
Piscinæ *quem usum habuerint in Aquæductibus*. 1745. D
Piscina aquæ Martiæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1740. C
Piscina aquæ Claudiæ *ad septimum ab Urbe milliare fuit*. 1743. F
Piscina publica *ubinam fuerit Romæ*. 1376. D E
—— *cui usui fuerit destinata apud Romanos*. 1596. B
—— *quota regio Romæ ita dicta*. 1374. E
Pistores *in Velabro olim frequentes erant*. 1570. A
Pistrina *quot olim fuerint Romæ*. 1433. B 1435. A
Placenta *Romani in sacris conviviis plerumque vesci solebant*. 1469. A
Platanon *quid olim fuerit Romæ*. 1397. F
Plato *per tredecim annos Hieropoli permansit*. 1909. B
Plebis *quando non amplius in comitiis Romanis ratio haberi ceperit*. 1514. B.
Πλέθρον *qualis mensura apud Græcos fuerit*. 1229. F
—— *an Latini illud recte per Jugerum explicent*. ibid. F
Plethrum *quomodo scriptores a jugero differre velint*. 1436. C
Plinius *fuit rigidissimus censor magnificentiæ Romanæ*. 1785. E
—— *an fuerit doctior quam Ammianus Marcellinus*. 1871. B.
—— *quare peculiari quodam cognomento mendax appelletur*. ibid. B
Plutonem *quare coluerint Romani*. 1589. B
Pluviam *qua pompa a Diis petere soliti Romani*. 1135. D
Poblicii *sepulcrum ubinam Romæ fuerit*. vid. *Sepulcrum*.
Poenos *quis primus Romanorum classe vicerit*. 1942. F
Poetæ *quinam primi Romæ fuerint*. 890. F
—— *ubinam Romæ versus suos recitare solerent*. 1189. E F 1334. E
—— *quomodo scripta sua inter Romanos divulgare solerent*. 1804. D
—— *sæpius temporum & rerum seriem turbant*. 1925.
Pollentis *titulus quare Herculi & Sylvano datus*. 1729. E
Pomœrium *quid proprie dictum fuerit a Romanis*. 905. F 906. F 909. F 1528. F
—— *primum ubinam Romæ fuerit*. 907. A B
—— *ejus prolatio olim diversa fuit a mœnium prolatione*. 907. & 908. 1529. A
—— *quomodo terminaretur apud Romanos*. 910. D E
—— *proferre illud quinam inter illos potuerint*. ibid. F
—— *ritus in hoc quales adhiberi soliti*. ibid.
—— *hoc producere quare prohiberent augures*. ibid. C
—— *quidquid extra hoc erat, extra Urbem esse credebatur*. ibid. D
Pompæ *Romanæ per quas vias ductæ fuerint*. 1370. A
Pompa *qualis Circenses ludos præcesserit*. 1592. C
—— *Circensis per quam viam duci solita*. 1192. D E
—— *cum quibus ceremoniis & solennitatibus id factum*. ibid. E F
Pontes *quot olim fuerint Romæ*. 1430. F 1434. A
—— *quot olim Tiberi impositi fuerint Romæ*. 1440. D
Pons Ælius *in qua regione Urbis fuerit*. 1445. E
—— *an ab Ælio Hadriano fuerit constructus*. 1616. D
Pons Æmilius vid. *Pons Sublicius*.
Pons Cestius *in qua parte Urbis fuerit*. 1444. B
—— *quem in usum Cestius Gallus eum fabricaverit*. 1616. C
Pons Fabricius *ubinam fuerit Romæ*. 1443. B

—— *quomodo hodie a Romanis vocetur*. 1616. C
Pons Januclensis *sive Janiculensis qualis*. 1446. A
—— *in qua regione Urbis fuerit*. 1616. D
Pons Milvius *celebris omni lasciviarum genere*. 1311. A B
—— *a quo primum fuerit exstructus* 1446. B
—— *in qua regione Urbis ille fuerit*. 1616. D
—— *ad hunc Constantinus M. cum Maxentio collatis signis conflixit*. ibid. E
Pons Palatinus *in qua parte Urbis fuerit*. 1616. C
—— *a quibusdam Senatorius fuit dictus* ibid.
—— *quale nomen nunc habeat*. ibid. C
Pons Scutonicus *an fuerit in via Valeria*. 1723. E
Pons Sublicius *Tiberi fuit impositus* 1440. D
—— *e qua materia fuerit factus*. ibid. D
—— *quare postea Æmilius fuerit dictus*. 1441. A 1615. F
—— *opus Regis Anci Marcii fuit*. 1615. E
—— *Horatius Cocles hunc solus defendit*. 1616. B
Pons Triumphalis *in qua regione Urbis fuerit*. 1616. D
—— *idem qui Vaticanus* 1445. D
Pontificatu *in Galliam translato Roma quasi deserta jacuit*. 886. E
Pontifex Minor *ex curia Calabra proclamabat ferias menstruas*. 1537. C
—— *Maximus & Rex Sacrificulus erant duo diversa munera Romæ*. 1539. B
Pontificum *Collegium a Numa institutum*. 888. E
Portæ *quot olim in singulis Circis fuerint*. 1353. A
Portas *quot Romulus urbi Romæ addiderit*. 897. A
—— *quomodo illas nominaverit*. ibid. A
—— *quot habuerit Roma tempore Plinii*. 926. E
—— *singulæ an habuerint duo nomina*. 927. C
—— *undenam iis olim indita nomina*. 935. A
—— *quot in universum Romæ fuerint*. 1433. B
—— *earum intervalla an semper fuerint æqualia*. 1501. D.
—— *aliæ simplices erant Romæ, aliæ duplices*. 1526. F
—— *quænam ab Aureliano promotæ fuerint*. 1527. F
—— *an etiam ab eo numero fuerint auctæ*. 1528. A
—— *portæ Romanæ veteres omnes intra mœnia Aureliana conclusæ inutiles fuerunt*. 1762. E
Porta inter Aggeres *ubinam fuerit*. 931. C 1527. B
Porta Asinaria *ubinam fuerit Romæ*. 934. C. D. 1527. B
Porta Aurelia nova *etiam dicta fuit triumphalis*. 1528. A
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 1612. E
—— *fuit sita prope molem Hadriani*. 1705. D
Portæ Belli *Senatus consulto occludi & recludi jubebantur*. 1853. C
Porta Capena *Romæ hodie D. Sebastiani dicitur*. 1527. C
—— *ubinam olim steterit Romæ*. 1694. E
—— *ubinam Antiquarii eam vulgo collocent*. ibid. E
Porta Carmentalis *ubinam fuerit Romæ*. 929. F 1526. E F
—— *quare olim Scelerata a Romanis fuerit dicta*. 1526. E
—— vid. *Carmentalis*.
Porta Catularia *ubinam fuerit Romæ* 938. E 1527. A
Porta Cœlimontana *in qua parte Urbis fuerit*. 934. B. C.
—— *hodie dicitur porta D. Johannis*. 1527. B.
Porta Collatina *in qua regione Urbis fuerit*. 1527. A
Porta Collina *etiam Salaria fuit dicta*. 930. D
—— *ejus situs fuit ad latus Orientale Romæ*. 1751. A
Porta Esquilina *in qua regione Urbis fuerit*. 932. F 1527. B
—— *cui usui inservierit*. 1527. B
Porta Fenestralis *vel Fenestrella ubinam fuerit*. 839. B *unde ita dicta*. ibid.
Porta Ferentina *ubinam fuerit incertum est*. 1527. B
Porta Flaminia *in qua regione Urbis fuerit*. 944. C 1528. A
Porta Flumentana *ubinam Romæ fuerit*. 929. E 1526. E
Porta Fontinalis *ubinam fuerit Romæ*. 938. A
—— *an Capena olim dicta fuerit Fontinalis*. 937. D
Porta Frumentaria *in qua regione Urbis fuerit*. 929. A
Porta Gabina *ubinam Romæ fuerit*. 934. A
Porta Gabiusa *in qua regione Urbis fuerit*. 1527. A
Porta Janiculensis *etiam dicta fuit Aurelia Vetus*. E
Porta Janualis *ubinam fuerit Romæ*. 1174. A
—— *ea postea in templum conversa fuit*. ibid. A
—— *unde ita dicta fuerit*. 1542. E
Porta S. Johannis. 934. B C
—— *eam olim Cœlimontanam dictam fuisse probabile est*. ibid.
—— *eam &* Asinariam *multi fuisse putant*. ibid.
Porta Labicana *ubinam olim fuerit Romæ* 1527. B
—— vid. *Labicana*.
Porta Sancti Laurentii *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. 931. C F 932. A &c.
Porta Latina *etiam Ferentina fuit dicta* 935. A
—— *eadem olim Piacularis dicta fuit*. 1527. C
—— *nulla ejus ante Aureliani tempora apud scriptores fit mentio*. 1697. B
Porta Lavernalis *ubinam fuerit Romæ*. 936. B 1527. D
Porta Libitinensis *ubinam fuerit Romæ*. 938. C
Porta Major. 933. A &c.
—— *ea a plerisque porta Nævia fuisse creditur*. ibid.
—— *Panvinius eam veterum Esquilinam esse putat*. ibid. C
—— *probabile est eam fuisse portam Gabiusam vel Labicanam*. ibid. F
Porta Metia *apud Plautum*. 938. C D
—— *& Mutia Romæ an fuerit eadem*. 938. D
Porta Metrodii *in qua regione Urbis fuerit*. 934. E *eadem Metroniis dicta*. ibid.
Porta Minutia *ubinam Romæ fuerit*. 939. A
Porta Nævia *in qua Regione Urbis fuerit*. 1527. C
Porta Navalis *in qua Regione Urbis fuerit*. 936. C
Porta Nomentana *eadem quæ Figularis*. 1627. A
Porta Nova *an etiam dicta fuerit Portuensis*. 936. F
Porta Ostiensis *ubinam olim fuerit*. 1528. D 1761. F
—— *hodie dicitur S. Pauli*. 1528. D
—— *an Trigemina eadem fuerit quæ Ostiensis*. 944. E 1762. E
Porta S. Pancratii. 936. F
Porta Pandana *ubinam fuerit in Capitolio*. 1207. F
Porta Pia *varia olim habuit nomina*. 930. E F
Porta Piacularis *quænam ita dicta fuerit*. 935. B
Porta Pinciana *ubinam fuerit Romæ*. 931. F 944. D
Porta del Populo *undenam Romæ hoc nomen acceperit*. 1281. A
Porta Portuensis *ubinam olim fuerit*. 1762. C
Porta Querquetulana. 931. C. vid. *Querquetulana*,
Porta Ratumena *ubinam Romæ fuerit*. 930. A B
Porta Raudusculana *in qua regione Urbis fuerit*. 935. D
—— *unde ita dicta fuerit*. 935. F
Porta Romanula *ubinam Romæ fuerit*. (8)
Porta Sabiusa *ubinam Romæ fuerit*. 931. E
Porta Salaria *an eadem quæ Collatina*. 930. D
Porta Salutaris *ubinam fuerit Romæ*. 930. C
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 930. C
Porta S. Sebastiani. 915. D 932. B
—— *eadem est, quæ olim porta Capena*. 936. A
Porta Septimiana *in qua regione Urbis fuerit*. 937. A 1527. F
Porta Settignana, *Septimiana dicenda*. 937. A
Porta Stercoraria *ubinam olim fuerit*. 939. D

—— *undenam hoc nomen olim acceperit*. 1205. C
Porta Tiburtina *ubinam fuerit Romæ*. 932. C D 1527. A
—— *hodie vocatur porta S. Laurentii*. 1527. A
Porta Trigemina *ubinam fuerit Romæ*. 1527. D
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 936. B
—— *an fuerit eadem quæ Navalis*. 1762. E
Porta Trigonia *ubinam fuerit Romæ*. 1527. D
Porta Triumphalis *ubinam fuerit Romæ*. 938. F
Porta Viminalis *ubinam fuerit Romæ*. 1527. A 1851. A B
Porticus *in qua parte Palatii olim fuerint*. 1330. B
Porticus Æmilia *ubinam olim fuerit*. 1398. D E 1605. A (21)
Porticus Argonautarum *ubinam fuerit* (14)
Porticus Boni Eventus *ubinam fuerit*. 1580. F
Porticus centum columnarum *ubinam fuerit*. 1295. A
Porticus Claudia *in qua regione Urbis fuerit*. 1017. D E
Porticus Constantii *in qua regione Urbis fuerit*. 1580. F
Porticus Europæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1288. B (14)
—— *cui usui inservierit*. ibid. A B
—— *undenam nomen Europæ acceperit*. ibid. C
Porticus Gordiani *ubinam fuerit Romæ* 1308. E
Porticus Gratiani *ubinam fuerit Romæ*. 1580. F
Porticus Liviæ *unde olim ita dicta*. 1017. A
—— *ubinam ea fuerit*. 1016. F 1536. C
Porticus Margaritaria *ubinam Romæ fuerit*. 1186. D
Porticus Meleagrica *in qua regione Urbis fuerit*. 1312. D
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid D
Porticus Minutia vetus & *Minutia frumentaria vel Minutia fuit eadem*. 1311. E
Porticus Octaviæ *ab Augusto sub nomine sororis dedicata*. 1251. B
—— *ubinam hæc olim Romæ fuerit*. ibid. A
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. 1580. F
—— *duæ tales olim Romæ fuere*. (5)
—— *in quibus regionibus Urbis fuerit*. ibid.
—— *rationibus Jonicis exstructæ erant*. ibid.
Porticus Octavii *ubinam olim fuerit*. 1580. F
Porticus Philippi *in qua parte Urbis fuerit*. 1266. C 1578. F.
—— *ampla erat & picturis nobilis*. 1518.
—— *a quo fuerit ædificata*. ibid.
—— *undenam hoc nomen acceperit*. 1580. F
Porticus Polæ *ubinam Romæ fuerit*. 1120. E F 1580. F
Porticus Pompeii *in qua regione Urbis fuerit*. 1580. F
Porticus Quirini *in qua regione Urbis fuerit*. 1096. A 1555. C
—— *ea negotiis & deambulationibus celebris erat*. ibid. C
Porticus Vipsania *ubinam fuerit Romæ*. 1301. D
Portuensis porta *ubinam fuerit*. vid. *porta*.
Posticum Palatii *quis locus Romæ dictus fuerit*. 1504. C
Postmurium *quid veteres dicere soliti sint*. 1528. E
Potitiorum & *Pinariorum familiæ*. 891. D
Prædictiones *Josephi de Vespasiano quales fuerint*. 1850. C
Prædiolum *Julii Pauli ubinam fuerit in Vaticano*. 1430. A 1614. A
Prælium Valerii Martialis *ubinam situm fuerit*. 1559. F
Præneste *per quam viam hodie adiri debeat*. 1710. E
Prænomen *Patroni olim liberti adsciscere solebant inter Romanos*. 1478. C
Prætores *olim judicia in foris & basilicis Romæ exercebant*. 1021. C
—— *ad quæ eorum potestas fuerit redacta ultimis Imperii Romani temporibus*. ibid. E 1537. B
—— *ex qua Curia futuros ludos pronuntiare solerent*. ibid. B. C.
Prætoriani milites v. *milites*.
Prætorium *ad portam Latinam cujus seculi structura sit*. 1768. B
Prætura præsentissima *quid olim fuerit Romæ*. 1021. C D
—— *ubinam illa olim fuerit*. 1537. B
Prata Mutia *ubinam in Transtiberinis fuerint*. 1427. B
—— *cujus Mutii ea olim fuerint*. 1613. D
Prata Quintia *ubinam olim fuerint Romæ*. 1427. D 1613. B
Priapus *olim dicebatur hortorum Deus*. 1109. B
—— *ubinam ejus statua fuerit Romæ*. ibid. B C
Primitias *hordei, farris, & fabarum ludis secularibus Diis offerebant Romani*. 1469. B
Prochorus *contemporarius Joannis Apostoli fuit*. 1697. C.
—— *historia & vita Santi Johannis Apostoli ei falso adscribitur*. ibid. C
Procopii *tempore quot Aquæ ductus Romæ fuerint*. 1749. C
—— *Procopius est scriptor fide dignus*. 1882. F
Prophetia *Sancti Gregorii*. v. *Gregorius*.
Προπύλαια *dicta fuere vestibula Templorum a Græcis*. 1910. F
Proserpina *quare etiam Libera fuerit dicta*. 1362. B C
—— *ejus tabula ubinam fuerit in Capitolio*. 1234. E
Prosimurium *quid sit*. 906. E.
Pseudos dipteros *quænam ædes dicatur*. (3)
Ptolemæus *cum uxore ab Ægyptiis consecratus fuit*. 1557. E
—— *Ceraunii nomine delectabatur*. 1916. E
Publii Victoris *scripta, de iisque judicium* 965. C D
Pullius *clivus ubinam olim fuerit Romæ*. 1063. D
Pulvinar *Solis in qua regione fuerit cultum*. 1095. F
Puncta *reditus quidam Aquariorum dicebantur*. 1663 A
Purgare. vid. *cluere*.
Puteal *Scribonii Libonis ubinam fuerit*. 1171. D
—— *dicebatur Prætoris sedes in foro Romano*. 1567. B
Puticuli *ubinam fuerint Romæ*. 1071. F
—— *undenam hoc nomen primum acceperint*. ibid. F
—— *antiquissimum genus sepulturæ erant*. 1545. F
Pyramis *in Vaticano qualis olim fuerit*. 1426. C
—— *Scipionis Africani sepulcrum fuisse creditur*. ibid. C D
—— *Cestii a quonam fuerit restaurata*. 1462. F
—— *ejus exactissima descriptio*. 1463. B C &c.
—— *Pyramides super cadavera struendi mos unde natus*. 1464. C
—— *quot lateribus constare soleret olim*. 1909. C
—— *quomodo a meta differat*. ibid. C
—— *Memphiticorum Regum fuit inventum ad sepulturæ usum*. 1911. D
—— *inferiores dignitate & veneratione Obeliscis fuere*. ibid. C D
—— *an a Judæis tempore servitutis ædificatæ*. 1912. A
—— *an fuerint granaria a Josepho Jacobi filio exstrui jussa*. ibid. A
—— *an jam fuerint ante diluvium*. ibid. B C
Pyrum *dictus olim fuit locus ubi Martialis habitabat*. 1114. B
Pyrhopoecilos *qui lapis olim dictus fuerit*. 1907. E
—— *quare ab antiquis ita fuerit dictus*. ibid. E
—— *is postea Syenites nominatus est*. ibid. E
Pythagoras *quando in Italiam venerit*. 1618.

—— *quare olim Heliopolim adierit*. 1909. A
—— *quo tempore in Ægypto fuerit*. 1921. D

Q.

Q. *literam Latinus sermo non introduxit*. 1817. F
Quadrigæ *ex argilla in fastigio templi Capitolini fuere*. 1236. A
—— *quisnam eas ex ære fieri curaverit*. ibid. E
Quadrivium *quale Romæ pro compito habitum fuerit*. 1531. B
Quercea *corona olim ante vestibulum Palatii Imperatorii conspiciebatur*. 1587. F
—— *quæ hujus rei causa fuerit*. ibid. F
Quercus *olim Jovi sacra fuit*. 1233. E
Quernæ *coronæ ob cives servatos dabantur*. 1573. C
Querquetulana *porta ubinam Romæ fuerit*. 931. E
—— *quare ita a Romanis fuerit dicta*. 1062. C
Querquetulanus lucus *ubinam fuerit Romæ*. 1543. E
Querquetulanus mons *ubinam fuerit Romæ*. 952. E
Quietis *templum*. vid. *templum*.
Quinresmos *pro quinqueresmos scribebant veteres*. 1826. C
Quintia *prata*. vid. *prata*.
Quirinalis *mons an a Romulo Romæ fuerit adjunctus*. 896. D
—— *an vero a Tatio, Numa, an aliis*. 902. B C
—— *quare olim Salutaris dictus fuerit*. 930. C
—— *in qua regione Urbis fuerit*. 953. B C
—— *Palatium Pontificum in eo hodie est*. ibid. B
—— *plures colles olim in eo fuere*. ibid. F
—— *qualia ædificia olim habuerit*. 1557 A B &c.
—— *quare hodie a Romanis mons Caballinus vocetur*. 1556. D
—— *qualia nunc habeat ædificia*. ibid. B C
Quirinus *quid veteri Sabinorum lingua significet*. 1028. F
—— *ejus ædes*. 1094. E
—— *ejus templum*. vid. *templum*.
—— *Janus Quirinus a Romanis quis fuerit dictus*. 1175. A
—— *a quo tempore Romulus ita inceperit appellari*. 1554. D
—— *ejus domus*. vid. *domus*.

R

Ramnensis *tribus undenam Romæ hoc nomen acceperit*. 946. C
—— *in qua parte Urbis olim habitaverit*. 947 A
Rauda *olim æra dicebantur inter Romanos*. 935. F
Recitandi *publice quis primus fuerit inventor*. 1222. C
Recitationes *ubinam olim Romæ ab Oratoribus & Poetis fieri solitæ*. ibid. A B &c.
Redemtores *quinam dicti apud veteres*. 1656. E
Regia *qualis fuerit Romæ ad Templum Faustinæ*. 1537. E
—— *Numæ in qua regione Urbis fuerit*. 1538. A
—— *& Basilica sunt voces synonymæ apud Romanos*. 1029. A
Regiones *in quatuor quis Romam primus diviserit*. 957. A
—— *in quatuordecim Augustus primus Romam divisit*. 961. A
—— *an hæ regiones semper eodem statu duraverint*. ibid. C
—— *in septem quando Christiani Romam diviserint*. 962. C D.
—— *an hodiernæ eædem sint cum antiquis*. 964. B C
—— *an non & alii loci etiam regiones appellati*. ibid.
—— *de quatuordecim antiquis quinam scripserint*. 964. D E 965. A &c.
—— *eas in compita dividere quis Romanorum primus instituerit*. 966. E
—— *earum numerus*. ibid.
Regio prima *Romæ fuit dicta Capena*. 967. C
—— *in qua parte Urbis illa fuerit sita*. ibid. C D
—— *quot vicos & quales olim continuerit*. ibid.
hujus limites difficulter indicari possunt. 971. A
—— *quid extra portam Capenam, quidque intra habuerit*. 1531. C E
Regio secunda *Romana ubinam fuerit*. 989. F
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid.
—— *ejus descriptio*. 990. A. &c. 1533. E &c.
Regio tertia *quomodo olim fuerit dicta*. 1010. C
—— *in qua parte Urbis hæc sita fuerit*. ibid. C
—— *ejus descriptio*. 1010. C D &c. 1535. C D &c.
Regio quarta *describitur*. 1024. B. C. &c.
—— *quomodo a Romanis fuerit dicta*. ibid. A
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1537. D
Regio quinta *describitur*. 1057. E F
—— *quomodo olim fuerit dicta*. ibid. E
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1543. D
Regio sexta *describitur*. 1089. A B &c.
—— *quomodo olim a Romanis fuerit vocata*. ibid. A
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1553. E
Regio septima *describitur*. IIII. B C &c.
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. B
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1560. C
Regio octava *describitur*. 1125. B. C. &c.
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. B
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1564. A.
Regio nona *describitur*. 1247. B C &c.
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. A
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1576. C
Regio decima *describitur*. 1313. B C *& seq.*
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. A
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1585. B
Regio undecima *describitur*. 1347. B C *& seq.*
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. A
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1589. E F
Regio duodecima *quomodo olim fuerit dicta*. 1374. E
—— *ejus descriptio*. ibid. F
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1596. A
Regio decima tertia *describitur*. 1382. D E *& seq.*
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. C
—— *in qua parte Urbis fuerit sita*. 1600 D
Regio decima quarta *describitur*. 1402. D E *& seq.*
—— *quomodo olim a Romanis fuerit dicta*. ibid. C
—— *ubinam trans Tiberim collocanda*. 1606. C
—— *quare hæc regio olim urbi addita sit*. ibid. C
Regio Transtiberina *Romæ an accensenda sit*. 1509. A
Registrum *Senatus consultorum ubinam fuerit in Capitolio*. 1219. B C
—— *plebiscitorum ubinam in Capitolio fuerit*. ibid. C
Rei *honoratiores ad mortem damnati in quam insulam a Tiberio fuerint sepositi*. 1610. D
Remuria *qualis locus in Aventino fuerit vocatus*. 1389. B 1602. F
Retrices *quid olim fuerint Romæ*. 981. D E
Reges *ubinam Romæ sepulti fuerint*. 1292. B
—— *Regum Ægyptiorum perpauca nomina memoriæ mandata sunt*. 1909. D
—— *qua de causa id factum fuerit*. ibid. D.
—— *Solis filii existimari volebant*. 1916. D
Rex *Sacrorum an a Pontifice Maximo diversus fuerit*. 1033. C 1539. B
Rhamises *Rex Ægypti quot Obeliscos Heliopoli erexerit*. 1918. B
Rhombi *Asiatici in deliciis habiti inter Romanos* 1615. A
Ricimer *Suevus sub Valentiniano* III. *in locum Aetii suffectus fuit*. 995. D
—— *an Arrianus fuerit*. ibid. C D
Ricinium *an aliquod genus vestis apud Romanos fuerit* 1480. B C
—— *an fuerit vestis lugubris*. ibid. F

Rivus Herculaneus ubinam fuerit Romæ. 1454. A 1642. A.
Robigum Deum quare invocaverint Romani. 1574. A
Robur seu Robus qualis locus in carcere Capitolino dictus. 1212. D
Rodufcula porta ubinam fuerit Romæ. 935. D E
Romæ urbis quam varia olim fortuna fuerit. 886. C D
—— Veteris exactam dare topographiam quare tam difficile. ibid. E F
—— quis ejus primus conditor fuerit. 887. B C
—— quale nomen antea habuerit. ibid. C
—— an ante excidium Trojanum condita fuerit. 890. E
—— ejus muros quomodo designaverit Romulus. 893. A
—— an quadrata, an vero in circulum condita fuerit. 893. B C & seq.
—— quot portas in initio a Romulo acceperit. 897. A
—— ejus mœnia a quibus fuerint ampliata. 902. B C & seq.
—— qua Tiberi objecta erant muris destituebatur. 919. A
—— ejus nomine an suburbia etiam contineantur. 919. F
—— prima vice a Gothis direpta quid damni acceperit. 921. D
—— quis primus eam in partes diviserit. 945. D
—— quot passus olim Babylone major fuerit. 1510. A
—— quo tempore decrescere inceperit. 1512. C
—— an sub Aureliano Cæsare fuerit major quam unquam alias. 1515. D
—— hodierna ne quidem ducentesimam veteris habet partem. 1516. D
—— vetus an a Saturno fuerit condita. 1523. F
—— an ab Evandro Roma fuerit appellata. ibid.
—— quale nomen antea habuerit. ibid.
—— quot annis ante natum Christum a Romulo fuerit condita. 1524. E
—— quoties fuerit condita ante Romulum. ibid. C D
—— in initio Roma Romuli non habuit quatuor millia hominum. ibid. E
—— quare quadratam eam fecerit Romulus. ibid. E F
—— septicollis fuit. 1525. E F
—— hodierna decem collium. ibid. E
—— quis eam in tribus primus diviserit. 1529. D
—— quis primus in quatuordecim regiones diviserit. 1531. A
—— qua de causa id fuerit factum. ibid. A
—— ante omnes alias gentes cultrix Deorum fuit. 1593. C
—— quænam habuerit maxime admiratu digna. 1618. D
—— qualis in Scriptura Sacra meretrix magna dicatur. 1619. C
—— quibusnam rebus olim excelluerit. 1623. A
—— quibusnam hodie excellat. ibid. A
—— Regina Orbis terrarum dicebatur a Romanis. 1654. C
—— & Urbs an unum idemque significet. 1761. A
—— ejus appellatio quousque se olim extenderit. 1769. A
—— Urbs Æterna quare dicta a veteribus. 1855. A
—— Dea a Gentilibus habebatur & duratura cum Mundo credebatur. ibid. A
—— quoties a Gothis & Vandalis fuerit capta & direpta. 1875. E F
—— quibus potissimum temporibus vastata fuerit. 1884.
—— quibus temporibus incendiis direptionibusque potissimum obnoxia fuerit. 1884. B C
—— quo anno mundi primum condita fuerit. 1911. F
—— an Pallanteum olim dicta fuerit. 1524. B
Roma quadrata quis locus Romæ olim dictus. 1320. E F
—— cui usui inservierit. ibid. F
Roma subterranea quid proprie dici debeat. 1548. E F
—— quo sensu pensilis olim fuisse dici possit. 1549. A
Romana porta in qua parte Romæ extructa. 899 B
—— v. Porta Mugonia.
Romani ante Anci Marci regnum nunquam Imperii limites ad mare extenderunt. 959. C
—— eorum milites quis in tres tribus diviserit. 1529. D
—— non semper eandem scribendi rationem habuerunt. 1813. E
—— quali lingua antiquissimis temporibus sint usi. 1838. D
—— dici initium a media nocte ordiebantur. 1922. D
—— eorum Imperatores præter Palatinas etiam privatas domos habebant. (15)
Romanula porta Romæ prope Velabrum fuit. 898. A
Romilia dicta fuit prima tribus rustica Romæ. 958. D
—— ubinam hæc sita fuerit incertum est. ibid.
Romulus an verus fuerit Urbis Romæ conditor. 891. E
Romuli & Remi expositio an credibilis sit. 892. B
—— is sub Quirini nomine divinis honoribus cultus fuit. 1095. A
—— an unquam habitaverit in Capitolio. 1240. A
—— quare ejus casa in Capitolio fuerit cum tamen ibi non habitaverit. 1575. C
Rostra quid olim Romæ fuerint. 1135. B
—— in qua parte Urbis initio fuerit. ibid. 1564. F
—— cui usui inservierint. ibid.
—— ibi Orator concionaturus stabat. 1136. B
—— duplicia fuerunt vetera & nova ibid. C
—— vetera ubinam olim fuerint. ibid. 1565. B
—— nova ubinam olim fuerint. ibid.
—— Cæsar ea ex honestissimo loco in minus conspicuum transtulit. 1565. A
—— eorum descriptio. 1564. F
Rumam veteres Latini mammam vocare solebant. 1143. D
Rupes Tarpeja v. Tarpeja.

S

S literam Antiqui verbis interserebant. 1826. D
Sabatina aqua qualis olim fuerit Romæ. 955. C D
—— undenam hoc nomen primum acceperit. 1774. E F
Sabini ubinam in initio habitaverint Romæ. 1055. C
Sabiusa porta ubinam olim Romæ fuerit. 831. E
Sacellum quid proprie significaverit apud Romanos. 1035. F
Sacellum antiquum rotundæ structuræ, hodie templo D. Agnetis vicinum, quare templum Bacchi olim fuisse credatur. 1551. D
Sacellum Cacæ ubinam in monte Aventino. 1391. C
Sacellum Dianæ ubinam olim fuerit Romæ. 1057. A 1534. F
Sacellum Herculis nec muscæ nec canes intrabant Romæ 1570. B
—— ubinam illud fuerit. ibid. F
—— quis illud olim sacraverit. ibid. B
Sacellum Isidis Patriciæ in qua regione Urbis fuerit. 1546. E
Sacellum Jovis Conservatoris ubinam fuerit. 1574. F
Sacellum Larium ubinam fuerit Romæ. 894 E
Sacellum Maniæ in qua regione Urbis fuerit 1413. F
Sacellum Dei Mutini Titini ubinam in monte Palatino fuerit. 1340. A.
—— erat obscœnus Deus. 1589. C
Sacellum Deæ Næniæ ubinam fuerit Romæ. 1082. D 1551. B

Sacellum Pudicitiæ Patriciæ *ubinam fuerit*. 1197. E 1570. B
Sacellum Quirini *an intra an extra muros fuerit*. 1559. F
Sacellum Deæ Streniæ *ubinam Romæ fuerit*. 1036. B
Sacellum Volupiæ *ubinam Romæ fuerit*. 1366. F 1594. B
Sacellum Deæ Viriplacæ *ubinam fuerit*. 1588. F
Sacra Bonæ Deæ *quo ritu olim celebrata*. 1599. D E
Sacra Romana *quis conservaverit cum Urbs a Gallis caperetur*. 1706. A
Sacrarum rerum *Romani admodum reverentes erant*. 1238. C
Sacraria *viginti septem olim a Numa Romæ consecrata fuere*. 957. D
Sacrarium Numæ *in qua parte Urbis fuerit*. 1253. B
—— *Sacrarium in honorem Augusti qua de causa factum*. 1322. D
—— *Saliorum Collinorum in sexta regione*. 1557. B 1100. E
—— *Saliorum Palatinorum ubinam fuerit*. 1585. F
Sacri portus *ubinam fuerit Romæ*. 1047. A
—— *quid ita olim a Romanis dictum*. 1541. C
Salaria porta. vid. *Porta*.
Salarius pagus *ubinam prope Romam fuerit*. 1767. D
Salientes *quales aquæ dictæ a Romanis*. 1639. C.
Saliorum *Sacrarium in qua regione fuerit*. 1321. B
—— *cui usui olim apud Romanos fuerit*. ibid.
—— *eorum festum quando & quomodo olim fuerit celebratum*. 1392. A
—— *quinam ita dicti inter Romanos*. 1585. F
—— *statis temporibus in ponte Sublicio saltabant*. 1616. A
—— *eorum carmina vix ab ipsis Sacerdotibus intellecta* 1838. C
Salinæ *qualis domus olim ita dicta Romæ*. 1365. D
—— *in qua parte Urbis olim fuerit*. ibid.
Salinum *cum sale olim in mensa non ponebant figuli Romani*. 1067. B
Saltu *equum conscendere solebant veteres*. 1619. E
Salubritas *quomodo adumbrata a veteribus*. 1718. F
Salustius *sectator maximus antiquitatis in scribendo fuit* 1820. D
Salutaris collis *ubinam fuerit*. 954. D
Salutaris porta vid. *porta*.
Samaria *a quo olim fuerit diruta*. 1006.
Sandaliarius Apollo *ubinam fuerit Romæ*. 1045. C D
Sangi Dei Sacellum *ubinam fuerit Romæ*. 1094. C
Sardonyx Augustæ *ubinam Romæ conservatus*. 1049. E
Saturnalium festum. vid. *Festum*.
Saturnus *veterum an fuerit Noachus*. 1524. C
Saturnius mons *quare Capitolinus ita antea fuerit dictus*. 951. B
Saturnia *quare Roma antea fuerit dicta*. 1523. F
Saxum Manale *dictum cui usui inservierit Romæ*. 1531 D E
—— *ubinam illud olim conservatum fuerit*. ibid.
—— *e Saxo Tarpejo rei læsæ Majestatis devolvebantur* 1945. A
—— *Saxum minor pœna inter Romanos fuit quam crux*. ibid. B
—— *semper Liberorum pœna fuit*. ibid. B
Scalæ *olim ad latus carceris Capitolini fuere*. 1215. A
—— *cui usui inservierint*. ibid. A
Scalæ Annulariæ *quod genus ædificii Romæ fuerint*. 1245. D
Scalæ Caci *ubinam olim Romæ fuerint*. 1320. B 1391. B
Scalæ Gemoniæ *undenam sic olim fuerint dictæ*. 1567. A
—— *in qua regione Urbis illæ fuerint*. 1603. B
Scarabæus *Solem hieroglyphice significabat apud Ægyptios*. 1912. C
Scauri *clivus ubinam olim Romæ fuerit*. 1000. C
Schola *quare olim ludus fuerit appellatus*. 1005. E
—— *quas significationes hæc vox habeat*. 1022. C. D
—— *quid in militia denotet*. ibid. E
—— *Quæstorum & Capulatorum quales fuerint olim*. ibid. C
Scholæ *sive collegia variorum artificum ubinam olim fuerint*. 1537. C
Schola Cassii *an unquam fuerit Romæ*. 1397. D
Schola Marcelli *ubinam fuerit in nona regione*. 1576. F
Schola Xantha vid. *Xantha*.
Scipioni Africano *monumentum in campo Martio quare in speciem Pyramidis erectum*. 1464. D
Scipionis Africani *cum Jove consuetudo undenam*. 1592. A B
Scipio Barbatus *Consul Romanus an habuerit filium*. 1839. C
Scipio Nasica *optimus a Senatus appellatus*. 1539. C
Scriptores *antiquitatum Romanarum hodierni quinam primarii*. 1523. D
—— *quinam inter veteres optimi*. ibid. D
Scribendi *non semper rationem eandem habuerunt Romani*. 1813. E
—— *ratio olim duplex fuit apud Ægyptios*. 1913. B
Sculpendi *ars*. vid. *Ars*.
Secretarium *Senatus ubinam Romæ fuerit*. 1180. D
—— *quale illud fuerit ædificium*. ibid. E F
—— *qualis locus judiciorum ita dictus fuerit*. 1181. B
Secretum *qualem locum judiciorum dixerint veteres*. 1181. B
—— *ejus exacta descriptio*. 1181. C
Seculares *Ludi ubinam Romæ peracti*. 1290. B
Securi *percutiebant Romani capitis reos*. 1546. A
Sedentes *an mulieres cibum ceperit olim maritis accumbentibus*. 1472. A
Sedendo *epulari in Sacris Herculis fuit singulare*. 1594. A
—— *sedere in lectis ternis solebant veteres*. 1470. E
—— *etiam in captandis auguriis*. ibid. E
—— *etiam in votis & Deorum adoratione*. ibid. F
Sedilia *spectatorum in Circis quomodo distincta*. 1592. E
Sellæ Patroclinianæ *ubinam fuerint in monte Capitolino*. 1206. D
—— *undenam hoc nomen acceperint*. ibid. D
Sellas Curules *ubinam Censores ponere soliti*. 1289. A
Sellæ *inaugurationi Pontificum olim dicatæ, quæ hodienum in Templo Lateranensi conspiciuntur, ex qua materia factæ*. 1596. E
Semicirculi *centrum idem est quod circuli*. 1509. A
Semivocales *non geminare diu fuit usitatissimi moris*. 1816. F
Semo Sancus *quis olim Deus fuerit*. 1553. F
—— *ejus ædes ubi fuerit*. ibid. F
Senacula *quot olim Roma habuerit*. 976. C
—— *cui usui inservierint*. ibid.
Senaculum *mulierum ubinam olim ab Elagabalo institutum*. 1097. D. 1556. B
vid. *Senatulum*.
Senatores *quando soli Tribuni Plebis creati*. 1514. B
Senatus *in ferendis legibus ubinam convenire solitus*. 1136. C
—— *usque ad Theodosii principatum haberi solitus in curia*. 1181. A
—— *ubi datus triumphum ambientibus*. 1578. B.
—— *Senatus consultum justum ubi fieri debuerit apud Romanos*. 1586. E
—— *Senatus consulto Janus semper claudebatur & recludebatur*. 1853. C
Senatula *quot Roma olim habuerit*. vid. *Senaculum*.
Senecta *Romæ a quo tempore inchoanda*. 1515. E
Sepelire *viliores homines ubi soliti Romani*. 1071. F

—— *mortuos in Urbe lex Duodecim Tabularum vetabat*. 1599. B
Septicollis *quare Roma olim fuerit dicta*. 949. E
Septimiana *aqua ramus tantum erat Aquæductus alicujus*. 1456. E
Septimontium *qualis dies Romæ fuerit dictus*. 956. D E
Septizonium *ubinam olim fuerit Romæ*. 1020. B
—— *quale ædificium sic dictum fuerit a Romanis*. 1344. D. E. 1598. C
—— *Severi in qua regione Urbis fuerit*. 1379. D
—— *ejus ne quarta quidem altitudinis portio hodie superest*. 1508. D
—— *quot Septizonia in Urbe olim fuerint*. 1346. C 1598. C
Septum Agrippinum *in qua parte Urbis fuerit*. 1120. E 1562. F
Septum *dicebatur locus in quo populus Romanus suffragia ferre consueverat*. 1582. C (14.)
—— *idem olim a Romanis dictum fuit Ovile*. ibid. C 1284. B
—— *quo in loco olim Romæ fuerit*. 1582. C D
—— *quibus usibus inservire consueverit*. ibid. C D
Septa Trigoria *ubinam olim fuerint Romæ*. (14.)
Sepulcra *plurima extra portam Capenam Romæ fuere*. 984. E
—— *plurima in via Appia olim fuere*. 1599. A 1620. E F
—— vid. *Mausoleum*.
Sepulcrum Accæ Laurentiæ *ubinam Romæ fuerit*. 1191. D
Sepulchrum Alexandri *Severi Romæ*. 1708. B
Sepulchrum Aventini Regis *in qua regione Urbis fuerit*. 1394. A
Sepulcrum Calilii Statii Comici *ubinam fuerit*. 1608. F
Sepulcrum Cinciorum *ubinam Romæ fuerit*. 1344. A B
Sepulcrum Cœciliæ Metellæ *uxoris Crassi ubinam fuerit*. 983. E
Sepulcrum equo *suo erexit Imperator Verus*. 1426 E
—— *ubinam illud olim in Vaticano fuerit*. 1613. D
Sepulchrum Galatini *ubinam in prima regione*. 1532. F
Sepulcrum Gentis Claudiæ *in qua regione fuerit*. 1563 F
Sepulcrum Hadriani *Imperatoris quomodo exstructum*. 1612. A
—— vid. *Moles*.
Sepulcrum Helenæ *matris Constantini Imperatoris*. 1551. E
Sepulcrum Ludieni *vel Ludii*. 1412. B
Sepulcrum Marcelli *in qua regione Urbis fuerit*. 1280. B
Sepulcrum Marci Aurelii. 14v6. A 1612. E
Sepulcrum Mariæ, *Honorii uxoris, ubi inventum*. 1427. A
—— *quænam in eo reperta fuerint*. ibid.
Sepulchrum Metellorum *in qua parte Urbis fuerit*. 1532. F
Sepulcrum Numæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1411. B
Sepulcrum C. Poblicii. 1124. D
—— *an fuerit extra muros*. 1563. E
Sepulcrum Scipionis Africani. 1426. C
—— *quare fuerit translatum e Vaticano*. 1612. F
Sepulcrum Serviliorum *ubinam fuerit Romæ*. 1532. F
Sepulcrum C. Sestii *in qua regione Urbis fuerit*. 1606. A
Sepulcrum Statii Cœcilii *ubinam fuerit Romæ*. 1412. B
Sepulcrum Tatii *Regis ubinam in monte Aventino*. 1391. D
Sepulcrum Thessali Medici. 1533. A
Sepulturæ *veterum honoratiores sub montibus erant*. 1603. A
Serapis *olim fuit cognominatus Apis*. 1910. A
—— *Colosseus e Smaragdo novem cubitorum in Labyrintho Ægypti fuit*. 1928. E F
Serpens *Epidauro Romam advectus*. 1416. C D
—— *serpentes in templo Bonæ Deæ nec terentes nec timentes*. 1599. F
—— *in Cæsarum nummis expressus serpens Salutis erat typus*. 1728. F
Servii Tullii Regia *ubinam Romæ fuerit*. 1074. B. C
Servi Publici Brutii *eorumque munus*. 1412. E
Servi *nequam ubinam puniti Romæ*. 1171. A
—— *nomen & prænomen patronorum adsciscere solebant*. 1478. C
—— *quando & ubinam manumissi*. 1569. A
Sesostris *Herodoti est Sesosis Diodori Siculi*. 1915. D
—— *Ægypti Rex gloriæ fuit appetentissimus* 1922. C
—— *quando vixerit*. 1925. D
Sessorium *palatium ubinam olim fuerit Romæ*. 1063. E
Severiana aqua *ramus forsan Aquæductus alicujus Romæ fuit*. 1456. E
Severus Imperator *quare Urbis Restitutor & Fundator Imperii fuerit cognominatus*. (2)
Sextertium *qualis olim locus fuerit Romæ*. 1546. B
Sextus Rufus *deque eo judicium*. 966. A
Sibyllæ Cumanæ *libri ubinam olim fuerint conservati*. 1134. A
Sicilicus *quarta pars unciæ fuit apud Romanos*. 1646 F
Sigillaria *qualis locus fuerit Romæ*. 1563. D
Signinus *rivus qualis olim dictus*. 1640. E
Signa *Deorum sæpe sine statuis dedicata*. 1640.
—— *signum Vertumni ubinam fuerit Romæ*. 1151. E 1569. E
—— *Musarum quis primus Romam deportaverit*. 1258. A
—— *signum Pueri Impuberis ubinam fuerit Romæ*. 1366. A
—— *Veneris Cloacinæ ubinam in foro Romano*. 1567. C
—— *signa 300. ærea vel marmorea operibus imposuit Agrippa*. 1788. E
Silani *olim dicti lapideæ formæ & imagines ex quibus aquæ saliebant*. 1639. D
Silex, *in quo Petrus & Paulus, aliquando orantes, impressa genuum suorum reliquerunt vestigia, ubinam hodie Romæ ostendatur*. 1035. B 1539. D
Silones *plures celebres fuere inter Romanos*. (12.)
Silus *olim dicebatur qui nasum crispatum habebat*. 1476. F
Simon Magus *an Romæ per aera volaverit*. 1035. B
—— *an ei statua a Romanis fuerit posita*. 1418. C D
—— *ejus casus ad preces Petri Apostoli in qua parte Urbis fuerit*. 1539. D
—— *an Romani ei divinos honores decreverint*. 1554. B
Simulacra luporum *qualis locus fuerit Romæ*. 973. D
Simulacrum Jani *quale fuerit Romæ*. 1052. F
—— *cujus illud fuerit inventum*. ibid. F
Simulacra hominum *triginta quotannis e ponte Sublicio dejecta*. 1616. A
Simulacra Deorum, *quare Romani Pontifices comminuenda & demolienda curaverint*. 1886.
Smaragdi *ingentis magnitudinis ubinam olim fuerint*. 1928. A B
Smarris *Ægyptiorum Rex an sit idem quis Smendis*. 1920. B
Socii *navales quinam dicti a Romanis*. 1825. D
Solææ *olim dicebantur canales Aquæductuum*. 1664. E

Solidi

Solidi Canonici *quinam olim fuerint dicti*. 1491. B
—— *Canonicarii quinam a Romanis dicti*. ibid. C
Solitaurilia *vel Suovetaurilia ubinam celebrata fuerint*. 1581. B
Solem *quænam Gentes olim coluerint*. 1562. A
—— *qualia nomina ipsi imposuerint*. ibid. A
—— *præcipue adorandum putabant Ægyptii*. 1916. F
—— *eum ab Apolline diversum fuisse voluerunt Ægyptii*. 1917. E
Solon *quare olim Heliopolin adierit*. 1909. A
Sparteoli *quinam dicti fuerint Romæ*. 1010. A B
Spelunca Caci *ubinam fuerit*. 1389. C
Specus Ægeriæ *ubinam fuerit in prima regione*. 1532 D
—— *Octavianus ubinam fuerit Romæ* 1697. E
—— *partem Anionis veteris recipiebat*. ibid. E
—— *quis ejus olim apud Romanos fuerit auctor*. 1700. C
Spectacula gladiatorum *ubinam fuerint edita, antequam Amphitheatra constructa*. 1134. D
Spei templum *ubinam fuerit Romæ*. 975 E
Sphærica *ratio condendi templa Romæ fuit antiquissima*. 1283. A
Spinam Circi *quid vocaverint veteres*. 1591. D
Spolium Samarium *ubinam fuerit Romæ*. 1007. E 1534. F
Spolia *templi Hierosolymitani ubinam Romæ reposita fuerint*. 1538. C
—— *quomodo postea direpta aliquoties & tandem Hierosolymæ reddita fuerint*. ibid. C
Spumam canis *quomodo pariter casu & arte pinxerit Protogenes*. 1539. A
Stabula *factionum quatuor Circensium ubinam fuerint*. 1253. C
Stabulum *ubinam in Palatio fuerit*. 1331 B
Stadium *quot passus confecerit apud Romanos*. 1910. D
Stadium Romanum *cursui dicatum fuit*. 1308. A
Stagnum *Neronis ubinam fuerit Romæ*. 1014. B
Stapia *equis conscendendis quando inventa*. 1619. E
Statilii Tauri *Amphitheatrum*. vid. *Amphitheatrum*.
Stationes Notariorum *municipalium ubinam in foro Romano fuerint*. 1567. C
Statio *dicebatur pro conditione apud Romanos*. 1664 D
Statuæ *Deorum sæpe sine templis dedicatæ*. 973. C
—— *earum incredibilis numerus fuit in foro Romano*. 1134. F
—— *quinam olim statuas in Rostris habuerint*. 1137. B 1565. A
—— *Statua Jovis Capitolini initio fuit fictilis*. 1233. A
—— *quando ex auro facta fuerit*. ibid. A
—— *an post Asiam devictam ex ebore fuerit*. ibid. B
—— *Statuam auratam qui primus in Italia posuerit*. 1372. E
—— *Cujus Cæsar cum quo titulo statuam sibi Hierosolymis locandam imperaverit*. 1557. F
—— *quænam statuæ hodie Romæ maxime illustres supersint*. 1624. A
—— *quibus eas publice decernere soliti veteres Romani*. 1886. D
—— *quibus privatim*. ibid. E
—— *quales hodie Romæ plerumque reperiantur*. ibid.
—— *quis Pontificum eas ex ædibus Vaticanis amandare cogitaverit*. 1887. C
—— *quis Pontificum eas e turri Capitolina dejici jusserit* ibid. C
Statuas apoxyomenos *olim dicta, a quonam facta* 1580. D
—— *quam chara ea populo Romano fuerit*. ibid. D
Statua Aquis *posuerunt veteres Gentiles*. 1789. C D
Statuas Cæsaris *Equestris ubinam fuerit Romæ*. 1184 A
—— *Cæsaris aurata ubinam collocata*. 1567. F
—— *Cæsaris, quæ sponte sua se convertit ad Solis ortum, ubi fuerit*. 1610 D
Statua Caligulæ *ex auro ubinam posita*. 1325. E
Statua Claudiani *a quibus & ubinam fuerit erecta*. 1569. B C
Statua Equestris Clœliæ *virginis ubi fuerit*. 1038. B C. 1540. B
Statuam Cybeles *in quibus aquis abluere soliti Sacerdotes Romani*. 1532. D
Statua Fortunæ Mammosæ *ubinam fuerit Romæ*. 1380. F
—— *quare ita a Romanis fuerit dicta*. ibid.
—— Fortunæ *horreorum Galbianorum conservatricis ubinam fuerit*. 1399. D
Statua Herculis *per triumphos vestiebatur Romæ habitu Triumphali* 1197. B
Statua Herculis Olivarii *ubinam fuerit Romæ*. 1595. D
Statua Jovis *in templo Capitolino habitu sedentis erat*. 1232. E 1572. F
—— *ejus statua in æde Concordiæ præ cæteris illustris*. 1575. D
Statua Laocoontis *ubinam olim Romæ fuerit*. 1019. C
Statua Mamurri, *insignis Anciliorum magistri, ubi fuerit*. 1557. C
Statua Marforii *ubinam olim Romæ fuerit*. 1567. C
Statua Marsiæ *ubinam olim Romæ fuerit*. 1172. D
—— *quando & quales coronæ ipsi impositæ*. 1173. A B
—— *quare elata manu in liberis civitatibus posita*. ibid. B
Statua Martis *Romæ nihil aliud quam hasta fuit*. 1538. A
Statua Minutii Augurini *ubinam Romæ fuerit*. 1400. D
Statua Nili *in Templo Pacis Romæ fuit*. 1538. F
Statua Priapi *ænea ubinam in Quirinali*. 1559. E
Statua Deæ Pollentiæ *in Circo Maximo fuit*. 1359. A
—— *Matris Deum in qua regione fuerit*. ibid. D
Statua lignea Servii Tullii *in quo templo fuerit*. 1368 E
Statua Dei Summani *ubinam fuerit*. 1574. F
Statua Trajani *Equestris ubinam fuerit*. 1568. F
Statuæ Triumphales *a Bocho Rege Numidiæ in Capitolio olim positæ*. 1244. E
Statua Valeriana *ubinam fuerit Romæ*. (19)
Statua Veneris *in Pantheo margaritam Cleopatræ auribus gestabat*. 1580. A
Statuam Victoriæ *ubinam Augustus posuerit*. 1139. A
—— *Statua Victoriæ ex auro in templo Capitolino fuit*. 1235. C
Strabo *cum Cornelio Gallo in Ægyptum profectus est, omniaque in ea diligenter inspexit*. 1919. E
Strenia Dea *qualis Romæ fuerit dicta*. 1036. B
Strophæum *quare Mercurium dixerint veteres*. 1802. B
Subbasilicani *quinam dicantur Plauto*. 1567. E
Suffetia v. *Taratia*.
Subhastationes *ubinam olim Romæ fieri solitæ*. 1372. A
Sublicius Pons *Romæ belli tempore dissolvebatur*. 1501. C
—— v. *Pons*.
Sublica *quid significet apud veteres Romanos*. 1615. E
Subrostrani *quinam dicti Romæ*. 1567. E
Subvelia *quis locus olim dictus Romæ*. 1589. A
Suburbanum Phaontis, *in quo Nero vitam finivit, ubinam olim fuerit Romæ*. 1085. C
—— *Martialis in qua parte Urbis fuerit*. 1110. B
Suburbia *extra Servii murum Roma nunquam habuit*. 924. E
—— *quanta Roma florens habuerit*. 925. A

—— *Romana Urbanæ alicui tribui attribuebantur*. 959. E
Subura *ubinam olim Romæ fuerit*. 992. D E 1533. E F (10)
—— *erat una ex cultissimis Urbis partibus*. 998. E
—— *meretricum ibi erat magna copia*. ibid. E
Suburana pars Romæ *quænam regio dicta fuerit*. 957 A
—— *in qua parte Urbis illa fuerit*. 960. C D
Suburana *quomodo prima tribus potuerit dici*. 960. D
—— *ubinam illa fuerit olim*. ibid.
Sucusanus *pagus ubi fuerit*. 996. F
Suecorum *lingua ex Saxonica maxima ex parte derivata est*. 1806. C
Sufes *vocabatur summus Magistratus apud Pœnos*. 1818. C
Sulcus *undenam fuerit ductus cum Roma fuit condita*. 894. A
Sulevis *quale vocabulum apud veteres Romanos*. 1733. E
Sulla *an Sylla scribendum & pronuntiandum sit*. 1866. C
Summani Dei statua *ubinam in Capitolio fuerit*. 1236. B
Sunqualis *porta Romæ ubi fuerit*. 938. B
—— *undenam sic fuerit dicta*. ibid.
Superlativis *in omnibus i pro u usurpabant veteres Romani*. 1817. B
Supplicia *extra portas & in celebrioribus viis infligebantur*. 1617.
Susa *lilium significat*. (15)
—— *urbs ob loci amœnitatem ita fuit dicta*. ibid.
Syenites *lapis qu alis olim fuerit*. 1907. E
—— *quale nomen ante habuerit*. ibid. E
—— *undenam hoc nov um nomen acceperit*. ibid. E
Sylla *sibi in campo Martio sepulcrum fecit*. 1292. C
—— *an primus post Reges Pomœrium Romanum produxerit*. 1497. F
—— *fuit primus qui Rempublicam Romanam perdidit*. 1513. F
—— vid. *Sulla*.
Sylva *& Domus Nævii*. 983. D
Symmachi *prædium ubinam olim fuerit*. 985 C
Syngraphas *eorum, qui Fisco aliquid debebant, quare & ubi Hadrianus exusserit*. 1569. C
Syracusarum *urbis magnitudo*. 912. E 913 C D

T

T *significabat Ægyptiis vitam venturam*. 1599. C
Taautica *litera*. vid. *Litera*.
Tabernæ *Cæditiæ ubinam fuerint Romæ*. 981. A
—— *in quibus servi venundabantur ubinam fuerint*. 1148. E
—— *novæ in qua regione Urbis fuerint*. 1177. E
—— *librariorum ubinam Romæ olim præcipue fuerint*. 1804. C
—— *Argentariæ septem ubinam Romæ fuerint*. 1178. C 1567. C
—— *hæ postea ad quinarium numerum redactæ fuere*. ibid. C
—— *Meritoriæ quales dictæ inter Romanos*. 1410. A
Taberna Meritoria *vetus ubinam Romæ fuerit*. 1409. D 1607. E
—— *in ea sub adventum Christi fons Olei usque in Tiberim fluxit*. 1409. D
Tabernola *qualis vicus fuerit Romæ*. 999. C
Tabelliones *in qua parte Fori Romani versari soliti*. 1179. A
Tabula *quædam Delphica antiqui æris olim in Palatio asservabatur*. 1588. C
—— *ea indicio erat, literas Græcas veteres pene similes fuisse Latinis*. ibid. C
Tabularium *vetus in Capitolio quid proprie fuerit*. 1218. F
—— *Senatus ubinam in monte Capitolino*. 1571. A
Tabulæ *Legis Judæorum an a Romanis in triumphum ductæ*. 1032. A
—— *publicæ, quæ ad Censores spectabant, ubinam conservatæ*. 1395. C
Tacitus *auctor est parum superstitiosus & religiosus*. 1918. D
—— *ejus laus*. 889. D
Taratia Caja *sive Suffetia virgo Vestalis partem* Campi Minoris *populo dedit*. 1583. C
Tarentinus ager *olim optimum ferebat mel*. 1437. A.
Tarpejus Mons *quare Capitolinus antea fuerit dictus*. 951. B
—— *quænam pars hujus montis ita dicta fuerit*. 1198. E
—— *capitis damnati hinc præcipitari soliti*. 1571. B
—— *undenam hoc nomen acceperit*. 1575. C.
Tarquinius Priscus *Tiberim intra alveum quem nunc obtinet, repressit*. 896. C
Tarquinii Superbi *agger ubinam fuerit*. 1544. B
Tatius *Romanorum Rex ubinam habitaverit*. 1240.
—— *in qua regione Urbis fuerit sepultus*. 1602. C
Taurus *Lunam significabat apud Persas*. 1917. D
Telamones *quales columnæ olim fuerint dictæ*. 1579. D
Tempestatis *ædes ubinam fuerit Romæ*. 975. C
Templum *qualis locus olim dictus fuerit*. 1135. B.
—— *inter* Templum *&* Ædem *quænam olim fuerit differentia*. 973. A
—— *Singulis Curiis olim suum erat Templum*. 1529. F
—— *Templa triginta Curiarum an tantum fuerint 30. conclavia unius templi*. 1530. A
—— *antiquissimum & rotundum in Cœlio cui fuerit olim dicatum*. 1534. B
—— *an jam tempore Imperatoris Severi templa a Christianis Romæ extructa fuerint*. 1607. D
—— *qualia templa hodie Romæ maxime sint insignia*. 1623. B
—— vid. *Ædes. Fanum*.
Templum Æsculapii *ubinam fuerit in tertia regione*. 1536. E
—— *celeberrimum fuit olim in Insula Tiberina*. 1609. D
—— *ejus exacta descriptio*. 1610. B C
Templum Aii Locutii *ubinam fuerit Romæ*. 1153. B
Templum Antonini *in qua regione Urbis fuerit* 1301. A 1584. F
Templum Apollinis *& Clatræ Deæ ubinam fuerit Romæ*. 1101. A 1557. B
—— *extra portam Carmentalem fuit omnium istius Dei antiquissimum Romæ*. 1253. E
—— *quando & quare populus Romanus illud voverit*. 1254. A B
—— *Apollinis Medici in qua regione Urbis fuerit*. 1605. A
—— *Apollinis in Palatio quis perfecerit*. 1335. D
—— *ejus descriptio*. 1586. D
Templum *ubinam Augusto in monte Palatino fuerit consecratum*. 1245. C
—— *a quo illud fuerit factum*. 1335. E
Templum Bacchi *ubinam Romæ fuerit*. 1336. C
—— *Bacchi, Cereris & Proserpinæ in qua regione fuerit*. 1362. B
Templum Bellonæ *ubinam olim fuerit*. 1578. A 1581. A
—— *quando in eo Legatis hostium Senatus dari inceperit*. 1528. B
Templum Bonæ Deæ *in Jugo Aventini fuit*. 1388. C 1599. C
—— *quare ab Hadriano e clivo Saxeo Aventini ad*

montis ejusdem radicem translatum fuerit. 1599. C
—— *hoc viris fuit nefas ingredi*. ibid. D
Templum Bruti Callaici *in qua regione Urbis fuerit*. 1259. B
—— *undenam hoc nomen acceperit*. ibid. B
Templum Cæsaris *ubinam fuerit*. 1149. A 1565. F
Templum *ubinam Caligula sibi ipsi fecerit*. 1325. E
Templum Camœnarum *ubinam in prima regione*. 1532 D
Templum Capitolinum *quam exacte describitur*. 1229. D E & *seq.*
—— *a quibus illud fuerit destructum*. 1238. D E
Templum Deæ Carnæ *vel Carmæ ubinam olim fuerit*. 1005. D 1534. F
Templum Castoris & Pollucis *ubinam fuerit Romæ* 1147. E
—— *causa condendi hujus templi qualis fuerit*. 1148. B
—— *Caligula illud in vestibulum Palatii convertit* 1565. E
Templum Cereris *ubinam fuerit Romæ* 1321. C
—— *a quo illud primum exstructum fuerit*. ibid. C. 1586. A
—— *aliud ubinam a Pompejo exstructum*. 1593. D
Templum Clatræ *in qua regione fuerit*. 1101. A 1557. C
—— *qualis illa Dea fuerit*. ibid. C
Templum Claudii *ubinam fuerit Romæ*. 1002. B
—— *an Claudius illud primum inchoaverit*. 1856. B
Templum Deæ Cloacinæ *in quarta regione Urbis fuit*. 1538.
Templum Concordiæ *a quo ædficatum*. 1017. A
—— *in qua regione Urbis fuerit* 1049. C 1566. E
—— *a Senatu in contemptum plebis exstructum*. 1142 E
—— *Concordiæ ad Porticum Liviæ*. 1541. D
—— *Concordiæ minutum æreumque ubi fuerit*. ibid. B
Templum Cosmi & Damiani *an quondam Remi templum fuerit*. 1538. B
Templum Cybeles *olim fuit in monte Palatino*. 1336.
Templum Dianæ *in qua regione fuerit*. 1387. D 1876. A
—— *quare cornua bubula ei affixa*. 1387. D
—— *quare* commune *a Romanis fuerit dictum*. 1601. B
—— *Dianæ viris nequaquam intrare licitum*. 1456. E
Templum Dijovis *in monte Palatino fuit*. 1337. E F
Templum Ephesinum *communibus totius Asiæ sumptibus ædificatum fuit*. 1387. D
Templum Boni Eventus *ubinam Romæ fuerit*. 1172. B. 1580. E
Templum Fauni *an idem sit quod hodie* S. Stephani rotundum. 1001. F
Templum Faustinæ *an hodie sit ædes* S. Laurentii in Miranda. 1027. D
—— *ubinam fuerit in quarta regione Urbis*. 1337. E.
Templum Febris *ubinam fuerit Romæ*. 1337. D E
Templum Felicitatis *ubinam fuerit Romæ*. 1080. A
Templum Dii Fidii *ubi fuerit Romæ*. 1093 E
Templum Fidei *in monte Palatino*. 1337. B 1588. E.
—— *aliud ejusdem nominis ubinam in monte Capitolino* 1574 F
—— *Fidei a Roma Ascanii filia ubinam ædificatum*. 1586. B
Templum Flaviæ *Gentis ubinam Romæ*. 1102. D
Templum Floræ *ubinam olim fuerit Romæ* 1101. E 1557. C
Templum Fortunæ *a Lucullo dedicatum ubinam fuerit* 1191. F 1569. F
—— *novum Fortunæ ubinam fuerit*. 1123. E F
—— *plura olim Romæ templa Fortunæ fuerunt*. 120. E 1570. C
Templum Fortunæ Dubiæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1409. B
Templum Fortunæ Equestris *in qua regione Urbis fuerit*. 1581. A
Templum Fortis Fortunæ *a Servio Tullio fuit ædificatum*. 1408. D
—— *in qua regione Urbis illud fuerit*. 1607. A
—— *alterum ei vicinum eidem Deæ quis ædificaverit*. ibid. A
—— *tertium ejusdem nominis ad Tiberim*. ibid. A
Templum Fortunæ Liberæ *ubinam fuerit Romæ*. 1103. B 1558. B
Templum malæ Fortunæ *ubinam fuerit Romæ*. 1539. E
Templum Fortunæ muliebris *ubinam fuerit*. 983. E
—— *simulacrum ejus quoties & quæ verba locutum*. ibid. E F
Templum Fortunæ Primigeniæ *ubi olim fuerit*. 1109. D. 1559. E
Templum Forrunæ publicæ *ubinam fuerit Romæ*. 1496. B
Templum Fortunæ Reducis *ob felicem Domitiani reditum e bello Germanico videtur ædificatum*. 1102. F
—— *ubinam illud fuerit in Quirinali*. 1558. B.
Templum Fortunæ Sejæ *ubinam fuerit Romæ*. 1541. B
Templum Fortunæ Statæ. 1103. B 1558. B
Templum Fortunæ Virilis. 1594. F
Templum Hadriani *ubinam in Foro magno fuerit*. 1180. C
Templa Herculis *varia olim fuerunt Romæ*. 1086. A 1593. D 1594. A B 1605. A
—— *Templum Herculis Custodis in qua regione Urbis fuerit*. 1581. A
Templi Hierosolymitani *spolia ubinam Romæ fuerint reposita*. 1031. C &c.
Templum Honoris *ubi olim Romæ fuerit*. 1086. A
—— vid. *Honor*.
Templa Honoris & Virtutis *Romæ conjuncta erant*. 975. A 1531. F 1545. D
—— *quare illud a Romanis fuerit factum*. 975. A
Templum Jani *quatuor habebat portas*. 1050. E
—— *quale fuerit in foro Romano*. 1173. B C
—— *quale tempore pacis claudi solitum*. ibid. F
—— *ubinam tale fuerit in regione undecima*. 1372. C
—— *varia Jani templa olim fuere Romæ*. 1543. A B
—— *an tempore pacis clauso uno clausum etiam fuerit alterum*. ibid. B
—— *quale fuerit in foro Transitorio*. 1568. C
Templum Jani Bifrontis *totum æneum fuit in foro Romano*. 1567. B
Templum Jani Quadrifrontis *fuit in foro Transitorio*. 1052. E F &c. 1567. B
Templum Jani Gemini *ubinam fuerit Romæ*. 1577. B
Templum Jani Custodis *an fuerit in Capitolio*. 1229.
Templum Isidis *a Caracalla constructum*. 1380. A
—— *in qua regione Urbis illud fuerit*. ibid. B
—— *in secunda regione in monte Cœlio*. 1534. F
—— *in campo Martio maxime memorabile fuit*. 1599. C
Templum Isidis Campensis *ubinam fuerit*. 1304. F
Templum Isidis Exoratæ *ubi fuerit*. 1117. D E 1304. E
Templum Isidis & Serapidis *ubinam fuerit Romæ*. 1575. F
Templum vetustissimum *tribus cellis Jovi, Junoni & Minervæ dicatum*. 1557. A

Templum Jovis Capitolini *quis primus inchoaverit*. 1223. F.
—— *in qua parte Capitolii illud fuerit*. 1225. D.
—— *ejus exacta descriptio* 1571. D E
—— *quam insignia donaria olim habuerit*. 1571. E F.
—— *quoties conflagraverit*. ibid. D
Templum Jovis Custodis *in Capitolio*. 1242. B 1575. F
Templum Jovis Feretrii *in Capitolio olim fuit*. 1242. D 1575. E
—— *undenam hoc nomen primum acceperit*. ibid.
Templum Jovis & Herculis *ubinam fuerit Romæ*. 1576. A
Templum Jovis Propugnatoris *ubinam fuerit Romæ*. 1339. D E 1589. C.
Templum Jovis Sponsoris *in Capitolio fuit*. 1575. F.
Templum Jovis Statoris *cum signo Victoriæ in decima regione fuit*. 1585. D 1589. A
Templum Jovis Tonantis *in monte Capitolino fuit*. 1571. A
—— *a quo illud fuerit ædificatum* ibid. C
Templum Jovis Victoris *in Palatino*. 1588. E
Templum Jovis Viminei *in Colle Viminali*. 1081. D 1550. E
Templum Junonis Jugæ *in foro Romano fuit*. 1566. A
Templum Junonis Monetæ *ubi fuerit Romæ*. 1575 B.
Templum Junonis Reginæ *ubinam a Camillo ædificatum*. 1388. A
Templum Junonis Sospitæ *ubi fuerit*. 1334. F
Templum Juthurnæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1581 A 1561. A
Templum Laribus *ubi Romæ erectum fuerit*. 1549 E
Templum Liberi, *Liberæ & Cereris ad Circum Maximum fuit*. 1593. C
Templum Libertatis *a Clodio dedicatum*. 1342. A 1589. C
Templum Lunæ *in monte Aventino*. 1388. A
Templum Lunæ Noctulucæ *ubinam in monte Palatino*. 1340. B
Templum Martis *ubinam fuerit Romæ*. 971. E
—— *an duo templa ejusdem nominis Romæ fuerint*. ibid. F 972. F
—— *Martis in prima regione*. 1531. C
Templum Martis Bisultoris *in Capitolio*. 1243. E
Templum Martis Quirini *ubinam fuerit Romæ*. 1538 A
Templum Matidiæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1303. F.
Templum Matutæ *fuit in foro Boario*. 1570. C
Templum Mentis *in Capitolio ab Æmilio Scauro dedicatum*. 1243. A
Templum Mercurii *in conspectu Circi fuit*. 1363. D
Templum Minervæ *a Pompejo conditum*. 1306. A
—— *in qua regione Urbis illud fuerit*. 1584. D
—— *Minervæ ubinam Augustus sacraverit* ibid. E
—— *illud æreum an fuerit*. ibid
—— *in monte Palatino*. 1339. C
—— *in campo Martio*. 1581. A
—— *in foro Transitorio*. 1568. C
Templum Minervæ *seu Palladis Aventinæ in monte Aventino*. 1602. E
Templum Minervæ Chalcidicæ *ubinam fuerit*. 1306. C.
—— *Augusti opus fuit*. ibid. C
Templum Minervæ Medicæ *ubinam fuerit*. 1544. E
Templum Misericordiæ *in qua regione Urbis fuerit*. 1367. C
—— *an nunc sit ædicula S. Mariæ Ægyptiacæ*. ibid. C
Templum Monetæ *ubi fuerit Romæ*. 1200. B
—— *quando illud fuerit ædificatum*. ibid. C
—— *Monetæ & ejus statua ubinam fuerit*. 1018. B
Templum Murciæ Deæ *an olim in circo Maximo*. 1359. D
Templum Neptuni *ubinam olim Romæ*. 1581. A
Templum quatuor Nympharum. 1732. E
Templum Opis *ubi olim fuerit Romæ*. 1566. A 1575. F
Templum Pacis *a quo fuerit ædificatum*. 1017. A 1849. D.
—— *quare conditum fuerit*. 1849. D E
—— *falluntur qui id a D. Claudio inchoatum asserunt* 1855. B
—— *conflagravit sub Commodo*. 1538. B
—— *in qua regione Urbis fuerit*. 1830. F
—— *an sub partum Beatissimæ Virginis corruerit*. 1849. C
Templum Palloris & Pavoris *ubi olim fuerit Romæ*. 1073. D 1546. D
Templum Panis *Arcadum Dei ubinam ab Evandro ædificatum*. 1586. A
Templum Deorum Penatium *ubinam fuerit Romæ*. 1146. B 1565. D
—— *an plura fuerint Romæ*. (7)
Templum Pietatis *in qua parte Urbis fuerit*. 1252. E
—— *a quo illud fuerit dedicatum*. 1372. E
Templum Populi *undenam Romæ hoc nomen acceperit*. 1281. A
Templum Quietis *ubi olim fuerit Romæ*. 1009. B 1544. D
Templum Quirini *ubinam olim fuerit Romæ*. 1030. E
Templum Quirini *vetus ubi fuerit*. 1554. D
—— *qua occasione illud fuerit exstructum*. ibid. D
Templum Quirini novum *ubi olim fuerit*. 1114. E 1560. E
Templum triginta Romanorum *quomodo in initio fuerit appellatum*. 1539. B
Templum Remi *ubinam olim fuerit Romæ*. 1030. C 1538. B
Templum Rhamnusiæ, *quæ & Nemesis, ubinam olim fuerit*. 1337. E
Templum Romæ *ubi fuerit*. 1034. A B 1539. C
—— *a quo fuerit exstructum*. ibid. C
Templum Romulo *sub nomine Quirini in sexta Regione fuit dedicatum*. 1095. A
—— *Templum Romuli in octava Regione ad Lupercal fuit*. 1145. E. 1565. D
Templum Salutis *ubi olim Romæ fuerit*. 1096. F
Templum Saturni *ubinam fuerit Romæ*. 1163. D 1566. A
—— *an etiam in Foro templum Saturni fuerit*. 1566. A
Templum Deæ Sejæ *ubinam fuerit Romæ*. 1045. F
Templum Serapidis *ubi olim fuerit Romæ*. 1099. D 1581. A
Templum Silvani *ubinam fuerit Romæ*. 1081. A 1550. E
Templum Solis *in Via Sacra*. 1035. D
—— *in Clivo Cucumeris*. 1086. D
—— *in Colle Quirinali*. 1097. D 1555. E
—— *Solis in septima Urbis regione ab Aureliano exstructum*. 1116. E. 1571. E
Templum Spei *ubinam fuerit Romæ*. 1605. A
Templum Telluris *hodie* S. Salvatoris in Tellure. 1047. F
—— *in qua regione Urbis illud fuerit*. 1054. D 1541. D
Templum Trajani *in foro Romano cui Deo consecratum fuerit incertum est*. 1569. A
Templum Vejovis *ubi olim fuerit Romæ*. 1218. B
Templum Veneris *ubi olim fuerit Romæ*. 1034. A 1539. C

Templum Veneris *Calvæ ubinam fuerit Romæ*. 1243. B C 1575. F
Templum Veneris & Cupidinis *ubi olim fuerit Romæ*. 1064 B
Templum Veneris Capitolinæ *apud Suetonium, an idem quod Veneris Erycinæ, an Calvæ, an & alterius*. 1243. C D
—— *Veneris Erycinæ in regione Esquilina*. 1551. B
—— *antiquissimo instituto Veneri olim extra urbem templa excitata*. ibid. B
Templum Veneris Genitricis *ubi Cæsar construxerit*. 1183. C 1567. E
Templum Veneris Murtiæ *a Quinto Fabio Gurgite ubinam erectum*. 1545.
Templum Veneris Victricis a Pompejo *ubinam exstructum*. 1260. C
Templum Vertumni *sive Vortumni ubinam Romæ fuerit*. 1602. C D
Templum Vespasiani *ubinam Romæ fuerit*. 1566. E
Templum Vestæ *ubinam fuerit Romæ*. 1156. A B 1157. B 1566. C
—— *in eo Sacra Romanorum cum Diis Penatibus & Palladio religiose custodiebantur*. 1566. C
Templum Victoriæ *ab Evandro ubi conditum*. 1321. C 1586. A
—— *Templum Victoriæ in monte Palatino*. 1588. E
Templum Virtutis. vid. *Virtus*.
Templum Urbis *ubi fuerit*. 1665. E
—— *a quo id fuerit exstructum*. ibid. E
Templum Vulcani *ubi olim fuerit Romæ*. 1258. D 1292. A
Templum S. Agathæ. 901. D 994. B
—— *S. Agathæ quæ dicitur in Lardario*. 943. C
—— *S. Agathæ in Suburra*. 994. F
—— *S. Agnetis*. 1551. D
—— *est Constantini opus*. 1084. C
—— *an vicinum ei veteris & rotundæ structuræ Sacellum olim Bacchi templum fuerit*. 1551. D
—— *S. Anastasiæ*. 894. A E 898. B
—— *S. Andreæ della Fratte*. 1115. D
—— *S. Andreæ Vallensis*. 1263. C
—— *D. Augustini*. 1581. D
—— *S. Bartholomæi*. 1417. A
—— *fere eodem loco quo olim Æsculapii templum in Insula Tiberina*. 1609. D.
—— *S. Basilii*. 1050 A
—— *S. Bernardi*. 931. A
—— *olim fuit unum ex caldariis thermarum Diocletianarum*. 1103. D 1558. C
—— ad *D. Bibianæ templum Licinii Palatium olim surrexit*. 1544. F
—— *S. Cæsarii*. 917. E
—— *S. Catharinæ Funariorum*. 1122. E 1577. D
—— *hodie est eo loco quo olim Circus Flaminius*. 1253. F
—— *S. Ceciliæ*. 974. A
—— *S. Clementis*. 933. E 951. F
—— *S. Cosmi & Damiani an olim Remi templum fuerit*. 1538. B
—— *S. Crucis in Hierosolymis*. 917. C 955. C
—— *a Constantino in Palatio Sessoriano ædificatum*. 1063. E 1544. A
—— *S. Georgii in Velabro* 898. A 1569 E
—— *S. Gregorii*. 952. C
—— *S. Hadriani operis est vetusti*. 1180 B
—— *an olim templum & ærarium Saturni fuerit*. ibid.
—— *S. Johannis*. 918. A
—— *S. Johannis Decollati*. 1192. D
—— *S. Johannis Lateranensis in monte Cœlio*. 951. C
—— *olim ejus loco stetit Plautii Laterani domus*. 1534. D
—— *S. Laurentii*. 932. A B 1548. E
—— *S. Laurentii in Fonte*. 955. B 1546. E
—— *unde ita dictum*. 996. C
—— *S. Laurentii in Lucina*. 1290. C
—— *unde ita dictum*. ibid. C
—— *S. Laurentii in miranda*. 894. B F
—— *olim templum Faustinæ fuit*. 1027. D 1537. E
—— *S. Laurentii in Panisperna in colle Viminali*. 955. A 1530. E
—— *ejus locum olim thermæ Olympiadis occuparunt*. 1080. C
—— *unde ita dictum sit*. ibid.
—— *S. Laurentii in Viminali hodie eo loco surgit, quo olim Sanctus ille Martyr craticula tostus fertur*. 1550. D E
—— *S. Luciæ in Silice*. 993. E
—— *S. Mariæ Ægyptiacæ*. 1197. C
—— *cuju Dei id olim fuerit*. 1367. C D 1594 F
—— *S. Mariæ Angelorum*. 953. E
—— *S. Mariæ in Aquiro*. 1304. F
—— *S. Mariæ Aventinæ*. 918. C 936. E
—— *S. Mariæ Capitellorum*. 1641. C
—— *S. Mariæ in Cosmedino*. 898. D
—— *S. Mariæ Liberatricis*. 894. B F 898. B 950. A B 1133. F
—— *S. Mariæ Majoris in Esquilino*. 955. C 1530. E
—— *olim ejus loco fuit ædes Junonis Lucinæ*. 1548. C
—— *S. Mariæ Novæ*. 897. F 950. B. 1035. A
—— *olim vestibulum aureæ Domus Neronianæ eodem loco fuit*. 1539. D
—— *S. Mariæ in Porticu*. 916. D
—— *S. Mariæ Transpontinæ*. 1612. E
—— *S. Mariæ Transtiberinæ templum eo hodie loco est, quo olim Taberna Meritoria antiqua fuisse creditur*. 1607. D
—— *S. Martinæ*. 896. D 1150. C
—— *olim Secretarium Senatus ibi fuit*. 1180. D
—— *D. Martini in monte*. 1545. F
—— *eo olim pertinuerunt thermæ Trajanæ*. 1536. F.
—— *S. Matthæi*. 963. A.
—— *Navicellæ*. 952. C
—— *olim mansiones Albanæ eodem loco fuisse putantur*. 1000. E
—— *D. Nicolai*. 1561. A
—— *S. Nicolai in Carcere*. 916. D. 1208. C
—— *S. Pancratii*. 922. A 936. F.
—— *S. Pauli*. 922. A
—— *S. Pauli Tiburtini*. 942. D
—— *SS. Petri & Pauli*. 1025. A
—— *S. Petri in Carcere an eo loco sit, ubi olim Tullianum fuit*. 1208. C D E.
—— *D. Petri Montorii*. 943. A
—— *D. Petri in Vaticano* 1614. B.
—— *ei Hecatonstylon ab Alexandro VII. additum*. ibid.
—— *S. Petri in Vincula*. 1018. D
—— *S. Priscæ ubi nunc est, olim Aquilæ & Priscillæ domus fuit*. 1387. C
—— *S. Pudentianæ*. 955. B
—— *S. Rochi eo loco est, quo olim Mausoleum Augusti*. 1429. A
—— *S. Sabinæ in monte Aventino*. 952. E
—— *S. Salvatoris*. 942. C
—— *S. Salvatoris in ærario*. 1209. B.
—— *S. Salvatoris in Tellure an olim fuerit templum Telluris*. 1047. F
—— *Sanctorum quatuor* 1534. C
—— *Sanctorum quatuor Coronatorum ubi sit Romæ*. 1002. E
—— *a quonam fuerit exstructum*. ibid.
—— *a quo destructum*. ibid.
—— *a quo restauratum*. ibid. F
—— *an ruderibus Castrorum Peregrinorum superædificatum sit*. ibid. F
—— *D. Sebastiani, ejusque Cryptæ*. 1532. A

—— *S. Syxti*. 917. E
—— *S. Spiritus*. 939. E
—— *S. Stephani, olim ædes Portumni*. 1594. B
—— *S. Stephani templum rotundum multi templum Fauni fuisse opinatur*. 1001. F
—— *S. Stephani in Caco quare ita dictum*. 1594. C
—— *D. Susannæ*. 917. A
—— *S. Theodori*. 898. A
—— *S. Trinitatis in montibus*. 923. B 1283. C
—— *D. Virginis Victricis*. 954. B
—— *S. Vitalis in Quirino*. 1081. B
—— *D. Viti in macello*. 1548. C
Tepula *aqua quando & a quo in urbem deducta*. 1449. B. 1617. B
—— *ubinam ejus origo fuerit*. 1638. B
—— *ejus mensura aquarum in usum Urbis*. 1650. D
Tempora *Mundi quomodo Varro distinxerit*. 891. B
Joannes Temporarius *a Romulo Romam conditam esse negat*. 887. D
—— *refutatur*. 890. E F
Tarentus *qui locus sic dictus, & ubi fuerit Romæ*. 1289. E 1583. A
Terminus Deus *non nisi informis lapis erat*. 1234. D
—— *hunc sub dio colere solebant Romani* ibid. D
Ternarius *numerus in quibusnam Deabus vigeat*. 1734. B C
Testamento *de sumptibus funeralibus quousque olim hæres teneretur satisfacere*. 1482. D
Theatrum *stabile & perpetuum an unquam in Palatio conditum*. 1343. D
—— *in quo diversum fuerit a Circo*. 1352. E F
—— *quot theatra olim fuerint Romæ*. 1432. F
—— *quot theatra stabilia olim eodem tempore fuerint Romæ*. 1575. B
—— *quæ fuerit inter theatra & amphitheatra differentia*. ibid. C
—— *quamdiu theatra temporaria fuerint Romæ*. ibid. C
—— *Pompejus primus omnium saxeum & stabile Theatrum Romæ ædificavit*. ibid. C
—— *an Theatra a Gothis aliisve Barbaris Romæ diruta, an vero vetustate collapsa fuerint*. 1881. A B
—— *qualia & quotuplicis generis olim Romæ visa fuerint*. (17.)
Theatrum Balbi *ubinam fuerit*. (7.) 1581. A
Theatrum Marcelli *magna sui parte adhuc superstes est*. 1252. F
—— *ubinam fuerit in nona Urbis regione*. 1581. A
Theatrum Pompeii *in qua regione Urbis fuerit*. 1259. E
—— *ejus vera magnitudo*. ibid. F
—— *Nero illud unico die inauravit*. 1578. D
—— *quoties conflagraverit*. ibid. D E
—— *ejus exacta descriptio*. (20.)
Theatrum Statilii Tauri *an fuerit in Palatio*. 1343. D
Thebas *Ægyptii Jovis urbem vocabant*. 1910. D
—— *a quo primum conditæ*. ibid. D
—— *earum magnitudo*. ibid D.
—— *earum exacta descriptio*. ibid. D E
—— *an unquam centum portas habuerit*. ibid. F
Thensa *Deorum vehiculum olim dicebatur*. 1570. A
Theodoricus *Gothorum Rex muros Romanos restaurari curavit*. 925. C
Thermæ *quot olim Romæ fuerint*. 1580. C
—— *in eas sensim cuncta exercitia & studia traducta sunt*. 1189. D
—— *earum apparatus qualis olim fuerit*. 1580. C 1597. B
—— *cui usui inservierint inter Romanos*. 1597. A B
—— *earum prima institutio*. ibid. B C
—— *æstate hora octava, hyeme nona in illis lavari solebant Romani*. ibid. D
—— *Gothi & Vandali capta urbe eas intactas reliquere*. 1879. E
—— *non vi tempestatum sed ab hominibus dirutæ fuerunt*. 1885. C D
—— *eas pro anni tempore quomodo mutaverint Romani*. (15)
—— vid. *Balneum*.
Thermæ Agrippinæ *ubi olim fuerint*. 1270. C. 1580. C
—— *testamento ipsius Agrippæ publicæ factæ sunt*. ibid. D
Thermæ Alexandri *in Campo Martio* 1581. A
Thermæ Antoninianæ *ab Antonino Caracalla ita dictæ*. 1377. B
—— *in qua regione Urbis fuerint*. 1596. D
—— *earum descriptio*. ibid. E
Thermæ Aurelianæ *hyemales ubinam fuerint*. 1410. B
Thermæ Comodianæ *ubinam fuerint*. 976. A
Thermæ Constantianæ *olim eo loco fuerunt, quo hodie Aula Cardinalis Mazarini* 1098. D 1556. D
Thermæ Decianæ *in qua regione Urbis fuerint*. 1386. A B
—— *Decianæ & Varianæ an fuerint eædem* 1601. B
—— vid. *Lavacra*.
Thermæ Diocletianeæ *ubi fuerint*. 1103. D. 1558. B
Thermæ Domitiani *in qua regione Urbis fuerint*. 1307. C
Thermæ Elagabali *in qua regione Urbis fuerint*. 1386. C
Thermæ Hadriani *in qua regione Urbis fuerint*. 1276. E 1312. C
Thermæ Neronianæ *in Campo Martio*. 1275. C 1581. A
—— *eædem postea Alexandrinæ dictæ*. ibid. E
Thermæ Novati *ubinam fuerint Romæ*. 1077. E
Thermæ Olympiadis *in Viminali olim fuere*. 1080. B 1550. E
Thermæ Philippi *Imperatoris ubi fuerint*. 1020. F 1535. B
—— *earum rudera esse censentur quæ hodie ad Ecclesiam S. Matthæi in Merulana visuntur* 1020. F
Thermæ Severianæ *ubi olim fuerint*. 975. E. 1531. F
Thermæ Titi *ubi olim fuerint ex certis indiciis colligi potest*. 1018. D 1536. E
Thermæ Trajani *ubi olim fuerint Romæ*. 1018. E 1386. E
—— *an templum* S. Martini in montibus *in ruderibus harum thermarum exstructum sit*. 1018. E
Thesei navis *Athenis per aliquot secula servata fuit*. 885. D
Tiberius *quo tempore Pontifex Maximus creatus*. 1863. C
Tiberis *exacta descriptio*. 1436. B C. & seq.
—— *optimos olim ferebat pisces*. 1437. A
—— *an in ejus ripa olim licuerit domos extruere*. 1439. B
—— *Tiberis, & Tibris dicebant Antiqui*. 1614. C
—— *olim Albula dictus fuit*. ibid. C
—— *undenam nomen Tiberis acceperit*. ibid. C
Tibiarum *forma apud Romanos*. 1469. D
—— *eis utebantur veteres in solennibus conviviis, & Sacris celebritatibus*. ibid. E
—— *longæ quando in usu esse inceperint*. ibid. F.
—— *earum varius usus apud Romanos fuit*. 1474. A
—— *in juniorum funeribus ea adhiberi solitæ*. ibid. B
Tiburtina porta *ubi Romæ fuerit*. 931. A F
—— vid. *Porta*.
Tigillum Sororium *ubinam Romæ fuerit*. 1055. F

Tiguria *ædificare ab hirundinum nidis veteres mortales primum didicere*. 1484. F
Tintinnabulis *excubitoribus adventantis Principis signum dabant Romani.* 1205. B
—— *iis etiam veteres significabant horam balneorum*. 1792. E
Titienſis tribus Romæ, *undenam hoc nomen acceperit*. 946. C
Tituli *Deorum & Heroum, quibus ſuperbiebant veteres quidam Reges & Romanorum Imperatores*. 1557. D E
Titus Tatius *an Capitolium Urbi addiderit*. 895. A
Togam *pictam quis primus inter privatos Romanorum propriam habuerit*. 1234. A
Toli *caput humanum in monte Capitolino repertum*. 1530. D
Tormenta *ſub Imperatoribus etiam in corpora libera permiſſa*. 1181. C
—— *ſub Conſulibus tantum in ſervilia*. ibid. C
—— *ex capillis mulierum quando facta*. 1243. C
Torquati *Lacus, Balneum & Hortus ubinam fuerint Romæ*. 981. C D
Totila *partem tertiam murorum Romanorum dejecit*. 925. F
—— *poſtea aviditate gloriæ commotus reſtituit*. 926. A
—— *non modo rei militaris imprimis erat peritus, ſed etiam clementia & pietate cum quovis veterum comparandus*. 1881. C
—— *an hic Romam funditus deleverit*. 1882. C
—— *a quibus & per quam portam in urbem admiſſus fuerit*. 1533. B
Trajanus *ſolus omnium Imperatorum in urbe ſepultus*. 1186. E
—— *ejus cineres ubi conditi fuerint*. 1569. D
—— *ejus columna hodienum ſuperſtes eſt*. 1186. E
—— *ejus deſcriptio*. ibid. E F 1947. B
—— *quot olim habuerit gradus*. ibid.
—— *quot feneſtellas*. ibid.
—— *cui uſui inſervierit*. ibid.
Tranſtiberina regio *quando Romanis tribubus addita fuerit*. 959. A
—— *quota regio olim Romæ fuerit*. 1402. C
—— *ubinam fuerit ſita*. ibid.
—— *an Ancus Martius eam Urbi addiderit*. 1405. A B
Trapezitæ *ubinam habitaverint Romæ*. 1176. A
Tribunal Aurelii *in Foro fuit*. 1168. F
Tribunalia *Prætoris Urbis ubinam fuerint Romæ*. 1596. C
—— *Senatorum ad portam Capenam fuerunt*. ibid. C
Tribunitia poteſtas *qua de cauſa fuerit inventa*. 1865. C
—— *apud Romanos erat Sacroſancta*. ibid. D
Tribunum *quis tribubus Romanis primus præfecerit*. 1529. E
Tribunorum Militarium *Imperium quamdiu Romæ duraverit*. 1210. E
—— *eorum cineres qui in acie contra Volſcos ceciderant ubinam in Circo tumulati*. 1592. F
Tribuni plebis *ubinam Romæ jus dixerint*. 1145. A
—— *eis nullum ſupremum jus in cives erat*. 1210. E
—— *quænam poteſtas ipſis conceſſa fuerit*. ibid. E
Tribus *tres, in quas Romulus Romam diviſit*. 945. D 1529. D
—— *earum nomina*. ibid. D
—— *in decem Curias quis diviſerit*. ibid. D. E
—— *quis & quando duplicaverit*. 1529. E
—— *in quatuor tribus quis Romam primus diviſerit*. 1530. F
Tribus Urbanæ *quænam Romæ ita dictæ fuerint*. 958. A
—— *quot fuerint Romæ ſub Regibus & Conſulibus*. 1501 F
—— *quot in agro ſuburbano*. ibid.
Tribus Ruſticæ *quot initio Romæ fuerint*. 958. B
—— *quænam ita dictæ fuerint*. ibid.
Tributorum *varia genera accipiebant Romani a Gentibus*. 1490. D
Triclinium Jovis *in ædibus Palatinis fuit*. 1587. D
—— *Apollinis in eodem Palatio fuit*. ibid D
Triclinia *Cæſaris non poterant adire niſi familiares & vocati*. (11.)
Trigaria *quis locus olim dictus fuerit Romæ*. 1285. E 1584. C
—— *in qua regione Urbis fuerit*. ibid. E
—— *undenam olim hoc nomen acceperit*. (14.)
Trigemina porta *ubinam fuerit Romæ*. 936. B C
—— *undenam olim ſic dicta*, ibid. C
—— vid. *Porta*.
Trigonia porta *ubinam Romæ fuerit*. 900. C
—— *undenam ita fuerit dicta*. ibid. C
—— vid. *Mugonia*.
—— vid. *Porta*.
Triton *ubinam fuerit in Campo Minore*. 1296. B
Triumphalis porta *ubinam Romæ fuerit*. 938. F 939. F
—— *quænam olim ſic dicta fuerit Romæ*. 941. A B &c. 1528. A
Triumphantes *ubinam cœnnare ſoliti*. 1573. A
—— *quare exuvias & ornamenta Jovis geſtare diceren-tur*. 1233. F
Triumphum *Navalem quis primus egerit Romæ*. 1170. F
—— *ejus honor unius diei ſpatio continebatur*. 1943. D
Triumviri *Nocturni Romæ incendiis arcendis præerant*, 1009. E
Troja *quo anno mundi fuerit capta*. 1911. E
Tropæa *quot & qualia olim in Capitolio*. 1545. A B
—— *quot ad caſtellum aquæ Martiæ*. ibid. B
Trucidatorum *locus ubinam fuerit Romæ*. 979. A
Tugurium *Fauſtuli an diverſum a caſa Romuli fuerit*. 1319. E
—— *in qua regione Urbis fuerit*. ibid. E 1585. D
Tullius *aquæ quid ſignificet*. 1639. E
Tullianum *dicebatur ille carcer Romæ, in quem ad mortem damnati conjiciebantur*. 1209. E
Turris *Comitum ubinam olim fuerit Romæ*. 1055. A E
—— *e qua Nero incendium Romanum decantavit, ubinam fuerit Romæ*. 1070. D
Tuſci *in calce viva tributum ſolvebant Romanis*. 1490. D
Tuſculum *ubinam olim fuerit Romæ*. 1773. A
Tuſculanus ager *olim optimas ferebat ficus*. 1437. A
Tutelam *aquarum locare ſolebant veteres*. 1656. B
Tutelina Dea *unde dicta apud Romanos*. 1604. E
—— *quibus rebus præfuerit*. ibid. E
—— *hanc ſub tecto nominare religio erat* ibid. E

V.

V *pro* B *in antiquis libris ſæpius reperitur*. 1811. F
—— *ejus literæ ſonum per O efferebant veteres*. 1817. C
—— *pro U longa Veteres Romani uſurpabant Oi vel Oe* 1837. C
—— *loco i ſcribere ſolebant antiqui*. ibid. C
Vacci *prata ubi in Palatino fuerint*. 1343. A
Valentis titulus *Sylvano datus*. 1730. D
Valentia *Roma antea fuit nuncupata*. 1523. F

Vallis Martiæ ubinam fuerit. 1350. A B
Varro tempora mundi distinguebat in incognita, fabulosa & historica. 891. B C
Vas vinarium mensis Deorum imponi solitum. 1469. C D
Vas æreum Farnesianum ad liquidorum mensuram institutum. 1716. E
Vaticanus Deus quare ita fuerit dictus. 1611. A
—— mons. vid. Mons.
Ve particula an diminutionem apud veteres significet. 1218. B
Vecors quid significet. 1218. D
Vegrandis, id est, male grandis. 1218. B D
Vejovis quale Numen fuerit apud veteres Gentiles. 1218. B. 1573. E
—— ei capra immolari solebat. 1218. D
—— hic Deus notior fuit Hetruscis quam Latinis. ibid. E
Velabrum quid olim Romæ fuerit. 1190. E
—— ubinam illud olim fuerit. 1369. C D
—— fuit majus & minus. 1191. A 1569. D
—— majus in regione undecima ad ripam Tiberinam erat. 1595. A
Velia in qua regione Urbis. 1317. E
—— quis locus ita olim dictus. 1589. A (8.)
Velleii Paterculi laus. 890. D
Velum in loco judicii apud Romanos. 1182. A
Venationes ferarum in Circo exhibitæ. 1361. A
Venditio noxiorum ubi Romæ fieri solita. 1016. D
Venox quare Cajus Plautus fuerit dictus 1635. E
—— vox hæc significat venæ indagatorem. 1772. D
—— Aqua Julia venox etiam dicta. ibid. D
Veneris templa extra urbem vetustissimo more condi solita. 1085. E
—— ejus statua in Pantheo fuit cum unione Cleopatræ. 1270 A
—— templum. vid. Templum.
Venus Cloacina unde fuerit dicta. 1567. C
—— ejus signum ubinam olim fuerit Romæ. 1030. C 1177. C
Vertumnus fuit Hetruscorum Deus peculiaris. 1152. C
—— ubinam signum ejus Romæ collocatum 1566. B
—— fuit Deus Mercaturæ. ibid. B 1602. D
Vespasiani Lacus ubinam fuerit Romæ. 976 E
—— ejus ædes ubinam fuerit Romæ. 1161. C
—— ille Imperator divinationi & prodigiis multum tribuebat. 1849. E
—— plurimis divinationibus ipsi Imperium prædictum. 1850. E
—— an is unquam Jani templum clauserit. 1853. B
Vestæ templum. vid. Templum.
Vestales stupri compertæ ubinam vivæ sepeliri solitæ. 1550. D E 1566. D
—— erant custodes sacri & æterni ignis. 1566. C
—— per quam viam aufugerint, cum urbs a Gallis caperetur. 1706. A
Vestes pretiosas in sepulcrum inferre solebant veteres. 1480. A
—— Attalicæ. vid. Attalicæ
Vestibula ante veterum domus esse solebant. 986. B
Vestibulum qualium domorum proprium fuerit. 987. A
—— quid olim ita proprie fuerit dictum. 1041. A B
Vestigium Urbis Romæ quo tempore fuerit descriptum. (2)
Vetronius Turinus quare fumo punitus ab Alexandro Severo. 1568. D
—— in quo loco ita fuerit punitus Romæ. 1054. B
Vettii Bolanani balneum. vid. Balneum.
Vexilla quot comunia olim fuerint Romæ. 1433. C
Viæ Romam ducentes quot olim fuerint. 1432. C 1434. C
—— veterum Romanorum admodum celebres erant. 1619. C
—— Romanæ semper quantum possibile, rectæ erant. 1712. C D
—— publicæ Italiæ undenam principium duxerint. E
Via Æmilia a quo fuerit primum strata. 1620. B
Via Ardeatina ubinam fuerit Romæ. 1765. E
Via Appia olim erat triumphalis iis, qui ex Oriente triumphaturi Romam redibant. 1528. B
—— Regina viarum dicta. 1378. F 1532. F
—— an etiam fuerit intra urbem. 1598. D
—— in ea multi sepeliri solebant. 1599. A
—— quare Statio a Romanis fuerit dicta. 1619.
—— quousque olim excurrerit. ibid. C D 1635. C D
—— quis Romanorum hanc primus straverit. 1620 A
—— quinam Romanorum ibi sepulti fuerint. 1620. F
Via Aurelia undenam hoc nomen acceperit. 1620. D
—— duplex fuit, vetus & nova. 943. F
—— postea etiam dicta fuit Triumphalis. ibid.
—— fuit duplex Romæ vetus & nova. 943. F 1705. D
Via Collatina ubinam fuerit Romæ. 1767. C
Viæ Flaminiæ ubinam Romæ initium fuerit. 1297. D
—— undenam hoc nomen primum acceperit. ibid.
—— erat in nona regione. 1580. F
—— a latere campi Martii decurrebat. 1584. A
—— quorum Imperatorum Triumphi per hanc viam ducti fuerint. ibid. B
—— quis Romanorum illam primus straverit. 1620. B
—— quinam ibi olim sepulti. 1621. A
Via Fornicata in qua regione Urbis fuerit. 1311. C
—— quare ita a Romanis fuerit dicta. ibid. C
Via Labicana vetus ubinam fuerit Romæ. 1620. E 1710. E
—— quinam ibi olim sepulti fuerint. 1621. B
Via Lata dicebatur Regio septima. 1111. B
—— via Lata frequentata olim fuit Arcubus Triumphalibus quorundam Imperatorum. 1562. C
Via Latina ubinam olim fuerit Romæ. 1260. D E
—— hæc via olim infamis spectris fuit. 1621. A
—— quinam ibi olim sepulti fuerint. ibid. A
Via Laurentina ubinam fuerit Romæ. 1620. E
—— quinam Romanorum ibi sepulti fuerint. 1621. B
Via Mamertina ubinam fuerit Romæ. 1183. A
Via Nomentana ubinam fuerit Romæ. 1767. C
Via Nova qualis fuerit dicta Romæ. 1152. F
—— in qua regione Urbis proprie fuerit. 1153. A 1378. C D
—— a quo facta fuerit. ibid D
—— alia Via Nova ubinam fuerit. ibid. E
Via Ostiensis ubinam fuerit Romæ. 1620. E
—— quinam Romanorum ibi sepulti fuerint. 1622. A
Via Prænestina ubinam fuerit Romæ. 1753. A B
Via Recta in qua regione Urbis fuerit. 1293. E
—— & Triumphalis an fuerit eadem. 1583. D
Via Sacra quota regio olim Romæ fuerit appellata. 1024. A
—— an ea via in Forum exierit. 1027. C
—— quare ita a Romanis fuerit dicta. 1537. E
Via Sacra summa ubinam fuerit Romæ. 1029. B E
Via Salaria an a porta quadam nomen sortita sit. 1753. D
—— in qua regione Urbis fuerit. ibid. D
—— an etiam fuerit porta ejusdem nominis. ibid. D
—— quinam Romanorum ibi olim sepulti. 1621. B
Via Tiburtina ubinam fuerit Romæ. 1767. C
Via Triumphalis. 942. D 944. A B

Via Valeria *qualis olim dicta fuerit Romæ*. 1620. D
—— *quam male ab Holstenio descripta sit*. 1720. A B
—— *quis verus ejus ductus fuerit*. ibid. F
—— *erat distincta a via Sublacensi*. 1724 E
Viarius *quare olim Mercurius fuerit dictus*. 1802. B
Vicomagistri *quinam proprie dicti fuerint*. 989. C
—— *quot olim Romæ fuerint*. 1433. B 1435. A
—— *eorum creatio quare in quibusdam vicis cessaverit*. 967. A
Vici *singuli Romæ suas olim habebant ædiculas*. 966. E 1531. A B
—— *eorum numerus quam magnus fuerit Romæ*. 1433. B 1435. A
Vicus Æmilianus *quis olim dictus*. 1123. B
—— *ubinam in septima regione Urbis fuerit*. 1563. C
Vicus Africus *ubinam fuerit Romæ*. 1065. B
Vicus Alexandri *ubi olim Romæ fuerit*. 924. F
—— *undenam hoc nomen acceperit*. 1402. B
—— *tertio lapide ab Urbe sejunctus fuit*. 1761. E
Vicus Archemonius *in qua parte Urbis olim fuerit*. 1115. B 1561. A
Vicus Brutianus *in qua regione Urbis fuerit*. 1412. D
Vicus Bubularius novus *ubinam fuerit Romæ*. 1246. D
Vicus Colapeti vel Colafiti *ubinam fuerit Romæ*. 1382. C
Vicus Corneliorum *ubinam fuerit Romæ*. 1099. B
Vicus Curiarum *in qua regione fuerit*. 1321. B. 1585. F
Vicus Cyclopis *ubinam fuerit Romæ*. 1006. B
Vicus Cyprius *ubinam inceperit olim*. 1055. A
—— *an idem fuerit cum vico* Scelerato. 1056. C
Vicus Fortunarum *ubinam fuerit in Quirinali*. 1558. B
Vicus Fortunæ Dubiæ *ubinam fuerit Romæ*. 1401. F
Vicus Jani *in qua parte Urbis fuerit*. 1253. C
Vicus Janiculensis *an fuerit in decima quarta regione*. 1510. F
Vicus Jugarius *ubinam olim fuerit Romæ*. 1149. E 1566. A
Vicus Loretum *dictus duplex olim fuit Romæ*. 1602. C
Vicus ad malum Punicum *ubinam fuerit*. 1102. C
Vicus Mamurri *ad ædem S. Susannæ fuit*. 1102. B
—— *undenam hoc nomen acceperit*. ibid. 1557. C
Vicus Palloris *ubi olim fuerit*. 1073. C 1546. C D
Vicus Patricius *ubi olim fuerit Romæ*. 1074. C 1546. E (13)
—— *undenam illud nomen acceperit*. 1074. C
Vicus Piscarius *in qua regione Urbis fuerit*. 1370 C
Vicus Publicus *ubinam fuerit Romæ*. 1155. C
Vicus Quirini *ubinam fuerit Romæ*. 1096. D
Vicus Sandalarius *erat in quarta Urbis regione*. 1540. F (8)
—— *a statua* Apollinis Sandaliarii *nomen habuit*. ibid. F
—— *frequens erat librariorum officinis*. 1540. F
Vicus Sceleratus *unde olim nomen acceperit*. 1056. D
—— *an & ubinam in tertia regione Urbis fuerit*. 1536. D
Vicus Sigillarius prior *ubinam fuerit*. 1563. C
Vicus Sigillarius minor *ubinam fuerit*. 1124. B
Vicus Sucusanus *a Rufo in Regione quinta ponitur*. 1067. A
Vicus Sulpitius *in qua regione Urbis fuerit*. 1286. F
Vicus Thurarius *an idem fuerit qui Thuscus*. 1152. A
Vicus Thuscus *in qua parte Urbis fuerit*. 1150. D
—— *quale genus hominum ibi habitaverit*. 1151. E
—— *undenam illud nomen acceperit*. ibid. E
—— *olim unguentariorum, lanariorum, aliorumque negotiatorum erat statio*. 1566. B
Vicus Tragœdus *ubinam fuerit Romæ*. 1087. B
—— *undenam ita a Romanis fuerit dictus*. (8)
Vicus Via Nova *dictus in octava regione fuit*. 1566. B
Vicus Vitrarius *ubinam fuerit Romæ*. 981. C
—— *etiam trium ararum a Romanis fuit dictus*. ibid. C
Vicus Ursi pileati *unde fuerit dictus*. 1068. E
—— *in qua regione Urbis fuerit*. 1544. F
Vicus Ustrinus *quare ita fuerit dictus*. 1073. C
—— *in qua regione Urbis fuerit*. 1546. F
Vigiles *contra incendium quisnam primus Romæ instituerit*. 1009. C
—— *quot illorum cohortes fuerint*. ibid. B F
Villa publica *olim in Campo Martio fuit*. 1286. A 1580. F
—— *quam vicina ea* Septis *fuerit*. 1286. B
—— *cui usui inservierit apud Romanos*. 1582. A
Viminalis mons *ubinam Romæ sit*. 955. A B
—— *undenam hoc nomen olim acceperit*. ibid. B
—— *quis eum Romæ adjecerit*. 1525. A
—— *hodie ostendit templum D. Laurentii in Panisperna*. 1530. E
Viminalis porta *ubinam Romæ fuerit*. 930. F
—— vid. *Porta*.
Vinum *in Vaticano natum pessimum erat*. 1611. B
—— *vina Fiscalia*. vid. *Fiscalia*.
Vipsanii *nomen quare Agrippa sustulerit*. 1738. B
Virbius *sive Orbius clivus ubinam fuerit Romæ*. 1073. E F
Virgis *ubinam Romæ in sontes animadversum*. 1141. A
Virgo aqua *quænam Romæ sic fuerit dicta*. 1640 A
—— *undenam hoc nomen a Romanis acceperit*. ibid. A
—— vid. *Aqua*.
Virgines Vestales *incesti damnatæ ubinam defodi solitæ*. 1107. E
Viridarium *Elagabali ubinam fuerint*. 1587. E
Viriplaca Dea *qualis dicta a Romanis*. 1588. F
Virtutis templum *ubinam fuerit Romæ*. 974. E F
—— *a quo illud fuerit dedicatum*. ibid.
Vitellii *patina e qua materia fuerit conflata*. 937. D
—— *in qua parte Urbis*. ibid. C
Vittæ *& coronæ promiscuus usus fuit in Sacrificiis apud veteres*. 1734. E
Vivarium *dicebatur, in quo bestiæ in usum Spectaculorum a Romanis conservabantur*. 1544. C
—— *in qua parte Urbis illud fuerit*. 1065. B C
Umbri *in calce viva tributum solvebant Romanis*. 1490. D
Umbilicum *Urbis quid veteres Romani appellarint*. 1209. C
Uncia *quota pars pedis apud Romanos*. 1645. C.
Volcanale *ubinam olim fuerit Romæ*. 1043. C
—— *quid ita fuerit dictum*. ibid. E F
Vota *quo habitu corporis concipere soliti veteres Romani*. 1470. F
Urbs *cum de Roma dicitur quid proprie significet*. 1761. A
Vulcani *in area Romæ per biduum sanguine pluit*. 965. F
Vulcanale *qualis locus dictus fuerit Romæ*. 1541. A
Vulcanalia *ubinam Romæ fuerint celebrata*. 1258. D
Vultur *rerum omnium naturam hieroglyphice significabat apud Ægyptios*. 1913. C
Uvæ pressæ *in sepulcris Christianorum quid significaverint*. 1551. F

X.

X *literæ usus diu Latinis ignotus fuit*. 1824. F 1812. C
Xenia *qualia munera fuerint apud Romanos*. 1036. B
— *quando veteres ea dare soliti*. ibid.
— *qualis Dea illis olim præfuerit*. ibid. D

Z.

Zamolxis *quare olim Heliopolim adierit*. 1909. A
Zizacenorum *vectigalia ad reparationem Aquæductuum Romanorum impendebantur*. 1679. C
Zonaras *quomodo res Romanas descripserit*. 1812. E

F I N I S.







